UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76405

Visual Library

Th. 545a.

G IX
4

ANTON.
Opera
Tom. I. II
E III
A.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

NTON:
Opera
Tom. I & II
E III
1

R. P. D. ANTONINUS

DIANA

PANORMITANUS,

CLERICUS REGULARIS, DOCTOR CELEBERRIMUS,

Coram S. D. N. ALEXANDRO VII. Episcoporum Examinator,
& Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,

COORDINATUS,

SEU OMNES

RESOLUTIONES MORALES,

EIUS IPSISSIMIS VERBIS AD PROPRIA LOCA,
& Materias fideliter dispositæ, ac distributæ.

EDITIO NOVISSIMA, ET AUCTA,

A quamplurimis quibus cæteræ scatebant erroribus purgatissima.

Cui de novo accessit Tomus Decimus, veluti Summa totius Operis, ad commodiorem faciliorémque Theologiæ Moralis Studiosorum usum;

PER V. P. MARTINUM DE ALCOLEA,

Monachum Carthusiensem ex Regali Cœnobio de Paulari.

TOMUS SECUNDUS.



LUGDUNI,

Sumptib. JOANNIS-ANTONII HUGUETAN, & Soc.

M. DC. LXXX.

CUM APPROBATIONE ET PERMISSU.



SYLLABUS TRACTATUUM

HUJUS TOMI SECUNDI.

TRACT. I. DE Celebratione Missarum juxta Decreta Urbani VIII. Et de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: atque de omnibus ritibus occurrentibus antea, & postea, & in ipsamet Celebratione Missarum.

II. De Præcepto Divino, & Ecclesiastico Sacræ Communionis: atque de cæteris quotidianis Communionibus, & etiam pro articulo mortis.

III. De Præcepto Ecclesiastico audiendi Missam in die festo.

IV. De Sacramento Extremæ-Unctionis.

V. De Sacramento Ordinis.

VI. De Sacramento Matrimonij.



LICEN

LICENTIA.

NOS Frater Joannes Prior Carthusiæ, ac totius Ordinis Carthusiensis Minister Generalis, concedimus facultatem V. P. D. Martino de Alcolea, Monacho Carthusiæ de Paulari, Professo, tradendi Typographo Dianam Coordinatum, seu Resolutiones Morales Reverendi Patris Antonini Dianæ, ad propria loca per eum distributas, & in plures Tomos digestas, ut typis mandentur, ac in lucem edantur, si ita videbitur iis, ad quos ea cura spectat ex sacro Concilio Tridentino, Pontificiisque ac regiis Decretis. Dummodò id fiat absque expensis & gravamine Domus, ac disciplinæ nostræ regularis detrimento. Datum Carthusiæ sub Chirographo ac Sigillo nostro 16. Maij 1658.

FR. JOANNES *Prior Carthusiæ.*

REGII PROCURATORIS CONSENSUS.

PRo Rege assentio, ut liceat JOAN. ANT. HUGUETAN, Bibliopolæ Lugdunensi, typis mandare R. P. ANTONINI DIANÆ Opera Coordinata per R. P. MART. ALCOLEAM, in decem Tomos distributa, concessis impetranti inhibitionibus ad quinquennium computandis, à die finitæ impressionis. Datum Lugduni 1. Decembris 1674.

VAGINAY.

PERMISSIO.

FIat juxta Conclusiones Procuratoris Regij, anno & die supradictis.

DESEVE.

Desiit excudi 3. Novembris 1679.



INDEX

INDEX
TRACTATUUM, ET RESOLUTIONUM
hujus Tomi Secundi.

Ultimus omnium numerus paginam indicat.

TRACTATVS PRIMVS.

De celebratione Missarum iuxta Decreta Vrbani VIII. Et de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; atque de omnibus Ritibus occurrentibus antea, & postea, & in ipsamet Missarum celebratione. pag. 1

Resol. 1. AN Episcopi vigore Concilij Tridentini possint revocare Missas in fundatione appositas? Ex p. 2. tr. 14. Res. 1. ibid.

2. *An possint Episcopi Missas quæ post Concilium Tridentinum relictæ fuerunt, ad minorem summam reducere? Et quid si ante Concilium Tridentinum fuerunt impositæ?* Ex p. 2. tr. 14. resol. 2. ibid.

3. *An reductio Missarum sit ab Episcopo facienda in Synodo?* Ex p. 2. tr. 14. resol. 3. ibid.

4. *An Generales Religionum possint absque Capitulo, sicut diximus probabiliter de Episcopis, reducere Missas ad summam minorem?* Ex p. 2. tract. 4. resol. 4. ibid.

5. *An prædicta facultas moderandi Missas comprehendat etiam anniversaria, & Officia pro defunctis?* Ex p. 2. tr. 14. resol. 5. p. 2

6. *An prohibitio moderandi Missas facta Episcopis in Decreto de Celebratione Missarum, comprehendat etiam anniversaria, & Officia Defunctorum?* Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. resol. 40. ibid.

7. *Quænam facultas per decreta Sacræ Congregationis de celebratione Missarum sublata sit Episcopis, & Generalibus Religionum, & Ordinum revocandi Missas ad minorem numerum?* Ex p. 6. tract. 6. & Misc. 1. resol. 10. ibid.

8. *An per Decreta Sacræ Congregationis fuerint revocata privilegia Regularium circa legata Missarum?* Ex p. 6. tr. 6. & Misc. 1. resol. 11. ibid.

9. *An post Decretum Vrbani VIII. Regulares habeant aliquod privilegium, cuius vigore possint hodie, vt olim, reducere Missas ad minorem numerum? Et breviter dis-cutitur, quod dato quod esset tale privilegium pro Minimis, & Minoribus, an talis gratia aliis Religionibus per communicationem suffragari possit?* Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. resol. 67. ibid.

10. *An Generales Religionum possint dispensare, vt certarum Missarum cum multis collectis celebratione, plurium Missarum oneribus Regulares subditi satisfaciant?* Ex p. 2. tr. 14. resol. 6. p. 3

11. *An Superiores Regulares possint reducere Missas ad minorem summam? Et an Regulares satisfacere queant plurimis Missis debitis per vnam Missam, additis in ea tot commemorationibus, quot Missæ debitæ erant dicendæ?* Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. resol. 4. ibid.

12. *An aliquando sine licentia Papæ, vel Sacræ Congregationis possit Superior Regularium, vel Sacerdos sæcularis reducere Missas ad minorem numerum? Et notatur, quod si testator reliquisset, vt suus hæres in singulos annos eroget tantam pecuniam, vt celebrare pro ipso curet tot Missas: tunc si temporis decursu adauctum sit Missæ stipendium, teneri hæredem maiorem pecuniæ summam erogare, ne Missarum numerus minuatur.* Ex p. 7. tr. 12. & Misc. 3. resol. 22. aliàs 20. p. 4

13. *An Sacerdos peculiaris, vel Superior Regularium, non obstantibus Decretis felic. mem. Vrbani VIII. possit in aliquo casu reducere Missas ad numerum minorem; vt si v. g. deficerent notabiliter fructus redditus relicti pro Missis dicendis? Et an si totum capitale Capellaniæ periisset sine culpa Sacerdotis, vel Conuentus, cui Missarum onus incumbit, possit prorsus à celebratione cessare? Et notatur, quod per hoc Decretum Vrbani VIII. non censetur privilegium revocatum moderandi Missas, & anniversaria à testatoribus ante Tridentinum relicta, quorum maximus est numerus, sed solum earum Missarum reductionem, quæ post Tridentinum acceptatæ fuerunt. Et cursim docetur, quod Episcopis licet moderari Missas alicui Ecclesiæ, siue ante, siue post Tridentinum relictas, nondum tamen siue ob tenuitatem eleemosynæ, siue ob aliam causam ab eadem Ecclesia acceptatas.* Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. resol. 65. pag. 5

14. *An in aliquo casu Prælatus Regularis, & quilibet alius Sacerdos priuata authoritate possit minuere numerum Missarum, non obstante Decreto Vrbani VIII. de celebratione Missarum? Et docetur, quod quando intelligentia verborum alicuius decreti habet aliquam difficultatem, standum est consuetudini, quæ est optima legum interpres. Idem est dicendum de legibus, & statutis.* Ex p. 10. tract. 14. & Misc. 4. resol. 40. aliàs 38. pag. 6

15. An

15. *An in aliquo casu, non obstantibus Decretis Vrbani VIII. possit pecunia relicta pro Missis non inuestiri in bonis fructiferis? Et aliqui casus in textu huius Resolutionis adducuntur pro praxi praedictae difficultatis. Et quaeritur, an Regulares faciant contra praesentem prohibitionem, si recipiant onus celebrandi Missam quotidianam per centum annos absque implicatione pecuniae ad talem effectum solutae?* Ex p.10. tr.16. & Misc.6.res.72.p.7

16. *An si Petrus relinquit centum aureos pro centum Missis in aliqua Ecclesia celebrandis, si augeatur stipendium Sacerdotibus, teneatur haeres data capacitate haereditatis supplere illam eleemosynam?* Ex p.2.tr.14. res.17.p.8

17. *An legatum Missarum transeat ad haeredes nominatim non designatos? Ex quo sequitur Sacerdotem obtinentem Capellaniam, de cuius fundatione nullo modo constat, sed illud tantùm certum est, teneri ad celebrandum quotidie in tali Ecclesia, vel tali Altari cum stipendio conuenienti; sequitur, inquam, supradictum Sacerdotem teneri applicare valorem Missarum pro Fundatore Capellaniae.* Ex parr. 9. tract. 8. & Misc.3. res.69. aliàs 68. ibid.

18. *Quando stipendium Missae fuerit ab Episcopo taxatum, vel à consuetudine; si petens Missam non det stipendium integrum, & iustum, an potuerit Sacerdos ab vno, vel diuersis tot parua huiusmodi stipendia accipere, quae iustae eleemosynae aequiualeant, & vnum tantum pro omnibus illis Missae sacrificium offerre? Et quid quando adsit expressa promissio de dicenda Missa pro illo parno stipendio?* Ex part.2.tract.14.res.7.p.9

19. *An quando stipendium Missae est aliquo in loco taxatum, Sacerdos qui nihil habet vnde viuat, possit deinde ad iusti stipendij orationem Missas applicare?* Ex p.5.tr.13. & Misc.2.res.52.ibid.

20. *An Sacerdos qui accipit stipendium ab aliquo pro Missa applicanda, teneatur ei applicare fructum ex opere operantis, & rationes, aliaque quae in Missa fiunt?* Ex p.5.tr.14. & Misc.2.res.80.ibid.

21. *An Sacerdos recipiens exiguum stipendium ab aliquo pro Missa dicenda, teneatur totum fructum ei applicare, stantibus Decretis Vrbani VIII? Et an pecunia relicta Monasterio cum onere perpetuo celebrandi Missas, implicari possit super bona ipsius Monasterij, assignando talem fundum, quod substet illi oneri, aut faciendo fabricam necessariam?* Ex part.10.tract.16. & Misc.6.res.71.p.10

22. *De taxa Missarum. Pro quo discutitur an Sacerdos pauper, quando singulis diebus celebrat, possit à quibuscumque Missas offerentibus eleemosynas, aut stipendia accipere, etiam super taxam determinatam ab Episcopo, vt habeat pro victu moderato, veste decenti, &c.* Ex p.11.tr.1. & Misc.1.res.24.ibid.

23. *Vtrum Sacerdos pauper possit pro vna Missa accipere tot stipendia, quot sufficiant ad eius diuturnam sustentationem? Et an talis Sacerdos possit accipere id quod necessarium est ad sustentandum patrem, & matrem, quando sunt constituti in tali necessitate, quod non possint sustentari nisi mendicando?* Ex p.2. tr.14.res.8.p.12

24. *An qui ignoranter, vel cum aliqua opinione sibi probabili celebrauit contra Decretum de celebratione Missarum, teneatur reficere Missas, aut stipendia restituere? Et notatur, quod in casu prohibito per Sacram Congregationem non erit peccatum mortale, sed tantum veniale, & absque obligatione restitutionis retinere sibi partem stipendij. Et quid si talis decipiat alterum Sacerdotem, dicendo se non accepisse nisi dimidiata stipendia?* Ex p.8.tr.7.& Misc.res.75.ibid.

24. *An Sacerdos, qui eleemosynam accipit pro dicendis Missis, possit postea per alios satisfacere minori pretia sine peccato, & onere restitutionis?* Ex p.2. tr.14.res.10.p.13

26. *An post Decreta Vrbani VIII. possit quis sine peccato mortali celebrare per tertium, retinendo sibi partem stipendij? Et quid si retenta fuerit maior pars stipendij?* Ex p.6.tr.8. & Misc.3.res.10.ibid.

27. *An detur casus post Decreta Vrbani VIII. in quo quis possit sibi retinere aliquid de stipendiis datis pro Missis dicendis? Et in exemplum huius quaestionis adducitur specialis, & curiosus casus. Sed quid dicendum est de alio dubio, quando Sacerdos recipit stipendium pingue pro Missis dicendis à se, & reperit alium Sacerdotem, qui velit sponte dicere Missas illas pro multo minori stipe, an possit excessum retinere?* Ex p.10. tr.16. & Misc.6.res.68.p.14

28. *An Sacerdos post Decreta Vrbani VIII. praebens aliis minus stipendium, quàm accepit pro Missis dicendis, peccet mortaliter? Et an Sacerdos qui vel ignoranter, vel cum opinione sibi probabili violat praedicta Decreta, teneatur vel reficere Missas, vel stipendia restituere?* Ex p.10.tr.16. & Misc.6.res.69.p.15

29. *An supradicta prohibitio extendatur ad capellanum, cui pro paucis Missis dicendis pingue stipendium ponderet, si per alium Sacerdotem Sacra efficiantur, sua ei stipe iusta, & consueta?* Ex p.2.tr.14.res.11.ibid.

30. *An Sacerdos qui à viro amicissimo accipit pro dicenda Missa duplicatum stipendium, possit per alium Sacerdotem satisfacere, dato ei iusto stipendio?* Ex part.2.tract.14.res.12.ibid.

31. *An Sacerdos qui per alterum Sacerdotem Missam celebrare facit, possit retinere excessum consueti stipendij, si sponte condonetur? Et asserit Episcopum non posse ordinare, quod Sacerdotes non dicant Missas pro minori stipendio à lege taxato.* Ex p.2.tract.14. res.13.p.16

32. *An quis possit diminuere Missas in compensatione damni dati, non obstantibus Decretis Vrbani VIII. Et pro praxi huius quaestionis fingitur curiosus casus in textu huius Resolutionis.* Ex p.10.tr.16.& Misc.6. res.66.ibid.

33. *An si quis v.g. accepit stipendium pro vna Missa sufficiens ex iustitia ad mortale, si Missam non dicat, teneatur illud restituere? Et an Sacerdos qui liberaliter promittit alicui vnum Sacrum animo se obligandi, si promissum non impleat, peccet mortaliter? Et dicetur pluribus petentibus sine stipendio Sacrum a Sacerdote posse vna Missa satisfacere. Ex quo infertur quod Religiosi qui ex vi suae Regulae, & Constitutionum tenentur certis diebus offerre sacrificium pro defunctis sui Ordinis, pro Capitulis & Benefactoribus, possint licitè offerre idem sacrificium pro aliis, à quibus pium acceperint.* Ex p.10.tr.15. & Misc.1.res.43.ibid.

34. *An Sacerdos diebus festinis possit accipere pro vna Missa duplicatum stipendium?* Ex p.2.tr.14.res.9.p.11

35. *An cum Sacerdotes ordinantur, & cum Episcopo consecrant, possit vnusquisque applicare illud sacrificium cui voluerit?* Ex p.5.tr.14.& Misc.2.res.112.ibid.

36. *Ac sacrificium Missae pro pluribus oblatum prosit singulis, & si pro vno tantùm offerretur? Et notatur primò Sacerdotem vna Missa satisfacere pluribus petentibus vnam Missam, dummodo ab illis non sit accepta stipendium. Secundò eodem sacrificio satisfacere & pro voto, & pro eo qui eleemosynam ad faciendum Sacrum dedit.* Ex p.5.tr.14.& Misc. 2.res.81.ibid.

37. *An Sacerdos possit applicare diuersis fructus vnius Missae diuersis personis, & ab illis duplicata stipendia accipere? Et docetur Sacerdotem posse idem sacrificium offerre pro eo à quo accepit eleemosynam, & simul pro alio ex sola liberalitate, vel charitate & gratitudine.* Ex p.6.tr.6.& Misc.1.res.9.p.18

38. *An Sacerdos possit duplex stipendium pro vna Missa accipere, applicando vni partem solitam, & alteri suam partem?* Ex p.2.tr.14.res.14 ibid.

39. *An Sacerdos valorem Missae specialem sibi debitum* poss

possit alteri applicare, & pro eo stipendium accipere? Et docetur Sacerdotem qui tenetur dicere Missam pro sola præsentia, non posse aliud stipendium accipere pro applicatione valoris Missæ. Ex p.5. tr.14. & Misc.2. res.45.p.19

40. *An Sacerdos possit applicare partem Missæ sibi competentem, & pro illa stipendium accipere?* Ex p.6.tr.6.& Misc.1.res.8.ibid.

41. *An pro fructu sibi competenti possit Sacerdos accipere aliud stipendium pro Missa dicenda? Ex quo deducitur in praxi hoc non esse admittendum ex eo quod pro actione dubia quis acciperet stipendium certum; nec illi suffragatur bona fides. Et notatur quod Sacerdos qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare pro cultu illius, vel commoditate populi tantùm, absque obligatione applicandi sacrificium, non potest pro illius applicatione aliud stipendium accipere. Item quæritur, an in graui necessitate Sacerdotis, cui nequeat aliter occurri, liceat plura stipendio insta vnius Missæ recipere pro sufficienti vitæ Clericalis sustentatione? Et an qui pluribus debet Missam, non ex stipendio accepto, sed ex liberali promissione, possit vnica Missa pluribus satisfacere? Ex quibus sequitur, quod si in aliqua Religione est consuetudo, vel statutum, quod ex beneuolentia, vel gratitudine erga amicos Fundatoris, Protectoris, Benefactoris, necessitatum communium Regni, Ciuitatis, aut communitatis, & etiam ex regula pro defunctis, &c. dicantur aliquot Missæ, potest nihilominus Sacerdos stipendium accipere ab alio, & illi sacrificium applicare. Et an peccet mortaliter Sacerdos, qui differt per tempus notabile dicere Missam pro eo à quo accepit stipendium, pro quo curiosus casus in §. penultimo huius Resolutionis inuenietur. Et tandem docetur Sacerdotem non posse applicare Missas coniunctim, & in confuso, vel associatas, sed debere dicere Missas pro singulis, &c.* Ex p.11.tr.7.& Misc.7.r.27.p.20.

42. *An sacerdos possit directè offerre sacrificium Missæ pro aliquo infideli, Turca, Hebræo, Catechumeno, &c. & ab illis accipere consuetum stipendium? Et docetur Sacerdotem non posse accipere stipendium pro Missa dicenda, & applicare fructum Missæ ipsi Sacerdoti proprium, & peccare contra iustitiam exhibendo pro certo stipendio munera incerta, & fructus Missæ incertos, stante opinione probabili tantum. Quod est non posse Sacerdotes duas pitantias accipere pro eadem Missa, vnam quatenus applicant fructum Missæ medium, quem pro determinatis personis ex vsu Ecclesiæ celebrans offerre solet, & alteram quatenus applicant fructum sibi proprium.* Ex p.10.tr.12.& Misc.2.res.21.p.21

43. *An qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare sine sacrificij applicatione, vt vulgò dicitur,* Con la sola presenza, *possit aliud stipendium pro illa Missa accipere, & alteri applicare?* Ex p.2.tr.14.res.80.p.23.

44. *An qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare, vt vulgo dicitur,* Con la sola presenza, *possit aliud stipendium pro illa Missa accipere, & alteri applicare?* Ex p.4.tr.4.& Misc.res.16.p.24.

45. *An quando solùm constat Capellanum teneri quotidie celebrare in tali Ecclesia, vel Altari teneatur applicare valorem Missæ pro fundatore Capellaniæ?* Ex p.6.tr.6.& Misc.1.res.13.ibid.

46. *An Sacerdos possit accipere duplex stipendium, vnum pro applicatione sacrificij, alterum pro officiatura Missæ? Et infertur non posse Sacerdotes accipere duo stipendia pro vna Missa, applicando vni fructum medium, & alteri suum specialissimum: vel applicando vni Missæ satisfactionem, & alteri impetrationem. Et an si aliquis Sacerdos acceptis pluribus stipendiis iustis bona fide, iuxta opinionem apud se probabilem applicauerit multis vnicam Missam, teneatur postea cognita veritate supplere vel alias Missas applicando, vel stipendia restituendo? Et tandem notatur, quod Sacerdos ordinatus, & celebrans cum Episcopo potest illud sacrificium alteri applicare.* Ex part.11.tr.8. & Misc.8.res.67.p.25

47. *An Sacerdos peccet mortaliter differendo celebrationes Missarum ad longum tempus? Et quod tempus sit ita longum?* Ex p.2.tract.14.res.25.p.27

48. *Quid per modicum tempus intelligatur in responsionibus sacræ Congr. ad Decreta Vrbani VIII. de celebr. Missarum?* Ex p.9.tr.6.& Misc.1.r.54.aliàs 55. ibid.

49. *An Sacerdos pauper, qui pro die occurrenti non habet eleemosynam pro Missa celebranda, possit Missam celebrare, & illam applicare pro primo offerente stipendium, quem Deus scit futurum primum?* Ex p.2. tr.14.res.15.p.28

50. *An detur aliquis casus in quo Sacerdoti liceat Missas celebrare anticipatè?* Ex p.2.tr.14.res.16.ibid.

51. *An Sacerdos qui præterita die applicauit Missam pro Petro, & nihil postea celebrando Missam de applicatione sacrificij cogitauit: quod est quærere, an Sacerdos in Missa actualiter, vel virtualiter debeat applicare sacrificium pro eo qui dedit stipendium?* Ex part.2.tr.14.res.47.ibid.

52. *An requiratur intentio saltem virtualis in eodem tempore Missæ ad applicandum fructum sacrificij cui præbuit stipendium?* Ex p.5.tr.14.& Misc.2.res.65.p.29

53. *An Sacerdos post consecrationem possit applicare fructum sacrificij Missæ, pro quo stipendium acceperat, si antea non applicauerat? Et hoc procedit ex illa quæstione, an actio sacrificij Missæ essentialiter consistat tantum in consecratione vtriusque speciei? Et docetur multos Doctores tenere in sumptione Eucharistiæ totam essentiam sacrificij Missæ consistere.* Ex p.10.tr.12. & Misc.2.res.27.ibid.

54. *An si Sacerdos Regularis applicet Missas contra intentionem Superioris, valeat talis applicatio? Et notatur, quod si Sacerdos Regularis non faceret vllam applicationem Missæ, licèt Prælatus illam Missam applicaret, non haberet dicta Prælati applicatio vllum effectum?* Ex part.2.tract.14.res.72.p.30

55. *An Missa Conuentualis possit applicari? Et alij duo casus proponuntur. Primus, quod Capellanus, quando licite, & ex honestate potest vacare à celebratione Missæ impositæ, in tali casu possit celebrare Missam non pro stipe, quod est clarum, sed pro charitate in sui vilitatem, vel Parentum, aut amicorum. Idem intellige, si Prælatus mihi quotidie celebrare præcipiat in genere. Secundus, quod si Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum ægrotaret per duos menses, non tenetur per alium celebrare, nec ipse factus sanus relictas Missas dicere.* Ex p.5.tr.13. & Misc.1.r.51. ibid.

56. *An Parochus teneatur celebrare pro suis ouibus, & quoties; & an teneatur illis aliquas Missas applicare? Et quid si adsit consuetudo in contrarium? Et an hæc consuetudo obliget sub mortali, quando de hoc onere non constat ex tabulis Ecclesiæ, vel ex præcepto Episcopi?* Ex part.2.tr.14.res.26.p.31

57 *An Parochus in illis diebus, in quibus tenetur Missam celebrare, vt populus eam audiat, possit pro ea manualem eleemosynam recipere?* Ex p.4.tr.4.& Misc.r.232.ibid.

58. *An Sacerdos simplex nullo impedimento detentus peccet mortaliter non celebrando, modò communicet in Pascha, nec adsit scandalum, vel contemptus? Et docetur simplicem Sacerdotem ter, aut quater celebrantem in anno, & præcipuè in Natali Domini die, Resurrectionis, & Pentecostes, minimè peccati mortalis reum esse.* Ex p.2.tr.14.res.19.ibid.

59. *An Capellanus ægrotans per aliquos dies teneatur per alium Sacerdotem Missas celebrare?* Ex part. 2. tr.14.res.27.ibid.

60. *An Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, si per mensem sit infirmus, teneatur pro illo tempore Missas compensare?* Ex p.4.tr.4.& Misc.res.238.p.32

61. *An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, possit ex causa maioris honestatis vnam Missam in hebdomada*

omittere? Et an aliquando non solùm vnam, sed alteram Missam possit talis Sacerdos ex causa honestatis relinquere? Et cursim notatur, quod in tali die non potest Sacerdos Missam pro alio celebrare, & accipere ab illo stipendium. Et asseritur ex aliqua congruente necessitate posse Capellanum per annum quater, vel sexies celebrare pro seipso, vel sibi valde coniuncto, ad specialem gratiam Dei obtinendam. Ex p.2.tr.14.res.28.ibid.

62. An in obligatione celebrandi detur parvitas materiæ? Et an ex aliqua ingruente necessitate liceat Capellano ad Missam quotidie obligato, aliquando per annum quater, vel sexies celebrare pro seipso, vel sibi valde coniuncto, ad specialem gratiam Dei obtinendam, non verò pro alio in vtroque casu, à quo stipendium recipiat? Ex p.5.tr.5.res.23.ibid.

63. An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, possit semel in hebdomada omittere Sacrificium, etiamsi institutio dirigatur ad locum, & celebrare pro alio, accepto stipendio? Et docetur talem Capellanum posse quater, aut septies per annum celebrare pro seipso, vel sibi valde coniuncto, patre, matre, & benefactore. Ex p.10.tr.14.& Misc.4.res.39. aliàs 37.ibid.

64. An Capellanus obligatus singulis diebus Missam pro aliquo celebrare, possit in quolibet anno aliquando pro se, vel pro aliis Sacrificium applicare? Et notatur primò, quod Sacerdos obligatus ad dicendam Missam quotidianam pro aliquo, non tenetur tres Missas in die Natiuitatis Domini pro eo celebrare, sed tantùm vnam, & alias duas potest sibi applicare. Secundò, quod nullus Sacerdos, nec etiam Parochus tenetur de præcepto tres Missas in die Natiuitatis Domini dicere, cùm ad id nullo iure obligetur, sed tantùm de consilio. Tertiò, quod Sacerdos Missæ quotidianæ addictus possit in die omnium defunctorum non pro Institutore Capellaniæ, sed pro aliquo particulari defuncto Missam applicare. Et quæritur, an intentio Ecclesiæ sit, vt Sacerdotes in illa die omnium defunctorum non pro particularibus defunctis, sed generaliter pro omnibus defunctis offerant omnes Sacrificium? Ex p.4.tr.4.& Misc.r.86.p.33

65. An Sacerdos, qui simplici beneficio cum onere Missarum gaudet, possit pro hoc munere idoneum substitutum deputare? Et cursim notatur, quod si in institutione Capellaniæ expresse disponatur, vt Capellanus per seipsum celebret, tunc per alium substitutum satisfacere non potest. Ex p.4.tr.4.& Misc.res.87.p.34

66. An Episcopus possit compellere Capellanum, vt per seipsum celebret, si in fundatione positum fuit, quod Capellani celebrent? Et notatur, quod tunc taliter Beneficiatus, vel Capellanus possit cogi ad Presbyteratum, quando in fundatione exprimeretur, quod debeat actu esse Sacerdos, & per seipsum seruire in beneficio. Etiamque aduertitur, Capellaniam non esse Sacerdotalem, nec actu, nec aptitudine, si in fundatione dictum sit Capellanum debere celebrare Missas, & ita potest prouideri simplici Clerico annorum 14. Ex p.2.tr.14.res.18.ibid.

67. An Sacerdos, qui certis diebus ex accepto stipendio, vel ex fundatione Capellaniæ debet dicere Missam de Beata Virgine, de Spiritu Sancto, vel de Requiem, possit illis diebus dicere Missam currentem in Missali præscriptam? Ex p.2.tr.14.res.31.ibid.

68. An Sacerdos accipiens stipendium pro dicenda Missa Spiritus Sancti, Beatæ Virginis, vel cum aliqua collecta, dicens postea Missam in illa die currentem, peccet mortaliter? Ex p.3.tr.6.& Misc.2.res.62.p.35

69. An Sacerdos possit dicere Missam Assumptionis, Natiuitatis, &c. Beatæ Virginis, quando dicta Missa à laicis exigitur? Ex p.3.tr.6.& Misc.2.res.101.ibid.

70. An sit dicenda Missa Assumptionis, Natiuitatis, &c. Beatæ Virginis extra dies dictarum Festiuitatum? Ex p.4.tr.4.& Misc.res.39.ibid.

71. An Sacerdos possit dicere Missam aliquam de Passione, quæ in hebdomada Sancta recitatur, si illa à laicis cum eleemosyna petatur? Et an verò pro Missa de Passione longa, & magna, Sacerdos satisfaciat, si dicat Missam de Festo etiam semiduplici, aut infra octauam, vel dicenda sit Missa de Passione votiua in fine Missalis posita? Idem est dicendum de petente Missam de Spiritu Sancto, de SS. Trinitate, ac SS. Corporis Christi, non quæ eo tempore habentur, dicenda sunt, sed votiua assignata in fine Missalis. Ex p.3.tr.6.& Misc.2.r.102.p.36.

72. An quis pro Missis hebdomadæ Sanctæ possit dicere Missas votiuas? Et an pro Missa longa de Passione sanè impleat Sacerdos, si celebret de Festo, etiam semiduplici, aut infra octauam? Et an ex declaratione Congregationis Rituum prohibeatur dicere Missas votiuas in iis diebus, in quibus prohibetur fieri de Festo duplici, argumento à fortiori sumpto, nempe infra octauam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Feria 4. Cinerum, in hebdomada maiori, in Vigiliis Natiuitatis Domini, & Pentecostes? Et an peccet mortaliter Sacerdos, qui Prophetias semper omitteret in Missis Quatuor temporum, vel Sequentiam in Festis, aut pro his Missas aliàs diceret? Et docetur omittentem ex industria Sequentiam Defunctorum in eorum Missis in die 2. Nouembris, vel die obitus, in anniuersariis, &c. peccare tantùm venialiter. Et quid si omittantur Gloria, Credo, vel vna Orationes, Hanc igitur, & communicantes, quæ in Festiuitatibus Paschatis, Ascensionis, Natiuitatis, &c. dici solent? Et quid dicendum est, si Sacerdos emitteret scienter in Canone pauciora verba, aut preces, v. g. ab illis, Nobis quoque peccatoribus, vsque ad Per Christum Dominum nostrum; vel aliquid ex duplici Memento, cum clausula ei annexa, an semper sit lethale? Ex p.9.tr.8.& Misc.3.res.53.ibid.

73. An in feria V. hebdomadæ sanctæ possint Sacerdotes Missam priuatam dicere in aliquo Oratorio, etiam post dictam Missam solemnem? Et alia curiosa circa celebrationem Missæ huius diei, & Sabbathi sanctì inuenies in textu huius Resolutionis, maximè si in istis diebus incidat festum Annunciationis, vel alterius Sancti solemnis. Ex p.11.tr.5.& Misc.5.res.32.p.37

74. An si festum Annunciationis veniat in die Sabbathi maioris hebdomadæ, sint in illa die celebrandæ tres Missæ in Ecclesiis? Et quænam Missa dicenda sit in illa die? Ex p.2.tr.14.res.21.p.39

75. Supposita opinione probabili, quod in Sabbatho sancto possit à quolibet Sacerdote, secluso scandalo, in aliquo Sacello dici Missa priuata, quæritur an dicenda sit Missa Resurrectionis cum Vesperis? Et discutiuntur omnes difficultates, quæ contingere possunt in predicto casu circa Introitum, Prophetias, Credo, & alia, etiamsi Festum Annunciationis incideret in predicta die. Et docetur, quod si in Sabbatho sancto incideret Festum Annunciationis, & quis audierit Missam dicti Sabbathi, vt satisfaciat præcepto, tenetur audire Vesperas, secus autem peccabit saltem venialiter. Ex p.11.tr.8.& Misc.8.res.66.ibid.

76. An licitum sit Regularibus in Festis duplicibus dicere Missas votiuas cum Gloria in excelsis Deo? Et an sit licitum Regularibus in Festis duplicibus Missas votiuas Spiritus sancti, B. Virginis Mariæ, vel Defunctorum celebrare? Ex p.11.tr.2.& Misc.2.res.5.p.41.

77. Vtrum Sacerdos, qui diebus Dominicis, vel aliis Festis duplicibus celebret aliam Missã votiuam, v.g. vel de Requiem, &c. peccet mortaliter? Ex p.2.tr.14.r.30.ibid.

78. An Sacerdos obligatus dicere Missas D. Gregorij, teneatur illas dicere sine interruptione, & omnes de Requiem? Ex p.2.tr.14.res.32.ibid.

79. An sit laudabile Missam Defunctorum, & Officium sibi applicari, decantari, & exequias celebrare, cùm ipse mortuus sit? Ex p.5.tr.13.& Misc.1.res.2.p.42

80. An Missa Regularibus concessa possit ab aliis dici in ipsorummet Regularium Ecclesiis? Et quid de Missa Sanctissimi Rosarij? Ex p.2.tr.14.res.74.ibid.

81. Quando

81. *Quandoquis beatificatus est, & concessa fuit facultas, vt Sacerdotes certæ Religionis possint de illo Missam celebrare, vt concessum fuit in Beatificatione nostri Beati Andreæ Anellini, quæritur in tali casu, an omnes alij Sacerdotes seculares, & Regulares possint celebrare Missam de eo Beato in Ecclesia assignata in Decreto Beatificationis? Et deducitur priuilegia non esse extendenda de persona ad personam, etiamsi adsit similitudo rationis. Et quod quando verba alicuius rescripti, & priuilegij sunt satis clara, & certam habent significationem, nulla adhibenda est extensio, & interpretatio, sed tenor, & forma priuilegij est obseruanda. Et quod gratia censetur concessa iuxta verba supplicationis.* Ex p.2.tract.15. & Misc.1.res.55.p.43

82. *An Missa certis Regularibus concessa pro aliquo Beato possit ab aliis dici, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis?* Ex p.3.tr.addit.res.2.ibid.

83. *An in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, quando casu occurrit, debeant cantari duæ Missæ, vna de Festo post Tertiam, alia de feria post Nonam, & an Ecclesiæ Regularium dicantur Collegiatæ? Et an in Ecclesiis Regularium duæ Missæ sint cantandæ in prædicto occurrenti casu? Et cursim aduertitur, quod Prælatis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, & Conuentualium obligatio incumbit, vt in talibus Ecclesiis quotidie saltem vnam Missam celebrari curent.* Ex part.2.tr.14.res.76.p.44

84. *An in Collegiatis, & Cathedralibus Ecclesiis possit aliquando sine peccato mortali Missa solemnis relinqui? Et an in dictis Ecclesiis sint duæ Missæ cantandæ eadem die, quando in Feriis Quadragesimalibus, & aliis Feriis priuilegiatis occurrit Festum duplex, vel semiduplex alicuius Sancti? Et an hoc non procedat in Ecclesiis Regularium: nam in ipsis non debent cantari duæ Missæ, quando occurrit similis casus, sicut in Ecclesiis Collegiatis?* Ex part.10.tract.12. & Misc.2. res.40.ibid.

85. *An Regulares duas Missas celebrare teneantur, occurrente Festo cum feria in Quadragesima, aut alias priuilegiata?* Ex p.6.tr.8.& Misc.3.res.11.p.45

86. *An relinquere Missam solemnem in nostris Ecclesiis diebus Festiuis sit peccatum mortale? Vbi multa discutiuntur de vi consuetudinis. Et deducitur, quod non omnis consuetudo obligat ad culpam mortalem, sed illa quæ inducta est cum tali intentione per modum obligationis, & præcepti. Et quod quando est dubium, an consuetudo fuerit introducta cum intentione obligandi, non obligat.* Ex p.3.tr.2.res.9.ibid.

87. *An relinquere Missam solemnem in nostris Ecclesiis sit peccatum mortale? Et explanatur, quod quamuis nullo iure teneantur Religiosi ad Chorum professi nondum ordinati in Sacris ad Horas Canonicas, tenentur tamen ex longa, sancta, & recepta consuetudine iam præscripta in vnaquaque Religione.* Ex p.4.tract.4. & Misc.res.6.p.46

88. *An admodum RR. PP. Oliuetani commorantes in Abbatia Viuoldanæ teneantur singuli ad diurnam Missarum celebrationem? Et an etiam Generalis non possit eis præcipere hanc diurnam celebrationem? Et docetur Generalem non posse præcipere Religiosis subditis, quæ sunt absolutè extra Regulam, sed quæ expresiè, vel tacitè in ea continentur. Et aduertitur, quod vsus, obseruantia, praxis, & consuetudo, leges, & statuta interpretantur.* Ex part. 10. tract.16. & Misc.6. res.42. alias 41.p.47

89. *An licitum sit celebrare Missam in Altari, in quo Episcopus celebrauit ea die, absque eius licentia? Et an Canon, & præceptum circa hoc sit in vsu, vel contraria consuetudine sit abrogatum, & ideò non obliget?* Ex p.10.tract.12.& Misc.2.res.24.p.49

90. *An Sacerdos possit dicere Missam ante matutini Officij celebrationem?* Ex p.2.tr.14.res.36.ibid.

91. *An Sacerdos possit aliquando eodem die plures Missas celebrare? Et pro praxi huius quæstionis septem casus in textu huius Resolutionis assignantur, sed aliqui eorum abierunt in desuetudinem?* Ex part.2. tr.14.res.56.ibid.

92. *An quando Parochus possit celebrare duas Missas, possit etiam hoc facere non solùm in diebus festiuis, sed etiam in ferialibus? Et notatur, quod quando dicitur posse bis celebrare, intelligitur etiam ter, aut sæpius, si toties occurrat necessitas eodem die. Et aduertitur, quod in prædictis casibus requiritur, vt Sacerdos, vel Parochus ita celebrans sit semper ieiunus, hoc est, quod in prima Missa non recipiat ablutionem, sed solùm Corpus & Sanguinem: & aliter non poterit dicere secundam Missam. Sed quid est faciendum in feria sexta Parasceues, si inaduertenter Parochus, qui in feria quinta Cœnæ Domini debebat reseruare in sola vna Parochia sanctissimum Sacramentum, & reseruauit illud in duabus Parochiis? Et si accidat casus, quod antequam Sacerdos sumat ablutiones, scit gentium multitudinem tunc ex itinere aduenisse, sitque dies festiuus, & non sit alius Sacerdos, an possit iterum celebrare? Item an sit licitum, vbi est raritas Sacerdotum, & magna frequentia populi, vt est in India, eodem die plures Missas celebrare, quando Sacerdos non potest vna satisfacere toti populo? Item, an ad communicandum infirmum morti vicinum, & vbi consuetudo est, vt defunctus sine sacrificio non sepeliatur, possit Sacerdos post primam Missam celebrare secundam?* Ex p.10.tr.16.& Misc.6.res.23. alias 22.p.50

93. *Quomodo Sacerdos habens duas Parochias, & Ecclesias debeat celebrare in feria quinta hebdomadæ Sanctæ? Et an quando Parochus duas Missas dicere tenetur, debeat petere licentiam ab Episcopo? Et notatur posse simplicem Sacerdotem duas Missas in vno die celebrare, si ingens fidelium multitudo Missam audire deberet, & secus si exigua, v.g. decem, aut viginti, & non est alius Sacerdos, qui celebrare posset. Et an non tantum bis, sed ter, & quater Sacerdos possit eodem die celebrare, si causa subsit, quæ binam celebrationem honestauerit?* Ex p.11.tr.5.& Misc.5.res.33.p.51

94. *An licitum sit Sacerdoti cœptam Missam inchoare, si superueniat vir illustris, qui id petat, & alius Sacerdos non adsit qui celebret? Et alia curiosa circa præsentem casum pertractata inuenies in textu huius Resolutionis, etiam pro diebus ferialibus, & personis minus illustribus.* Ex p.11.tr.5.& Misc.5.res.45.p.52

95. *An Missa incepta possit, superueniente aliquo Principe iterum inchoari? Idem est de superuenientibus Marchione, Comite, Cardinali, & Episcopo. Et an hoc fieri possit dicto Euangelio, imò vsque ad oblationem exclusiuè? Et non approbatur id, quod aliqui Sacerdotes faciunt addendo tempus meditandi non assignatum in Rubricis Missalis, quia nouam cæremoniam, & cultum peculiarem addunt ab Ecclesia non præscriptum.* Ex p.11.tr.12.& Misc.2.res.11.p.53

96. *An qui in die Natiuitatis Domini facit officium Diaconi, & sumit Eucharistiam ex manu celebrantis, possit postea dicere saltem duas Missas? Et notatur, quod Cardinalis qui in Sacello Pontificio dicit Missam Natiuitatis Domini ante mediam noctem, non potest postea dicere alias duas Missas. Et aliud nouum dubium rejicitur pro hac difficultate, scilicet, an ex eo quod Sacrificium possit sufficere pluribus, Sacerdos satisfaciat vnico Missæ sacrificio pro multis obolis oblatis cum onere celebrandi, ablato nomine stipendij, & mutato in oblatione?* Ex p.11.tr.4.& Misc.4.res.43.p.54

79. *An in nocte Natiuitatis Domini Sacerdos nolens celebrare omnes tres Missas, sed vnam tantum, possit relinquere primam Missam, & dicere secundam, & si placuerit tertiam? Eadem est ratio, si Sacerdos vnam Missam vellet celebrare in die.* Ex p.2.tr.14.r.39.p.55

98. *An Sacerdos in nocte Natiuitatis Domini possit tres Missas ante auroram celebrare?* Ex part.2. tract.14. resol.35. ibid.

99. *An in nocte Natiuitatis Domini Missæ tres dici possint ante auroram? Et author à quadam impugnatione defenditur, quod nimis gratum erit Lectoribus. Et docetur non esse peccatum mortale asserendum, nisi adsit veritas clara, & præceptum clarum. Et adducitur, quod ex principiis intrinsecis, vel extrinsecis: & hæc duo etiam vnum sine altero facere opinionem probabilem.* Ex part.10.tract.12. & Misc.2. resol.58. aliàs 57.ibid.

100. *An saltem Parochus in die Natiuitatis Domini teneatur tres Missas celebrare? Et an nullus alius Sacerdos in illa die teneatur tres Missas dicere? Et notatur, in nocte Natiuitatis Domini posse ante auroram Sacerdotes celebrare omnes tres Missas. Etiamque cursim aduertitur, quod Religiosi, quibus ex priuilegio licet vna hora ante diem celebrare, possunt duabus horis, & dimidia, imò & vno quadrante ante ortum Solis celebrare.* Ex part.4.tract.4. & Misc.resol.236. p.58

101. *Sacerdos in qua hora possit incipere Missam? Et infertur Religiosos, quibus ex priuilegio concessum est per horam ante diem celebrare, posse etiam per tres horas ante ortum Solis Missas dicere. Et quæritur etiam an Regulares possint illico post Maturinum, aut post duas horas media noctis Missas celebrare ex priuilegiis? Et an pro infirmo communicando liceat celebrare etiam media nocte?* Ex p.2.tr.14.resl.33. ibid.

102. *An Regulares, qui inter se habent communicationem priuilegiorum, possint transacta media nocte, post duas horas celebrare Missam? Et difficultas est, an Regulares hodie possint vti priuilegio concesso ab Alexandro VI. super hoc, vel sit reuocatum per Concilium Tridentinum, & Bullam Pij V.* Ex p.10. tract.12. & Misc.2.resl.25.ibid.

103. *Dato, & concesso, dictum priuilegium Alexandri VI. fuisse reuocatum à Concilio Tridentino, an hodie Regulares possint saltem ex priuilegio Pij V. concesso post Tridentinum celebrare Missas tribus horis ante ortum Solis? Et quid post meridiem: an, inquam, etiam infra duas horas post meridiem: imò vsque ad tres horas celebrare possint? Et notatur non solum Sacerdotes Regulares, sed etiam quoscumque posse statim, & illico post mediam noctem celebrare ad dandum Viaticum agroto extremè laboranti; & si sint ieiuni, possint ad tres horas post meridiem celebrare ad dandum viaticum agroto moribundo. Et an in his casibus sit necessaria licentia Episcopi, si adsit? Et notatur non esse peccatum mortale celebrare Missam vsque ad horam nonam?* Ex p.10.tr.12. & Misc.2.resl.26.p.59

104. *Sacerdos in qua hora possit finire Missam? Et notatur cursim, Sacerdotem festo die ratione itineris impeditum posse Missam incipere vna hora post meridiem. Etiamque docetur, quod Religiosi ex suis priuilegiis possunt celebrare vsque ad Nonam inclusiuè, id est vsque ad tres horas post meridiem.* Ex p.2. tract.4. resol.34.p.60

105. *An Sacerdos paulò post meridiem possit dicere Missam?* Ex p.4.tr.4.& Misc.resl.105.p.61

106. *An quis licitè possit dicere Missam vsque ad primam horam post meridiem? Et non est dubitandum, quod ratione itineris possit Missa celebrari ad primam horam post meridiem: & in solemni festo, quando Officium finitur ad horam secundam, an in ea possit Missa inchoari, vt populus, vel pars populi audiat in illa hora Missam.* Ex part.5. tract.13. & Misc.1. resol.7. ibid.

107. *An in prohibitione celebrandi post meridiem detur paruitas materiæ?* Ex p.5.tr.5.resl.58.ibid.

108. *An possit Sacerdos incipere Missam vna hora integra post meridiem sine priuilegio, & causa? Et notatur, posse aliquando differri Missam vsque ad horam nonam: & primò hoc facere possunt Religiosi, non tamen absolutè, sed ratione itineris, vel ex alia iusta causa. Secundò an in funere Regis, aut Principis possit Missa incipi ante meridiem, & protrahi vsque ad Vesperam, vel Nonam, vel quartam horam post meridiem: & quando Episcopus sacros celebrat Ordines, tunc enim licitum est incipere Missam post Vesperas, aut Nonam, si actus Ordinis ante meridiem cœpisset, eademque ratio est in Sabbatho Sancto. Tertiò ratione itineris, aut alterius necessitatis, an possit inchoari Missa à quolibet Sacerdote vna hora post meridiem. Et tandem quæritur, an si Sacerdos in casu sibi non concesso celebraret duas, vel tres horas post meridiem, & diceret quis audiret talem Missam, an iste satisfaceret precepto de audienda Missa in die festo? Ex quo quis potest deducere quoddam absurdum, sed dissuluitur facilè, an quis posset satisfacere præcepto audiendi Missam pro die Dominica, si in ipsa Dominica audiret Missam, quæ in Capella Papali dicitur ante mediam noctem, quando dies Natalis Domini incidit in feria secunda?* Ex p.10.tr.12. & Misc.2.resl.22.ibid.

109. *An Regulares possint vigore priuilegiorum celebrare ex iusta causa vsque ad horam Nonam inclusiuè? Et in textu huius Resolutionis assignantur aliquæ causæ iustæ pro hoc faciendo. Sed quæritur, an dicta priuilegia per Concilium Tridentinum sess.22. sint reuocata?* Ex p.10. tr.15. & Misc.5.resl.27.p.63

110. *An Regulares possint dicere Missam vsque ad horam Nonam? Et quid de alio priuilegio Leonis X. licendi Missam statim post mediam noctem?* Ex part.11. tr.2. & Misc.2.resl.2.ibid.

111. *Quomodo tempus mediæ noctis in præcepto Ecclesiasticis sumendum sit? Quod facit pro ieiunio naturali circa Missæ celebrationem.* Ex p.7.tract.11. & Misc.1. resl.15.p.65

112. *An si sonuerit vnum horologium, possit quis comedere in media nocte, donec aliud sonuerit, & diei sequenti celebrare, vel communicare? Et notatur, quod si tantùm est vnum horologium, vbi cœpit sonare duodecima hora, si aliquis biberit, licet quando sonuit vltimus pulsus desiisset bibere, non poterit die sequenti celebrare, aut communicare. Ex quo infertur, quod qui buccellam habet masticans, & audit primum pulsum horæ duodecimæ noctis, tenetur in continenti ore ejicere buccellam, si die sequenti velit Missam celebrare, vel Eucharistiam sumere. Si tamen masticat buccellam de materia carnis, & dies sequens sit ieiunij, non tenetur illam ejicere, etiam sub veniali.* Ex part.3.tract.4.resl.36.ibid.

113. *An si diuersa sint horologia, & vnum sonuerit horam mediæ noctis, aliud verò non, possit qui tunc bibit, vel comedit Missam dicere, vel communicare sequenti die?* Ex p.4.tr.3.resl.19.p.66

114. *An si quis comedat, vel bibat vsque ad vltimum ictum horologij designantis horam mediæ noctis, possit die sequenti celebrare, vel communicare? Et an ego post pulsum primum horæ quadrantis, vbi solent pulsare ante horas, seu pulsus maiores, in media nocte bibere, aut comedere, possit celebrare, aut communionem sumere?* Ex p.6.tr.6.& Misc.1.resl.34.ibid.

115. *An Sacerdos, qui noctu missus ad vaccidinem faciendam leniendam saccharum in os paulatim deglutiendum, si illud duraverit post mediam noctem, & dubitet, an aliquas partes illius in stomachum traiecerit, possit Missam celebrare? Et an reliquiæ cibi, etiamsi deglutiantur post mediam noctem, non impediant communionem, aut celebrationem?* Ex p.2.tr.14.resl.31.p.67

116. *An cùm quis cubitum iret, oris saccharum inspicis, & nescit postea, an ante mediam noctem liquefactum fuerit, possit adhuc Missam dicere, aut Eucharistiam sum-*

sumere? Ex quo deducitur, quid est sentiendum, si reliquiæ cibi deglutiantur post mediam noctem, an impediant celebrationem Missæ, vel Eucharistiam sumere? Ex p.6.tr.7.& Misc.2.res.15.ibid.

117. *An si quis ante cubitum apponeret in os aliquid ad paulatim liquefaciendum propter distillationem capitis, vel faucium raucedinem, si duret post mediam noctem, censeatur die sequenti ieiunus, ita vt possit Missam celebrare, aut communicare? Ex quo infertur, an qui casu traiecit aliquid reliquiarum in dentibus ex cibo cænæ præcedentis relictarum, censeatur ieiunium frangere pro communione, vel Missæ celebratione?* Ex p.7. tr.12.& Misc.3.res.10.aliàs 8.ibid.

118. *Virum Sacerdos, qui mane solet deglutire aliquid ex propriis unguibus, vel papyri, &c. possit celebrare Missam? Ex quo deducitur mulierem terram, aut simile comedentem, siue illam comedat ob delectationem, quod est comedere per modum cibi; siue comedat vt colorem minuat, quod est comedere per modum medicinæ, non posse post istorum sumptionem sumere Eucharistiam?* Ex p.2.tr.14.res.52.p.68.

119. *An si quis mane deglutiat chartam, cretam, frustulum ligni, aut quid simile non comestibile, possit celebrare, aut sacram Eucharistiam sumere?* Ex part.3. tr.4.res.38.ibid.

120. *An sumptio tabachi in folio, puluere, & fumo impediat celebrationem Missæ, & communionem? Et infertur, quod si quis per nares aliquantulum aquæ, vel similia sumat, non frangit ieiunium naturale. Et an si quid per modum respirationis attrahit, quod possit nutrire, verbi gr. vaporem aliqualem, etiam in quantitate quæ sufficiat ad aliqualem nutritionem; an, inquam, hoc impediat celebrationem Missæ, aut Eucharistiam sumere? Et quid si granum aliquod parvum quis inops sumeret ad masticandum pro confortatione capitis sine intentione comedendi, si casu in stomachum descenderet? Et an si quis deglutiret in magna quantitate nummos aureos, vel aliquid de plumbo, de ossiculis aliquorum fructuum, de fragmentis metallorum, de vitro, de lapillulis, ligno duriori, & similibus, violet naturale ieiunium?* Ex p.5.tr.13.& Misc.1.res.11.ibid.

121. *An sumptio tabachi ante celebrationem Missæ, vel communionem frangat ieiunium naturale?* Ex p.8.tr.7. & Misc.res.3.p.71

122. *An sumere tabachum in Ecclesia sit peccatum mortale? Et an si dentibus conteratur, frangat ieiunium Eucharisticum? Et quid si per nares assumatur?* Ex p.10.tr.16.& Misc.6.res.24.aliàs 23. ibid.

123. *Num dubitans, an aliquid cibi, vel potus sumpserit, possit Missam celebrare, vel communicare? Et an quoties dubitat, an hora duodecima sonuerit, comedit, bibitve, aut os abluendo dubitat, an aliquam guttam deglutierit, vel si dentibus quidpiam masticans dubitat, an deglutierit, vt in vtramque partem inclinare possit, si deponat dubium practicum, possit celebrare, & Eucharistiam sumere?* Ex part.3.tract.4. resol.29. pag.72

124. *An si reliquiæ præcedentis diei, quæ harent interdentes, sponte, & voluntariè deglutiantur, impediant communionem, & Missæ celebrationem? Et quid, si remaneat aliqua notabilis, & magna reliquia, etiamsi casualiter deglutiatur? Et an si quis aliquantulum aquæ per nares attrahat, quæ in stomachum transmittatur, maneat impeditus ad celebrationem Missæ, vel sumptionem Eucharistiæ? Idem dicendum est, si quid per modum respirationis attrahatur, etiamsi possit nutrire, vel alterare, vt muscam, vel quid simile?* Ex p.3. tr.4.res.37.p.73

125. *An reliquiæ cibi si trajiciantur ex industria, impediant communionem, & Missæ celebrationem? Et de multis aliis casibus agitur, in quibus quis potest communicare, & sacrificium facere non ieiunus. Et quid si reliquia sit magna, & notabilis, etiamsi casualiter deglutiatur? Et asseritur, quod quando esset præceptum communicandi, & infirmus non possit sine graui nocumento omittere potionem, posset sumere Eucharistiam non ieiunus. Et notatur, quod si ægrotus non posset res suas transmittere, possit communio dari, imposita paruæ parte Hostiæ in vino in cochleari. Etiamque cursim aduertitur, quod si Sacerdos aduertit se non esse ieiunum, potest pergere in sacrificio, licèt aduertat ante consecrationem?* Ex p.4.tr.4.& Misc.res.104.ibid.

126. *An in ieiunio pro Missa celebranda, vel communione sumenda detur paruitas materiæ? Et quid est dicendum, si musca, aut aliquid minimum casu intrauit in os apertum, an obstet Missæ celebrationi, vel communioni?* Ex p.5.tr.5.res.12.p.74

127. *An in ieiunio Eucharistico detur paruitas materiæ excusans à peccato mortali?* Ex p.6.tr.8.& Misc.3. res.8.ibid.

128. *An particula consecrata frangat ieiunium naturale? Et cursim docetur nulli, etiamsi Sacerdos sit, extra celebrationem licere in die bis communicare. Et notatur Sacerdotem posse pluries celebrare, non solùm in Festo Natiuitatis Domini, sed etiam vrgente aliqua necessitate, qualis esset ad moribundum communicandum, vel ad satisfaciendum duabus Parochiis, quarum curam habet vnus solus Parochus. Et cursim aduertitur, quod prohibitum est Sacerdoti sacrificanti de sacrificio non participare, modò ieiunus celebret. Etiamque notatur, Sacerdotem non ieiunum posse sacrificare ad dandum Viaticum moribundo, & in dicto casu posse etiam consecrare non in azymo, sed in fermentato, si panis azymus non adsit, & sine aliquibus vestibus ad hoc ministerium assignatis: & quamuis vestes, aut vasa non sint benedicta, aut consecrata?* Ex part. 11. tract.6.& Misc.8.res.15.p.75

129 *An pro euitando mortis periculo possit quis celebrare non ieiunus? Ex quo deducitur, quod excommunicatus, etiam nominatim denunciatus, ob fugiendum mortis periculum celebrans, non peccat?* Ex part.5. tract.3.resol.39.p.76

130. *An Sacerdos possit celebrare post cibum ad communicandum infirmum, qui est in articulo mortis? Et notatur quod in tribus præcipuè casibus possint Sacerdotes non ieiuni sumere Eucharistiam, & illam non consecrare. Primò propter integritatem Sacrificij, vt quando Sacerdos aquam pro vino in Calice posuit, & illam postea post sumptionem Hostiæ assumpsit: tunc enim vel de nouo debet consecrare Hostiam, & Calicem, vel saltem Sanguinem, propter integritatem sacrificij. Secundò quando post assumptionem Calicis, & eius ablutionem vidit Reliquias Hostiæ in Patena, vel Corporali, tunc licet Sacerdoti sumere illas Reliquias. Et hoc intelligendum est de Reliquiis Hostiæ à se consecratæ, etiamsi sint paruæ, vel magnæ quantitatis: secus verò de Reliquiis ab alio Sacerdote in altera Missa consecratis. Tertiò quando celebrans post consecrationem recordatur se non esse ieiunum, vel si post consecrationem hostiæ Sacerdos deficiat, si adsit alius Sacerdos non ieiunus, debet sacrificium illud perficere, & communicare, dummodo alius Sacerdos ieiunus ibi non adsit?* Ex part.2.tract.14.resol.66.ibid.

131. *An Sacerdos possit celebrare non ieiunus pro communicando infirmo tempore mortis?* Ex part.3.tract.4. res.33.p.77

132. *An Sacerdos possit celebrare Missam non ieiunus, pro consecranda particula ad communicandum moribundum? Ex quo cursim deducitur, quod potest Sacerdos bis celebrare sacrum in eodem die ad communicandum infirmum. Et quod licet Sacerdoti non ieiuno celebrare, vt seipsum in articulo mortis communice?* Ex p.5.tr.3.res.35.ibid.

133. *An Sacerdos, qui prius Missam celebrauit, possit*

postea aliam Missam in eodem die celebrare ad dandum Viaticum infirmo? Et an pro dando viatico infirmo constituto in articulo mortis, possit Sacerdos inchoare Missam post meridiem vsque ad Nonam? Idem est de celebratione ante auroram ex eadem causa; imò statim post mediam noctem potest Missa celebrari. Et an qui mane sumpsit Eucharistiam, possit iterum sumere vespere, si incidat in periculum mortis per modum viatici? Ex p.11.tr.7.& Misc.7. res.21.p.78

134. *An Sacerdos non ieiunus possit in articulo mortis celebrare, vt se communicet? Et breuiter docetur, quòd præceptum diuinum debet præualere Ecclesiastico, quando vtrumque in eadem persona cadit? Et notatur quod necessitas dandi Viaticum moribundo sufficit, vt Sacerdos, si non habeat copiam confessarij, possit sine confessione celebrare. Et aduertitur hanc sententiam procedere etiam quoad Sacerdotem excommunicatum. Et tandem cursim docetur, quod si Sacerdos, vel laicus sint in articulo mortis, nec adsit qui eos sacramentaliter absoluere possit, possint communicare sine confessione?* Ex part.5.tr.3.res.36.p.79

135. *An pro communicando infirmo periclitante liceat in mari, vel flumine celebrare Missam, & hoc etiam sit licitum in diebus festiuis? Et docetur per nullum inferiorem Papa ob quamcunque necessitatem posse alicui concedi facultatem celebrandi in naui existente in mari, aut flumine. Et notatur licere etiam deferre Sacram Eucharistiam in nauigiis, quia id minus difficultatis habet?* Ex p.5.tract.3.resol.40.ibid.

136. *An Sacerdos pro audienda confessione infirmi moribundi possit relinquere Missam inchoatam etiam post consecrationem?* Ex p.5.tr.3.res.70.p.80

137. *An Sacerdoti non omnino cæco, si possit videre Calicem, & Hostiam, licitum sit celebrare, non obstante quod non possit legere, si memoriter sciret Missam de Requiem, vel de Beata Virgine? Et an cum supradicto Sacerdote sic celebrante assistere debeat Diaconus, vel alius Sacerdos, vt illum adiuuet ad colligenda fragmenta ex Hostia supra Patenam, vel corporalia relicta? Et an sit peccatum iusta de causa Sacrum sine libro celebrare? Et quid, si non adsit iusta causa? Et obiter notatur, quod in casu, quo Elector fiat cæcus, eum nihilominus cum aliis Electoribus debere admitti ad eligendum, & docetur quomodo se gereve debeat cæcus in prædicto casu?* Ex p.9.tract.9.& Misc.4.resol.30.ibid.

138. *An Sacerdos cæcus possit validè celebrare? Et aduertitur cæcum, qui sine Pontificia dispensatione consecraret, grauiter peccaturum. Et an possit cum illo fieri talis dispensatio?* Ex part.5.tract.6.resol.17.ibid.

139. *An Sacerdos possit celebrare capite cooperto ex aliqua infirmitate? Et aduertitur facultatem dispensandi vt celebraretur capite cooperto, ad Summum Pontificem spectare?* Ex part.2.tract.14.res.58.p.81

140. *De quibusdam defectibus corporis in ordine ad celebrandam Missam, v.g. quidam Sacerdos Missam celebrando non potest quando se signat signo Crucis manu tangere frontem, neque sumere Eucharistiam manu dextera, sed tantùm sinistra; quæritur, an isti defectus inducant irregularitatem, vt absque dispensatione celebrare non possit? Et docetur, quod Rubricæ Missalis non omnes sunt præceptiuæ, sed aliquæ sunt directiuæ tantùm. Et explanatur, quales obligent ad mortale, quales verò non?* Ex part.11. tract. 2. & Misc.2. res.51.ibid.

141. *An secluso scandalo, & contemptu, liceat sine causa iusta celebrare extra Ecclesiam?* Ex part. 2. tract.14.res.38.p.82

142. *An celebrare extra locum sacrum sit peccatum mortale? Et additur, quod præter peccatum mortale, nullam tamen pœnam suspensionis, vel interdicti ipso iure incurrunt huiusmodi violatores?* Ex part. 11. tract.4.& Misc.4.res.2.ibid.

143. *An Sacerdos Missam nouam celebrans possit sumere medio Altaris ad populum vertere, & oblationes ab ipso sponte factas accipere? Et notatur, quod tamen non debet circuire Ecclesiam.* Ex part.2. tract. 14. res. 52. p.83

144. *An vsus Missarum siccarum sit licitus? Et docetur, quod in Ecclesiis Regularium relinquere Missas cantatas diebus festiuis non est peccatum mortale. Et quæritur, an Episcopus in aliena Diœcesi possit celebrare Missam solemnem cum paramentis Pontificalibus?* Ex p.11.tr.6.& Misc.6.res.23.ibid.

145. *An Sacerdos celebrans Missam cum voluntaria distractione peccet mortaliter? Sed maior difficultas est, si Sacerdos cum voluntaria distractione recitat Canonem. Et an Sacerdos Religiosus possit extra Conuentum Missas dicere, quas tenetur soluere ipsemet Conuentus, & postea in ipso conuentu resarcire?* Ex part. tract.7.res.11.p.84

146. *An de Missa sit argumentandum, ac de Horarum Canonicarum recitatione?* Ex part.11. tr.1. & Misc. res.10.p.85

147. *An prosit sacrificium Missæ, si applicetur à Sacerdote pro anima existente in Purgatorio, quam vult Deus? Et in §. vltimo huius Resolutionis alij modi, & diuersi casus breuiter adducuntur pro explicatione sacrificij, &c.* Ex p.11.tr.6.& Misc.6.res.39.p.87

148. *An si Sacerdos applicet Missam existenti in peccato mortali, sacrificium illud reponatur in thesauro Ecclesiæ, cùm non prosit Sacerdoti quoad satisfactionem ex opere operato? Et an si Sacerdos obliuiscatur applicare alteri Missam, illius fructus redeat ad ipsum? Et notatur, quod cùm celebratur Missa pro anima Purgatorij, non solùm applicandam esse illi satisfactionem, sed etiam impetrationem?* Ex p.11.tr.6.& Misc.6.res.40.p.88

149. *An Sacerdos celebrans in peccato mortali peccet tripliciter, nempe quia indignè consecrat, indignè offert, & indignè sumit Corpus? Et an saltem peccet duplici peccato, & quia conficit, & quia sumit Sacramentum? Et an etiam Sacerdos celebrans in peccato mortali committat duo peccata, vnum videlicet, quia celebrat in peccato, alterum quia omisit confessionem illius peccati, & ideò Sacerdos qui celebrat Missam in peccato, & sacram Eucharistiam non ab ipso consecratam quamprimùm dispensauit, an vnum tantùm peccatum commiserit?* Ex p.2.tr.14.res.24.p.89

150. *An Sacerdos peccet speciali peccato sacrilegij, si non solùm sumat Eucharistiam in peccato mortali, sed eam etiam in peccato mortali retinet antequam speciei sacramentales corrumpantur? Et hac Resolutio penitus ex illa difficultate, an Sacramentum Eucharistiæ continuò gratiam augeat, quamdiu in nobis manet? Ex quibus concluditur, an Sacerdos, si accipiat Eucharistiam in peccato mortali, sine statim post communionem peccauerit, teneatur sub obligatione noui peccati mortalis ad contritionem, vel confessionem procurandam antequam species corrumpantur? Idem est de obligatione laici quoad conterendum, non verò confitendum?* Et p.11.tr.7.& Misc.7.res.47.ibid.

151. *An Sacerdos in peccato mortali celebrans, si antequam species sacramentales corrumpantur, eliciat actu contritionis, recipiat gratiam ex opere operato Eucharistiæ? Et vtrum solius Baptismi sit proprium, vt eius effectus redeat, vel an hoc etiam commune sit saltem aliis Sacramentis characterem imprimentibus? Et an Sacerdos recipiens vnam partem Hostiæ in peccato recipiat gratiam Sacramenti, si antequam alteram partem Hostiæ manducet, per contritionem in gratia constituatur? Et an si Eucharistia poneretur in stomachum hominis miraculosè, sine eo, quod intraret per manducationem, adhuc causet gratiam. Et quid quando per vomitionem, adhuc causet gratiam. Et quid quando per vomitionem non voluntariè, sed casu, per nares, vel per os quis attraxisset in stomachum parum fragmenti panis*

cibi

cula consecrata? Ex p.11. tr.7.& Misc.7. res.48.p.91

152. *An Sacerdos excommunicatus celebrans committat duplex peccatum, sciens se teneri vinculo peccati, & censuræ? Et an iste Sacerdos, neque vt duo peccata, neque vt circunstantiam aggrauantem eiusmodi circumstantias confiteri teneatur?* Ex part. 2. tract. 14. res.22.p.92

153. *An Sacrificium Missæ remittat peccata venialia ex opere operato? Et an sit satis probabile Sacramentalia remittere peccata venialia?* Ex part.3. tract.4. res.39.p.93

154. *An ita strictè requiratur lumen accensum in Missæ Sacrificio, vt sine eo nunquam Sacrificare liceat: imò additur, quod si lumen extinguatur ante consecrationem, nec haberi possit, relinquenda sit Missa, etiamsi necesse esset consecrare ad dandum Viaticum moribundo? Et an sit peccatum mortale lampadem accensam ante Sacramentum non conseruari? Et an si solùm per dimidiam horam, aut aliquid amplius sine lumine existeret Eucharistia, peccatum graue committatur? Et quid si per integrum diem hoc Sacramentum in Ecclesia Sacrario sine lumine esset? Et an sit præceptum vt ante Eucharistiam in Templis semper lumen ardeat? Et docetur, quod extat præceptum de lumine, quando defertur Sacramentum foras? Ex causa tamen illud etiam omitti potest, vt cùm ad ægrotum longè distantem defertur, nec commodè cum lumine fieri potest?* Ex part.9.tract.6.& Misc.1.res.33.aliàs 34. ibid.

155. *An Sacerdos in necessitate celebrans cum vno lumine olei vel adipis, peccet mortaliter? Et cursim notatur, quod celebrare vnica candela ex causa necessitatis est tantum peccatum veniale? Et aduertitur Sacerdotem neque peccare mortaliter, si celebret Missam in Altari, in quo Imago crucis non existit?* Ex part.2.tr.14.res.45.ibid.

156. *Vtrum Sacerdos in casu necessitatis, secluso etiam scandalo, possit celebrare cum lumine olei? Et an ob causam, non tamen grauem valde, celebrari possit cum vno cereo, vel igne ardente in oleo, aut sebo, modò scandalum absit?* Ex part.2.tr.14.res.67.p.94

157. *An si Minister extinguat candelam à parte Epistolæ ante finitum Euangelium S.Ioannis, peccet venialiter? Et infertur nullum esse peccatum celebrare extra necessitatem cum vno lumine, vel ad summum esse tantum peccatum veniale. Et cursim docetur preces pro præparatione Missæ non esse dicendas ante Missam de Requiem, eo quòd omitti debent, quia Psalmi habent Gloria Patri, qui quid solennitatis, & suauitatis habent. Et an in prædictis Missis de Requiem omitti debeant oscula crucis in amictu, stola & manipulo induendis, tum quia prohibentur in Missa solenni, tum quia non osculatur Sacerdos librum in Missa defunctorum, nec Minister osculatur ampullas, quas celebranti porrigit?* Ex p.10.tr.12.& Misc.2.res.20.ibid.

158. *An Sacerdos peccet mortaliter celebrando Missam sine Ministro, ne careat Missa in die festo, vel pro dando moribundo viaticum, aut quid aliud simile?* Ex part.2.tr.14.res.43.ibid.

159. *An possit excusari consuetudo celebrandi Missam absque Ministro, vt in Garmaniæ locis? Et supponitur iure Ecclesiastico necessarium esse Ministrum in celebratione Missæ præter Sacerdotem. Et notatur licitum esse Sacerdoti celebrare sine Ministro ad dandum Viaticum infirmo. Idem dicendum est, ne careat ipse Sacerdos, aut populus Missa in die festo. Et an Sacerdos possit Missam iam cœptam cum Ministro, prosequi sine illo, quando Minister abiit, & expectatus non venit? Et an in casibus necessitatis, in quibus licitum est sine Ministro celebrare, etiamsi adsit fœmina, quæ possit ministrare, potius sit sine Ministro celebrandum, quàm vtendo fœminæ ministerio: etiam in casu, quo vir nesciat respondere, sciat autem ministrare, non potest fœmina respondere, & vir ministrare?* Ex part.10.tr.15. & Misc.5.res.26.ibid.

160. *An Sacerdos in casu necessitatis possit fœminam in responsione ministram adhibere in celebratione Missarum?* Ex part.2.tr.14.res.44.p.96

161. *An Sacerdos celebrans Missam, si alium non habeat, possit vti Ministro excommunicato non denunciato? Et quid in graui necessitate, si talis sit excommunicatus denunciatus & vitandus?* Ex part.5.tr.9. res.91.ibid.

162. *An Sacerdos peccet mortaliter, si in aliquo loco, vbi non adest Missale, celebraret Missam? Et an Sacerdotes, quibus debilis est facultas videndi, si memoria careant, possint dicere Missam sine Missali?* Ex part.2.tract.14.res.46.ibid.

163. *An Sacerdos vtens Missali Romano possit celebrare iuxta Ritum receptum in loco, per quem transit, etiamsi discrepet à Romano, tam in Ecclesia sæculari, quàm Regulari?* Ex part.4.tract.4.& Misc.res.95.ibid.

164. *An Sacerdos in celebrando non obseruans Rubricas Missalis, peccet mortaliter? Et quid si vnam, vel alteram Rubricam non obseruaret, aut si in rebus substantialibus Sacrificij deliquerit?* Ex part. 2. tr.14. res.55.ibid.

165. *An sit peccatum veniale dicere Missam, & manus non abluere? Et quid est sentiendum de manuum lotione post Missam? Et infertur, an mulier tempore menstrui, aut partus, saltem ex consilio abstinere à communione debeat, nisi causa vrgeat? Et quid si macula perpetua sit, vt fluxus sanguinis, aut lepra?* Ex part.10.tr.12.& Misc.2.res.19.p.97

166. *An Sacerdos, cùm sacris vestibus se induit, peccet mortaliter relinquendo Orationes positas in Missali, quas se induendo Sacerdotes dicere solent. Et aduertitur Regulas Missalis non obligare ad mortale, nisi contineant essentiam, seu quasi essentiam Sacrificij; reliquas verò non esse præcepta, sed consilia, & instructiones?* Ex part.2.tr.14.res.41.ibid.

167. *An in casu necessitatis possit Sacerdos celebrare sine stola, manipulo, aut cingulo, vel celebrare in tali casu necessitatis cum stola, manipulo, aut cingulo non benedicto. Et an extra casum necessitatis semper sit mortale? Et notatur primò, quantum ad materiam Sacrarum vestium, v.g. amictum, & albam, debere esse lineam, cæteras verò ex quacumque alia decenti materia, nec multùm refert, cuius ea sit coloris. Secundò aduertitur, stolam posse deseruire pro manipulo, & manipulum pro stola. Tertiò, si cingulum perfringatur, & vtraque pars sufficiat ad cingendum, vtraque est benedicta, & potest deseruire celebrationi Missæ. Adde plus, quod si cingulum ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum, potest cingulum sic fractum necti. Quartò casulam, manipulum, & stolam seruire ab vtraque parte posse, etiamsi vnica tantum consecratione ab Episcopo sacrata essent, vt si gemino colore afficerentur ad varios dies festos. Item, quod supradictæ vestes tunc consecrationis formam amittunt, cùm ita scinduntur, vt aptæ amplius non sint ad eos vsus, ad quas sacrantur, alioquin formam consecrationis retinent, etiamsi aliqua pars, quæ sacrata non est, vnà cum filo prophano assuatur.* Ex part. 2. tractat. 14. resol.57.ibid.

168. *Vtrum cingulum perdat benedictionem, si ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum Sacerdotem, licèt ipsum aliquo modo vniat partes separatas?* Ex part.2.tr.15.& Misc.1.res.4.p.98

169. *An si cingulum sit fractum, possit Sacerdos partes separatas connectere, & ita celebrare. Ex quo infertur quod Alba amittit benedictionem, separatis manicis. Et an Sacerdos peccet mortaliter celebrans sine necessitate cum singulo non benedicto, aut fracto; aut sine stola, vel manipulo, aut cum illis non benedictis.* Ex

part.

part. 5. tractat. 13. & Misc. 1. resol. 92. ibid.

170. *An Sacerdos possit celebrare sine cingulo benedicto, vel cum eo, & toto fracto, & abrupto? Et an sit peccatum lethale celebrare sine Missali benedicto, ex eo quod in Pontificali reperitur benedictio pro Missalibus?* Ex p.2.tr.14.resol.68.ibid.

171. *An in præcepto celebrandi cum vestibus sacris detur parvitas materiæ?* Ex part.5.tract.5.resol.62.p.99

172. *An Mappæ, seu Tobaleæ sint benedicendæ? Et de earum numero etiam agitur? Et an in necessitate possit Sacerdos uti linteis prophanis, eaque postea reddere Domino ad pristinum usum prophanum applicanda? Et an in casu necessitatis possit tantum una Mappa præter Corporale in Sacrificio Missæ adhiberi? Et an extra casum necessitatis sit peccatum mortale celebrare cum una tantum Mappa, & Corporali? Et difficultas est in supradictis casibus gradus necessitatis assignare; sed pro praxi in textu huius Resolutionis aliqui gradus assignantur. Et tandem docetur, Regulas Missalis esse præceptivas, quæ tangunt aliquam legem Canonicam in corpore iuris contentam, vt de seruando ieiunio, de Ara consecrata, &c. eas verò Rubricas dici directivas, quæ nec in toto iure Canonico continentur, nec in Rubricis ponuntur cum verbis importantibus præceptum, qualia sunt* mandamus, præcipimus, *& similia?* Ex p.10.tr.11.& Misc.1.resol.5.ibid.

173. *An Sacerdos possit celebrare in Patena, & calice nondum consecrato, & cum vestimentis nondum benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis Missam antea celebrasset? Et asseritur Ecclesiam pollutam non egere noua reconciliatione, si in ea bona fide ab aliquo Sacerdote celebratum est?* Ex part.2.tr.14.resol.69.p.100

174. *An si in Calice, & Patena non consecratis quis celebret bona fide, remaneant consecrata? Ex quo infertur, quod Ecclesia polluta non egeat reconciliatione, si quis in ea bona fide celebrauit?* Ex part.5. tract.13.& Misc.1.resol.60.p.101

175. *Vtrum Calix, qui vsum aureum amisit, & iterum postea deauratur quoad illam superficiem, quæ tangit Sanguinem Christi, debeat de nouo consecrari, & idem quæritur de Patena? Et deducitur, quod Ecclesia retinet suam consecrationem, quando paulatim reficitur, in qua pars noua censetur consecrata hoc ipso, quo consecratæ additur. Etiamque cursim infertur, quod Ecclesia amittit suam consecrationem, quando præcipua pars parietum simul corruit?* Ex p.2.tr.15.& Misc.1. resol.3.ibid.

176. *An qui celebrat in calice non consecrato, vel ligneo, præter peccatum mortale incurrat aliquam pœnam? Et an calix, qui modicissimum foramen habebat in fundo cuppæ, quod tamen promiserat artifex ita artificiosè concinnare, vt vix præteritus defectus apparere posset, idque sine vlla Calicis immutatione: an, inquam, in tali casu consecrationem amiserit?* Ex p.11. tr.8.& Misc.8.resol.31.p.102.

177. *An si Sacerdos dicat Missam in Altari non consecrato, remaneat Altare consecratum? Et an possit Sacerdos celebrare in Calice, & Patena nondum consecratis, & cum vestibus non benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis antea celebrauit? Et quid etiam, si Sacerdos celebrasset mala fide? Idem asseritur de Patena, de corporali, de Pyxide, de Custodia, seu Sphæra immediatè tangentibus sacras species? Idem est de Ecclesia violata, quod reconciliatur, nempe per Sacrificiũ Missæ sibi celebratum?* Ex p.9.tr.7.& Misc.2.resol.18.ibid.

178. *An in consecratione Altaris loco Reliquiarum possit apponi frustulum Corporalis? Et an pro Altari fixo sit necessaria in eius consecratione appositio Reliquiarum? Et an pro communicando infirmo ne decedat sine viatico, possit Sacerdos celebrare sine vestibus sacris, & sine Altari, hoc est Ara consecrata, vel an hoc concedatur ad vitandam mortem tantùm? De Sacerdote non ieiuno non est dubitandum in predicto casu, quod teneatur celebrare ad dandum moribundo Viaticum?* Ex p.11.tr.6.& Misc.6.resol.25.p.103

179. *An Pyxis, in qua reponitur Eucharistia, necessario sit benedicenda? Et quid dicendum est de Sphæra, seu Luna, in qua reponitur Hostia publicè ad populum, & de Festicula argentea, in qua Summus Pontifex defert Sanguinem in Missa Papali? Et docetur esse præceptum, vt Corporalia, Patena, Calix, & Ara debeant esse benedicta, aut consecrata. Et cursim aduertitur Pyxidem non posse cum particulis in ea consecratis reponi in Tabernaculum, nisi post sumptionem sanguinis. Et infertur, quod vbi est eadem ratio, dicitur adesse eandem legis dispositio, non extensiuè, sed comprehensiuè?* Ex part.10.tract.11.& Misc.1.resol.3.p.104

180. *An intra Pyxidem, vbi Sacramentum reseruatur, debeat permanere aliqua palla ex ligno confecta, vt benedicta? Et an Pyxis benedici debeat?* Ex part.10. tr.15.& Misc.1.resol.2.p.105

181. *An si quis lauet corporalia ante primam lotionem factam à Diacono, peccet venialiter?* Ex part.11. tr.3.& Misc.3.resol.16.ibid.

182. *An laici tangentes Calicem, Patenam, & Corporale, peccent saltem venialiter? Et quid de aliis Ornatus inferioribus? Et quid est sentiendum de contactu Aræ, & de contactu Patenæ à parte exteriori, seu sacrificij, & contactu Calicis in pede, maximè si pes esset annulatus, vel cuppa Calicis à parte exteriori? Et aduertitur Regulares habere multa priuilegia concessa Sacrificis, & laicis, vel Conuersis Regularium, vt possint supradicta tangere. Et cursim docetur Corporalia, & Purificatoria post primam lotionem posse fœminis maximè virginibus integrè lauanda, & reficienda tradi?* Et part.10.tract.11.& Misc.1.resol.2.p.106

183. *An liceat vasa, vestes, ligna, aliaque culturi uino dicata in prophanos vsus conuertere, dummodo non maneant in eadem forma?* Ex part.5.tract.13.& Misc.1.resol.76.p.107

184. *An sufficiat, si in celebratione Missæ adsit Crux, vel Imago Crucifixi in tabula, vel pariete? Et an non sit peccatum mortale, sed ad summum venialeceleb[rare] sine imagine Crucis, vel Crucifixi, si commodè haberi possint? Et an si cingulum frangatur, vt neutra pars per se possit deseruire, etiamsi nodo partes nullatenus egeat noua benedictione, & secus vero, si antequam omnino diuidatur, reficiatur, vel adhibito nodo firmetur, quia tunc adhuc est vnum cingulum? Idem dicendum est, quando altera pars sola est sufficiens. Et docetur duplicata stola, vel casula, seu Planeta posse fieri sine, quia plures possunt simul vna benedictione benedici, & etiamsi separentur, possint retinere suam sanctitatem. An quando vestes Sacerdotales sunt tales, vt partes connectantur, etiamsi dissoluantur, non amittant benedictionem, sicut diximus de Calice, & cuppa quando pes est amobilis, cochleaque nectitur?* Ex part.11. tr.15.& Misc.5.resol.28.ibid.

185. *An in præcepto Pij V. non addendi aliquid in Missa præter præscripta, detur parvitas materiæ? Idem est de omissione illarum rerum quæ in officio Missæ dicendæ, & recitanda ordinantur in Missali. Vnde excusatur à mortali Sacerdos, qui omisit recitare graduale pro Epistolam?* Ex part.5.tr.5.resol.63.p.108

186. *An in omissione aliquarum rerum, quæ dicuntur, vel agunter in Missa, detur parvitas materiæ? Et an peccet mortaliter voluntariè omittens Gloria, vel Credo, vel commemorationem aliquam? Et quid de omissione in Canone nomen alicuius Sancti, vel tempore Passionis in quæ interponuntur in* Communicantes, *aut in altera* Hanc igitur oblationem, *&c. Et an si paulo post quis recordetur, non debeat repetere, quia moraliter non contingit hæc fieri sine aliqua interturbatione & incommoditate? Et notatur, quod non sit nisi venialis, & quandoque*

doque nullum peccatum cæremonias aliquas, quæ inter principales non adnumerantur, sine contemptu prætermittere; verbi gratia, omittere crucem aliquam, manuum eleuationem, pectoris tunsionem, &c. Et an peccet mortaliter Sacerdos celebrans solemniter, qui Epistolam, vel Euangelium, quod à Ministro cantatur, non legit? Ex p.5.tr.5.res.45.ibid.

187. *An Sacerdos, qui omittit in Missa voluntariè* Credo, *seu* Gloria, *peccet mortaliter? Et quid si omittatur in Canone nomen alicuius Sancti, vel tempore Paschali ea quæ interponuntur in* Communicantes, *aut in actione,* Hanc igitur oblationem? Ex part.2. tract.14.& res.59.p.109

188. *An peccet Sacerdos qui in Missa solemni non recitat, sed tantum audit* Gloria, Credo, Epistolam, Euangelium, & Prophetias, *quæ in Hebdomada maiori leguntur inter ipsa Missarum solemnia, dum ea ab aliis recitantur, aut canuntur? Et an Sacerdos in Missa mortuorum, quando dicenda est Sequentia* Dies iræ, *&c. si illam voluntariè omittat, peccet mortaliter? Et notatur, quod Rubricæ Missalis non sint præceptiuæ, sed directiuæ.* Ex part.9. tract.6. & Misc.1. res.19.ibid.

189. *An Sacerdos in Missa maiori peccet, si non legat submissa voce Epistolam, & Euangelium, postea à Subdiacono, & Diacono canendum?* Ex part.2. tract.14. res.42.ibid.

190. *An Sacerdos in Missa solemni teneatur recitare submissa voce Epistolam, & Euangelium?* Ex p.5. tr.13.& Misc.1.res.95.ibid.

191. *An qui seclusо scandalo, & contemptu in Missa relinqueret Epistolam, vel Euangelium, peccaret mortaliter? E quid dicendum est de* Gloria, *vel* Credo, *si omittantur in Missa? Et notatur non esse peccatum mortale relinquere* Communicantes, & Hanc igitur oblationem, *quæ interponi solent in Festis Natiuitatis, Resurrectionis, & Pentecostes. Et an teneatur Sacerdos illa repetere, si ex inconsideratione illa omittere? Et adducitur Regula generalis, quod in Missa nihil est repetendum, nisi probabiliter quis dubitet, se aliquid essentiale omisisse. Imò nisi quando certò dubitat, eo quod non sufficiat quodcunque dubium?* Ex p.10. tr.15.& Misc.5.res.42.p.110

192. *An Sacerdos qui omitteret in Canone Missæ, verbi gratia sex, aut octo nomina Sanctorum, excusaretur à peccato mortali ratione paruitatis materiæ? Et cursim docetur, quod si in consecratione Calicis omittatur ea pars,* Noui, & æterni Testamenti; *vel si quis inter Latinos latinè celebrans formam consecrationis Græcos, vel Hispano sermone conciperet, an sit mortale, vel tantum veniale? Et quid si in Missa Epistola, Euangelium, aut Offertorium scienter omitterentur, an sit peccatum mortale? Et quid si omitteretur* Gloria, *vel* Credo, *aut tres primæ Orationes? Et infertur, quod si omittatur in Baptismo magna pars cæremoniarum, quas Ecclesia præscribit, an sit peccatum mortale?* Ex part.10.tract.10.& Misc.6.resol.37.aliàs 36. p.111.

193. *An Sacerdos, qui ex intentione non nominat aliquem Sanctum eorum, qui in Canone Missæ ponuntur, peccet mortaliter?* Ex part.2. tract. 14. res.49. ibid.

194. *An Sacerdos Regularis peccet mortaliter, si in Canone Missæ pro nomine Episcopi ponat nomen Generalis suæ Religionis? Et an in Collectis Missæ nullus Sacerdos possit aliquid addere sub pœna peccati mortalis, præter Orationem solitam pro Rege, & eius prole, & exercitu?* Ex p.2.tr.14 res.40.ibid.

195 *Aliqua curiosa circa Ritus in ordine ad celebrationem Missæ obseruantur. Primò an Sacerdos, dum lauat manus, debeat recitare totum Psalmum cum* Gloria Patri, *in cornu Epistolæ? Secundò notatur, quod Generalis, & Prouincialis Regularium, dum Missam cantant, possint sedere ad partem Euangelij, sicut facit Episcopus, præcisè loquendo de sessione; quia Prælati Abbates Regulares in eodem loco sedent: cæteri verò celebrantes sedere debent ad cornu Epistolæ. Tertiò obiter aduertitur Sacerdotem sine stola, & cotta transferendo Pyxidem, in qua custoditur Eucharistiæ Sacramentum ad aliud Altare, non peccare mortaliter, sed solùm venialiter, etiamsi hoc faciat coram aliquibus videntibus. Ex quo infertur, quod laicus etiam in peccato mortali existens, hoc Sacramentum tangens, vel in casu necessitatis deferens illud ad infirmum, non peccat mortaliter. Quartò etiam obiter quæritur, quid sit modus communicandi; & pro modo, & in exemplum adducuntur aliqui casus. Tandem interrogatur, an Orationes septem Psalmorum Pœnitentialium à Sacerdote in fine Litaniarum dicendæ sint genu flexo, an stante? Idem est, quando in Choro recitantur Litaniæ in diebus Rogationum, quod stantes recitandæ sunt Orationes?* Ex part. 10. tractat. 13. & Misc.3. res.34. p.112

196 *Duo casus curiosi circa materiam Eucharistiæ. Primus, an succus elicitus ex uuis passis sit in Sacramento Eucharistiæ materia consecrabilis, in quo fama est consecrare Ægyptios? Secundus, an Hostiæ rubeæ, quibus literæ aliquando obsignantur, sint materia Sacramenti Eucharistiæ? Et an panis ex lacte, vel aquæ artificiali rosaceæ, oleo, butyro, ouis, saccharo, vel aliquo alio liquore prædominante sufficiat ad consecrationem? Et cursim docetur vinum nimis decoctum non esse materiam consecrabilem?* Ex p.7.tr.12.& Misc.3. res.8.aliàs 6. p.113

197. *An massæ panis coagmentata cum aqua maris validè consecretur? Et quid de iusculo quod vulgo dicitur* Pan cotto? *Et quid dicendum, si farina triticea coagmentetur, & subigatur aqua rosaceæ? Idem est de qualibet alia aqua ex floribus, aut herbis distillata. Et quid si parua quantitas admisceatur aquæ naturali? Et an mica panis madefacta, & digitis compressa, & facta quasi massa cruda, sit consecrabilis? Et cursim aduertitur, quod mustum est materia consecrabilis, si tamen coquatur, non erit postea materia sufficiens consecrationis Sanguinis. Et infertur, quod Baptismus collatus cum aqua maris est validus?* Ex part.9. tr.9. & Misc.4.res.59.aliàs 58. p.114

198. *An panis ex amylo, seu amido sit materia apta Sacramenti Eucharistiæ? Et adducitur modus faciendi Hostias in Sardinia?* Ex part.10.tract.16.& Misc.6. res.39.alias 38. p.115

199. *An offa panis in vino sit materia utriusque, vel alterius consecrationis? Et pro firmanda doctrina huius quæstionis, quæ tota est subtilis, curiosa, & docta, aliqua alia obiiciuntur, verbi gratia, quod vinum congelatum potest consecrari, quamuis non sit proximè potabile, nisi prius liquefiat: & quod mustum in uuis inclusum non est materia consecrabilis, quia succus inclusus in ipsis acinis nondum ex illis expressus, non est propriè demonstrabilis, &c. Et notatur pacticlas appositas in Tabernaculo non esse consecrabiles. Et an si Hostiæ in clauso Calice contineantur, non sit de consecratione earum dubitandum? Et quid si in aliqua arca magna, eaque clausa paucula contineantur Hostiæ, aut cantarus vini reseruetur, an valeat super his consecratio?* Ex part.9. tractat. 9. & Misc. 3. res.166. aliàs 65. ibid.

200. *An consecrare in musto absque necessitate sit tantùm peccatum veniale? Et an sit necessitas sufficiens celebrandi in musto absque peccato, si non adsit vinum in die festo, ita vt auditio Missæ omitteretur? Idem dicendum est pro adimplendo præcepto annuæ communionis, & à fortiori in articulo mortis pro dando infirmis Viatico. Et asseritur consuetudinem introductam in aliquas Ecclesias consecrandi in musto in certo quodam anni die*

esse

esse omnino corrigendam, vt hac consuetudo obseruatur in Lusitania in Ecclesia maiori Bracharensi. Et docetur succum ex vua non perfectè matura esse consecrabilem; secus autem ex vua acerba. Item succum ex vuis passis elicitum esse materiam consecrabilem. Ex p.10.tr.11. & Misc.1. res.37.p.117

201. An in Germaniis, vel aliis locis validè consecret Sacerdos in vino paulò ante congelato in Calice? Ex quo infertur, quod in aqua congelata non potest fieri validè Baptismus. Et notatur, quod grauiter peccaret, qui in vino congelato consecraret. Et aduertitur, quod si vinum consecratum congeletur, non desinere esse Christum sub speciebus: & ideò minimè aliud vinum consecrandum est, sed debet liquefieri, & sumi. Et an sit peccatum mortale in vino, quod in Hispania vocatur Hippocrassum, & in vino aqua misto, & in alio vino vulgo dicto agua pie, consecrare; vel sint tamen materia sufficiens, & consecrabilis? Ex part.3. tract.6.& Misc.2.resol.200.p.118

202. An Sacerdos consecrando vinum congelatum peccet mortaliter? Ex quo infertur peccare Ministrum vtentem materia dubia, vel forma dubia, omittendo certam, etiamsi sequatur opinionem de veritate & sufficientia probabilem, aut speculatiuè probabiliorem. Et notatur, quod si vinum priùs fuerit congelatum, & postea liquefiat, non est improbabile, licitè consecrari, quamuis minùs decenter. Et quid est faciendum, si vinum in Missa ante consecrationem etiam post oblationem congeletur? an tunc debeat Sacerdos aliud de nouo infundere, & oblatum consecrare? Ex part.10.tr.12. & Misc.2.res.8.p.119

203. An vinum congelatum sit sufficiens materia consecrationis? Et an Sacerdos consecrans in vino congelato peccet mortaliter? Ex p.11.tr.1.& Misc.1.r.17.p.120

204. An validè consecrari possit materia cuiusuis paruitatis, dummodo sit sensibilis? Et an materia, quæ ob sui paruitatem nullo sensu exteriori percipi potest, consecrari possit? Et an materia consecrationis debeat esse sensibilis ab ipsomet Sacerdote, vel sufficiat quod sit sensibilis respectu alterius, qui habet sensum magis acutum? Ex p.11.tr.6.& Misc.6.res.36.p.121.

205. An Sacerdos Græcus sub peccato mortali teneatur sequi consuetudinem suæ Ecclesiæ, & consecrare in fermentato, ita vt Sacerdos Græcus peccet consecrando in azymo, & Sacerdos Latinus consecrando in fermentato, etiam secluso scandalo, & cum magna necessitate, vt ob communicandum infirmum, &c. Et an Sacerdos Latinus possit in Græcia sequi morem Græcorum, & Græcus morem Latinorum existens apud Latinos? Et docetur non solum posse licitè, sed teneri Sacerdotem Græcum transeuntem per Ecclesias Latinas in azymo consecrare, & peccare mortaliter, si aliter faciat: quia priuilegium illis concessum ad consecrandum in fermentato, intelligendum est, quando celebrant in suis propriis Ecclesiis. Et notatur non licere Sacerdoti Latino in templo Græcorum, quod in Ecclesia Latina existat, in fermentato consecrare; neque etiam aliis fidelibus Latinis ibidem in eodem fermentato communicare. Ex part.3.tract.6.& Misc.2.res.99.p.122

206. An Sacerdos Latinus in Ecclesia Latina possit consecrare in fermentato ad communicandum infirmum moribundum, si non habeat alium panem? Eadem est ratio de Sacerdote Græco in Ecclesia sua. Et idem est etiam si populus diu debet sacrificio priuari. Et quid est dicendum ad euitandū mortis periculum, si Sacerdos Latinus non consecret in fermentato? Et notatur, quod Sacerdotes Græci per Latinam Ecclesiam, & Latini per Græcam peregrinantes, sicubi propriam Ecclesiam, propriis institutis viuentes non habeant, in qua sint, possint Græci in azymo, & Latini in fermentato celebrare, conformando se Ecclesiæ, in qua existunt, non tamen ad id teneantur. Et [illegible] aduertitur, quod Latini Sacerdotes in Græcia commorantes, si permittantur ibi propriam Ecclesiam habere, tenentur consecrare in azymo; & contra Græci in terris Latinorum consecrare debent in fermentato. Sed in Ecclesia Græcis inter Latinos permissa nefas est Latinis consecrare in fermentato, & contra. Et an in casu, quo Græcus esset incola apud Latinos, vbi sunt templa deputata ad seruandos ritus Græcorum, teneatur seruare ritum propriæ Eccles. Ex p.10.tr.16.& Misc.6.res.40.aliàs 39. p.123

207. De quibusdam quæsitis circa aquam naturalem necessariam in sacrificio Missæ, & in Baptismo. Et an panis ex aqua rosacea factus sit materia apta Eucharistiæ? Et an si in sacrificio Missæ infundatur vinum aqua non naturalis, sed aqua rosacea, vel ex aliis herbis, aut floribus extracta, conficiatur Sacramentum? Et an peccet mortaliter Sacerdos, si aquam rosaceam, aut [illegible]icioſam misceat in Missa? Et quid dicendum est, in casu necessitatis non posset alia aqua haberi? Et an sit peccatum mortale miscere in Missa aquam calidam vino, etiamsi aqua sit naturalis? Ex part.3. tract.7.& Misc.2.res.18.p.125

208. Quidam Sacerdos in Calice multas guttulas aquæ infundebat; quæsiuit an ita faciendo toties peccaret. Et an Sacerdos possit infundere octauam partem non proportionalem vino? Et an aqua in vinum non conuersa, ante consecrationem immediate in Christi Sanguinem conuertatur? Et an si fiat commixtio aquæ in vinum in illo medio tempore, in quo proferuntur verba, prolatis tamen verbis, Hic est Calix, an tunc illa pars vini, quæ sit ex aqua, conuertatur in Sanguinem Christi? Ex p.3.tr.4.res.49.p.126

209. An si à Sacerdote gutta aquæ non misceatur, ex paruitate materiæ excusetur à mortali? Et notatur, quod si aqua non fuerit in vinum conuersa ante consecrationem, conuertitur immediatè in Sanguinem? Ex p.5.tract.5.res.56.ibid.

210. Quidam Sacerdos post consecrationem Sanguinis inuenit in Calice aliquas guttas separatas à vino, illas cum purificatorio ante sumptionem Sanguinis absterſit: quæritur, an illæ guttæ fuerint consecratæ? Ex part.2.tr.17.& Misc.3.res.16.p.127

211. An guttæ vini, quæ sunt in Calice separatæ à vino, quod est in fundo Calicis, remaneant consecratæ? Ex p.3.tr.4.res.32.ibid.

212. An si in campo in aliqua Ecclesia non reperiatur Hostia, sed tantùm particula, liceat Sacerdoti eam celebrare? Ex part.5.tr.13.& Misc.1.res.80.ibid.

213. An si v.g. non inueniatur Hostia magna, possit Sacerdos celebrare, & consecrare particulam parui? Et an hoc licitum sit, si adsit ad minus infra [illegible] & necessitas aliqua? Ex part.6. tract.7.& Misc. res.17.ibid.

214. An oblatione Hostiæ iam factæ, si offeratur Sacerdoti particula pro communicando laico, possit illa consecrare? Et quid si iam Præfatio esset incepta? Et an quando hoc fit, debeat oblatio eius fieri mente concepta? Ex p.2.tr.14.res.71.p.128

215. An si dentur Sacerdoti particulæ pro communicandis laicis non solum post offertorium, sed etiam post præfationem ante consecrationem, possit illas adhuc consecrare, facta oblatione dictarum particularum mente concepta? Ex p.6.tr.6.& Misc.1.res.7.ibid.

216. Quæritur an illæ particulæ, vel Hostiæ, quas [illegible] inscio Sacerdote consecrandæ appositæ in Corporali remaneant consecratæ? Ex part.2. tract.17.& Misc. res.19.ibid.

217. Quidam Sacerdos in Sacristia habuit intentionem consecrandi particulas, quæ quidem in Pyxide super Altare in cornu Epistolæ fuerunt ex errore appositæ, autem super Aram, quæritur an remanserint consecratæ, si Sacerdos amplius de illis non meminerit? Et notatur, quod si Pyxis posita super Corporale non [illegible]

ritur tempore consecrationis, sit tamen consecratio. Ex p.3.tr.6.& Misc.2.ref.103.ibid.

218. *An si Sacerdos habuit intentionem consecrandi particulas positas in Pyxide, quæ non fuit à Sacrista, vel ab ipso posita super corporale, sed in cornu Altaris, an inquam, particulæ illa habendæ sint tanquam consecratæ? Et aduertitur, quod si Sacerdos, qui ante se habet duas Hostias, putet se vnicam habere, si intendat vnam consecrare, nihil determinando, vtramque futuram consecratam. Idem dicendum est de particulis, quod est valde notandum ad tollendos scrupulos.* Ex part.5. tr.14.& Misc.2.ref.19.p.129

219. *Quidam Sacerdos post offertorium reposuit Pyxidem in Tabernaculo plenâ particulis, & clauso Tabernaculo, postea tempore cõsecrationis habuit actualẽ intentionem dictas particulas consecrandi, quæritur, an revera consecratæ remanserint? Et deducitur, ex Sacerdos cæcus possit consecrare Hostiã ante se positam, quam nullo sensu perciperet? Et an panis in arca, & vinum in dolio apposita valide consecrentur, modò existant coram Sacerdote, si ipse omnem materiam consecrabilem sibi moraliter præsentem consecrare intenderet? Et an valide consecretur à Sacerdote Hostia, quæ sit post parietem? Et an si in Altari ponatur Pyxis argentea cum particulis tegmine lineo occlusa, vel si in arca claudatur fiscella panis plena, nonne erunt particulæ illæ, vel panis materia consecrabiles? Et an particulæ appositæ sub Mappa Altaris, vel sub Corporali, vel Missali valide consecrentur? Et quid est faciendum in supradictis casibus, si contigerint in praxi?* Ex p.7.tr.10.& Misc.1.ref.7.p.130

220. *An Sacerdos possit consecrare Hostiam post tergum, vel parietem existentem? Et quid stante Hostia post tergum, si per speculũ cerneretur? Et an panis in Sacrario contentus valide consecretur? Ex quo cursissimè infertur, quod absoluio data moribundo in domo incluso non est valida. Et quæritur, an Hostia sub linteo sit materia consecrabilis?* Ex p. 10.tr.16.& Misc.6.r.41.aliàs 40.p.131

221. *An Sacerdos, quando ante consecrationem extendit manus super Calicem, & Hostiam, dicens* Hanc igitur oblationem; *an, inquam, tunc debeat pollices subtus manus, vel supra in modum Crucis tenere?* Ex p.3.tr.6.& Misc.2.ref.104.p.132

222. *Olim allatæ fuerunt mihi duæ dubitationes. An Sacerdos, qui omitteret in consecratione particulam* enim, *conficiat Sacramentum, vel saltem peccet mortaliter? Secundò, quid si dicat,* Hic est enim calis, S, *pro* X, *vtendo? Et deducitur, an si Sacerdos dicendo tantum* Te absoluo, *relinqueret* in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, *seclusa scandalo, & contemptu, peccet mortaliter? Et quid, si in forma Baptismi omitteret* Amen, ego, in, *& diceret.* Baptizo te nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, *an ratione paruitatis materiæ non peccaret mortaliter? Et an Sacramentum Baptismi ministratum sub hac forma,* Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta, *sit validum?* Ex p.2.tr.17.& Misc.3.ref.14.p.133

223. *An si quis in omnibus tribus Missis dici solitis successiuè, & immediatè in die Natiuitatis Domini reliquerit particulam* enim, *in consecratione Corporis, vel Sanguinis, peccaret mortaliter? Et supponitur omittentem in consecratione particulam* enim, *in cæteris diebus & Missis non peccare mortaliter, seclusa scandalo & contemptu. Sed quid est dicendum, si prædicta tres Missa in die Natiuitatis Domini non dicatur successiuè, & immediatè vna post alteram, sed prima dicatur post mediam noctem, altera in aurora, & tertia tempore solito, an in isto casu, si celebrans Sacerdos omitteret in consecratione in prædictis tribus Missis particulam* enim, *peccet mortaliter? Idem est dicendum, si in prædictis casibus in qualibet Missa diei Natiuitatis Domini Sacerdos omitteret in Canone tria nomina alicuius Sancti.* Ex p.10.tr.16.& Misc.6. ref.32.aliàs 31.ibid.

224. *An in forma consecrationis Eucharistiæ, si deseratur verbum* est, *dicendo* Hoc corpus meum, *valida sit consecratio? Et an grauissimè peccet, qui ipsum verbum* est, *non exprimeret? Et docetur in forma consecrationis corporis, & sanguinis Christi esse de substãtia ipsius formæ, ac de necessitate Sacramenti verbum* est, *nec posse substitui aliud verbũ, v.g.* fiat, *conuertatur, loco illius. Et quid est sentiendum de assertione nouatorum asserentium satis esse ad consecrationẽ verba ista,* accipite, & manducate hoc Corpus meũ, & accipite, & bibite hunc Sanguinẽ meum? Ex p.10.tr.16.& Misc.6.ref.35.aliàs 34. p.134

225. *An sit valida consecratio, si Sacerdos loco illorum verborum,* Hoc est Corpus meum, *dicat,* Hoc corpus est meum, *vel* meum est hoc corpus? *Et de aliis variationibus verborum consecrationis agitur. Et notatur non esse peccatum mortale deserere ex forma consecrationis particulam* enim, *dummodo non effluiatur ex contemptu, secus autem si omitteretur aliqua ex particulis essentialibus, in quo casu notatur non solum adesse peccatum mortale contra præceptum Ecclesiæ in materia Religionis, sed etiam contra præceptum naturale in eadem materia Religionis, quia facit irritam formam consecrationis, &c.* Ex p.5.tr.14.& Misc.2.ref.78.p.135

226. *An si Sacerdos loco verborum consecrationis,* Hoc est Corpus meum, *diceret,* Hæc est enim caro mea, *conficeret Sacramentum?* Ex p.5. tract.14. & Misc.2. ref.76.p.136

227. *An si Sacerdos loco illorum verborum,* Hoc est Corpus meum, *dicat,* Hic est Corpus meum, *valide consecraret? Et de aliis multis mutationibus verborum consecrationis agitur.* Ex p.5.tr.14.& Misc.2.ref.77.ibid.

228. *An si Sacerdos habeat intentionem consecrandi tantum panem, & non vinum, remaneat adhuc panis consecratus? Et infertur, quod si Sacerdos vellet consecrare, & non tamen efficere Sacrificium, ita vt voluntas non offerendi Sacrificium præualeret, & esset magis efficax, an tunc nihil prorsus efficeret? Et cursim deducitur, quod si Sacerdos prius consecrauit Calicem, quam Hostiam, factum tenet.* Ex p.10.tr.16.& Misc.6.ref.62.p.137

229. *An Missa, in qua Sacerdos consecrauit panem absque vino, sit verè, & propriè Sacrificium? Et an ex dicta Missa possit Sacerdos accipere consuetum stipendium? Et an præceptum consecrandi in vtraque specie sit diuinum, vel tantùm Ecclesiasticum? Et cursim deducitur, posse Papam dispensare, & de facto dispensasse, vt sacrificium Missæ in sola specie panis absque vino fieret.* Ex p.10.tr.16.& Misc.6.ref.63.p.139

230. *Quidam Sacerdos consecrauit sanguinem non consecratæ Hostiæ, postea pœnitentia ductus vult illam consecrare; quæritur, an debeat consecrare etiam aliud vinum? Et quid, si Sacerdos post consecrationem vtriusque speciei aduertat Hostiam non esse ex legitima materia, sed ex hordeo, vel corrupta materia; an, inquam, in tali casu sit repetenda consecratio vtriusque speciei? Et an si ante consecrationem Hostiæ, & vini agnoscat Hostiam non esse tritiçeam, vel esse corruptam, quid est faciendum? Et cursim docetur, quod si Sacerdos existens in Altari recordetur se non esse ieiunum, possit pergere, licèt id aduertat ante consecrationem. Et an quando defectus in vtriusque consecratione accidisset, & panis, aut vinum sumptum iam esset, non debeat in alia materia consecratio suppleri ex eo, quod iam Sacerdos ieiunus non esset; & quia tunc revera non fuit factum, nec perfectum, nec imperfectum Sacrificium, sed totum fuit fictum? Sed aduerte, obsecro, quid est faciendum, quando nondum fractum est ieiunium, si tunc fortasse ex defectu intentionis, vel formæ neutram speciem Sacerdos consecrauit; tenebitur-ne Sacerdos secretè iterare, & consecrare, antequam sumat species non consecratas, ne perseueret in inchoata fictione non sumendi potum, & cibum per modum Sacramenti, quod verum Sacramentum*

non est? Et an detur ratio veri Sacrificij, si prius consecretur vinum, deinde panis? Et vtrum, si post consecrationem panis Sacerdoti immineret periculum vitæ, teneatur vinum consecrare, ne inchoatum, & imperfectum remaneat Sacrificium? Ex part.10.tr.12. & Misc.2.ref.13.p.140

231. An si in Pyxide continente plures particulas consecratas misceatur aliqua non consecrata, possit validè Sacerdos illam consecrare, si non dignoscitur? Et quid si misceatur vna gutta vini non consecrati cum vino iam consecrato? Vel an Sacerdos licitè, & validè possit consecrare sub conditione omnes particulas, vt non maneat mista consecratis illa alia non consecrata? Idem dicendum est de gutta vini infusa in Calice iam consecrato. Et an Sacerdos possit consecrare dimidiam partem Hostiæ, designans quam partem vellet consecrare? Et an si Sacerdos in Sacristia dixit velle consecrare Pyxidem cum particulis, & postea Sacrista, ipso non vidente, dum legeret Euangelium, apposuit Pyxidem in Altari in cornu Epistolæ; an, inquam, illæ particulæ dicendæ sint consecratæ, licèt Sacerdos de illis in consecratione Hostiæ non meminerit? Ex p.9.tr.8.& Misc.3.ref.65.alias 64. p.141

232. An Sacerdos post consecrationem particularum possit illas ponere in Tabernaculo, vel extra Aram, aut dare alteri Sacerdoti Pyxidem, vt illas alio in Altari populo distribuat? Et an possit admitti, quod ante sumptionem Calicis detur aliis communio? Ex p.5. tr.13.& Misc.1.ref.72.p.144

233. An toto tempore Missæ debeant particulæ consecratæ manere super Aram? Et cursim docetur, an sufficiat, vt prædictæ particulæ sint super Aram, quando consecrantur, vel debeant esse in manibus Sacerdotis illas consecrantis? Et breuissimè asseritur, posse Sacerdotem ex ipsa Hostia maiori dare partem aliquam volenti communicare, & ex minoribus sibi sumere. Ex p.10.tr.15.& Misc.5.ref.41.ibid.

234. An Sacerdos celebrans possit in aliquo casu Hostiam à se consecratam reponere in Sacrario, & ex illo particulam ex præconsecratis ab alio assumere? Et quidam Parochus nullam habens maiorem Hostiam, veritus populi scandalum aliquod, aut murmur, dum minorem Hostiam consecrasset, in eleuatione Sacramenti ostentauit alteram quandam maiorem Hostiam, quæ asseruabatur in Pyxide, vt exponeretur in die solemni populo: quæritur, an ille prudenter hoc fecerit, vel quid facere debuerit? Ex p.5.tr.13.& Misc.1.ref.96.p.145

235. An Sacerdos, sumpto iam corpore, si videt consecrasse Calicem per inconsiderationem cum sola aqua, debeat non solùm vinum apponere, sed de nouo consecrare aliam Hostiam, incipiendo ab illis verbis, Qui pridie quàm pateretur? Vel an sufficiat in tali casu statim vinum apponere, & incipere ab illis verbis, Simili modo? Et an hoc intelligatur casu, quo Sacerdos celebraret publicè, non autem secretò? Et an Sacerdos peccet mortaliter, si cui fortasse hoc accideret, vt inopinato casu turbatus non susciperet, nec consecraret vinum? Et docetur Rubricas Missalis esse doctrinales, & non inducere præceptum. Ex p.2.tr.14.ref.70.p.146

236. An Sacerdos, qui per errorem consecrauit solum panem, si non possit postea sine sui nota, & populi turbatione consecrare sanguinem, sit ei licitum in Sacrificium pergere sine vini consecratione? Et an Sacerdos excusetur à mortali peccato, si propter inconsiderationem naturalem, vel perturbationem Sacrificium in simili euentu non perficiat; quod & de similibus euentibus dicendum est? & est diligenter notandum, quia huiusmodi perturbatio, etiam in viris doctis accidit. Ex part.10.tr.12.& Misc.2.ref.14.ibid.

237. Quid facere debeat Sacerdos, qui perficit Sacrificium inceptum ab alio, si dubitetur, Hostiam fuisse consecratam? Et an in tali casu debeat solum incipere à consecratione, cæteris omissis? Ex p.10. tract.12.& Misc.2.ref.12.p.147

238. An si Sacerdos moriatur post consecrationem, si adsit alius Sacerdos, teneatur sub peccato mortali perficere Sacrificium? Et in tali casu, an hoc facere debeat Sacerdos, etiamsi non sit ieiunus, aut sit excommunicatus, aut irregularis? Et quid in tali casu est faciendum, quando Sacerdos moritur, vel infirmatur, iam consecrauerat vtramque speciem; & quid quando tantum consecrauerat vnam speciem? Et quid est agendum si constet Sacerdotem esse mortuum in Missa, & non constat, in qua parte Missæ mortuus fuerit? Et aduertitur in prædictis casibus, quod si nullus inueniri potest Sacerdos, non esse licitum laico sanguinem, aut Hostiam sumere, vnde Hostia conseruanda est in Pyxide, & Calix in Sacrario. Et si vini species corrumpantur antequam inueniatur Sacerdos, qui eas sumat, in piscinam projiciendæ sunt. Ex p.9.tr.6.& Misc.1.ref.18.ibid.

239. An si Sacerdos moriatur post consecrationem temporis Christi, possit alius Sacerdos sequenti die Sacrificium perficere? Et an deficiente Sacerdote post consecrationem Hostiæ, alius qui prædictum Sacrificium perficere potest, debeat esse ieiunus, & nulla censura ligatus, & possit celebrare contritus, si desit copia Confessarij; & si reperit Hostiam ab alio consecratam, satis sit, vt consecret Calicis vinum, & prosequens sumat vtramque speciem? Et aduertitur de officio Veneris Sanctæ, quod in illo die non integratur, nec perficitur Sacrificium, cum vtraque species fuerit die externo iam consecrata, & consumpta; sed tunc sumitur à Sacerdote tantum Hostia præcedentis Sacrificij, & ideo illud officium non vocatur, nec est Missa, nec Sacrificium. Ex p.10.tr.11.& Misc.1.ref.4.p.148

240. An si Sacerdos moriatur post sumptam speciem panis, debeat alius perficere Sacrificium, & sumere tantum species sanguinis, vel quid est faciendum? Ex p.10.tr.12.& Misc.2.ref.15.p.149

241. An deficientibus particulis, possit Sacerdos partem Hostiæ alteri præbere? Ex p.2.tr.14.ref.37.p.150

242. An ad communicandum fidelem ob solam deuotionē Sacerdos possit frangere Hostiam? Ex p.3.tr.4.r.34.ibid.

243. De casibus particularibus, in quibus Sacerdos potest dare partem suæ Hostiæ laico communicaturo. Et an Sacerdos peccet mortaliter, si sine causa partem suæ Hostiæ laicis communicaturis præbeat? Ex p.10.tr.11. & Misc.1.ref.70.ibid.

244. An si in campo particula non inueniatur, possit Sacerdos dare partem suæ Hostiæ moribundo? Et an hoc etiam in aliis casibus extra periculum mortis licitè dummodo rationabilis causa subsit, vt si quispiam magna deuotione ad Eucharistiam accederet, & non esset formula, quæ illi porrigi posset, &c. Et docetur Sacerdotem non peccare mortaliter, qui cum particulam communicaturo porrigere facilè posset, dat partem parvam ex sua Hostia consecrata. Ex p.5.tr.3.ref.54.p.151

245. An Sacerdos, finita Missa, si in Sacristia inueniat aliquod fragmentum in Patena, vel Calice, possit illud sumere? Et an ex accidenti, quando Reliquiæ non possunt conseruari sine maiori irreuerentia; in ea enim circumstantia non solum Reliquiæ præsentis Sacrificij, sed etiam præteritorum absumi possunt ab ipso Sacerdote non ieiuno, etiam postquam à multo tempore ab Altari recessit? Ex p.3.tr.4.ref.45.p.152

246. An Sacerdos, finita Missa, si in Sacristia sacris vestibus adhuc non spoliatus inueniat aliquod fragmentum in Patena, vel Calice, possit illud sumere? Ex p.5.tr.14.& Misc.2.ref.43.ibid.

247. An liceat Sacerdoti in Sacristia, dum adhuc sacris vestibus est indutus, sumere Reliquias Hostiæ inuētas in Calice? Et cuius quātitatis esse oporteat huiusmodi Reliquias? Et an si celebrās, sūmpto sāguine, videat particulā Hostiæ in fundo Calicis, possit digito deducere particulam ad

ad labium Calicis, & sumere ante purificationem, vel remoto scrupulo possit vnà cum purificatione illam deglutire? Ex p. 6. tr. 6. & Misc. 6. res. 17. ibid.

248. *An liceat Sacerdoti post ablutionem sumptam consumere particularum fragmenta, si in alia Missa fuerunt ab alio Sacerdote præconsecrata? Ex quo infertur, quod si pars aliqua Eucharistiæ, quæ in Pyxide seruatur, inter communicandum populum in linteum, vel corporale Altaris ceciderit, etiamsi sit minimæ quantitatis, non potest à Sacerdote sumi post ablutionem, sed in Sacrario reponi debet, ac conseruari. Et an laicis infirmis post assumptam Hostiolam simul cum ablutione, vel paulò post liceat Reliquias Sacramenti tradere inuentas in Calice, vel in Pyxide? Et aduertitur, quod cæteris laicis post finitam communionem dandæ non sint prædictæ Reliquiæ, etiamsi ablutionem non sumpserint, nisi simul dentur cum priori formula.* Ex p. 6. tr. 6. & Misc. 1. resol. 23. p. 153

249. *An Sacerdos inueniens fragmentum Hostiæ ex Sacrificio alterius Sacerdotis, teneatur reponere illud in Sacrario, vel possit illud assumere? Et quid si Sacerdos, finita iam Missa, & reuersus ad Sacristiam, inueniat aliquas Reliquias ex his, quas consecrauerat, possitne illas adhuc sumere?* Ex p. 9. tr. 6. & Misc. 1. res. 36. aliàs 37. ibid.

250. *Subduntur alia practicabilia circa Eucharistiam. Primò, an si Sacerdos, finita iam Missa, & reuersus ad Sacristiam, adhuc sacris vestibus indutus inueniat aliquas Reliquias, & particulas ex his, quas consecrauerat, remanentes in Patena vel Calice, possit adhuc illas consumere? Secundò, an qui edens, vel bibens in dubio, an sit audita hora duodecima noctis, possit sequenti die Missam dicere, vel communicare? Idem est dicendum de illo, qui assumens aquam ad os abluendum dubitat, an aliquam guttam transierit. Necnon de illo, qui dentibus quidpiam masticans dubitat, an aliquid deglutierit; & de illo, qui adhæret dicto aliquorum decem sibi horam noctis duodecimam non sonuisse, aliis sonuisse affirmantibus. Tertiò docetur, quod vbi est vnum tantum horologium, si duodecima hora noctis sonare incipiat, non tenetur aliquis statim in prima pulsatione desistere à cibo, vel potu, si crastino Missam dicere velit, vel Sacram Eucharistiam sumere. Quartò probatur, quod quantumcunque horologium reputetur regulatum, licitum esse post omnes pulsus per quadrantem comedere, & sequenti die celebrare, vel communionem recipere. Quintò firmatur, quod quando in vrbe plurima audiuntur horologia, possumus nos conformare vltimo, & tunc post omnes pulsus comedentes per moram salutationis Angelicæ possumus sequenti die Missam celebrare, vel communionem sumere. Sextò notatur, quod non potest Episcopus cogere Parochum, vt ministret necessaria Presbyteris volentibus celebrare in sua Parochia.* Ex p. 10. tr. 13. & Misc. 3. res. 54. p. 154

Nunc autem sequuntur omnes aliæ difficultates, & quæstiones pertinentes etiam ad hunc *Tract. 1. de celebrat. Missar. huius tomi 2.* quæ mistæ, vel dispersæ sunt, aut author obiter tangit in reliquis aliis Tomis, Tractatibus, & Resolutionibus, vt ita faciliùs, & expeditiùs pateat aditus ad omnes difficultates, & quæstiones huius totius operis.

An sufficiat oratio mentalis ad Missam dicendam? Ex p. 5. tr. 12. ex res. 44. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 4. tr. 3. de Bulla Cruciatæ, res. 148.

An Sacerdos satisfaciat, si partes Missæ cantatæ, quas Sacerdos submissa voce legere per Rubricas debet, illas dicat tantum mentaliter? Et an possint Mendicantes, & qui illorum priuilegiis vtuntur celebrare Missam de Sanctissimo Sacramento in quintis Feriis, nouem lectionibus non impeditis, etiam Aduentus, & Quadragesimæ; & de Conceptione B. Virginis in Sabbathis, etiam nouem lectionibus non impeditis? Et docetur priuilegium concessum Sacerdoti, vt possit celebrare Missam tempore interdicti, & cessationis à Diuinis, extendi ad ministrum seruientem. Et an Rubricæ Missalis de stando, sedendo, capite discooperto, inclinato, vel hoc, aut illo modo, non habeant vim legis, & præcepti, sed sint directiuæ, & Regulæ, vt magis pie, & religiosè Missa solemnis dicatur, quæ etiam seruari debent in Missa priuata. Et cursim explanatur, quod licentia celebrandi Missam in lingua vulgari non conceditur nisi à Papa, & ex graui necessitate. Et quod mutare pro arbitrio notabiliter in Sacrificio Missæ vestes sacras quoad solum colorem, aut formam, est culpa mortalis. Ex p. 10. tract. 11. ex res. 1. 17. & 33. & ex tr. 13. res. 4. & in p. 9. tr. 7. ex res. 67. *Quæ hic reperientur* in tom. 3. tr. 6. de Horis Canonicis, res. 55. 65. 68. 45. & 49.

Quidam angebatur magnis scrupulis, an habuerit intentionem requisitam consecrandi? Et an aliqui satis probabiliter asserant essentiam Sacrificij consistere in sola consecratione? Et an Sacerdos satisfaciat præcepto audiendi Missam, si illam dicat cum notabili, & voluntaria distractione? Et quæritur etiam, quando Canon Missæ incipiat, an à Te igitur, *vel à* Communicantes, *vel à verbis* Qui pridie, *& quando Canon finiat, an vsque ad* Libera nos, *vel vsque ad* Consumptionem? *Et an licitum sit à Ministro existente in peccato petere celebrationem Missæ, vt quis satisfaciat præcepto Ecclesiæ audiendi Missam in die festo, vel sumendi Eucharistiam tempore Paschatis? Et an hoc intelligatur, siue Minister sit paratus, siue non; siue sit vnus Parochus, siue non? Et notatur, quod semper Primiciarius S. Marci Veneti celebrat ieiunus in Missa, quæ ante mediam noctem dicitur in dicto templo in nocte Natiuitatis Domini.* Ex p. 3. tr. 6. ex res. 68. & ex p. 8. tr. 7. ex res. 89. & ex p. 10. tr. 11. ex res. 6. & 63. & in tr. 14. ex res. 37. aliàs 35. *Quæ hic sunt infra in hoc ipsomet* tom. 2. tr. 3. de auditione Missæ, res. 1. 2. 4. 14. 16. & 11.

Cum Concilium Tridentinum asserat sess. 11. cap. 17. Sacramenta tribus perfici, materia, forma, & intentione Ministri; & cum intentio sit triplex, habitualis, virtualis, & actualis; quæritur quænam sit sufficiens ad validè consecrandum in Sacrificio Missæ? Et an in verbis, formæ huius consecrationis detur paruitas materiæ? Et quid si in fine verborum consecrationis quis non proferat M, *valde distinctè, & illud* T? *Et an in verborum consecrationis interruptione detur paruitas materiæ? Et an in coniunctione materiæ, & formæ huius consecrationis detur paruitas materiæ? Et an cùm Sacerdos, dum celebrat, tria præstet; primò quidem consecrat; secundò ministrat sibi ipsi; tertiò suscipit Sacramentum, tamen hoc non obstante, si est in peccato mortali, vnum tantùm peccatum committat? Et an qui Missam celebrat cum excommunicatione minori, peccet mortaliter, vel saltem venialiter? Et an solus Baptismus, & Pœnitentia, vel etiam sumptio Eucharistiæ, & alia Sacramenta conferant gratiam, recedente fictione?* Ex p. 2. tr. 17. ex res. 32. & ex p. 5. tr. 5. res. 39. 40. & 41. & in tr. 7. ex res. 4. §. Non desinam, & in p. 10. tr. 16. ex res. 28. aliàs 27. & in p. 3. tr. 4. ex res. 56. & in p. 5. tract. 13. ex res. 30. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 1. tract. 1. de Baptismo, res. 1. 4. 5. 6. 18. 11. 14. & 24.

Quam intentionem debeant habere Sacerdotes nouiter ordinati, quando cum Episcopo in Missarum solemniis concelebrant? Et an Sacerdos, si dum ordinatur, intelligat iam verba consecrationis à socio prolata esse, teneatur ipse non proferre vlterius verba consecrationis? Ex p. 3.

tr.4.ex ref.50.& in p.5.tr.14.ex ref.82. *Quæ hic sunt infra* in tr.5.de Sacram.Ordinis, ref.20.& 21.

An liceat in Sacrificio Missæ vti Ministro, materia, & forma probabili opinione, relicta certa? Ex p.9.tr.7. ex ref.59. *Quæ nunc inuenietur* in tom.8.tr.1.de opinione probabili, ref.5.

An Sacerdos metu mortis possit conficere Eucharistiam in materia dubia, verbi gratia cum vino congelato, vel cum pane ex spelta confecto; vel celebrare Missam sine Altari, aut Calice consecrato, aut sine vestibus sacris, & lumine, &c. Et quid, si non adsit metus mortis in prædictis casibus? &c. Et an sit peccatum scandali redimere vexationem iniustam Sacerdotis, qui non vult celebrare Missam in die festo, nisi pecuniis alliciatur, pro audienda Missa in prædicto die festo? Ex p.3. tr.6. ex ref.48.§.Et tandem, & in p.5.tr.7.ex ref.16. *Quæ hic reperientur* in tom.7.tr.5.de scandalo, ref.76.& 4.

An licitum sit metum ortis celebrare sine vestibus, & aquæ mistione; vel verba consecrationis sine intentione proferre; aut ministrare Hostiam non consecratam pro consecrata, &c. Et an Sacerdos, si in celebratione Missæ proferat formam panis, & vini super materiam legitimam absque intentione, si postea intentionem adhibeat, nihil efficiat? Ex p.3. tr.6. ex ref.83. & in p.10. tr.13. ex ref.20. *Quæ hic sunt infra* in tr.6. de matrim.ref.136.& 100.

An sit peccatum proferre verba consecrationis sine vero pane, & sine vero vino? Et an si quis haberet concubitum cum vestibus sacris, istæ pollnerentur, & deberet Sacerdos hanc circumstantiam in confessione aperire? Et an in tali casu debeant vestes sacræ iterum benedici? Et an si Sacerdos in Missa Eucharistiam ab aliis consecratam in peccato mortali multis ministrat, debeat hanc circumstantiam in confessione explicare? Ex p.10.tr.11.ex ref.12.& in tr.12.ex ref.55.aliàs 54. & in p.1. tract.7. ex ref.41. *Quæ nunc inuenientur* in tom.1.tr.7.de circumstantiis, ref.74.82.& 40.

An ordinatus, prævalente virili sexu, si postea fœmineus prævaleat, & de facto proferat verba consecrationis panis, & vini supra debitam materiam, validè consecret? Et an incurrat irregularitatem, qui sine Ordine requisito celebrat Missam? Ex p.10. tract. 13. ex ref.36. & in tr.11. ex ref.21. *Quæ hic reperientur* in tom.5.tr.5.de Irregularitate, ref.61.& 24.

An degradatus, si de facto celebret, conficiat verum Christi Corpus? Ex p.9.tr.4.ex ref.29. *Quæ hic est* in tom.5.tr.2.de Percussione Clerici, ref.38.

An Pontifex possit dispensare, vt consecratio Eucharistiæ efficiatur sub vna tantùm specie? Et an præceptum consecrandi Eucharistiam sub vtraque specie sit diuinum, aut humanum? Et an Pontifex possit in aliquo casu facultatem præbere, vt plures Sacerdotes conficiant Eucharistiam? Et an Pontifex possit dispensare, vt Sacerdos celebret non ieiunus? Et an Pontifex possit dispensare, vt aqua vino non misceatur? Et an necessitas miscendi aquam vino consecrãdo proueniat ex præcepto diuino, aut Ecclesiastico? Et an permittendus sit Armenis mos consecrandi in solo vino, sicut Græcis in fermentato? Et an sit falsum Innocentium VIII. dispensasse, vt aliquæ nationes consecrarent sub specie tantùm panis, & id concessisse Norwegis? Et an Pontifex quotannis dispenset cum Cardinali celebraturo in nocte Natiuitatis Domini, vt possit non ieiunus celebrare; vel an pro illa nocte in eius Capella Pontifex anticipet diem naturalem? Et an Cardinalis sumens in Missa Papali Natiuitatis Domini Eucharistiam è manu Pontificis, possit antea dicere saltem duas Missas? Idem est dicendum de Canonico Basilicæ Diui Petri, qui in die Natiuitatis Domini cantat Euangelium, & sumit Eucharistiam à Sacerdote celebrante. Et an Pontifex, qui propter tremorem manus dextera non potest eleuare Calicẽ, nec frangere Hostiam, possit secum dispensare super his Ritibus, & cæremoniis? Et an habeat iustã causam dispensandi super hoc? Et an ad id teneatur? Et quæritur, & discutitur, an fractio, & mistio Hostiæ pertineat ad essentiam Sacrificij? Et an Pontifex cum aliis possit dispensare super dictis Ritibus? Et aduertitur Carthusienses non eleuare sacrum Calicem pro conseruatione suarum cæremoniarum. Et an sit obligatio celebrandi Missam saltem ter, vel quater in anno ex præcepto diuino? Ex p.8.tr.1.ex ref.23.44.89.22.& 87.& ex part. tr.3.ex ref.3. *Quæ nunc inuenientur* in tom.3.tr.1. de potestate Pontificis, ref.47.48.55.46.54.& 102.

An Cardinales gaudeant priuilegio in itinere celebrandi, vel sibi faciendi celebrare ante auroram, & post meridiem? Et supponitur Episcopos hoc gaudere priuilegio. Et quæritur, quibus priuilegiis gaudeant Cardinales quoad celebrationem Missæ in eorum Capellis? Et præmatur quod Feria sexta Parasceues nemini licitum sit sacrificare ob prohibitionem factam ab Innocentio I. Et deducitur, an officium illius diei fieri soliti à Sacerdote, extracto Sacramento è sepulchro, sit verè Sacrificium, & Missa dici possit? Et discutitur, an consumptio Eucharistiæ in Sacrificio Missæ pertineat ad essentiam Sacrificij Missæ, vel sit tantùm pars illius integralis? Et quæritur, an Cardinales tempore Conclauis inciderent in excommunicationem, si aliis diebus præter Feriam sextam Parasceues omitterent solitam Missam, & procederent ad scrutinium? Et an Cardinalis tempore Conclauis irretitus censura possit ante obtentam absolutionẽ ad vitandum scandalum celebrare? Idem est de Hæretico, & de Sacerdote, qui alium Sacerdotem interficit, & ne se prodat, & crimen eius fiat manifestum, celebrat. Et an in supradictis casibus, si tales non possint excitari ad perfectam contritionem, teneantur alia peccata, & etiã hæc reseruata confiteri, & absolutæ Confessor illos de illis directè, & de istis reseruatis indirectè? Ex p.5.tr.2.ex ref.77.& ex p.6.tr.8.ref.40.& in p.11. tr.2.ex ref.18. 30.31.& 32. *Quæ hic sunt in tom.3.* tr.7.de Cardinalibus, ref.48.49.111.123.124.& 125.

An Episcopus in aliena Diœcesi possit celebrare in Pontificalibus cum Baculo, & Mitra absque licentia Ordinarij? Idem est dicendum de locis exemptis intra propriam Diœcesim. Et notatur, quod quando Pontifex concedit Sacerdotibus certa Religionis, vt certo die dicant Missam de aliquo Sancto Beatificato, non possunt facere Octauã, nec in illa dicere Missam de dicto Sancto Beatificato. Ex p.3.tr.6.ex r.36.& in tr.5.ex r.9. *Quæ nunc inuenietur* in tom.3.tr.3.de potestate Episc.r.77.& 90.

An Episcopus suspensus à Pontificalibus incurrat irregularitatem, si Missam celebret cum apparatu Episcopali? Ex p.4. tract.2. ex ref.92. *Quæ hic reperitur* in tom.5.tr.5.de Irregularitate, ref.17.

An suspensus ab Officio confirmandi, & ordinandi, non ideo suspensus censeatur ab Officio consecrandi? Et an suspensus ab administratione Sacramentorũ, non suspendatur à celebratione Missarũ? Et an interdictus à Sacro faciendo possit Ordines maiores conferre, alio celebrante? Et an Sacerdos, qui in ordinatione tetigit Calicem, & non Patenam, possit pro Missis dicendis accipere stipendium consuetum, nisi denuò sub conditione ordinetur? Et an Diaconus, & Subdiaconus peccent mortaliter frequenter canentes Epistolam, & Euangelium in peccato mortali? Et quid si longo tempore tales actus in peccato mortali exerceãt, vel in aliquo speciali, & graui peccato existant? Et an Acolyti, qui solemniter cereos ferunt in peccato mortali, peccẽt mortaliter? Et an Concionatores prædicantes in peccato mortali, peccent mortaliter, etiã si peccatum sit occultum? Ex p.5.tr.10.ex ref.6.& aliàs 87.& in p.10.tr.16.ex ref.88.& in p.3.tr.4. ex r.134. 195.& 196.aliàs 195.196.& 197. *Quæ hic sunt infra* in tr.5.de Sacram.Ord. ref.11.25.26.118.119.& 120.

An possit Episcopus punire Sacerdotẽ, qui secluso scandalo, & secreto Missam priuatã dixit in Sabbato sancto?

Et

Et an si in illa die occurrat festum Annunciationis B. Virginis, sit necessaria licentia Episcopi pro celebratione Missarum in illa die? Et explanatur, quanam hora Missa in illa die dicenda sit, an antequam Missa solemnis illius diei incepta sit, possit dici? Et an nemini licitum sit Feria quinta in Cœna Domini post finitum Sacrificium solemne illius diei, & Sacramentū recondium priuatim celebrare, tametsi antea licitum sit? Et an Sacerdotes sumentes species Corporis, & Sanguinis Christi recipiant maiorem gratiam, quàm laici sumentes tantum Corpus Christi? Et notatur, quod si Sacerdos ponit obicem ad gratiam in susceptione Corporis, si iustificetur per contritionem ante sumptionem Sanguinis, recipiet gratiam. Et an si quis proximè ante medium noctis cœnauit in die Dominica incidenti in Vigilia Natiuitatis Domini, possit statim post medium noctis sacrificare? Et an omnes teneātur sub mortali abstinere se à cibo, & potu aliquo tempore post Missæ celebrationem, & Eucharistiæ sumptionem? Ex p.9.tr.7. res.24. & in p.5.tr.13. ex res.29.& in p.3.tr.4.ex r.44. *Quæ hîc sunt infra in proximo sequenti* tr.de Communione, res.46.35.& 86.

Nota, obsecro, quod infra in prædicto proximo tractatu seq. de Communione, sunt aliquæ curiosæ difficultates, aliquæ mistæ pro isto tract. de celebratione Missarum, & illo de sacra Communione, & aliquæ aliæ quæstiones pertinentes specialiter ad istum tract. tantum, quas omnes ibi reperies in res.1.32.33.34.35.38.45.46.54.55.56.74. 81.86.97.98.& 101.

Similiter nota, quod in tom.4. tr.1. de Altaribus priuilegiatis, *sunt quamplurimæ, & diuersæ quæstiones pro Missa celebranda, & modo celebrandi in prædictis Altaribus priuilegiatis, & aliæ singulares difficultates circa celebrationem Missæ pro aliis diuersis casibus specialibus & non mistis, quas omnes facillimè ibidem reperies, signanter* in res.4.5.6.& 7. & à res.15.vsque ad res.23.& in res.24. 25. 26. 33. 34. 35. 36. 37.38. & 39. *& non in aliis præcitati tractatus.*

Aduerte etiam, quod in tom.4.tr.2.de Orator.priuat. *totus est plenus difficultatibus, & quæstionibus pro Missa celebranda in Oratoriis priuatis Cardinalium, Episcoporū, Regularium, Nobilium, Sæcularium, Carcerum, &c. de licentia, & sine licentia Episcopi, & virtute Bullæ Cruciatæ, quas inuenies in Resolutionibus hîc assignatis, & non in aliis prædicti tractatus, videlicet* in res.1.3.4.5. 6. & à res.9. vsque ad res.18.& in res.20. 21. 22. 23. 25.27.28.31.34.37.38. 40.42.47.48. 49.52.54.& 55

Multa discutiuntur circa cultum Beatificatorum pro dicenda Missa, vel commemoratione facienda illorum in Missa. Ex p.4.tr.4.ex res.231. *Quæ nunc inuenientur* in tom.3.tr.6.de Horis Canonicis, res.91.

An si dicatur Missa pro diuersis rationibus, & concessionibus Indulgentiarum, possit Sacerdos cum vnica Missa duas, tres, quatuor, vel plures animas à pœnis Purgatorij eximere? Ex p.10.tr.16.ex res.14. *Quæ hîc reperietur* in tom.4.tr.5.de Indulgentiis, res.14.

An si Sacerdos mala fide in Ecclesia polluta celebret, remaneat consecrata? Et notatur Sacerdotem celebrantem in Ecclesia polluta ante reconciliationem non incurrere irregularitatem, imò nec suspensionem ab ingressu Ecclesiæ. Ex p.6.tr.6. ex res.28. *Quæ hîc est* in tom.9.tr.1.de Immunitate Ecclesiæ, res.139.

An non solum pro Catechumenis mortuis, sed etiam pro viuis possit Missa offerri? Ex p.5.tr.12. ex res.9. *Quæ nunc inuenietur* in tom.4.tr.5.de Indulgentiis, res.39.

An pro illo, qui mortuus est in duello cum signo contritionis, sed ex defectu Confessarij non fecit confessionem, & sepultus est tamen extra Ecclesiam, & non in loco sacro, possit quis offerre Missam? Et docetur, quod excommunicato non denunciato possit applicari Missa, si ostendat signa contritionis, aut si mortuus est in illis. Et quæritur etiam, an pro dictis excommunicatis toleratis liceat publicè orare, & sacrificia offerre? Et an si excommunicatus toleratus petat offerri pro se sacrificia communia, peccet? Et an pro excommunicato iam per contritionem iustificato liceat applicare sacrificium Missæ ante obtentam absolutionem? Et an Sacerdos possit orare pro excommunicatis in Memento Missæ, *etiamsi sint denunciati? Et docetur, quid facere debeat Sacerdos, si excommunicatus denunciatus intrat in Ecclesiam, dum Missa celebratur. Et an si quis celebret in Ecclesia à se interdicta, fiat irregularis? Et an excommunicatus excommunicatione minori, si celebret, incurrat irregularitatem, vel excommunicationem maiorem? Et an si laicus absoluat ab excommunicatione maiori morientem, quæritur an absolutio sit valida, ita vt pro eo quis possit facere Missas celebrare, & communia suffragia offerre?* Ex p.4.tr.4.ex res.192. & ex p.5.tr.9.ex res.74.76.& 77. & in p.3.tr.4. ex res.132. aliàs 133.& in p.5.tr.9.ex res.92.52.3.& 7. & in p.3. tr.4.iterum ex res.132. aliàs 133. *Quæ nunc inuenientur* in tom.5.tr.1.de Excommunicatione, res.66.137. 139.140.211.136.2.182.210.& iterum 211.

An sit peccatum mortale dicere Missam tempore interdicti, omissa vna circumstantia ex requisitis in cap. Alma mater, *vt v.g. facere sacrum apertis ianuis, &c. Et an prohibitus celebrare in loco delicti, possit celebrare, v.g. in Ecclesia PP. Capucinorum, vel Carmelitarum prope Vrbem existente? Et an licitum sit celebrare coram personis interdictis? Sed difficultas est, si persona interdicta expelli non possit, quid est faciendum? Et an deficiente Clerico tempore interdicti, possit Sacerdos accipere laicum ad seruiendum Missæ? Et an in dicto casu possit celebrare cum duobus Ministris laicis? Et an interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit in Cœmeterio Missam celebrare? Et an interdictus ab ingressu Ecclesiæ, si in ea celebret, fiat irregularis?* Ex p.5.tr.10. res.66.65. 88. & 76. aliàs 65. 64.87. & 75. & ex p.4. tr.4. ex res.123.& in p.10.tr.13.ex res.2. *Quæ hîc reperientur* in tom.5.tr.4.de Interdicto, res.5.7.8.18.6.& 15.

An Episcopus possit præcipere Clerico peregrinaturo sub pœna suspensionis, ne dicat Sacrum in itinere, & peregrinatione per aliam Diœcesim? Ex p.3.tr.5.ex res.74. *Quæ hîc est* in tom.5.tr.1.de Excommunicatione, res.99.

An qui suscepit Ordinem sacrum ante legitimam ætatem, vel sine dimissoriis, vel extra tempora, incidat in suspensionem, & si celebret, incurrat irregularitatem? Et an ad incurrendam hanc suspensionem, & irregularitatem requiratur dolus, vel saltem culpa lata, & mortalis, ita vt ignorantia etiam crassa, si affectata non sit, à suspensione & irregularitate excuset? Et an qui ita tamen ordinatus est cum dolo, si tamen postea, facta pœnitentia, celebret credens id sibi licere sine dispensatione, incurrat irregularitatem? Et notatur recipientem ordinem ante legitimam ætatem posse celebrare, illa completa, sine alia dispensatione. Ex p.3.tr.4. ex res.191. & 181. aliàs 192. & 182.& in p.5.tr.10.ex res.32.& 34. *Quæ nunc inuenientur* tom.5.tr.3.de suspensione, res.39.41.40.& 43

An suspensus ex ordinatione ante legitimam ætatem, si canat Epistolam, vel Euangelium in eadem Missa, incurrat irregularitatem? Et notatur, quod Sacerdos in ordinatione incurrens hanc suspensionem non fit irregularis consecrando simul cum ordinante. Et quæritur etiam, an laicus celebrans Missam incurrat irregularitatem? Et an Clericus excommunicatus incurrat irregularitatem, si faciat coram se celebrari? Et an Clericus sodomita sit suspensus, & si celebret, incurrat irregularitatem? Et an, etsi peccatum occultum communiter irregularitatem non pariat lege Canonum, ab hac tamen lege excipiatur homicidium, & peccata, quibus est annexa excommunicatio, & censura; nam si in illa celebratur, incurritur irregularitas, & si hæc celebratio occultè fiat à suspenso, vel excommunicato. Et an prohibitum sit Inquisitori Generali Hispaniarum, vt non possit cum Hæreticis

pœnitentibus dispensare, vt Missam celebrent? Ex p.5. tr.10. ex ref.37. & in p.4.tr.2. ex ref.77. & 57. & in p.2.tr.17.ex ref.69.& in p.7.tr.11.ex ref.48.& in p.4. tr.2.ex ref.48. *Quæ hic reperiuntur* in tom.5. tr.5.de Irregularitate, ref.18.22.31.37.137.& 150.

De laicis, & Ecclesiasticis non Sacerdotibus Missam celebrantibus; & an supradicti abiurare debeant de leui, & de aliis pœnis, quibus supradicti puniendi sunt, agitur. Et an ad violationem Bullarum Greg. XIII. & Clem.VIII. & Vrbani VIII. super hoc, sufficiat vnam Missam semel celebrare? Et an si Sacerdos non consecret panem, aut vinum ex eo, quod sit in peccato mortali, &c. vt in §.vltimo huius Resolutionis casus rarus, & granis explanatur? Ex p.4.tr.7.ex r.12. *Quæ hic est* in tom.5.tr.12.de pœnis S.Inquisitionis,ref.etiam 12.

An sit simonia recipere aliquid pro labore externo, v.g. iter agere vnius leucæ ad dicendum Sacrum, expectare quotidie per horam, vel aliud tempus ad celebrandum, &c. Ex p.11. tr.6.ex ref.34. *Quæ nunc inuenietur* in tom.5.tr.7.de simonia, ref.15.

An Religiosus, qui celebrat aliquas Missas ad intentionem alicuius amici, sciens dictum amicum stipendium pro illis accipere, peccet contra paupertatem, & includatur in Bulla Clem. VIII. Et an qui in ludo lucratus est lectionem aliquarum Missarum, possit pro illis accipere stipendium; vel ille, qui perdidit, teneatur recipere tale stipendium, & soluere, &c. Ex p.1.tr.6.ex ref.9.& in p.9.tr.6.ex ref.24. aliàs 25. *Quæ nunc inuenientur* in tom.7.tr.3.de paupertate Religiosa,ref.7.& 61

An Superiores Regularium, qui non legunt Decreta Vrbani VIII.de celebratione Missarum temporibus statutis, sed post aliquos dies, incidant in pœnas? Et an Regulares in Missis Festorum, quæ Episcopus præcipit seruare in sua Diœcesi, debeant permutare Ritum suarum Religionum? Sed aduertitur, quod in Concionibus & Lectionibus, quas iidem Regulares ad populum in prædictis diebus habuerint, debent sese conformare Euangeliis, & Epistolis, quibus Clerici seculares vtuntur illis festiuis diebus. Et an priuilegia Mendicantium sint reuocata per Concilium Tridentinum quoad celebrandum tempore interdicti? Ex p.5.tr.14.ex ref.15.& in p.3.tr.2.ex ref.108. & 133. *Quæ hic reperientur* in tom.7.tr.1. de Regularibus,ref.18.34.& 125

Quomodo se gerere debeat Episcopus consecratus, qui in celebratione Missæ suæ consecrationis Hostiam simul,& Calicem consecrat cum celebrante? Et an sit laudabilis talis consuetudo; quod idem est de Sacerdotibus in prima Missa concelebrantibus. Et notatur, quod hic casus olim contingebat in Summo Pontifice, quo solemniter celebrante, Presbyteri Cardinales olim concelebrabant; & idem seruabatur in Sacerdotibus, qui Episcopo rem diuinam solemniter facienti assistebant; sed neuter casus est in vsu. Et obiicitur de iure diuino esse, vt qui consecrat, simul sumat quæ consecrat; ergo si omnes concelebrantes vtramque Speciem consecrarunt, omnes debent vtramque Speciem sumere, neque in hoc Ecclesia potest dispensare. Et an in supradictis casibus, si Episcopus celebrans Missam, illam quatenus satisfactoriam offerat pro anima Petri, alius verò concelebrans pro anima Pauli, & alius pro anima Antonij, &c.cuinam harum trium animarum re ipsa proderit? Et an concelebrantes cum Episcopo integrum fructum illius Sacrificij ex opere operato referant? Et si Episcopus consecretur, & Sacerdotes ordinentur in die Natiuitatis Domini, post sumptam communionem, & facta consecratione cum Episcopo celebrante, an possit postea quilibet eorum dicere duas Missas? Et an sola consecratio Episcopi, vel etiamsi tantum sit electus, & confirmatus, tribuat ei priuilegium cap.fin. de priuileg.in 6. *Altaris portatilis?* Ex part.12. tr.1. ex ref.89. 90.91. 92.94. & 102. *Quæ hic reperientur* in tom.4. tr.8. de consecratione Episcopi,ref.etiam 89.90.91.92.94.& 102.

Aduertitur, quod Ecclesia non violatur, quamuis excommunicatus non toleratus celebret in ea, nec Altare, & paramenta sacra polluuntur per vsum talium excommunicatorum. Etiamque notatur, quod excusatur à peccato Sacerdos celebrans in Ecclesia polluta, quamuis pollutio contigerit post cœptum Canonem; imò tenetur Missam prosequi. Idem est, si excommunicatus denunciatus intret in Ecclesiam in eodem tempore, & non vult egredi. Et tandem docetur, posse celebrari in Ecclesia polluta ad dandum Viaticum moribundo; & seruare in ea Eucharistiam pro infirmis. Ex p.11.tr.8. ex ref.22. & 23. *Quæ nunc inuenientur* in tom.9.tr.2. de immunitate Ecclesiæ, ref.131.& 144.

An aliquando in aliquo casu, vrgente necessitate, quis excommunicatus possit celebrare absque prauia confessione, vel contritione? Et pro praxi huius quæstionis hoc curiosum casum in textu huius Resolutionis? Ex p.12. tract.12.ex ref.16.§.vlt. *Quæ hic reperietur* in tom.1. tr.3.de Pœnitentia, ref.176

Aduerte, quod in prædicto tom.1. & tr.3.de Pœnitentia *sunt quamplurimæ difficultates, & Resolutiones pro diuersis casibus, qui occurrere possunt, vt in illis Sacerdos possit celebrare, si est in peccato, absque prauia confessione, & qui contingere etiam possunt in ipsamet celebratione, & in quibus etiam discutitur, an Sacerdos teneatur, vel non teneatur postea post celebrationem,* quamprimùm confiteri, &c. quos casus in *prædicto tractatu consequentiuos inuenies,* pariterque ref.140.vsque ad ref.190. inclusiuè, & in tr.3.præcitati tom.1.ref.33

An sit licitum sequi vnum horologium quoad ieiunium Ecclesiasticum, & alterum quoad ieiunium naturale pro Missarum celebratione, in ipsamet media nocte? Et cursim docetur, quod potest homo speciebus Sacramentalibus sumptis per totam vitam sustentari? Ex p.10. tr.15.ex ref.29.& in p.11. tr.6.ex ref.35. *Quæ hic sunt* in tom.4.tr.6.de Ieiunio,ref.101.& 94

An Sacerdos, qui ex confessione sibi facta cognouit in vino, in quo facturus est Sacrum, esse mistum venenum, & non potest aut omittere Sacrum, aut petere aliud vinum sine suspicione reuelatæ confessionis, teneatur vinum sic mistum sumere, & Deo se commendare, & hoc etiam quamuis Sacerdos esset in mortali statu, & non possit confiteri, quia tunc debet prouidere sibi omni meliori modo, quo possit de contritione? Ex p.5. tr.11. ex ref.46. *Quæ nunc inuenietur* in tom.1. tr.6. de sigillo Confessionis, ref.23

An si quis Sacerdotem inuadat stantem in Altari, & Diuina celebrantem, an Sacerdos possit intermittere Sacrum, & se defendere, & si cum moderamine inculpatæ defendentem occidat, Missam perficere licitum sit? Ex p.5.tr.4.ex ref.1. *Quæ hic reperietur* in tom.8.tr.5.de Homicidio, ref. etiam 1.

An absoluendus sit Sacerdos sub conditione, qui inchoata Missa post introitum, voce amissa, cadens ad interitum rueret? Ex p.3.tr.3.ex ref.2.*Quæ hic est* in tom.1. tr.4.de Absolutione sacramentali,ref.56

An si ex permissione Diuina anima Patris defuncti filij appareat, rogetque Missarum sacrificia pro se offerri, an, inquam, filius teneatur sub mortali ad prædictas Missas? Ex p.9.tr.9.ex ref.61.aliàs 60.*Quæ nunc inuenietur* in tom.8.tr.10.ref.12

An hæres constitutus in graui necessitate excusetur a solutione Legati pro Missis celebrandis pro animabus Purgatorij? Et an eleemosyna largienda pauperibus possit applicari pro Missis celebrandis ad subleuamina animas Purgatorij? Et an Beneficiarius omittens horas Canonicas, satisfaciat si eleemosynam non distribuat pauperibus, sed celebret Missas pro animabus Purgatorij? Ex part.7.tr.10.ex ref.14. *Quæ hic est in* tom.6.tr.8.de Testamentis, ref.58

TRACTA

TRACTATVS II.

De præcepto Diuino, & Ecclesiastico Sacræ Communionis; atque de cæteris aliis quotidianis Communionibus, & etiam pro articulo mortis. p.155

1. AN Sacramentum Eucharistiæ sit necessarium necessitate medij ad salutem, itavt detur præceptum diuinum positiuum sumendi hoc Sacramentum? Ex quo infertur primò, præceptum diuinum Eucharistiæ sumendæ obligare in articulo mortis, etiamsi mors sit violenta, & authoritate iudicis inflicta? ¶ Secundò, in reliqua vita toties quoties tali remedio opus est ad perseuerandum in statu gratiæ? Tertiò, quando quis prudenter putat se non amplius habiturum commoditatem in tota vita Eucharistiam sumendi? Et obiter notatur, non esse licitum consecrare in materia dubia? Ex part.3. tr.6.& Misc.2.res.95.ibid.

2. *An si non adesset præceptum sumendi Eucharistiam, potuisset quis saluari, si non haberet propositum illam recipiendi?* Ex p.5.tr.13.& Misc.1.res.28.p.156

3. *An Hæretici teneantur præcepto communicandi singuli anni, contento in* cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. *Et cursim docetur, omnes fideles baptizatos comprehensos esse in præcepto dicti cap. & tantum excludi ab ipso Infideles?* Ex p.10. tr.16. & Misc.6.res.33. aliàs 32.ibid.

4. *An præceptum sumendi Eucharistiam obliget Infideles? Et quid de præcepto confessionis? Et an verò Hæretici obligentur præcepto confitendi singulis annis?* Ex p.8.tr.7.& Misc.res.81.p.157

5. *An pueri tempore, quo sunt capaces recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, sint etiam capaces recipiendi Sacramentum Eucharistiæ? Et cursim docetur, quod pueri non obligantur ad Communionem vsque ad 12. annum? Sed infertur peccare Parentes puerorum, & Confessarios non sinentes illos communicare statim ac peccare norunt? Et docetur, quod pueri non communicantes in Paschate, nec excommunicatione, nec pœnis canonicis ligantur vsque ad 14. annum?* Ex part. 3. tract.6.& Misc.2.res.70.ibid.

6. *An pueri tempore, quo sunt capaces recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, sint etiam capaces recipiendi Eucharistiam? Et obiter docetur ad lucrandum Iubilæum pueros, qui possunt confiteri, esse etiam ad Sacramentum Eucharistiæ admittendos.* Ex p.3. tract. addit. res.19.p.158

7. *An si ex incuria Sacerdotis, dum alios communicat, porrigeret Eucharistiam infanti genuflexo non habenti vsum rationis, reciperet gratiam? Et resolutio huius quæstionis pendet ex illa, an infantes ante vsum rationis sint capaces fructus spiritualis, quem Eucharistia ex opere operato confert? Et an antiquius fuerit consuetudo in Ecclesia in variis Prouinciis conferendi Eucharistiam infantibus? Et an si puer, aut amens nunquam doli capaces inueniant casu Eucharistiam, & comedant, accipiant gratiam, licèt non sint capaces manducationis sacramentalis?* Ex p.10.tr.11.& Misc.1.res.18.ibid.

8. *An qui præuidet impedimentum futurum, vt in tempore Paschatis Eucharistiam accipere non possit, teneatur præuenire tempus, & illam sumere? Et an ita præueniens, non sequuto impedimento tempore ab Ecclesia constituto, teneatur iterum communicare? Et asseritur, quod qui præuidit se in Paschate à communione impediendum iri, non tenetur tempus præscriptum præuenire, dummodo intra eum annum semel communicauerit?* Ex p.3.tr.4.res.42.p.159

9. *An qui indignè in Paschate sumpsit Eucharistiam, incurrat in excommunicationem latam ab Ordinario contra transgressores præcepti Communionis?* Ex p.3. tract.addit.res.14.p.160

10. *An si quis in Paschate Eucharistiam non sumpsit, teneatur postea* quamprimùm *communicare?* Ex p.3. tr.4.res.41.ibid.

11. *An qui in Paschate non communicauit, teneatur statim initio sequentis anni Eucharistiam sumere?* Ex p.5.tr.13.& Misc.1.res.3.ibid.

12. *An qui in Paschate communicauit indignè, satisfaciat præcepto Ecclesiæ? Et an teneatur statim agere pœnitentiam, & iterum communicare?* Ex p.3. tr.4. res.43.p.161

13. *An præceptum annuæ Communionis adimpleatur per sumptionem indignam Eucharistiæ? Ex quo infertur, quod qui indigne communicaret, non incurreret pœnas, vel censuras Ecclesiasticas, quæ contra transgressores huius legis imponerentur. Et an præuidens te impediendum esse à Communione tempore Paschali, tenearis Communionem præuenire? Et quid si post Dominicam Resurrectionis credis impediendum esse à Communione, an obligeris Hebdomada Sancta communicare? Et an si alicubi (vt est in Hispania,) adsit priuilegium implendi præceptum annuæ Communionis per totam Quadragesimam, teneatur quis in illo tempore sumere Eucharistiam, si præuideat non posse illam sumere tempore Paschali?* Ex part.11.tract.7.& Misc.7. res.29.ibid.

14. *An excommunicati, suspensi, & interdicti excusentur à præcepto annuæ Communionis? Et an si possint absolui, & nolint absolui eo fine, vt non communicent in Paschate, peccent contra præceptum? Et an qui sumeret Eucharistiam vno, aut altero die ante, aut post quindecim dies Paschales designatos pro adimpletione præcepti, adhuc satisfaciat præcepto? Et an qui non communicauit in illis quindecim diebus assignatis ab Ecclesia pro adimplendo præcepto annuæ Communionis, teneatur amplius communicare? Vel an elapso anno, teneatur etiam sub præcepto communicare? Et an si quis communicauit ex deuotione in Natali Domini, & postea transgressus est præceptum in Paschate, an possit expectare vsque ad sequens Natale, in quo annum complet? Et quid, si non communicauit à Ianuario vsque ad Pascha? Et quid si communicauit post Ianuarium ante Pascha?* Ex part.11. tract.7. & Misc.7. res.14.p.162

15. *An si quis in Paschate sumat Eucharistiam in Ecclesia Cathedrali, satisfaciat præcepto?* Ex p. 9. tr.9. & Misc.4.res.65. aliàs 64.p.163.

16. *Quidam conuersus, seu laicus Religiosus sumpsit tempore Paschali Eucharistiam à Sacerdote suæ Religionis simul cum ipso commorante in viridario eiusdem Religionis, quæsierunt an satisfaceret præcepto annuæ Communionis? Quod est quærere, an Regulares qui communicant more laico, teneantur vt impleant præceptum Paschalis Communionis, illam sumere de manu proprij Prælati, cum ipse sit proprius Sacerdos ipsorum? Et docetur Regulares posse ministrare Eucharistiam pro præcepto Ecclesiæ aduenis, & peregrinis, qui nullum domicilium habent. Item operariis, qui conuentionem faciunt per aliquod tempus ad laborandum in Conuentu, & Parochia carent. Item seruis, & famulis, & famulo non soluto possunt ministrare Eucharistiam tempore Paschali pro adimpletione præcepti, & in articulo mortis Viaticum, Extremam-Vnctionem, & sepulturam. Sed difficultas est, an sæculares communicantes tempore Paschatis in Ecclesia Cathedrali, satisfaciant præcepto. Et notatur, quod Religiosi possunt ex priuilegiis ministrare*

nistrare Eucharistiam extra tempus Paschale, & sumendi Viaticum, & possunt dare Viaticum, quando non potest expectari Parochus, aut consensus eius, & in dicto casu datur regula ad hoc magis securè faciendum. Et tandem firmatur, quod tacita licentia, & ratihabitio Parochi, etiamsi sit de futuro, sufficit ad validè, & licitè ministrandam Sacram Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem; secus de matrimonio, & confessione. Ex p.11.tr.7.& Misc.7.ref.28.p.164

17. *An Regulares ex priuilegio possint ministrare laïcis Eucharistiam pro adimplendo præcepto annuæ Communionis? Et quid pro aduenis, & peregrinis?* Ex p.11.tr.7. & Misc.7.ref.4.p.165

18. *Referuntur aliquæ opiniones circa Regulares in ordine ad administrandam Eucharistiam sæcularibus tempore Paschatis, & in articulo mortis, & etiam familiaribus, & seruitoribus actualiter sibi seruientibus, & intra Monasterium commorantibus, & etiam extra Monasterium degentibus?* Ex p.11. tract.2. & Misc.2.ref.16.p.166

19. *An Sacerdos Regularis tempore Paschali posit ministrare Eucharistiam sæcularibus, vt adimpleant præceptum Ecclesiasticum annuæ Communionis?* Ex p.2. tr.14.ref.73.p.168

20. *An sæculares satisfaciant præcepto Communionis Paschalis, si sumant Eucharistiam in Ecclesiis Regularium? Et explanatur, priuilegia Regularium non interire per non vsum, nisi post centum annos?* Ex p.6. tr.7.& Misc.2.ref.58.ibid.

21. *An Regulares virtute suorum priuilegiorum possint ministrare Eucharistiam vagis, aduenis, & peregrinis in die Paschatis ad implendum præceptum annuæ communionis? Vel an teneantur supradicti confluere ad Ecclesiam cathedralem, & Matricem pro adimplendo præcepto communionis? Et notatur, quod seruis, & domesticis intra conuentum degentibus in morte, & in die Paschatis possunt Religiosi ministrare Eucharistiam, Extremam-Vnctionem, & Confessionem. Et idem dicendum est de famulo coniugato, qui nocte dormit extra conuentum, an si intra conuentum sit in articulo mortis, possit illi dari Extrema-Vnctio, secus verò si moritur extra conuentum. Etiamque aduertitur, quod Religiosus, qui cum licentia certò præsumpta, & moraliter certa Parochi alieni ministrat Eucharistiam in articulo mortis, & in die Paschatis, non peccat, nec incurrit censuram.* Ex p.3.tr.2.ref.12.p.170

22. *An Regulares possint sine incursione censurarum ministrare Eucharistiam in die Paschatis ad implendum præceptum Equitibus Ierosolymitanis, D.Iacobi, Alcantaræ, Calatranæ, &c. Et cursim infertur idem dicendum esse de Sacramento Extremæ-Vnctionis. Et supponitur non licere sub pœna excommunicationis Papalis Regularibus iure communi administrare Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem sine licentia Parochi. Possunt tamen ministrare Eucharistiam extraneis Religiosis, etiam tempore Paschatis ad impletionem præcepti Communionis, quando absunt à loco, vbi sunt eorum Prælati. Et docetur Equites Ierosolymitanos esse verè Religiosos, & posse confiteri cum Confessario non approbato ab Episcopo. Et quid de aliis Equitibus D.Iacobi, Alcantaræ, Calatranæ, &c. Et notatur Regulares sine incursione censuræ posse in multis casibus præbere sæcularibus Eucharistiam pro adimplendo præcepto tempore Paschatis; & in corpore huius Resolutionis assignantur quinque casus pro praxi huius quæstionis. Et etiam quæritur, an Parocho deficiente, aut nolente per se Eucharistiam ministrare, nec licentiam concedere, possint Religiosi illam sæcularibus porrigere ad implendum annuæ Communionis præceptum. Et aduertitur posse Regulares ministrare Eucharistiam tempore Paschatis suis familiaribus. Et quæritur, an hoc priuilegium extendendum sit ad famulos coniugatos dormientes noctu extra Monasterium? Et notatur Regulares posse hospitibus sæcularibus, si in eorum Monasterio infirmentur ad mortem, ministrare sacrum Viaticum, Extremam-Vnctionem, & sepulturam in suis Ecclesiis absque licentia Parochi, & ex pluribus Pontificum priuilegiis.* Ex p.10.tr.11.& Misc.1.ref.31.ibid.

23. *An Episcopus possit prohibere Regularibus, ne ministrent Sacramentum Eucharistiæ in die Paschatis? Et notatur per diem festum Paschalis Resurrectionis Dominicæ non intelligi solum diem Paschatis, sed totum tempus, quo currit præceptum Ecclesiasticum annuæ Communionis. Et an fuerit vsu receptum priuilegium Regularibus concessum, vt possint ministrare sæcularibus Eucharistiam, vt impleant præceptum Communionis? Et notatur, quod Iesuitæ habent amplissima priuilegia circa Confessionem, & Prædicationem, sed contra sim aduertitur stylum Curiæ esse contrarium.* Ex p. tr.9.& Misc.4.ref.27.p.171

24. *An si quis sumpserit Viaticum, v.g. Feria secunda Hebdomadæ Sanctæ, si postea non moriatur extra tempus Paschale, vel conualescat, teneatur iterum Eucharistiam sumere ad satisfaciendum præcepto annuæ Communionis? Et quid si in prædicto casu, vna die an Dominicam Palmarum talis infirmus sumpserit Viaticum, an detur paruitas materiæ in isto casu, itaut ille Communione satisfaciat etiam præcepto Paschalis Communionis? Et infertur, quod si Petro in pœnitentiam iniungeretur, vt intra quindecim dies communicaret, & alias vouisset, ac simul præcepisset Prælatus intra eosdem Communionem facere, & si cum eisdem concurrerit dies Paschalis Communionis, tenebitur ad quadruplicem Communionem faciendam intra illos quindecim dies; nam cum vnica Communione illis obligationibus satisfacere non potest. Sed cursim docetur, quo vno, atque eodem actu potest quis satisfacere pluribus præceptis.* Ex p.10.tr.11.& Misc.1.ref.39.p.173

25. *An Sacerdos, qui ministrat aliis cum peccato mortali in Missa, vel extra Missam Sacram Eucharistiam, peccet mortaliter?* Ex p.2.tr.14.ref.13.ibid.

26. *An qui ministrat Eucharistiam in peccato mortali, peccet mortaliter?* Ex p.3.tr.addit.ref.5.p.174

27. *Quidam Sacerdos Capellanus cuiusdam Parochi existens in peccato mortali ministrauit per multos menses ægrotis Sacram Eucharistiam: quæritur an reus in tali administratione peccauerit mortaliter?* Ex p. tr.17.& Misc.3.ref.13.ibid.

28. *An qui ministrat Eucharistiam peccatori, peccat duplici peccato?* Ex p.4.tr.4.& Misc.ref.103.ibid.

29. *An in dubio, vtrum peccator sit publicus, vel occultus, danda sit ei Eucharistia?* Ex p.4.tr.3.ref.4.ibid.

30. *An si Sacerdos sciat ex confessione aliquod delictum alicuius non emendatum, si occultè petat Eucharistiam, sit illi deneganda? Et deducitur, quod Sigillum Confessionis ita obligat, vt finita ea, neque cum ipso pœnitente possimus amplius de illa loqui, nisi de speciali licentia illius; & non solum loqui, sed neque etiam vultu, aut factis exprobrare peccata illius possimus.* Ex p.3.tr.4.ref.46.ibid.

31. *An liceat ministrare peccatori scienti, & petenti sibi dari Hostiam non consecratam ad sacrilegium spiritus, & graue damnum vitandum? Et an debeat in tali casu proponere Hostiam consecratam adorandam, & à tergo post illam non consecratam, ita vt Hostia non consecrata nec videatur, nec adoretur; vel possit Sacerdos saltem simulare se Eucharistiam in os illius immittere, licèt ad hoc facere non teneatur?* Ex part. tr.4.& Misc.ref.47.p.175

32. *An possit aliquis ita accedere ad Eucharistiam, vt non accipiat gratiam, neque peccatum committat? Et videtur, quod quamuis hoc Sacramentum per se primo non sit institutum à Christo ad conferendam primam gratiam, sed ad conferendum augmentum illius, tamen in dubio*

duobus casibus illam conferre, & peccatum mortale remittere, ac dolere potest. Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. res. 98. ibid.

33. *Quando communicanti confertur gratia sacramentalis? Et pro praxi huius quæstionis proponuntur diversi casus in textu huius Resolutionis. Et notatur Eucharistiam non causare gratiam toto tempore, quo est in stomacho, sicut nec toto tempore manducationis? Etiamque aduertitur, nullo modo aliquem recipere maiorem gratiam, quia sumit maiores, aut plures Hostias.* Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. res. 96. p. 176

34. *An detur maior gratia sumenti duas species, quàm sumenti vnam?* Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. res. 97. ibid.

35. *An Sacerdotes sumentes speciem corporis, & sanguinis Christi, recipiant maiorem gratiam quàm laici sumentes tantum corpus Christi? Et an si accidat, quod Sacerdos ponat obicem in sumptione corporis Christi, si ante sumptionem sanguinis redditur in gratia, ex sumptione sanguinis recipiat gratiam?* Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. res. 29. p. 177

36. *De communione quotidiana? Et notatur non esse Definitum iure Diuino positiuo, an sæpius vno die liceat communicare; sed tantum Ecclesia prohibet Communionem iterari eodem die?* Ex p. 11. tr. 7. & Misc. 7. res. 15. ibid.

37. *An Eucharistia possit sumi quacunque hora diei?* Ex p. 11. tr. 7. & Misc. 7. res. 22. p. 179

38. *An Sacerdos existens in peccato mortali possit sine peccato mortali sumere Eucharistiam, ne perueniat in manus Hæreticorum, non tamen sumendo illam, sicut sumunt fideles, nempe communicando, sed solummodo abscondendo, ac si in aliquo foramine reconderet? Et notatur, quod si periculum sit, vt Eucharistia perueniat, vel malè tractetur ab Hæreticis, vel Infidelibus, possit sumi à non ieiuno, etiam laico, si Sacerdos desit? Et an etiam, præsente Sacerdote, possit laicus in tali casu illam accipere?* Ex part. 11. tr. 6. & Misc. 6. res. 2. ibid.

39. *An Sacerdos extra casum necessitatis possit pro deuotione tantum, si non adsit alius Sacerdos, administrare sibi Eucharistiam, secluso scandalo? Idem est dicendum de Diacono, si non adsit Sacerdos, vel alius Diaconus, qui illi ministrent Eucharistiam ex deuotione. Et in predicto primo casu, præsente Diacono, an debeat Sacerdos potius Eucharistiam sumere ex manibus Diaconi, quam ex propriis?* Ex p. 11. tr. 7. & Misc. 7. r. 42. p. 181

40. *An Sacerdos possit communicare seipsum extra Missam? Et an hoc non solum in casu necessitatis, sed etiam deuotionis causa? Et in talibus, si adsit Diaconus, an possit Sacerdos communicare se ex eo, quod Sacerdos debet propriis manibus se ipsum communicare, quando Diaconus illi Sacramentum defert tempore morbi?* Ex p. 2. tr. 14. res. 53. p. 182

41. *An dictus Sacerdos in tali casu possit se communicare qualibet hora diei post meridiem?* Ex p. 2. tr. 14. res. 54. ibid.

42. *An Sacerdos corpus Christi ab alio Ministro pro deuotione, seu in die Parasceues sumens debeat stolam Ecclesiastico præcepto adhibere*, cap. Eccles. distinct. 23. *Et an huiusmodi Decretum sit vsu abrogatum?* Ex p. 2. tr. 14. res. 20. ibid.

43. *An recipiens Eucharistiam contra præceptum aliquod humanum committat duo peccata, vnum contra prohibitionem illam, alterum quia communicat indigne? Et an hæc circunstantia sit explicanda in confessione? Et deducitur, an dupliciter peccet, qui se ingurgitat, quo tempore erat indictum ieiunium; nam & temperantiam, & Ecclesiasticam ieiunij legem violat?* Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. res. 62. ibid.

44. *An qui accedit ad communionem cum distractione voluntaria, aut cum affectu alicuius peccati venialis, communicando peccet venialiter?* Ex p. 3. tr. 4. r. 31. p. 183

45. *An quis possit in die Veneris Sanctæ communicare? Et notatur licere indiscriminatim omnibus Sacerdotibus in die Sabbathi Sancti priuatim celebrare, & qui voluerit in dicta die Missam celebrare, & ante solemnem, poterit Missam Sancti in ea die contingentis, aut votiuam aliquam celebrare?* Ex p. 4. tr. 4. & Misc. res. 237. ibid.

46. *Quidam Episcopus volebat punire Parochum, qui ministrauit Eucharistiam aliquibus in die Veneris Sanctæ, quæsiuit à me Amistes ille, quid sentirem? Et quæritur, an sit licita administratio Eucharistiæ in die Parasceues, secluso scandalo? Et notatur, non posse Episcopum punire Sacerdotem, qui secluso scandalo, & secretò Missam priuatam dixit in Sabbatho Sancto. Et an sit licitum in illa die celebrare, & in tali casu non sit necessaria licentia Episcopi, & quanam hora dicendæ sit? Et an nemini licitum sit Feria quinta in Cœna Domini post finitum Sacrificium solemne illius diei, & Sacramentum reconditum priuatim celebrare, tametsi antea licitum sit? Et infertur, quod si in Sabbatho Sancto acciderit Festum Annunciationis B. Virginis, possit Episcopus ordinare, vt in singulis Ecclesiis Missæ celebrentur.* Ex p. 9. tr. 7. & Misc. 2. res. 24. p. 184

47. *An laici in Missa Natiuitatis Domini, quæ post mediam noctem canitur, vel in aliis, quæ statim postea dicuntur, possint Sacram Eucharistiam sumere? Et cursim docetur sacram Communionem posse recipi qualibet hora diei, etiam post meridiem. Et aduertitur Regulares ex priuilegio celebrando fermè tribus horis ante auroram, posse tunc in suis Missis, si velint, licitè laicis Sacram Eucharistiam ministrare.* Ex part. 9. tr. 7. & Misc. 2. res. 43. p. 185

48. *An si quis post pollutionem voluntariam, vel fornicationem postea confiteatur, peccet tamen venialiter sumendo Eucharistiam intra vnum diem sine aliqua iusta causa? Et an sit peccatum accedere ad recipiendum Sacramentum Eucharistiæ ante diem integrum post quodcumque peccatum mortale, etiamsi homo sit de illo contritus, & confessus?* Ex p. 3. tr. 4. res. 30. ibid.

49. *An post pollutionem voluntariam, si eodem die pœnitens confiteatur, faciat contra consilium Rubricæ Missalis sumendo Eucharistiam, & peccet venialiter?* Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. res. 65. p. 186

50. *Vtrum sit licitum coniugatis die habitæ copulæ Eucharistiam sumere, vel sit minus, vel magis expediens? Et docetur ex Sancio, quod habenti pollutionem nocturnam non est consulendum abstinere ab Eucharistia suscipienda, præsertim si causa non fuisset voluntaria, imò etiamsi fuisset voluntaria, vel fornicationem aliquis noctu commisisset, & ab ea confiteretur. Etiamque infertur inualidum esse votum de non communicando die habitæ copulæ. Et an supposito, quod quis nolit curare distractionem expellere, non sit sanum consilium non communicare?* Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 7. res. 71. ibid.

51. *An sit culpa venialis eodem die Communionis ad vxorem accedere voluptatis causa? Et an sit culpa venialis accedere ad Eucharistiam post pollutionem, aut copulam carnalem, quam aliquis absque peccato mortali passus fuerit, vel habuerit? Et an saltem sit peccatum veniale accipere Eucharistiam absque alia iusta causa post pollutionem voluntariam, aut fornicationem noctis præcedentis, etiam confessione præmissa? Et quid si adest menstruum, aut lepra?* Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. res. 34. aliàs 33. p. 187

52. *An post susceptam Eucharistiam in eadem die sit peccatum veniale petere debitum causa captandæ voluptatis? Et an sit eadem ratio de copula habita ante sumptionem Eucharistiæ?* Ex p. 6. tr. 6. & Misc. 1. res. 14. p. 188

53. *An Sacerdos Chiragra impeditus possit ministrare Eucharistiam non pollice & indice, sed aliis digitis? Et de aliis dubiis circa ministrationem Eucharistiæ agitur. Primò, an Sacerdos ministrans Eucharistiam extra Missam*

ſam omittendo cæremonias, vt luminis accenſi, confeſſionis generalis, abſolutionis venialium, &c. peccet moraliter, ſi abſque vlla cauſa illas cæremonias omittat? Secundò, an Sacerdos poſſit deferre Euchariſtiam moribundo valde feſtinanter currendo? Tertiò, an Sacerdos poſſit vehi equo ad præbendum Viaticum moribundo longè diſtanti, & in hoc caſu aliqua aduertuntur, quæ contingere poſſunt in praxi? Et infertur, an Sacerdos non ieiunus poſſit Miſſam celebrare ad communicandum alium, vel ſeipſum in articulo mortis? Quartò, an laicus in articulo mortis, ſi non adſit alius Miniſter, poſſit non ſolum ipſe cum ſuis manibus ſumere Viaticum, ſed etiam illud aliis miniſtrare? Quintò, an cùm infirmus particulam deglutire non poſit, Sacerdos poſſit illam ponere in cochleari argenteo cum paruo iure etiam calido, vt ita infirmus facilius in ſtomachum tranſmittat, vel ſaltem hoc poſſit fieri intra parum aquæ, vel vini, ſi aliter non poſſit infirmus particulam deglutire? Ex p.10.tr.16.& Miſc.6.reſ.80.ibid.

54. *An ſi cadat ſuper barbam alicuius Hoſtia, vel fragmentum, ſit ipſa barba lauanda? Et quid, ſi ſanguis cadat ſuper barbam Sacerdotis?* Ex p.10. tract.12. & Miſc.2.reſ.10.p.189

55. *An ſi particula cadat ſuper manum, v.g. communicantis, ſint virtute Rubricæ Miſſalis manus lauandæ, & aqua in Sacrarium infundenda? Et quid, ſi cadat ſuper veſtem Monialis, vel in terra, tabula, panno prophano, vel aliqua alia re, vel ſuper barbam communicandi, vel ſi laicus particulam ſuſtulerit è terra, &c. Et quid eſt faciendum, ſi in ſupradictis locis, & partibus ceciderit aliquid è ſanguine? Et quid, ſi ex Hoſtia, vel Sanguine aliquid ceciderit in panno ſacro, videlicet ſuper maniculam Albæ, Mappam, linteum, ſeu pallam, &c.* Ex part. 10. tract.13.& Miſc.3.reſ.49.p.190

56. *An dubius, ſi ſit duodecima hora noctis, comedat, poſſit manè communicare; vel ſi ſit dubius, ſi comederit poſt mediam noctem? Ex quibus infertur non ſolum in materia ſtrictæ, & propriæ iuſtitiæ, ſed etiam in aliis materiis eſſe meliorem conditionem poſſidentis, quando ſuperuenit dubium?* Ex part.10. tract. 12. & Miſc.2.reſ.17.p.191

57. *An detur paruitas materiæ reſpectu temporis excuſans à mortali, ſi quis comedat poſt mediam noctem, & poſtea ſumat Euchariſtiam? Et dubitatur, quantum temporis in tali caſu poſſit haberi pro minimo? Et aduertitur, quod cum media nox ſit tunc & completus antecedens dies, quando Sol incipit aſcendere ad noſtrum hemiſphærium, ſi quis noctu ex aſpectu ſtellarum, vel aliunde ſciret cognoſcere eandem mediam noctem, & tempus paruum illud, in quo ſol noſtro hemiſphario accedere incipit, licet ante illud tempus ſonuiſſent omnia horologia loci, poteſt abſque fractione ieiunij naturalis ſequentis diei comedere, & bibere vſque ad illud tempus, in quo nouit ſolis aſcenſum incepiſſe. Et an detur paruitas materiæ quoad cibum, & potum in Ordine ad ſumptionem Euchariſtiæ? Et vtrum cadens in flumen, & demerſus caſu, & violenter deglutiat, & trajiciat in ſtomachum aquam ſiue in parua, ſiue in magna quantitate, ſi ſiue ſtatim totaliter ejiciat, ſiue non, cenſeri debeat ieiunus, ac poſſit recipere Euchariſtiam? Et infertur deglutientem caſu, & violenter, & præter intentionem globulum ex ſaccharo, vel alium cibum, aut potum ſibi dormienti, vel non aduertenti in os apertum, & guttur ab altero immiſſum, cenſeri ieiunum, vt poſſit communicare, vel celebrare eodem die, ſicut cùm attrahitur ad ſtomachum muſca, aut aliud animal ex improuiſo intrans in os apertum. Idem eſt, ſi aliquid deſcenderet ab extra, etiam alicuius quantitatis, ita quod homo non perciperet, vel intenderet illud deglutire, ſed ſicut ſaliua deſcenderet in ſtomachum, non impediet Communionem? Et tandem notatur, quod qui credens eſſe mediam noctem communicauit, poteſt poſt mediam noctem iterum communicare, etiamſi priorem Communionem cibum ſumpſerit, dummodo ante mediam noctem?* Ex p.10.tr.16.& Miſc.6.reſ. aliàs 48.p.192

58. *An in articulo mortis tempore peſtis teneatur Parochus Euchariſtiam infirmis miniſtrare?* Ex p.5.tr. reſ.53.p.194

59. *An Sacerdos mutus poſſit tempore neceſſitatis Euchariſtiam aliis miniſtrare?* Ex p.5.tr.6.reſ.18.ibid.

60. *An in articulo mortis, ſi alius non adſit, poſſit ſumi Euchariſtia à Sacerdote excommunicato nondum tim, vel publico clerici percuſſore?* Ex p. 5.tract. reſ.49.ibid.

61. *An in articulo mortis, abſente Parocho, ſi periculum eſt in mora, licitum ſit Religioſis miniſtrare Viaticum? Et an in tali caſu, adueniente Parocho, teneatur infirmus iterum Euchariſtiam ab illo recipere? Et ſupponitur, quod Religioſi contrahunt Papalem excommunicationem, qui Clericis, aut laicis Sacramentum Extremæ-Vnctionis, vel Euchariſtiæ miniſtrant, vel matrimonium eorum ſolemnizant, non habita prius Parochi licentia ſpeciali. Sed notatur primò hoc non procedere in Religioſo miniſtrante Euchariſtiam alteri Religioſo, quatumvis in eo peccaret. Secundò, Religioſum bona fide procedentem, vel etiam cum ignorantia craſſa, & præbentem hoc Sacramentum Euchariſtiæ laico ex præſumpto conſenſu Paſtoris, non incurrere hanc cenſuram. Tertiò, non incurrere cenſuram Religioſum, qui in neceſſitate miniſtrat hoc Sacramentum infirmo, quia videlicet abeſt Paſtor, vel quamuis adſit, ſi iniuſte negat infirmo Viaticum.* Ex p.5.tr.3.reſ.51.p.195

62. *An liceat Regularibus in articulo mortis præſente ſæcularibus Viaticum, ſi abſit proprius Parochus? aut tibi ægrotanti, & ex deuotione communicanti præſente Religioſus Euchariſtiam miniſtrare, ſed non poſſit per vicos, & plateas ſolemniter deferre Euchariſtiam? Et notatur, quod ſolis Religioſis Clericis, aut laicis communicare præſumentibus eſt ſtatuta excommunicatio ipſo facto incurrenda, ſoli Sedi Apoſtolicæ reſeruata, ad quam non incurrendam ſufficit quæcumque ignorantia, vel cauſa probabilis: nec hac excommunicatione contrahitur, ſi vel Religioſi aliis Religioſis, etiam ſine licentia ſuorum Prælatorum, vel Clerici ſæculares aut laicis, vel Religioſis hoc Sacramentum adminiſtrent. Etiamque aduertitur, quod huius Euchariſtiæ adminiſtratio non requirit antecedentem iuriſdictionem, ſed ſufficit quæcumque probabilis ſpes futuræ ratificationis; vnde Sacerdos, qui ſine iuriſdictione hunc actum exerceret, non incurreret irregularitatem,* Ex p.5.tr. & Miſc.4.reſ.64.aliàs 63.ibid.

63. *An in articulo mortis Regulares poſſint miniſtrare Viaticum ſuis familiaribus ſine licentia Parochi? Idem eſt de Sacramento Extremæ-Vnctionis. Et idem eſt dicendum de aliis quibuſcumque infirmis, etiam in mortis articulo conſtitutis vbique, an in caſu neceſſitatis poſſint Regulares illis ſupradicta Sacramenta miniſtrare?* Ex p.5.tr.3.reſ.52.p.196

64. *An Sacerdos in articulo mortis debeat ſibi ipſe miniſtrare Euchariſtiam, ſi Diaconus adſit, vel ad Diaconus poſſit propriis manibus in os Presbyteri Euchariſtiam immittere?* Ex p.5.tr.3.reſ.48.p.197

65. *An ſi non extet Sacerdos, ſed tantum Diaconus, poſſiſte in magno Feſto Euchariſtiam ſibi, & aliis miniſtrare. Non eſt dubitandum in extrema neceſſitate, in articulo mortis poſſe Diaconum Viaticum miniſtrare. Et docetur, quod ſi Parochus, vel Epiſcopus, vel Summus Pontifex ex iniquitate nollet concedere facultatem Diacono, vt in articulo mortis communicet aliquem, poſſet in tali caſu Diaconus deferre Sacramentum infirmo moribundo ex voluntate & commiſſione Christi. Sed quid eſt dicendum de laico, poteſne in articulo*

mortis, absente Sacerdote, se ipsum, vel alios communicare? Et infertur, quod in casu necessitatis potest laicus, & debet corpus Christi tangere, vt si in aliquo loco immundo iaceret. Et cursim docetur, quod si laicus existens in peccato mortali deferat ad infirmum in articulo mortis Eucharistiam, non peccat mortaliter? Ex p.9.tr.6.& Misc.1,res.38. aliàs 39.ibid.

66. *An in casu extremæ necessitatis, si Minister idoneus non adsit, possit laicus se ipsum communicare? Et in articulo mortis, & in dicto casu, an possit laicus aliis Viaticum ministrare? Et notatur, quod si magnum Festum adsit, & Sacerdos sacrificare non posset, possit quidem in tali casu, scandalo cessante, ex Sacrario Eucharistiam accipere, & seipsum communicare, si alius Sacerdos non adsit, & hoc etiam præsente Diacono?* Ex p.3.tr.4.res.47.p.198

67. *An laicus in articulo mortis, si Sacerdos non adsit, possit seipsum communicare, & alios? Et deducitur quod propter periculum irreuerentiæ potest laicus Eucharistiam tangere, ne Eucharistia veniat in manus Infidelium, &c. Et docetur laicum ministrantem in tali casu Eucharistiam moribundo in statu peccati mortalis non peccare mortaliter, nec etiam Sacerdotes ministrantes Eucharistiam in peccato mortali, non peccare mortaliter. Et cursissimè infertur, an Sacerdos possit sine veste sacra, & extra officium Missa Sacramentum Eucharistiæ conficere, vt ægrotus moribundus impleat præceptum diuinum sumendi in articulo Viaticum?* Ex p.5.tr.3.res.47.p.199

68. *An si sit præsens Parochus, vel alius Sacerdos, & nolint communicare infirmum existentem in periculo mortis, possit laicus, supradictis renuentibus, & prohibentibus, infirmo Sacram Communionem porrigere? Et an in hoc casu Diacono tantùm, & non laicis hoc permissum sit? Et docetur non posse fieri legem, qua statuatur, quod neque in casu necessitatis extremæ possit laicus Eucharistiam ministrare. Et infertur, quod Regularis, vel alius Sacerdos possit ministrare infirmo Viaticum, si Parochus præsens nolit illud ei ministrare, nec ad hoc illis licentiam concedere. Etiamque aduertitur, infirmum qui satisfecit præcepto sumendi Viaticum è manibus sui Parochi, posse ab illo, vel aliis post aliquos dies in eadem infirmitate recipere Eucharistiam, etiam non ieiunum. Et notatur non esse mortale, si laicus existens in mortali, reuerentiæ, & honoris causa Eucharistiam deosculetur.* Ex p.11.tr.7.& Misc.7.res.43.ibid.

69. *An qui sumpsit Eucharistiam tempore Paschatis, teneatur sub mortali illam sumere in articulo mortis? Et notatur, quod adest præceptum diuinum, quod obligat sumendi Eucharistiam tempore mortis, etiamsi tempore Paschatis fuerit sumpta.* Ex p.5.tr.3.res.42.p.201

70. *Infirmus in articulo mortis quonam præcepto teneatur Viaticum sumere, & si illud non sumat, an peccet tantùm venialiter? Et an infirmus, qui semel Eucharistiam sumpsit in anno, si illam in mortis articulo omittat ex negligentia, peccet? Et quæritur, quando ergo lex diuina suscipiendi Eucharistiam, si non in mortis articulo, obliget? Et pro praxi huius vltimæ difficultatis alij casus adducuntur in §. Quandonam, huius Resolutionis. Et notatur, etiam secluſa aliqua Ecclesiæ determinatione, omittentem per tres, vel quatuor annos Communionem, præcepti Diuini reum esse, & illum constringere, quamuis alij aiunt, secluſa determinatione Ecclesiæ, nullius peccati reum esse, qui toto vitæ tempore vsque ad mortis articulum, vel periculum omitteret Communionem. Et an Eucharistia sit medium necessarium ad salutem?* Ex p.9.tr.9. & Misc.4. res.47. aliàs 46.p.202

71. *An qui paulò ante, v.g. 8. vel 15. dies communicauerit, teneatur iterum in articulo mortis communicare?* Ex p.5.tr.3.res.41.p.203

72. *Quidam infirmus antequam in mortis periculum incidit, Sacram Eucharistiam ex deuotione sumpsit: quæritur, an teneatur iterum communicare? Et an qui in Pascha communicauit, si in articulo mortis non communicet ex negligentia quadam sine contemptu, peccet mortaliter? Et cursim docetur, non esse mortale omittere Eucharistiam in articulo mortis, nisi adsit contemptus?* Ex p.3.tr.4.res.40.p.204

73. *An qui sumpsit Eucharistiam mane, & post prandium incidit in periculum mortis, possit iterum Eucharistiam sumere? Et an qui paulò ante articulum mortis sumpsit Eucharistiam, maneat liber ab obligatione præcepti sumendi Eucharistiam pro eo articulo?* Ex p.4.tr.4.& Misc.res.197.ibid.

74. *An qui mane communicauit, vel Missam dixit, & postea eodem die incidit in periculum mortis, possit adhuc non ieiunus Sacrum Viaticum sumere? Et an in tali casu non solum possit, sed teneatur talis iterum Eucharistiam sumere, siue mors sit naturalis, siue violenta? Et an sit præceptum diuinum de sumenda Eucharistia in articulo mortis, vel an hoc præceptum non sit diuinum? Et asseritur, quod quando concurrunt duo præcepta, maius præponderat, & est anteponendum, vt est in supradicto casu, in quo concurrunt præceptum diuinum de sumenda Eucharistia, & præceptum Ecclesiasticum de ieiunio, & non sumenda Eucharistia bis in die. Et docetur eum, qui tempore Paschatis communicauit, amplius non teneri, secluſo scandalo, in articulo mortis communicare.* Ex p.5.tr.3.res.33.ibid.

75. *An qui mane Missam dixit, vel Sacram Eucharistiam sumpsit, si post prandium incidat in articulum mortis, possit eodem die iterum communicare? Et notatur in articulo mortis toties ex præcepto Eucharistiam esse sumendam, quoties post sumptionem amissa est gratia per peccatum mortale.* Ex p.6.tr.6.& Misc.1.res.18.p.206

76. *An qui in articulo mortis sumpsit Viaticum, teneatur iterum illud sumere, si peccauit mortaliter?* Ex p.5.tract.3.res.43.p.207

77. *An si quis in articulo mortis recipiat à suo Parocho Viaticum, & postea lapsus est in peccatum, si iterum illud peteret, deberet Parochus ministrare? Et explanatur, quando in eadem infirmitate possit infirmo non ieiuno, qui recipit Viaticum, iterum Sacrum Viaticum ministrari?* Ex p.11.tr.6.& Misc.6.res.17.ibid.

78. *An reus ad mortem damnatus, si pridie Eucharistiam ex deuotione sumpsit, possit in ipso die supplicij denuo illam sumere, si cibum ex inaduertentia sumpsit? Et quid si forsan cibum aduerens sumpsit, si postea pœnitens facti vellet communicare? Et docetur sanum damnatum ad mortem, si iudex nollet expectare, posse, imò debere Eucharistiam non ieiunum accipere eodem die supplicij, si ieiunus non possit. Sed aduertitur eodem die plectendum capite teneri ieiunare, donec sumpserit Eucharistiam, modò ieiunare possit absque notabili incommodo, sicut etiam ægrotus, si commodè potest, tenetur accedere ieiunus ad Eucharistiam sumendam. Et asseritur duobus, aut tribus diebus, imò & pluribus sequentibus, si adhuc perseuerat mortis articulus, vel periculum, posse infirmum non ieiunum communicare.* Ex p.9.tr.6.& Misc.2.res.41. aliàs 42.p.208

79. *An ille, cui Princeps iubet mortem inferri eadem die absque dilatione, sit communicandus etiam non ieiunus? Et notatur non esse necessarium tempus viginti horarum inter sumptionem Eucharistiæ, & suscipientis mortem intercurrere. Imò docetur, posse Sacramentum Eucharistiæ ministrari damnatis ad patibulum ante vnam horam mortis. Et an quamuis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterum se communicare, esse magis pium illi Eucharistiam dare, quàm communionem impedire?* Ex p.3.tr.6.& Misc.2.res.59.ibid.

80. *An damnato ad mortem sit danda Eucharistia, etiam si non sit ieiunus? Et quid si post horam ad patibulum*

esset,

esset ducendus? Et notatur, quod quamuis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterum communicare, minus pium esset communionem impedire, quam Eucharistiam illi dare. Etiamque aduertitur reo expectanti, vel non recusanti confessionem, & Eucharistiam, iudicem ad confitenda peccata, & Eucharistiam recipiendam teneri dare tempus sufficiens. Ex part.5. tr.3.resl.38.p.209

81. An aliquando licitum sit deferre Viaticum moribundo absque stola, superpelliceo, & lumine? Et notatur, quod minores Ordines, Extrema-Vnctio, Confirmatio, & Matrimonium possunt sine lumine administrari sine lethali culpa. Et docetur Sacerdotem Chiragra laborantem, & pollice, ac indice impeditum non posse aliis digitis Sacram Eucharistiam apprehendere, & porrigere. Et aduertitur, posse Parochum præbere Viaticum infirmo in articulo mortis constituto, qui mane, v.g. in eodem die sumpsit Eucharistiam, vel ex deuotione Missam dicit. Ex part.10. tr.11. & Misc.1. resl.40.p.210

82. An infirmus in articulo mortis constitutus, si commodè recipere possit Sacrum Viaticum ieiunus, ad id teneatur? Ex p.11.tr.6.& Misc.6.resl.16.ibid.

83. An Sacerdos possit iterum subministrare Eucharistiam infirmo, qui semel in articulo mortis sumpsit Communionem per modum Viatici non ieiunus? Ex p.2.tr.14.resl.75.p.211

84. An infirmo non ieiuno in periculo mortis possit sapius Viaticum præberi? Et notatur, quod licet infirmus expectare possit ieiunus per vnam, aut alteram horam post mediam noctem, adhuc non esse obligationem in illa intempestiua hora sumendi Eucharistiam, sed posse differri ad aliud tempus, in quo non sit ieiunus? Ex p.5.tr.3.resl.37.ibid.

85. Quando Sacerdos iterum præbet agroto non ieiuno Sacram Eucharistiam, quænam temporis intercapedo habenda est inter vnam, & alteram Communionem? Ex p.2.tr.14.resl.77.ibid.

86. Quænam temporis intercapedo habenda sit inter vnam, & alteram Communionem, vt infirmus possit cummunicare non ieiunus? Et notatur, quod si quis proximè ante medium noctis cœnauit in Dominica incidente in Vigilia Natiuitatis Domini, possit statim post medium noctis sacrificare, & communicare. Deinde licet deceat aliquo tempore post Sacram Communionem à cibo, & potu abstinere, tamen ad id nemo tenetur sub mortali, & ideo potest quis statim sine graui culpa de Sacristia ad prandium accedere. Ex p.3. tr.4.resl.44.p.212

87. An infirmus non ieiunus, qui sumpsit Viaticum, possit illud iterum sumere sequenti die? Sed si aliquis curiosus inquirat, quot dies debeat superviuere infirmus, vt possit, sumpto iam Viatico, iterum communicare, vt vult Rituale? Ex p.9.tr.9.& Misc.4.resl.48.aliàs 47. ibid.

88. An Eucharistia danda sit in articulo mortis puero capaci rationis, & confessionis? Et quid si dubitatur, an sint pueri doli capaces, & discernant sufficienter hoc Sacramentum? Et an prædicti pueri ex præcepto diuino teneantur in articulo mortis communicare, quamuis non teneantur ex præcepto Ecclesiæ? Ex p.5. tr.3.resl.44.p.213

89. An pueri capaces Sacramenti Pœnitentiæ teneantur in articulo mortis ex vi iuris diuini Communionem sumere? Et quæritur, quando puer censeatur ad annos discretionis peruenisse, vt teneatur præcepto suscipiendi Eucharistiam? Ex p.5.tract.14. & Misc.2. resl.50. p.214

90. An Sacrum Viaticum possit pueris præberi, si confessarius dubitet, an sint doli capaces? Idem est de Extrema-Vnctione? Et cursim infertur in dubio tam de comestione, quàm de tempore ante, & post mediam noctem, posse communicari post habitam diligentiam, manente dubio? Ex p.10. tract.16. & Misc.6.resl.36. aliàs 35.ibid.

91. An Infidelis in articulo mortis naturali, vel violento conuersus ad Fidem, statim post Baptismum, communicandus? Ex p.5.tr.3.resl.45.p.215

92. An mutus & surdus à natiuitate sit in articulo mortis communicandus? Ex p.5.tr.6.resl.6.ibid.

93. An non solum in articulo mortis, sed etiam in vita surdus & mutus à natiuitate sit communicandus? Et quid si sciat scribere? Et deducitur, an muti & surdi à natiuitate teneantur confiteri, & sint absoluendi? Et asseritur habentes vsum rationis, sed debilem, & imperfectum, vt sunt quidam Æthiopes, & semistupi, seclusa irreuerentiæ periculo, admittendos esse ad Communionem non solum in articulo mortis, sed etiam in Paschate. Et an amentes grandioris ætatis, & vt plurimùm viuacis ingenij sint computandi cum pueris in primis annis post septennium, quibus Doctores concedunt confessionem, non autem Communionem? Et p.5.tr.6.resl.7.p.216

94. An Sacerdos possit præbere Viaticum infirmo deliranti, qui propter febrim in amentiam incidit? Et hoc procedat, quando infirmus potest sine irreuerentia & periculo vomitus dictam Communionem sumere? Et aduertitur, quod in multis Decretis statuitur, vt pœnitentia non negetur phreneticis, si antehac prius confessionem desiderasse, & signa contritionis dedisse, & consequenter idem colligitur de Eucharistia, & non tamen necesse est, vt tempore vsus rationis petierint expresse, & ostenderint signa contritionis, confessionis, & Communionis. Idem est de Sacramento Extremæ-Vnctionis, in quo casu notatur phreneticum, vel furiosum, si resistat, esse ligandum, & id facere aliquando erit necessarium, quando phreneticus non posset recipere aliud Sacramentum, nisi Extremam-Vnctionem. Ex p.2.tr.14.resl.78.p.217

95. An qui in amentiam, & phrenesim inciderunt, si in articulo mortis communicandi? Et notatur, quando timeatur periculum vomitus, vel exspuitionis, non esse illis Eucharistia porrigenda. Ex p.5.tr.3.resl.46.ibid.

96. An Sacerdos possit aliquando insanitate communicare supradictos amentes? Et an hæc opinio non praudat in perpetuò, & absolutè fatuis, sed in semifatuis, quibus Eucharistia in Paschate dari debeat; imò quinties Eucharistiam sibi ministrari postulauerint? Et aliquinque casus ex opinione Sancij circa sumptionem Eucharistiæ cursim adducuntur, sed iam omnes magis ad in hoc tractatu sunt discussi, & explanati in suis Resolutionibus specialibus? Ex p.2.tr.14.resl.79.p.218

97. An moribundo sit danda Eucharistia cum periculo vomitus? Et an si acciderit, quod infirmus nunquam vomitum passus fuerit, & sumpta Eucharistia vomitum faciat, quid est faciendum? Ex p.5.tr.3.resl.55.ibid.

98. An in articulo mortis, si laicus non possit deglutire particulam Hostiæ, ministranda sit ei species sanguinis? Et aduertitur, si contingat Sacerdotem sacrificantem mori post consecrationem, & ante sumptum sanguinem, nullumque adesse Sacerdotem à quo possit consumi, si laicum sumere sanguinem, si seruari non possit, sine periculo, vt species acescerent, & corrumperentur, aut in manus Infidelium deuenirent, aut aliquid simile. Ex p.5.tr.3.resl.34.p.219

99. An tempore pestis licitum sit ministrare Eucharistiam infirmis in cochleari argenteo? Ex p.4. tr.4. & Misc.resl.114.ibid.

100. An peste laboranti prope mortem liceat ministrari Eucharistiam super folium pagina, & postea illud comburere? Ex p.5.tr.3.resl.50.ibid.

101. An laicis infirmis Reliquiæ Sacramenti post ablutionem inuentæ tradi possint? Et quid si ablutionem non sumpserint? Et notatur ad euitandam irreuerentiam aliquam

aliquando licitum esse accipere Eucharistiam sine ieiunio, vt si prudenter timeatur peruenturam in manus infidelium, vel hæreticorum, aut ab incendio absumi. Et quid est agendum, si in tali casu esset Sacerdos non ieiunus, & laicus ieiunus; vel laicus esset excommunicatus, & ieiunus, Sacerdos non quidem censura impeditus, sed non ieiunus? Et quid, si Sacerdos esset excommunicatus, laicus verò non? Vlteriùs, si Sacerdos, peracta consecratione, pereat, nec alius Sacerdos adsit ieiunus, si non ieiunus adsit, an iste debeat perficere Sacrificium? Et quid, si in prædicto casu, si est qui celebrat in Pontificalibus, & deficit, & non sit alius Episcopus, an simplex Sacerdos possit supplere simplici, & ordinario modo, quæ desunt? Et in dicto casu, pereunte Episcopo, vtrum sit præferendus simplex Sacerdos ieiunus alteri Episcopo non ieiuno, vt perficiat quæ desunt? Et an Sacerdos post longam Communionem factam immediatè post Sacrificium, possit vasa purificare, & reliquias, seu fragmenta, quæ supersunt, consumere, etiamsi Reliquiæ fuerint consecratæ in ea Missa, vel ab alio in alia Missa? Ex p.10.tr.13.& Misc.3.res.53.p.220

Hic verò transcribuntur cæteræ aliæ quæstiones, pertinentes simul ad istum Tractatum 2. de Communione, huius tomi secundi, quas omnia volumina authoris in tenebris offusas, & occlusas habent, vt ita citiùs omnes Resolutiones, & difficultates huius totius operis reperiantur.

AN Pontifex potuerit prohibere, ne laici sumant Communionem sub vtraque specie? Et an iure Diuino præcepta sit Communio sub vtraque specie? Et an qui sub vna sola specie communicat, impleat præceptum, quo dicit, Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c. *Et notatur, quod hodie Cardinalis Diaconus, ministrans Summo Pontifici communicat sub vtraque specie, vt similiter Rex Fraciæ in sua inauguratione. Et quæritur, an aliquando sit licitum laico sanguinem sumere? Et an Pontifex sicut potuit præcipere tantùm vsum panis, potuit etiam præcipere vsum sanguinis? Et notatur olim in Gracia morem fuisse iis infirmis, qui præ ægritudine speciem panis deglutire non poterant, solam speciem vini argentea cochlea in os infundi. Et quid est dicendum de consuetudinibus Græcorum, Æthiopum, Mosconitarum, & Parisina in Conuentu Cluniacensi, & de Diacono Cardinali in Missa Papali Romæ, & aliis Cardinalibus, quibus in prædicta Missa Papali ministratur Eucharistia sub vtraque specie? Et an Pontifex possit eximere aliquem à præcepto annuæ Communionis? Et an Pontifex teneatur ad præceptum Communionis? Et an quamuis Pontifex peccet mortaliter, si illud non obseruet, non incurrat tamen excommunicationem, nec possit declarari, aut Ecclesiastica sepultura priuari? Et an Pontifex possit præceptum annuæ Communionis penitus abrogare? Et an quamuis abrogaret in totum, & in solidum, & quamuis peccaret, valeret tamen prædicta abrogatio? Et an in primitiua Ecclesia fuerit præceptum quotidie communicandi? Et aduertitur, quam cautè debeant procedere Confessarij in concedenda laicis Communione quotidiana. Et an Pontifex possit præbere facultatem, vt Eucharistia ministretur infantibus ante vsum rationis? Et an hoc expediat, & teneatur hoc facere, quando infantes sunt in articulo mortis, quia præceptum sumendi Eucharistiam extat etiam iure Diuino? Et quid circa hoc factum sit in diuersis locis, & Regionibus? Et an si infantes casu inuenirent Hostiam, vel vinum consecratum, & ex gula, & leuitate puerili Sacras species sumerent, acciperent gratiam Sacramentalem? Et an Summus Pontifex possit concedere, vt sapius in die Eucharistia sumatur? Et aduertitur, eodem die sapius communicare, non esse prohibitum iure Diuino. Et an in aliquo casu, non obstante Ecclesiastica prohibitione, possit quis sumere Eucharistiam bis in die, & Sacerdos duas Missas celebrare? Et an Cardinalis in Missa Papali Natiuitatis Domini sumens Eucharistiam è manu Pontificis, possit anteà saltem duas Missas dicere? Et an Pontifex possit dispensare, vt Sacerdos celebret, vel laicus sumat Eucharistiam, fracto ieiunio? Et an Pontifex possit dispensare, vt laici in mortis articulo ministrent Sacramentum Eucharistiæ sibi, & aliis? Et an Diaconus Sacram Eucharistiam ministrans ex commissione Sacerdotis in peccato mortali, peccet mortaliter? Et doceatur, quod Sacerdos non potest extra Missam bis, aut ter communicare in die Natiuitatis Domini. Et an si laicus existens in peccato mortali deferat Eucharistiam ad infirmum ob extremam necessitatem illius, qui nullum aliud Sacramentum recipit, peccet mortaliter?* Ex p.8.tr.1. ex r.24.25.26.27.45.87.89. 48. & 57. *Quæ nunc inuenientur* in tom.3.tr.1.de Potestate Pontificis, à res.49. inclusiuè, vsque ad r.56. etiam inclusiuè, & in res.8.

An possit Pontifex ob grauissima crimina aliquem priuare Communione, etiam in hora mortis ex iusta causa, non quidem tollendo præceptum diuinum, sed tollendo ægroto potestatem illud obseruandi? Et an Pontifex possit dispensare, vt aliquis ante Communionem non confiteatur, dummodo eliciat actum contritionis de peccatis mortalibus commissis. Et an Summus Pontifex potuerit, & de facto concesserit facultatem Regularibus, vt possint distribuere laicis sacram Eucharistiam absque licentia proprij Pastoris toto anno, excepto Festo Paschatis Resurrectionis? Ex p.8.tr.1. ex res.79.§.vlt. & ex res.51. & 88. *Quæ hic reperientur* in tom.3. tr.1. de Potestate Pontificis, res.2.30. & 40

An in aliquo casu sumptio Eucharistiæ in peccato mortali possit esse licita. Et an si vnus testis etiam Paganus dicat moribundum postulasse Eucharistiam, danda sit ei. Et an qui Sacram Communionem ministrat in excommunicatione minori, peccet mortaliter, vel saltem venialiter. Et an ad fructum sacræ Communionis requiratur positiuus consensus illam recipiendi, vel sufficiat, quod non resistat. Et an qui non potest confiteri, & sumit Eucharistiam, putando se habere contritionem, si habeat tantùm attritionem, adhuc ex sumptione Eucharistiæ obtineat gratiam? Ex p.5. tr.13. ex res.74. & in tr.3. ex res. 21. & in p.3. tr. 4. ex res. 56. & in p.5. tr.13. ex res.32. & 31. *Quæ hic sunt* in tom.1. tr.1.de Baptismo, res.12.34.14.22. & 23.

An sit saltem peccatum veniale recipere Eucharistiam ante Confirmationem? Ex p.4.tr.4.ex res.50. *Quæ nunc inuenietur* in tom.1.tr.2.de Confirmatione, res.10.

An si Sacerdos in Missa Eucharistiam ab aliis consecratam in peccato mortali multis ministret, debeat in confessione hanc circumstantiam explicare, & committat vnum peccatum, an plura? Et an sit probabilis illa sententia, quæ docet Sacerdotem in peccato mortali aliis sacram Eucharistiam ministrantem non peccare mortaliter. Et obtenta opinione contraria, an sufficiat, vt se accuset Eucharistiam ministrasse in peccato mortali, sine expressione, & numero personarum, quibus ministrauit? Et an, qui in statu peccati mortalis, & non ieiunus sumit Eucharistiam, peccet dupliciter, & teneatur in confessione hoc explicare? Et an infirmus periculosè ægrotans possit sumere Eucharistiam non ieiunus post interuallum sex dierum, imò trium dierum. Et an si aliquis perpetrauit aliquod delictum carnale in die, quo ad Eucharistiam accesserit, teneatur in confessione postea aperire hanc circumstantiam? Ex p.1.tr.7. ex res.41. 59. & 32.& in p.4.tr.4.ex r.19. *Quæ hic reperientur* in tom.1.tr.7.de circumstantiis, res.40.41.54.& 57.

Index Tractatuum,

An Sacerdos excommunicatus, ex sola administratione Eucharistiæ, quamuis non celebret, incurrat irregularitatem? Ex p.4. tr.2. ex res. 90. *Quæ hîc est* in tom.5.tr.5.de Irregularitate, res.28

An si Sacerdos proprius iniustè neget licentiam alteri confitendi peccata, eliciendo actum contritionis, poterit Sacramentum Eucharistiæ sumere? Et an aliquando in aliquo casu excommunicatus possit, urgente necessitate, Eucharistiam sumere sine præuia confessione, aut contritione? Et pro praxi huius vltimæ difficultatis inuenies pulchrum casum in §. vltimo huius resolutionis. Ex p.3.tr.4.ex res.79.& in p.10.tr.12.ex res.16.§.vlt. *Quæ nunc inuenientur* in tom.1. tr.3. de Pœnitentia, res.39.& 176

Nota quod in prædicto tom.1. & tract.3. de Pœnitentia, *reperies quamplurimas difficultates, in quibus dubitatur, an quis possit sumere Eucharistiam sine præuia confessione, & an postea teneatur, vel non teneatur* quamprimum confiteri, *& quamuis non plenè omnes dicantur pro isto tractatu de Communione, sed pro Sacerdote celebrante absque confessione, lege illarum doctrinam, & non te pigebit, maximè si aliquid earum plenè pro isto tractatu accommodas, signanter ibi* à resol.140. vsque ad res.190. inclusiuè.

An laicus, qui habet peccata reseruata, urgente necessitate possit communicare sine præuia confessione? Et quid si cum reseruatis habeat aliqua alia peccata mortalia, an teneatur ista confiteri cum inferiori, cui confiteri ista poterit antequam recipiat sacram Communionem? Et quid, si tantum habeat peccata venialia cum reseruatis? Ex p.3.tr.4.ex res.103.aliàs 104.& ex p.9.tr.3. ex res.11.& in p.5.tr.13.ex res.10. *Quæ hîc reperientur* in tom.1.tr.5.de Reseruatis, res.32.33.& 35

An Confessarius possit imponere pœnitentiam, ne quis recipiat Eucharistiam tali die? Et si talem pœnitentiam pœnitens acceptet, an teneatur illam adimplere? Et an pœnitens teneatur talem pœnitentiam acceptare? Et notatur, quod qui singulis mensibus obligatus est sumere Eucharistiam, non peccat mortaliter, si sex, vel octo dies Communionem distulerit. Et an expediat Prælatis Religionum priuare susceptione Eucharistiæ suos subditos causa illos mortificandi, nec hoc expediat Confessariis circa suos pœnitentes? Et an Communiones, quæ præfinitæ sunt fieri ex consuetudine, possit Prælatus imperare; quæ verò præfinitæ non sunt, non possit iubere; quia ad id, quod est super Regulam, non potest obligare? Et notatur, quod sumptio Eucharistiæ absolutè possit imponi sub pœnitentia, sed eam acceptare non tenetur pœnitens. Ex p.10.tr.13. ex res.47. & ex p.9.tr.6.ex res.56. aliàs 57.& in p.3.tr.4. ex res.114. aliàs 115. *Quæ hîc sunt* in tom.1.tr.6.de Satisfactione Sacramentali, res.14.24.& 13

An publicus vsurarius, vel publicus concubinarius, si non sint absoluti à Confessario, & petant communionem, possit Confessarius eam negare, dicendo eos esse in publico peccato? Et an si Minister Missæ, vel Sacrista quærat à Confessario celebrante, an apponenda sit particula pro Communione, v.g. Petri, quem confessus est, quid debeat respondere talis Sacerdos? Et docetur, quod debet respondere Confessarius, vt ab ipsomet pœnitente hoc requiratur, vt ita magis sigillum Confessionis seruetur. Ex p.5.tr.11.ex res.17. & 43. *Quæ nunc inuenientur* in tom.1.tr.8. de sigillo Confessionis, res.22.& 66.

An qui in peccato mortali, vel excommunicatione communicat in Paschate, impleat præceptum Ecclesiæ de Communione? Et an licitum sit à Ministro existente in peccato mortali petere celebrationem Missæ, vt quis sumat Eucharistiam pro adimplendo præcepto Communionis in Paschate, & siue talis Minister sit paratus, siue non, siue sit tuus Parochus, siue non? Ex p.10.tr.11.ex res.7. & 63. *Quæ hîc sunt infra in proximo sequenti* tract.de Auditione Missæ in die festo, res.15. & 16

An Parochus teneatur tempore pestis ministrare Eucharistiam cum periculo vitæ? Et an si Sacerdos non habeat superpelliceum, possit sine illo ministrare Viaticum agroto? Et an Eucharistia sit præmittenda infirmo moriendi antequam Parochus illum inungat Sacramento Extremæ-Vnctionis? Ex p.3.tr.4.ex r.173.aliàs 174.& in p.5. tr.6.ex res.45. aliàs 46.& in p.5.tr.3.res.92. *Quæ hîc sunt infrà* in tr.4.de Extrema-vnct. res.26.19.& 23.

An communicans in peccato mortali obtineat liberationem animæ è Purgatorio, si talis liberatio concedatur sub onere communionis? Ex p.10.tr.16.ex res.13. *Quæ nunc inuenietur* in tom.4. tr.1. de Altaribus priuilegiatis, res.5

An in Grangiis possint Regulares constituere Oratoria, & ibi familiaribus, & vassallis possint ministrare Eucharistiam? Et quid si adsit prohibitio Episcopi? Et quid est dicendum, si ad id eligantur virtute Cruciatæ, quod idem infertur de Sacerdote sæculari? Et quid, si ministrent Eucharistiam in aliquo alio Oratorio priuato? Et an in die Paschatis virtute Cruciatæ possit quis in Oratorio priuato alicuius domus sumere ex deuotione Eucharistiam, vel sine Bulla in Ecclesiis Regularium? Et an virtute Cruciatæ possit aliquis sumere Eucharistiam ab alio Sacerdote sine licentia proprij Parochi? Et an vir Nobilis, si ex iusta causa non possit Ecclesiam adire, possit in suo Oratorio priuato in Paschate ad implendum præceptum Eucharistiam sumere, petita à Parocho licentia, & iniustè negata? Et quid si simul habeat Bullam Cruciatæ, an possit prædictum præceptum adimplere in suo Oratorio priuato? Ex p.9.tr.1. ex res. 33. 15. 8.9. & 25. & in p.4. tr.4. ex res.14. & 81. *Quæ hîc reperientur* in tom.4. tr.2. de Oratoriis priuatis, res.12.29.45.46.58.44.& 57

Quidam vouerat singulis Festiuitatibus Annunciationis B.Virginis Communionem, sed Festum illud incidit in Feria sexta hebdomadæ Sanctæ, quæritur an illa die teneatur sacram Synaxim sumere? Ex p.6.tr.6.ex res.13. *Quæ hîc est* in tom.8.tr.4.de Voto, res.46

An quando duobus diebus immediatis occurrunt duo Iubilæa, quorum quodlibet eorum requirit Communionem, teneatur qui vult illa lucrari, his Eucharistiam sumere? Et an si in Iubilæo dicatur, quod efficiatur Communio die Dominica, an quis satisfaciat communicando alia die hebdomadæ? Et an pueri, qui ex defectu ætatis Eucharistiam suscipere non valent, satisfaciant communicando spiritualiter, vel in tali casu an sit commutanda Communio in aliud opus pium? Idem est dicendum de infirmis, & patientibus tussim, vomitum, vel quid simile. Et an si quis suscipiat Eucharistiam in peccato mortali, lucretur postea Iubilæum, si in vltima Iubilæi periodo per actum contritionis sit in gratia? Ex p.4.tr.4. ex res.166. & in p.5.tr.12. ex res.17. & in p.3.tr.4. ex res.147. aliàs 148. *Quæ nunc inuenientur* in tom.4.tr.4. de Iubilæo, res.51.52.& 53

An si quis excommunicatus in Pascha non velit procurare absolutionem, cum tamen possit, peccet contra præceptum Communionis? Ex p.5.tr.9.ex res.88. *Quæ hîc reperitur* in tom.5.tr.1. de Excommunicatione, res.130.

An si quis moriatur, & constet publicè non communicasse in Paschate, possit sepeliri in loco sacro? Et quid si hoc sit occultum? Ex p.5.tr.3. ex res.100. *Quæ hîc est* in tom.8.tr.8.de casibus, occur.temp.mortis, res.4.

An Sacerdotes, qui possunt in interdicto Missam dicere, possint etiam communicare absque celebratione? Et an laici, quibus tempore interdicti licitum est in aliquibus diebus Missam audire, possint in illis Sacram Eucharistiam sumere? Et deducitur, quod tempore interdicti, si occurrat præceptum sumendi Eucharistiam, vt in Paschate Resurrectionis, possit dari Eucharistiam, vt in Paschate Resurrectionis omnibus. Ex part.5.tr.10. ex res.82. & 84. aliàs 82.& 83. *Quæ nunc inuenientur* in tom.5. tr.4. de Interdicto, res.9.& 10

An hæretico negatiuo iam destinato ad comburendum, sit Sacra Eucharistia conferenda? Ex p.5.tr.3.ex res.78. *Quæ hic reperietur* in tom.5.tr.8.de hæreticis, res.27

An Inquisitores possint punire sumentes in Communione maiores, vel plures Hostias, seu particulas? Et an Inquisitores possint procedere contra non recipientes Sacramentum Eucharistiæ semel in anno? Ex p.4. tr.8. ex res.96.& 38. *Quæ hic sunt* in tom.5.tr.10. de Inquisitoribus, res. 4. & 87

De Donatistis, & Hæresiarchis; & an verè supradictis sit deneganda Eucharistia? Et an etiam Hæreticis relapsis sit deneganda Eucharistia? Ex part.4. tr.7. ex res.23. & 26. *Quæ nunc inuenientur* in tom.6. tr.12. de Pœnis S.Inquisitionis, res.etiam 23. & 26

An Episcopi sub peccato mortali teneantur consuetudinem mulierum incedendi nudato pectore exstirpare, & tales fœminas à sacra Synaxi repellere? Et an adultus possit offerre Sacerdoti pecuniam, vt illi ministret sacram Eucharistiam, si aliter Sacerdos nolit illam illi ministrare? Ex p.10. tr.12. ex res. 30. & in p.5. tr.7. ex res.16. §. Vnde. *Quæ hic reperientur* in tom.7. tr.5.de scandalo, res.11.& 4

An Episcopi possint denunciare, vt euitentur Regulares, si solemniter Sacramentum Eucharistiæ ministrent? Et an sorores Tertiariæ possint à Sacerdotibus suarum Religionum sumere Viaticum? Et an equites militares D.Ioannis, D.Iacobi, Alcantaræ, &c. decenter accedant accinti ense, & pugione ad sacram Communionem? Et an cæteri laici, non obstante consuetudine contraria, si hoc fecerint, nullum peccatum committant, imò nec irreuerentiam? Ex p.6. tr.8. ex res. 30. & in p.3.tr.1.ex res.35.& 30. *Quæ hic sunt* in tom.7. tr.1.de Regularib. res.35 1.42. & 99

An licitum sit secu. vnum horologium quoad ieiunium Ecclesiasticum, & alterum quoad ieiunium naturale, & Eucharisticum in eadem media nocte, &c. Et cursim docetur, quod potest homo speciebus sacramentalibus sumptis sustentari per totam vitam. Ex p.10.tr.15. ex res.29. & in p.11.tr.6. ex res.35. *Quæ nunc inuenientur*, in tom.4.tr.6.de Ieiunio, res.101.& 94

An ex iure antiquo & nouo prohibita sit ministratio Eucharistiæ tempore interdicti? Ex p.12.tr.1.ex res.101. *Quæ hic reperietur* in tom.4. tr.8. de Consecratione Episcopi, res.101

Asseritur, quod necessitas periculi mortis existimatur moraliter quasi extrema, ideo docetur omnibus parturientibus, & proficiscentibus ad bellum posse tempore interdicti ministrari Eucharistiam. Ex p.12. tr.2. ex res.33. *Quæ hic est* in tom.9.tr.7.de Cardinalibus, res.126

Aduertitur, quod in Ecclesia polluta ad dandum Viaticum moribundo, potest quis celebrare, & seruare Eucharistiam pro infirmis. Et an si quis à satellitibus fugiens intraret in cubiculum ægrotantis, vbi ad ipsum communicandum Sacerdos cum sanctissimo Sacramento aduenisset, & ibi à dictis birruariis comprehensus fuisset, antequam Sacerdotem tangeret, an inquam is Immunitate Ecclesiæ gauderet? Et supponitur reum Sacerdotem tangentem sacram Eucharistiam deferentem gaudere Immunitate Ecclesiæ. Et quid si se commiscuerit inter illas personas, quæ per plateas associant venerabile Eucharistiæ Sacramentum? Et an Sacerdos, v.g.indutus cotta, & stola extra Ecclesiam portans Eucharistiam ad infirmum, possit capi à satellitibus de licentia Episcopi? Ex p.11.tr.8. ex res.13.& in p.1.tr.1. ex res.28. & in p.6.tr.1. ex res.25. *Quæ nunc inuenientur* in tom.9. tr.1. de Immunitate Ecclesiæ, res.144.12.& 26

An extet præceptum de lumine accenso, quando defertur Sacramentum foras ad communicandum infirmum? Et an ex causa possit illud omitti? Ex p.9.tr.6. & Misc.1. ex res.33. alias 34. *Quæ hic est supra in hoc ipsomet* tom.2.tr.1.de celebratione Missarum, res.154

Nota, quod supra in hoc ipsomet tom.2. tract.1. de celebratione Missarum, *sunt multæ difficultates simul pertinentes ad istum* tract.2.de Communione, *& aliquæ earum pertinent ad istum tract. tantum, quæ sunt speciales, & notabiles. Sed illas omnes ibi facillimè reperies in Resolutionibus hic designatis, & non in aliis præcitati tractatus, videlicet* à res.111. vsque ad resol.128.& in resol.133. 134.135.149.150.151.154. 165.195.205.238.241.242.243.244.248. & 250.

TRACTATVS III.

De Præcepto Ecclesiastico audiendi Missam in die festo. p.221.

1. *QVIDAM scrupulis angebatur, an habuerit intentionem implendi præceptum Missæ, & dicendi Horas Canonicas; ideo benignam aliquam opinionem impensè à me postulabat. Et hoc dubium oriebatur, quia sciebat quod præter attentionem internam necessariæ esset ad implendum præceptum dicendi Horas Canonicas, & audiendi Missam intentio formalis, vel virtualis, qua quis vult dicta præcepta adimplere. Ex quo deducitur, quod si quis audiat Missam ex deuotione, putans non esse diem festum, an teneatur postea aliam Missam audire? Ex quo etiam aduertitur, satisfacere præcepto, qui vult Missam audire, vel recitare Officium cum voluntate expressa non adimplendi præceptum recitandi Officium, & audiendi Missam; nec opus esse mutare animum in tempore habili, & applicare pro implendo præcepto Missam illam auditam, & Officium recitatum. Et etiam infertur, quid est sentiendum de Sacerdotibus dubitantibus, an habuerint intentionem requisitam consecrandi Hostiam, an illis tantùm præcipiatur proferre verba consecrationis attentè, & deuotè, non autem vt proferat cum intentione aliqua actuali volendi consecrare, aut satisfaciendi præcepto obliganti ad consecrandum?* Ex part.3.tract.6.& Miscell.2. resolut.68. ibidem.

2. *An si quis audiat Missam sine interna attentione, satisfaciat præcepto Ecclesiæ? Ex quo infertur, satisfacere cum præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui tempore Sacri legit Horas Canonicas, ad quas obligatur. Et notatur, quod qui audit integram Missam, si simul duas partes duorum Sacerdotum audit, etiam satisfacere præcepto audiendi Missam.* Ex p.4.tr.4. & Misc.res.107.p.222

3. *An qui voluntariè sine attentione interna audiret Missam, teneatur postea aliam iterum audire? Idem videtur dicendum de recitatione Officij diuini.* Ex p.10. tr.15.& Misc.5.res.2.ibid.

4. *An si quis audiat Missam impositam pro pœnitentia à Confessario sine interna attentione, satisfaciat? Idem est de recitatione Rosarij à Confessario imposita, si quis sine interna attentione recitat. Et an qui audit Missam ex præcepto Ecclesiæ in diebus festiuis sine interna attentione, satisfaciat præcepto? Et an Sacerdos satisfaciat præcepto Ecclesiæ de audienda Missa diebus festiuis, si Missam dixerit cum voluntaria distractione? Et an prædictus Sacerdos peccet mortaliter, si cum voluntaria distractione celebrat Missam non de præcepto, sed de Feria, vel de Sancto, & non in die Festo? Et obiter quæritur, quando Canon Missæ incipiat, an à* Te igitur, *vel à* Communicantes, *vel an verò à verbis,* Qui pridie quàm pateretur, *& quando finiat, an vsque ad* Libera nos, *vel vsque ad sumptionem?* Ex p.10. tr.11. & Misc.1. res.6.p.223

5. *Quis summo mane audiuit Missam; postea Episcopus fecit illum diem festiuum de præcepto. Quæritur an teneatur audire aliam Missam? Ex quo infertur, an si quis mane communicauit, si postea in eadem die incidat in periculum mortis, teneatur iterum sumere Eucharistiam? Et an si quis in die festiuo audiat Sacrum immemor præcepti, teneatur ad aliud Sacrum audiendum? Et an si quis audiret Sacrum cum postiua intentione non satisfaciendi præcepto, adhuc satisfaciat, nec teneatur ad aliud Sacrum audiendum? Et quid si talem intentionem habuerit, qui vouerit audire Sacrum, an vtique iste teneatur audire secundum Sacrum?* Ex p.10.tr.15.& Misc.5.ref.4.p.224

6. *Quænam distantia ab Ecclesia excuset, vt quis non teneatur illam adire ad audiendam Missam in diebus festiuis? Et aduertitur, quod si fortè contingat in vrbe plura esse templa, & loca interdicta, longiusque distare Ecclesiam aliquam intra vrbem, vel in suburbiis liberam ab interdicto, tenebuntur etiam fœminæ delicatæ, & alicuius authoritatis, secluſa graui cœli intemperie eò ire, vt in die festiuo audiant Missam.* Ex p.10.tr.11.& Misc.1.ref.8.ibid.

7. *An distantia vnius leucæ sit sufficiens, vt quis ab audienda Missa excusetur? Et quid, si iter cum equo faciendum sit? Et an hoc intelligatur in tempus, quod non sit serenum, aut in via sint flumina, torrentes, & huiusmodi, aut si equus, mula, aut asinus, in quo iter quis acturus sit, sint tardi, lenti, &c. Et docetur miliarium sufficere ad excusandum quemlibet à Missa, specialiter fœminas delicatas, & alicuius authoritatis.* Ex p.10.tr.15.& Misc.5.ref.35.p.225

8. *An mater, vel nutrix excusetur ab audienda Missa, si non potest infantulum domi relinquere, sed necesse sit secum in Ecclesia deferre? Idem est de ancillis, quæ infantibus assistere debent.* Ex p.10. tr.15. & Misc.5. ref.36

9. *An pueri habentes vsum rationis teneantur statim præcepto audiendi Missam?* Ex p.5. tr.13. & Misc.1. ref.77.p.226

10. *An mutus, surdus, & cæcus teneantur Missam in diebus festiuis audire?* Ex p.5.tr.6.ref.8.ibid.

11. *An Serenissimus Senatus Venetus, & omnes alij, qui audiunt Missam in Templo D.Marci, dici solitam à Primicerio illius Ecclesiæ ante mediam noctem, satisfaciant præcepto audiendi Missam in die Natiuitatis Domini? Idem est dicendum de audientibus Sacrum, quod in Capella Pontificia dicitur ante mediam noctem in prædicta nocte Natiuitatis Domini. Et obiter notatur, quod semper Primicerius Templi sancti Marci Veneti celebrat ieiunus in prædicta nocte, quod non accidit in Cardinali celebrante in supra dicta nocte in Capella Pontificis; quia saltem Pontifex dispensat tacitè, vt in Capella Pontificia dicatur Missa à Cardinali non ieiuno.* Ex p.10.tr.14. & Misc.4.ref.37. aliàs 35.p.227

12. *An quis satisfaciat præcepto, si audiat Missam Natiuitatis, quæ coram Summo Pontifice in illa nocte ab Eminentissimo Cardinali celebratur? Et an in tali casu Pontifex anticipet diem sequentem, vel dispenset, vt Cardinalis celebret non ieiunus?* Ex p.7. tr.12. & Misc.3.ref.12. aliàs 10.p.228

13. *An famuli, qui non habent aliud tempus confitendi, nisi dum dicitur Missa, satisfaciant præcepto audiendi Sacrum in diebus festiuis? Et cursissimè docetur licitum esse ob notabile commodum temporale etiam à Sacro abesse, si alia ratione id obtinere quis nequit. Et aduertitur, quod ad satisfaciendum præcepto Missæ absolutè non opus est audire verba, aut videre Sacrificantem, sed sufficit, vt interstit cum reuerentia, vt Sacrificium sua præsentia honoret. Et an satisfaciat præcepto audiendi Missam Religiosus, vel Sacerdos podagra laborans, qui audit Missam, & simul excipit confessiones Nouitiorum, vel peccata venialia aliorum?* Ex p.10.tr.14. & Misc.4. ref.47. aliàs 45. p.229

14. *An excommunicatus maiori excommunicatione, in die festiuo ex præcepto audiat Missam, & postea obtineat absolutionem excommunicationis, teneatur iterum audire aliam Missam? Et cursim docetur, quod si quis audiret Missam animo non satisfaciendi præcepto, si postea mutet animum, non tenetur audire Missam aliam. Et an in casu, quo promulgetur præceptum audiendi Missam aliqua die, postquam Petrus ea die cum deuotione Sacrum audiuit, teneatur ad secundam audi-tionem? Ex quo infertur, quod si quis mane communicauit, & post prandium incidit in articulum mortis, non tenetur iterum sumere Eucharistiam. Superest adhuc alia difficultas, an excommunicatus, qui ob pertinaciam suam perseuerat in excommunicatione, peccet contra præceptum audiendi Missam? Et an idem dicendum sit de infirmo negligente in procuranda salute & viribus, & de carcerato negligente in procuranda libertate? Et an sit dispar ratio inter hoc præceptum, & præcepta confessionis annuæ, & communionis paschalis? dictis excommunicatis, carceratis, & infirmis? Et an peccet non audiendo antea Sacrum, qui prandet, & proximo se reddi impotentem ad illud audiendum incurrendo in excommunicationem, vel se inebriando, aut ingrediendo peregrinationem, vel iter voluntarium, &c.* Ex p.10.tr.14.& Misc.4.ref.12. aliàs 10. ibid.

15. *An qui audit Missam à Sacerdote excommunicato vitando, vel à degradato, & deposito, aut suspenso, vel interdicto, impleat præceptum Ecclesiæ de audienda Missa in die festiuo? Et infertur eum, qui excommunicatus audit Missam in die festo, quamuis peccet sic audiendo, si tempore opportuno eadem die absolutus ab excommunicatione, non teneri iterum Missam audire, postquam iam est absolutus, quia impleuit præceptum etiam excommunicatus, sicut qui in peccato mortali, vel excommunicatus in Paschate impleuit præceptum Ecclesiæ de communione. Et notatur excusatus ab auditione Missæ in die festiuo eos, qui non habent alium Sacerdotem, quàm publicè concubinarium. Et an satisfaciat Missæ præcepto, qui inferiens Missæ aliquando recedit à sacrificio? Et an satisfaciat præcepto, qui Missam audit per fenestram, interpositam plateam?* Ex p.10.tr.11.& Misc.1.ref.7.p.230

16. *An licitum sit à Ministro existente in peccato mortali petere celebrationem Missæ, vt quis satisfaciat præcepto illam audiendi, vel sumendi Eucharistiam tempore Paschatis? Et an hoc intelligatur, siue Minister sit paratus ad ministrandum, siue non, siue proprius Parochus, & Pastor, siue non, modò adsit necessitas, vel insta & rationabilis causa, & mea voluntas? Et in textu huius Resolutionis adducuntur aliqui diuersi casus pro praxi supradictarum difficultatum.* Ex p.10.tr.11.& Misc.1.ref.63.p.231

17. *An si quis audiat Missam è fenestra domus suæ, impleat præceptum? Et an si quis audiat Missam stans extra Ecclesiam in eius atrio, seu Cœmeterio, satisfaciat præcepto?* Ex p.1.tr.4.& Misc.ref.154.p.32

18. *An qui audit Missam è fenestra domus suæ, adimpleat præceptum? Et docetur existentes post parietem Ecclesiæ, & Missam audientes, satisfacere præcepto. Et an quamuis Missa dicatur in Altari valde remoto, vel alia Turri, & esset priuata, an verè dicatur moraliter præsens illi, ac proinde satisfacere præcepto, quamuis nec Sacerdotem videat, nec audiat?* Ex p.10. tr.14.& Misc.4.ref.49. aliàs 47. ibid.

19. *An quando accidit Festum Annunciationis B. Virginis in die Parascues, sit Missa illius dici audienda sub reatu peccati mortalis. Et an Missa illius diei non sit Missa, neque propriè sacrificium, cum non fiat Hostiæ consecratio.* Ex p.2.tr.14.ref.62.p.233

20. *An qui audit Missam post Euangelium inclusiue, satisfaciat*

tisfaciat præcepto? Et an quis vnica Missa possit satisfacere pluribus vnam Missam petentibus sine stipendio? Ex p.4.tr.4.& Misc.res.196.ibid.

21. *An qui audit Missam post finitum Euangelium, satisfaciat præcepto? Et quid si ab Offertorio vsque ad benedictionem Sacerdotis interfit? Et cursissimè docetur, quod quis non tenetur Missæ interesse, nisi vsque ad missionem, vel benedictionem Sacerdotis, & ideo non tenetur audire Euangelium S. Ioannis, si in principio Missæ audiuit aliud primum Euangelium.* Ex p.5.tr.14.& Misc.2.res.70.p.234

22. *An in audiuione Missæ detur paruitas materiæ? Et an si quis non interfit consecrationi, & sumptioni, vel parti Canonis, licet reliqua omnia Missæ audiat, non satisfaciat præcepto?* Ex p.5.tr.5.res.44.ibid.

23. *An qui accedit ad audiendum Sacrum, dum Præfatio dicitur, & non sit aliud, teneatur illud audire? Et an peccet mortaliter, qui non assistit consecrationi, licet totam Missam audiat? Et an qui tamen vsque ad consecrationem interesse possit, censeatur adstrictus vsque ad illam assistere, cum in illa parte præceptum de audiendo Sacro nequeat impleri quoad substantiam?* Ex p.3.tr.6.& Misc.2.res.69.p.235

24. *An qui adest præsens, & audit totam Missam, dempto tempore consumptionis Sacrificij, adimpleat præceptum? Et Resolutio huius quæstionis pendet ex illa, an consumptio sit de substantia Sacrificij Missæ? Et infertur eum, qui de Ecclesia egreditur, quando Sacerdos vult consecrare, & finita consecratione, statim regreditur, peccare lethaliter, nec satisfacere præcepto. Et quid dicendum est de eo, qui tempore non solum sumptionis, sed etiam consecrationis ingrederetur Sacristiam ad asserendum aliquid necessarium, an satisfaciat præcepto de audienda Missa in die festo? Et quid etiam, si quis exiret extra Ecclesiam ad faciendum, vel deferendum aliquid ad Missam necessarium?* Ex p.10.tr.14. & Misc.4.res.48. alias 46.ibid.

25. *An si quis adesset præsens tempore consecrationis, satisfaceret præcepto Missæ? Et quid si quis voluntarie, & sine necessitate exeat ante consecrationem, & vtraque facta redeat, an censeatur omisisse partem notabilem, itavt non impleat præceptum Missæ? Et quid si omisisset à consecratione inclusiuè, vsque ad Pater noster, etiam inclusiuè? Et deducitur, an essentia Sacrificij consistat in consecratione, vel communione? Et an, qui venit in medio Missæ vltimæ, teneatur saltem audire illam partem, quæ restat? Sic etiam Feria sexta hebdomadæ Sanctæ non tenetur quis adesse Officio illius diei, etiam occurrente Festo. Et an qui tempore consecrationis ingressus fuisset Sacristiam, vt offerret aliquid ad Sacrificij cultum necessarium, satisfaciat præcepto audiendi Missam? Et docetur eum satisfacere præcepto audiendi Missam, etiamsi in illa audienda voluntariam mentis euagationem, & distractionem haberet. Idem est in recitatione Horarum Canonicarum.* Ex p.5.tr.13.& Misc.1.res.61.p.236

26. *An qui audit Missam ab vno Sacerdote a consecratione vsque ad finem, & postea ab alio vsque ad consecrationem, satisfaciat præcepto? Et non est dubium, quod satisfacit, si priorem partem Missæ prius audiat, & posteriorem posterius. Et an aliquis possit adimplere præceptum audiendi Missam sine graui violatione, si simul tempore audiat à duobus Sacerdotibus, ab vno à principio Missæ vsque ad consecrationem, & ab altero simul tempore à consecratione vsque ad finem? Et docetur posse aliquem eodem tempore tres Missas audire, & satisfacere præcepto, voto, & pœnitentiæ. Idem est, si imponatur à Confessario pœnitentia audiendi, v.g. duas Missas, quas pœnitens potest eas audire simul tempore à duobus Sacerdotibus.* Ex p.5.tr.14.& Misc.2.res.52.ibid.

27. *An qui audit duas partes Missæ successiuè, diuidendo partes substantiales, satisfaciat præcepto? Et docetur non satisfacere præcepto Confessarij de audiendis Missis duabus illum, qui simul tempore ambas audiret, quod aliqui asserunt de illo etiam, qui ex voto, vel pœnitentia sibi iniuncta tenetur audire plures Missas. Et quæritur, an essentia Sacrificij consistat in sola consecratione?* Ex p.8.tr.7.& Misc.res.89.p.237

28. *An Petrus satisfaciat præcepto Missæ, qui eodem tempore Sacrum duorum Sacerdotum media ex parte audiuit, nempe Missam vnius Sacerdotis vsque ad consecrationem, & Missam alterius Sacerdotis à consecratione vsque ad finem? Et quid, si quis has duas dimidias Missas audiat successiuè, quamuis non seruet ordinem? Et an qui duplicem Missam audire tenetur, possit eas simul audire, dum ea in duplici Altari simul celebrantur?* Ex p.2.tr.17.& Misc.3.res.18.ibid.

29. *An quis satisfaciat præcepto, si simul audiat Missam à duobus Sacerdotibus, ab vno ab initio vsque ad consecrationem, & ab alio à consecratione vsque ad finem? Et an quis possit breuissimo temporis interstitio, & intra duo minuta Missam audire, si in quatuor, vel decem, v.g. Altaribus variæ Missæ, proportionata temporis anterioritate sic celebrentur? Et an quis possit eodem tempore tres Missas, quæ à tribus Sacerdotibus celebrantur, audire, & satisfacere pœnitentiæ iniunctæ à Confessario audiendi tres Missas? Idem est de illo, qui ex vi præcepti, voti, & pœnitentiæ obligatur audire tres Missas.* Ex p.10.tr.15.& Misc.5.res.3.p.238

30. *An eadem actione duobus præceptis satisfacere possimus? Et ad roborandam sententiam negatiuam diuersi casus adducuntur in textu huius Resolutionis. Et hæc quæstio maximè proponitur pro præcepto audiendi Missam in die festo.* Ex p.11.tr.1.& Misc.1.res.3.p.239

His verò adduntur reliquæ omnes difficultates, quæ simul pertinent ad istum *Tractatum 3. de Audienda Missa in die festo, huius Tom.2.* quæ mistæ, vel diuagantes latent in cæteris Tomis, Tract. & res. huius totius Operis, vt suauiùs, & facilius reperiantur omnes quæstiones.

AN Rubricæ Missalis de stando, capite discooperto, inclinato, stando, vel surgendo, vel hoc, aut illo modo, non habeant vim legis, aut præcepti, sed solum sint directiuæ, vt magis piè, & Religiosè dicatur, & audiatur Missa solemnis, quæ communiter seruantur etiam in auditione Missæ priuatæ? Ex p.10. tr.11. ex res. 33. *Quæ nunc inuenietur* in tom.3. tr.6. de Horis Canon.res.45

An si Episcopus ferat excommunicationem in eos, qui non audiunt Sacrum in Paræcia, excommunicatio sit nulla? Et deducitur, quod stante consuetudine, & priuilegiis, non tenentur fideles audire Missam, & concionem diebus Dominicis, & Festiuis in templis Paræcialibus. Ex p.10. tr.13. ex res. 25. *Quæ hîc reperietur* in tom.3.tr.3. de Potestate Episcopi, res.87

An tempore pestis possit Episcopus dispensare in præcepto audiendi Missam in diebus festiuis cum omnibus domi reclusis propter suspicionem pestis, vel in tali casu quid est faciendum? Et an peccet mortaliter, non audiendo Missam in diebus festiuis, qui in nocte proxima se inebriat, & se facit impotentem audiendi Missam die sequenti? Et an qui dubitat, si hodie sit dies festiuus, teneatur Missam audire. Et an Scholares, famuli, Milites, aduenæ, peregrini, hospites, extranei, & alij similes ad quemcunque locum confluentes, & ibidem per maiorem partem anni residentes, cum animo tamen ad patriam suam redeundi, seclusa scandalo, non teneantur audire Missam diebus festiuis illius loci. Et quid de peregrinis, quorum

præsentia solum est in transitu per duos, vel tres dies, an teneantur audire Missam diebus festiuis illius loci? Et an si quis violet duo præcepta ab Ecclesia indicta in vnum diem incidentia audiendi Missam, peccet dupliciter? Ex p.10. tr. 14. ex ref. 5. aliàs 3. & ex ref.13. aliàs 11. & in p.4.tr.3. ex ref.21.& in p.10.tr.13. ex ref.37. & in p.1.tr.9. ex ref.2.& 16. *Quæ hic sunt* in tom.4.tr.6. de Ieiunio,ref.69.18.2.39.46.& 63

An ille, qui in die festo patriæ se transfert ad alium locum, vbi dies festus non est, laborandi causa, teneatur prius audire Missam, si in ipso mane diei festi exit? Ex p.1. tr.10. ex ref. 14. §. Scio, ante medium. *Quæ nunc inuenietur* in tom.6.tr.1. de Legibus, ref.48

An quis pro euitando mortis periculo possit celebrare non ieiunus, vel excommunicatus, vt præsentes audiant Missam in die festiuo? Et an licitum sit celebrare in mari ad solum audiendam Missam in diebus festiuis? Et an si Sacerdos in casu non sibi permisso celebraret duas, vel tres horas post meridiem, & aliquis audiret talem Missam, an satisfaceret præcepto audiendi Missam in die festo? Ex quo deducitur, sed dissoluitur, quoddam absurdum, videlicet an quis possit satisfacere præcepto de audienda Missa pro die Dominica, si in ipsa Dominica audiret Missam, quæ in Capella Papali in illa die ante mediam noctem celebratur, quando dies Natalis Domini incidit Feria secunda? Ex p.5. tr.3.ex ref.39.& 40. & in p.10.tr.12.ex ref.22. *Quæ hic sunt* suprà in hoc ipsomet tom.2.tr.1.de celebrat. Missarum, ref.129.135.& 208

An Sacerdos possit celebrare sine præuia confessione, vt ipse, vel alij satisfaciant præcepto audiendi Missam, quia de Parocho non est dubitandum? Ex p.9. tr.3. ex ref.9. *Quæ nunc inuenietur* in tom.1. tr.3. de Pœnitentia, ref.151

An si quis habeat pro pœnitentia audiendi quotidie Missam per vnum mensem, vel annum, si aliquando audiat Missam immemor talis pœnitentiæ, quæritur an satisfaciat præcepto pœnitentiæ iniunctæ, & satisfactio illa sit pars Sacramenti, vt possit prodesse ex opere operato; vel necessarium sit, vt prædicta auditio referatur ad confessionem? Et quid si pœnitentiam adimpleuit animo expresso non satisfaciendi, an adhuc satisfaciat præcepto Confessarij, sed tamen non habeat rationem partis Sacramenti? Et an si Confessarius præcipiat, vt in diebus festiuis duæ Missæ audiantur, an intelligenda sit Missa, quæ in præcepto est? Et an si Confessarius iniunxit duas Missas audire, satisfaciat pœnitens, si simul eas ex vno loco audiat à duobus Sacerdotibus? Et an qui per mensem singulis diebus habuit pœnitentiam audiendi Missam, teneatur diebus festiuis duas Missas audire? Ex p.10. tr.16. ex ref.26. aliàs 25. & in p.3. tract. 4. ex ref. 83. aliàs 84. & in p.5.tr.14. ex ref.61. & 71. *Quæ hic reperiuntur* in tom.1. tr.6. de satisfactione Sacramentali, resol.33. 12.51. & 52

An qui non audit Missam in die Dominica, in quam incidit Festum alicuius Sancti, satisfaciat dicendo in confessione, se in die festo semel Missæ Sacrificium prætermisisse? Et an si quis omisit Sacrum propter studium, &c. teneatur explicare in confessione hanc circumstantiam? Ex part.1. tract.7. ex resol. 22. & 62. *Quæ hic sunt* in tom. 1. tract. 7. de circumstantiis, ref.58. & 59

An excommunicatus non audiendo Missam peccet contra Ecclesiæ præceptum, si sit negligens in obtinenda absolutione excommunicationis? Et an qui per annum non audit Missam in diebus festiuis, si postea, obtenta absolutione excommunicationis, confiteatur, teneatur se accusare, quod peccauerit toties contra præceptum audiendi Missam? Et an qui dubitat se esse excommunicatum, possit audire Missam? Et an excommunicatus incurrat aliquam pœnam, si Missæ, aut diuinis Officiis assistat? Et an prohibeatur, ne quis simul cum excommunicato audiat eandem Missam? Et an prætextu excommunicationem minorem poterit excusari à mortali, si careat inductione, & operatione, & sit absque contemptu, & scandalo? Ex p.4. tr.4. ex ref.57. & in tr.3. ex ref.66. & in p.5. tr.9. ex ref.95. & 96. *Quæ nunc inuenientur* in tom.5.tract.1.de excommunicatione,ref.129.& 134.135.& 136

An laicus interdictus, si sine scandalo audit officia diuina, præsertim Missam in loco interdicto, peccet mortaliter? Et an licitum sit alicui non interdicto audire Missam Sacerdotis interdicti personaliter? Ex part.3. tr.10. ex ref.69. aliàs 68. & 64. *Quæ hic reperiuntur* in tom.5.tr.4.de Interdicto, ref.3. & 14

Explanatur hominem in carcere detentum, & existimantem peccare non audiendo Missam, nequaquam peccare. Et quæritur, an qui errauit vincibiliter, putans hac hebdomada nullum esse diem festiuum, cum tamen sit; adueniente die festo, si Missam non audiat, non sibi occurrat dubium esse diem festiuum, peccabone omittens Missam? Ex p.9. tr.8. ex ref.47.& 48. *Quæ hic sunt* in tom.8.tract.2. de conscientia dubia,ref. & 19

An quando quis vouit indeterminatè pro aliquo die audire verbi gratia tres Missas, & de qualibet earum omittat partem non notabilem; an, inquam, peccet mortaliter? Ex part.3. tract.6. ex ref.41. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 8. tract.3. de Paruitate materiæ, resol.2

An mulier, si sciat se concupiscendam ab aliquo laico, teneatur non exire de domo ad audiendum Sacrum? Et an sit peccatum scandali redimere vexationem iniustam Sacerdotis, qui non vult celebrare Sacrum, nisi pecuniis alliciatur ad audiendam Missam in festo? Ex part.5. tract.7. ex resol. 22.& 16. *Quæ hic reperientur* in tom. 7. tract.5. de scandalo,tit. & 4.

An si fiat prælatio in die festo, etiam extra necessitatem, si Missa audiatur, non sit peccatum mortale? Et an quando bellum est in procinctu, teneantur milites ad audiendam Missam in die festo? Ex p.4. tract.3. ref.229. & ex part.6. tr.4. ex ref.32. *Quæ hic sunt* tom.7.tr.7.de Bello,ref.42. &43

An serui possint licitè obedire Dominis, si præcipiant audiant Missam in diebus festiuis? Ex part. tract.7. ex ref.53 aliàs 52. *Quæ nunc inuenientur* tom.7.tr.8.ref.50

An causa pendente, sit admittendus hæreticus ad audiendam Missam, necne? Ex part.4. tract.8. ex ref. *Quæ hic reperientur* in tom.5.tract.10.de Inquisitoribus, ref.55

An habens priuilegium Bullæ Cruciatæ audiendi Missam tempore interdicti, & habens breue audiendi Missam in priuato Oratorio, teneantur illam audire? Ex p. tr.3.ex ref.3. *Quæ hîc est* in tom.3. tr.1. de potestate Pontificis, ref.102

An in priuatis Oratoriis licitum sit virtute Bullæ Cruciatæ non solum in diebus concessis, sed etiam in Festiuitatibus prohibitis ibi audire Missam? Et quid de temporibus prohibitis ibi audire Missam? Et quid de tempore interdicti? Et quomodo intelligendum est priuilegium cum consanguineis, familiaribus, &c. ad audiendum Missam in diebus festiuis in supradicto Oratorio? Et an si quis extraneus audiat Missam in die festiuo in priuato Oratorio alicuius Magnatis, satisfaciat præcepto? Et quid de audientibus Missam in dicto Oratorio de licentia Parochi. Et infertur habentem indultum Oratorij priuati, si sit in causa, vt in die festo præceptum, nè prohibitæ audiant Missam ibi, peccare mortaliter. Etiamque deducitur in casu, quo quis nequeat audire Missam, nisi in aliquo Oratorio priuato, non tenetur illam ibi audire. Et è contra si quis audiat Missam in Oratorio priuato bona fide, si postea cognoscit illud

sibi prohibitum, teneri audire aliam Missam, vt adimpleat præceptum. Sed quid dicendum est de audientibus Missam in Oratoriis Episcoporum, & Regularium, & in Oratorio alio priuato ex priuilegio Cruciatæ? Ex p.4. tr.4.ex res.76. & in p.5. tr. 10.ex res.77.aliàs 76. & in p. 9.tr. 1.ex r.3. *Quæ nunc inuenientur* in tom.4. tr.2.de Oratoriis priuatis, res. 55.52.& 42.

Nota, quod in prædicto tom.4. & tract.2. de Oratoriis priuatis, *sunt multæ aliæ difficultates mistæ pro aliis diuersis casibus circa auditionem Missæ in dictis priuatis Oratoriis, quos ibidem inuenies* in res.2. 3. 7. 8. 27.28. 35.36. 37.38. 40.48.49.51. 52.53.55. 56.58. 4.5.9. 10.12.31. 33.39. & 41. & non in aliis præcitati tractatus.

TRACTATVS IV.

De Sacramento Extremæ-Vnctionis. pag.241.

1. *AN in casu extremæ necessitatis, si non adsit Oleum benedictum ab Episcopo, possit Sacerdos illud benedicere, vel vti Oleo non benedicto ad vngendum moribundum? Et an saltem Sacerdos ex commissione Episcopi possit prædictum oleum benedicere? Et an si ægrotus superuixerit, vngendus esset iterum sub conditione cum oleo benedicto ab Episcopo, si tunc adsit? Et an solum ex præcepto, vel ex necessitate Sacramenti requiratur, vt oleum Extremæ-Vnctionis sit benedictum ab Episcopo? Et an si forte non esset aliud oleum, quàm Chrisma, sit peccatum de facto illo inungere infirmum moribundum? Et an si Sacerdos per errorem contulit hoc Sacramentum Extremæ-Vnctionis cum sacro Chrismate, nihil sit repetendum? Et an peccet mortaliter Sacerdos, qui oleo veteri, & non ab Episcopo eo anno benedicto vngeret infirmos? Et an infirmi, qui omnino à natiuitate visu, vel auditu carent, sint in periculo mortis vngendi? Et cursim docetur, quod qui carent membris vngendis, vel organo, vngendi sunt in parte proxima membri, vel organi deficientis?* Ex part.10.tr.16.& Misc.6.res.81.ibid.

2. *An si deest oleum Extremæ-Vnctionis, possit Parochus Sacramentum illud ministrare cum Chrismate? Et vtrũ valeat Sacramentum Extremæ-Vnctionis, si fiat sacro Chrismate? Et docetur, quod si Sacerdos per errorem contulit hoc Sacramentum cum sacro Chrismate, nihil est repetendum? Et dubitatur, an sit peccatum veniale ministrare Sacramentum Extremæ-Vnctionis non in forma Crucis? Et an oleum consecratum præcedenti anno, si supersit, & non sit combustum, possit in necessitate misceri cum oleo benedicto præsentis anni, si hoc non sufficiat? Et si postquam ea mistio facta est, afferatur aliud oleum nouum, quod censeatur sufficere pro toto illo anno, an comburi statim debeat iuxta visum Ecclesiæ illud oleum mistum ex nouo & veteri, vel possit seruari?* Ex part.10.tr.11.& Misc.1.res.15.p.242

3. *Vtrum si pro administratione Sacramenti Extremæ-Vnctionis addatur oleo consecrato maior quantitas olei non consecrati, remaneat, hoc non obstante, consecratum? Et quid est dicendum de oleo addito Chrismati? Eadem est ratio additionis ad aquam benedictam.* Ex part.11.tr.3.& Misc.3.res.15.p.243

4. *An oleo benedicto Extremæ-Vnctionis simul, vel variis vicibus non possit admisceri, nisi pars adiecta sit minor quantitate primùm ab Episcopo benedicta? Idem cursim infertur dicendum de aqua benedicta, quod scilicet aqua non benedicta aquæ benedictæ superaddita censetur acquirere benedictionem?* Ex part.9. tr.6. & Misc.1.res.43.aliàs 44. p.244

5. *An liceat Parochis mittere oleum Extremæ-Vnctionis ad infirmos, vt eo vngantur? Et docetur antiquos Patres Vnctionem curatiuam infirmis adhibuisse, etiam per non Sacerdotem, sed oleo benedicto à Sacerdotibus, non ab Episcopo pro materia Sacramenti Extremæ-Vnctionis?* Ex part.9.tr.6.& Misc.1.res.42.aliàs 43.p.245

6. *An vna gutta olei sit sufficiens in vnaquaque Vnctione ad conferendum Sacramentum Extremæ-Vnctionis? Ex quo infertur, vnam guttam aquæ sufficere ad validitatem Baptismi.* Ex part.3.tr.4. res.176.aliàs 177. p.246

7. *Quidam Sacerdos vnxit infirmum cum oleo veteri: quæritur, an peccauerit mortaliter? Ex quo sequitur, esse peccatum mortale, vel oleum benedicere alio die, quàm Feria quinta Parasceues, vel illud singulis annis non renouare. Et notatur, quod si Sacerdos per errorem vngeret infirmum non oleo, sed sacro Chrismate, nihil esse repetendum.* Ex part.3.tr.4.res.175.aliàs 176. ibid.

8. *An moribundo sit ministranda Extrema-Vnctio cum oleo alterius anni? Et docetur, vrgente articulo mortis, perfici posse Sacramentum Extremæ-Vnctionis breuissima, & tenui linitione vnius oculi, auris, manus, narium, & oris, etiam absque signo Crucis, & sub vna forma communi,* Per istam sanctam Vnctionem, &c. *Et an sit necessaria vnctio pedis?* Ex part.5.tr.3.res.90.ibid.

9. *An si Parochus portet domi oleum Extremæ-Vnctionis, timens de nocte ad moribundum vngendum vocari, secluso scandalo, peccet mortaliter? Et quid si post vnctionem factam, vt se citius expediat, Parochus non reponit oleum ad solitum locum? Et docetur non debere Parochum sine lumine Extremam-Vnctionem deferre. Et notatur, vrgente periculo mortis, posse Sacerdotem sine Ministro administrare hoc Sacramentum, atque etiam sine alia solita præcautione præuia.* Ex p.5.tr.3.res.91.ibid.

10. *An tempore pestis possit Sacerdos vngere vnam tantum partem dicendo consuetam formam, v.g.* Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum: *vel an sit necessarium in prædicto casu saltem velocissimè sine forma Crucis vngere vnum oculum, vnam manum, aurem, narem, & os, & dicere,* Per istas sanctas vnctiones, &c. *Et an extra casum necessitatis, si Sacerdos faceret vnctiones non in forma Crucis, minimè peccet lethaliter?* Ex part.3. tract. 4. res. 167. aliàs 168. p.247

11. *An liceat ministrare infirmo peste laboranti Extremam-Vnctionem vngendo vnicum corporis sensum, v.g. manum solam, vel oculum solum, ac vti forma verborum generali,* Per istam sanctam Vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti? *Et in §. vltimo huius Resolutionis assignantur tres casus, in quibus saltem Sacramentum istud posset à Sacerdote per vnicam vnctionem perfici.* Ex part.5.tr.3.res.80.ibid.

12. *An Parochus vngendo infirmum, si reliquerit vnctionem, v.g. aurium, vel oculorum, teneatur iterum ministrare Sacramentum? Et an saltem debeat suppleri Vnctio partialis omissa? Et quid si tempus notabile intercessit, an tunc debeant singulæ Vnctiones repeti? Et additur, quod multi tenent, quod non sint Vnctiones omnes Sacramento huic intrinsecæ, ac essentiales, sed vnicam Vnctionem sufficere de necessitate Sacramenti in administratione Extremæ-Vnctionis. Et an secluso scandalo & contemptu, hoc Sacramentum omittere, vel nullum sit peccatum, vel tantum veniale?* Ex p.10. tr.12.& Misc.2.res.31.p.248

13. *An sit de necessitate Sacramenti Extremæ Vnctionis, vt sensus, qui vngitur, nominetur? Quod sit de necessitate præcepti non est dubitandum. Et an si omitteres dicere,* Per hanc sanctam Vnctionem, *esto vngeres, Sacramentum non conficeres; & secus si solùm illud ver-*

bum ſanctam, *relinqueres? Et quid ſi imperatiuo modo peccatorum remiſſionem promitteres, dicens*, Per hanc ſanctam Vnctionem remittatur tibi quidquid peccaſti per viſum, &c. *Et an omiſſio illorum verborum*, Per piiſſimam miſericordiam, *ſit eſſentialis? Et notatur, quod poteſt Sacramentum Extremæ Vnctionis à pluribus Sacerdotibus validè confici, ſi vnus aliquam functionem efficiat, & formam ei reſpondentem proferat, alter verò reliquum perficiat. Et ſi poſt vnam, vel alteram Vnctionem peractam, & formas partiales eis reſpondentes prolatas Miniſter interiret, poſſit Sacerdos reliqua abſoluere. Et quid eſt faciendum, ſi abſoluiſſet quidem Vnctionem aliquam, ſi nullam formam adhæc protuliſſet? Et notatur ex priuilegio poſſe Regulares conferre Extremam-Vnctionem familiaribus Regularium, hoſpitibus, iter agentibus, peregrinantibus. Architectis, aut cuiuſvis artis, aut Officij Officialibus, qui in Monaſterio operam dant, ſiue ſint exteri, ſiue ciues illius Vrbis, & his, qui Eccleſiæ Immunitate gaudent, & omnibus tandem laicis, quibus contingit intra Conuentuum ſepta repentino caſu hoc Sacramento indigere; & etiam iis, quibus in prædiis, ſeu Grangiis Regularium hoc euenerit.* Ex part. 9. tract. 7. & Miſc. 2. reſ. 56. p. 249

14. *An Sacramentum Extremæ-Vnctionis, ſi in forma non exprimatur ſenſus, qui vngitur, ſit validum? Et docetur non eſſe de eſſentia huius Sacramenti, quod oleum ſit ab Epiſcopo benedictum. Ex quo infertur, an hoc etiam admitti debeat in benedictione Chriſmatis pro Sacramento Confirmationis?* Ex part. 10. tract. 12. & Miſc. 2. reſ. 32. p. 250

15. *An forma deprecatiua in Sacramento Extremæ-Vnctionis ſit de neceſſitate Sacramenti? Et an debeat iterari hoc Sacramentum ſine conditione, ſi aliquis illud conficeret ſub forma indicatiua? Et an ſit ſufficiens hæc forma*, Vngo te oleo ſancto, & Deus tibi remittat quidquid peccaſti, &c. *Et notatur, quod verba formæ huius Sacramenti ſunt iſta.* Per iſtam ſanctam Vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, &c. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, *quæ quidem vltima verba*, In nomine Patris, &c. *non ſunt neceſſaria, neque de neceſſitate præcepti. Et an illa verba*, ſanctam, & piiſſimam, *ſint ſubſtantialia? Et quid de illis verbis*, ſuam miſericordiam, *& de particulis illis* per viſum, per auditum, &c. Ex part. 3. tract. 4. reſ. 174. aliàs 175. p. 251

16. *An ſit peccatum miniſtrare Sacramentum Extremæ-Vnctionis ſub his tantùm verbis.* Per iſtam ſanctam Vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti? *Et aliqua alia explanantur pro verbis contentis in conſueta forma huius Sacramenti. Et tandem docetur eſſe mortale amplecti opinionem probabilem circa formas, & materias Sacramentorum, relictis certis, & præſcriptis ab Eccleſia.* Ex part. 11. tract. 1. & Miſc. 1. reſ. 18. p. 252

17. *An qui in formâ Extremæ-Vnctionis omitteret illa verba*, per ſuam miſericordiam, *conficeret Sacramentum? Ex quo deducitur, quid eſt ſentiendum de omiſſione illius particulæ*: Per iſtam Vnctionem. Ex p. 3. tr. 4. reſ. 179. aliàs 180. p. 253

18. *An ſupradictæ Vnctiones faciendæ ſint in modum Crucis, ſaltem ex neceſſitate præcepti?* Ex part. 3. tr. 4. reſ. 177. aliàs 178. p. 254

19. *Notantur aliqua circa Ritus adminiſtrandi Sacramentum Extremæ-Vnctionis. Et an omittere recitationem Pſalmorum, & Litaniarum, & omnia, quæ in Manuali dicenda præſcribuntur, dum infirmus vngitur, ſit peccatum mortale, ſi abſque neceſſitate omittantur? Et an Sacerdos vnum ſaltem Clericum debeat adhibere, ſi poſſit, qui illum iuuet in Orationibus, & reſponſionibus? Et an in caſu neceſſitatis Sacerdos non habens Clericum, neque alium, poſſit vti in reſponſionibus miniſtræ fœminæ ſine peccato? Et an Sacerdos in defectu olei eiuſdem anni poſſit vti oleo veteri alterius anni? Et curſim docetur, neque eſſe de præcepto ſingulis annis oleum infirmorum renouari? Et an Extremæ-Vnctionis adminiſtranda ſit cum ſuperpelliceo, ſtola, & lumine? Et an in caſu neceſſitatis, ſi prædicta non extarent, poſſit Sacerdos, his non adhibitis, Extremam Vnctionem miniſtrare? Et deducitur, an liceat ad prædictum Viaticum dicere Miſſam ſine indumentis? Et an Sacerdos, ſi non haberet ſuperpelliceum, poſſit ſine illo miniſtrare Viaticum infirmo morituro?* Ex part. 9. tr. 6. & Miſc. 1. reſ. 45. aliàs 46. ibid.

20. *Quando Sacramentum Extremæ-Vnctionis confert gratiam? Et aſſeritur, quod tametſi plures Vnctiones fiant in hoc Sacramento, tamen videtur vna ſufficere ad eſſentiam Sacramenti, ſiue fiat in capite, ſiue in pectore*, &c. Ex part. 3. tr. 4. reſ. 178. aliàs 179. p. 255

21. *An Sacerdos, ſi vngendo infirmum moriatur, poſſit alius perficere Vnctiones prætermiſſas? Et an poſſit Preſbyter vnus vnam partem vngere, & alius aliam in neceſſitate?* Ex part. 5. tr. 3. reſ. 87. ibid.

22. *An in aliquo caſu licitè poſſint plures Sacerdotes miniſtrare ſimul Extremam-Vnctionem alicui moribundo? Et an ſatis ſit in adminiſtratione huius Sacramenti vnam guttam olei ſtillare?* Ex p. 5. tr. 3. reſ. 88. p. 296

23. *An Confeſſio ſit præmittenda antequam Parochus inungat moribundum? Et an ſit peccatum mortale conferre Sacramentum Extremæ-Vnctionis infirmo, antequam ſuſceperit Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ?* Ex part. 5. tr. 3. reſ. 92. ibid.

24. *An ſit abſoluendus moribundus, qui non vult reſipere Extremam-Vnctionem? Ex quo infertur, eſſe peccatum mortale omittere ex negligentia grani Sacramentum Confirmationis? Et curſim quæritur, an ſit præceptum ſumendi Extremam-Vnctionem tempore mortis?* Ex part. 5. tr. 3. reſ. 97. ibid.

25. *An Sacramentum Extremæ-Vnctionis ſit ſuſcipiendum ſub onere peccati mortalis, & illud ſub eodem onere teneatur Sacerdos Ordinarius in tempore neceſſitatis miniſtrare? Et notatur in caſu neceſſitatis, ſi Peſtor abſit, vel non poſſit, aut nolit iniuſtè hoc Sacramentum infirmo miniſtrare, tunc inferiorem Sacerdotem poſſe, renuente Parocho, hoc officium facere in præſumpta licentia Pontificis, & Eccleſiæ?* Ex part. 4. reſ. 169. aliàs 170. p. 257

26. *An Parochus teneatur tempore peſtis miniſtrare Extremam-Vnctionem, & Euchariſtiam cum periculo vitæ? Et quid ſi ſaltem peſte laborantes confeſſi ſunt, an Parochus tuta conſcientia in tali caſu non teneatur Sacramentum Extremæ-Vnctionis illis miniſtrare cum periculo vitæ? Et an Sacramentum Pœnitentiæ teneatur Parochi miniſtrare quibus ſcis, etiam cum periculo vitæ?* Ex part. 3. tr. 4. reſ. 173. aliàs 174. ibid.

27. *An Parochus tempore peſtis teneatur cum periculo vitæ miniſtrare Sacramentum Extremæ-Vnctionis? Et an in aliquo caſu poſſit Parochus excuſari à miniſtratione pœnitentiæ, vt quando eſſet certus moraliter, infirmum non habere conſcientiam peccati mortalis?* Ex part. 5. tr. 3. reſ. 93. p. 258

28. *An ægrotus, ſi non fuerit confeſſus in articulo mortis teneatur Parochus cum periculo vitæ Sacramentum Extremæ-Vnctionis illi miniſtrare? Et quid ſi aliquis peſte infectus, qui antequam incideret in amentiam, incidit in peccatum mortale, de quo ſolum habuit attritionem, an tunc Parochus teneatur cum periculo vitæ hoc Sacramentum miniſtrare, niſi Paſtor eſſet valdè neceſſarius, ex cuius morte multis immineret periculum ſpirituale?* Ex part. 5. tr. 3. reſ. 83. ibid.

29. *An ſi ægrotus ſit morti proximus, & non inueniatur Parochus, poſſit ſimplex Sacerdos, etiam Regularis Sacramentum Extremæ-Vnctionis infirmo miniſtrare?*

Et an si extrà casum necessitatis, absente Parocho, Sacerdos infirmum vngeret, in excommunicationem prater peccatum mortale incurreret; vel an hæc excommunicatio restricta sit tantùm pro Religiosis? Ex part.5.tr.3.ref.82.ibid.

30. *An excommunicatus nominatim, vel suspensus possit in articulo mortis ministrare infirmo Sacramentum Extremæ-Vnctionis? Et quid tamen si ægrotus confessus fuerit?* Ex part.5.tr.3.ref.81.p.259

31. *An in articulo mortis aliquando sit ministranda Extremæ-Vnctio ab excommunicato denunciato, & hoc etiam tempore interdicti? Et quid, si saltem aliud Sacramentum non sit possibile ministrari?* Ex part.5. tr.3.ref.89.ibid.

32. *An tempore interdicti possit moribundo conferri Extremæ-Vnctio, quando non potest recipere Sacramentum pœnitentiæ? Et an in dicto casu possit hoc Sacramentum ministrari ab excommunicato, & etiam denunciato Ministro?* Ex part.5.tr.10.ref.78.aliàs 77.ibid.

33. *An moribundus sensu carens sit vngendus tempore interdicti, non valens alia Sacramenta recipere, si non habeat Bullam Cruciatæ?* Ex part.3.tr.4.ref.170. aliàs 171. ibid.

34. *An Sacerdos tempore pestis possit vngere infirmum non digito, sed virga oblonga, vt eius contactum effugiat?* Ex part.3.tr.4.ref.166.aliàs 167. p.260

35. *An Sacerdos infirmis peste morientibus possit Sacramentum Extremæ-Vnctionis ministrare virgula argentea oblonga, &c. Et an in tali casu liceat Parocho ministrare Extremam-Vnctionem vngendo quidem omnes quinque sensus, sed vnam aurem, vnum oculum, vnam narem, pedem, manum, & deinde vtendo hac forma omnes singulas partiales sub vna totali amplectente, dicendo:* Per istas sanctas Vnctiones indulgeat tibi Deus quidquid per visum, aditum, olfactum, gustum, & tactum deliquisti? Ex part.5.tr.3. ref.79.ibid.

36. *Quo tempore sit danda infirmis Vnctio-Extrema?* Ex part.3.tr.4.ref.172.aliàs 173. ibid.

37. *Quonam tempore infirmitatis debeat Sacerdos inungere moribundum?* Ex p.5.tr.3.ref.95.p.261

38. *An Sacramentum Extremæ-Vnctionis collatum infirmo non grauiter, vel periculosè laboranti, sit validum? Et An si postea periculosè laboret, sit ei denuò Sacramentum ministrandum? Et an in dubio (non loquor in casu opinionis,) an morbus de se, vel in hoc individuo sit periculosus, possit Extrema-Vnctio ministrari? Et an in hoc casu ministranda sit Extrema-Vnctio sub conditione?* Ex part.9.tr.6.& Misc.1.ref.44. aliàs 45.ibid.

39. *An in eadem infirmitate possit Sacerdos aliquem denuo inungere? Et notatur, quod non est necessarium, vt infirmus recuperet sanitatem, & postea incidat in similem, vel alium morbum, & simile periculum; sed satis est, si manente infirmitate, v.g. hectica, vel hydropisi, cuadat periculum mortis, & post aliquod tempus iterum incidat in periculum mortis; tunc enim toties, quoties hoc accidit, potest iterari hoc Sacramentum?* Ex part.5.tr.3.ref.96.p.262

40. *An perseuerante periculo alicuius infirmitatis, in qua sumpta est Extrema-Vnctio, si adueniat periculum alterius infirmitatis, possit ager denuò inungi? Et quid si antiquum periculum, quod iam desierat, rediit, an iterum, ac tertiò, vel quoties aduenit periculum, possit infirmus inungi, maximè in ægritudinibus diurnis, vt in hydropisi, & similibus? Et an sit peccatum mortale absque necessitate non repetere formam Extremæ-Vnctionis in singulis membrorum Vnctionibus? Et quid sentiendum est in præditio casu de nullitate, aut valore Sacramenti?* Ex part.10.tr.11.& Misc.1.ref.11.ibid.

41. *An Sacerdos moribundus possit se ipsum vngere?* Ex part.5.tr.3.ref.94.p.263

42. *An Parochus, si cognoscat per confessionem puerum nunquam actualiter peccasse, teneatur ministrare illi Extremam-Vnctionem?* Ex part.3. tract. 4. ref.180. aliàs 181. p.264

43. *An puer sit vngendus Sacramento sub conditione, quando dubitatur, si habeat vsum rationis? Et quid si dictus puer recepisset Sacramentum Pœnitentiæ etiam sub conditione?* Ex part.3.tr.4.ref.168.aliàs 169. ibid.

44. *An pueris danda sit Extrema-Vnctio, si non sint capaces Sacramenti Eucharistiæ, sed tantùm Pœnitentiæ? Et asseritur in articulo mortis pueris doli capacibus, & aptis confiteri dandum esse Viaticum.* Ex p.3. tr.6.& Misc.2.ref.89.ibid.

45. *An pueri tunc in articulo mortis sint vngendi, quando sunt capaces Sacramenti Eucharistiæ? Et notatur, quod si dubitetur puerum non habere vsum rationis, esse adhuc sub conditione vngendum.* Ex part.5. tract.3.ref.85.ibid.

46. *Virum adulto in articulo mortis recenter baptizato sit Sacramentum Extremæ-Vnctionis ministrandum? Et an in tali casu sub conditione administranda sit ei Extrema-Vnctio?* Ex part.3.tr.4. ref.171. aliàs 172. p.265

47. *An Extrema-Vnctio sit ministranda adulto in periculo mortis statim post Baptismum susceptum?* Ex part.5.tr.3.ref.86.ibid.

48 *An mutus, surdus, & cæcus à natiuitate sit vngendus Extrema Vnctione? Et asseritur, deficiente organo alicuius sensus, locum organi esse vngendum; quod etiam fieri debet, quamuis homo tale organum nunquam habuerit, & proinde nunquam exterius per illud peccauerit, quia potuit peccare desiderio actus illius sensus.* Ex part.5.tr.6.ref.11.ibid.

49. *An mulieri deficienti in partu sit ministrandum Sacramentum Extremæ-Vnctionis? Et infertur hoc Sacramentum non esse ministrandum iis, qui non laborant infirmitate, licèt in magno vitæ periculo versentur, & sic non est ministrandum gerentibus bellum, aut existentibus in mari cum periculo mortis, aut damnatis ad mortem per supplicium à iudice.* Ex part.10. tract.12.& Misc.2.ref.9.p.266

50. *An illis, qui in amentiam inciderunt, sit in periculo mortis ministranda Extrema-Vnctio, licèt hoc Sacramentum nunquam petierint? Et an in tali casu phreneticus, vel furiosus, si resistat, sit ligandus, vel fortiter tenendus, vt recipiat Extremam-Vnctionem, exclusis tamen laicis ad tollendum scandalum?* Ex part.5.tr.3.ref.84.ibid.

Nunc autem transcribuntur aliquæ aliæ paucæ difficultates pertinentes simul ad hunc *Tractat.* 4. *de Sacramento Extremæ-Vnctionis, huius tom.* 2. quæ dispersæ sunt, vel errantes diuagantur per reliquos alios Tomos, Tract. & Ref. vt ita commodiùs reperiantur omnes quæstiones huius totius operis.

AN Pontifex possit præcipere vsum Sacramenti Extremæ-Vnctionis, & contra transgressores pœnam imponere? Et an sit præceptum suscipiendi in articulo mortis Sacramentum Extremæ-Vnctionis? Et dum tale præceptum non extat, secluso scandalo & contemptu, an omissio huius Sacramenti non inducat peccatum mortale non solùm in infirmis, sed etiam à fortiori in illis, qui curam gerunt de ipsis, vt in coniuge, Domino, Patre, tutore, &c. Et an per accidens hoc Sacramentum possit esse alicui ad salutem necessarium? Et an Pontifex possit præbere facultatem Presbyteris benedicendi oleum Extremæ-Vnctionis? Et an Pontifex possit præbere facultatem, & permittere, vt tempore pestis ex penuria

penuria Sacerdotum possit ministrari Sacramentum Extremæ-Vnctionis vnica Vnctione? Et inter alia, quæ circa hoc explanantur, tandem infertur Parochum tempore pestis non teneri administrare hoc Sacramentum cum periculo vitæ, si infirmus saltem confessus fuerit. Et an solus Sacerdos sit Minister Sacramenti Extremæ-Vnctionis, quare quauis Vnctio à laico, imò à Diacono in quocumque euentu facta non sit Sacramentum? Et an Pontifex aliquando suppleat iurisdictionem in Ministro Sacramenti Extremæ-Vnctionis? Et an ad hoc Sacramentum ministrandum non requiratur, vt Sacerdos sit expositus, & ad audiendas confessiones approbatus? Et an Parochus publicè excommunicatus possit licentiam præbere Sacerdoti ad hoc Sacramentum ministrandum? Ex part.8. tract.1. ref.58.30. 21. & 56. *Quæ nunc inuenientur* in tom.3. tract.1. de Potestate Pontificis, ref.57.58.60.& 59.

An Episcopus benedicens oleum ad infirmos in statu peccati mortalis peccet mortaliter? Ex part.5. tract.13.ex ref.73. *Quæ hic reperietur* in tom.3. tract.3. de Potestate Episcopi, ref.81

An liceat in Sacramento Extremæ-Vnctionis vti Ministro, materia, & forma probabili, relictis certis? Ex part.9. tr.7.ex ref.59. *Quæ nunc inuenietur* in tom.8. tr.1.de opinione probabili, ref.5.

An oleum postquam semel vnxit in hoc Sacramento Extremæ-Vnctionis, possit assumi pro nouo Sacramento & Vnctione? Ex part.9.tr.3.ref.5. *Quæ hic est* in tom.1. tr.3.de Pœnitentia, ref.145

An Sacerdos, si cum materia legitima proferat verba formæ huius Sacramenti absque intentione in eius administratione, si postea intentionem adhibeat, nihil efficiat? Ex part.10. tr.13.ex ref.20. *Quæ hic est* infra in tr.6. de Matrimonio, ref.100

An si finita forma antequam finiatur Vnctio in hoc Sacramento Extremæ Vnctionis, quis moriatur, recipiat gratiam? Et quidam Parochus statim post Vnctionem pronunciauit formam Sacramenti Extremæ-Vnctionis, quæritur, an validè hoc Sacramentum ministrauerit? Et an in verbis formæ huius Sacramenti detur paruitas materiæ? Et quid est sentiendum de interruptione formæ huius Sacramenti? Et an in coniunctione materiæ, & formæ huius Sacramenti detur paruitas materiæ? Ex part.5.tract.3.ex ref.17.& in part.3. tract.4. ex ref.6.& in part.5.tract.3.ex ref.39.40. & 41. *Quæ nunc inuenientur* in tom.1. tract.1. de Baptismo, ref.63.62.4.5.& 6.

An in Sacramento Extremæ-Vnctionis sit exprimenda persona suscipientis hoc Sacramentum? Et an dictio illa, Amen, *sit de necessitate Sacramenti?* Ex part.10. tract.16.ex ref.92. *Quæ hic reperietur* in tom.1.tr.1. de Baptismo, ref.60.

An qui non habet licentiam confitendi, & Sacramenta administrandi, incurrat irregularitatem, si administret Extremam-Vnctionem? Ex part.4. tract.2. ex ref.89. *Quæ nunc inuenietur* in tom.5. tract.5.de Irregularitate, ref.27.

An sub pœna excommunicationis Papalis non possint Religiosi ministrare Extremam-Vnctionem infirmis morituris sine licentia Parochi? Ex part.10. tract.11. ex ref.31. *Quæ hic est suprà* in tract.2. de Communione, ref.22.

An Episcopi possint denunciare, vt euitentur Regulares, qui Sacramentum Extremæ-Vnctionis ministrauerint absque licentia Parochi? Et an Soroves Tertiariæ possint à Sacerdotibus suarum Religionum in articulo mortis sumere Extremam-Vnctionem? Ex part.3.tr.2. ex ref.35. & in part.6. tract.8. ex ref.30. *Quæ nunc inuenientur* in tom.7. tract.1.de Regularibus, ref.42. & 351.

An per Bullam Cruciatæ detur facultas recipiendi Extremam-Vnctionem de manu simplicis Sacerdotis sine licentia Parochi, siue Episcopi? Ex part.1. tract.3. ex ref.20. *Quæ hic reperietur* in tom.4. tract.3.de Bulla Cruciatæ, ref.123.

An in extrema, vel graui necessitate licitum sit peterre ministrationem Sacramenti Extremæ-Vnctionis a non Ministro, qui est in peccato mortali? Ex part.11.ex ref.63. *Quæ hic est supra in proximo præc* tract.de Audienda Missa in die festo, ref.16.

An sit peccatum scandali redimere vexationem in administratione Extremæ-Vnctionis, præbendo pecuniam Sacerdoti, vt illam ministret in articulo mortis? Ex part.7.tr.7. ex ref.16. §.Notandum. *Quæ nunc inuenientur* tom.7.tr.5.de Scandalo, ref.4.

An infirmo, qui petit Vnctionem, & amisit loquelam antequam Sacerdos aduenial, debeat illi Vnctionem ministrare? Ex part.3. tract.3. ex ref.4. §.Sed ego, *Quæ hic reperietur* in tom.1. tract.4.de Absolutione sacramentali, ref.58.

An confugiens ad Sacerdotem portantem oleum sanctum infirmis gaudeat Immunitate Ecclesiæ? Et an Sacrista, v. g. indutus cotta, & stola extra Ecclesiam portet oleum sanctum ad infirmum, possit capi à satellitibus absque licentia Episcopi? Ex part.1. tract.1. ex ref.28. & in part.6.tr.1.ex ref.25. *Quæ nunc inuenientur* in tom. tract.1.de Immunitate Ecclesiæ, ref.12.& 26.

Aduertitur, quod in Sacramentis, quæ non sunt de necessitate salutis, vt Extremæ-Vnctio, &c. satis est quod Minister in eius administratione sequatur opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori? Ex p.12.tract.3.ex ref.4. *Quæ hic est infra* in tract.6. de Matrimonio, ref.166.

TRACTATVS V.

De Sacramento Ordinis. p.21

1. *AN Christus Dominus determinauerit in individuo omnes materias Sacramenti Ordinis?* Ex p.10.tr.11.& Misc.11.ref.5.alias

2. *An materia, & forma Ordinum fuerint institutæ à Christo Domino?* Ex part.6. tract.11. Misc.3.ref.18.p.268

3. *De materia Ordinis Subdiaconatus? Et notatur non esse necessarium in traditione Calicis pro materia huius Ordinis Calicem esse consecratum?* Ex part.3. tr. ref.188.alias 189. p.269.

4. *An Subdiaconus ordinatus cum Calice non consecrato debeat iterum ordinari? Et quid si tradidus est Subdiacono calix non consecratus cum Patena consecrata? Et infertur, an calix, qui in ordinatione Subdiaconatus cum Patena porrigitur, debeat esse consecratus necessitate Sacramenti? Et an si Presbytero tradatur ab Episcopo materia vera panis, & vini in Calice Patena non consecratis, aut in aliis quibuscumque vasis, Ordo sit validus?* Ex part.10. tract.11.& Misc. ref.9.ibid.

5. *De materia Ordinis Diaconatus? Et an si Episcopus ordinet aliquem Diaconum cum traditione libri Euangelij tantum sine impositione manuum, esset non ordinatus?* Ex part.3.tr.4.ref.187.alias 188.ibid.

6. *De materia Ordinis Presbyteratus? Et asseritur Ordinationem Sacerdotis perfici in prolatione primæ formæ cum applicatione suæ materiæ, & impositionem manuum cum verbis secundæ formæ non esse de essentia & substantia Ordinis Sacerdotalis, sed adhibenda sunt ratione præcepti?* Ex part.3. tract.4. ref.186. alias 187.p.270

7. *An instrumenta Ordinis debeant necessariò Ordinandis porrigi immediatè ab Episcopo, & non per Archidiaconum*

num? Et an contactus physicus, & non moralis instrumentorum sit de necessitate Sacramenti ordinis? Et an Sacerdos ordinatus cum Calice, & Patena non consecratis de beat iterum ordinari cum conditione? Et quid est dicendum de Subdiacono, & Diacono? Ex part.10. tr.15.& Misc.5.res.20.ibid.

8. *An ordinandus Sacerdos debeat de necessitate Sacramenti tangere Hostiam, vel aliam materiam Ordinis? Et an sufficiat non solum tangere Hostiam, sed Patenam tantum, imò & solum Calicem?* Ex part.3. tr.4.res.184.aliàs 185.p.271

9. *Quidam Diaconus, cum Ordinem Sacerdotalem sumeret, tetigit Calicem cum Patena, sed non tetigit Hostiam, quæsiuit à me postea, an talis contactus sit de necessitate Sacramenti? Et quid si tangat tantùm Calicem, in quo est Patena cum Hostia, non verò tangat ipsam Hostiam, nec Patenam? Et quid est sentiendum, si tantum tangat Hostiam solam, & non Patenam, neque Calicem? Et an saltem ordinandus teneatur tangere Calicem & Patenam? Et an contactus physicus instrumentorum in ordinatione sit de necessitate Sacramenti, vel tantum de necessitate præcepti?* Ex part.2.tr.16.& Misc.2.res.3.p.272

10. *An qui in Ordinatione Sacerdotij tetigit tantum Calicem, & non Patenam, validè ordinatus fuerit?* Ex part.6.tr.8.& Misc.3.res.19.p.273

11. *An Sacerdos, qui in Ordinatione tetigit Calicem, & non Patenam, possit pro Missis dicendis accipere stipendium, nisi denuò ordinetur sub conditione? Et an contactus physicus Patenæ requiratur de necessitate Sacramenti? Et vtrum sit æqualis ratio de contactu Hostiæ, ac de contactu Calicis, & Patenæ? Et deducitur, an contactus physicus sit necessarius pro validitate in Ordine Sacerdotij, & aliorum Ordinum? Et an sit futura valida consecratio, si Episcopus porrigat panem extra Patenam? Idem est dicendum de vino extra Calicem?* Ex part.10.tr.16.& Misc.6.res.88.ibid.

12. *An Sacerdos, si in Ordinatione tetigerit Patenam, sed non Hostiam, sit sub conditione ordinandus? Et quid si in Patena Hostia non esset? Idem est dicendum de eo, qui ordinaretur solo tactu Calicis, non tangens Patenam. Et an peccet mortaliter iste, qui immediatè Hostiam non tangeret in supradicto casu? Et an saltem ordinandus debeat de necessitate Sacramenti tangere immediatè Calicem, simulque Patenam? Et an si in porrectione Calicis, in Calice non fuerit appositum vinum, talis ordinatio fuerit valida, an verò nulla, & iteranda? Supereſt etiam alius singularis, & curiosus casus, videlicet Ioannes Sacerdos consecrandus accedens ad Episcopum Patenam, & Calicem porrigentem, siue turbatus, siue aliunde, non tetigit nuda manu Patenam, siue Calicem, sed digitos Episcopi, & mediante manica Albæ Calicem: quæritur, an valida sit ordinatio, an verò sub conditione iteranda?* Ex part.10. tr.13.& Misc.3 res.50.p.274

13. *Quidam suscepit ordinem Presbyteratus, & in Calice non fuit vinum appositum, quæritur an Sacramentum fuerit inualidum, & sic denuò ordinandus? Et quid si in Patena non sit Hostia triticea?* Ex part.3.tr.4.res.185.aliàs 186.p.276

14. *An in ordinatione Sacerdotum, si per incuriam Magistri Cæremoniarum in Calice non apponatur vinum, ordinatio sit nulla? Et quid si in Patena non sit Hostia triticea? Et quid est agendum si esset probabile, non defuisse vinum in Calice; & quid si esset certum non fuisse vinum in Calice? Et obiter aduertitur, quod Innocentius III. non mandauit reiterare Sacramentum Confirmationis factum cum oleo sine balsamo.* Ex part.4.r.4.& Misc.1.res.119.ibid.

15. *An sit valida ordinatio, si porrecta Patena cum Hostia vinum intra Calicem ex incuria non apponatur? Et quid est faciendum in praxi, quando casus in facti contingentia acciderit? Et deducitur peccare mortaliter, qui malitiosè consecraret, vel ordinaretur cum vna tantùm specie.* Ex part.6.tr.8.& Misc.3.res.22.p.277

16. *An si Episcopus proferat verba formæ, antequam applicetur materia, vel è contra, Ordo sit iterandus?* Ex part.5.tr.13.& Misc.1.res.48.p.277

17. *An Episcopus possit supplere aliquem defectum ordinationis quouis tempore? Et an quando supplendus est aliquis defectus Ordinum, non sit necessarium iterari omnes ritus Ordinum, sed illum solùm, in quo defectus commissus fuerit? Et an sine peccato possit suppleri prædictus defectus, quin Episcopus induatur vestibus sacris?* Ex part.5.tr.14.& Misc.res.63.p.278

18. *An si in aliqua ordinatione non sint, v.g. applicata debita materia, possit die sequenti adhiberi, non expectando aliam ordinationem? Et an sit necessarium, vt in Ecclesia, vel alio publico loco defectus suppleatur, vel sat sit in secretiori loco? Et an defectus possit suppleri à quocumque Episcopo? Et asseritur in defectu substantiali iteranda solùm esse ea, quæ omissa sunt, vel de quibus dubitatur. Et an liceat eodem die tam minores, quam maiores iterare; vel an magis consultum sit minores ordines cum Subdiaconatu vno die, & duobus sequentibus Diaconatum, & Sacerdotium suscipere? Et quæritur, an aliquis Episcopus Ordines, aliaque Pontificalia exercere possit in loco exempto de licentia Ordinarij illius loci, nulla ab Episcopo (intra cuius Diœcesim locus ille exemptus est,) requisita licentia? Et quid si locus exemptus ad nullam Diœcesim pertineat?* Ex part.9.tr.8.& Misc.3.res.29.ibid.

19. *An si adsint opiniones pro validitate, vel nullitate alicuius ordinis, teneatur in hoc casu quis ordinem denuo recipere? Ex quo infertur, quod Sacerdos, & Episcopus, si non tetigit vasa sacra, aut illud instrumentum, in cuius porrectione imprimitur Character, tenetur iterare ordinem sub conditione, & secus autem, si quis sumeret Diaconatum & Subdiaconatum. Et an contactus vasorum sacrorum, aut instrumenti, v. g. Calicis cum Patena, & Hostiæ in Sacerdotio sit de essentia Sacramenti, ita vt sine illo non sit verus ordo? Et breuiter notatur Sacerdotem, qui immediatè tetigit Patenam, licèt non tetigerit Hostiam, posse iuxta conscientia exercere Ordinem Sacerdotalem, nec teneri illum iterare. Et aduertitur, quod sola oblinio, aut solus timor nõ est sufficiens ad verum dubium, aut probabilitatem, vt illicò Ordo iterandus sit?* Ex p.5.tr.13.& Misc.1.res.47.p.279. & ad pedem literæ, sicut in §.1.dictæ Resolutionis in prædicta part.5. tr.14. & Misc.2.res.64. *Sed hic tantùm Resolutio prima hìc assignata transcribitur.*

20. *Quam intentionem habere debeat Sacerdos nouiter ordinatus, quando cum Episcopo in Missarum solemniis concelebrat?* Ex part.3.tr.4.res.50.p.280

21. *An Sacerdos cum ordinatur, si intelligat iam verba à socio prolata esse, teneatur ipse non proferre vlterius verba consecrationis?* Ex p.5.tr.14.& Misc.2.r.82.ibid.

22. *An Episcopus conferat etiam Episcopalem Ordinem? Et an oporteat Episcopum Ordinari ab Archiepiscopo, vel à Summo Pontifice? Et an saltem Episcopus debeat à tribus Episcopis consecrari?* Ex p.8.tr.2.res.3.ibid.

23. *An solus Episcopus sit Minister Ordinarius Sacramenti Ordinis? Et aduertitur à quocumque vero Episcopo, siue Hæretico, siue Schismatico, siue Catholico, conferri posse validè Sacramentum Ordinis; peccabit tamen lethaliter, si Sacramentum hoc ministret, quando id facere prohibetur ab Ecclesia?* Ex p.8.tr.2.r.1.p.281

24. *An Episcopus suspensus, excommunicatus, interdictus, depositus, degradatus, vel hæreticus validè conferat Ordines? Et aduertitur Ordinationes factas à supradictis Episcopis esse irritas quoad exercitium Ordinum, non quoad validitatem?* Ex p.8.tr.2.res.2.ibid.

25. *An Episcopus suspensus à collatione Ordinum minorum possit adhuc conferre Ordines maiores? Et an saltem in prædicto casu possit Episcopus conferre Tonsuram? Et quid si suspendatur à collatione certi Ordinis?*

Et

Et cursim docetur, quod Episcopus suspensus ab officio confirmandi, non ideo suspensus censetur ab officio Ordinandi, & consecrandi. Etiamque notatur, quod quando quis suspenditur ab administratione Sacramentorum, nõ suspenditur à celebratione Missæ. Ex p. 5. tr. 10. r. 6. ibid.

26. *An interdictus à Sacro faciendo, possit Ordines conferre? Et an in dicto casu non solum minores conferre possit Episcopus, sed etiam alio celebrante possit maiores Ordines conferre?* Ex p. 5. tr. 10. ref. 87. aliàs 86. p. 282

27. *An Episcopus possit valide conferre Ordinem, quem non suscepit? Et deducitur simplicem Sacerdotem posse quidem ex commissione Pontificis conferre aliquos Ordines, dummodo illos, quos confert, habeat? Et docetur quod ille, qui recipit Ordinem Sacerdotalem sine reliquis, verè est Sacerdos, potestque exercere munera Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, &c.* Ex p. 8. tr. 2. ref. 4. ibid.

28. *An Episcopus titularis licitè possit conferre Ordines? Et an Episcopus titularis non possit familiarem suum, seu commensalem Ordinare sine licentia sui Episcopi, quamuis cum illo per triennium commoratus fuerit? Et an in tali casu Ordo teneat, si illum talis Episcopus Ordinauerit, quamuis puniatur arbitrio sui Ordinarij, & Episcopus titularis, qui eum ordinauit sine commendatitiis sui Episcopi, à Pontificalibus suspendatur per annum?* Ex part. 8. tr. 2. ref. 5. p. 283

29. *An Episcopus, qui tantum loco, & non Dignitati renunciauit, possit conferre Ordines? Et quid maximè, si rogetur ab alio Episcopo?* Ex p. 8. tr. 2. ref. 6. p. 284

30. *An Episcopus, qui loco & dignitati renunciauit, possit saltem conferre Ordines minores? Et notatur non posse maiores Ordines conferre, etiam ab alio Episcopo rogatum.* Ex part. 8. tr. 2. ref. 7. ibid.

31. *Quibus Episcopus possit validè ministrare Sacramentum Ordinis?* Ex part. 8. tr. 2. ref. 8. ibid.

32. *An Episcopus in aliena Diœcesi sine licentia possit conferre suis subditis primam Tonsuram? Et docetur Episcopum in aliena Diœcesi non posse celebrare Missam in Pontificalibus cum Baculo, & Mitra absque licentia Ordinarij?* Ex p. 4. tr. 4. & Misc. ref. 143. ibid.

33. *An si in dimissoria concedatur licentia ordinandi à quocumque Episcopo in propria Diœcesi ordinante, possit quis Ordinari ab Episcopo in aliena Diœcesi de licentia Ordinarij Ordinationem exercente? Et an Episcopus per ratihabitionem possit ordinare alienum subditum?* Ex p. 3. tr. 4. ref. 190. aliàs 191. p. 285

34. *An Episcopus innitatus ad ordinandum in aliena Diœcesi, possit ibi ordinare non solùm suos subditos, sed etiam alienos literas dimissorias suorum Episcoporum portantes?* Ex p. 4. tr. 4. & Misc. ref. 144. ibid.

35. *An qui, v. g. accepit vnum ordinem ab Episcopo originis, possit variare, & alium accipere ab Episcopo beneficij? Et an hodie Regulares possint, non obstante Decreto Clem. VIII. die 3. Iunij 1599. ordinari ab Episcopo originis, neque id à Concilio Tridentino prohiberi, neque à dicto Decreto, neque ab vsu contrario, vel sint à fortiori ordinandi ab Episcopo Diœcesano?* Ex part. 6. tr. 7. & Misc. 2. ref. 35. ibid.

36. *An subditus, si elegit, v. g. pro ordine suscipiendo Episcopum domicilij, possit postea variare, & sumere Ordines ab Episcopo originis, vel beneficij?* Ex part. 8. tr. 2. ref. 9. p. 286

37. *An qui, v. g. suscepit ordines minores ab Episcopo domicilij, possit variare, & suscipere Subdiaconatum ab Episcopo originis propriæ, vel paternæ, & postea Diaconatum, & Sacerdotium ab Episcopis beneficiorum? Et absolutè docetur, habentem plura beneficia in diuersis Diœcesibus, posse à quo maluerit Antistite ordinari?* Ex part. 9. tr. 9. & Misc. 4. ref. 4. ibid.

38. *An suprædicta opinio in aliquo casu irritetur? Et an hoc non solùm in maioribus, verùm etiam in minoribus Ordinibus locũ habeat? Et an laicus promoueri ad primam Tonsuram possit etiam per Episcopum non suum? Et notatur, quod in isto casu non incurrit suspensionem, quam ipso iure Sacris ordinatus incurreret, si ab alio Episcopo ordinem susciperet.* Ex p. 8. tr. 2. ref. 10. p. 287

39. *An Episcopus possit ordinare aliquem, qui sortitus natus est in sua Diœcesi, ita vt sit ei subditus originis?* Ex part. 8. tr. 2. ref. 11. ibid.

40. *An dicatur Episcopus Originis, in cuius Diœcesi natus est Pater Clerici Ordinandi? Et quid si tempore natiuitatis filij, illius ad aliam Diœcesim transtulerat domicilium, an ex Sacra declaratione Congregationis Concilij possit filius ordinari ab Episcopo paternæ originis?* Ex p. 4. tr. 4. & Misc. ref. 148. p. 288

41. *An Episcopus possit ordinare aliquem, cuius pater natus est in sua Diœcesi, licèt filius natus fuerit in alia?* Ex part. 8. tr. 1. ref. 12. ibid.

42. *An filius alicuius Officialis Regij alicubi communicatus possit ab Episcopo illius loci ordinari?* Ex part. 8. tr. 2. ref. 13. p. 289

43. *An si quis habeat duo domicilia, posset vnum Episcopus illum ordinare? Et quid dicendum est de eius filio? Et quid si sit alibi natus fortuito, modo applicato?* Ex part. 8. tr. 2. ref. 14. ibid.

44. *Quando quis dicatur contrahere domicilium, vt Episcopus possit illum ordinare? Et aliqua adnotantur pro Clericis exteris, qui cum dimissoris suorum Ordinariorum in Ciuitate Neapolitana morantur.* Ex part. 8. tr. 2. ref. 15. ibid.

45. *An Episcopus possit ordinare Barones feudatarios, & eorum filios?* Ex part. 8. tr. 2. ref. 16. p. 290

46. *An Episcopus possit ordinare Scholares Vniuersitatis? Et quid etiam, si per decennium ibi commorati fuerint? Et infertur filios eorum, qui fortè in Vniuersitate vxorem duxerint animo in patriam redeundi, non posse ordinari ab Episcopo vniuersitatis.* Ex p. 8. tr. 2. ref. 17. ibid.

47. *An Episcopus possit ordinare aliquem, qui ex primo cohabitatione natus ex matre certo loco habente, & postea alio?* Ex part. 8. tr. 2. ref. 18. ibid.

48. *An Episcopus, vt possit ordinare aliquem vni beneficij, illud debeat esse perpetuum? Et asseritur posse quem ordinari ratione Capellaniæ etiam perpetuæ, posse tamen ordinari in Commendam, si Commenda sit perpetua; nam Commendæ perpetuæ est beneficium.* Ex part. 8. tr. 2. ref. 19. p. 291

49. *An quis possit ordinari ab Episcopo, in cuius Diœcesi est beneficium, licèt illud sit tenue? Et notatur ratione beneficij tenuis posse aliquem ordinari ab Episcopo, vbi est beneficium, etiamsi illud beneficium non requirat residentiam, nec in illo resideat, nec in illius Diœcesi, & sic non eximatur à iurisdictione primi Episcopi. Et aduertitur ex Sacra Cardinalium declaratione, beneficium duorum ducatorum esse sufficiens ad gaudendum priuilegio fori.* Ex p. 4. tr. 4. & Misc. ref. 51. ibid.

50. *An Episcopus possit ordinare aliquem ratione beneficij, si illud sit tenue? Et quid si tenui beneficio adsit gereretur patrimonium, itaque vt conflatum ex vtroque sufficiat ad sustentationem? Et notatur Sacram Congregationem respondisse, promotum ab aliena Episcopo ex causa beneficij tenuissimi malè promotum fuisse, sumque promotum suspensum esse ab executione, & collatorem à collatione per annum. Et ex eadem declaratione, & Congregatione asseritur, gaudere priuilegio fori quendam Clericum ordinatum cum beneficio aurium scutorum.* Ex p. 8. tr. 2. ref. 20. ibid.

51. *An vt Episcopus possit ordinare aliquem ratione beneficij existentis in sua Diœcesi, sufficiat, vt beneficium sit simplex?* Ex p. 6. tr. 8. & Misc. 3. ref. 24. p. 291

52. *An vt Episcopus possit ordinare ratione beneficij sufficiat vt sit simplex? Et an si beneficium non requirat residentiam, nec in illo Beneficiarius residet, nec in illius Diœcesi, possit illum Episcopus ordinare?* Ex part. 8. tr. 2. ref. 21. p. 292

53. *An Episcopus possit aliquem ordinare, cui paulo antea beneficium confert?* Ex part. 8. tr. 3. ref. 2. p. 293

54. *An ad fugiendam iurisdictionem Episcopi non pos-*

possit quis ordinari alibi titulo beneficij? Et an possit Episcopus ordinare illum, qui in sua Diœcesi nullum habet beneficium, si hac sola intentione illi confert? Et an supradictus Episcopus in tali casu possit dispensare in interstitiis cum illo prouidendo, & in illegitimitate ad Ordines, sicut potest Episcopus domicilij? Ex p.11.tr.4.& Misc.4.res.1.p.293

55. An Episcopus, vt aliquem iusto titulo ordinet, possit beneficium illi conferre immediatè ante Ordinationem, & illum statim postea ordinare? Et quid si beneficium sit tenue trium, vel quatuor aureorum? Et quid est sentiendum, si beneficio tenui adiungatur patrimonium? Ex p.10.tr.11.& Misc.1.res.48.p.294

56. An qui habet plura beneficia in diuersis Diœcesibus, possit ab omnibus illis Episcopis ordinari? Et an hic etiam prater Episcopum originis, vel domicilij, à quo etiam poterit ordinari? Ex p.8.tr.2.res.23.p.295

57. An sola actualis possessio beneficij, ita vt non solus titulus, & collatio sufficiat, vt quis ab Episcopo possit ordinari? Ex p.8.tr.2.res.24.ibid.

58. An Episcopus possit ordinare aliquem, qui in sua Diœcesi haberet pensionem? Ex p.8.tr.2.res.26.ibid.

59. An Episcopus possit triennalem familiarem non sibi subditum ad Ordines promouere? Ex p.8.tr.2.r.27.ibid.

60. An hoc priuilegium extendatur ad Episcopos titulares? Ex p.8.tr.2.res.28.p.296

61. An vt Episcopus ordinet suum familiarem triennalem, sufficiat vltimum annum esse inceptum? Ex part.8.tr.2.res.29.ibid.

62. An seruitium triennale sufficiat esse inceptum ante assumptionem ad Episcopatum? Ex p.8.tr.2.res.30.ibid.

63. An familiaris Episcopi per triennium in regione remota possit ab illo ordinari? Ex p.8.tr.2.res.31.ibid.

64. An Episcopus possit ordinare suum familiarem, seruientem tamen illum in Ciuitate, sed extra domum? Ex p.8.tr.2.res.32.ibid.

65. An Episcopus possit ordinare famulum sui familiaris triennalis? Et supponitur istum famulum inseruisse familiari Episcopi per triennium. Ex p.8.tr.2.res.34.p.297

66. An famulus familiaris Episcopi, qui tamen eius expensis alitur, possit ab illo Ordinari, & gaudeat priuilegio Concilij Tridentini sess.23.cap.9.de reformatione? Et cursim deducitur, familiares familiarium Cardinalium sui priuilegio familiarii Cardinalis. Et notatur, quod si Episcopus conferat beneficium in ea Diœcesi, potest statim suum familiarem ordinare, non expectato triennio, sicut si daret beneficium cuique extraneo, posset illum statim ordinare: quod etiam procedit in famulo familiaris Episcopi. Ex p.4.tr.4. & Misc.res.145.ibid.

67. An Episcopus, si conferat beneficium familiari in sua Diœcesi, possit illum ordinare, non expectato triennio? Ex p.8.tr.2.res.37.ibid.

68. An Episcopus debeat statim conferre beneficium suo triennali familiari, vt possit illum ordinare? Et quid intelligatur per verbum statim, an intelligatur, cum primum vacauerit? Ex p.8.tr.2.res.33.p.298

69. An Episcopus possit suo familiari triennali dimissorias concedere? Ex p.8.tr.2.res.36.ibid.

70. An Episcopus possit dispensare in interstitiis, quando ordinat familiarem suum? Ex part.3.tr.4.res.189. alias 190. ibid.

71. An Episcopus possit cum suo familiari triennali dispensare in interstitiis? Et quid etiam super illegitimitate ad minores Ordines? Ex p.8.tr.2.res.35.ibid.

72. An qui scit Italicè, non autem Latine legere, possit ab Episcopo initiari prima Tonsura, & quid si nesciat scribere? Ex p.5.tr.14.& Misc.2.res.27.p.299

73. An mutus surdus, & cæcus possint ordinari? Et quid de surdastro, qui difficulter audit? Et quid est dicendum de illis, qui impediti oris sunt linguæ, aut blæsi, vt Moyses; aut balbi, vt Demosthenes; nisi forte notabilem difficultatem loquendi haberent? Et quid est sentiendum de carente visu oculi sinistri, qui dicitur oculus Canonis? Ex p.5.tr.6.res.22.ibid.

74. Ex quadam huius Regni ciuitate relata hæc quæstio mihi fuit: Possitne quidam Religiosus surdaster ad sacros Ordines promoueri? Ex p.2.tr.17.& Misc.3.res.20.ibid.

75. Vtrum Religiosus, qui parum intelligit linguam Latinam, sit ad sacros Ordines, & præsertim ad Sacerdotium admittendus? Idem est dicendum de Cantoribus, Canonicis, & Prabendatis Ecclesiæ Cathedralis. Et notatur, quod examen de scientia, & doctrina Regularium ad recipiendos Ordines debet fieri ab Episcopo. Sed aduertitur, quod Episcopi hac in re suam exonerant conscientiam, cum conscientia Prælatorum ipsorum commendatitiis literis plenam, atque omnimodam fidem adhibendo. Ex p.2.tr.16.& Misc.2.res.29. alias 31.p.300

76. An Regulares non bene linguam Latinam callentes possint ab Episcopis ordinari? Ex p.3.tr.2. res.86.ibid.

77. De irregularitate ex ignorantia. Et an Regulares non multum literati sint ordinandi? Et an sufficiat, quod constet Dominis Episcopis per literas testimoniales suorum Prælatorum, Religiosos Ordinandos esse examinatos, & sufficienter literis instructos ad suscipiendos Ordines? Ex p.4.tr.2.res.74.p.301

78. An priuilegium quorundam Abbatum conferendi Ordines minores duret adhuc, non obstante Concilio Tridentino sess.25.cap.10. de reformatione? Et notatur supradictos Abbates posse suis subditis sæcularibus dare literas dimissorias ad Ordines, neque hoc priuilegium derogare Concilium Tridentinum. Ex p.4. tr.4.& Misc.res.147.ibid.

79. Quidam Abbas Benedictinus contulit Ordines minores quibusdam non sibi subditis, qui postea alios Ordines susceperunt, & in illis ministrauerunt; quæritur, quid in hac re statuendum? Et an dicti Ordines sint saltem iterandi sub conditione? Et quæritur, an prædicti Abbates possint conferre Ordines tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui speciales literas dimissorias à suis superioribus habuerint? Et an si aliquis subditus sæcularis ordinaretur à supradictis Abbatibus, valeat quidem ordinatio, & sit tantum illicita, non autem inualida? Et aduertitur, quod priuilegium clausum in corpore iuris, in generali derogatione nunquam censetur comprehendi. Ex p.5.tr.13.& Misc.1.res.93.p.302

80. An Abbates infulati possint conferre Ordines minores laicis sibi non subditis, si licentia Episcopi existat? Idem est dicendum de Regularibus alterius cuiuscumque Religionis, Ordinis, vel Instituti, etiamsi habeant literas dimissorias suorum Prælatorum Regularium. Et an aliqui Abbates hodie possint suis subditis conferre Ordines aliquos maiores? Ex p.7. tr.11. & Misc.2.res.42.p.304.

81. An Abbates non benedicti possint conferre primam Tonsuram, & Ordines minores sibi non subditis? Et an possint supradictos Ordines conferre Nouitiis? Ex p.11.tr.2.& Misc.2.res.30.p.305

82. An Abbates benedicti possint conferre Diaconatum, & Subdiaconatum suis subditis? Et quid ergo non subditos? Et an vbi Concilium Trident. non est receptum, nulla sit super hoc difficultas? Et an Abbates communicantes possint illa facultate vti? Ex p.11. tr.2.& Misc.2.res.40.p.306

83. An Abbates possint Clericis sæcularibus sibi subditis literas dimissorias concedere? Et quid si huiusmodi Prælatus esset Ordinarius priuatiuè ad Episcopum, & haberet ius visitandi, & Synodum congregandi? Ex p.3.tr.2.res.95.p.307

84. An priuilegium concessum Regularibus, vt possint initiari sacris Ordinibus extra tempora, extendatur etiam ad Nouitios? Et cursim docetur, posse Superiorem concedere dimissorias supradictis Nouitiis, & Ordinari ab Abbatibus, qui possunt subditos professos ordinare. Et asseritur ex declaratione Clem.VIII. facta Monachis Fulien-

Eulienſibus, quod Nouitij ligãtur reſeruatione caſuum. Et difficultas eſt, an priuilegium conceſſum Societati Ieſu, vt poſſint ordinari extra tempora, &c. extendatur ad alias Religiones per communicationem priuilegiorũ? Et an quando quis ordinatur virtute dicti priuilegij, vel aliorum in tribus diebus feſtiuis, poſſit ordinari in feſtis duplicibus? Ex p.11.tr.4.& Miſc.4 reſ.6.ibid.

85. *Refelluntur plures opiniones circa Regulares in ordine ad ſuſceptionem Ordinum.* Ex part.11.tr.2. & Miſc.2.reſ.17.p.309

86. *An Regulares poſſint Ordinari ab Epiſcopis extra tempora à iure ſtatuta?* Ex p.3.tr.2.reſ.31.p.311

87. *An Ordines Regularium habentes priuilegium, vt poſſint ordinare Regulares extra tempora, poſſint eo vti, vbi Concilium Tridentinum receptum eſt? Et an verò pertineat ad Epiſcopum, vel ad Superiores Regulariũ diſpenſare in interſtitiis?* Ex p.5.tr.13.& Miſc.1.r.57.p.312

88. *An Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis quoad interſtitia, & vt ordinentur extra tempora? Et an priuilegia Regularium quoad facultatem ſuſcipiendi duplicem Ordinem ſacrum eodem die, & ab Epiſcopo in aliena Diœceſi, abſque licentia proprij, ſint reuocata à Concilio Tridentino? Et an quando alicui priuilegium conceditur, vt extra tempora in tribus Dominicis, vel diebus feſtiuis ordinetur, cui additum fuerit* Duplicibus, *vel* Semiduplicibus, *intelligi debeant de feſtis diebus, qui à Clero, & populo ſub obligatione præcepti celebrantur? Et an priuilegia Regularium reuocata à Concilio Tridentino intelligantur etiam reuocata in foro conſcientiæ, ita vt Regulares vti illis non poſſint?* Ex part.9.tr.8.& Miſc.3.reſ.28.ibid.

89. *An diſpenſatio interſtitiorum pertineat ad Epiſcopum etiam reſpectu Religioſorum? Et aduertitur, quod iuxta Bullam Greg. XIII. Generales Societatis Ieſu poſſint, & ab illis delegati, diſpenſare cum ſuis ſubditis in interſtitiis. Et notatur ſuſcipientes Ordines non ſeruatis interſtitiis, nullam incurrere cenſuram, vel irregularitatem.* Ex p.3.tr.2.reſ.32.p.314

90. *An pro Epiſcopis in diſpenſatione interſtitiorum cum Regularibus ſufficiat ſola atteſtatio Superiorum? Et an Regulares poſſint ordinari non ſeruatis temporum interſtitiis? Et an ex priuilegio Clem.VIII. conceſſo Patribus Congregationis S.Ioannis Euangeliſtæ in Portugallia, poſſint Regulares ordinari extra tempora, & per quemcunque Epiſcopum tribus Dominicis, vel Feſtis continuis, vel interpolatis, non ſeruatis interſtitiis à Concilio Tridentino deſignatis?* Ex p.3.tr.2.reſ.112.ibid.

91. *An Conſtitutio Pij II. circa ſuſceptionem Ordinum ante tempus, vel ſine dimiſſoriis, & licentiis neceſſariis comprehendat Regulares?* Ex p.8.tr.7.& Miſc.1.r.59.ib.

92. *Quæ cauſa ſit ſufficiens, vt Epiſcopus poſſit diſpenſare in interſtitiis Ordinum Preſbyteratus? Et notatur, quod recipiens Ordines non ſeruatis temporum interſtitiis, abſque diſpenſatione, non incidit in ſuſpenſionem, neque in irregularitatem, neque Epiſcopus illum ordinans. Et obſeruatur, facultatem remittendi interſtitia conceſſam Epiſcopo ex cauſis tranſire in Capitulum, ſeu eius Vicarium, Sede vacante, quando tamen ex Decretis Concilij poteſt concedere licentiam ordinandi. Et docetur ſolos Generales Societatis Ieſu, & ab ipſis deputatos poſſe ex Bulla Greg.XIII. diſpenſare cum ſuis ſubditis Regularibus in interſtitiis. Et an cæteri Superiores Regulares poſſint, quemadmodum Epiſcopi* ſeſſ.25. Trid. cap.11. & 13. *diſpenſare ſuper temporum interſtitiis cum ſuis ſubditis?* Ex p.4.tr.4.& Miſc.reſ.209.p.315

93. *Quæ cauſa requiratur ad diſpenſandum in interſtitiis pro Sacerdotio aſſumẽdo?* Ex p.6.tr.8.& Miſc.3.r.23.ib.

94. *An ad diſpenſandum in interſtitiis à Diaconatu ad Preſbyteratum ſit neceſſaria vtilitas, & neceſſitas Eccleſiæ copulatiuè? Et apponuntur quinque cauſæ, vt ex qualibet earum poſſit Epiſcopus cum præditis diſpenſare. Et an ad minores Ordines, & Tonſuram merè arbitrium Epiſcopi ſufficiat ad diſpenſandum? Et docetur poſſe Epiſcopum eodem die primam Tonſuram, minores Ordines, & Subdiaconatum conferre. Et notatur Epiſcopum non poſſe diſpenſare ab interſtitiis familiarem ſuum alias non ſibi ſubditum. Et aduertitur poſſe Regulares omnes ex priuilegiis vbique extra tempora à iure ſtatuta ab Epiſcopis Ordinari, & quibuſcunque Ordinibus initiari.* Ex p.10.tr.11.& Miſc.1.reſ.10.ibid.

95. *An Epiſcopus beneficij poſſit diſpenſare in interſtitiis? Et quid de illegitimitate ad minores Ordines?* Ex p.8.tr.2.reſ.25.p.317

96. *An ex aliqua iuſta cauſa poſſit Epiſcopus conferre maiores Ordines die Dominica? Et ſupponitur, quod minores Ordines non niſi in Sabbatho Quatuor temporum anni, aut in Sabbatho ſancto, aut in Sabbatho ante Dominicam Paſſionis dari poſſunt. Et notatur, quod minores Ordines Epiſcopus conferre poteſt tribus, aut etiam pluribus in qualibet Dominica, aut feſtiuo die, dummodo non videatur facere Ordinationem generalem. Et conſuetudo recepta Epiſcoporum concedit, vt Feria ſexta veſpere ante Sabbathum, in quo Sabbatho iure poſſunt omnes Ordines conferri, liceat dare Ordines minores. Etiamque aduertitur primam Tonſuram quouis anni tempore, quouis die, hora, & loco dari poſſe. Et an minores Ordines ſimul cum Subdiaconatu eodẽ die, eidemque conferri poſſint?* Ex p.2.tr.16.& Miſc.2.r.28.aliàs 30.ibid.

97. *An ſecluſa conſuetudine, ſi adeſt aliculus poſſit Epiſcopus in eadem die conferre minores Ordines ſimul cum Subdiaconatu eidem ordinando? Et in dicto caſu, an Epiſcopus debeat prius interſtitia diſpenſare?* Ex p.3.tr.6.& Miſc.1.reſ.57.aliàs 58.ibid.

98. *An minores Ordines poſſint conferri diebus feſtis duplicibus, non tamen ſeruatis à populo ex præcepto? Et quid de Ordinibus Sacris ex priuilegio Papæ ſumendis, qui conceditur in tribus diebus feſtiuis? Sed difficultas eſt, quid ſub nomine diei feſtiui intelligatur? Et ſupponitur minores Ordines poſſe dari quolibet die Dominico, & quouis die feſto.* Ex p.5.tr.13.& Miſc.1.reſ.97.p.313

99. *An Epiſcopus poſſit conferre Ordines minores quatuor, vel quinque perſonis in diebus Dominicis, vel diebus feſtiuis? Sed difficultas eſt, an ſit neceſſarium eſſe feſtiuos de præcepto? Et docetur, quod in rigore iuris non videtur vetitum quacumque die, etiam feriali, minores Ordines conferre. Et an ſecluſa conſuetudine, ex cauſa iuſta minores Ordines, & ſimul Subdiaconatum, eadem die Epiſcopus conferre poſſit? Et notatur ſuſcipientes Ordines minores ante ſuſceptum Sacramentum Confirmationis, nec ipſos, nec Epiſcopum peccare mortaliter.* Ex p.10.tr.11.& Miſc.1.reſ.66.ibid.

100. *An Epiſcopus peccet mortaliter, ſi ordines alicui, qui Sacramentum Confirmationis non ſumpſerit? Et an qui ordine ſacro initiatur ante Confirmationem, peccet tamen venialiter? Et an eo ipſo, quod quis habeat dimiſſorias à ſuo Epiſcopo, vt poſſit ordinari, poſſit etiam ab Epiſcopo confirmari? Et docetur Epiſcopum confirmantem alienum ſubditum in ſua Diœceſi non incurrere, & conſequenter nec incurrere in cenſuram aliquam. Et notatur Epiſcopum non confirmatum poſſe valide alios confirmare, neque hoc faciendo peccare mortaliter.* Ex p.10.tr.11.& Miſc.1.reſ.14.p.320

101. *Quis ſuſcepit Ordinem Diaconatus ante Confirmationem: quæritur, an peccauerit mortaliter? Et an non ſolum ſuſcipiens Ordinem ante Confirmationem peccet mortaliter, ſed etiam incurrat irregularitatem? Et docetur Epiſcopum non peccare mortaliter Ordinando non confirmatum, aut etiam antequam ipſe confirmatus ſit, Confirmationem, aut Ordines conferendo.* Ex p.2.tr.16.& Miſc.2.reſ.4.p.321

102. *An in ſupputanda ætate Ordinandorum examinandus ſit dies Biſſextus, vel omittendus? Idem eſt in Ordine ad profeſſionem pro anno probationis Nouitius.* Ex p.10.tr.11.& Miſc.1.reſ.67.ibid.

103. *An in ætate requisita ad ordines suscipiendos deficiat paruitas materiæ? Et notatur, quod si esset quis in principio sequentis diei, v.g. hodie impletur ætas 24. annorum post dimidiam noctem, potest ordinari Sacerdos. Et cursim infertur, quod licet requiratur septennium completum ad Subdiaconatum, si tamen sint in vltimo die septennij, sat est, si ille sit inceptus.* Ex p.5. tr.5. res.17.p.322

104. *Quidam Religiosus inchoauit annum vigesimum tertium hora vigesima tertia diei, sed mane in eodem die recepit Ordinem Diaconatus, quæritur an peccauerit, & in suspensionem inciderit tanquam ordinatus ante legitimam ætatem? Et notatur, quod stando in rigorosa sententia, quod annus debeat esse iam incœptus, sufficiat tamen ad singulos ordines, per vnum medium diem annum inchoatum fuisse.* Ex p.2. tr.16. & Misc.2.res.27.aliàs 29.ibid.

105. *An qui vespere ingreditur annum assignatum pro aliquo ordine suscipiendo, possit mane præcedenti illum sumere? Et notatur ad recipiendum, v.g. Subdiaconatum sufficere viginti duo annos non per vnum integrum diem, nec per vnam horam, sed sufficere, si sint inchoati per vnum, vel dimidium quadrantem horæ. Et docetur Episcopum posse dispensare, si deficiant ordinando duo, vel tres dies ad ætatem debitam ad suscipiendos Ordines.* Ex p.9.tr.9.& Misc4.res.51.aliàs 50.ibid.

106. *An si in aliqua ordinatione Officialis Episcopi protestatur Episcopum nolle ordinare irregulares, v.g. carentes patrimonio, &c. tales, hoc non obstante, ordinentur? Et quid est faciendum, quando ita casus acciderit in praxi? Et notatur, quod non debent Episcopi accedentes ad Ordines prohibere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne accedant cum impedimento occulto censuræ, irregularitatis, &c. quin potius debent illos absoluere, & dispensare in casibus, quibus possint eos dispensare, & absoluere.* Ex p.5. tr.13.& Misc.1.res.66.p.323

107. *An census redimibilis sufficiat ad patrimonium Clerici? Et an sufficiat patrimonium ab alio donatum sub conditione, vt cesset statim, ac ordinando de sustentatione prouisum sit? Et notatur, quod hoc passim admittendum non est. Et aduertitur aliquem non posse promoueri ad sacres Ordines ad titulum beneficij, si titulus sit de futuro. Et an quis possit Subdiaconatum, vel Diaconatum recipere ad titulum beneficij præsentis, licet fructibus illius non statim potiretur, sed solum post receptum Presbyteratum illis frui inciperet? Et an aliquis possit promoueri ad Ordines ad titulum Coadiutoriæ? Et quid maximè, si Coadiutoria habeat de præsenti congruam sustentationem? Et aduertitur, quod impetrato beneficio, sed prohibita possessione à iudice sæculari, non posse aliquem sacros ordines sumere.* Ex p.9.tr.8.& Misc.3.res.25.p.324

108. *An Episcopi in Regno Siciliæ possint ordinare Subdiaconum, qui pro patrimonio tantum vncias vndecim annuales habet, & multa alia citra patrimonium? Et notatur, quod si aliquis Subdiaconus initiatur Diaconatu, aut Sacerdotio ostendens testimonium patrimonij renunciati, vel alienati, & tacens renunciationem factam, non incurrit pœnas statutas contra eos, qui absque patrimonio ordinantur. Et docetur Graduatum in iure Canonico, aut in Sacra Theologia, sine titulo, aut patrimonio posse ordinari. Sed an verò contra hoc obstet declaratio Cardinalium?* Ex p.4.tr.4.& Misc.res.52.ibid.

109. *An in patrimonio necessario ad sumendos sacros Ordines detur paruitas materiæ?* Ex p.5.tr.5.res.20.p.325

110. *An Clericus possit alienare patrimonium absque licentia Episcopi, si aliunde acquisiuit beneficium, vel alia bona sufficientia pro victu? Et an si absque Episcopi licentia patrimonium venduis, permutes, obliges, aut aliquo modo alienes, antequam habeas vnde viuere possis, nulla sit talis alienatio? Et aduertitur bona patrimonialia, ad quorum titulum ordinatus es, non ob inde fieri bona Ecclesiastica, tametsi priuilegio fori bonorum Ecclesiasticorum gaudeant.* Ex part.9.tr.8.& Misc.3.res.23.ibid.

111. *An qui suscepit primam Tonsuram, vel minoribus Ordinibus initiatur animo non ascendendi ad alios Ordines, sed gaudendi priuilegio fori, & exemptione à tributis, peccet mortaliter?* Ex part.2.tr.16.& Misc.2. res.20.aliàs 22.p.326

112. *An suscipientes primam Tonsuram, & Ordines minores solum causa euadendi iudicem sæcularem, peccent mortaliter? Et quæritur obiter, an suscipientes Ordines minores sine confirmatione peccent mortaliter, vel Episcopus illos ordinans?* Ex part.10.tr.16.& Misc.6.res.61.p.327

113. *An ordinatus Ordinibus sacris ante pubertatem teneatur continere? Et quid si adeptus pubertatem votum castitatis in ordine Sacro contento non ratificauit? Et an prædictum votum a parentibus, vel tutoribus absque causa aliqua irritari possit? Ex quibus deducitur, votum solemne expressum in Religione approbata ante pubertatem emissum, nisi post pubertatem ratificetur, non obligare. Imò hodie votum expressum solemne professionis non valet vsque ad decimumsextum annum completum; & ideo idem dicendum erit de initiato ante decimumsextum annum, nempe eum non teneri continere. Et an sit validum votum, & inualidum matrimonium contractum ab eo, qui Ordinem sacrum accepit, ignorans illi annexum esse votum Castitatis? Et quid est dicendum, si quis suscipiat sacros Ordines cum intentione expressa non vouendi castitatem, an hoc non obstante, teneatur castitatem seruare?* Ex part.10.tr.16.& Misc.6.res.84.p.328

114. *An Sacer ordo susceptus per vim, & metum imprimat characterem? Et deducitur, quod si ordinatus per vim, & metum recipit ordinem sine voluntate recipiendi Sacramentum, sed solum simulatè, hic quidem ordinem non suscipit, quia inualidè ordinatur. Item, cum quidam ordinatus Subdiaconus obtinuisset ab Episcopo declaratoriam fuisse ordinatum per vim, & metum, sed postea petens dispensationem à Summo Pontifice, vt ad alios Ordines sacros promoueri posset, dubitatum fuit à quibusdam in Dataria, an iste talis debeat saltem sub conditione sumere ordinem Subdiaconatus? Item quæritur, an ordinatus per vim, & metum teneatur ad votum continentiæ? Et an prædictus possit licitè contrahere matrimonium? Et an etiam teneatur ad recitandum officium Diuinum? Et docetur, quod quocumque metu initiatus, quantumuis graui, si postea ratificet verbo, aut facto semel vtens Ordine accepto sine vlla coactione, non erit iam in posterum sibi integrum resilire, sed continentiæ, & obligationi officij Diuini subiacebit, sicut cæteri sponte ordinati. Et hoc autem intelligendum est, si sciens, & prudens exerceat, secus verò si per errorem, quo quis ad Ordinis obseruantiam existimat se esse adstrictum. Et infertur, quod professio debet fieri à sciente, & volente; & quod professio tacita inducitur faciendo propria opera professorum.* Ex part.10.tr.13.& Misc.3.res.18.ibid.

115. *An ordo per vim, & metum susceptus impediat, & dirimat matrimonium? Et an sic ordinatus teneatur ad seruandam castitatem, vel possit validè contrahere?* Ex p.3.tr.4.res.192.aliàs 193.p.330

116. *An vir, consentiente vxore, possit ad Sacerdotium promoueri, si ipsa Religionem non ingrediatur, etiamsi sit iuuenis, dummodo voueat castitatem? Et notatur semper esse necessariam professionem vxoris in Religione, siue sit senex, siue iuuenis, vt possit vir ad Episcopatum promoueri. Et quid si ad Cardinalatum vir promoueatur?* Ex p.4.tr.4.& Misc.res.129.ibid.

117. *An Clerici sacris Ordinibus initiati peccent mortaliter, si non deferant habitum Clericalem, & coronam in capite? Et quid si cum ense, vel aliis similibus*

supradicti Clerici in Sacris initiati incedat? Ex p. 3. tr.4.ref.182.aliàs 183. p.331

118. *An Diaconus, & Subdiaconus peccent mortaliter frequenter canentes Epistolam, & Euangelium in peccato mortali? Et quid si longo tempore tales actus exerceant in peccato mortali? Et obiter notatur Diaconum ministrantem Eucharistiam in peccato mortali non peccare mortaliter. Idem est de Sacerdote.* Ex p.3. tr.4.ref.194.aliàs 195. ibid.

119. *An Acolyti, qui solemniter cereos ferunt in peccato mortali, peccent mortaliter? Et cursim docetur hoc etiam locum habere in eo, qui Capitulum, & Collectam pronunciat in Choro, qui id faciat tanquam Presbyter. Et an minores Ordines sint vera Sacramenta?* Ex parr.3.tr.4.ref.195.aliàs 196. ibid.

120. *An Concionatores prædicantes in peccato mortali peccent mortaliter, etiamsi peccatum sit occultum? Et quid si publicum sit peccatum? Idem, quod dictum est de Concionatore, dicendum est de Lectore sacræ Theologiæ, & sacræ Scripturæ.* Ex p.3.tr.4.r.196.aliàs 197.p.332.

Nunc verò sequuntur cæteræ omnes aliæ difficultates, & resolutiones, quæ errantes latent, vel obiter annotantur in reliquis aliis Tomis, Tractatibus, & Resolutionibus huius totius operis, quæ simul etiam pertinent ad istum *Tract. 5. de Sacramento Ordinis*, vt ita citiùs, & commodiùs inueniantur omnes difficultates, & quæstiones.

AN Cardinalatus sit Ordo, & Papa possit illum extinguere? Ex quo etiam infertur, an Papa possit extinguere Patriarchas, & Archiepiscopos? Ex p.5. tr.1. ex ref.2. *Quæ nunc inuenietur* in tom.9. tr.7. de Cardinalibus, ref. etiam 2.

An Episcopatus sit Ordo? Idem quæritur de Patriarchatu, Archiepiscopatu, Cardinalatu, & Papatu. Et an consecratio Episcopalis sit verè Sacramentum? Ex p.12.tr.1. ex ref.1.4.& 5. *Quæ hîc reperientur* in tom.4. tr.8.de Consecratione Episcopi, ref. etiam 1. 4. & 5.

Nota, vbi non erat necessaria nota, quod prædictus & longus tractatus de Consecratione Episcopi, totus est plenus difficultatibus & quæstionibus occurrentibus à principio vsque in finem Episcopalis consecrationis, & aliquæ difficultates assimilantur etiam pro isto tr.5. de Sacram. Ordinis; *ideo ibi require quidquid pro his desiderare potes, signanter* in ref.48. 69. & 112. *pro singularibus, & curiosis quæstionibus.*

An Pontifex in consecratione Episcopi possit dispensare, vt tantum adsit vnus Episcopus? Et an ad valorem supradictæ ordinationis requiratur, vt fiat à tribus Episcopis? Et an Pontifex solo verbo possit creare Sacerdotes? Et simili modo quæritur, an Pontifex solo verbo possit quem in Episcopum creare? Et an Papa possit tollere ab Episcopo facultatem validè ordinandi, ita vt si ille tentet aliquem ordinare, nihil efficiat? Et an Pontifex possit tollere potestatem Episcopis circa Sacramentalia? Et an minores Ordines, & Subdiaconatus sint tantum Sacramentalia, & non Sacramentum, & ideo possit Pontifex auferre ab Episcopo potestatem conferendi Subdiaconatum, & minores Ordines? Ex p.8.tr.1.ex ref.32.28. & 29. *Quæ nunc inuenientur* in tom.3. tr.1. de Potestate Pontificis quoad Sacramenta, ref.61.63.& 64.

An Summus Pontifex possit habere inualidas collationes Ordinũ factas ab Episcopis excommunicatis, suspensis, &c. Et quid quoad collationẽ primæ Tonsuræ? Et discutitur, an Episcopus hæreticus, schismaticus, & degradatus validè possit conferre Ordines? Et an Pontifex possit dispensare, ne contactus physicus instrumentorum adhibeatur in Sacramento Ordinis? Et expenditur, an contactus instrumentorum in sumendis Ordinibus sit de necessitate Sacramenti? Et an Pontifex possit permittere, vt Christianus administrẽt Sacerdotium sine instrumentorum porrectione? Et multa dubia curiosa inuenies circa materiam Sacramenti Ordinis. Et an simplex Sacerdos possit conferre Ordines minores? Et notatur Episcopum non posse Episcopo committere potestatem conferendi Ordines etiam minores, sique committat, nihil fieri. Et an Cardinales Presbyteri possint conferre Ordines minores? Ex p.8. tr.1. ex ref.41.40.42. & 33. *Quæ hîc reperientur* in tom.3.tr.1.de potest.Pontificis, ref.65.66.67.&

An Pontifex possit dispensare, vt simplex Sacerdos conferat Ordinem Subdiaconatus? Et an Pontifex posse dispensare, vt simplex Sacerdos conferat Ordinem Diaconatus? Et an priuilegia concessa aliquibus Abbatibus conferendi Subdiaconatum, & Diaconatum, bodie sint reuocata, quamuis sint Religiosi eiusdem Ordinis Cisterciensium? Et an Pontifex possit dispensare, vt simplex Sacerdos ex commissione conferat Ordinem Presbyteratus? Et notatur potestatem committendi hoc ministerium esse Iuris Diuino Pontifici Summo, & Ecclesiæ conuentum. Et an Pontifex Summus ante consecrationem possit committere, & concedere simplici Sacerdoti, vt conferat minores, & maiores Ordines? Et an Pontifex possit dare facultatem, vt Diaconus alium Diaconum, vel Subdiaconum ordinet? Et an Pontifex possit dispensare, vt fœmina prima Tonsura, vel minoribus Ordinibus initietur? Et an fœmina iure Diuino sit capax Sacramenti Ordinis? Ex p.8.tr.1.ex r.34.35.36.37.38.& 39. *Quæ hîc sunt* in tom.3.tr.1.ref.69.70.72.73.74.& 75.

An Pontifex possit dispensare, vt sacris Ordinibus insignitus matrimonium contrahat? Et deducitur nullum esse impedimentum Diuinum prohibens matrimonium, vel vsum eius ordinatis in Sacris, atque adeo non esse illis de iure Diuino continentiam perpetuam, tametsi ea sit quid iuri Diuino maximè consentaneum. Et discutitur, an ea obligatio sit solum ex Ecclesiæ præcepto directè præcipiente illi Castitatem, vel immediatè sit ex voto Castitatis in Ordine sacro emisso? Et an Pontifex possit infantem ante vsum rationis sacris Ordinibus initiatum reddere inhabilem ad matrimonium? Et quid si de facto Pontifex hoc faceret? Et an possit Ecclesia constituere, ne in posterum nisi primam Tonsuram admittantur, aut ad minores Ordines promoueantur, nisi qui voto Castitatis solemni se adstrinxerint, sicut præcipit de Ordinibus sacris? Et an Episcopus ordinans in Episcopum infantem ante vsum rationis, validè illum Ordines? Et an si Episcopus mutiatur postquam contulit Sacerdoti potestatem conferendi, antequam illi manus imponat, an vtri materia integrè ordinatus, & poterit à peccatis absoluere? Et an possit laicus suscipere Sacramentum Ordinis tempore interdicti? Et quid est dicendum, si habeat aliquem Ordinem, an possit suscipere superiorem? Et an Episcopus excommunicatus occultè validè conferat Ordines? Ex p.8.tr.1.ex ref.72.43.32.4.& ex ref.79.§.Sed quid, ex ref.94. §.Quintò à fortiori. *Quæ nunc inuenientur* in tom.3.tr.1.de potest.Pontif.r.77.76.62.12.&

An Cardinales possint conferre primã Tonsuram & minores Ordines in suis titulis? Et an Cardinales Presbyteri primam Tonsurã, cæteroſque Ordines suis familiaribus conferre possint, quia per Concilium Tridentinũ sess.23. c.10. videtur derogari hanc facultatem? Ex p.5.tr.2. ref.5. *Quæ hîc reperietur* in tom.9.tr.7.de Cardin.

An liceat in hoc Sacramento Ordinis vti materia, forma, & Ministro probabili, relictis certis? Ex p.9.tr.7.ex ref.59. *Quæ hîc est* in tom.8.tr.1.de Opin.probabilitat.

Cum Concilium Tridentinum asserat sess.11.c.17. Sacramentum tribus perfici, materia, forma, & intentione Ministri, & cum intentio sit triplex, habitualis, virtualis, actualis, quæritur quanã sit sufficiẽs ad validè conferendum Sacramentũ Ordinis? Et an peruersa intentio Ministri in conferẽdo Sacramẽto ordinis suppleatur à Do-

Et an in verbis formæ huius Sacramenti detur paruitas materiæ? Et an in coniunctione materiæ, & formæ huius Sacramenti detur paruitas materiæ? Et an in interruptione formæ huius Sacramenti detur paruitas materiæ? Et an qui ministrat Sacramentum Ordinis cum excommunicatione minori peccet mortaliter, vel saltem venialiter? Et an qui ministrat Sacramentum Ordinis inualidè, teneatur cum periculo vitæ, & honoris hunc defectum manifestare? Et an sit peccatum mortale ministrare Episcopo exercenti Ordines in peccato mortali? Et an ad valorem Sacramenti Ordinis in adultis requiratur positiuus consensus suscipiendi illud, vel sufficiat vt non resistant? Ex part. 2. tr. 17. ex res. 32. & in p. 3. tr. 4. ex res. 17. & in p. 5. tr. 5. ex res. 39. 40. & 41. & in tract. 13. ex res. 55. & 32. & tract. 7. ex res. 4. §. Non desinam. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 1. tr. 1. de Baptismo, res. 1. 3. 4. 5. 6. 9. 22. & 18.

An Episcopus si cum materia legitima proferat verba formæ huius Sacramenti Ordinis absque intentione, si postea intentionem adhibeat, nihil efficiat? Et an Ordine assumpto, vinculum matrimonij in infidelitate contractum dissoluatur? Ex part. 10. tr. 13. ex res. 20. & in p. 9. tr. 7. ex res. 47. *Quæ hic sunt* infra in tr. proximo sequenti de Matrimonio, res. 100. & 125.

An in Sacramento Ordinis exprimenda sit persona suscipientis, quando exprimenda sit in forma huius Sacramenti? Et obiter quæritur, quid præstare tenentur ij, qui Ordinem susceperunt ab Episcopo dubitante de suo Baptismo? Ex p. 10. tr. 16. ex res. 93. & 20. aliàs 19. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 1. tr. 1. de Baptis. res. 61. & 79

An minores Ordines possint ministrari sine lumine, absque mortali culpa? Ex p. 10. tr. 11. ex res. 40. *Quæ hic est* suprà in tr. 2. de Communione, res. 81.

An quando Episcopus sacros celebrat Ordines, licitum sit incipere Missam post Vesperas, aut Nonam, si actus Ordinu inceptus est ante meridiem? Et an cum Sacerdotes Ordinantur, & cum Episcopo consecrant, possit vnusquisque applicare illud Sacrificium cui voluerit? Ex p. 10. tr. 12. ex res. 22. & in p. 5. tr. 14. ex res. 112. *Quæ hic sunt* suprà in tr. 1. de celebrat. Missar. res. 108. & 35

An Episcopus ministrans Ordines sacros statim post Missam sine aliis vestibus, peccet mortaliter? Ex part. 7. tr. 10. ex res. 31. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 1. tr. 2. de Confirmatione, res. 9.

An Episcopus conferendo Ordines minores in peccato mortali peccet mortaliter? Ex p. 3. tr. 6. ex res. 67. *Quæ hic reperietur* in tom. 3. tr. 3. de Episcopis, res. 80.

An Episcopus in peccato mortali successiuè ordinans centum personas committat centum peccata, vel vnum tantùm? Et an teneatur in confessione explicare numerum personarum in prædicto casu? Ex part. 9. tr. 9. ex res. 67. aliàs 66. §. vlt. *Quæ hic est* in tom. 1. tr. 7. de circumstantiis, res. 164.

An Episcopus ordinans subditum alienum ex ratihabitione incurrat suspensionem Concilij Tridentini sess. 23. c. 8. Et sunt aliqui alij casus, in quibus datur excusatio ab ea censura, quos ex Suarez decisos inuenies in corpore huius Resolutionis. Et an in receptione Ordinum minorum nulla requiratur interstitia? Sed etiam quæritur, an Abbas in casibus, in quibus primam Tonsuram, & minores Ordines conferre potest, possit dispensare in interstitiis? Ex p. 5. tr. 10. ex res. 38. & 40. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 5. tr. 3. de suspensione, res. 26. & 45.

Nota, quod in prædicto tom. 5. & tract. 3. de suspensione, à res. 22. inclusiuè vsque ad res. 60. etiam inclusiuè, & in res. 66. *sunt quamplurimæ, & diuersæ quæstiones omnes mistæ pertinentes ad hunc, & illum tractatum, ideo casu ita misto occurrente adi illum, & ad præcitatas Resolutiones hic signatas, & non ad alias supradicti tractatus.*

An sit credendū Episcopo promouenti ad Ordines non sibi subditum, dicenti in titulo collationis Ordinū se promouisse illū ex licentia propriį Episcopi? Et an illegitimus dispensatus, vt Clericus fiat, censeatur dispensatus ad Ordines minores, vel tantum ad primam Tonsurā? Et quid dicendum est, si dispensatio dicat, vt ordinetur in Clericū? Et an dispensatus ad Ordines, censeatur dispensatus ad Ordines sacros? Et quid si Pontifex vteretur his verbis, dispenso tecum ad omnes Ordines? Et an dispensatio concessa Subdiacono, vt possit vxorem ducere, liberet eū à recitatione officij Diuini? Et quid est dicendum si fingamus Titium matrimonium ratum contraxisse cum Catharina, & deinde clam ad Diaconi, vel Subdiaconi Ordinem esse promotum, an, &c. Et circa hoc aliqua alia notabilia explanantur. Ex p. 8. tr. 3. ex res. 30. & in p. 9. tr. 8. ex res. 22. & in p. 8. tr. 3. ex res. 34. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 3. tr. 2. de dispensationib. r. 81. 54. & 52

An mortuo Pontifice, non sit prohibitum sacro Collegio Cardinalium dare Reuerendas ad Ordines? Ex p. 5. tr. 2. ex res. 9. *Quæ hic est* in tom. 9. tr. 7. de Cardinalib. res. 7

An quando quis dubitat, an habeat legitimam ætatem ad Ordines, possit eos recipere? Ex p. 4. tr. 3. ex res. 21. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 4. tr. 6. de Ieiunio, res. 2.

An initiatus Ordinibus minoribus, & sacris, non suscepta Tonsura, sit irregularis, & teneatur dictam Tonsurā sumere? Et an irregularis possit initiari primæ Tōsuræ? Ex quo infertur, an prima Tonsura sit Ordo? Et an si Episcopus alterius seruū scienter ordinet, absente, vel ignorāte Domino, seruus fiat liber, & Episcopus duplicatū pretium Domino reddere teneatur? Et an seruus, si sciente, vel non contradicente Domino, Ordines recipiat, fiat liber? Et an Clericus, qui lapsus est in hæresim, possit exercere Ordines? Et quid ob suspicionē hæresis, ex qua consurgat infamia? Et an exercens Ordinis officium, quē non habet, sit irregularis, si illud præstet absque intentione vsurpādi Ordinis vsum? Et supponitur, quod irregularis efficitur, qui ministrat in Ordine, quem non habet. Sed limitatur primò ad Ordines sacros, nam si in minoribus ministret, non erit irregularis. Secundò, vt ministret sciēter, & non ex ignorantia, putans bona fide se habere talem Ordinem. Tertiò, vt ministret solemniter. Et tandem quæritur, an supradicta irregularitas solos Clericos, aut etiam laicos comprehendat? Et an mulier, quæ erumpente ipsa natura in masculum transiit, possit initiari sacris Ordinibus, inconsulto Summo Pontifice? Et quid de Hermaphrodito, in quo præualet sexus virilis? Ex p. 6. tr. 8. ex res. 29. & in p. 4. tr. 2. ex res. 88. & in p. 7. tr. 7. ex res. 54. aliàs 53. & in p. 4. tr. 4. ex res. 38. & in p. 10. tr. 11. ex res. 21. & in tr. 13. ex res. 36. *Quæ hic reperientur* in tom. 5. tr. 5. de Irregularitate, r. 13. 12. 57. 53. 24. & 61.

Nota, quod in supradicto tom. 5. & tract. 5. de irregular. à res. 13. vsque ad r. 18. inclusiuè, *& aliquando in aliis resolutionibus præcitati tractatus sunt multæ aliæ diuersæ quæstiones omnes mistæ pertinentes ad istum, & illum tractatum, & ideo si ita casus mistus occurrerit, curre ad illum, & lege, vbi facillimè inuenies quicquid requiris, & si non reperis, perlegere illum non te pigebit.*

An Clericus Ordinatus per saltum ante legitimam ætatem, vel per alienum Episcopum absque dimissoriis, vel cum dimissoriis falsis, vel per Episcopum excommunicatum, suspensum, vel depositum, gaudeat priuilegio Canonis? Et si degradatus restituatur, vel si degradatus moriatur, & resurgeret, an debeat iterum Ordinari? Ex part. 9. tr. 4. ex res. 5. & 29. *Quæ hic sunt* in tom. 5. tr. 2. de Percussione Clerici, res. 42. & 38.

Asseritur expositos pro legitimis esse habendos ad omnes Ordines, neque vlla dispensatione Pontificis, aut Episcopi indigere. Ex p. 10. tr. 16. ex res. 96. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 6. tr. 1. de Legibus, res. 32.

An possit aliquis dare, vel accipere aliquid pro collatione Ordinum quorumcunque? Ex p. 9. tr. 2. ex res. 28. *Quæ hic reperietur* in tom. 4. tr. 1. de Altarib. priuil. res. 40.

Quis potest in hac irregularitate dispensare ex illegitima Ordinum receptione, & vsu? Et an Confessarius per Bullam Cruciatæ, vel Episcopus possit communicare votum assumendi Ordines Sacros? Et si ita vouens frāgeret votū, an esset sacrilegus fornicando? Et an si talis

matrimonium contrahere (quamuis peccaret) an possit petere debitum? Et an Confessarius per Bullam Cruciatæ possit absoluere à suspensione incursa propter ordinationem ante legitimam ætatem, vel contractam ob defectum tituli, secundum opinionem aliquorum, vel ob malam ordinum susceptionem; & an hoc fieri possit siue in Sacramento, siue extra illud, siue suspensio sit à iure, siue ab homine; siue pœnalis, siue nominatim; siue ex delicto publico, siue occulto? Idem est dicendum de habentibus priuilegium. Et an suspensio lata à Pio II. extendatur ad Episcopos ordinatos ante legitimam ætatem? Ex p.10. tr.11. ex ref.22. & in part.1. tr.11.ex ref.64. & in part.5. tr.10.ex ref.53.& in p.4. tract.4. ex ref.115. & in part.1. tract.11. ex ref.115. *Quæ nunc inuenientur* in tom.4.tr.3.de Bulla Cruciatæ, ref.132.120.128.129.& 139

De Clericis Sacris Ordinibus initiatis matrimonium ineuntibus, & an supradicti Sacrilegium committant, & sint de hæresi suspecti, & qua pœna puniendi sunt? Et an qui sine uxoris licentia, & in sæculo degentis suscipit Ordines Sacros, sit supradictis multandus pœnis? Ex part.4. tract.7.ex ref.4.& 5. *Quæ hic reperientur* in tom. 5. tract. 12. de Pœnis Sanctæ Inquisitionis, ref. etiam 4. & 5.

An Regulares possint in foro conscientiæ uti priuilegiis suis,quæ sunt expressè reuocata per Concilium Tridentinum, vt v.g. an possint ordinari ante legitimam ætatem, &c. Ex part.3.tract.2.ex ref.59. *Quæ nunc inuenietur* in tom.7.tract. 1.de Regularibus, ref.126

Nota, quod in prædicto tom.7.& tract.1.de Regularibus, *sunt multæ aliæ quæstiones, & difficultates omnes mistæ pertinentes ad vtrumque tractatum, videlicet ad istum de Sacramento Ordinis, & ad illum de Regularibus, & ideo si forte ita aliqua mista quæstio occurrat, in illo, vel isto tractatu eam reperies, & signanter require illam ibi in Resolutionibus hic assignandis, & non in aliis præcitati tractatus, scilicet* in ref.126.127.128. 129.130. 187.188. & 259

An negotiatio prohibita sit etiam Nouitiis nondum sacris Ordinibus initiatis? Et an Beneficiarius tantum in minoribus Ordinibus initiatus possit sine peccato mortali negotiationem exercere? Et an saltem qui habet beneficium Ecclesiasticum, sed nondum est Ordinatus in Sacris, possit negotiari per se ipsum? Et an qui in loco domicilij vult suscipere Sacros Ordines, & nimis distat à loco originis, in quo natus est, sit habenda fides Parochi de ætate? Et an Episcopus possit illum ordinare, si eius Parentes de necessaria ætate deposuissent? Ex part.7. tr.10. ex ref.21. & in part.1. tract.8. ex ref.73. & in p.11.tract.3.ex ref.27. *Quæ hic reperientur* in tom.6. tract.3.de Contractibus, ref.183.184.& 161

An Pater, aut mater in necessitate constituti possint vendere filium, aut permutare, aut alio quocumque contractu filium alienare, si sit Sacris Ordinibus initiatus? Ex part.7.tract.7.ex ref.8. *Quæ hic est* in tom.7. tr.8. de Seruis, & Mancipiis, resol.9.

An Pater teneatur donare aliquid filio pro sacris Ordinibus suscipiendis? Et an iure obligationis naturalis Pater ad id teneatur, atque officio iudicis Ecclesiastici ad id compelli possit Pater? Et an si faciat talem donationem ad suscipiendos Ordines, reuocare eam Pater non possit, & etiam propter ingratitudinem? Et an bona Patris donata filio in titulum patrimonij computentur inter legitimam, & veniant in diuisionem bonorum cum aliis fratribus? Et an donatio facta pro patrimonio ad suscipiendos Ordines, sit in foro conscientiæ reiro donanda donatori? Et an Clericus sic ordinatus nullam incurrat suspensionem, neque teneatur retrocedere donationem? Et an donatione facta Clerico inopi, vt ad Subdiaconatum promoueri possit, si ipse statim post susceptos Ordines moriatur, debeant ad donatorem bona donata reuerti, vel transmittantur ad hæredes donatarij? Et quæritur, quando donatio Patris filio Clerico facta, censeatur facta in fraudem gabellarum? Ex p.8.tr.6.ex ref.91.qu. 135.& 130. *Quæ nunc inuenientur* in tom.6.tract.7. de Donationibus, ref.41.42.139. & 44.

An Clericus irregularis, & qui ordinatus est cum falsis dimissoriis, vel sine illis, gaudeat priuilegio fori? Et an si ordinatus est ante legitimam ætatem, vel per simoniam, aut extra tempora? Ex part.3.tr.1.ex ref.62. & in part.4.tr.1.ex ref.26. *Quæ hic reperientur* in tom.5. tr.2.de Immunitate Ecclesiastica, ref.145.& 146.

Nota quod in prædicto tom.9. & tract.2. de Immunitate Ecclesiastica, *sunt aliquæ aliæ diuersæ difficultates, & quæstiones pro gaudendo priuilegio fori cum talibus requisitis Ordinum, & si forte ita occurrit casus iste, require illum ibi, signanter* in ref.64. 127. 136.137. 138. 139. 140. 141. 142. 145. 146. 149.153.154. *& in aliis præcitati tractatus.*

TRACTATVS VI.

De Sacramento Matrimonij. p.333

1. AN maior vsus rationis requiratur ad contrahenda sponsalia, quam ad peccatum mortale? Ex p.3.tr.4.r.272 aliàs 273.ab.

2. *An sit peccatum mortale contrahere sponsalia ante septennium completum?* Ex part.3.tr.4. ref.274. aliàs 275.

3. *An septennium requisitum ad contrahendum sponsalia esse debeat omnino completum? Et quid si duo tres, vel decem dies ad complendum septennium desint? Et an in foro conscientiæ valida sint sponsalia etiam multo ante septennium contracta, si malitia suppleat ætatem?* Ex part.3.tr.4.ex ref.273.aliàs 274.p.333

4. *An sufficiat ad validè contrahenda sponsalia dum vltimum septennij incœptum esse? Et asseritur, quod ad valorem sponsalium non requiritur ætas mathematicè completa, vnde septennium non physicum, sed moraliter requiritur. Et an ob defectum duorum, vel trium dierum, aut vnius hebdomadæ, vel dimidij anni defectus impedimentum non sit, quin septennium completum iudicatur?* Ex part.9.tr.7.& Misc.2.ref.65.ibid.

5. *An sponsalia valida sint, si vsus rationis ante septennium in contrahentibus reperiatur? Et an ad sponsalia validè contrahenda sufficiat rationis vsus, qui ad latam peccatum sufficit? Et notatur sponsalia ob defectum ætatis, vel vsus rationis nulla, posse postea fieri valida, si post legitimam ætatem, & vsum rationis expressè, vel tacitè ratificentur à sponsis, modò sponsi sciant à se fuisse antea inita sponsalia fuisse inualida. Quod si sciant sponsalia fuisse inualida, non fient valida per ratificationem simul habitando, vel sibi oscula tanquam sponsi impingendo, vel mittendo munera, &c. sed debent consentire de nouo.* Ex p.9.tr.7.& Misc.2.ref.63.ibid.

6. *An sponsalia metu graui contracta valida sint, si iuramentum accedat; vel iuramentum seruandum sit, dum relaxetur? Et an tale iuramentum minimè obliget, & ita non indigeat relaxatione? Et notatur iuramentum metu extortum non solùm non confirmare contractus alias inualidos, sed nec etiam obligare, & proinde nulla indigere relaxatione.* Ex p.3.tr.4.r.277.aliàs 278.p.334

7. *An in sponsalibus sufficiat consensus fictus? Et resolutio huius dubij pendet ex illa quæstione, an promissionis contractus sine animo se obligandi vero, sed tantum ficto, obliget promittentem? Et cursim docetur cum qui fictè promisit aliquam ducere, tantum teneri ratione damni illati, si corrupit, non aliter. Et etiam deducitur, quod qui fictè promisit, & sub ea spe Virginem decepit, teneri implere promissum, etiamsi disparis conditionis sit vel in nobilitate, vel in diuitiis, dummodo reuera nullum aliud signum exterius fuerit, quo indicaret dolum promittere?* Ex p.3.tr.4.ref.204. aliàs 205.p.335

8. *An si in sponsalibus fictis iuramentum apponatur, non tamen animo se obligandi, oriatur obligatio præstandi, quod promissum est? Et an ex hoc oriatur obligatio iustitiæ erga compartem, vel per talem promissionem non inducatur impedimentum publicæ honestatis?* Ex p.5.tr.14.& Misc.2.res.33.ibid.

9. *An sponsalia impuberum ita firmentur iuramento, vt neutri liceat pubertatem adepto resilire? Et quid maximè in præditto casu, parte inuita?* Ex part.3.tr.4. res.245. aliàs 246.p.316

10. *An impuberes possint resilire à sponsalibus iuramento firmatis, postquam ad annos pubertatis peruenerint?* Ex p.3.tr.4.res.287. aliàs 288.ibid.

11. *An quis puber factus possit statim resilire à sponsalibus, non expectata alterius pubertate? Et notatur factum puberem, si vult, debere statim reclamare, alias si in mora fuerit, censebitur tacitè sponsalia confirmare, & statim dicitur fieri, quod intra triduum fit.* Ex p.3.tr.3.res.281. aliàs 282.ibid.

12. *An in contractu sponsalium valide apponatur pœna persoluenda ab iniustè resiliente? Sed notatur iniustè resilientem non teneri soluere pœnam ex pacto resilienti impositam, etiamsi iuramento firmetur.* Ex p.3.tr.4. res.210 aliàs 211. ibid.

13. *An sponsa possit resilire à sponsalibus, quando sponsus permittit se ab alia impudicè tangi per oscula, amplexus, &c. Et quid, si huiusmodi oscula, & tactus forte essent frequentes? Et an sponsalia, etiamsi iurata sint, dissoluantur si alter ex contrahentibus fornicationem admiserit?* Ex p.3.tr.4.res.282. aliàs 283.p.337

14. *Fœmina Nobilis contraxit sponsalia cum Caio, quæritur, an possit ea dissoluere propter oscula, & tactus impudicos cum altera? Et difficultas est, virum liceat vtrique sponso à sponsalibus resilire, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia? Et notatur, cum sponsalia valida sunt, tunc si post cognitam causam ad dissoluenda sponsalia, quis cognoscit carnaliter sponsam, amittit ius dissoluendi sponsalia. Idem est, quando vir copulatus matrimonio cum vxore post cognitum eius adulterium eam cognoscit, quod amittit ius petendi divortium. Et quid si supradicta sponsalia erant nulla ipso iure, an per copulam valida fiant, si contingat ipsa copula cum scientia illius defectus, qui erat in sponsalibus? Et quid si sponsus ignorat ius resiliendi, & cum ea ignorantia cognoscit sponsam, an censeatur sponsalia ratificare? Et notatur, quod in foro interiori conscientiæ sponsus non amittit ius resiliendi, si accedat ad sponsam sine animo perseuerandi in sponsalibus. Et an accedens ad sponsam absque animo cedendi proprio iuri, possit resilire à sponsalibus, & solùm recompensare damnum? Imò non teneatur recompensare damnum illatum, quando accedens protestatur sponsæ se ad ipsam accedere cum voluntate non renunciandi iuri resiliendi à prioribus sponsalibus. Et an quæ supra dicta sunt de fornicatione carnali, locum habeant in spirituali, scilicet in hæresi, & maximè quando Hæretici cohabitatio est innocenti periculosa?* Ex p.10.tr.11.& Misc.1.res.28.ibid.

15. *An liceat vtrique sponso à sponsalibus resilire, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia?* Ex p.3.tr.4.res.283. aliàs 284.p.338

16. *Virum sponsus possit contrahere matrimonium, quando aliquo occulto vitio laborat, cuius si alter conscius esset, possit iustè à sponsalibus resilire? Ex quo infertur quamdam virginem post sponsalia corruptam potuisse sponsum defectus occulti ignarum cogere matrimonium contrahere, & stare sponsalibus. Et cursim deducitur, an adulter ex iustitia possit licitè exigere debitum à coniuge illius adulterij ignara?* Ex p.3.tr.4.res.286.aliàs 287.ibid.

17. *An si sponsa tempore sponsalium pulchra esset, dissoluantur sponsalia, ea facta notabiliter deformi? Et an valde magna deformitas debeat esse sponsi, quæ de nouo accedens det sponsæ ius resiliendi? Idem est de vehementi suspicione morbi Gallici, & de oris grauco-lentia.* Ex part.3.tract.4.res.284. aliàs 285. p.339.

18. *An nulla dotis promissione præuia possint dissolui sponsalia ob paupertatem sponsæ superuenientem? Et quid, si illa sponsalia essent iuramento firmata? Et notatur, quod si sponso subitò accedat noua hæreditas, qua eius status plurimùm melioretur, itavt sponsa sit iam multùm inæqualis illi, non ideo potest sponsalibus renunciare. Eadem est ratio, si sponsæ noua hæreditas accedat.* Ex p.3.tr.4.res.285. aliàs 286.ibid.

19. *An sponsalia inter consanguineos inita cum conditione, si Papa dispensauerit, sint valida, & obligent in conscientia, impetrata dispensatione? Et an liceat vtrique contrahenti ante, & post impetratam à Pontifice dispensationem, altero inuito, à sponsalibus resilire? Et an hoc etiam procedat, si talis promissio fuerit iuramento confirmata? Et an si magnæ expensæ factæ sint causa talis promissionis pro impetranda dispensatione, resiliens à dictis sponsalibus teneatur illas restituere? Et infertur consanguineos contrahentes matrimonium per verba de præsenti sub conditione, si Papa dispensauerit, incurrere in excommunicationem latam in Clementina vnica de consang.* Ex p.3.tr.4.res.289.aliàs 290.p.340

20. *An pactum appositum in contractu matrimoniali, vel sponsalibus, quod vir perpetuò habitet in domicilio vxoris, sit validum? Et an si pactum fuerit iuramento confirmatum, liceat resilire, & mulier teneatur virum sequi? Et obiter notatur, valere pactum, ne quis possit ingredi ciuitatem, quod frequenter fit in remissionibus iniuriarum, & hoc etiamsi non solùm pactum sit temporale, sed etiam perpetuum.* Ex p.3.tr.4.res.211. aliàs 212.ibid.

21. *An sponsalia iurata dissoluantur ex mutuo consensu, etiamsi iuramentum intuitu pietatis emissum fuerit? Et supponitur sponsalia ex mutuo contrahentium consensu dissolui, & hoc intelligendum est de sponsalibus puberum, nam de impuberum sponsalibus alia est iuris dispositio, quippe impuberes sponsalia contrahentes resilire non possunt, quousque pubertatem nacti sint, & meritò, ne passim resiliant, & passim contrahant. Et aduertitur, quod adueniente pubertate, qui prius illam attigerit, resilire potest, nec opus habet expectare pubertatem alterius, quinimò statim ac pubertatem attigerit, reclamare debet, alioquin sponsalia firmauit, ac si post pubertatem illa contraxisset. Et an pro foro conscientiæ sufficiat, si interius reclamatio fiat, vel an teneatur illam manifestare coram Episcopo, vel eius Vicario, & ipsis deficientibus coram honestis personis?* Ex p.9.tr.7.& Misc.2.res.77. aliàs 76.p.341

22. *An si sponsalia communi consensu dissoluantur, hoc non obstante, oriatur ex eis impedimentum publicæ honestatis? Et breuissimè deducitur, quod durat impedimentum publicæ honestatis etiam post mortem alterius sponsæ.* Ex p.3.tr.4.res.221. aliàs 222.p.342

23. *An si sponsalia dissoluantur ex mutuo consensu, cessaret impedimentum publicæ honestatis ortum ex illis? Et quid est dicendum, si morte alterius dissoluerentur? Et an hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus fictè celebratis, videlicet ore tenus absque consensu interiori? Idem est de matrimonio fictè contracto ex defectu consensus.* Ex p.11.tr.5.& Misc.5.res.12.ibid.

24. *An ex sponsalibus nullis ex defectu consensus, vel ob aliud impedimentum occultum oriatur impedimentum publicæ honestatis? Et an dato casu, quod sponsus de facto contraheret cum sorore sponsæ suæ de præsenti, teneatur ad priorem redire, si autem coniunctio carnalis accederet cum secunda, tunc neutram possit accipere in vxorem, sin verò cum posteriore contrahat sponsalia, ea nulla sint, proinde quæ cum priori contraxit, solùm sint valida. Et notatur, quod ex sponsalibus conditionatis nullum oritur impedimentum publicæ honestatis, donec conditio fuerit impleta.* Ex p.9.tr.6. & Misc.1.res.51.aliàs 52. p.343.

25. *De quibusdam sponsalibus.* Ex p.11.tr.2.& Misc.2. res.70.p.344

26. *An si post sponsalia cum prima sequantur sponsalia cũ secunda vnà cum copula, dissoluantur prima? Et quid quando secunda fœmina, quæ cognita est, & violata sub spe coniugij, notabile damnũ pateretur? Et notatur, quod quando ex aliquo casu cessant prima sponsalia, an seruanda sint secunda.* Ex p. 3. tr. 4. r. 209. alias 210. p. 345

27. *Virum ex matrimonio valido dissoluantur sponsalia? Et an dissoluto matrimonio, teneatur qui ita contraxit, priora sponsalia implere?* Ex p. 3. tract. 4. ref. 208. aliàs 209. ibid.

28. *An adstrictus sponsalibus iuratis, si postea emittat Religionis votum, possit adhuc contrahere matrimonium animo ingrediendi Religionem ante consummationem? Et an si votum Religionis emisisti ante sponsalia, & fœminam defloraſti sub fide data de matrimonio, tenearis illam ducere, omisso voto? Et an sponsus, qui post sponsalia votum emisit castitatis, committat aliquam culpam?* Ex p. 9. tr. 7. & Misc. 2. ref. 76. aliàs 75. ibid.

29. *An sponsalia dissoluantur per solum ingressum Religionis, vel sit expectanda professio? Et an sit licitum Religionem ingredi post sponsalia, etiam iuramento confirmata?* Ex p. 3. tr. 4. ref. 206. aliàs 207. p. 346

30. *An peccet qui contraxit sponsalia, si suscipiat sacros Ordines? Et notatur votum suscipiendi sacros Ordines dirimere sponsalia, & licitè post illa potest quis tale votum emittere.* Ex p. 3. tr. 4. ref. 207. aliàs 208. ibid.

31. *An quando aliqui pro aliis præsentibus, & tacentibus contrahunt sponsalia, horum taciturnitas sit signum sufficiens interni consensus? Et an hoc procedat, etiamsi Parentes contraherent sponsalia coram filiis emancipatis, & spuriis?* Ex p. 3. tr. 4. ref. 269. aliàs 270. p. 347.

32. *An Tutor, vel Curator, si respondeat pro puella, valida sint in vtroque foro sponsalia, vel matrimonium, ipsa præsente & tacente? Et quia ius Canonicum tanquam quid speciale id de Parentibus asserit, quæritur etiam, an sufficiat signum consensus in sponsalia, vel matrimonium, si nomine filiorum persona extranea respondeat?* Ex p. 10. tr. 13. & Misc. 3. ref. 21. ibid.

33. *An quando Parentes, & Tutores pro filiis, & pupillis absentibus contrahunt sponsalia, & hi postea id scientes non contradicunt, censeantur consentire?* Ex p. 3. tr. 4. ref. 270. aliàs 271. p. 348

34. *Quando teneatur implere, qui contraxit sponsalia, nullo præfixo tempore, & termino?* Ex p. 3. tr. 4. r. 244. aliàs 245. ibid.

35. *Quidam contraxit sponsalia, & postea adimplere noluit, quæritur an sit per censuras compellendus?* Ex p. 3. tr. 4. ref. 205. aliàs 206. ibid.

36. *Quidam vir Nobilis contraxit sponsalia, & per multos dies causa delectationis osculabatur, & tangebat sponsam, quæritur an peccauerit mortaliter? Et notatur dicta oscula, & amplexus esse licita, etiamsi præuisa pollutio sequatur, dummodo id faciant necessitate compulsi, & sine periculo consensus in pollutionem, cum inurbani, & austeri haberentur, nisi ita se inuicem oscularentur, & amplexarentur. Et an hoc, quod dictum est de osculis, & tactibus, similiter, & multò magis dicendum sit de colloquiis, & aspectibus, modò aspectus non sint valdè impudici, vt partium verendarum, sicut in simili de tactibus? Etiamque aduertitur, quod sicut sponsis de futuro licita sunt oscula, amplexus, & similes tactus cum sponsis suis, ita delectationes, & commotiones sensibiles, quæ ex cogitatis osculis, & amplexibus resultant, sed non ex aliis tactibus.* Ex p. 11. tr. 17. & Misc. 1. r. 6 p. 49

37. *Improbatur quædam opinio pertinens ad sponsos de futuro, vbi docetur, sponsis de futuro esse permissum aspectum pudendorum. Et notatur non esse mortale in coniugis absentia propria verenda libidinosè attrectare, si huiusmodi tactus ad illicitum actum non referantur. Et quæritur, an quilibet tactus sint liciti, & quæcumque oscula inter coniugatos etiam in partibus pudendis? Et docetur mortiferum esse virile membrum in os vxoris immittere.* Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. ref. 68. ibid.

38. *An tactus, & oscula inter sponsos de futuro sint licita? Et an hoc non procedat inter sponsos de futuro sub conditione, si Papa dispensauerit? Et an impetrata dispensatione, licèt non sit ratificatus prior ille consensus, liceant illis amplexus, & oscula eo modo quo licent sponsis de futuro?* Ex p. 4. tr. 4. & Misc. ref. 131. p. 3. c.

39. *An si sponsa de futuro, vel vidua carnaliter delectetur de copula præterita, & futura, peccet mortaliter? Et cursim docetur, viduam non peccare mortaliter ob ortam cogitationem copulæ carnalis cum marito defuncto, eam approbet voluntate, & sic est dicendum de sponsa circa copulam carnalem futuram, & consimilem, si eam vel desideret, vel simplicis voluntatis affectione approbet, quod alij extendunt ad omnem voluntatis affectionem, etiam simplicis complacentiæ conceptæ ex cogitatione concubitus cum muliere, si nupta esset.* Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. ref. 2. ibid.

40. *An non obstante copula violenter extorta intra bimestre, possit sponsa, quæ vim passa est, contrahere cum viro, ad Religionem transire? Et an possit tale fœmina, qua in isto casu vim patitur, incontinenti consentire ad semen emittendum iam receptum?* Ex p. 3. tract. ref. 241. aliàs 242. p. 351

41. *An sponsa per vim oppressa à sponso ante bimestre possit semen incontinenti expellere? Et an intra bimestre possit maritus vxorem inuitam cognoscere absque peccato mortali, dato quod de ingrediendo Religione non cogitet? Et an qui non cogitat ingredi Religionem, statim ac fit contractus, teneatur reddere alteri debitum? Et notatur, quod quamuis transiret bimestre ante consummationem, volenti ingredi Religionem irrogari iniuriam, si compromatur ad consummationem, quando statim ac alteri petitur debitum, vult Religionem ingredi, quia et tunc ingredi statim.* Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. ref. 18. ibid.

42. *An si alter coniux non cogitat intrare Religionem possit adhuc duobus primis mensibus non reddere debitum alteri petenti? Et in dicto casu, quando quis ante monitionem consummationẽ vult Religionem ingredi, potest emitti ante annum probationis exactum, & intra dictum bimestre?* Ex p. 4. tr. 4. & Misc. ref. 133. p. 1. c.

Sequitur sub hoc, eodemque numero huius Rel. 42. an quæstio, videlicet an coniux, qui non intendit Religionem ingredi, teneatur intra bimestre reddere debitum alteri petenti? Et notatur, quod si sponsa duodennio intra bimestre transeat ad Religionem, tenetur sponsus expectare vsque ad annum sextum decimum sponsæ, nec profiteatur, & si intrat in Religionem S. Francisci de Paula, vsque ad annum decimum octauum. Ex p. tr. 14. & Misc. 4. ref. 24. aliàs 22. ibid.

43. *An filij nati ex fornicario concubitu habito à sponso, vel sponsa de futuro, sint naturales, an spurij?* p. 9. tr. 7. & Misc. 2. ref. 70. p. 353

44. *An sponsalia inter impares valeant, vt inter sponsam Nobilem, & virum ignobilem? Et an quando matrimonio contrahendo scandalum timetur inter consanguineos, debeat iudex illud impedire. Idem est dicendum, quando est timor probabilis pessimi exitus, vt capitalis inter ipsos contrahentes. Ex quibus colligitur posse Patrem impedire sponsalia filij, vel filiæ, contra eius voluntatem inita, intercedente graui scandalo, non verò aliàs.* Ex p. 9. tr. 7. & Misc. 2. ref. 7. ibid.

45. *An Pater teneatur dotare filiam, etiamsi aliam habeat dotem competentem. Et supponitur tenere certum, Patrem teneri dotare filiam. Et an Pater teneatur filiam emancipatam dotare. Et an Pater teneatur dotare filiam iam nuptam, quæ nupsit inconsulto Patre, viro digno, & etiam quamuis nupserit viro indigno? Et notatur Patrem teneri ad secundam dotem conferendam filiæ, priori amissa: quod intelligitur secundo nubat.* Ex p. 11. tr. 4. & Misc. 4. ref. 34. p. 3. c.

46. *An Pater teneatur dotare filiam naturalem in peccuniam. Et notatur, quod nec ab hoc onere dotandi excusatur Pater filiam incestuosam, etiam de violatore*

Exempla

Ecclesiasticis beneficiis. Et ex his oriuntur duæ difficultates. Primæ, an dos data filiæ spuriæ ad ipsius hæredes transeat? Secunda, an in eventu, quo Pater plus dotis dedit filiæ spuriæ, quàm valeant totius vitæ alimenta, possit, constante matrimonio, repeti quoad excessum? Ex p.11.tr.4.& Misc.4.res.25.p.355

47. An avus teneatur dotare neptem? Et quid in casu, quo neptis Patrem inopem habeat, si tamen mater dives est? Et an Patruus nequaquam obligetur sobrinas dotare? Et an frater teneatur dotare sororem? Et quid si soror tantùm uterina sit? Et quid si sit consanguinea, v.g. ex eodem Patre, sed ex alia matre fratri coniuncta? Et aliqua alia circa has sorores, & etiam sorores clericorum pro dote, & alimentis illarum discutiuntur in textu huius Resolutionis? Ex p.11.tr.4. & Misc.4.r.26.p.357

48. An filius teneatur dotare matrem nubere volentem? Et dedsitur, quod mater obligata non est per se filias dotare, aut donationes propter nuptias filiis constituere, nisi urgens aliqua, & rationabilis causa intercederet. Et notatur, probabilius esse in neutro foro licitum esse viro regulariter, inuita uxore, dotare filiam prioris matrimonij ex bonis non solùm immobilibus, sed etiam mobilibus, aut pecuniis per secundam uxorem adductis. Et cùm Pater præ omnibus coniunctis obligatus sit filias alere, & dotare, an illius hæres eadem obligatione teneatur? Ex p.11.tr.4.& Misc.4.res.7.p.358

49. De his, quæ in nuptiis donata sunt à consanguineis, vel amicis sponsi, & contrà, cui acquirantur? Ex p.11. tr.4.& Misc.4.res.28.p.359

50. De donis factis à sponso sponsæ. Idem est de donis, quæ socer nuru concessit, & largitus est. Ex p. 11. tr.4.& Misc.4.res.29.p.360

51. De vestitus, & ornamentis datis sponsæ à sponso in ipso die nuptiarum. Et super hoc tria tempora distinguntur, ante nuptias, in nuptiis, & post nuptias. Et tandem concluditur, quod circa hoc maximè est attendenda consuetudo. Ex p.11.tr.4.& Misc.4.res.30.ibid.

52. Quinam dicantur infantiæ, & qui pubertati proximi? Ex quibus quæritur in matrimonialibus, quinam sunt proximi pubertati, ad hoc vt eis matrimonium concedi debeat? Ex p.11.tr.7.& Misc.7.res.39.p.361

53. An quod dictum est de sponsalibus, dicendum sit de matrimonio, videlicet vt sit validum, si illud Parentes contrahunt præsentibus, & tacentibus filiis? Et an sit validum matrimonium, quando puella tacet, & nullus pro ea respondet, vel opus sit, vt respondeat Pater, vel mater, aut Tutor? Et quid si in tali casu extranei repromittant? Ex p.3.tr.4.res.271.aliàs 272.p.362

54. An saltem peccet venialiter, qui loqui valens contraheret matrimonium per signa, & nutus? Ex p.3. tr.4.res.247.aliàs 248.p.363

55. An contrahere matrimonium ante legitimam ætatem sit peccatum mortale? Ex p.3.tr.4.r.275.aliàs 276.ibid.

56. An sit peccatum mortale contrahere matrimonium vltimo die, quo completur legitima ætas. Et an satis sit finò solùm prima dies anni duodecimi in fœmina, & decimiquarti in viro sit inceptas, sed etiam si tres dies, aut etiam decem dies ex ea ætate deficiant? Et notatur validum esse matrimonium contractum ante legitimam ætatem, si malitia suppleat ætatem. Ex p.3.tr.4.res.276. aliàs 277.p.364.

57. An in ætate requisita ad matrimonium detur parvitas materiæ? Et notatur ad valorem matrimonij non requiri, vt dicta ætas sit mathematicè completa, sed moraliter, vt quando contrahentes ab ea distarent non solùm per tres, aut decem dies, sed etiam per vnum, aut alterum mensem. Ex p.5.tr.5.res.16.ibid.

58. An filius teneatur contrahere matrimonium quod Pater promiserit, aut præcipit? Et notatur licitè filios posse inire hoc, vel illud matrimonium, Parentibus inuitis, aut resistentibus, erit tamen illicitum contrahere matrimonium, illis non certioribus factis. Et cursissimè docetur, Parentes non posse exhæredare filios, neque eis dotem negare, quia contrahunt matrimonium, illis inuitis. Et aduertitur Parentes, qui coactione sufficienti ad mortale compellunt filios ad matrimonium, non incurrere excommunicationem latam in Tridentino sess.24.c.9. Et an Tridentinum loquatur tantùm de Dominis temporalibus, & Magistratibus habentibus iurisdictionem in foro exteriori sæculari, vnde neque Parochus, neque Episcopus, si compellerent ad matrimonium, in dictam excommunicationem incurrerent? Imò neque Reges, & Imperatores, quamuis habeant dictam iurisdictionem. Ex p.4.tr.4.& Misc.res.132.p.365

59. An filius peccet mortaliter, si non ducat dignam, quàm Pater vult, sed etiam ducat æquè dignam? Et notatur filium Magnatis, quem Pater non vult alere secundùm qualitatem personæ, non peccare mortaliter, si insscio, atque inuito Parente fœminam diuitem, & Nobilem ducat genere aliquantulum inferiorem? Ex p.6.tr.7.& Misc.2.res.21.ibid.

60. An matrimonium inter absentes contractum per Procuratorem, vel per literas coram Parocho, & testibus, sit Sacramentum? Et infertur contrahentes sub peccato mortali teneri curare, vt sint in gratia illo tempore, quo Procuratores eorum nomine contrahunt. Et notatur ætatem, & diuersitatem sexus nullius esse momenti in Procuratore, & ideo fœmina potest contrahere in tali casu matrimonium pro viro. Etiamque aduertitur, quod Procurator non debet excedere suum mandatum, alioquin matrimonium est nullum. Et cursim docetur, quod dicta Procuratio non est necesse, vt efficiatur coram Parocho, ac testibus, licèt coram dictis postea sit ineundum matrimonium? Item, quod dictum est de matrimonio per Procuratorem contracto, dicendum est, si per literas contrahatur. Ex p.3.tr.4.res.249. aliàs 250.ibid.

61. An Procuratore misso ad contrahendum, si mandans in amentiam incidat, matrimonium sit validum? Ex quo infertur, quod Baptismus furiæ tempore receptus, peritus ante furiam validus est. Idem est in Sacramento Pœnitentiæ, potest enim absolui, qui ante amentiam dedit signa contritionis. Ex p.3.tr.4.res.248.aliàs 249.p.366.

62. An si omittantur denuntiationes, matrimonium sit validum? Et notatur primò contrahentes ante denunciationes factas peccare mortaliter, & ita dicendum est de Parocho tali matrimonio assistente. Secundò, quod in tali casu, videlicet quando denunciationes ante nuptias factæ non sunt, post nuptias ante consummationem matrimonij faciendas esse ex Concilio Tridentino, vt si fortè impedimentum dirimens subsit, ante copulam fornicariam detegatur, nisi Episcopo consulto, videatur eas omnino intermitti. Tertiò, quod non possunt solæ authoritate Parochi prætermitti denunciationes, si timetur malitiosè matrimonium impediendum, licèt postea efficerentur antequam dictum matrimonium consummetur, quia hoc spectat ad Episcopum, cum facilè possit adiri. Ex p.3.tr.4.res.240. aliàs 241.p.367

63. An quando matrimonium initum est absque denunciationibus, sit peccatum mortale consummare antequam præmittantur? Et an coniux teneatur debitum reddere alteri coniugi petenti ante denunciationes? Et notatur, quod si contingat casus, in quo matrimonium statim contrahi bono communi, vel speciali contrahentium expediat maximè, neque sit recursus ad Ordinarium, qui in prædictis denunciationibus dispenset, poterunt contrahere absque vlla culpa matrimonium coram Parocho & testibus, Parochusque, & testes adesse poterunt. Ex p.9.tr.8.& Misc.3 res.19.p.367

64. An præmittere vnam de dictis Denunciationibus sit peccatum mortale, vbi plura de Denunciationibus? Et an Parochus, qui id suo arbitrio faceret, grauiter puniendus esset ab Episcopo. Et notatur denunciationes non posse fieri extra Ecclesiam, etiamsi locus sit aptus, vt ad multorum notitiam perueniant. Et an verò in tribus diebus festiuis continuis, vt in Pascha te, possint fieri dictæ denunciationes? Et an sit peccatum mortale, si Parochus efficeret dictas proclamationes in tribus diebus festiuis,

uis, sed interpolatis ? Ex p.3.tr.4. ref.135. aliàs 236. p.368

65. *An denunciationes faciendæ sint in vtraque Parochia, in qua diutius commorati sunt Sponsi, vel sufficiat illas facere in Parochia, in qua breui tempore commorantur ?* Ex p.3.tr.4.ref.234. aliàs 235.p.369

66. *An quando contrahentes sunt ex diuersis Diœcesibus, & ordinarius vnius dispensat in denunciationibus, sufficiat hoc, ne fiant in Parochia alterius ?* Ex p.3.tr.4.ref.238.aliàs 239. ibid.

67. *An Ordinarius possit dispensare, vt omittantur denunciationes, & quid intelligendum est sub nomine Ordinarij* in Concil. Trident. sess.24. de matrim.cap.1. *Et quænam verò sint istæ causæ, vt dispensetur in denunciationibus ?* Ex p.3.tr.4.ref.236. aliàs 237.ibid.

68. *An saltem Vicarius Episcopi possit dispensare, ne ex iusta causa denunciationes efficiantur? Et breuissimè notatur, hoc non procedere in Vicariis foraneis ?* Ex p.3.tr.4.ref.237. aliàs 238.p.370

69. *An quis ex vi denunciationum teneatur denunciare impedimentum matrimonij occultum, quod non potest probare ? Et asseritur, delato ad ordinarium impedimento, si vnus tantùm testis sit absque aliis adminiculis, non posse interdici matrimonium, nec debere ?* Ex p.3. tr.4.ref.220.aliàs 221. ibid.

70. *Pater volens impedire matrimonium filiæ rogauit Episcopum, vt interdiceret Parocho, ne tali matrimonio assisteret, & facta est interdictio, sed minimè obseruata est, tunc à me quæsierunt, an tale matrimonium fuerit validum ? Et quamuis ea prohibitio à Pontifice Parocho facta esset ? Sed difficultas est, quid est dicendum si Episcopus non solùm interdicat Parocho, ne illi matrimonio assistat, sed etiam addit clausulam irritantem ipso facto matrimonium illud, si secus factum fuerit. Ex quo infertur, an possit Episcopus prohibere Parocho, ne absoluat ab aliquo peccate, & irritare aliter factum ? Et quid est dicendum, si Episcopus Sacerdoti potestatem habenti audiendi confessiones fœminarum, prohibeat ne illas audiat, an per illam simplicem prohibitionem, si confessiones fœminarum audiat, validæ sint tales confessiones? Et tandem docetur, non posse Episcopum matrimonij impedimenta constituere, inducere, nec apponere, quia potestas hæc iam reseruata est Summo Pontifici.* Ex p.10.tr.13.& Misc.3.ref.23.ibid.

71. *An propter magnam necessitatem possit contrahi aliquando matrimonium sine præsentia Parochi ? Et notatur, quod quando in articulo mortis quis vellet concubinam ducere, idque omnino videatur necessarium ad legitimandam prolem ex ea susceptam, & ad adimplendam fidem ei datam, posse Parochum omittere denunciationes ?* Ex p.3.tr.4.ref.233.aliàs 234.p.371

72. *An ex aliqua magna necessitate possit quis inire matrimonium absque Parochi præsentia? Et pro praxi huius quæstionis adducuntur aliqui casus in textu huius Resolutionis, in quibus hoc fieri potest.* Ex p. 10. tr.13.& Misc.3.ref.15.ibid.

73. *An in articulo mortis Parochus possit celebrare matrimonium sine testibus, & denunciationibus? Et in corpore huius Resolutionis quatuor apponuntur casus, in quibus valet clandestinum coniugium, etiam sine Parocho, & testibus celebratum ?* Ex p.5.tr.3.r.98.p.373.

74. *An habitantes in ea Parochia, vbi Concilium Tridentinum de Clandestinis matrimoniis publicatum est, & seruatur, si transeant, v.g. in Galliam non animo ibi habitandi, sed cum voluntate ibi contrahendi, ac mox ad locum habitationis redeundi, an inquam in tali casu matrimonium sit validum ? Ex quo sequitur, cum statutum sit, vt quis semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, & vel ex consuetudine, vel ex declaratione Eugenij IV. peregrinus possit confiteri illi Parocho, in cuius Parochia habitat, non quidem ex commissione proprij, sed tanquam proprio Sacerdoti, & ideo idem dicendum est, etiamsi quis animo confitendi solùm illi Parocho eò accedat, & à sua domicilij Parochia recedat, illi enim licet alteri confiteri, dum extra suam Parochiam est.* Ex p.6.tr.7.& Misc.2.ref.29.ibid.

75. *An impedimenta matrimonij per Concilium sublata censeantur etiam sublata in Prouinciis, vbi illud non est publicatum ?* Ex p.6.tr.8. & Misc.3.ref.26.p.374.

76. *An clandestinè contrahentes, copula inter eos secuta, teneatur saltem ratione iniustitiæ vir fœminam in suam rem ducere ?* Ex p.9.tr.7.& Misc.2.ref.72.p.376

77. *An commorantes in terris Infidelium possint contrahere matrimonium, non seruata forma Concilij Tridentini? Et docetur, etsi in aliqua Ciuitate Decretum Concilij publicatum fuerit, modò tamen expulsis Catholicis Sacerdotibus non adsint Parochi proprij, valide coram Hæretico prædicante, vel sine prædicante matrimonium contrahere.* Ex p.6.tr.7.& Misc.2.ref.30.p.376

78. *Ex Belgio ad locum, vbi Tridentinum non est susceptum, aliqui transierunt, vt ibi matrimonium clandestinum contraherent: quæritur an fuerit validum ? Et cursim deducitur, quod in conflictu opinionum illa est amplectenda, quæ fauet valori matrimonij. Et quid dicendum de matrimonio Christianorum in terris Turcarum habitantium, an valide contrahant sine Parocho & testibus ? Et quid de matrimonio Hæreticorum, in quidem in locis, vbi Tridentinum non est promulgatum, sed vbi iam promulgatum est, & adhuc est Parochus Catholicus, qui possit assistere matrimonio: an valeat ibi contractum ab Hæreticis sine Parocho & testibus? Quæritur etiam, an tale matrimonium valeat celebratum coram prædicante, & Ministro hæretico, vel sine prædicante, & absolutè sine vllo Ministro & Parocho? Et in §. Respond. huius Resolutionis alij casus cursim resoluuntur circa hoc ex Declaratione Cardinalium Sacræ Congregationis.* Ex p.11.tr.8.& Misc.4.ref.36.ibid.

79. *De quodam matrimonio in Hollandia contracto, & quadam Monialis professione postea post dictum matrimonium facta. Et deducitur, quod si aliquis emisisset professionem cum conditione, pacto, seu modo de retinendo seu habendo proprio independenter à Superiore, dicta professio non valet, &c.* Ex p.11.tr.6.& Misc.6.r.1.p.378

80. *An matrimonium contractum sine præsentia Parochi & testium transeat saltem in sponsalia de futuro? Et an hoc procedat, etiamsi illud matrimonium fuerit in euentu confirmatum? Et an dicti contrahentes possint discedere à tali contractu matrimonij sine vlla iudicis auctoritate, & cum aliis contrahere, nec indigeant in euentu absolutione ?* Ex p.3.tr.4.ref.257.aliàs 258.p.379

81. *An Parochus communiter ita reputatus, sine tamen titulo, quia principio fuit intrusus, valide matrimonio assistat ? Et quid si à contrahentibus inhabilitas cognoscatur ? Et resolutio harum quæstionum pendet ex hoc, an aliquis sine titulo, & authoritate Superioris in Officium iudicis, Parochi, aut Confessoris se ingerens, tamen communis error accedat, gesta per illum quoad vtrumque forum spectantia valida sint ?* Ex p.9.tr. & Misc.2.ref.45.ibid.

82. *An matrimonium initum cum licentia dolo, & mendaciis à Parocho extorta, sit validum ? Idem asseritur, si licentia fuerit à Parocho metu cadenti in constantem virum extorta.* Ex p.9.tr.8.& Misc.3.ref.20.p.382

83. *An Parochus excommunicatus non toleratus valide assistat matrimonio ? Et an valeat matrimonium coram testibus excommunicatis non toleratis celebratum ?* Ex p.5.tr.9.ref.78.p.381

84. *An Parochus excommunicatus assistens matrimonio peccet ? Et supponitur Parochum excommunicatum, etiam non toleratum, suspensum, & irregularem valide assistere matrimonio. Et an excommunicatus toleratus assistere matrimonio ? Et an nullam culpam contrahat assistens matrimonio ? Et tenetur certum esse, nullum peccatum committere Parochus excommunicatum, quando in articulo mortis est necessarium assistere matrimonio. Etiamque aduertitur Parochum excommunicatum, etiam non toleratum, valide posse*

aliis licentiam dare, vt matrimonio assistant? Ex p.3. tr.4.res.232. aliàs 233.ibid.

85. *An Parochus excommunicatus non toleratus, licèt validè, tamen illicitè assistat matrimonio? Et an in prædicto casu nec ipsi contrahentes peccent, dum coram illo contrahunt? Et an tamen, si Parochus ab Episcopo, aut ab alio competente iudice prohibitus sit assistere matrimonio, aut licentiam conferre, si id efficiat, quamuis peccet, validè tamen efficiet, quia simplici prohibitione non priuatur dicta potestate?* Ex p.5.tr.9.res.79.ibid.

86. *An Parochus excommunicatus non toleratus validè licentiam conferat Sacerdoti, vt assistat matrimonio? Et notatur non solùm validè Parochum excommunicatum licentiam hanc præbere, sed etiam licitè, quod est valde notandum?* Ex p.5.tr.9.res.80.p.382

87. *Quidam Parochus publicè grauiter percussit Clericum, & statim dedit licentiam Sacerdoti ministrandi omnia Sacramenta suis Parochianis: quæritur an matrimonia, quibus præfuit, fuerint validè contracta? Et an in tali casu contrahentes non peccent? Et notatur Parochum excommunicatum, etiam non toleratum, non solùm validè, sed etiam licitè assistere matrimonio posse. Etiamque docetur, Parochum excommunicatum toleratum, & non declaratum, si assistat matrimonio, vel det licentiam assistendi, non peccare neque venialiter; & si non est toleratus, peccabit tantùm venialiter. Et aduertitur, quod si aliquis habet alicubi domicilium, & migrat ad illud recreationis causa, breui rediturus, possit contrahere coram Parocho illius breuis habitationis, seu temporis, &c.* Ex p.11.tr.5.res.10.ibid.

88 *De licentia, quam potest dare Parochus, vel ordinarius assistendi matrimonio? Pro quo varij & curiosi casus apponuntur in textu huius Resolutionis, & etiam pro ipso Parocho tantùm.* Ex p.11.tr.3.& Misc.3.res.32.p.383

89. *Quædam tractabilia circa Parochum, & eius licentiam assistendi matrimonio, ad ornatum Concilij Tridentini sess.24.c.1.de reformatione. Pro quibus varij, singulares & curiosi casus adscribuntur in corpore huius Resolutionis?* Ex p.11.tr.3.& Misc.3.res.34.p.386.

90. *Quisnam sub nomine ordinarij comprehendatur, ad ornatum Concilij Tridentini sess.24.c.1. de reformatione, & aliorum textuum, & Canonum? Et docetur Episcopum, & Archiepiscopum in sua Diœcesi, & aliquando comparatione suffraganeorum, Cardinalem respectu subditorum Ecclesiæ sui tituli, Legatum Pontificis in Prouincia suæ legationis, Capitulum Sede vacante, seu eius Vicarium, Abbates Ecclesiæ nulli Episcopo subiectæ, omnes prædictos comprehensos esse sub nomine ordinarij? Et an Vicarius Generalis Episcopi, vel Prouisor dicendus sit Ordinarius? Et quid de Vicarijs forensibus. Et an vt Vicarius Generalis queat per se assistere matrimonio, etiam debeat esse Sacerdos, & quid de Parocho? Et quid est sentiendum de Abbatibus Commendatarijs perpetuæ Abbatiæ, habentibus iura Episcopalia, vt est Abbatia Farfensis, &c. Et an Magister Scholæ Salmantinæ respectu Scholasticorum, qui in Matricula scripti sunt, sit Ordinarius eorundem Scholasticorum, possitque validè assistere eorum matrimoniis, & aliis assistendi licentiam dare?* Ex p.11.tr.3.& Misc.3.r.35.p.388

91. *De testibus necessarijs ad contrahendum validè matrimonium. Et an sit necessarium hos testes esse rogatos? Et an sufficiat, quamuis vi detenti, & repugnantes interfint, modò percipiant contractum celebratum? Et an prædicti testes pro validitate matrimonij debeant esse omni exceptione maiores? Et an testes simul cum Parocho interesse debeant matrimonio, vel sufficiat successiuè coram illis explicare contrahentes consensum? Et an peccent mortaliter, qui contrahunt coram Parocho coacto, quod non procedit quoad testes? Et an ad constituendum Procuratorem pro matrimonio contrahendo, non sit necessaria certa ætas, nec qualitas alia præter eam, quam ius naturale exposcit ad explicandum consensum nomine alterius, nimirum vsum rationis? Et an matrimonium initum coram testibus, & Parocho, si iste sit intrusus, non obstante quod adsit error communis, an adhuc matrimonium sit validum?* Ex p.11.tr.3.& Misc.3.r.33.p.390

91. *An excommunicatus vitandus sit admittendus vt testis in causis matrimonialibus? Et quid si sit toleratus? Et in causis Fidei non est dubitandum. Et notatur, quod assistentia Parochi excommunicati, etiam non tolerati, contrahentibus matrimonium valida est?* Ex p.11.tr.4.& Misc.4.res.21.p.391.

93. *An ad valorem matrimonij sufficiat, vt Parochus & testes audiant contrahentes, vel opus est illos videre.* Ex p.8.tr.7.& Misc.res.68.p.392

94. *An sit validum matrimonium initum coram Parocho ad id non specialiter vocato, sed casu transeunte? Et in textu huius Resolutionis adducitur pulchrum factum pro praxi prædictæ difficultatis.* Ex p.10.tr.13.& Misc.3.res.26.ibid.

95. *An sint à matrimonio arcendi, qui Fidei rudimenta nesciunt? Et an saltem Pater noster, Aue Maria, Credo, & Decalogum debeant scire? Et cursim infertur statuere impedimenta matrimonij, non ad Episcopum, sed ad Pontificem spectare.* Ex p.4.tr.4.& Misc.res.85.p.393

96. *Quinam est minister Sacramenti matrimonij. Et notatur Ministrum, id est Sacerdotem, ante Concilium Tridentinum non fuisse necessarium; at postea esse necessarium, & pertinere ad essentiam matrimonij Ministrum talem, & testes.* Ex p.3.tr.4.res.253.aliàs 254.ibid.

97. *Quænam sit materia, & forma huius Sacramenti? Et quænam sit materia, & forma in matrimonio contrahendo per Procuratorem inter absentes?* Ex p.3. tr.4.res.250. aliàs 251. ibid.p.394

98. *An Parochus teneatur sub mortali interrogare sponsos de mutuo consensu? Et notatur non teneri Parochum interrogare contrahentes, an aliquod impedimentum habeant, ne contrahere possint.* Ex p.3. tr.4. res.293.aliàs 294.ibid.

99. *An Parochus, si intellecto consensu contrahentium, non dicat,* ego vos coniungo in nomine Patris, &c. *peccet mortaliter?* Ex p.3.tr.4.res.255.aliàs 256.ibid.

100. *An si Parochus, dum matrimonium contrahitur, sit distractus, & non aduertit ad ea, quæ tunc efficiuntur, dictum matrimonium sit validum. Et quid est dicendum de testibus in prædicto casu. Et an si Parocho contradicente, celebretur matrimonium, sit validũ. Et cursissimè infertur, an si Sacerdos proferat super materiam legitimam formam Sacramentorum absque intentione, v.g. abluendi, vel consecrandi, etiamsi postea intentionem adhibeat, nihil efficiat?* Ex p.10.tr.13.& Misc.3.r.20.ibid.

101. *An matrimonium initum coram Parocho, & testibus sit validum, si consensus contrahentium intelligatur per interpretem? Idem est, si fiat matrimonium per literas incognitæ linguæ.* Ex p.10.tr.13.& Misc.3.r.17.p.395

102. *An tempore Aduentus, & Quadragesimæ sit peccatum mortale traducere sponsam solemniter in domum sponsi, & conuiuia solemnia facere. Et asseritur omnem traductionem sponsæ in domum sponsi, etiam absque solemnitate interdictam esse Feriarum tempore. Et an liceat hoc tempore Feriarum consummare matrimonium?* Ex p.3.tr.4.res.265. aliàs 266.p.396

103. *An nuptiæ sint prohibitæ in die Sabbathi ante aduentum? Idem quæritur à Vesperis ante diem Cinerum. Et an si tempore prohibito Aduentus, & Quadragesimæ adhibeatur solemnis benedictio nuptiarum, aut traducatur solemniter sponsa in domum sponsi, aut adhibeant conuiuia, aut alia lætitiæ signa, peccent mortaliter sponsi talia facientes?* Ex p.3.tr.4.res.201.aliàs 202.p.397.

104. *An nuptiæ prohibeantur à primis Vesperis Sabbathi ante primam Dominicam Aduentus?* Ex p.3.tract. addit.res.26.ibid.

105. *An Orationes, & ceremoniæ, quæ pro secundis nuptiis destinatæ sunt, possint tempore prohibito Aduentus, & Quadragesimæ ministrari. Et notatur, quod licèt adsit consuetudo, vt etiã secundæ nuptiæ benedicantur, quando*

alter.

alter coniux benedictionem non susceperit, sive sit vir, sive sit fœmina; attamen talis consuetudo non obligat sub mortali. Et cursim asseritur benedictionum omissionem, secluso scandalo & contemptu, non esse peccatum mortale? Ex p.3.tr.4.ref.264. aliàs 265.p.398

106. An sit saltem peccatum veniale consummare matrimonium, antequam recipiant benedictiones Ecclesiæ? Ex p.3.tr.4.ref.239. aliàs 240.ibid.

107. An liceat contrahere matrimonium tempore interdicti? Et an tempore interdicti possint fieri matrimonij denunciationes? Ex p.3.tr.4. ref.266. aliàs 267. ibid.

108. An tempore interdicti licitum sit contrahere matrimonium? Et an in prædicto tempore benedictiones tamen nuptiales fieri nov possint, quia sunt officia diuina? Ex p.5.tr.10.ref.82. aliàs 81.p.399

109. An benedictio nuptiarum sit tempore interdicti illicita? Et an saltem in dicto casu benedictiones nuptiales fieri possint in diebus, in quibus permittuntur diuina officia, vt Paschatis? Ex p.5.tr.10.ref 85.aliàs 84. ibid.

110. An validum sit matrimonium, cui proprius Parochus vnius contrahentis assistit in Parochia alterius sibi non subditi? Et an dictus Parochus, qui in aliena Parochia coniungit suum Parochianum, peccet mortaliter, & puniendus sit? Ex p.3.tr.4.ref.231. aliàs 232.ibid.

111. An Episcopi possint prohibere, ne matrimonia domi contrahantur? Et an vt dicatur matrimonium in facie Ecclesiæ celebrari, sit opus, vt in Ecclesia ipsa materiali, vel eius limine celebretur, vel satis sit coram fidelium multitudine? Et an hodie dicatur satis contractum in facie Ecclesiæ, si coram Parocho & duplici teste, denunciationibus præmissis, matrimonium ineatur? Ex p.3.tr.4.ref.278.aliàs 279.p.400

112. An sponsi rus profecti recreationis causa possint ibi matrimonium contrahere? Ex p.3. tract.4. ref.230. aliàs 231.ibid.

113. An contrahentes matrimonium in peccato mortali peccent dupliciter, quia non solùm suscipiunt, sed etiam ministrant hoc Sacramentum? Ex part. 3. tr.4. ref.198. aliàs 199.p.401

114. An censeatur matrimonium consummatum, si solus vir intra vas fœminæ naturale seminet, fœmina verò non seminante? Ex quo infertur, quod si vico seminante, fœmina non seminauerit, idque partibus constet, possint Religionem ingredi, & profiteri, & pars relicta in sæculo aliud matrimonium inire. Ex part.5. tr.13. & Misc.1.ref.54.ibid.

115. An deficientibus hominibus secularibus, tenerentur Religiosi contrahere matrimonium? Et notatur posse etiam nunc occurrere casum, in quo Religiosus teneretur matrimonium contrahere, vt quando sequerentur seditiones & bella, nisi Principis filius Religiosus vxorem duceret; tunc enim sub peccato mortali matrimonium inire teneretur? Ex p.3.tr.4.ref.288. aliàs 289.ibid.

116. An surdus, & mutus à natura possint contrahere matrimonium? Ex p.5.tr.6.ref.9.p.402

117. An mutus & surdus, & simul cæcus à natura possit inire matrimonium? Et quid si cæcitas non esset à natura, sed superuenisset? Ex p.5.tr.6.ref.10.ibid.

118. An inter fideles possit esse matrimonium, quod non sit Sacramentum? Sed nota, obsecro Amice lector, quod quando quis contraheret sine formali, aut virtuali intentione faciendi quod facit Ecclesia, licèt illud matrimonium non sit Sacramentum, quia in Ministro non fuit intentio necessaria, attamen validum manet in ratione contractus, itavt contrahentes non possint deinde alteri nubere, neque in posterum posse tale matrimonium effici Sacramentum. Ex p.3.tr.4.ref.254.aliàs 255.ibid.

119. An matrimonium Catholici cum Hæretico sit licitum cum periculo peruersionis, quando tamen ex magna aliqua causa contrahitur? Ex quo infertur, non esse peccatum exponere se periculo spiritualis salutis ex causa aliqua vrgenti. Etiamque cursim deducitur, posse hominem aliquod medicamentum sumere ad assequendam salutem, quamuis probabiliter putet ex eo futuram semin[atio]nem? Et aduertitur, quod absolui potest qui ex re[me]nabili, & iusta causa non vult vitare peccandi occ[asio]nem, modo proponat firmiter non peccare, etiamsi [quo]ties sit relapsus? Ex p.3.tr.4.r.268. aliàs 269.p.4[00]

120. In quodam Tribunali sanctæ Inquisitionis [quid]tanquam Hæreticus formalis publicè damnatus, quæritur an quia Ecclesia se reconciliauit, eius vxor teneatur illum recipere, & secum cohabitare? Et an [sup]probabilis opinio sit admittenda, si in occulto coniux hæreticus conciliatur per Inquisitores? Et notatur, quod in supradicto primo casu non desideratur specialis diuersa sententia, sed sufficit sententia Inquisitorum, qua declaratum fuit illum extitisse hæreticum. Et quæritur an post sententiam qua vxor hæretica declarata fuit, possit vir eius ordinibus sacris manens in sæculo initiari? Ex p.6.tr.7.& Misc.2.ref.25.p.404

121. An si coniux infidelis velit permanere cum coniuge fideli sine iniuria creatoris & scandalo, possit hoc non obstante coniux fidelis nouum matrimonium inire? Et notatur, quod tutius est in hoc casu, Summum Pontificem consulere, & dispensationem petere. At si aliquis nolit efficere, teneatur alterum coniugem monere & inducere ad Fidem, & aliqua alia, qua contingere possunt in supradicto casu, aduertuntur. Et eadem dicenda sunt de idem, quod in dicto casu dictum est de matrimonio, discendum est de ingressu Religionis, & de susceptione Ordinis sacri. Ex p.3.tr.4.r.251.aliàs 251.p.405

122. An coniux infidelis, qui fidelem coniugem semel noluit, possit nouum sibi coniugem eligere? Et an si postea conuertatur, possit ei concedi dispensatio, vt alteri nubat, si vir eius aliam duxerit vxorem? Ex p.3.tr.4. ref.262. aliàs 263.ibid.

123. An dissoluto matrimonio à fideli in casu sibi permisso, liceat absque culpa coniugi infideli aliud matrimonium inire? Et aduertitur, quod si postea conuertatur, [non] concedi dispensatio, vt alteri nubat, si vir eius aliam duxerit vxorem. Et cursissimè infertur, quod qui vxorem enecat, etiam mortua illa, non potest aliam ducere, nisi accedat dispensatio. Ex p.9.tr.7.& Misc.1.r.48.p.[4]

124. An coniux infidelis volens post Baptismum contrahere matrimonium, teneatur requirere consensum coniugis infidelis in remotissimis partibus habitantis? Et an in dicto casu dispensatio Pontificis sit necessaria, qua suppleatur monitio iure præscripta? Ex p.3.tr.4. ref.263.aliàs 264.ibid.

125. An matrimonium conuersi cum infideli contractum ante Baptismum, dissoluatur per solemnem professionem Religionis? Et an etiam, Ordine sacro assumpto, [non] lum matrimonij in infidelitate contractum dissolua[tur]. Et an matrimonium Infidelium ad Fidem conuersorum etiam consummatum possit à Pontifice dissolui ex [quo] qua iusta causa? Ex p.9.tr.7.& Misc.1.ref.47.ibid.

126. An matrimonium Infidelium, cum ambo baptizantur, fiat Sacramentum, eisque gratiam conferat? Ex p.3.tr.4.ref.252.aliàs 253.p.407

127. An excommunicati contrahentes matrimonium peccent dupliciter ex eo, quod non solùm Sacramentum recipiant in excommunicatione, sed etiam ex eo, quod contrahant, cum iuxta communem sententiam contrahentes sint Ministri huius Sacramenti? Ex p.5.tr.9.ref.85.p.402.

128. An qui matrimonium contrahit cum excommunicato, peccet mortaliter. Et quid si denunciatus sit [non] notorius Clerici percussor? Ex part. 3. tr.4. ref.[267] aliàs 268.ibid.

129. An contrahere cum impedimento dirimente sit [sim]plex peccatum. Ex p.3.tr.4.ref.296.aliàs 297.ibid.

130. Quot peccata committat qui sciens contrahere matrimonium cum impedimento dirimente. Et an impedimenta matrimonij addant nouam malitiam, etiam in copula fornicaria, distinctè explicandam in confessum. Ex p.10.tr.16.& Misc.6.ref.82.ibid.

131. Quid est dicendum, quando est dubium, an inter [con]iuges

lentes contrahere adsit aliquod impedimentum dirimens? Et notatur in dubio an res egeat dispensatione, posse Episcopum declarare, non desiderari dispensationem, vel ad cautelam dispensare. Ex p.4. tr.3.res.17. p.409

132. An dubius de impedimento dirimente matrimonium possit, hoc non obstante, illud contrahere? Et docetur per Canones licitum esse inire matrimonium cum dubietate impotentiæ ad coëundum. Et quæritur, an ille qui bona fide contraxit, possit liberè petere, & reddere debitum, quando nouit alterum dubitare de valore matrimonij? Et an si matrimonium sit contractum, sed nondum consummatum, & ante consummationem incidat dubium de impedimento, teneatur reddere, vel an teneatur ingredi Religionem, vt liberum relinquat alterum coniugem? Et an dubitans de iure suo, si post diligentem inquisitionem magis propendeat in eam partem sibi ius non assistere, quid facere debeat? Et an dubitans de valore matrimonij, quod contraxerat, nondum habita certitudine coniugis prioris præmortuæ, debitum interim à coniuge sua exigere possit? Ex p. 10. tr.13. & Misc.3.res.7.ibid.

133. Virum sit validum matrimonium contractum cum falso errore alicuius impedimenti? v.g. vt si quis contraxit existimans coniugem mortuum esse viuum, & tamen sciebat matrimonium esse nullum contractum superstite coniuge, &c. Ex p.3.tr.4. res.292. aliàs 293. p.411

134. An filij oriatur de validitate alicuius impedimenti, filij illo medio tempore nati sint legitimi reputand.? Et quid si illis prohibitum sit sub pœna excommunicationis, ne possint simul cohabitare, an adhuc filij pro legitimis debeant haberi? Idem erit, ac multò magis, si interposita fuerit appellatio. Et supponitur filium natum ex matrimonio bona fide alterius Parentis inito esse verè legitimum, non solùm quoad Parentem habentem bonam fidem, sed etiam quoad alium malam fidem habentem. Ex p.10.tr.11.& Misc.1.res.62.ibid.

135. An pro valore matrimonij sequi aliquis possit opinionem singularem contra communem? Idem quæri potest de valore professionis. Et an hoc procedat, quando ipsa opinio est dubia, secus verò si esset clara? Et notatur, quod licèt in dubio pro matrimonio præsumendum sit, & iudicandum, tamen hoc procedit, quando in matrimonio contrahendo, vel contracto datur paritas personarum, secus datæ imparitate. Etiamque docetur in foro conscientiæ tam quoad sponsalia, quàm quoad matrimonium dubitantem liberandum esse in dubio æquali, cùm melior sit conditio possidentis. Et quid dicendum est in foro externo? Ex p.10.tr.13. & Misc.3.res.19.p.412.

136. An si licitum contrahere matrimonium cum impedimento dirimente ex timore mortis, vel alterius gravis damni; & quid de multis aliis casibus? Ex p.3. tr.6.& Misc.2.res.83.p.413

137. An à matrimonio ex metu graui contracto possit resilire, qui liber à metu est, nec particeps illius fuit? Ex p.3.tr.4.res.228. aliàs 229.p.414

138. An matrimonium ex leui metu contractum valeat iure naturali, & positiuo? Et quid quando reverà ita extorquet consensum, vt sine eo metu non fieret? Ex p.3.tr.4.res.229. aliàs 230.ibid.

139. An metus grauis à lege iustè incussus irritet matrimonium, si iudex v.g. intendat delinquentem cogere per illum metum ad contrahendum? Et pro praxi huius quæstionis adducuntur speciales casus. Et deducitur validam esse professionem, dum vir minatur mortem vxori in adulterio repertæ, nisi Religionem profiteatur, quando minatur mortem authoritate iudicis infligendam, secus verò si minaretur propria authoritate. Etiamque infertur, si quis minetur reo, v.g. latroni iustam accusationem, nisi certum contrahat matrimonium, id valere. Et tandem quæritur, an quando cogenti fuit particeps culpæ metus alteri illati, maneat obligatus ad non resiliendum, & teneatur postea contrahere cum coacto, si velit. Ex p.9.tr.8.& Misc.3.res.27.ibid.

140. An si iudex secundum allegata iustè cogat ad matrimonium, licèt à parte rei illa coactio sit iniusta, adhuc tamen matrimonium illud sit validum? Ex p.9. tr.8.& Misc.3.res.26.p.415

141. An si quis ex metu cogatur matrimonium contrahere, licèt in genere, si postea contrahat, matrimonium sit validum? Et notatur matrimonium ex graui metu contractum esse nullum non solùm ex iure Ecclesiastico, sed etiam inspecto iure naturali. Et aduertitur ea, quæ dicta sunt, locum habere in constitutione Procuratoris ad matrimonium, si ex graui metu fiat, erit nulla iure naturali, & positiuo, & per consequens matrimonium nullum. Et docetur, quod si Parentes cogerent filios ad matrimonium ineundum, non incurrerent in excommunicationem latam in Concilio Tridentino, sess.24.c.9. de matrimonio. Et tandem nota, quod matrimonium erit validum, si iudex cogat iustè matrimonium contrahere secundùm allegata & probata, iniustè tamen secundùm rem, vt si cogat aliquem contrahere cum fœmina post promissionem fornicariæ. Ex p.4. tract.4. & Misc.res.33.p.416.

142. An impotens cum impotentia perpetua, & cognita, possit inire matrimonium in ordine ad castè viuendum? Ex p.4.tr.4.& Misc.res.75.ibid.

143. An matrimonium initum sub conditione honesta per verba de præsenti, vt contraho tecum, si Pater tuus voluerit, aduenientè conditione efficiatur validum absque alio nouo consensu? Sed notatur, quod stando in prima sententia affirmatiua, requiritur vt conditio adimpleatur coram Parocho & testibus, vel vt Parochus & testes cognoscant conditionem esse adimpletam. Sed ex contraria sententia infertur, si post euentum conditionis ante nouum consensum præstitum alter aliud contrahat matrimonium, peccare quidem contra fidem præstitam, at validum esset matrimonium, quia prius tantum habebat vim sponsalium. Etiamque deducitur, si duo consanguinei contrahant coram Parocho, & testibus per verba de præsenti, sub conditione, si Papa dispensauerit, non esse matrimonium absque nouo consensu post obtentam dispensationem Papæ. Ex p.3.tr.4. res.290.aliàs 291.p.417

144. An si vnus promittat matrimonium, & alius acceptet, non tamen promittendo, maneat promittens obligatus? Ex quo alij quatuor casus deducuntur circa promissionem matrimonij, & sponsalium. Ex p.3. tr.4. res.243. aliàs 244.p.418

145. Difficilis est illa quæstio, an si quis inualidè contraxit ob defectum consensus, vel cum impedimento dirimente, obtenta dispensatione, teneatur iterum consentire ante Parochum & testes? Ex p.2.tr.15.& Misc.1.r.5. ibid.

146. An matrimonium nullum ratione consensus ex parte vnius, reualidetur postea, si ipse solus consentiat? Ex p.5.tr.3.& Misc.1.res.87.p.419

147. Virum ad reualidandum matrimonium filia contractum sufficiat adhibere consensum post longum tempus? Et notatur, quod licèt in contrahendo matrimonio, non sit necessarium consensum vtriusque coniugis simul tempore præstari, tamen exigitur simultas moralis, ita vt non magnum interuallum inter vnius & alterius consensum distet; magnum enim interuallum est, quando annus intercedit. Ex p.3. tr.4.res.291. aliàs 292.ibid.

148. An qui fidè contrahit matrimonium, iterum teneatur verè, & ex animo contrahere? Et quid si sit longè disparis conditionis in Nobilitate, aut diuitijs, quando reverà nullum signum adfuit, quo iudicari posset non seriò promittri præter disparitatem? Et sursùm docetur, quod deceptor ad matrimonium non obligatur in multis casibus, & in §. vlt. huius Resolutionis quinque casus assignantur pro praxi. Ex p.3.tr.4.r.246. aliàs 247.ibid.

149. *An qui fictè promisit matrimonium, & sub ea spe fœminam cognouit, teneatur illam in vxorem ducere?* Ex p.5.tr.14. & Misc.2.ref.32.p.320

150. *Ad quid teneatur, si quis corruperit virginem decipiendo illam sub promissione coniugij? Et cursim docetur, quod in multis casibus talis non teneatur ducere, & in textu huius Resolutionis adducuntur sex casus pro praxi prædictæ difficultatis.* Ex p.3.tr.6.& Misc.2.ref.81.ibid.

151. *An deflorator virginis sub spe coniugij teneatur illam ducere? Et an qui sic virginem deflorauit, satisfaciat constituendo illi dotem sufficientem ad supplendum defectum deflorationis? Et an hoc à fortiori procedat, quando contrahentes sunt inæquales? Et an qui fictè promisit, si in iudicio interrogaretur an promiserit, non possit negare se promisisse, vel an possit in tali iuramento vti æquiuocatione negando promissionem, intelligendo ita vt teneatur, &c. Idem est in aliis similibus.* Ex p.11.tr.6.& Misc.6.ref.55.aliàs 54.p.421

152. *Qui libidinis causa rapuit virginem, & cum illa adhuc in sua potestate existente matrimonium contraxit, quæritur an fuerit validum? Et notatur in Concilio Tridentino solùm eam raptus speciem puniri, per quam vis infertur puellæ, non autem Parentibus, vnde si illa consentiat, etiamsi rapiatur vim Parentibus inferendo, validum erit matrimonium.* Ex part.3. tr.4. ref.260. aliàs 261.p.422

153. *An raptus, quo fœmina rapuit virum, dirimat matrimonium? Et an raptus irritet etiam sponsalia? Et notatur, quod raptus, puella consentiente, Parentibus tamen inuitis, non dirimit matrimonium, quamuis contraheret tempore, quo est in potestate raptoris.* Ex p.10.tr.16.& Misc.6.ref.83.ibid.

154. *An si deprehensus in stupro offerat matrimonium, ne prodatur iustitiæ, non obstante tali metu teneatur illud matrimonium in conscientia adimplere? Et quid si metu mortis à patre, vel consanguineis inferendæ matrimonium offerat? Et quid est, si deprehensus in adulterio metu mortis offerat matrimonium cum aliqua consanguinea mariti? Et notatur quod si aliquis Minister iustitiæ eum quem iustè ad mortem, vel aliam pœnam grauem damnare debuerat, impunitate oblata, inuitet vt eius filiam ducat in vxorem, tale matrimonium non valere, secus autem si illi, qui capite plectendus ob homicidium probatum legitimè, promittatur impunitas, si ducat filiam, vel vxorem occisi.* Ex p.3.tr.4.ref.227.aliàs 228.p.423

155. *An qui post votum Religionis, vel Castitatis corrupit fœminam sub pacto coniugij, teneatur illam ducere? Et an in dicto casu teneatur talis contrahere, sed ante consummationem debeat ad Religionem transire?* Ex p.3.tr.4.ref.202.& 203.ibid.

156. *An qui prius emisit votum Castitatis, aut Religionis, & postea fœminam deflorauit, fide data contrahendi cum ea, teneatur eam in vxorem ducere, vel votum adimplere? Et an in prædicto casu iste teneatur contrahere, sed ante consummationem debeat ad Religionem transire?* Ex p.5.tr.14.& Misc.2.ref.38.ibid.

157. *An qui prius votum Religionis, aut Castitatis emisit, virginemque deflorauit cum promissione matrimonij, teneatur ad matrimonium, vel potius ad votum?* Ex p.3.tr.4.ref.279. aliàs 280.p.424

158. *An qui post votum Castitatis contraxit matrimonium, teneatur ante consummationem ingredi Religionem, quando id est necessarium ad seruandum votum, nempe quando alter coniux non vult castitatem seruare? Idem dicendum est, si votum Castitatis emittatur post matrimonium ratum. Restant etiam nonnulla circa votum suscipiendi Ordines sacros, in quibus inuoluitur votum castitatis, & circa votum ingrediendi Religionem, & circa votum non contrahendi matrimonium, si post prædicta vota quis contraxit, quid est faciendum, explanatur?* Ex p.11.tr.5.& Misc.5.ref.40.ibid.

159. *An habens votum Religionis, seu castitatis peccet mortaliter contrahendo matrimonium animo ingrediendæ Religionis antequam consummet matrimonium? Et quid est sentiendum, quando quis absque vllo eo animo matrimonium contraheret?* Ex part.3. tr. ref. 280.aliàs 281.p.425

160. *An fœmina, quæ contraxit matrimonium cum viro improportionato, vel aliquantulum debili, vt facilior pateat aditus, teneatur pati incisionem, si commodè potest? Et an in tali casu tale impedimentum consumandum sit perpetuum, & matrimonium declarandum nullum?* Ex p.3.tr.4.ref.200. aliàs 201.p.426

161. *An fœmina, quæ contraxit matrimonium cum viro improportionato, vel debili, vt facilior pateat aditus, teneatur pati incisionem, si commodè potest? Et dilluitur hæc difficultas, quando defectus non prouenit ex muliere, sed ex viro; & si ex muliere prouenit, dubitatur quid est faciendum? Et pro praxi quæritur, an fratrum annorum congressu, atque conatu, elapsis tamen fœmina non violauit, an inquam in tali casu matrimonium sit dissoluendum?* Ex p.3.tr.addit.ref.3.ibid.

162. *An mulier teneatur pati incisionem sine graui labore, & infirmitate, etiamsi defectus proueniat ex viri ob membrum genitale improportionatum? Et an integrum sit viro impotenti ad virginem, potenti autem ad corruptam, propria authoritate instrumento alio ligneo, vel ferreo, vel simili ad id accommodato, diuisiue clausura virginis à se ductæ reserare, vt sic possit consummare matrimonium? Et an vir sit alicuius culpæ reus, qui suæ temporalis impotentiæ conscius matrimonium contrahit eo tempore quo talis diuræ impotentiæ? Et an in tali casu, si conscius suæ impotentiæ decipit fœminam, ipsam ducens, teneatur eam vt sororem alere, & habere? Et tandem quæritur, quid dicendum sit quando per errorem in facie Ecclesiæ prius matrimonium sit solutum, fœminaque alij nupserit, comperta veritate, an primum matrimonium restituendum sit? Et an fœmina illa, quæ cum secundo viro copulam habuit, possit priori viro repelli per diuortium quoad habitationem & thorum?* Ex p.11.tr.5.& Misc.5.ref.11.p.417

163. *An triennium à iure præscriptum ad experiendam impotentiæ veritatem, computandum sit à tempore, quo copula intentata est, vel à tempore præfixo à iudice? Pro quo aliqua alia prius supponuntur. Et aduertitur, quod si post sententiam diuortij deprehendatur impedimentum non fuisse verè perpetuum, reuocandi sint ad prius matrimonium, etiamsi alia matrimonia iniissent. Et infertur necessarium esse, quod triennium sit continuum. Et cursim aduertitur, hunc triennij terminum debere computari post annum decimum octauum, si non ab anno completo pubertatis, si in illo matrimonium est contractum. Et docetur, quod quando vterque tantum materialiter adulterium commisit, nempe existimans eum, cum quo rem habuisset, esse propriam vxorem, aut credens esse mortuum, vel per vim abductam cogitur, & opprimitur ab alio, non est sufficiens causa faciendi diuortium. Et tandem notatur validum esse matrimonium, si vir seminasset intra vas, etiamsi impotens sit fœmina ad seminandum.* Ex p.11. tr. Misc.5.ref.8.p.429

164. *Quid faciendum de viro Sacris initiato, si post iudicis sententiam inueniatur impotentiam falsò existimatam fuisse perpetuam, non fuisse talem? Item est, si in isto casu vir, vel fœmina ingrederetur Religionem, ob dissolutionem talis matrimonij, si professus sit, an debeat redire ad vxorem? Pro quibus alia difficultates proponuntur, quæ contingere possint inter medium temporis separationis, & etiam post reditum ad vxorem circa petitionem, & redditionem debiti.* Ex p.11.tr. & Misc.5.ref.9.p.431

165. *An marius possit habere copulam cum vxore, si vnque teste careat?* Ex p.11.tr.8.& Misc.8.ref.32.p.4

166. *De quadam curatione Hiernistarum, an effectiua*

dones, vel Eunuchos, & impediat matrimonium? Et docetur triplicem esse speciem Eunuchorum. Et explanatur, quod loquendo de Sacramentis, quæ non sunt de necessitate salutis, vt Confirmatio, Matrimonium, & extrema Vnctio, satis sit, quod Minister in eorum administratione sequatur opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori. Et sequitur, quod in conflictu opinionum illa est sequenda, quæ fauet valori matrimonij. Ex p.12.tr.3.& Misc.ref.4.p.433

167. An vt mulier transire possit ad secundas nuptias, sufficiat præsumptio verisimilis, & probabilis de morte viri? Et an Confessarius in conscientia foro id ipsi permittere possit, & iudex in foro externo, si post celebratas nuptias causam intelligeret, neque mulierem punire, neque à secundo viro separare deberet, donec cognitum esset priorem maritum adhuc viuere? Ex p.3. tr.4.ref.213.aliàs 214.p.435

168. Quis commisit adulterium cum promissione ficta contrahendi post obitum viri: quasiuit postea, an contraxerit impedimentum? Et an dato, quod dicta promissio sit facta seriò, & ex animo, tamen hoc non obstante requiratur, vt ab altero acceptata sit, neque satis est ad contrahendum hoc impedimentum tacita acceptatio, sed requiratur promissio mutua, & reciproca? Ex p.3.tr.4.ref.197.aliàs 198.p.436

169. An promissio adulteri ficta inducat impedimentum matrimonij? Ex quo infertur, quod ficte rebaptizans in foro conscientiæ excusatur ab irregularitate; & ficte proferens hæresim non incurrit pœnas, & censuras hæreticis impositas. Et quæritur an promissio de matrimonio contrahendo, vt inducat impedimentum, debeat esse externa, & acceptata, vel taciturnitas obligationem, & acceptationem inducat? Ex p. 9. tr.7. & Misc.2.ref.26.ibid.

170. An si quis adulterauit cum coniugata cum promissione ducendi illam in vxorem, mortuo marito, possit absque dispensatione Pontificis matrimonium illud inire, si dum commisit adulterium, nesciebat impedimentum dirimens ex illo prouenire? Idem est, si interfecit virum ad finem contrahendi matrimonium, si ignorabat inuincibiliter ex hoc crimine non potuisse sequi matrimonium absque dispensatione Pontificis. Et an vt incurratur hoc impedimentum, sufficiat vt vnus contrahentium sciat huiusmodi impedimentum, vel requiratur scientia ex parte vtriusque contrahentis? Et infertur, an affinitas ignorata ante matrimonium dirimat illud? Ex quo cursim etiam deducitur, quod si quis haberet copulam cum matre, & haberet copulam cum filia, ignorando inculpabiliter impedimentum affinitatis; nam si hoc non obstante, contraheret cum ista sine prauia dispensatione, matrimonium esset nullum. Ex p.10.tr.13.& Misc.3.ref.51.p.437

171. An homicidium ab adultero, & adultera perpetratum animo, & intentione contrahendi matrimonium interse, si ea intentio non significetur exteriùs, inducat impedimentum dirimens? Et infertur, quod Inquisitores excommunicantur, qui odio, vel amore ducti iniustitiam reis faciunt. Et quid si odium, vel amor sit omnino occultus, & nullo signo, aut opere exteriori manifestatus, aut indicatus? Ex quibus etiam deducitur, quod Ecclesia actus omnino interiores nec prohibere, nec præcipere potest. Et notatur, quod si aliquis occidat virum animo ineundi matrimonium cum vna ex filiabus Titij, contraheret impedimentum cum qualibet earum. Ex p.9.tr.7.& Misc.2.ref.25.p.438

172. An impedimenta criminum sint per dissuetudinem sublata? Et pro praxi huius difficultatis septem casus assignantur in textu huius Resolutionis. Et aduertitur, quod Confessarij pœnitentibus incestuosis, vxoricidis, &c. non debent imponere onus, vt si contrahere volunt, dispensationem obtineant. Sed si aliquis scrupulosus, hoc non obstante, dispensationem super his petere velit, eam Episcopus conferre poterit. Ex p.3. tr.4. ref.258.aliàs 259.ibid.

173. Dubius de valore matrimonij post bimestre tempus, si illud non confirmauit, quid facere debeat? Ex p.4.tr.3.ref.41.ibid.

174. An coniux dubitans de valore matrimonij possit petere, & reddere debitum? Et an coniux dubitans, si præmiserit sufficiens examen de valore matrimonij, & adhuc dubius manet, poterit-ne vti matrimonio non solum reddendo, sed etiam petendo; & hoc verum sit etiam quando moraliter est impossibile, adhibita diligentia, posse vinci dubium? Et an quando dubium valoris matrimonij oritur ex dubio impedimenti impotentiæ, tunc vterque coniux possit reddere, & petere debitum? Sed difficultas est, an coniux dubitans de valore matrimonij, si ante debitam diligentiam petat debitum, teneatur alter ei reddere? Difficultas adhuc superest, an si coniux dubitans de valore matrimonij contrahendi, illud ineat, possit adhuc reddere, & petere debitum? Et quid si vterque coniux mala fide contraxit, an neuter possit petere, nec reddere debitum? Et quid est dicendum, si coniuges habeant rationes probabiliter matrimonium valere, quamuis probabilius iudicetur matrimonium non tenere, an possint in tali casu reddere, & petere debitum? Et vtrum dubitans de valore matrimonij à se bona fide contracti, quia dubitat de seruitute alterius, possit, ac teneatur reddere debitum? Et an coniux, qui bona fide contraxit, si postea non dubitet dubio suspensionis, sed potius opinetur matrimonium esse nullum, non solùm possit reddere, sed etiam petere debitum. Ex p.4.tr.3.ref.15.p.439

175. An qui bona fide contraxit, postea dubitans de valore matrimonij, & adhibita diligentia non constet veritas, possit adhuc non solùm reddere, sed etiam petere debitum? Et notatur quod coniux non tenetur regulariter credere alteri asserenti etiam sub iuramento, se vel non consensisse ab initio, vel aliud dirimens impedimentum subesse, atque adeo dubio deposito, potest petere debitum. Et quid si adsint aliæ sufficientes circumstantiæ, & coniecturæ, &c. an tunc nec reddere, nec petere possit debitum? Ex p.3.tr.4.ref.294.aliàs 295.p.440

176. An fœmina quæ contraxit matrimonium cum impedimento dirimente, si hoc postea sciat, teneatur reddere debitum in tempore, quo petit dispensationem, si adsit periculum vitæ? Et cursissimè quæritur, quid si vterque id sciat? Et notatur, quod in casu supradicto, si ad Pontificem non pateat accessus ex inopia, vel ex alia iusta causa, potest Episcopus in dictis impedimentis dispensare. Ex p.4.tr.4.& Misc.ref.48.ibid.

177. An impetrata dispensatione matrimonij nullius, coniux impedimenti conscius teneatur aperire alteri matrimonium contractum fuisse irritum? Et docetur quid in prædicto casu esset faciendum. Et quid est agendum, quando reualidatur matrimonium nullum, quia vni deficit consensus verus; an in tali casu sufficiat, vt renouet consensum, absque eo quod alter, qui verè, & legitimè consensit, hoc sciat, & iterum de nouo consentiat? Ex p.4.tr.4.& Misc.ref.49.p.441

178. An in negatione debiti coniugalis detur paruitas materiæ? Ex p.5.tr.5.ref.14.p.442

179. Coniux quando teneatur reddere debitum petenti sub onere peccati mortalis? Ex p.5.tr.14.& Misc.2. ref.36.ibid.

180. Vtrum coniux teneatur reddere debitum alteri petenti cum peccato veniali, verbi gratiâ quoad situm, &c. Et notatur, quod vir habens votum castitatis, si petit, vxor tenetur reddere debitum. Etiamque aduertitur, probabile esse non peccaturam coniugem reddendo debitum incestuoso, qui scilicet peccauit cum ipsius vxoris consanguinea ante dispensationem, quia non cooperatur peccato alterius. Ex part.3.tract.4. ref.295. aliàs 296.ibid.

. De quibusdam dubiis circa vsum matrimonij. Primò, quod quidam vir in modo extraordinario coëundi cum vxore aliquam seminis quantitatem extra vas emittebat. Secundò, quod vir procreandorum liberorum pertæsus, in fine copulæ extra vas totum semen effundebat, an inquam, in his casibus vxor sine culpa poterat debitum reddere? Et an in secundo casu vir, & fœmina, si id efficiatur de eius consensu, peccent mortaliter, sed si illa non consentit, possit licitè petere, & reddere debitum marito, etiamsi ille in fine copulæ semen extra vas effundat? Ex p. 2. tr. 15. & Misc. 1. ref. 64. p. 443

182. An ne proles multiplicentur, cessante incontinentiæ periculo, sit peccatum mortale non reddere debitum? Et docetur validum esse pactum inter coniuges initum se continendi à coïtu coniugali, ne proles multiplicentur, secluso incontinentiæ periculo. Ex p. 3. tr. 4. ref. 212. aliàs 213. ibid.

183. An diffidultas grauis in alendis filiis excuset à reddendo debitum? Et an in hoc casu distinguendum sit inter personas Nobiles, communes, & pauperes? Ex p. 9. tr. 7. & Misc. 2. ref. 3. ibid.

184. An peccet mulier reddendo debitum viro, qui saturandæ libidinis causa coïtum incipit, sed postea, ne sequatur generatio, subtrahit se, & effundit semen extra vas? Et docetur peccare quidem grauiter virum, & fœminam, si de eius consensu vir id faciat, at si illa non consentiat, licitè posse reddere, & petere debitum à marito, etiamsi ille perperam redditurus sit. Et quæritur, an vir immittens pudenda in os coniugis, peccet mortaliter? Et an hæc circumstantia tanquam speciem mutans, sit in confessione aperienda? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. r. 7. p. 444

185. An sit peccatum mortale, si propter variationem situs in copula coniugali aliqua pars seminis labatur? Et quid est sentiendum de copula, quando vir est incubus, & mulier succuba? Et cursim docetur, quod si fœtus non est animatus, quamuis sit periculum, vt non animetur, ex hoc non tenentur coniuges abstinere à copula coniugali. Ex p. 11. tr. 8. & Misc. 8. ref. 33. p. 445.

186. An aliquando coniuges excusentur à peccato, si effundant aliquid seminis extra vas? Et excusantur primò à mortali, casu quo parua aliqua pars seminis elabatur, dummodo alia retineatur; & absque veniali, casu quo præter intentionem, dum vir legitimè congredi conatur, at ex festinatione, & vigore naturæ semen extra vas effunditur. Secundò docetur, quod si sólum sit periculum, vt amens seminet extra vas, non ideò censenda sit illicita copula. Tertiò notatur, quod maritalis copula est licita seni, qui dum congreditur cum sua vxore, effundit semen extra vas, &c. Quartò quæritur de malitia speciali pollutionis extra vas inter coniuges, & quomodo illam in confessione debent explicare, docetur, quæ doctrina est valdè notanda à Confessariis. Ex p. 11. tr. 8. & Misc. 8. ref. 36. p. 446

187. Notabilia quædam circa coitum coniugalem. Et primò quæritur, an saltem liceat viro perfricare pudenda sua circa vas præposterum vxoris, vel in os eius intromittere, cessante pollutionis periculo? Et an coniugati peccent mortaliter, vel tantum venialiter, ex conscientia erronea, si variant situm ordinarium in coïtu, etiamsi eo copulæ modo aliqua pars seminis elabatur? Et notatur, quod vir expectare non tenetur, licet possit, etiam effuso semine, copulam continuare, vt fœmina seminet. Secundò aduertitur, seminationem extra vas posse aliquando contingere sine vlla culpa in coniugatis, vt in viris potentibus, &c. Tertiò docetur, viro cum vxore licere inchoare copulam causâ delectationis, & postea inchoatam non absoluere, dummodo non subsit periculum pollutionis alterius coniugis, & vxor ea inchoata copula contenta sit. Quartò quæritur, an sit peccatum mortale accedere ad menstruatam vxorem? Quintò, an sit peccatum veniale accedere ad vxorem grauidam, si non adest periculum incontinentiæ? Ex p. 3. tr. 4. ref. 203. aliàs 204. p. 447

188. Olim per literas à quodam Sacerdote interrogatus fui de opinionibus Doctorum circa præsentes casus. Primò, &c. Secundò, si quis coniugatus immitteret membrum virile in os fœminæ, an peccaret mortaliter? Tertiò, si absente coniuge liceret seipsum tangere libidinis & voluptatis causa, absque pollutionis periculo? Et an peccet mortaliter coniux, qui intra vas naturale fœminæ digitos quasi membrum virile immittit, sicuti est peccatum mortale inchoatio copulæ sodomiticæ cum vxore, etiam non animo consummandi nisi intra vas legitimum? Et aduerte, quod primus casus non pertinet ad hoc tractatum. Ex p. 2. tr. 17. & Misc. 3. ref. 37. p. 448

189. An coniugatus, si seipsum tangat propter voluptatem capiendam absque pollutionis periculo, peccet mortaliter? Ex p. 3. tr. 4. ref. 214. aliàs 215. ibid.

190. An coniux in absentia alterius, si tangat libidinosè sua membra pudenda, peccet mortaliter? Ex p. 3. tr. 4. & Misc. ref. 137. ibid.

191. An sit peccatum mortale, si coniuges inter se tangant & osculentur pudenda propter solam voluptatem? Item est de verbis impudicis, & aspectibus partium verecundarum, & amplexibus inhonestis inter coniugates, num non sit periculum pollutionis. Et notatur, quod si aliquis sine interruptione morali multoties osculetur pudenda alicuius fœminæ, vel pueri, sufficit vt in confessione dicat, osculatus sum solutam, vel puerum, & non opus est explicare, quod talis tactus, vel osculum fuit in partibus pudendis. Ex p. 3. tr. 4. ref. 224. aliàs 225. p. 449.

192. An in aliquibus casibus tactus, oscula, &c. sint licita inter coniugatos cum periculo pollutionis? Et p. 3. tr. 4. ref. 216. aliàs 217. ibid.

193. An aliquando sint licita oscula, & tactus inter vxoratos cum periculo pollutionis? Et pro confirmatione doctrinæ huius quæstionis adducitur, quod potest dari tutum cum aperto periculo effusionis seminis extra vas naturale, est peccatum mortale. Et quod si dans operam rei alioquin licitæ, & præceptæ, & aduertat, veram actionem, vt possit impedire, tenetur impedire, alioquin mortaliter peccabit. Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. r. 6. ibid.

194. An tactus, oscula, aspectus, & verba impudica sint licita inter coniugatos, etiamsi ex illis præuideatur aliquatura distillatio, aut membrorum seruientium generationi commotio? Ex p. 3. tr. 4. ref. 225. aliàs 226. p. 450.

195. Quidam vir in absentia coniugis sæpius habuit delectationem de actu coniugij præterito, & etiam futuro, ac si actu præsens esset, sine tamen aliquo periculo pollutionis. Confessarius obliganit illum ad explicandum numerum prædictarum delectationum; quæsiuit postea à me, an verè in illis delectationibus peccauerit mortaliter? Et quid si ex tali delectatione precedat aliqua commotio, & alteratio in partibus pudendis, absque periculo tamen pollutionis? Et deducitur, quod in viro esset lethale delectari de copula præterita, quasi tunc esset præsens. Ex p. 2. tr. 17. & Misc. 3. ref. 36. ibid.

196. An delectatio morosa coniugis de copula cum coniuge absente sit peccatum mortale? Et quid, si ex delectatione consurgeret membri pudendi commotio, & alteratio absque pollutionis periculo? Et respondetur, quod in vidua, & sponsa de futura similis delectatio est peccatum mortale. Sed maior difficultas superest, an coniux possit absque graui peccato seipsum tangere ex voluptate carnali, non referendo ad copulam? Et an coniuges non peccent mortaliter, qui liberè possunt actum carnalem exercere, si huiusmodi tactus circa se, vel comparem exercent ad sedandas carnis tentationes, quamuis actum coniugalem non intendant? Et notatur delectationem morosam de actu coniugij in absentia non esse mortaliter illicitam coniugatis, etiam quoties copula coniugibus est illicita, vel ob circumstantiam extrinsecam

eam, vel ob periculum sanitatis, vel abortus, &c. Ex p.9.tr.8.& Misc.3.res.44.p.451

197. *An coniux excusetur a peccato mortali, si voluntariè delectetur in commotione sensitiua orta ex imaginatione coniugis absentis? Et supponitur abesse probabile pollutionis periculum.* Ex p.3.tr.4.r.199.aliàs 200.p.453

198. *An sit licita inter coniuges delectatio de copula cogitata vt præsenti, quando ipsa copula est illis interdicta ob aliquam causam? Et in textu huius Resolutionis adducuntur diuersi casus pro praxi supradictæ difficultatis. Et deducitur, quod si absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale coniugibus delectari morosè de copula cogitata tanquam præsenti, dum absentes sunt.* Ex p.3.tr.4.res.223.aliàs 224.ibid.

199. *An delectatio coniugis cum fœmina aliena habeat non solum malitiam contra castitatem, sed etiam contra iustitiam? Et docetur licitum esse coniugibus delectari de copula maritali, ac si præsens esset, etiamsi inde consurgat membri pudendi alteratio & commotio absque pollutionis periculo. Et aduertitur non esse licitum coniugibus ligatis voto castitatis delectari de copula legitimè habita, vel habenda: & hoc etiam procedit, si coniux emiserit votum castitatis absque consensu alterius coniugis, ratione cuius non deobligatur à debiti redditione.* Ex p.3.tr.6.& Misc.2.res.73.p.454

200. *An coniuges vtentes copula causa voluptatis peccent venialiter? Et notatur non esse peccatum, neque veniale, contrahere matrimonium ob pulchritudinem, vel diuitias.* Ex p.3.tr.4.res.215.aliàs 216.ibid.

201. *An copula coniugalis inita propter delectationem inducat peccatum veniale? Et sequitur, quod qui reddit debitum postulanti illud ex sola voluptate, an similiter peccet? Ex quibus colligitur, coniugatos peccare venialiter, quando cibis calidis, aut vnguentis, oleis, musco, & aliis medicamentis vtuntur ad excitandam, & magis accendendam voluptatem. Et notatur copulam inter coniugatos ob sanitatem tuendam, vel conseruandam non includere culpam venialem, &c. Et an actu coniugalis factus solùm ad euitandam incontinentiam eius, qui petit debitum, seu ob propriam fornicationem vitandam, sit culpa venialis? Et quid in casu, quo petens debitum carnis molestiis non vexetur, si satis sit probabiliter timere vexandum fore? Et an si vir causa delectationis petit debitum cum situs variatione, peccet fœmina venialiter reddendo, aut an absolutè possit negare?* Ex p.11.tr.2.& Misc.2.res.41.ibid.

202. *Aliqua notabilia circa copulam coniugalem. Primò, an incitantes amentes ad copulam peccent mortaliter? Et quomodo teneantur hanc circumstantiam confiteri? Et quid maximè de incitante amentem habentem votum castitatis? Secundò, an copula inita inter coniuges causa voluptatis sit peccatum veniale? Ex quo infertur, posse coniuges inchoare copulam delectationis causa, & postea eam non absoluere, dummodo non subsit periculum pollutionis alterius coniugis, & vxor inchoata ea copula contenta sit. Tertiò, an quando aliquis accedit ad suam vxorem, imaginatur fœminam pulchram, quo ardentius actum coniugalem exerceat, peccet mortaliter? Idem iudicium est de aspectu picturæ in illum finem.* Ex p.11.tr.8.& Misc.8.res.35.p.457

203. *An coniuges peccent etiam venialiter, si actum matrimonialem exerceant causa vitandæ fornicationis? Ex quo cursim infertur, quod qui matrimonium ineunt causa vitandæ fornicationis, siue sint senes, siue iuuenes, non peccare venialiter.* Ex p.3.tr.4.r.218.aliàs 219.p.458.

204. *An coniuges peccent venialiter, si exerceant actum coniugalem causa valetudinis conseruandæ? Et quid si occurrit aliud medium accommodatum pro conseruanda valetudine?* Ex p.3.tr.4.r.217. aliàs 218.ibid.

205. *An coniuges etiam sine peccato veniali, ne seminatio noceat saluti, vel ob aliam iustam causam possint cœptam copulam abrumpere? Et an hoc non sit peccatum mortale, si coniuges etiam consentiant? Et an cessante in vtroque coniuge pollutionis periculo, non peccet maritus mortaliter, si cœptam copulam ante seminationem abrumpat, ne proles generetur, modò id faciat vxore consentiente, aut non rationabiliter inuita, dummodò mulier etiam non semineat, alioquin etiã maritus seminare debet, ne alterius semen frustra effundatur? Et notatur eum, qui versatur in ipso actu fornicario, teneri se retrahere ante spermatismum, etiamsi complex iam seminat; imò etiamsi ex vi prioris commotionis post retractionem esset futura seminatio extra vas.* Ex p.3.tr.4.res.226.aliàs 227.p.459.

206. *An vir debilis, vel infirmus possit sine peccato mortali incipere copulam cum vxore in vase legitimo, & non effundere?* Ex p.3.tr.6.& Misc.2 res.94.ibid.

207. *Quidam inchoabat copulam cum vxore, & postea ob morbi periculum ex eius consensu se retrahebat, verum ex hoc aliquando sequebatur pollutio; quæsitum à me fuit, an talis actus esset licitus? Et an non peccet de nouo, qui inchoata fornicatione cum aliqua, se retrahit antequam seminet, quamuis propter naturæ imperum semen sit emittendum extra vas naturale; & eo casu teneatur se retrahere, quia omni tempore ante completam fornicationem tenetur desistere, & eam non consummare; vnde eo in casu pollutio non censetur volita, sed permissa? Et quid in isto vltimo casu, si fœmina iam seminauerit, an hoc non obstante, non tollat obligationem seminandi, & consummandi actum malum, quantum est ex parte alterius? Et an peccent coniuges, qui in signum matrimonij coniugalis se amplectuntur, si præuideatur sequutura pollutio? Et ex supradictis pendet decisio multorum casuum circa pollutionem euenientem etiam in vigilia, &c. Et tandem quæritur, an liceat præbere medicinam ad corrumpendum semen, vt postea possit ejici?* Ex p.6. tr.6. & Misc.1.res.37.ibid.

208. *An propter notabile damnum salutis corporeæ possit coniux negare debitum petenti, etiamsi in illo adsit periculum incontinentiæ? Et propter ordinarios dolores, quos fœmina in partu solent pati, possint debitum maritis negare? Et an possit negari debitum coniugi ebrio? Idem est de coniuge amente, & furioso, dum tales sunt. Et quid tamen, si periculum sit, quod ebrius extra ebrietatem, aut furiosus extra furorem effundat semen, vel in aliud incontinentiæ peccatum elabatur, an teneatur alter coniux in ipsa ebrietate, & furore reddere debitum?* Ex p.6.tr.7.& Misc.2.res.64.p.460

209. *An licitum sit coniugibus non absoluere copulam, sed illam incipere delectationis causa, dummodo non subsit periculum pollutionis alterius coniugis, & vxor inchoata ea copula contenta sit? Et an si periculum sit, quod ebrius extra ebrietatem, aut furiosus extra furorem effundant semen, vel in aliud incontinentiæ peccatum elabantur, teneatur alter coniux in ipsa ebrietate, & furore reddere debitum? Et an licitum sit fœminæ aliquando ex iusta causa semen emittere, ne concipiat? Et an vxor, vel quæcumque alia fœmina statim post copulam se inuertens, vt semen emittat, ne concipiat, & generet, peccatum mortiferum committat ex natura sua, nisi aliqua causa rationabilis excuset, &c.* Ex p.10.tr.14.& Misc.4.res.57.aliàs 55.ibid.

210. *An coniux sanus teneatur reddere debitum coniugi amenti, si iste ad aliam accessurus sit, vel se polluturus sit? Et notatur vxorem rationis compotem posse à viro insano debitum petere. Et quid, si adsit periculum, quod insanus extra vas seminet? Et aduertitur, quod quando ambo coniuges sunt amentes, esse separandos, ne carnaliter coniungantur. Et an peccet mortaliter, qui eos ad copulam incitaret? Et an coniugi ebrio, dum vsu rationis priuatus est, teneatur eius coniux reddere debitum? Et quid si fortè esset periculum incontinentiæ in coniuge ebrio? Et aduertitur, si vterque coniux ebrius est, licere concubitum inter illos, cuius contrarium dictum est de amentibus.* Ex p.9.tr.7. & Misc.2. res.4.p.461

211. *An si vir sit sanamentis, sit licitus vsus coniugij cum vxore amente, etiam cum periculo abortus? Et quid è contra, si vxor sit sanamentis, vel si vxor amens sit sterilis? Et deducitur, quod quando fœmina experientiâ didicit se nequire prolem viuam edere, tunc licere his coniugibus petere, & reddere debitum, quia melior est puero sic esse cum culpa originali, & carentia visionis Dei, quàm omnino non esse, &c. Et docetur, quod si ambo coniuges sunt amentes, omnino nemo potest eos excitare ad copulam absque graui peccato. Item, quod si vnus coniux sit amens, & alter sanamentis, non tenetur sanus reddere debitum amenti petenti, quantum est de se, quamuis si vult, licitè possit. Sed quid est dicendum, si amenti coniugi adesset periculum accedendi ad aliam, vel polluendi se, an tunc alter coniux teneatur reddere debitum?* Ex p. 10. tr. 13. & Misc. 3. ref. 41. p. 462

212. *An vxor, & quælibet alia mulier peccet mortaliter mingendo statim post coitum, ad emittendum semen? Idem est, si se erigat, vt semen emittat, ne concipiat. Et an supradictæ mulieres id facientes peccent contra conscientiam erroneam, si crederent ita mingendo peccare?* Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. ref. 15. p. 463

213. *Quidam vir coniugatus, semine intra vas emisso, membrum virile extrahit, manente fœmina valdè irritata libidine, quæ postea tactibus se excitando seminat: quæritur an ita faciens peccet mortaliter?* Ex p. 2. tr. 17. & Misc. 3. ref. 38. ibid.

214. *De emissione seminis tactibus prouocata inter coniugatos, & solutos. Et inter alia deducitur circumstantiam patientis in peccato Sodomiæ non debere in confessione explicari, sed sufficiet, quod patiens dicat, exercui bu, vel ter Sodomiam.* Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 1. ref. 11. ibid.

215. *An sit licitum viro postquam seminauit, & retraxit membrum à vulua tangere pudenda vxoris, vt ipsa seminet? Et an hoc etiam facere possit vxor suis manibus propriis? Idem dici debet de tactu membri genitalis ante os vuluæ suæ vxoris ad hoc, vt vxor seminet. Et notatur non peccare mortaliter maritum, si in ipso actu seminationis non expectat seminationem vxoris, licèt possit effuso semine copulam continuare, vt fœmina seminet. Item, quod mulier satisfacit suæ obligationi, si viro exigenti debitum præstet vsum sui corporis, vertens tamen animum ad alia, ne natura excitetur. Item, quod incepta copula per solam delectationem, si vxorati illam ex iusta causa non consumment, non peccant mortaliter, nec venialiter, si absit periculum pollutionis, v. g. ne saluti noceatur, vel si coniugati sint pauperes, & multos filios habeant, &c.* Ex p. 10. tr. 13. & Misc. 3. ref. 42. p. 464.

216. *An dum vnus ex coniugibus, si potest, non expectat alterius seminationem, committat peccatum mortale? Ex quo deducitur non esse reum culpæ mortalis virum tactibus irritantem venerem, scientem ob id præmaturius fœminam seminare. Et an mulier satisfaciat suæ obligationi, si viro exigenti præstet quidem vsum corporis sui, animum tamen ad alia conuertat, itavt natura non excitetur? Et deducitur, quod sterilis, quæ certò nouit se non seminaturam, potest actum coniugalem exercere, tam petendo, quàm reddendo. Ex quibus etiam infertur decisio illius dubij, scilicet quando matrimonium dicatur consummatum.* Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. ref. 37. p. 465

217. *An vir possit irritare omnia vota vxoris? Et an possit maritus irritare votum, quod facit vxor de opere faciendo tempore soluti matrimonij, si maritus moriatur; & ideo possit irritare votum vxoris de ingrediendo Religione post mortem mariti? Item, an possit irritare vota, quæ fecit vxor ante matrimonium?* Ex p. 3. tr. 4. ref. 219. aliàs 220. p. 466

218. *An vir possit irritare votum Castitatis de eius licentia emissum ab vxore, itavt non solùm possit petere debitum, sed defuncto marito, aliud matrimonium inire? Ex quo sequitur, mulierem vouentem non inire aliud matrimonium, si marito superstite, esse omnino liberam, si maritus tale votum irritet. Item, virum posse irritare votum vxoris ingrediendi Religionem, relatum ad tempus soluti matrimonij. Sed quæritur, an vir possit irritare votum ingrediendi Religionem ante consummatum matrimonium emissum? Et notatur virum non posse absolutè irritare vota vxoris ante matrimonium facta, sed solùm suspendere executionem. Et notatur virum non posse irritare, si mutuo consensu cum vxore castitatem vouerint, itavt simul renunciauerint iuri petendi.* Ex p. 4. tr. 4. & Misc. ref. 110. ibid.

219. *An quando vterque coniux ex communi consensu castitatem vouit, possit propter periculum incontinentiæ Episcopus dispensare, vt petant, & reddant debitum? Et notatur commutationem huius voti in casu non posse fieri virtute Bullæ cruciatæ: quod tamen est dicendum de priuilegiis Regularium. Et quæritur, an Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post contractum matrimonium ante consummationem?* Ex p. 6. tr. 4. & Misc. ref. 125. p. 47

220. *An coniuges, qui communi consensu votum Religionis emiserunt post contractum matrimonium, non consummando mortaliter prima vice consummando? Et quid si quisque vouerat Religionem dependenter ab alterius Religionem ingressu? Et quid est sentiendum, si quisque vouerat Religionem, non quidem dependenter ab alterius in Religionem ingressu, sed dependenter ex eius voto, eo quod promiserit Religionem ingredi, si alius similem præstiterit promissionem, transeunte ab vtroque facta, an quilibet teneatur Religionem ingredi, esto alius non ingrediatur? Et an qui castitatem vouit, diuortio legitimo facto, possit coniugi adultero reconciliari?* Ex p. 9. tr. 7. & Misc. 2. ref. 1. ibid.

221. *An vir consentiens, vt vxor Religionem ingrediatur, ipse etiam ingredi debeat; & an sufficiat, si mat habitum Equitum D. Ioannis? Et in predictis casu, an liceat etiam fœminis Monasterium S. Iacobi ingredi, & in eo Ordine profiteri, & ita satisfaciant obligationi?* Ex p. 3. tr. 4. ref. 242. aliàs 243. p. 468

222. *An mulier quinquagenaria dicatur senex, vt possit profiteri Religionem, remanente illa in sæculo cum castitatis? Et notatur, quod ad Episcopum spectat discernere, vtrum vxor in his casibus extra inconuenientis periculum existat. Et an dicta licentia addibenda sit ex concepti necessitate, vel consuetudine? Etiamque aduertendum quod si coniux ingreditur Religionem, vt professus, sufficere si ingrediatur Religionem S. Ioannis. Et an ingrediente vxore in Religionem, possit vir semetipsum in sæculo cum voto castitatis perpetuæ? Et dicendum, vt manens in sæculo dicatur pronecta ætatis, seu genarium esse debere, vel eius ætatis, quæ extraneæ dine illi ætati respondeat.* Ex p. 4. tr. 4. & Misc. 1. 3.

223. *An possit maritus tuta conscientia ter rem in adulterio deprehensam?* Ex p. 3. tr. 4. ref. aliàs 223. p. 469

224. *An propter adulterium occultum valeat qui scandalo, vxorem in foro conscientiæ dimittere? Et vterque coniux sit reus adulterij, neuter possit alterum diuertere? Et quid, si vnius crimen sit publicum, alterius occultum? Et an si innocens post factum commisit adulterium, teneatur alterum coniugem datum iterum ad thorum admittere, & ad instantiam terius? Et notatur, quod si præcesserit sententia iudicii ecclesiastici de diuortio, hoc non obstante, innocens non mutat statum, habet ius liberum adrenunciandum se nocentem, si velit: vnde non potest dictus nocens, aut inconsulto innocente, ad Religionē transire, vel sacris Ordinibus initiari, nec votum simplex castitatis emittere, & etiamsi professus sit, vel sacris Ordinibus initiatus, vel votum emiserit, potest reuocari ab innocente, & vt irritare. Et asseritur, quod si dictus nocens se emendasset, sæpiusque, ac instanter petisset reconciliationem, & innocens absolutè ea negasset, posset Religionem, aut Ordines suscipere, quia innocēs in tali casu obstinationabiliter innitus.* Ex p. 3. tr. 4. r. 256. aliàs 257. p. 25[illegible]

225. *An vir teneatur dimittere vxorem adulterantem, & persistentem in adulterando? Et quid dicendum est de vxore quoad virum adulterantem, & perseuerantem in adulterando? Et an saltem peccet maritus mortaliter, si vxorem in adulterio pertinaciter perseuerantem non dimittit, si adsit periculum incertitudinis prolis, substituendique falsum hæredem?* Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. res. 40. ibid.

226. *An ex adulterio publico oriatur diuortium, ita vt possit adultera Religionem ingredi? Et an in hoc casu sit necessaria innocentis licentia; vel an sufficiat, si id sciat innocens, nec contradicat, cum possit? Et an si vxor, sententia data à iudice seculari de eius adulterio, detrudatur in Monasterium, si intra biennium illius reclusionis vir illam non repetat, poterit Religionem profiteri? Et asseritur, vt supra dicta adultera profiteatur in Religione, non esse necessarium, vt innocens etiam ad Religionem transeat, vel votum Castitatis emittat, sed posse manere in seculo absque vllo vote. Idem est dicendum, si innocens Religionem ingrediatur.* Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. res. 61. aliàs 60. p. 471

227. *An vir, qui post sententiam diuortij latam adulterium commisit, teneatur reconciliari cum vxore nocenti dimissa? Et notatur, quòd quando res est integra ex parte innocentis, eo quòd iam statum mutauit factus professus, vel Sacris initiatus, manifestum est nullum superesse ius innocenti ad reconciliandam adulteram? Et quid si coniux sit Nouitius tantum, vel solum in Minoribus constitutus? Idem est, si tantum impediatur voto simplici, extra Religionem tamen, quod potest redire ad suam coniugem nocentem, licet peccet, cum se exponat periculo violandi votum, tenebiturque reddere debitum, sed non exigere. Et quando vterque coniux est adulter, & vnus ex eis vitam emendauit, alter verò minimè, liceatne coniugi emendato petere diuortium?* Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. res. 39. p. 472

228. *An copula sodomitica imperfecta, quia semen non fuit emissum, pariat iustam causam diuortij? Et quid est dicendum de actu bestialitatis, & brutalitatis? Et asseritur dari veram diuortij causam marito, cum cuius vxore alius pollutionem habuit inter crura, ipsa volente, & consentiente? Et an oscula, amplexus, & tactus habita ab vxore cum viro alieno sint causa diuortij?* Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. res. 37. p. 473

229. *An si vir expellat vxorem à domo, negans necessaria alimenta, & ex hoc illa fornicetur, sit viro concedendum diuortium? Et quid si vir ea intentione vxorem repulisset, alimentisque priuasset, vt necessitate compulsa adulterium committeret? Et an si vxor metu grauis cadenti in constantem virum fornicetur, an inquam, per illam fornicationem à marito separari debeat?* Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. res. 38. p. 474

230. *An ex parte fœminæ tactus impudici, & pollutio inducant iustã causam diuortij? Et infertur, an concubitus consummatus cum fœmina mortua præbeat causam ad celebrandum diuortiũ?* Ex p. 11. tr. 5. & Misc. 5. r. 46. ib.

231. *An quando mulier prudenter putauit maritum mortuum esse, si fornicata sit, & vir superueniat, possit ex hoc ipso petere diuortium? Et quid quando existimans eum, cum quo rem habuit, esse proprium maritum, aut si per vim absolutam cogitur, & opprimitur ab alio? Et an quemadmodum maritus carnaliter cognoscendo si à vxorem post adulterium ab ea commissum, censetur remisisse adulterium quoad effectum petendi separationem matrimonij, ita & contra vxor patiendo se carnaliter cognosci à marito adultero, &c. Et in textu huius Resolutionis cursim apponuntur septem casus, in quibus notatur licere diuortium ob alias causas præter adulterium, sed hæc separatio non debet in perpetuum fieri?* Ex part. 11. tr. 5. & Misc. 5. res. 47. p. 475

232. *Aliqua notabilia, & sex casus circa diuortium matrimonij obseruantur?* Ex part. 11. tr. 5. & Misc. 5. res. 37. p. 476

233. *An detur casus, in quo mulier teneatur reuelare filium spurium cum periculo vitæ, & famæ? Et an huic mulieri non debeat denegari absolutio, & pœnitentia, si nolit reuelare tale delictum?* Ex part. 11. tr. 2. & Misc. 2. res. 33. p. 477

234. *An teneatur adultera aliquando reuelare peccatum suum, vt impediat damna legitimorum hæredum? Et asseritur filium non teneri aliquando credere matri attestanti in articulo mortis se esse adulterinum? Et docetur, non solum adulteram, sed etiam adulterum teneri ad restitutionem dictorum damnorum in hæreditate? Et datur Regula confessario, quomodo se gerere debeat in supradicto primo casu? Et tandem notatur, quod si duo cognouerunt eandem mulierem, itaut plane incertum sit quis eorum sit Pater, an vterque ex æquo debeat concurrere ad prolis sustentationem, & ad restitutionem faciendam marito, & filiis eius, si mulier fuit maritata, & cognoscitur certò, quod filius non sit legitimus, &c.* Ex p. 11. tr. 6. & Misc. 6. res. 56. aliàs 55. p. 478

235. *An adulter, qui filium suscepit ex adulterio, illumque relinquit inter filios mariti adulteræ, præter alimenta, teneatur etiam occurrere damno hæreditatis, quæ legitimis hæredibus adimitur, vel damno dotis (& de hoc casu olim interrogatus fui,) quam Pater putatiuus tradidit puellæ spuriæ, credens eam esse propriam filiam? Et notent confessarij, quod in isto casu adulter tenetur restituere saltem alimenta proli impensa à tertio anno ætatis & deinceps, quando Parens tenetur filium alere, etiamsi non fuerit causa suppositionis?* Ex p. 2. tr. 17. & Misc. 3. res. 55. p. 479

236. *Quædam mulier multas pecunias per adulterium acquisiuit, quæritur an marito sint restituendæ? Et an prædictæ pecuniæ restituendæ sunt saltem pauperibus, vel ei, qui dedit? Et quid si tale pretium ab iis acceperit, qui potestatem alienandi non habent, vt Religiosi, filiifamilias, &c.* Ex p. 2. tr. 17. & Misc. 3. res. 7. p. 480

237. *Aliqua notabilia, & practicabilia circa crimen incestus. Primò, an si quis habeat rem cum muliere in tertio, & quarto gradu cum sua vxore coniuncta, sibique eodem gradu affine, impediatur à petitione debiti? Secundo, si quis extraordinariè pollutat fœminam aliquam emittens semen post extractum è vase naturali membrum, quamuis postmodum casu illabitur semen in naturale vas, an nulla resultet affinitas? Tertiò, an si semen alicuius viri ope dæmonis deferatur in vterum fœmineum, contrahatur affinitas, quia illi non sunt facti vna caro, nec sibi adhæserunt? Quartò, an contrahatur affinitas, si vir seminet, fœmina verò non seminante?* Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. res. 19. ibid.

238. *An ad contrahendam affinitatem necesse sit non solum virum, sed etiam fœminam seminare? Et cursissimè infertur, ad consummationem matrimonij requiri etiam seminationem fœminæ. Et deducitur etiam, quod si viro seminante, mulier non seminauerit, idque partibus constet, an possint Religionem ingredi, sitque probabile, quod per professionem soluatur matrimonium, atque adeò pars in seculo relicta possit aliud matrimonium inire. Etiamque sequitur, quod si vir in eadem circunstantia, mortua vxore aliam accipiat, cum qua consummet matrimonium, an idcirco impediatur Ordines Sacros accipere, quia ex eo capite non erit bigamus? Et tandem quæritur, an quando copula fornicaria est, iure naturali oriatur affinitas?* Ex p. 3. tr. addit. res. 21. p. 481

239. *An affinitas ex copula fornicaria contracta impediat matrimonium post Baptismum contrahendum? Ex quo infertur, quod si quis in infidelitate fornicatus est cum Titia, postea baptizatum non prohiberi, vt in vxorem non ducat filiam, vel sororem eiusdem Titiæ.* Ex p. 3. tr. 4. res. 261. aliàs 262. p. 482

240. *An ex matrimonio rato, & non consummato oriatur impedimentum affinitatis, vel tantum publicæ honestatis?* Ex p. 6. tr. 8. & Misc. 3. res. 15. ibid.

241. *Quis scienter accessit ad consanguineam vxoris suæ,*

ignorabat tamen prohibitionem, & pœnam iuris, quæritur an stante dicta ignorantia, egeat dispensatione ad petendum debitum? Sed difficultas magis est, quando coniux habeat tantùm ignorantiam solius pœnæ impositæ, videlicet ne petatur debitum, scit tamen prohibitum esse à iure? Et an ad incurrendam excommunicationem, suspensionem, interdictum, irregularitatem, inhabilitatem, &c. non sufficiat, quod sciam opus esse prohibitum, sed vt sciam de pœna, idque prohiberi sub pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti, irregularitatis, inhabilitatis, &c. Ex p.3.tr.5.& Misc.1.ref.12.ibid.

242. Quis gradus consanguinitatis per copulam priuet à iure petendi debitum? Et an coniux consentiens incestui amittat ius petendi à coniuge incestuoso, qui contraxit affinitatem? Et an priuetur à iure petendi, qui per metum cadentem in virum constantem cogitur ad copulam? Et an qui contraxit affinitatem, vel cognationē cum scientia iuris, & facti, sed cum ignorantia pœnæ petendi debitum, illam incurrat? Ex p.11.tr.5.& Misc.5.ref.38.p.483

243. An opinio, quod affinitas non contrahatur, nisi fœmina etiam cum viro seminet, sit probabilis? Ex quo tres casus valde notandi in fine huius Resolutionis inferuntur? Et etiam notatur, ex penetratione vasis fœminæ absque seminatione, itemque ex seminatione extra vas fœmineum naturale, affinitatem non nasci. Vbi an seminatio fœminæ sit necessaria ad generationem? Ex p.11.tr.5.& Misc.5.ref.26.p.484

244. An si pœnitens laboret ignorantia, debeat confessarius illum admonere, si fructus non speratur? Si matrimonium, v. g. ob latens impedimentum inualidum sit? Si maritus ob castitatis votum ante nuptias editum, vel ob incestum post nuptias cum coniugis consanguinea commissum facultate petendi debitum priuatus sit, &c. Et aduertitur, quod cauere confessarius debet, ne in supradictis, & aliis similibus casibus interroget pœnitentem specialibus interrogationibus, sed contentus sit intellexere, an pœnitens in eis laboret inculpata ignorantia? Ex p.3.tr.4.ref.80.p.486

245. An incestuoso iniquè petenti debitum possit sine peccato coniux innocens illud reddere? Et an in tali casu non solum coniux possit reddere, sed teneatur? Et notatur in gratiam innocentis permitti aliquando posse incestuoso debiti tacitam petitionem? Et aduertitur impetrata dispensatione prædicti impedimenti, integrè incestuosum recuperare ius petendi debitum, ac si nunquam affinitatem contraxisset, nec ad hanc impetrationem consensus innocentis requiritur, quam dispensationem concedere potest Episcopus saltem ex consuetudine, & ex priuilegiis Sedis Apostolicæ Superiores Religionum, & quibus ipsi commiserint, eamque concedere possunt? Et tandem quæritur, an coniux, si adulterium committat alter coniux, qui voto perpetuæ castitatis est obstrictus, teneatur ei debitum petenti reddere? Ex p.9.tr.8.& Misc.3.ref.32.ibid.

246. An vxoratus impeditus petere debitum, possit absque dispensatione illud petere, ne periculo proximo exponatur labendi in peccata carnis? Ex quo infertur, quod coniux non tenetur reddere debitum viro lepra, morbo Gallico, &c. infecto, etiamsi in grauia peccata carnis labatur debitū non reddendo? Ex p.9.tr.8.& Misc.3.ref.33.p.487

247. An sit probabilis opinio aliquorum asserentium non esse peccatum mortale copulam initam in Ecclesia ab vxoratis absque causa? Et docetur, quando dicatur Ecclesia pollutā ex effusione seminis in illa, & ad hoc quid requiratur. Pro quibus in textu huius Resolutionis aliqui casus explanantur? Ex p.11.tr.8.& Misc.8.r.34.p.488

248. An ex matrimonio nullo oriatur impedimentū publicæ honestatis. Ex p.9.tr.6.& Misc.1.r.49.aliàs 50.p.489

249. An ex matrimonio clandestino oriatur impedimentum publicæ honestatis? Ex quo infertur, hoc impedimentum publicæ honestatis non contrahi ab Infidelibus; vnde si qui sponsalia in infidelitate cum aliqua contraxisset, eaque obiisset ante matrimonium consummatum, conuersus posset eius sororem in vxorem accipere? Ex p.9.tr.9.& Misc.1.ref.52.aliàs 53.ibid.

250. An cognatio legalis orta ex adoptione imperfecta dirimat matrimonium? Et supponitur duplicem esse adoptionem, vna est perfecta, & altera imperfecta? Et notatur ex adoptione imperfecta neque oriri impedimentum impediens? Ex p.4.tr.4.& Misc.ref.120.p.490

251. An ex adoptione imperfecta oriatur impedimentum cognationis legalis? Et notatur, quod licet adoptio dirimat in linea recta vsque ad quartum gradum descendentium, non tamen ascendentium? Et an post Concilium Tridentinum hoc impedimentum solum dirimat vsque ad secundum gradum inclusiue? Ex p.tr.6.& Misc.1.ref.53.aliàs 54.ibid.

252. An inter filios adoptiuos possit esse matrimonium, vt non obstet impedimentum cognationis legalis? Et aduertitur impedimentum cognationis legalis non procedere inter adoptiuum, & filiam naturalem adoptantis, si sit illegitima? Ex p.4.tr.4.& Misc.ref.121.p.491

253. An mater post transitum ad secundas nuptias priuetur educatione filiorum? Et notatur, quod si maritus vxorem Tutricem filiorum relinquat, exprimere etiam, si ad secundas nuptias transeat, non amittere tutelam, neque iudicis officio ab ea expelli posse. Sed superest difficultas, cum mater secundo nubens amittat filiorum tutelam ipso iure etiam in conscientia, quæritur an sufficiat ad hanc pœnam incurrendam matrimonium ratum esse, etsi consummatum non sit? Ex p.10.tr.13.& Misc.12.ref.12.ibid.

Nunc verò transcribuntur aliæ multæ difficultates, & quæstiones, quæ simul pertinent ad istum *Tract.6.de Sacramento Matrimonij, huius tom.2.* & dispersæ sunt in cæteris aliis Tomis Tractatibus & Resolutionibus huius totius operis, vt ita clarior, & expeditior pateat aditus ad omnes difficultates & Resolutiones.

AN Pontifex possit infantem ante vsum rationis sacris Ordinibus initiatum reddere inhabilem ad matrimonium? Et an Pontifex possit dispensare, vt sacris Ordinibus initiatus matrimonium contrahat, vel Religiosum vxorem ducat, aut Socer sumat in vxorem nurum suam? Et an matrimonium inter fratrem, & sororem sum sit irritum? Et quid si matrimonium ineatur inter priuignum, & nouercam, vel priuignam & vitricum, socrum & generum, & plura alia circa supradicta? Et an si quis Iudæus sit subditus Regis Infidelis, an in illis seruatis impedimentis subiaceat eidem Regi? Et quid est dicendum, si prædictus Iudæus sit subditus Romano Pontifici (vt Romæ Iudæi degentes,) an ei subiaceant in suscipiendis impedimentis in Ecclesia pro solis baptizatis? Et an Ecclesia habeat potestatem ad irritandos contractus immediatè, & directè ad reddendos eos nullos, & habeat potestatem, ad irritādas personas ad tales contractus, quid est irritare ipsos contractus indirectè? Et an Princeps Gentilis possit dissoluere matrimonia rata fuorum subditorum? Et cur Pontifex matrimonium spirituale Episcopi cum Ecclesia per consecrationem Episcopi consummatum magis dissoluere possit, quàm carnale consummatum? Ex p.8.tr.1.ex ref.43.72.73.67.68.69.70.71.74.75.76.77.81.59.60.61.62.63.65.64.& in p.4.tr.4.ex ref.93.& in tr.3.ex ref.97.& in p.8. tr.3.ex ref.93.& in p.11.tr.4.ex ref.40. Quæ omnes nunc inueniuntur in tom.3.tr.1. de Potestate Pontificis quoad Sacramenta, à ref.76. vsque ad ref.100. inclusiuè, in quibus sunt solutæ prædictæ difficultates, & aliæ quamplurimæ quæstiones circa matrimonium, & potestatem Pontificis in illud, & circa eius dispensationem; ideo si ita casus pro tuo circa eius dispensationem; ideo si ita casus pro tuo circa eius dispensationem; ideo si ita casus pro tuo

Nota, quod in prædicto tom.3. tract.2.de Dispensationibus, *reperies etiam alias quamplurimas difficultates, omnes mistas, pertinentes ad dispensationes circa diuersa impedimenta matrimonij, & ideo si quæstio sit circa aliquam dispensationem matrimonij, curre ad prædictum tractatum, vbi facillimè quicquid tibi occurrerit inuenies, signanter* in resol.75.76. & resol.83. vsque ad resol.167. *& aliquid in aliis.*

An incestus cum consanguinea non sit impedimentum proueniens ex iure naturæ, neque ex iure diuino positiuo, neque de iure humano iniunctum? Ex part.8. tract.3. ex resol.81. *Quæ hîc reperietur* in tom.3. tr.2. de Dispensationibus, resol.113.

An Commissarius Bullæ Cruciatæ possit dispensare in aliquo impedimento matrimonij? Et an ille primus gradus, in quo potest commissarius dispensare, intelligendus sit in vtraque linea transuersali & recta? Et notatur, quod si denunciationes culpabiliter omissæ essent, etiamsi matrimonium contractum sit ante Parochum, & testes, non possit in tali casu commissarius dispensare? Et quæritur, quando dicatur impedimentum occultum, vt possit commissarius Bullæ dispensare? Et an quando commissarius dispensat in impedimento, opus sit, vt qui ignorauit impedimentum, certior de illo efficiatur? Et vtrum ad matrimonium inualidum ob impedimentum occultum ratificandum, cessante impedimento, oporteat alterum coniugem certiorem facere de nullitate prioris matrimonij? Ex part.1.tr.11.ex resol.116. 117.118.& 119. *Quæ hîc sunt* in tom.4.tr.3.de Bulla Cruciatæ, resol.140.141.142.& 143.

An vt marius promoueatur ad Cardinalatum, opus sit, vt vxor ingrediatur Religionem, vel sufficiat vt remaneat in sæculo cum voto castitatis, siue sit in senili, siue in iuuenili ætate constituta? Et an dignitas Cardinalatus statim post matrimonium contractum per verba de præsenti expiret? Ex part.5.tr.2.ex resol.39. *Quæ nunc inuenietur* in tom.9.tr.7.de Cardinalibus, resol.21.

An Capitulum Sede vacante habeat facultatem dandi licentiam assistendi matrimonio? Et an possit cognoscere causas matrimoniales? Ex part.8.tr.4.ex resol.49.& 22. *Quæ hic reperientur* in tom.3.tr.5.de Capitulo Sede vacante, resol.28.& 27.

An matrimonium possit ministrari sine lumine absque lethali culpa? Et an in articulo mortis, absente Parocho, si periculum est in mora, licitum sit Religiosis matrimonia solemnizare? Ex part.10. tr.11.ex resol.40. & in p.5. tr.3.ex resol.51. *Quæ hic sunt* suprà in tr.2. de Communione, resol.81.& 61.

An quis incurrat irregularitatem, si matrimonio assistat tanquam Parochus, cum tamen Parochus non sit? Ex part.10. tract.11.ex resol. 21. *Quæ nunc inuenietur* in tom.5.tr.5.de Itregularitate, resol.24.

An suspensio triennalis ab officio imposita Sacerdotibus, qui matrimoniis clandestinis interfuerint, & etiam Parochis, quamuis non interfint, si scientes talia matrimonia non prohibuerint, sit correcta, seu ablata per Concilium Tridentinum, quando Parochus, vel alius assistit matrimonio clandestino inualido defectu numeri testium? Et quid si supradicti assistant matrimonio valido, clandestino tamen ob denunciationum omissionem, an etiam in hoc casu habeat locum pœna suspensionis? Ex part.10.tr.13. ex resol. 14. *Quæ hic reperietur* in tom.6.tr.1.de Legibus, resol.33.

An suspensus ab officio, quia interfuit matrimonio clandestino, non sit suspensus à beneficio? Et notatur quod vigore Concilij, sess.24.c.1. de matrimonio, Parochus, aut alius Sacerdos, etiam Regularis, qui ausus fuerit coniungere, aut benedicere alienos Parochianos absque licentia proprij Parochi, suspensus manet, &c. Et an in hoc casu cesset pœna excommunicationis contra Religiosos matrimonia solemnizantes, secundum Declarationem Cardinalium? Et an qui durante matrimonio ignoranter suscepit Ordines, incurrat suspensionem? Et aliqua alia discutiuntur in textu huius Resolutionis circa hanc vltimam difficultatem, durante, & soluto matrimonio in prædicto casu? Ex part.5.tr.10.ex resol.33.& 59.

Quæ hic sunt in tom.5.tr.3.de Suspensione, r.62.& 61

An contrahentes in peccato mortali non peccent mortaliter, quatenus conficiunt Sacramentum, sed quatenus suscipiunt? Et an Infidelis tenens in Baptismo infantem, si postea Fidem recipiat, possit validè coniugari cum persona baptizata, aut cum Parentibus eius? Idem est, si persona Infidelis baptizet infantem? Et an qui in Ecclesia instar Patrini tenuit infantem in domo iam baptizatum, contrahat impedimentum Catechismi non dirimens, sed impediens? Et an hodie contrahatur hoc impedimentum, vel sit sublatum per Concilium Tridentinum sess.22. c. de reformatione matrim. Et an qui per errorem leuauit filium Petri, existimans se Pauli filium leuare, contrahat cognationem? Et an coniux quæ per ignorantiam filium maritì leuauit in Baptismo, teneatur arceri à petitione debiti? Et an qui post partum vxoris statim ob periculum baptizauit infantem, astantibus tamen multis, qui hoc facere poterant, dubitatum fuit (etiamsi grauiter peccauerit,) an priuatus remanserit iure petendi debitum? Eadem est ratio vxoris erga virum? Et an Episcopus, commissarius Generalis Bullæ cruciatæ, & confessarij Regularium ex commissione suorum Prouincialium possint dispensare circa supradictum impedimentum? Et quid si in dicto casu pater, aut mater baptizat, aut tenet filium ex malitia, vel ignorantia extra casum necessitatis, &c. Et an vxor simul cum marito filium alterius in Baptismo suscipiens, nulla authoritate prohibitum reperiatur? Ex part.10.tr.16. ex resol.28.aliàs 27.& 89.& in p.3.tract.4. ex resol.259. aliàs 260.16. & 3. & in p.5.tr.3.ex resol.25. & in p.9. tr.7. ex resol.51. *Quæ nunc inuenientur* in tom.1. tr.1. de Baptismo, resol.11.95.100.102.103,104.& 94.

Cuidam Confessario olim hic casus accidit. Quædam mulier inter confabulationes tum viro sibi in matrimonium coniungendo, dicebat illi verba non quidem turpia, sed amatoria, & affectuosa, vnde postea in pollutionem, & distillationem incidebat, sine tamen vlla delectatione, vel periculo alicuius consensus, quia erat timorata conscientiæ? Interrogatus fuit, an peccauerit mortaliter, & si nollet desistere ab his confabulationibus, an esset ei deneganda absolutio? Et in §.vltimo huius Resolutionis datur regula generalis Confessariis, vt possint in hac materia casus particulares decidere ex pollutione præsisa? Et an Parentes sint absoluendi, qui nolunt ad colloquium admittere filium, qui indignum matrimonium contraxit, vel si non indignum, saltem multum inæquale? Ex p.2. tr.15. ex resol.31. & in p.4. tr.4.ex resol.182. *Quæ hic reperientur* in tom.1.tr.4.de Absolutione sacramentali, resol.37.& 34.

An sit peccatum in confessione explicandum, quando vxorati tempore habitæ copulæ, vel extra, verba amatoria, & impudica cum vxoribus fuerint colloquuti? Et quid si in alio coniugij nimiam carnis delectationem fuerint experti? Ex part.3.tr.4. resol.52.§.vlt. *Quæ hic est* in tom.1.tr.3.de Pœnitentia, resol.196.

An si vir, vt possit coire cum vxore propria, cogitet alienam, teneatur hanc circunstantiam in confessione aperire? Et an si quis polluat vxoratum, teneatur in confessione explicare hanc circunstantiam? Et quid si vxoratus polluat aliquem alium? Et an sit circunstantia aperienda in confessione copula inter coniugatos habita in Ecclesia, vel loco Sacro? Et an sponsus, & sponsa de futuro, & cum eis carnaliter se commiscentes teneantur hanc circunstantiam in confessione explicare? Et vtrum copula vxoricida, vel adulteri cum promissione matrimonij sit circunstantia in confessione aperienda? Et de aliis quatuor casibus agitur? Et an circunstantia modi in copula coniugali sit in confessione aperienda? Et an in aliquo casu modus copulæ in coniugatis non sit peccatum mortale, nec saltem veniale? Et an vxor teneatur

reddere debitum, etiamsi vir cum culpa veniali ex variatione situs, & modi velit copulam implere? Et an quando coniugati delectantur de aliquo obiecto morosò libidinoso, teneantur explicare in confessione circunstantiam coniugij, videlicet esse coniugatos? Et vir quidam habebat magnam verecundiam aperire in confessione se sodomiam commisisse cum vxore, illa consentiente, quæsierunt à me per literas opiniones Doctorum circa præsentem casum? Ex p.10.tr.11. ex ref.61. & in p.9.tr.9. ex ref.66. aliàs 65. & in part.1. tr.7.ex ref.19.5. & 35. & in p.3.tr.4.ex ref.139.aliàs 140. & in part.5. tr.13. ex ref.99. & in p.7. tr.12. ex ref.23. *Quæ nunc inuenientur* in tom.1. tr.7.de Circunstantiis, ref.102.77.85.96.99.98. 100.& 144

An sit validum votum, & inualidum matrimonium contractum ab eo, qui Ordinem sacrum accepit, ignorans illi esse annexum votum castitatis? Et an Ordo per vim, & metum susceptus impediat, & dirimat matrimonium? Et an vir, consentiente vxore, possit ad Sacerdotium promoueri, si ipsa Religionem non ingrediatur, etiamsi sit iuuenis, dummodo voueat castitatem? Et an semper sit necessaria professio vxoris in Religionem, siue sit iuuenis, siue sit senex, vt possit vir ad Episcopatum promoueri? Et quid ad Cardinalatum? Et an Episcopus possit ordinare filium Scholaris, qui fortè in Vniuersitate duxit vxorem animo redeundi ad patriam? Ex part.10. tr.16.ex ref.84.& in tract.13.ex ref.18. & in p.3.tr.4.ex ref.192. aliàs 193. & in p.4.tr.4.ex r.129. & in p.8.tr.2.ex ref.13. *Quæ hîc sunt* suprà in tr.5.de Sacram. Ordinis, ref.113.114.115.116.& 42.

An votum castitatis, vel Religionis factum ab eo, cui salubrius est matrimonium ob suam incontinentiam, sit validum? Et an talis absque vlla Pontificis dispensatione possit inire matrimonium? Et an si vxor dubitat, an ante matrimonium votum emiserit, possit maritus illud irritare? Et an si vxor promittat aliquid in tempore viduitatis, possit maritus talem promissionem irritare? Et an si quis intuitu pietatis, & solum propter Deum iuret dare dotem mulieri, possit fœmina illius obligationem remittere? Et quid si fœmina habet Patrem, aut matrem? Ex part.10. tr.11. ex ref.47. & in p.4.tr.3. ex ref.37.& in tr.4.ex ref.29. & in p.9.tr.8. ref.14.& 13. *Quæ nunc inuenientur* in tom.8. tr.4.de Voto, ref.38.41.45.43.& 50.

An leges Ecclesiasticæ prohibentes matrimonia inter consanguineos vsque ad quartum gradum, irritent illa, quamuis non habeant verba irritantia, sed tantum simplicem prohibitionem? Id constat ex prohibitione matrimonij fidelis cum infideli, &c. Et an matrimonium contractum contra votum simplex, sit quidem illicitum, sed non inualidum? Et an legitimatus per subsequens matrimonium possit eligi in Episcopum, Cardinalem, & Papam? Et quidam Religiosus ex causa metus annullauit suam professionem, & postea matrimonium inire volebat, quæsiuit à me, an licitè id facere posset? Et an Regularis, qui suadet alteri Religioso, vt adulterium perpetret, peccet contra votum castitatis? Et an Episcopus possit dare licentiam, vt nupta intret in Monasterium ob periculum vitæ, imò in dicto casu nupta ingrediente, an incidat in excommunicationem Concilij Tridentini? Et an Moniales Turris Speculatorum Romæ existentes sint Religiosæ, & si contraherent matrimonium (quamuis peccarent,) validè tamen contraherent? Et an Regulares virtute suorum priuilegiorum possint dispensare cum secularibus ad petendum debitum, si à suis Superioribus ad hoc minimè deputati fuerint? Et an Episcopi possint denunciare, vt euitentur Regulares, si matrimonia solemnizent absque licentia Parochi? Et an Monialis, quæ in mœrem erumpit postquam à Monasterio fuerit electa, possit sine scrupulo matrimonium inire? Ex part.10. tr.12.ex ref.6.& in tr.9.ex ref. vnica, & in p.6.tr.7.ex ref.51.& in p.7. tr.11. ex ref.27. & in p.3. tr.2.ex ref.130. & in p.8. tr.7.ex ref.88. & in p.5. tr.13.ex ref.46.& in p.3.tr.4. ex ref.35.& in p.6.tr.14.ex ref.49. *Quæ hîc reperiuntur* in tom.7.tr.1.de Regularibus, ref.159.287. 242.322.350.260.42.& 341.

An quando pœnitentia imposita à Datavia pro aliquo impedimento dirimente matrimonium impleri non potest, quæritur an possit commutari ab Episcopo, & confitentes virtute dispensationis matrimonium inire? Ex part.7. tr.10. ex ref.9. *Quæ hîc est* in tom.1. tr.6. de Satisfactione sacramentali, ref.58.

An sit contra Sigillum confessionis reuelare defectus naturales, vt v.g. si pœnitens dicat Confessario se natum esse ex Parentibus non coniunctis ex legitimo matrimonio, &c. Ex part.6. tr.11. ex ref.29. *Quæ nunc inuenientur* in tom.1.tr.8.de Sigillo confessionis, ref.18.

An Ordinarius, & eius Officiales, quibus à Sede Apostolica committuntur dispensationes matrimoniales, possint accipere aliquid pro expeditione prædictarum dispensationum? Ex p.9.tr.2.ex ref.28. *Quæ hîc reperiuntur* in tom.4.tr.1.de Altaribus priuilegiatis, ref.40.

An sponsus excommunicatus possit communicare cum sponsa? Et distinguitur inter sponsos de futuro, & de præsenti? Et an vxori liceat communicare cum marito excommunicato? Et quid quando excommunicatio est lata causâ matrimonij? Et alij casus explanantur, in quibus vxor non potest communicare cum marito excommunicato? Et difficultas est, an si mulier scienter contraheret matrimonium cum excommunicato, possit cum illo communicare? Et an maritus possit communicare cum vxore excommunicata? Idem est dicendum, si contigerit vtrumque esse excommunicatum? Et an si maritus neglexerit vxorem excommunicatam corrigere de contumacia, ob quam est excommunicata, an peccet? Et an vxor possit communicare cum marito excommunicato, etiam in Sacris? Et an excommunicati possint esse testes in causa matrimonij? Et an matrimonium contractum per Procuratorem excommunicatum sit validum? Ex part.5. tract.9. ref.126. 122.123.124.113. & 114. *Quæ hîc reperientur* in tom.5. tract.1.de Excommunicatione, ref.152.153. 154.158.111.& 114.

An clerici coniugati possint intereſſe diuinis Officijs tempore interdicti? Ex part.5. tr.10. ex ref.86. aliàs 85. *Quæ hîc est* in tom.5.tr.4.de Interdicto, ref.11.

An adulter fiat irregularis, si maritus, cognito adulterio, vxorem interficiat? Et an adulter fiat irregularis, si maritum aggressorem causa defensionis occidat? Et exhibetur hîc Clarina huius vltimæ quæstionis alij quatuor casus inseruntur, in quibus dubitatur, an incurratur, vel non incurratur irregularitas. Et an si aliquis inueniat suam cum vxore, & possit fugere, possit licitè se defendendo occidendo maritum inuasorem, & non incurrat irregularitatem? Et an qui scienter accessit ad consanguineam vxoris intra secundum gradum, ignorans inuincibiliter priuationem petendi debitum esse ab Ecclesia ob hoc peccatum impositam, illam incurrat? Et an qui ignoranter cognouit vxorem post eius adulterium perpetratum, & postea illa mortua vult Sacros Ordines suscipere, quæritur an sit censendus irregularis, tanquam bigamus? Et an ducens fœminam à se defloratam incurrat irregularitatem? Ex part.4. tract.1. ex ref.2.& 3. & in p.2.tr.15.ex ref.16.& in p.4. tr.2. ex ref.38. 39.40. 41.42. & 43. & in p.9.tr.7.ex ref.13. & in p.7. tr.12. ex resol. 19. §. Ad secundum, & ex ref.20. *Quæ nunc inuenientur* in tom.5.tr.5.de Irregularitate, ref. 124. 127. 128. 146.148.149.150. 152.153.7. 147.& 151

An liceat occidere maritum inuasorem, si inuasus sit sine culpa, vt aggrederetur ipsum, vt adulterum ex iniuria, quam facit marito? Et an in dicto casu teneatur ad aliquam restitutionem? Et an si maritus alienum aggressum in adulterio occidat, teneatur ad aliquam restitutionem ex morte occisi secuta? Et an liceat pro defensione vxoris occidere iniustum inuasorem? Et an

vxor, quæ vidit, quod maritus condidit sub ceruicali pugionem, vt eam interficiat, si aliud non supereſt remedium, an possit illum præuertere? Ex part. 5. tr. 4. ex res. 3. 47. & in p. 3. tr. 6. ex res. 54. & in p. 5. tract. 5. ex res. 19. & 8. Quæ hic reperientur in tom. 8. tract. 5. de Homicidio, res. 21. 68. 74. 33. & 24.

An vxor adulterij accusata, & falsis testibus se tuens, aut opponendo (licet falsò,) simile adulterium marito viro, teneatur dotem, aut alia bona suo marito restituere, qui illa alioquin propter mulieris adulterium lucrari deberet, vel ad quid teneatur? Ex part. 3. tr. 5. ex res. 52. Quæ hic est in tom. 6. tr. 1. de Legibus, res. 106.

An vxor possit consumere in vsus honestos vigesimam partem redditus sine licentia mariti? Ex part. 5. tr. 5. ex res. 34. Quæ nunc inuenietur in tom. 8. tr. 7. de Furto, & Restitutione, res. 2.

Virum maritus habens copulam cum vxore, si ex magna corporis agitatione sequatur abortus, incidat in censuras? Et an si maritus vxorem verberasset, vnde illa furore percita abortum feciſſet, incurrat pœnas abortus? Et an stante rationabili causa aliqua liceat aliquando sterilitatem in vxoratis procurare? Et an vxor experta periculum mortis in partu possit sumere medicamentum, vt sterilis euadat? Et aliquæ diuersæ difficultates explanantur contingentes in muliere grauida, & infirma, ægrotante ad mortem, nisi abortus sequatur cum medicamentis? Ex part. 5. tr. 14. ex res. 90. & in p. 7. tr. 5. ex res. 30. 33. 34. 35. 36. 37. & 38. Quæ hic reperientur in tom. 5. tr. 6. de Abortu, à res. 36. vsque ad res. 47. inclusiuè.

An licitum sit metu mortis contrahere matrimonium cum impedimento dirimente, si verè in eorum animo sit contrahere tantum exterius, non verò consummare, vel habendi animum consummandi? Et an licitum sit volenti adulterium committere consulere, vt cum tertia persona fornicetur? Et an peccet maritus, si apponeret occasionem vxori, vt adulteretur? Ex part. 3. tr. 6. ex res. 48. §. Tertiò licitum, & in tr. 5. ex res. 37. & 18. Quæ hic sunt in tom. 7. tr. 5. de Scandalo, res. 76. 34. & 41.

An solus metus reuerentialis sine minis, aut alicuius mali timore censeatur cadere in virum constantem in contrahendo matrimonium? Idem quæritur de precibus importunis, etiamsi cum ipsis non adsit metus reuerentialis? Et quæstio huius Resolutionis deseruiet ad rescindendos contractus vxorum, maximè si sint lucratiui, & qui à liberalitate proficiscuntur? Et an contractus onerosi sint validi, si ex metu graui sint celebrati iure naturali? Et quid ex iure ciuili, excepto matrimonio? Et an vxor, & filij possint aliquando post mortem viri, vel Parentum occultare bona creditorum? Et an in iudicio vocati, si compellerentur sub iuramento aperire, si nihil abstulerint ex bonis mariti, vel Parentum, teneantur in conscientia veritatem dicere, necne? Et quid si obligarentur ex vi, & virtute excommunicationis, &c. Et an filij, & vxor succedentes Patri, & marito per intermediam personam hæreditantibus Maioratum, vel bona vinculata, teneantur soluere debita Patris, vel mariti post eius mortem? Et an Pater, vel mater peccent mortaliter grauando legitimam filiorum gratuitis donationibus, vel minuendo onerosis, sed fictis contractibus? Et an Pater possit alienare bona sua ad hoc, vt à filiis legitimam auferat? Et an minor 25. annorum curatorem habens possit sine eius consensu matrimonium contrahere? Ex p. 3. tr. 5. ex res. 20. & 120. aliàs 119. & in part. 5. tr. 14. ex res. 57. & in p. 6. tr. 7. ex res. 20. & in p. 1. tr. 8. ex res. 84. & in p. 8. tr. 7. ex res. 20. Quæ nunc inuenientur in tom. 6. tract. 3. de Contractibus, res. 118. 115. 158. 207. 208 & 159.

Vxor cuiusdam Nobilis viri secundum consuetudinem aliarum mulierum suæ conditionis solebat facere moderatas donationes, & eleemosynas; postea maritus hoc sciens vxori prohibuit? Quæsitum à me fuit, an non obstante dicta prohibitione, vxor possit sine scrupulo dictas eleemosynas facere? Et quæritur etiam quæ quantitas particularis potest dari ab vxore, nesciente viro? Et explanantur septem casus, in quibus vxores possunt facere eleemosynas, &c. Ex part. 2. tr. 15. ex res. 33. & ex p. 5. tr. 8. ex res. 34. & in p. 2. tract. 16. ex res. 23. aliàs 25. Quæ hic sunt in tom. 4. tract. 7. de Eleemosyna, res. 35. 34. & 36.

An vxor, quæ ludo exponit pecunias mariti, quas alienare non possit, teneatur restituere id, quod cum dictis pecuniis lucrata est, ac proinde qui cũ ea perdidit, non possit sibi compensare de rigore iuris, quando postea alio ludo lucratur ab eadem vxore? Et an quando vir dicit velle, vt vxor non ludat, intelligatur non tamen in totum fores illi claudere, sed ad moderandum ne nimiam quantitatem ludat? Et quamnam quantitatem possit vxor ludere? Et explanantur septem casus, in quibus qui ludunt cum muliere coniugata, possunt retinere lucrum sine onere restitutionis? Et an maritus notabilem quantitatem in ludo amittens, teneatur ipse, vel collusores restituere vxori? Et quid est dicendum si amiserit bona dotis, quæ in specie erant conseruanda? Et eursim explanatur matrimonium valere, quamuis coniux habeat animum non seruandi fidem alteri coniugi? Ex part. 7. tr. 9. ex res. 8. 10. 11. 18. & 25. Quæ nunc inuenientur in tom. 6. tr. 4. de Ludo, res. 18. 22. 23. 24. & 35.

An qui à vxore lucraretur aliquam quantitatem, teneatur restituere marito, vel possit restituere eidem vxori? Ex part. 3. tr. 2. ex res. 98. Quæ hic reperietur in tom. 7. tr. 3. de Paupertate Religiosa, res. 59.

An maritus ex bonis communibus acquisitis possit facere donationes? Et infertur non posse maritum ex bonis communibus absque licentia vxoris Maioratum instituere, filiis alterius coniugis dotem constituere, aut alimenta præbere, imò nec Parentibus, si indigeant, sed de eius bonis tenetur eos alere, nec si hominem occiderit vir potest pecuniariam pœnam ex bonis communibus soluere? Et an vxores possint inscio marito aliquid donare? Et an mortis causa donare mulier, quæ non potest contractum facere absque consensu mariti, siue curatoris, aut duorum propinquorum, ita disponente lege, seu statuto municipali, quæri solet? Et an donum factum Ecclesiæ ex vnanimi consensu coniugum, aggrauet superuenientem alteri medietatem illius doni dati Ecclesiæ? Et aliæ quamplurimæ difficultates circa donationes inter ipsos coniuges, &c. Et tandem quæritur, an donatio sit valida, si in contractu matrimonij apponatur conditio turpis, aut impossibilis? Et si in foro externo, vel interno dubium sit, an contrahentes matrimonium hanc conditionem non seriò, sed ioco adiecerint, præsumendum sit, quod ioco adiecta sit? Ex part. 8. tr. 6. ex res. 11. 25. 126. 113. 28. 31. 29. 26. 27. 19. 20. 32. 24. 30. & 85. Quæ omnes per hunc ordinem inuenientur in tom. & tr. 7. de Donationibus, à res. 57. vsque ad res. 71. & in res. 141

An stante statuto, quod vxor sine consensu viri testamentum facere non possit, an valeat saltem ad pias causas? Et an legatum sub conditione, si non nupserit, sit validum? Ex part. 7. tr. 6. ex res. 28. aliàs 29. & in p. 3. tr. 5. ex res. 57. Quæ hic reperientur in tom. 6. tr. 8. de Testamentis, res. 36. & 42.

An mulier nupta nominari possit à tertio executrix, & commissaria testamentaria? Ex part. 8. tr. 5. ex res. 5. Quæ hic est in tom. 6. tract. 9. de Executoribus testamentorum, res. 7.

An vxor, quæ sepulchrum non elegit, sepelienda sit in sepulchro viri? At si datur casus, quo duos, aut plures viros & maritos habuerit, sepelienda sit in sepulchro vltimi viri? Et an si moribundus committat vxori electionem suæ sepulturæ, talis electio fieri debeat eo viuente? Ex part. 5. tr. 3. ex res. 108. & 105. Quæ nunc inuenientur in tom. 8. tr. 8. de Casibus occurr. temp. mortis, res. 9. & 13.

An pater, aut mater in necessitate constituti possint vendere filium, aut permutare, vel aliquocumque contractu alienare,

alienare, si filius maximè est coniugatus? Et quid si sit liber, & solutus? Et an si Dominus consentiat in matrimonium serui cū persona libera ignorante, seruus acquirat libertatem? Idem dicendum est, si dominus ancillam tradat homini libero seruitutis non ignaro, si tamen Dominus dotis instrumentum ancillæ conficiat? Et an serui validè, & licitè possint matrimonium contrahere? Et an peccet Dominus, si prohibere tentet suo seruo, ne matrimonium ineat? Vel conetur impedire, aut supplicio afficiat seruum ob contractum matrimonium? Et an serui matrimonio copulati possint licitè vendi? Et an vxor serui teneatur cum sequi in longissimam regionem ablegatum? Et an seruus teneatur magis seruire Domino, quam vxori? Et an vxor possit irritare vota seruorum, si spectant ad eius paraphernalia? Ex part. 7. tr. 7. ex ref. 8. 14. 36. 37. 38. & 27. *Quæ hic reperientur* in tom. 7. tr. 8. de Seruis, ref. 9. 18. 57. 58. 59. & 56.

An Confessores Regulares possint dispensare cum his, qui in primo gradu affinitatis contraxerunt? Ex part. 11. tract. 2. ex ref. 27. *Quæ hic est* in tom. 7. tr. 1. de Regularibus, ref. 279.

Quid est agendum, si hermaphroditus prævalente sexu virili contrahit matrimonium, si postea fœmineus sexus prævalet? Ex part. 12. tr. 1. ex ref. 112. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 4. tr. 8. de Consecratione Episcopi, ref. etiam 112.

An vxor teneatur denunciare maritum Hæreticum? Et an Confessarius incidat in Bullas Pontificias, si sollicitet fœminam in Sacramento matrimonij? Et an vxor teneatur denunciare Confessarium sollicitantem in confessione, si metuat graue damnum in bonis temporalibus propriis, vel mariti? Ex part. 1. tr. 4. ex ref. 4. 5. 6. & 7. & in p. 4. tract. 5. ex ref. 16. & 36. *Quæ hic reperientur* in tom. 5. tr. 9. de Sollicitatione in confessione, ref. 9. 10. 11. 12. 63. & 14.

An Fiscus, vel Inquisitores possint publicare etiam bona paraphernalia vxoris, si scienter contraxit matrimonium cum Hæretico? Et quid est dicendum de aliis bonis extra dotem? Et an vir Catholicus contrahens scienter cum fœmina hæretica, amittat sua bona? Et an Familiares S. Officij gaudeant priuilegio fori, & eorum vxores non solum viuente marito, sed etiam mortuo, donec in viduitate permanserint? Ex part. 4. tr. 8. ex ref. 62. & 55. *Quæ hic sunt* in tom. 5. tract. 10. de Inquisitoribus, ref. 122. & 22.

De contrahentibus binas nuptias? Et an hoc delictum Inquisitores cognoscere possint? Et an suprædicti sint de vehementi, vel tantum de leui suspecti de Fide, & quibus pœnis debent puniri? Et aliqua alia circa hoc explanantur, & tandem quæritur, an qui sine vxoris licentia in sæculo degentis suscipit Ordines sacros, sit suprædictis multandus pœnis, & habenda sit ratio cuius nationis sit? Et de Clericis sacris Ordinibus initiatis, & de Religiosis matrimonium ineuntibus agitur? Et an suprædicti non solum committant sacrilegium, sed sint de hæresi suspecti, & qua pœna puniendi sunt? Et an contrahens matrimonium cum hæretica sit suspectus de Fide, & contra illum possint Inquisitores procedere? Et notatur quod sicut professi aliam Religionem, sic illi qui è Societate Iesu vota biennij emiserunt, si matrimonia postea contraherent, præterquam matrimonium est irritum, subiiciuntur suprædictis pœnis, & abiurant? Ex part. 4. tr. 7. ex ref. 4. & 5. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 5. tr. 12. de Pœnis S. Inquisitionis, ref. etiam 4. & 5.

An Principes laici quoad suos subditos possint inducere impedimenta dirimentia matrimonium? Et expenditur locus Concilij Tridentini de cognitione causarum matrimonialium contra P. Rabadeum, & respondetur ad eius argumenta? Et confirmantur superius dicta, & quod matrimonium inter filiosfamilias sine consensu Parentum validum esse probatur? Et quæritur, an Principes possint statuere sub pœna exhæreditationis, ne filij contrahant inuitis Parentibus? Et probatur matrimonium inter raptores, & matrimonia consanguineorum Principum sine eorum consensu valida esse? Et an index secularis possit se intromittere, & sequestrare puellam, pendente lite matrimonij, in loco tuto, ad finem tollendi violentias? Et quid vt eius voluntas cognoscatur, &c. Ex part. 7. tr. 1. ex ref. 25. 26. 27. 28. & 29. aliàs 22. 25. 26. & 27. & in p. 11. tr. 3. ex ref. 20. *Quæ hic sunt* in tom. 9. tr. 2. de Immunitate Ecclesiastica, à ref. 1. vsque ad ref. 345. & in ref. 240.

An Principes possint leges condere circa matrimonium? Et quid circa accessoria matrimonij, vt v. g. ferre leges circa dotem, & lucrum dotis, vel circa donationem inter virum, & vxorem, & sponsalium largitatem, & similia? Et an valeat statutum, in quo cauetur, ne filius, vel filia possint contrahere sine consensu Patris, aliàs cadant à hæreditate, vel disponens mulierem extra territorium habitantem cum sua familia priuandam esse hæreditate, vel imponere pœnas, ne matrimonia inter consanguineos contrahantur, & illas exigere, etiam impetrata dispensatione à Pontifice? Et an index laicus sit competens, quando agitur de possessorio matrimonij? Et an index Ecclesiasticus sit competens in causis sponsalium? Et quid si iuramento firmata sint, vel an saltem sint missi fori? Et ad quem iudicem spectat, spiritualem, vel secularem, pendente lite super matrimonio, sequestrare puellam causa explorandi voluntatem? Et an de causa dos principaliter, & non incidenter intentata possit iudex Ecclesiasticus inter laicos cognoscere? Et quid quando dos in testamento relicta fuit puellæ pauperi? Et an Princeps possit statuere irritando aliqua iuramenta, quæ super matrimonio apponuntur? Et an index Ecclesiasticus possit punire adulteros, vel sit causa missi fori? Et an in adulterio ad pœnam sanguinis imponendam solus iudex secularis sit competens? Et quid quando quæstio mota est de alimentis præstandis adulteræ à viro separatæ? Et an si de sola coniugij separatione agatur ad tempus, solus index Ecclesiasticus sit competens? Et an Clerici coniugati, & laici seruientes Episcopis, aut gaudeant priuilegio fori, non tamen gaudeant priuilegio gabellarum? Et an qui beneficium habens deliquit, & postea matrimonium contrahit, sit à iudice laico puniendus, vel à iudice Ecclesiastico? Idem est dicendum de Clerico coniugato, qui post delictum commissum factus est bigamus iniens aliud matrimonium? Ex p. 1. tr. 2. ex ref. 127. aliàs 128. & in p. 5. tr. 1. ex ref. 16. & in p. 1. tr. 2. ex ref. 74. & 105. & 57. aliàs 71. 104. & 58. & in p. 5. tr. 1. ex ref. 17. & in p. 1. tr. 2. ex ref. 131. 132. 117. 74. & 87. aliàs 55. 130. 131. 116. 73. & 86. & in p. 4. tr. 1. ex ref. 16. & in p. 6. tr. 8. ex ref. & in p. 4. tract. 1. ex ref. 6. *Quas omnes per hunc Ordinem reperies* in tom. 9. tract. 2. de Immunitate Ecclesiastica, à ref. 221. vsque ad ref. 229. & in ref. 231. 232. 290. 291. 163. & 147.

Nota, quod in prædicto tom. 9. & tract. 2. de Immunitate Ecclesiastica, *sunt multa alia difficultates pro Clericis coniugatis, eorum filiis, & vxoribus circa priuilegium fori, exemptionem gabellarum, & aliorum, quas consequutinas in præcitato tract. reperies, à* ref. 147. vsque ad ref. 157. inclusiuè.

TRACTA

TRACTATVS PRIMVS

DE CELEBRATIONE MISSARVM,

Iuxta Decreta Vrbani VIII.

ET DE SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO: atque de omnibus Ritibus occurrentibus antea, & postea, & in ipsamet Missarum Celebratione.

RESOLVTIO PRIMA.

An Episcopi vigore Concilij Trident. possint reuocare Missas in fundatione appositas. Ex parte 2. tractatu 14. Resolutione 1.

§.1. RESPONDEO negatiuè. Et ita declarant decreta sacræ Congregationis *in Bulla* §. 2. Ratio est, quia Concil. loquitur de Missis & Anniuersariis defunctorum relictis, non autem de impositis in fundatione, & ita antea docuerant Homobonus *in exam. eccles. part. 1. tract. 4. cap. 14 q. 129.* Riccius *in praxi, tom. 1. resol. 341. n. 4.* Ragucius *in vase eccles. disciplin. de Episcopis, q. 6. n. 86.* Piasecius *in praxi Episcop. part. 2. c. 3. art. 5. n. 3.* Vgolinus *de potest. Episc. cap. 61. n. 1.* Franciscus Leo *in Thes. for. Ecclesiast. p. 2. c. 11. n. 33.* Sorbus *annot. ad compend. priuileg. ver. Missa 3. vers. notandum.* Garsias *de benefic. tom. 2. p. 7. c. 1. n. 131.* & hanc sententiam docuit etiam ex nostris P. Naldus *vers. Missa, n. 8.* cum Posseuino *de offic. Curati, c. 12. n. 25.*

2. Ex his apparet, stante dicta declaratione Illustris. Cardinalium, modò non esse amplectendam opinionem Henriq. *lib. 9. c. 22. n. 6.* Mirandæ *in manu, tom. 1. q. 41. art. c. 24.* & aliorum asserentium, potuisse Episcopum, ex vi Tridentini, Missas requisitas in fundatione alicuius beneficij, reducere ad minorem numerum Missarum; nam, vt diximus, Concilium loquitur de Missis, & Anniuersariis, relictis in aliqua Ecclesia, quæ vulgò *dotationes* dicuntur, non autem de Missis impositis beneficio, seu Capellaniis in fundatione.

RESOL. II.

An possint Episcopi Missas, quæ post Concilium relictæ fuerunt, ad minorem summam reducere?
Et quid, si ante Concilium Tridentinum fuerunt impositæ? Ex p. 2. tract. 14. Resol. 2.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docuit Naldus *in summ. ver. Missa, n. 9.* Posseuinus *de offic. curat. cap. 2. n. 25. q. 9.* Garsias *de benef. tom. 2. part. 7. cap. 132.* & alij.

2. Sed modò in decreto contrarium decernunt Cardinales *in* §. 2. & ita anteà docuerant Riccius *p. 4. decis. 25. n. 4.* Rodriquez *in qq. reg. tom. 1. q. 43. art. 13.* Hieron. à Sorb. *in annot. ad compend. priu. ver. Missa 3.* Confectus *in priuil. Mendic. tit. 19. de celebr. Miss. c. 3.* Miranda *in manual. pract. tom. 1. q. 41. art. 4.* & Passarel. *can. 60. de remedio Missarum*, ita ait respondisse etiam Congregationem Card. 7. Febr. 1573. Possunt igitur Episcopi reducere Missas ad summam minorem, si ante Conc. Trid. fuerunt impositæ: & ita nouissimè docuit Bonacina *de Sacr. disp. 4. q. vlt. punct. 7. §. 2. n. 11.* Sup. hoc infra in principio Resol. 7. & in Resol. 13. 9. Nota.

RESOL. II.

An reductio Missarum sit ab Episcopo facienda in Synodo? Ex p. 2. tract. 14. Res. 3.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Bonacina *de Sacram. disput. 4. q. vlt. punct. 7. §. 2. n. 9.* Garsias *de benefic. tom. 2. p. 7. cap. 1. n. 134.* & alij. Negatiuam sequuntur Henriquez *lib. 9. c. 22. n. 6. in gloss. lit. P.* Reginald. *tom. 2. lib. 23. c. 17. n. 134.* Barbosa *de potest. Episc. part. 2. alleg. 28. n. 12.* Molfes. *in sum. tom. 1. tract. 3. cap. 37. n. 29.* Nauarr. *cap. 25. n. 138.* Miranda *in manuali Prælat. tom. 1. q. 41. art. 24.* & alij.

2. Quid ego sentiam, dicam breuiter. In multis Episcopatibus, decretum Conc. est receptum; in aliis verò non. Vbi non est receptum, procedit opinio negatiua; vbi est receptum, affirmatiua sententia tenenda est. Nam Concil. Trid. præscribit istam formam, nempe reductionem Missarum ab Episcopo faciendam esse in Synodo.

RESOL. IV.

An Generales Religionum possint absque Capitulo, sicut diximus probabiliter de Episcopis, ad summam minorem reducere Missas? Ex p. 2. tr. 14. Res. 4.

§. 1. RESpondeo negatiuè cum Barbosa *de potest. Episcopi, part. 2. alleg. 28. num. 12.* Miranda *tom. 1.* Sup. hoc inf. in Res. 11. in principio.

tom.1.quæst.41.art.24. Rodriq.*tom.1.quæst.43.art.13.* Nauarr.*cap.25.num.138.* & alij. Ratio est, quia Episcopi id facere possunt ex iure communi, neque quoad eos Conc. statuit ius nouum, sed statuit antiquum seruari; quo verò ad Abbates & Generales, ius nouum constituit. Ergo, &c.

RESOL. V.

An prædicta facultas moderandi Missas comprehendat etiam anniuersaria, & officia pro defunctis? Ex p.2.tract.14.Resol.5.

Sup. hoc in Res. seq. & infra in Res. 11. cursim in principio.

§. 1. AFfirmatiuè respondet sacra Congregatio Archiepiscopo Neapolitano, vt Garsias *de benefic.tom.1. part.7.cap.1.n.13.* Naldus *in summa, verb.Missa,n.10.* Galletus *in Margarita casuum conscientiæ,vers.Missa,n.4.* Riccius *in praxi,part.1.resol. 341.n.2.* Piasecius *in praxi Episcop.part.2.cap.3.n.15.* & Stephanus Quaranta *in summa Bullarij,verb.Missa,* & alij tradiderunt.

RESOL. VI.

An prohibitio moderandi Missas facta Episcopis in Decreto de celebratione Missarum, comprehendat etiam anniuersaria, & officia defunctorum? Ex part.6. tr.7. & Miscell.2 Resol.40.

Sup. hoc in Res. præterita, & infra ex doctrina Resol.11. in principio.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Ioannes Anton. Nouarius *in summa Bullarum, tit.de Missar. celebratione,n.8.* vbi sic ait. Ampliatur tertiò, vt prædicta prohibitio moderandi Missas comprehendat etiam anniuersaria & officia pro defunctis, & respondisse sacram Congregationem Eminentissimorum Cardinalium N. Archiepiscopo Neapolitano testatur Garsias, Naldus, Riccius, & Piasecius. Ita Nouarius.

2. Sed nouissimè aduersùs illum insurgit Merolla *tom.3.disp.7.cap.5.dub.16.n.589.* nam supra citati Doctores non loquuntur de supradicta prohibitione Vrbani VIII. sed de concessione facta Episcopis à Tridentino, vt possint reducere numerum Missarum: & dicunt in ea etiam includi anniuersaria, & officia pro defunctis. Et hoc declarauit sacra Congregatio; & probatur manifestè: nam omnes Doctores ab ipso allegati scripserunt antequam fieret hæc prohibitio ab Vrbano, vt clarè patet. Vtrùm verò dicta ampliatio benè adaptetur huic prohibitioni, ita vt extendatur ad anniuersaria & officia defunctorum, probabilius existimo non extendi, saltem quoad officia defunctorum. Et ratio est, quia hæc prohibitio est correctoria iuris communis, (Concilium enim Tridentinum ius commune constituit) ergo non est extendenda vltra casum, in quo loquitur; quia correctio legum est odiosa: cùm ergo loquatur tantùm de reductione Missarum, vt ex se patet, non erit extendenda ad officia mortuorum, quæ Missæ non sunt.

RESOL. VII.

Quænam facultas per Decreta Sacræ Congregationis de celebratione Missarum sublata sit Episcopis, & Generalibus Religionum, & Ordinum reuocandi Missas ad minorem numerum? Ex part.6.tr.6. & Misc.1. Resol.10.

Sup. hoc supra in Res. 2 cursim in fi-

§. 1. REsolutio huius difficultatis pendet ex intelligentia verborum sacræ Congregationis Ibi, *Ac primò districtè prohibet,* &c. Sed secundum Marchinum *de Sacram.Ordinis tract.3.part.2.cap.* *num.31.* per dicta verba non censetur reuocatum pr uilegium moderandi Missas, & anniuersariàa tes ribus ante Tridentinum relicta, quorum maximus e numerus: nam Decretum supradictum Sanctissimi D. N. Vrbani prohibet eam solam Missarum reductionem, quæ post Tridentinum acceptatæ fuerunt, vt optimè notatur in Synodo Florentina sub die 18. M 1627.§.3.*de Missar.celeb.* & satis declarant illa verba Decreti; aut post Concilium imposita. Deinde non videtur per hoc decretum derogatum Episcopis, qui possint moderari Missas alicui Ecclesiæ relictas non dum tamen ob tenuitatem Eleemosynæ ab eadem Ecclesia acceptatas: nam Decretum hoc loquitur manifestè de oneribus Missarum impositis; non est autem onus impositum nisi post acceptationem, & intentio eiusdem sola est, vt numerus Missarum relictus & acceptatus adimpleatur. Quare ante acceptionem non abstulit Episcopis facultatem, quæ illis de iure communi competebat, alterandi & moderandi eas Missas. Et ita sentit Marchinus re cum multis viris doctis communicata, saluo tamen meliori iudicio, ait ipse, & sub censura Ecclesiæ.

RESOL. VIII.

An per Decreta Sacræ Congregationis fuerint reuocata priuilegia Regularium circa legata Missarum. Ex part.6.tract.6. & Miscell.1. Res.11.

§.1. REspondeo affirmatiuè, vt patet in illis verbis. *Id verò, vt deinceps,* &c. Sed obstat Philibert.Marchinus *de Sacramento Ordinis tr.3.p. cap.20.n.7.* quòd post euulgata dicta decreta Sanctiss D.N.Vrbanus VIII. die 13.Iulij 1626. ad petitionem Deodati Lomellini Procuratoris Generalis Minimorum S.Francisci de Paula, concessit Fratribus eiusdem Ordinis Cœnobij Ianuensis, vt legata Missarum perpetua & oneri annexo impatia ad rationem quinquaginta scutorum monetæ Romanæ pro qualibet Missa quotidiana reducerentur: decernitque per celebrationem Missarum sic reductarum saluti animarum eorum, quorum intentione Missæ sic reductæ fundatæ fuerunt, suffragari, perinde ac si illæ vere, realiter, & cum effectu celebrarentur: dictæque domus correctorem, & fratres desuper à quoquam quouis auctoritate molestari, perturbari, vel inquietari non posse. Et hoc priuilegium afferre Peyrinum ego alibi etiam notaui, quo quidem in pari causa, vt docet rectè Marchinus per communicationem, non modò aliæ eiusdem Ordinis domus, sed etiam aliarum Religionum familiæ, quæ communicant in prædictis priuilegiis perfruuntur.

RESOL. IX.

An post Decretum Vrbani VIII. Regulares habeant aliquod priuilegium, cuius vigore possint hodie, vt olim reducere Missas ad minorem numerum? Et breuiter discutitur, quod dato esset tale priuilegium pro Minimis, & Minoribus, an talis gratia aliis Religionibus per communicationem suffragari possit. Ex p.10 tract.16. & Miscell.6.Res.67.

§. 1. EX Marchino, & Peyrino ego olim docui Vrbanum VIII. post euulgatum illud de cretum concessisse, die 13. Iulij 1626. Fratribus Minimis Cœnobij Ianuensis, vt legata perpetua Missarum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Missarum, & oneribus imparia reducere possint ad rationem quinquaginta scutorum monetæ Romanæ pro qualibet Missa quotidiana. Quo priuilegio per communicationem pariter fruentur & aliæ domus eiusdem Ordinis, & aliæ Religiones, quæ communicant in priuilegiis. Et ita hanc sententiam præter Caspensem à me alibi adductum docuerunt etiam Petr. Marchant. *in Trib. Sacr. tom. 2. tr. 2. p. 2. tit. 4 q. 2. resol. 5.* Garcias *in Sum. Theol. Mor. tract. 3. disput. 10. dub. 4. n. 22.* Pellizzarius *in Man. tom. 2. tract. 6. c. 3. n. 8* & me citato P. Lugo *de Sacr. lib. 5. c. 12. q. 9. n. 96.*

2. Verùm hanc opinionem acriter impugnat Pater Magister Lezana *in Sum. QQ. Regul. tom. 4. verb. Missa num. 31.* quia secundum Praxim Religionum, gratiæ concessæ per Breuia particularia à Summo Pontifice; vel Sede Apostolica alicui domui, vel Conuentui non solent communicari aliis, neque eiusdem, neque diuersæ Religionis domibus; aliàs magna confusio, & absurda inde sequerentur; sed etiam quia Pontifex in dictis litteris non concedit facultatem reducendi talia onera Missarum, sed ipse ea reducit de consilio Dominorum Cardinalium Congregationis Concilij. Si autem hoc factum Pontificis communicaretur aliis Religionibus habentibus communicationem cum Minimis, procul dubio non esset ipsis necessarium recurrere pro talium onerum reductione ad Sedem Apostolicam; sed vti hac reductione, & innumeris aliis, quæ quotidie fiunt ab eadem Sede; quod *est absurdum*, & contra quotidianam experientiam, qua constat, omnes Religiones solitas esse recurrere ad sacram Congregationem singulis vicibus pro similibus reductionibus. Similiter, si talis gratia suffragari posset aliis Religionibus, etiam dici posset, quod cum sacra Congregatio concedit facultatem alicui Religioni faciendi, v.g. aliquam alienationem, vendendi scilicet aliquam vineam, vel domum, possent aliæ Religiones propter communicationem priuilegiorum vti ipsa, quod est absurdum.

3. Vndè ex his, non obstante authoritate Peyrini, Marchini, Caspensis, Marchantij, Garciæ Pellizzarij & Lugo *vbi supra*, ego nunc sententiæ Patris Lezanæ adhæreo, & quidem nimis me vrget stylus Curiæ Romanæ contra sententiam adductam, & contra Doctores citatos.

4. Nec obstat aliud priuilegium Vrbani VIII. concessum Fratribus Minoribus; nam ad summum, vt obseruat Tamburinus *de Sacr. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 4. n. 17.* esto propter reductionem Missarum quotidianarum illi non obligarentur ad Pontificem confugere: obligarentur tamen propter alias reductiones non quotidianas, & quando reductio instat, vt fiat extra Capitulum. Adde concessionem dictam solùm loqui de reductione facienda in primo Capitulo, & non amplius; quare si occurrat facienda alia reductio post illud Capitulum, certè ad sanctam Sedem erit recurrendum.

5. Caueant igitur Regulares à sententia Marchini, & aliorum; nam Praxis Romanæ Curiæ demonstrat, illos debere pro reductione Missarũ ad sanctam Sedem recurrere, vt re vera in casu contingenti recurrant omnes Regulares.

RESOL. X.

An Generales Religionum possint dispensare, vt certarum Missarum cum multis collectis celebratione, plurium Missarum oneribus Regulares subditi satisfaciant? Ex part. 2. tract. 14. Resol. 6.

§. 1. Respondeo, quòd hoc licitum erat, vt obseruauit Rodriquez *tom. 1. q. 43. art. 13.* Bartholomæus ab Angelis *in exam. Confess. dial. 5. §. 764.* Fraxinellus *de Sacerd. oblig. sect. 7. §. 9.* & Confertius ait, ex priuilegio Iulij II. & Leonis X. potuisse Regulares, ex dispensatione Generalis vnius Missæ celebratione, cum nouem collectis, vel inferioris numeri satisfacere pro nouem Missis, etiamsi specialiter de *Requiem*, vel de aliis Sanctis dicendæ fuissent. Sed modò sacra Congregatio *in supradicta Bulla* §. 4. reuocat similia priuilegia, & indulta. Ergo, &c.

Hoc in seq. 7. ex Deinde.

RESOL. XI.

An Superiores Regulares possint reducere Missas ad minorem summam?

Et an Regulares satisfacere queant plurimis Missis debitis per vnam Missam, additis in ea tot commemorationibus, quot Missæ debitæ erant dicendæ? Ex p. 11. tract. 2. & Miscell. 2. Res. 4.

§. 1. Circa hanc difficultatem Brunus *part. 2. tr. 8. cap. 1. prop. 8. & 9.* asserit, quod possunt Generales Regularium ex causa reducere ad minorem numerum Missas, quæ vocantur Missæ dotationum, & anniuersariorum, non solùm in capitulis Generalibus, & Prouincialibus; sed etiam extra illa. Deinde addit, quod Prælati generales possunt dispẽsando facare, vt subditi Regulares satisfacere queant plurimis Missis debitis per vnam Missam additis in ea tot commemorationibus, quot Missæ debitæ erant dicendæ: possuntque suam facultatem ad id faciendum aliis committere. Et hoc ex priuilegio Leonis X. & Martini V. quod huius tenoris est: De cætero perpetuis futuris tẽporibus possint in vna Missa facere commemorationes nouem, quæ satisfacient ex Apostolica dispositione pro 9. Missis debitis, vel minorem numerum descendendo, qui etiam satisfaciat pro tot Missis præmissis, quot fient commemorationes; & quidem tam plenè, vt conscientiæ eorum penitus exonerentur à promissionibus, & fidelibus tantóperè suffragentur, ac si diuersis diebus integraliter Missas impositas sigillatim celebrassent: Quid clarius? Quod quidem priuilegiũ valere non solum pro Missis receptis; verum etiam pro recipiendis, cum verba priuilegij sint absoluta, & abstrahant à differentiis temporis, vt considerant, patebit: quod confirmatur ex verbis, quæ præfati priuilegij verba præcedunt, in quibus expressè habentur; Vt commemorationes dictæ suffragentur fidelibus, qui dederint eleemosynas pro Missis dicendis, vel quos in posterum dare contigerit. Deinde subiungit: Vt Generalis dispenset pro Missis dicendis, &c. iuxta tenorem præhabitum, &c. Et quod possit hanc facultatem Generalis aliis committere, probat, quia hæc gratia facta est potissimum Ordinibus Regularibus, deinde persona Generalis tanquam prima, per quam ad alia sui Ordinis membra, ad eam postea influendam, diffundi debet, qui autem per alium facit per seipsum facere videtur. Secundò, quia omnis potestas ordinaria est delegabilis, hæc autem est ordinaria, vtpotè in perpetuum concessa, & officio perpetuo annexa. Nec obijcias, quod hæc potestas est extraordinaria; nam licet ita se habeat, sitque potestas delegata, est tamen subdelegabilis potestas delegata, quando datur à supremo Principe delegatis ad vniuersitatem causarum, cuiusmodi est hæc, quæ à Papa concessa est in vsum reducenda, iuxta vsum potestatis cuiuslibet Generalis, vt constat ex *cap. fin. de offic. deleg. & ex cap. cum causam, de appel.* Non obijcias secundò, electam fuisse personam industriam, & iudicium; nam respondebitur non ita esse, quando eligitur persona incognita, & indeterminata; nisi per qualitatem futuram, sicut in hoc priui-

Sup. hac doctrina supra in Res. 4. 5. & 6.

Sup. hoc in Res. præterita.

Sup. hoc ibid.

legio, vt docent Sylu. *verb. delegatus q.*8. Ex quibus patet, quod Generales possunt hanc facultatem fratribus subditis committere, vt de facto committunt suis Commissariis, seu Visitatoribus, quos in Prouincias mittunt cum potestate vniuersali ad omnes causas, qui ac etiam Generales hoc priuilegio, nisi raro vti debent, & cum hac conditione, vt præter prædictas commemorationes pia opera subditorum applicent pro rata necessitatis cuiusque Missas commendantis. Hæc Bruno.

2. Sed quidquid sit de tali Priuilegio Leonis X. & Martini V. assero prorsus non esse admittenda in Prouinciis vbi Decreta Sacræ Congregationis vsu recepta sunt, quod necessarium erat Patrem Brunum aduertere. Dico igitur. Decreta iussu Vrbani VIII. edita *de celebrat. Miss. die* 21. *Iunij* 1625. § 3. sic habere; Id verò vt deinceps obseruetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam secularibus, quàm regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & instituti quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat. Et in fine Pontifex apponit clausulam derogatoriam amplissimam omnium Priuilegiorum, & ipsemet Pater Brunus fatetur rarò Generales his priuilegiis vti, non enim, ait audiui, quod in Religione Minorum illius vsus vsquam fuerit, & credo quod in aliis Ordinibus, illius vsus si fuit, rarissimus extitit, ipseque ex graui causa. Sed absolutè nunc dicendum est talia priuilegia fuisse ab Vrbano VIII. in dictis Decretis reuocata, vnde caueant Regulares doctrinam Patris Bruni ad praxim deducere.

RESOL. XII.

An aliquando sine licentia Papæ, vel Sacræ Congregationis possit Superior Regularium, vel Sacerdos sæcularis reducere Missas ad numerum minorem?

Et notatur, quod si testator reliquisset, vt suus hæres in singulos annos eroget tantam pecuniam, vt celebrare pro ipso curet tot Missas: tunc si temporis decursu adauctum sit Missæ stipendium, teneri hæredem maiorem pecuniæ summam erogare, ne Missarum numerus minuatur. Ex p. 7. tr. 12. & Miscell. 3. Res. 22. aliàs 20.

Sup. hoc in Res. seq. & lege Doctrinam Res. 1. post seq. signanter §. Deinde.

§. 1. CAsus potest in praxi sæpius accidere, v. g. An habens onus celebrandi Missam quotidianam, vel Missas singulis annis cum assignatione certi stipendij, aut æquiualentis, vti fructuum domus, agri, &c. tunc correspondentis eleemosynæ currenti tempore impositionis oneris, si augeatur stipendium aut decrescant fructus domus, agri, census, &c. possit ille Sacerdos, qui onus celebrandi suscepit, dicere tot Missas, quot sunt fructus, quos percipit singulis annis correspondentes salario statuto, vel consuetudine aucto, cum diminutione Missarum etiam ad medietatem? In tali casu Genuensis *de Eccles. Tricen. 6. q.*179. docet hæredes teneri adiungere stipendium conueniens data capacitate hæreditatis. Sed Bordon. *in cons. regul. 1. res. 25. n. 37.* putat Sacerdotem in tali casu tot Missas dicere posse, quot fructus colliguntur habito respectu ad incrementum salarij, quando aliàs stipendium ab initio assignatum non excedebat taxam eleemosynæ consuetæ. Probatur, Tum quia stipendia Missarum ab initio assignantur à testatoribus, vel de eorum commissione ab hæredibus non ad placitum proprium, sed habito respectu ad eleemosynam, quæ statuto, vel vsu fuit introducta tunc temporis; ergo signum est voluntatem testantium in impositione huiusmodi onerum esse, vt quantitas Missarum commensuretur quantitati stipendij currentis, ergo aucto stipendio cursu temporis, minuendus est numerus Missarum. Nec obstat dictum Genuens. supracitati asserentis, nequaquam minuendum esse numerum Missarum; sed eo casu augendum esse pretium ab hæredibus, ducti ea regula, quod si testator cogitasset, aut fuisset interrogatus de hac re, ita vero similiter disposuisset, consequenter si præuidisset hoc, non diminuisset numerum Missarum, sed potius stipendium auxisset: Quia, vt ait Fraxinell. cit. potius seruatur oppositum, testatores enim intendunt minus grauare hæredes præterquam quod argumentum huiusmodi ab hæredibus exigendum est fomentum discordiarum & litium, ita quod stipendium promissis necesse esset expendere in litibus, quæ hisce temporibus inficiuntur iniquitate, & odiis, auiditate, & auaritia Notariorum, Procuratorum, & Iudicum. Deinde hac tempestate hæredes conueniunt cum Sacerdotibus de stipendio currente tempore conuentionis, consequenter vigore huiusmodi pacti Sacerdotes nullum ius videntur habere ad augmentum salarij: alij verò assignant rationabilem proprietatem, vnde dicta regula his cautionibus destruitur.

2. Nec obstat dicere Primò, quia huiusmodi diminutio est quædam reductio, quam solus Papa facit. Secundò, quia qui tenuem acceptauit Capellaniam quotidianam, singulis diebus tenetur celebrare donec à Papa fiat reductio. Tertiò, quia hoc est mutare voluntatem testatoris, quod solius est Papæ. Nam respondet Bordonus ad primum, Missarum reductionem spectari dupliciter, vno modo, quatenus numerus Missarum diminuitur authoritatiuè, & per dispensationem, in quo sensu loquitur obiectio, & sic solus Papa dispensat; altero quatenus numerus Missarum diminuitur ex æquitate, & iustitia, quæ non patitur, vt Sacerdos celebret gratis, quod stipendio promisit, & in hoc non est necessaria Papæ facultas: Quod sudetur à simili de relaxatione voti per dispensationem, quæ solius est superioris; & commutationem propria authoritate, posita rationabili causa.

3. Ad secundum dicit esse disparem rationem de tenui stipendio; de quo in obiectione, respectu cuius cùm Capellanus ab initio fuerit contentus, ratio dictat, vt in futurum id sibi non displiceat, stando promissis, ex vulgatis enim iuribus, quod semel placuit, amplius displicere non debet. Et de stipendio congruenti, de quo in nostro casu, & non de primo; vnde promissio intuitu stipendij congrui regulanda est ex congruitate stipendij, consequenter sicut variatur mutatione temporis, ita variari debet numerus Missarum, quod accidere non potest in casu obiectionis, in quo Capellanus promisit stare tali stipendio tenui, vt sic.

4. Ad tertium asserit id non esse mutare mentem testatoris, sed secundum eius mentem facere, qui non intendit sacerdotem gratis, aut cum tenui stipendio obligare ad celebrandum, cùm ab initio congruentem eleemosynam designauerit, aliàs voluntas eius esset incongrua, & iniusta, quæ seruanda non est, Glos. *ver. voluntatem, cap. tua nobis de testam.* Et ita hanc opinionem Bordoni tener etiam nouissimè doctus, & amicissimus P. Raphaël Auersa *de sacr. Euchar. q.* 11. *sect.* 18. Ego verò nolo circa illam sententiam meam proferre, sed eius resolutionem S. Congregationi remitto.

5. Nota tamen, quòd si testator reliquisset, vt suus hæres in singulos annos eroget tantam pecuniam,

niam, vt celebrari pro ipso curet tot Missas: tunc si temporis decursu adauctum sit Missæ stipendium, teneri hæredem maiorem pecuniæ summam erogare, ne Missarum numerus minuatur, eo quod hæc ipsa videtur intentio testatoris; sed Auersa *vbi suprà*, putat in tali casu ponderanda esse verba testamenti. Si enim testator dicat: iubeo, vt meus hæres curet tot Missas pro me celebrari, tenebitur hæres augere stipendium. Si autem dicat: iubeo vt meus hæres tantam pecuniam eroget in Missas pro me celebrandas, videbitur potius intentionem suam coarctare ad illam pecuniæ summam.

RESOL. XIII.

An Sacerdos peculiaris, vel Superior Regularium, non obstantibus Decretis felic. mem. Vrbani VIII. possit in aliquo casu reducere Missas ad numerum minorem, vt si v.g. deficerent notabiliter redditus relicti pro Missis dicendis?

Et an si totum Capitale Capellaniæ periisset sine culpa Sacerdotis, vel Conuentus, cui Missarum onus incumbit, possit prorsus à celebratione cessare?

Et notatur, quod per hoc decretum Vrbani VIII. non censetur priuilegium reuocatum moderandi Missas, & Anniuersaria à Testatoribus ante Tridentinum relicta, quorum maximus est numerus, sed solum earum Missarum reductionem, quæ post Concilium acceptatæ fuerunt.

Et cursim docetur, quod Episcopis licet moderare Missas alicui Ecclesiæ; siue ante, siue post Tridentinum relictas, nondum tamen, siue ob tenuitatem eleemosynæ, siue ob aliam causam ab eadem Ecclesia acceptatas. Ex p.10.tr.16. & Misc.6.Res.65.

§ 1. HVnc casum pertractat nouissimè P. Lugo *de Sacram.lib.5. cap.12. q.9.n.97.* vbi pro negatiua sententia adducit Azor.*tom.2. l.6.c.24.q.6. & tom.3. lib.12. cap.6.q.4.* quia reductio Missarum non pertinet ad authoritatem priuatam, sed ad Papam, vel principem, cuius est ex iusta causa posse commutare voluntatem testatoris, aut fundatoris; cum talis vtique commutatio claudatur in reductione Missarum.

Sup. hoc in Rel. præterita, & in Res. seq. §. Deinde.

2. Sed affirmatiuam sententiam tenet Bordon. *in consil.Regul.tom.1.resol.25.q.26.* & Auersa *de Sacram. Euchar.q.11. sect.18. §.quod si.* Et hanc sententiam tanquam probabilem amplectitur P.Lugo *vbi suprà.* Probatur primò, quia talis esse videtur mens fundatoris, seu testatoris, vt scilicet celebranti detur congruum stipendium, ne grauetur Sacerdos ad celebrandum sine debita compensatione. Quare si totum capitale Capellaniæ periisset sine culpa Sacerdotis, vel Conuentus, cui Missarum onus incumbit, posse prorsus à celebratione cessare, dicunt Auersa *suprà*, & Bordonus *q.21.* cum aliis, quia pariter talis præsumitur intentio fundatoris; & cùm beneficium detur propter Officium, destructo beneficio cessare debet Officium, id est onus, seu debitum eidem annexum. Probatur secundò, nam in humano contractu locationis non tenetur conductor soluere pensionem integram, quando propter grandinem vel alluuionem, vel simili causa depereunt agri fructus. Ergo similiter Sacerdos non tenetur dicere Missas omnes impositas, quando notabiliter decrescunt redditus. Ad fundamentum oppositum respondetur, reductionē Missarum considerari posse dupliciter; primò modo, quarenus numerus Missarum minuitur authoritate, seu per dispensationem, in quo sensu procedit illud argumentum, & loquuntur iura, siue decreta tam Tridentini, quàm Vrbani VIII. & sic solus Pontifex, & qui habent ab illo facultatem, reducere possunt. Secundò modo, quatenus numerus Missarum minuitur ex æquitate, seu iustitia, quæ non patitur, vt Sacerdos faciat gratis, aut minori pretio quod faciendum suscepit sub stipendio iusto; & in hoc non requiritur potestas Pontificis; aut Principis, sed quisque potest in suo contractu iustitiæ medium à contrahentibus intentum seruare; nec hoc est commutare testatoris voluntatem, sed operari iuxta mentem ipsius, qui noluit, aut gratis, aut stipe minori cogere Sacerdotem ad celebrandum, cum ab initio congruam stipem designauerit, alioquin eius voluntas esset iniusta, quæ seruari non debet, iuxta Gloss. *in cap.tua nobis verbum voluntatem de test.* Hucusque P.Lugo.

3. Sed ego, vt verùm fatear, habeo magnam difficultatem quoad hanc opinionem post decreta Vrbani VIII. satis clara, quæ affert, & sequitur doctus, & accuratus Auctor P.Tamburinus, *Opusc. de Sacr. Missæ, lib.3.cap.1.§.2.n.1.* vbi sic ait: Casus est huiusmodi. In Ecclesia, v.g. S.Petri adest obligatio singulis diebus celebrandi vnam, vel plures Missas, sed deficientibus propter varios casus redditibus ad hunc finem assignatis, facto computo, tunc non sufficit pecunia, nisi ad duas Missas in hebdomada. Quæritur, An Episcopi, & Generales Religionum respectiuè pro suis, hodie (nam olim poterant ex Tridentino) possint statuere, vt omissis cæteris, duæ prædictæ Missæ dumtaxat celebrentur? Sacra Congregatio respondet, *sup.n.7.* Non posse, sed esse ad Pontificem recurrendum. Et quia quæsitum fuit, an quando ita tenue est, vel euasit legatum, seu redditus, vt non inueniatur Sacerdos, qui velit tantum onus cum tam parua eleemosyna subire: & si recurratur ad Pontificem, totum, vel magna pars redditus, in necessariis expensis, consumenda sit, an, inquam, tunc possit Episcopus? Respondit eadem Congregatio, adhuc esse recurrendum ad Pontificem, & tunc solum posse Episcopum, quando in ipsa beneficij erectione fuit fortè expressè concessum, vt id Episcopus posset. Ita Tamburinus. Vide etiam ipsum *§.3.n.90 91.95.* qui semper in casibus reducendi Missas ad minorem numerum expoſcit authoritatem Pontificis. Quòd etiam notauit Gauantus *in mon.Episc. verb.Missa, n.55. & 56.* Idem docet Marchinus *de Sacram. Ordinis tr.3. part.2.cap.19.n.26.iuncto n.30.* & Pellizzarius *tom.2. tract.6.cap.3.n.47.*

4. Et quidem cum dicta Decreta absolutè loquantur, absolutè intelligenda veniunt, & cum non distinguant, nec nos distinguere debemus, prout faciunt Doctores citati; Sacra enim Congregatio iudicium circa reductionem Missarum videtur simpliciter priuatiuè quoad alios voluisse sibi reseruare; ergo, &c. Et ita nostram sententiam magis clarè, & genericè docet Pater Lezana *in Summa tom.4. verb. Missa, n.37.* vbi sic ait: Si verò prædicti fructus vsu temporis etiam sine culpa Conuentus valdè diminutus fuerit, & expensæ quoad victum, & vestitum maiores, non propterea licet Religiosis propria authoritate numerum Missarum diminuere, sed recurrendum est ad Sacram Congregationem, vel ad Generales Religionum pro illarum reductione respectiuè, & iuxta ipsarum qualitatem, & dicta supra *num.30. & 31.* Tum quia propter hanc causam in impositione huiusmodi perpetuarum Missarum assignatur maius stipendium, quàm pro Missis quotidianis. Tum quia Concilium Tridentinum *sess.25.cap.4.* pro huiusmodi casu concessit Episcopis, & Generalibus dictam facultatem reducendi Missas ad minorem numerum. Tum denique ex declaratione Sacræ Con-

gregationis in Responsione ad primum dubium circa prædicta decreta de celebratione Missarum. Ita Lezana : Vnde difficulter admitto multa, quæ circa præsentem difficultatem adducit noster P.Vidal post hæc scripta visus in *Arca Theol.Mor. tit. de Iust.Inquis.2. per tot.* Nam plura argumenta, quæ adducit, probant,Missas quidem ex iustitia reducendas esse ad minorem numerum ; sed non ex hoc sequitur, posse fieri sine Sacræ Congregationis licentia : Nam hoc iudicium ipsa potuit, & voluit sibi reseruare ex dignis motiuis,& rationibus. Ergo stante eius prohibitione, non est metaphysicandum circa verba decreti ; quod patet ex stylo Curiæ, & praxi Romana.

Sup. hoc supra cursim in fin.Res.2. & magis late in Res.7.

5. Nota tamen,quod per hoc decretum non censetur priuilegium reuocatum moderandi Missas, & anniuersaria à Testatoribus ante Tridentinũ relicta, quorum maximus est numerus:nam decretum Vrbani prohibet solam eam Missarum reductionem, quæ post Tridentinum acceptatæ fuerunt, vt optimè notatur in Florentina Synodo sub die 18.Maij 1627.§. *de Missar. celebrat.* & satis declarant illa verba : aut post Concilium imposito. Secundò non videtur per hoc decretum derogarum Episcopis , quin possint moderari Missas alicui Ecclesiæ relictas;nondum tamen ob tenuitatem eleemosynæ ab eadem Ecclesia acceptatas : nam decretum hoc loquitur manifestè de oneribus Missarum impositis.Non est autem onus impositum,nisi post acceptationem:& intentio eiusdem sola est, vt numerus Missarum relictus, & acceptatus adimpleatur. Quare ante acceptationem, non abstulit Episcopis facultatem,quæ illis de iure communi competebat,alterandi,& moderandi eas Missas. Et ita ex Marchino , me etiam citato tenet P. Lugo *vbi suprà num.94. & 96.*

Sup. hoc in Res.2. not. præteritæ ad medium , à vers. deinde, & cum eodẽ Marchino hic citato , infra in Res. 14. §.Deinde , paulo post initium à Vers. Ideo non obstante.

6. Sed ego hanc sententiam olim docui sub censura , & nunc prorsus puto , resolutionem præsentis dubij expectandam ab Oraculo Sacræ Congregationis ; licet Pellizzarius *tom.2.tract.6.cap.3.n.16.* & P. Tamburinus *loc.cit.n.9.* putet, non esse improbabile, quod Episcopis liceat moderari Missas alicui Ecclesiæ, siue ante , siue post Tridentinum relictas , nondum tamen siue ob tenuitatem eleemosynæ, siue ob aliam causam ab eadem Ecclesia acceptatas.

RESOL. XIV.

An in aliquo casu Prælatus Regularis,& quilibet alius Sacerdos priuata authoritate possit minuere numerum Missarum , non obstante Decreto Vrbani VIII. de Celebratione Missarum ?

Et docetur,quod quando intelligentia verborum alicuius Decreti habet aliquam difficultatem , standum est consuetudini quæ est optima legum interpres.

Idem est dicendum de legibus,& statutis. Ex p.10.tt.14. & Miscell.4. Res.40. aliàs 38.

Sup. hoc lege doctrinã duarum præteritarũ Resolutionum.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Pater Vidal,*in Arca Theol.Mor. tit.de Iustitia Inquisit.2. per totam, vbi n.5.* firmat,quod possit Superior Regularis minuere numerum Missarum ad ratam eleemosynæ debitæ iuxta taxam : si tamen non voluntariè neque sponte acceptauerit numerum illum Missarum cum paruo,& tenui stipendio minori taxato (vt supponitur non fuisse,) Nec obstat Decretum Congregationis,quod neque Episcopi possint onera Missarum moderare,reducendo illas ad minorem numerum , sed habeatur recursus ad Sedem Apostolicam , quando datur aliqua necessitas : ergo multò minus poterit hic & nunc quisquam alius minuere numerum Missarum ; ergo falsa opinio. Respondetur Primò:Ibi Decretum loqui,vt clarè colligitur ex verbis ipsius,de moderatione illarum Missarum,quæ propter grauia onera adimpleri non possunt , quod non verificatur in casu nostro : ideò. Secundò dici potest , ibi Decretum loqui de moderatione illarum Missarum , quæ spontè cum tenui eleemosyna acceptæ fuerunt , quod non militat in præsenti nostro casu : ergo. Tertiò, quod alicui debetur ex Iustitia, non potest auferri eo inuito ; sed iustum stipendium debetur celebranti ex iustitia ; ergo ipso inuito non potest auferri , quod ita non esset,si non posset minuere numerum Missarum,neque in conscientia quis tenetur habere recursum ad Sedem Apostolicam, quando clarè cognoscit ex Iustitia sibi deberi iustum stipendium pro Missa celebranda iam acceptis: cum ex iustitia tantum teneatur celebrare illum numerum Missarum, cui correspondet iustum stipendium:ergo nihil facit contra nostram opinionem tale Sanctissimum Decretum , quod insuper loquitur de diminutione Missarum authoritatiuè,& per dispensationem, non verò ex æquitate,& iustitia,vt currit in casu nostro, quæ non patitur, vt Sacerdos gratis sacrificet : ideò in hoc non est necessaria Papæ facultas.

2. Nec obstat Secundò : Idem Decretum præcipit,vt absolutè tot Missæ celebrentur,quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerunt, etiamsi stipendia sint incongrua ; & exigua : ergo, &c.Respondetur pro tunc ibi loqui S.Congregationem de Missis acceptis spontè,& liberè cum incongrua,& exigua eleemosyna ; non verò de Missis acceptis inuoluntariè cum exigua eleemosyna: nam neque etiam S.Congregatio potest cogere aliquem, vt cedat iniustè iuri suo , quod habet supra iustum stipendium pro Missa celebranda, vt militat in præsenti nostro casu:vnde promissio celebrandi tot Missas, videtur regulanda ex congruitate iusti stipendij, quod dum variatur cursu temporis,variari etiam debet numerus Missarum, vt inter contrahentes seruetur æqualitas, & iustitia : ergo, &c.

Sup. hoc in hoc [illegible] meliorem [illegible] Ideo [illegible] & in [illegible] eius [illegible]

3, Deinde addit idem P.Vidal , *num.25.* quod quicquid affirmatur de Superiore Regularium, vt possit diminuere numerum Missarum , quando cursu temporis , vel augetur stipendium , vel diminuitur pecunia , verificari etiam data paritate, & proportione de quolibet Sacerdote,qui possit variare numerum Missarum mutatione stipendij ab initio assignati, vel diminutione pecuniæ sine suo consensu, & permissione, cùm ab initio promissio, & obligatio fuerit celebrandi tot Missas,quot erunt eleemosynæ correspondentes iuxta taxam eleemosynæ consuetæ, & congruæ in illo tempore, in quo actualiter Missæ celebrantur : Ideò non obstante Decreto S.Congregationis dicendum est, posse nunc Episcopos, & Superiores Religionum moderari Missas relictas alicui Ecclesiæ,nondum tamẽ ob incongruam, & tenuem eleemosynam acceptatas , quoniam Decretum illud loquitur apertè de oneribus Missarum impositis : at non censetur onus impositum , nisi post acceptationem , & intentio prædicti Decreti tantùm fuit , vt adimpleatur ille numerus Missarum relictus , & spontè acceptatus : ideò ante acceptationem non abstulit ab Episcopis , & ab aliis Superioribus facultatem illam : quæ de iure communi, vel speciali per Priuilegia conueniebat alterandi, & moderandi eas Missas iuxta stipendium statutum,& consuetum: Ita sentit Marchinus, *de Sacram. Ordinis, tract.3. part.2. cap.19.n.32.* cum multis viris doctis consuetis,vt ipse testatur. Ideò etiam modò possunt Decretum S.Congregationis, *de Missarum celebrat.* posse Sacerdotem licitè priuata authoritate ob stipendij tenuitatem numerum Missarum diminuere

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ad ratam eleemosynæ à lege, vel consuetudine præscriptæ; dummodò tamen non obstante tenui eleemosyna Sacerdos ille in acceptandis Missis spontè, & expresè non se obligauerit ad tot Missas celebrandas, quot præscriptæ fuerint ad rationem attributæ eleemosynæ, quamuis incongruæ, & exiguæ, quia tunc tenetur stare promissis iuxtà illud axioma: quod semel placuit, amplius displicere non debet. At si solùm acceptauerit eas tenues, & incongruas eleemosynas oblatas cum intentione, ac promissione adimplendi omnem iustam obligationem; ortam à recta ratione, & æquitate: tunc in tali casu licitè ad se indemnem seruandum, & ob tuendum suum legitimum ius, potest tot celebrare Missas, quot sufficiunt ad iustum stipendium constituendum; aliàs vellet quid iniustum ille, qui tenui eleemosyna totum Sacrificium sibi soli postularet, cùm intenderet sine causa priuare Sacerdotem suo legitimo iure, quod habet vt pro qualibet Missa tribuatur ei stipendium taxatum à legitima potestate; & hoc esset omninò contrà æquitatem, & iustitiam. Et hæc omnia asserit Pater Vidal, vbi plura ad ea firmanda ingeniosè excogitat.

4. Sed non carent aliqua difficultate; nam Decretum Sacræ Congregationis nullam adhibet distinctionem, sed absolutè omnem reductionem Missarum priuata auctoritate faciendam prohibet. Deinde etiamsi intelligentia verborum Decreti haberet aliquam difficultatem, standum esset consuetudini, quæ est optima Legum Interpres, vt patet *ex leg. Minime, ff. de legib. leg. si de interpretatione, ff. eod. tit. cap. Cum dilectus, de consuetud.* Syluan. *cons.* 88. *n.* 27. Tiraq. *de nobilit. cap.* 10. *n.* 9. Afflict. *Neapol. decis.* 166. *n.* 9. & *decis.* 173. *n.* 3. Menoch. *cons.* 32. *n.* 44. & *cons.* 390. *n.* 21. & *cons.* 577. *n.* 2. & 3. *vol.* 3. Mascard. *de probat. concl.* 1415. *n.* 10. Brunor. à Sole *in locis communib. verb. consuet.* 6. Cardos. *in praxi Iudicum, & Aduocat. eod. verb. num.* 3. Card. Pereira *in leg. Si curatorem, Cod. de in integr. restit. minor. verb. Contractum, n.* 29. Bellet. *disquisit. Cleric. part.* 1. *tit. de Clerico debitore, §.* 12. *num.* 27. Mendez à Castro *in praxi Lusit. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 12. Camill. Borell. *in Summa omnium decis. tit.* 14. *n.* 88. Cened. *pract. & canon. quæst. lib.* 1. *quæst.* 3. *n.* 11. Vndè stat uta è praxi, & obseruantia ipsorum, atque ita provt retro practicata, & obseruata fuerunt, interpretanda, & vel restringenda, vel extendenda veniunt. Guid. Papa, *decis. Gratianopol.* 30. *n.* 1. & 2. Petrus Heigius, *quæst.* 17 *n.* 44. *lib.* 2. Carolus de Grassis *de except. ad mater. statutor. except.* 3 *n.* 13. Aymo Crauetta *consil.* 735. *n.* 14. *part.* 4. Tiberius Decianus *respons.* 32. *n.* 17. *vol.* 2. Hartmannus Pistoris *quæst.* 16 *num.* 11. & *n.* 18. *lib.* 1. Sicut enim *de Legibus in leg.* 37. *ff. de legib.* pro regula traditur: Si de interpretatione legis quæratur, in primis inspiciendum esse, quo iure Ciuitas retro in eiusmodi casibus vsa fuerit, cùm optima legum interpres sit consuetudo. Ità quoque idem ad statuta transferendum, & accommodandũ erit. Vsque adeò, vt interpretatio statutorum è consuetudine, praxi, & obseruantia desumi debeat, etiamsi proprietas verborum Statuti repugnet. Ioan. de Amicis, *cons.* 42. *n.* 16. & 17. Ernet Dothmann. *resp.* 48. *n.* 24. *vol.* 4. Arderan. Mascard. *de general. Statut. interpret. conclus.* 2. *n.* 157. Sed postquam dictum Decretum emanauit, consuetudo, & obseruantia subsequens demonstrauit, reductionem Missarum hodie, non priuata authoritate, sed à Sacra Congregatione in quocunque casu faciendas esse, & ideò in facti contingentia ad illam omnes recurrunt. Quæ confirmantur ex stylo Curiæ, & Praxi Romana. Ergo, &c. Ideo ego, omnia; quæ à Patre Vidal, *vbi supra*, apposui; eidem Sacræ Congregationi determinanda relinquo.

RESOL. XV.

An in aliquo casu, non obstantibus Decretis Vrbani VIII. possit pecunia relicta pro Missis non inuestiri in bonis fructiferis?

Et aliqui casus in textu huius Resolutionis adducuntur pro praxi prædictæ difficultatis.

Et quæritur, an Regulares faciant contra præsentem prohibitionem, si recipiant onus celebrandi Missam quotidianam per centum annos absque implicatione pecuniæ ad talem effectum solutæ? Ex part. 10. tr. 16. & Miscell. 6. Ref. 72.

§. 1. DE hoc interrogatus à quibusdam Regularibus adducebant mihi Peyrinum *in Formulario littera A. cap.* 11. *n.* 2. vbi ait, posse ex dicta pecunia ædificari domum aliquam in vsum, & commodum ipsius Ecclesiæ, posse restaurari ipsam Ecclesiam, seu eius domum & habitationem, quando minatur ruinam, posse extingui censum aliquem, solui debitum, ac solitum singulis annis ab ipsa Ecclesia. Idem docet Bord. *in Curs. Reg. tom.* 1. *resolut.* 25. *n.* 44. *penes Tambur. vbi inf.* Sup. hoc infra lege doctrinã §. vlt. Ref. 21. & pro omni contento in hac Ref. in tom. 9. tr. 1. Ref. 219. ferè totam.

2. Sed ego tunc negatiuè sententiæ adhæsi, & quidem contra Peyrinum in specie, si domus ædificanda, seu restauranda deseruiat ad percipiendos annuos fructus, nempe vel per locationem ipsius domus, vel ob culturam alicuius agri, vbi debeant habitare coloni ad percipiendos agri fructus; licitum erit in hoc implicare eam pecuniam; quia sic verè redderet annuos fructus ad sustinendum onus Missarũ celebrandarum. Si autem domus non ad hoc deseruiat, sed tantùm ad habitationem, vel commoditatem eorundem Clericorum, seu Religiosorum inseruientium Ecclesiæ, id non erit licitum, quia hic non est fundus fructifer, nec similiter ad reparandam ipsam Ecclesiam. Nec demum potest talis pecunia implicari ad extinguendum censum: quia id esset potius extinguere debitum, quàm acquirere nouum fundum fructiferum. Hæc, inquam, non licent absque concessione Sedis Apostolicæ. Et hæc omnia docet Auersa *de Sacr. Euchar. quæst.* 11. *sect.* 18. cui ego addo Tambur. *opusc. de Sacr. Missa, lib.* 3. *cap.* 1. §. 6. *n.* 14. Pelliz. *in Man. Reg. tom.* 2. *tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 14.

3. Et quidem probatur hæc opinio ex natura implicationis, quæ importat acquisitionem nouorum fructuum ex re frugifera ab alio empta, quæ alias nõ erat propria emptoris, aut saltem fiat propria ratione fructuum: siquidem implicatio auget nouos fructus implicanti, quos antea non percipiebat: alioqui gigneret effectum contrarium, nempe onus absque nouo commodo, tum ex ipsis Decretis *de celebrat. Miss. §. præterea?* vbi decernitur, pecuniam datam pro oneribus Missarum inuestiendam esse in bonis immobilibus frugiferis; quod non euenit, nisi ex implicatione acquiratur ius luerandi nouos fructus. Ergo, &c.

4. Verùm Pellizzarius ex his *n.* 54. quærit, an regulares faciant contra præsentem prohibitionem, si recipiant onus celebrandi Missam quotidianam per centum annos absque implicatione pecuniæ ad talem effectum solutæ. Et respondet negatiuè cum sub præsentem prohibitionem cadant solum onera Missarum perpetua, quale non est onus celebrandi per centum annos, quamuis aliàs in fauorabilibus perpetuum dicatur tempus infra centum annos, & multò magis spatium centum annorum: quod item procedit in odiosis, in quibus perpetuum propriè significat tempus non habens certum finem, iuxta *leg. iurisperitos, ff. de excus. tutor.* Et hanc sententiam præter Pelliz.

tenet etiam Bord. *num.*27. Tambur.*num.*26. Lezana *in Summa tom.*4.*vers. Missæ,n.*27.

5. Verùm ego puto cum Auersa *loco citato*, quod quamuis ita sit ex vi decretorum : tamen ex debito ipsius rei,non esset integrum Clericis, aut Religiosis tunc residentibus in ea Ecclesia, vel Monasterio, expendere tunc, & insumere pecuniam suo commodo, & arbitrio, ac relinquere successoribus onus Missarum celebrandarum : sed oporteret ex hac parte ita implicare pecuniam,vt saltem pro toto tempore quo durabit onus, annuos fructus reddat. Quod etiam notabit Tamburinus, *vbi supra*.

RESOL. XVI.

An si Petrus reliquit centum aureos pro centum Missis in aliqua Ecclesia celebrandis, si augeatur stipendium Sacerdotibus, teneatur hæres,data capacitate hæreditatis, supplere illam eleemosynam? Ex part.2. tr.14 Resol.17.

Sup.hoc sup. in Resol. 12. §. vlt. sed lege eam à principio.

§. 1. Respondeo affirmatiuè, quia testator non reliquit pecuniam simpliciter pro eleemosyna soluenda,sed pro Missis celebrandis,& si præuidisset augmentum stipendij, non diminueret Missarum numerum, quia hæreditas eam esset suffectura. Ita Homobonus de Bonis *in exam.Eccl. part.*1. *tr.*4. *cap.*13.*q.*118. Riccius *in praxi p.*3.*resol.*364.*n.*1. Genuensis *in practicabilibus Eccles.tricen.*6.*q.*179. Barbosa *de potest.Episc.alleg.*29.*n.*7. & alij.

RESOL. XVII.

An Legatum Missarum transeat ad hæredes nominatim non designatos?

Ex quo sequitur Sacerdotem obtinentem Capellaniam, de cuius fundatione nullo modo constat, sed illud tantum certum est teneri ad celebrandũ quotidie in tali Ecclesia, vel Altari cum stipendio conuenienti : sequitur, inquam, supradictum Sacerdotem teneri applicare valorem Missarum pro Fundatore Capellaniæ. Ex p.9.tr.8.& Miscell.3.Resol.69.alias 68.

§. 1. Titius v.g. condidit testamentum, & instituit suos hæredes Franciscum,& Ioannem, postea in quodam Capitulo dicti testamenti, grauat infrascriptos hæredes soluere annuatim Ecclesiæ Matriti centum aureos, pro celebratione Missarum in subsidium animæ suæ : quæritur,an mortuo Francisco, & Ioanne,alij hæredes teneantur soluere dictum legatum? Et negatiuè respondet doctus Iurisconsultus Petr.Surd.*tom.*1.*cons.*123.*n.*17. vbi sic ait:Etsi legatum annuum relictum Ciuitati, vel Ecclesiæ, in perpetuum,duret vltra centum annos secundum opinionem Iasonis, & aliorum (quam reprobamus;) tamen illud non habet locum, quando onus imposuit in perpetuum infrascriptis hæredibus;quia cùm propter verbum,infrascriptis,onus extinguatur cum persona priorum hæredũ,facit Cotta mem.inc. hæredis in fi.Id quod multò magis vendicabit locum in præsenti facto,in quo præter dictam restrictionem,alibi testator in eadem parte testamenti loquitur de ipsis hæredibus ; quæ verba faciunt onus esse personale, propter dictionem,ipsis,quæ personalissima est, *l.generaliter in fin.de off.Præsid.* cum aliis apud Nattam *in cons.*163.*n.*8.Et licet appellatione hæredis veniat etiã hæres hæredis, tamen hoc fallit quando dictum est de ipsis hæredibus,ipse,est personalissima,vt dicit in terminis Bald.*in cons.*304. *vol.*5. vbi allegat dicto §. hæc verba. Et infert, quod prohibitio alienandi eo modo concepta,non producitur ad hæredẽ hæredis. Et hanc decisionẽ dicit mirabilem,& singularẽ Iason *in l.filiusfam.*§.*diui,n.*151.*ff.de leg.*1.vbi Ferdin.*n.*188. dicit corde tenendã.Ripa *n.*111.vbi idem dicit,quando dictum est de infrascriptis hæredibus, Socin Iunior *in cons.*144.*n.*14.*vol.*3. Natta *d.cons.*163.*n.*8. Alciatus *in cons.*424.*n.*3. Cagn.*in l.*2.*n.*46. *vers.*2 *principaliter*,*C.de pact.inter empt.& vend.*vbi ait idem esse in pronomine,*Hoc*. Cotta in d.memor. incip. Hæredis,in princip.Tiraq.*de retract.conuent.*§.1.*glos.*6.*n.*25. quia vbi est demonstratio personæ, dispensatio non transit in hæredem : *l.Seruus,in princip.ff.de statuliberis*. Roland.*in consil.*59.*n.*28.*& seq.vol.*3.Cephalus *consil.*352.*n.*27. *& seq.* Menoch.*cons.*82.*n.*158. Hæc omnia Surdus.

2. Sed contrariam sententiam tenuit Rota in vna Romanensis Vineæ die 20. Febr.1581. coram Cantuccij *in decis.diuers.Rotæ,p.*2.*decis.*140. vbi ita asserit:Nihilominus relicta ad pias causas nominatim ab vno hærede cẽsetur tacitè repetita ab eius substituto, & ab eo debentur.Ita Romanus *in Auth.Similiter in* 15.*Speciali,n.*65.*& in* 20. *speciali in fine,ante n.*79.*per text.in l.*3.§. *Lucius,ff.de alim.& cibar.l.quem text.ita intelligit*, ibi Bartolus in princip.post glossam, idem Bartolus in l.Mela,in princ.versic. Item quod relictũ nominatim,ff.eo tit.de alimentis,& cibat.lega.Romanos *cons.*388.*n.*5. Alexand. *in l.licet Imperat.n.*11. & ibi Iason,*n.*38. idem Alexand.*in l.Si duobus,*§.1.alias circa finem princip. vers.& idem videtur dicendum, & ibi Iason, *n.*14. *& 15.de leg.*1. idem Iason *in l.Si fundum*, §.*Stichum, n.*4.*ff.eod. tit.Socin.reg.*310.*n.*35. *propè fin.* Decius *cons.*182.*n.*2.*vers.& ad hoc etiam facit,& cons.*273.*n.*1. *ad fin.* Ruinus *cons.*116.*n.*3. & 4. *lib.*3.*& cons.*76.*sub n.*17.*lib.*5.Tiraq.*de priu.pia caus. priu.*36. Gratian.*cons.*5.*n.*24.*lib.*2. Andr.de Besen.*in repet.l.*1.*n.*228. *C.de Sacrosanct.Eccl.Moder.*Vinen. *de coniect.vlt.volunt.lib.*8.*tit.*2.*n.*16.& fuit resolutum coram R.P.D. Decano in vna Romanen. Fideicommissi,siue Legati,16.Ianuarij 1581.quæ resolutio fuit postea coram eodem confirmata 3.Martij eiusdem anni, & insuper allegatus text. in l.Lucius Titius ff. de fideicommiss.libert.

3. Non obstat Parisius *cons.*86.*n.*77.*lib.*2. concludens post Decium *cons.*273.*n.*1.*&* 2.quòd fauore piæ causæ substitutio facta in vno casu non debet extendi ad alium, quando substitutio piæ causæ fuit limitata ad certũ casum. Quia Decius loquitur in casu,in quo pia causa fuit vocata siue substituta principaliter in pœnam hæredis,& nõ pro salute animæ testatoris vel in casu,in quo si fieret extensio, resultaret absurdum, quod quis sine culpa priuaretur,& contra voluntatem testatoris, provt ipsemet Decius respondet *d.cons.*273.*col.vlt.vers.non obstant allegata,& vers.Sed ad allegata*. At secus in casu nostro,in quo Testator substituit pauperes pro anima sua, & sic consilio Decij facit pro hac parte. Hucusque Sacra Rota.

4. Vnde puto ab eius sententia non esse recedendũ, & sic interrogatus de casu proposito in hac resolutione affirmatiuè respondi:Tum quia piorum legatorum interpretationem, à mente, & voluntate legantium interpretandam esse præcipiunt viri excellentes iuris diuini, ac humani. Comitolus Responsorum Moralium *lib.*7. *q.*5.*n.*2. & quando ex casu superueniente colligitur præsumptio,quod si testator cogitasset,ita disposuisset,talis mens debet attendi per text.*in l.Tale pactum,in fin.& in l.Acutissimi,C.de fideicommiss.* iuncta Gloss.*& in l.generaliter, C.de Institutionib.*& *substitutionib.sub conditione factis*, Sylvest.*verb.Testamentum* 1.*q.vlt.concl.*8. Comitol.Responsorum Moralium, *lib.*7.*q.*8.*n.*4. Tum quia Testatoris voluntas dicitur

dicitur euidens, quando colligitur ex coniecturis, *l. licet Imperator, ff. de leg. 1. & leg. non ad ea de conditionibus & demonstrationib.* Abbas *consil. 68. 2. part.* Tum quia testatoris voluntas coniecturata idem operatur quod expressa, *l. Si seruus plurium*, §. *fin. de legat. 1.* præsertim quando illam interpretamur coniecturis non captiosis. Comitolus. *Responsorum Moralium, lib. 7. quæst. 13. n. 4.* post Syluestrum, Couarruuiam, & Nauarrum, ibidem citatos. Tum quia pium est, voluntatem Testatoris piè interpretari, Comitolus, responsorum moralium, *lib. 7. q. 14. n. 9.* Tum quia illa interpretatio semper facienda est, quæ fauet animæ. Constan. Roger. *de Iur. Interp vers. 8. Videamus, n. 2.* immò cum de fauore animæ agitur, verba latè semper sunt accipienda, vt notat Bartolus in *Authent. Sacramenta puberum, Cod. Si aduer. vend.* Galarat. *renuntiat. 23. num. 4.* Tum denique, quia cùm tractatur de commodo, & vtilitate animæ, recurrendum est ad verisimilem Testatoris voluntatem, quæ licet aperta non sit, est tamen omninò seruanda, *l. cum res in princ. ff. de leg. 1. l. Sicut cæteri. Cod. de testam.* Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib. 3. tit. 19. n. 1. & 2.* Vbi probat in testamento, si quid dubium, vel ambiguum scriptum sit, illud benignè interpretandum, & seruandum id, quod credibile est esse cogitatum: *l. cum in testamento ff. de rebus dub.* Baldus *in lege fin. in vlt. not. C. de hæred. inst.*

5. Vnde ex his dicendum est, & sequitur contra Marchinum, Sacerdotem obtinentem Capellaniam, de cuius fundatione nullo modo constat, sed illud tantum certum est teneri ad celebrandum quotidie in tali Ecclesia, vel in tali Altari cum stipendio conuenienti, sequitur inquam ex dictis, supra dictum Sacerdotem teneri applicare valorem Missarum pro Fundatore Capellaniæ. Et ita hanc sententiam ex omnibus superius adductis tenet Bariola, *consil. 14. per totum.* Vide etiam Syluium *in Resolut. Var. tom. 2. verb. Missa 4. in Responsa ad 1.*

Hoc in. tali Ref. 43 multis sic Ref. & seius pri. annot.

RESOL. XVIII.

Quando stipendium Missæ fuerit ab Episcopo taxatum vel à consuetudine, si petens Missam non det stipendium integrum & iustum, an potuerit Sacerdos ab vno, vel à diuersis tot parua huiusmodi stipendia accipere, quæ iustæ eleemosynæ æquiualeant, & vnum tantum pro omnibus illis Missæ Sacrificium offerre? Et quid, quando adsit expressa promissio de dicenda Missa pro illo paruo stipendio? Ex p. 2. tr. 14. Ref. 7.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam Rodriquez *in summ. tom. 4. c. 52. n. 4.* Corduba *lib. 1. q. 4. dub. 4.* Angles *in Flor. part. 1. q. de valore Missæ, art. 2. concl. 2. appen. 2.* Nugnus *in 3. p. tom. 1. q. 83. art. 1. dub. 9 concl. 2.* Fernandez *in exam. Theol. moral. part. 3. cap. 5. §. 9. n. 3.* Vasquez *in 3. p. tom. 3. disp. 234. cap. 3. num. 18.* Filliucius *tom. 1. tract. 5. c. 6. n. 188.* Scorzia *de sacrif. Miss. lib. 2. c. 10. n. 4.* Fraxinellus, & Suarez *vbi infra.* Et ratio est, quia iniusta est eius postulatio, qui pro tenui stipendio totum peteret sacerdotis obsequium, & cum ipsi sacerdoti manifesta iniuria fiat, meritò potest se indemnem seruare.

Sup. huc sup. ex Ref. 14. lege doctrinam & Nec obstat Ref. 16. & seq. ad medium, & Ideo etiam, & in fine Ref. 21.

2. Verum est, quòd Corduba, Homobonus de Bonis *in exam. eccles. part. 1. tract. 4. c. 13. quæst. 118.* & Fraxinellus *de oblig. sacerd. sect. 4. concl. 2. §. 2. n. 1.* limitant hanc sententiam, & dicunt, non procedere, quando adsit expressa promissio, de dicenda Missa pro illo paruo stipendio, alioquin virtus fidelitatis violaretur.

Hoc in. tali. nor. scribit & eidem §. in Ref. 6 medij

3. Sed hæc limitatio, vt bene obseruat Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 86. sect. 4.* stando in rigore, iustitiæ, non videtur necessaria, quia tali sacerdoti fit iniuria. Cogitur enim ob paupertatem inæquale stipendium acceptare. Potest ergo, non obstante priori pacto, se indemnem seruare, sicut famulus, aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, potest damnum suum resarcire, etiamsi in principio ob paupertatem coactus sit pacisci pro iniusto, & inæquali stipendio, & similiter, qui ob necessitatem cogitur triticum emere iniusto pretio, potest sine iniustitia, alia via, se indemnem seruare. Ita Suarez, & post illum noster Molfesius *tom. 1. tract. 3. cap. 17. n. 89.* qui citat Reginaldum, & Mirandam. Ita vsque modo in hoc casu probabiliter quis consulere poterat.

4. Sed nunc contrariam opinionem docent Illustrissimi Cardinales *in decreto*, §. 3. & antea docuerunt multi DD. quos citat, & sequitur Bonacina *de Sacr. disp. 4. q. vlt. punct. 7. §. 2. n. 8.* licèt pro sua opinione adducat aliquos authores, potiùs contrariam sententiam docentes.

RESOL. XIX.

An quando stipendium Missæ est aliquo in loco taxatum, & Sacerdos, qui nihil habet, vnde viuat, possit deinde ad iusti stipendij rationem Missas applicare? Ex p. 5. tr. 13. & Miscell. 1. Ref. 52.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Peyrinus *de priuil. tom. 3. c. 1. n. 26.* per ea, quæ ego ipse adduxi *in 1. p. tract. 14. resol. 7.* Neque, ait ille, huic opinioni videtur obstare decretum sacræ Congregationis de celebratione Missarum, §. 2. vbi Congregatio sub obtestatione diuini iudicij mandat, vt tot Missæ dicantur, quot fuerunt præscriptæ, quamuis recepta stipendia sint exigua, & incongrua. Nam debet intelligi, quando Sacerdos omninò voluntariè, non coactus paupertate, contentus fuit oblato stipendio, & expressè promisit se tot Missas integras dicturum; quo modo etiam limitauit Suarez, & tunc tenebitur magis ratione fidelitatis, & præcepti, quàm iustitiæ. Ita Peyrinus.

Quæ hic est Ref. antecedens, & infra lege doctrinã Ref. 1. post seq. & supra ex Ref. 14. vnde §. Nec obstat secundo, & §. seq. ad medium, à vers. Ideo etiam.

2. Sed contrariam sententiam ego docui *vbi sup.* nam dictum decretum absolutè loquitur, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; & verba decreti sunt ita clara, vt aliquam expositionem minimè admittant, & ita etiam sentiunt docti recentiores à me consulti.

RESOL. XX.

An Sacerdos, qui accipit stipendium ab aliquo pro Missa applicanda, teneatur ei applicare fructum ex opere operantis, & orationes, aliaque, quæ in Missa fiunt? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 80.

§. 1. FRequens & curiosus est casus, fortassè (amice Lector) non aliam, quàm affirmatiuam sententiam exspectabis. Sed negatiua opinio habetur in thesibus Theol. Collegij Romani Societ. IESV *lib. 8. n. 173.* & illam docet Coninck *de Sacram. q. 83. art. 1. dub. 10. n. 195.* & post illum doctus Hurtadus *de Sacram. disp. 3. de sacrificio Missæ, diffic. 8. in fine.* vbi sic ait: Obseruandum est celebrantem non teneri ad applicandum Sacrificium, nisi quoad fructum ex opere operato pro eo, à quo stipendium accipit, non verò quoad fructum ex opere operantis, nec alius exigitur nisi prior ille, aliàs Sacerdos non satisfaceret,

ret, quando ex malo fine celebrat. Ob eandemque rationem credimus non esse obligationem offerendi pro illo Orationes, aliaque quæ in Missa fiunt. Hæc ille quæ etiam docuit magis clarè *in disp. 4. dissic. 15.* Sed aliqui hanc opinionem non admittunt; nam si talis opinio esset vera, frustrà dantes stipendium pro Missis studium adhiberent ad inueniendos Sacerdotes optimæ vitæ ad illas dicendas, quod quidem consulunt Doctores communiter esse faciendum, vt patet apud Fagundez *pr. 1. lib. 3. c. 6. n. 22.* Nam obstante supradicta Hurtadi opinione, cùm celebrans Missam pro stipendio non teneatur applicare fructum ex opere operantis, neque orationes, aliásque Missæ actiones; idem esset pro stipem dantibus celebrare ad eorum intentionem tam malos, quàm bonos Sacerdotes. Sed hoc videtur absurdum, & contra praxim. Ergo, &c. Ideo tu cogita.

RESOL. XXI.

An Sacerdos recipiens exiguum stipendium ab aliquo pro Missa dicenda, teneatur totum fructum ei applicare stantibus Decretis Vrbani VIII.?

Et an pecunia relicta Monasterio cum onere perpetuo celebrandi Missas, implicari possit super bona Monasterij ipsius, assignando talem fundum, quod subsidet illi oneri, aut faciendo fabricam necessariam? Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Res. 71.

Sup hoc lege supra doctrinã Res. 18. & 19. & aliorum §§. earum notationum.

§. 1. NEgatiuam sententiam nominatim contra me docet Pater Tamburinus *opusc. de Sacr. Miss. l. 3. n. 53.* & ideò asserit; Sacerdotem, recipientem exiguam stipem pro Missa, non teneri totum fructum offerenti applicare, nec; si id faciat, teneri ad restitutionem quia non est credibile, voluisse sacram Cõgregationem fraudare Sacerdotes iusta mercede: Quando verò præcipit, vt stipendia, quantumuis incongrua, & exigua etiam data ab vna persona Missæ præscriptæ celebrentur, præcipit quidem, vt celebrentur Missæ ad eleemosynam præscriptam, sed iuxta tamen, seu rationem dictæ eleemosynæ, non verò ad merum arbitrium dantis.

2. Verùm ego non recedo à sententia, quam docui, quidquid asserat P. Tamburinus, & præter Cardinalem de Lugo, Auersam, & alios, illam nouissimè, me citato tenet Trullench. *de Sacr. lib. 3 c. 8. dub. 11. n. 8.* & me citato Bassæus *in Flor. v. Missa, 3. n. 10.* & me citato P. Franciscus Lugo *de Sacra. d. 5. cap. 12. q. 5. n. 44. 46. & 57.* in quibus asserit, stantibus apertis verbis decreti Pontificij, hanc omninò sententiam in praxi tenendam, & præter alias rationes, quas penes ipsum videbis, sic argumentatur, vel Sacerdos reperit alium, qui maius stipendium afferat pro Missa, vel nullum. Si reperit, cur non maius recipit, dimittens stipendia tenuiora? si non reperit, non debet iniustum reputare, quod ob raritatem offerentium stipes, & copiam Sacerdotum acceptantium, vel etiam quæritantium ita decrescit, vt debeat hic & nunc iustum existimari. Quod, si quando stipendia, præsertim antiqua mutatione temporum reddita sint iniusta simpliciter, recurrendum erit ad legitimum superiorem, vt Missæ reducantur ad numerum minorem. In aliquibus tamen casibus puto, admitti posse opinionẽ, quam contra me tenet P. Tamburinus, quando v. gr. Sacerdos id dantibus stipendia significat, vel illos monet de taxa iustæ mercedis, & sic ex ipsorum consensu Missas ad rationem talis taxæ reducit. Vel quando multi simul stipes alicui tribuunt, vel pro cunctis iuxta quantitatem ipsarum sacra faciat, vel in similibus casibus, nulla fit iniuria dantibus stipendia, si Sacerdos pro singulis Missis taxatam stipem recipiat. Ita Coninc. *q. 82. n. 194.* nec alij dissentient. Similiter, si Sacerdos rogatus dicere decem Missas, v. g. recepit inuolutam charta pecuniam, putans esse iustum stipendium, & postea reperit esse dimidiatũ, iustè posset ad ratam minuere numerum Missarum, illo monito, qui petiit Missas, vel etiam non monito, quoties ex iusta causa non potest. Vnde hæc omnia non esse contra decreta Cardinaliũ, quæ planè non loquuntur in his casibus, docet & meritò P. Lugo *vbi sup. n. 51.*

3. Sed hic obiter quæro, An pecunia relicta Monasterio cum onere perpetuo celebrandi Missam, implicari possit super bona ipsius Monasterij exempta à simili onere, assignando talem fundum Monasterij, quod subsidet illi oneri, aut faciendo fabricam necessariam. Et affirmatiuam sententiam tenet Laurentius *de Peyrinis in formul. lit. A, c. 11. n. 2.* Sed ego prorsus contrariæ sententiæ adhæreo, tum ex natura implicationis, quæ importat acquisitionem nouorum fructuum ex re frugifera ab alio empta, quæ aliàs non erit propria emptoris, aut saltem fiat propria ratione fructuum, siquidem implicatio auget nouos fructus implicanti, quos antea non percipiebat: alioqui gigneret effectum contrarium, nempe onus absque nouo commodo; Tum ex ipsis decretis *de celebr. Miss. §. præterea:* vbi decernitur, pecuniam datam pro oneribus Missarum, inuestiendam esse in bonis immobilibus frugiferis; quod non euenit nisi ex implicatione acquiratur ius lucrandi nouos fructus. Et ita hanc sententiam ex Bordono tenet Pellizzarius *in Man. tom. 2. tr. 6. c. 3. n. 60.* cui ego addo Lezanam *in Summa Quæst. Regul. tom. 4. ver. Missa, n. 3.* & Tamburinus *opusc. de Sacram. Missæ, lib. 3. cap. 1. §. 6. n. 9.*

RESOL. XXII.

De taxa Missarum. Pro quo discutitur, an Sacerdos pauper quando singulis diebus celebrat, possit à quibuscumque Missas offerentibus eleemosynas, aut stipendia accipere etiam super taxam determinatam ab Episcopo, vt habeat pro victu moderato, veste decenti, &c.? Ex p. 11. tr. 1. & Misc. 1. Res. 24.

§. 1. IOannes Caramuël *fundament. 59. §. 2. n. 1250.* sic asserit, videtur aliquibus locis Diana summa inconsequentia laborare. Ego hoc dubium propono. Sunt qui dicant Sacerdotem pauperem, modò singulis diebus celebret, posse à quibuscumque Missas offerentibus, eleemosynas, aut stipendia accipere, etiã supra taxam determinatam ab Episcopo, vt habeat pro victu moderato, veste decenti, & domo congrua, pro emendis libris, conuenientibus professioni suæ, videlicet spiritualibus, moralibus, canonicis, Theologisve, quod ipsum nonnulli ad alios eorum casus extendunt. Vide Dianam *part. 2. tr. 14. resol. 8.*

2. Sunt qui dicant Notarios, Commissarios, & cæteros iustitiæ ministros, si stipendia ipsi à lege statuta non sufficiant ad honestè viuendum posse supra taxam accipere quantùm modestia, & prudentia requirat. Vide Dianam *part. 2. tract. 17. resol. 60.*

3. At Diana ex his duabus sententiis priorem negat, posteriorem admittit, cùm tamen videatur consequentia doctrinæ postulare, vt admittatur vtraque, vel reijciatur vtraque; nam disparitatem non percipio. Hucusque Caramuël.

4. Sed puto, Dianam rectè priorem sententiam negare & admittere secundam, non enim est par ratio inter vtramque.

5. Et quoad primam patet ex aperta & rotunda declaratione Cardinalium; Vnde ad demonstrandam etiam

etiam ex rationibus disparitatem rationis inter has duas sententias,& quòd non possit quis philosophari ex secunda ad primam, apponam hîc verba doctissimi Patris Dicastilli,qui me citato,*de Sacram.tom.*1. *tract.*5.*disp.*4.*dub.*19.*n.*339. sic asserit.

6. Asserendum est,Sacerdotes pauperes non posse pro vna Missa accipere, nisi vnicum stipendium, illud videlicet, quod lege, aut communi æstimatione, aut consuetudine taxatum est,*vt seq. dubit.*

7. Probatur efficaciter hæc sententia. Primò,quia (quicquid fuerit olim,& ex natura rei, de quo mox dicam) iam sacra Cardinalium Congregatio in decretis § 3. Teste Diana supra, sub obtestatione diuini iudicij mandat ac præcipit, vt absolutè tot Missæ à Sacerdotibus celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint? ita vt ij, ad quos pertinent,suæ obligationi non satisfaciant aliter, quinimmò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur. Quia verò intellexi non deesse aliquem qui ab illa lege seu decreto dicat excipiendos esse pauperes, & non credendum voluisse illos comprehendere,esset enim contra ius naturæ,aut naturalem pietatem & æquitatem illos comprehendere; oportet etiam hæc ratione probare quòd alij fecerunt, antequam lex citata consideretur. Probatur ergo secundò ratione ex natura rei,quia qui accipit pro ministerio plus quàm iustum stipendium commensuratum ad suam sustentationem per ordinem ad ministeria, quibus sustentari potest, non minus peccat *contra iustitiam*, quàm venditor, qui vendit rem vltra *iustum* pretium, aut mercenarius qui exigit vltra mercedem, vel miles vltra stipendium; sed prædicti peccant contra iustitiam, ergo & ille.

8. Nec refert, quòd Sacerdos sit pauper, nec enim potest ob paupertatem, secluſa extrema necessitate (de qua nunc non agimus) quidquam accipere inuito Domino vltra stipendium iustum; sicut nec venditor ob similem paupertatem potest quicquam accipere vltra iustum pretium, nec mercenarius vltra mercedem, nec miles vltra stipendium.

9. Respondent aliqui, stipendium debere assignari per ordinem ad sustentationem personæ; Sed persona pauper non potest illo stipendio communi sustentari. Ergo maius stipendium poterit accipere.

10. Contra hoc tamen est primò,quia si respectu Sacerdotis pauperis illud commune stipendium non est æquale & iustum, quia non sufficit ad integram sustentationem; eodem modo non erit æquale & iustum respectu sustentationis diuitis. quia etiam diuiti debetur sustentatio, atque adeò etiam diues poterit vltra accipere.

11. Secundò quia quamuis stipendium ministrorum Ecclesiæ assignandum sit per ordinem ad sustentationem personæ, non debetur integra sustentatio pro vno tantùm ministerio, sed pro omnibus, quibus possunt occupari tales ministri; Missa autem non est integra diei occupatio,sed vnius horæ; vnde rectè Vasquez suprà contra Sotum,& Canum posteà referendos,probat, pro officio Missæ non deberi Sacerdoti stipendium sufficiens ad victum totius diei, sed tantùm ad partem victus, quia quamuis dignus sit operarius Euangelij mercede sua pro victu & sustentatione; non tamen omnes eodem modo. Nam si is,qui toto die in Ecclesiastico ministerio legendo, studendo, docendo, ministrando Sacramenta, &c. occupatur, aut toto die ad hæc, aut ad alia ministeria, prout occurrerit occasio obligatus existit (qua ratione obligatur Parochus) nihil amplius meretur, quàm moderatum victum, & vestitum suum,aut familiæ, quo pacto quæso tantumdem etiam mereri poterit, qui vna tantum hora totius diei in celebratione Missæ occupatur? quo solo ministerio non impeditur Clericus, quò minus possit alia honesta via aliquid lucrari ad vitam sustentandam, vt habetur *cap.Clericus victum* 91. *dist.* atque hac ratione taxantur ab Ecclesia stipendia per ordinem ad laborem, & occupationem ministerij. Vnde maius stipendium taxatur pro solemni Missa quàm pro priuata,& aliud stipendium assignatur pro funere, aliud verò pro Vigilia, seu nocturno officij, & sic de aliis: Signum ergo est quodlibet horum esse veluti inadæquatum ministerium, cui non integra debetur sustentatio,sed commensurata, & partialis.

12. Dicet tam aliquis: non est cogendus Sacerdos pauper mendicare, aut alio indecenti modo victum,vestitum, & habitationem quærere,vt patet ex Tridentino *sess.*22.*c.*2.*de reform.*

13. Respondetur, si pauper est: fideles ex misericordia, aut charitate debere illi subuenire; ipsum tamen non posse res alienas vsurpare,secluſa extrema necessitate, & ne cogatur mendicare ad Episcopum potius pertinet vel eum non ordinare, vel de necessariis prouidere.

14. Dicet adhuc; in necessitate accipere duplicata stipendia non esse intrinsecè contra iustitiam;aliàs non possent Episcopi,nec Pontifex numerum Missarum in Capellaniis, aut in aliis piis legatis imminuere; quod est omninò falsum,& contra decretum Tridentini *sess.*25.*c.*4.*de reformat.*

15. Respondetur,nec Episcopos,nec Pontificem posse id facere ex mera sua voluntate; posse tamen per interpretationem voluntatis institutoris, vel per dispensationem cum causa iusta; & rationabili, ex quo potius sequitur. Sacerdotes non posse sua auctoritate pluſquam commune stipendium accipere, cùm ad proportionandum,& commensurandum stipendium cum ministerio & onere, quando stipendium videtur minus & inæquale,authoritas superioris debeat intercedere.

16. Propter prædictas rationes aliqui viri docti nostræ Societatis,etiam ante decretum citatum, cum aliis putabant de hac re consulti oppositum nostræ assertionis, non esse practicè probabile, & sanè mihi parum, aut nihil probabilitatis habere videtur opinio,quæ asserit, Sacerdotes pauperes posse duplicata stipendia accipere pro vna Missa ad suæ personæ sustentationem, vel etiam ei seruientis, aut familiæ, quando vnicum stipendium ad id non sufficit,sistendo in terminis iuris naturalis. Et hæc omnia docet Dicastillus *vbi suprà.*

17. Dico igitur, iustum vnius Missæ stipendium non esse ex quantitate necessaria ad quotidianum victum desumendum, sed ex quantitate laboris impensi in fauorem illius, qui stipem concessit. Cùm ergo semihoræ labor & occupatio sufficienter tertia parte sustentationis illius diei compensari videatur,nullatenus integra illius diei sustentatio expostulari potest; quod optimè confirmatur, tum ex communi vsu, & æstimatione fidelium, & plurium diœcesum legibus taxantibus stipem congruæ vnius diei sustentationis insufficientem, quæ leges,& consuetudines non sunt dicendæ iniustæ, tum ex eo quod pro Missa solemni abundantior stipes exigitur,quàm pro priuata,& pro Missa tali tempore,& hora recitanda,quàm pro Missa illis circunstantiis carente, & pro duabus Missis vna die recitatis, quàm pro vnica, quòd licitum non esset,si pro qualibet Missa integra illius diei sustentatio concedi deberet. Neque obstat proprium Sacerdotis munus esse sacrificium offerre, inde enim solum infertur præcipuam illius diei sustentationem ob sacrificium

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ficium colligendam esse, an nullatenus infertur adæquata colligi debere: cum plura alia sint munera Sacerdotis, ex quibus sustentatio peti potest. Quod si occasio ea munera exercendi non se offert, non ideò petens Missam defectum supplere debet, alias si à sacrificando impeditus esset sacerdos, vel si esset expeditus non inueniret qui sacrificium concessa stipe expostularet, posset ab eo, cui pœnitentiæ, vel Eucharistiæ Sacramentum ministrat, sustentationem illius diei integram exigere, quod nemo concedet: signum ergo est Sacerdotem altari seruientem de altari viuere debere pro quantitate obsequij impensi, ac proinde non integrum vnius diei victum pro vno sacrificio expostulare posset, sed ad summum partem illius præcipuam.

18. Vnde ex his omnibus apparet, me olim rectè dixisse non posse Sacerdotem pauperem accipere plura stipendia pro vna Missa, ratione sustentationis diurnæ.

19. Nec obstat alia opinio, quam docui, & adducit Caramuel contra me, nempè Notarios posse accipere maiora stipendia pro sustentatione diurna, nam, vt dicta *resol.* 60. *tract.* 17. apparet, ego loquutus sum, quando pro varietate temporum taxa Notariorum effecta sit iniusta; tunc enim procederet illa opinio Molinæ, & aliorum, & non aliter, quod non procedit in casu missæ, in quo supponimus taxam esse iustam, & quæ quidem non debetur, neque taxatur in ordine ad diurnam sustentationem: Ergo est dispar ratio contra Caramuelem inter vtrumque casum, nec benè, & licitè potest inferri consequentia ex casu à me adducto de taxa Notariorum ad taxam Sacerdotum pro Missa dicenda.

Quæ hic est in to. 8. tr. 4. Resolutiã 60.

RESOL. XXIII.

Virum Sacerdos pauper possit pro vna Missa accipere tot stipendia, quot sufficiant ad eius diurnam sustentationem?

Et an talis Sacerdos possit accipere id, quod necessarium est ad sustentandum Patrem, & Matrem, quando sunt constituti in tali necessitate, quod non possint sustentari nisi mendicando? Ex part. 2. tr. 14. Res. 8.

Sup. hoc in Res. præterita, sed lege infra doctrinam §. Item. Res. 41. & cũ aliis paucis DD. in Res. 46. signanter in §. Itaque. nõ ante medium, à vers. Vnde aliqui, & in tom. 4. tract 7. Vide obiectionem Caramuelis in §. Progredior. Res. 51. & lege eam per totam.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam probabilem putauit Ioan. de la Cruz *in direct. conse. part. 2 de sacrif. Missæ, q. 1. dub. 7.* Ledesma *in sum. part. 1. de Sacram. Euchar. cap. 18. concl. 8.* Molfesius *in summ. tom. 1. tr. 3. c. 16. n. 17.* & illam absolutè docent, & sustinent Sotus *de iustit. lib. 9. q. 3. art. 1. & in 4. dist. 15. q. 2. art. 1.* Canus *de loc. Theol. lib. 12. c. 13. ad 10. argum.* Beia *part. 1. cas. 12.* D. Montagnolus *cap. 26.* Angelus *verb. Missa, n. 52.* Rodriquez *in sum. tom. 1. c. 251. n. 4. & tom. 4. cap. 52. n. 5.* Fernandez *in exam. Theol. moral. part. 3. c. 5. §. 8. n. 3.* qui citant Honcalam, & Tabienam, Petrus de Aragon. *in 2. 2. q. 85. art. 3. §. his tamen non obstantibus,* & nouissimè Didac. Nugnus *in 3. p. tom. 1. q. 83. art. 1. dub. 10. concl. 4.* Debet tamen talis Sacerdos celebrare quotidie si potest, deinde debet esse contentus victu moderato, domo humili, veste trita, licèt decenti, & quòd seruiat illi persona stipendij. Aliqui volunt, quòd possit etiam accipere ad emendos aliquos libros, si ille Theologus, vel Iurista sit, & libri illi sint necessarij ad exercenda aliqua ministeria spiritualia, si conueniens est, & vtile Ecclesiæ, quòd talis Sacerdos exerceat illa ministeria.

2. Deinde, secundùm aliquos potest etiam talis Sacerdos accipere id quod necessarium est ad sustentandum patrem, & matrem, quando sunt constituti in tali necessitate, quòd non possint sustentari, nisi mendicando. Quia sicut non decet Sacerdotem mendicare; ita non decet patrem, & matrem illius, hoc facere: tenetur enim Sacerdos illos domi habere, & necessaria ad victum tribuere. Hæc ferè omnia Nugnus *vbi sup.* & ante illum, sapientissimus Magister Orellana apud Vegam *in summ. tom. 2. cap. 41. cas. 1.* & ipse Vega.

3. Sed hæc opinio modò corruit. Nam sacra Congregatio *in decretis* §. 3. sub obtestatione diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ à Sacerdotibus celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Ita vt ij ad quos pertinent suæ obligationi non satisfaciant; quinimò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

4. Etiam hanc sententiam priùs communiter docuerunt DD. Pitigianus *in 4. sent. tom. 1. dissit. 13. q. 1. art. 6. in fine.* Filliuc. *tom. 1. tract. 5. cap. 6. n. 188.* Ioan. de la Cruz, Ledesma, Molfesius *vbi sup.* Naldus, *verb. Capellania, n. 11.* Miranda *tom. 1. q. 41. art. 23. concl. 1.* Lessius *lib. 2. c. 24. dub. 5. n. 28.* Nauarr. *c. 25. n. 92.* Polseuinus *de offic. Curs. c. 2. n. 24.* Fraxinellus *oblig. sacer. sect. 4. concl. 2. §. 3.* Azor. *part. 3. lib. 12. c. 6. q. 1.* Suar. *to. 3. p. tom. 3. disp. 88. sect. 4.* Vasq. *in 3. p. tom. 3. disp. 234. c. 2.* & alij penes ipsos; nam Sacrificium Missæ non est institutum ad sustentandam Sacerdotis vitam, quia Sacerdos promoueri nequit, nisi habeat patrimonij sufficiens, vt patet *ex cap. non licet, &c. Episcopus, de præbend.* Ergo, &c. Deinde, non est iustum, vt Sacerdos, qui operam suam locat tantummodo ad semihoram, in qua totum Missæ sacrificium absoluit, exigat integrum cibum diurnum, cùm tantùm pti semihoram laboret.

RESOL. XXIV.

An qui ignoranter, vel cum aliqua opinione sibi probabili celebrauit contra Decretum de celebratione Missarum, teneatur reficere Missam, aut stipendia restituere?

Et notatur, quod in casu prohibito per Sacram Congregationem non erit peccatum mortale, sed tantum veniale, & absque obligatione restitutionis retinere sibi partem stipendij.

Et quid, si talis decipiat alterum Sacerdotem dicendo se non accepisse nisi dimidiata stipendia? Ex part. 3. tr. 7. & Miscell. Res. 75.

§. 1. NEgatiuè respondet Bordonus *in consil. Regul. resol. 25. q. 13. n. 22.* Tum, quia obligatio restituendi oritur ex formali læsione iustitiæ, vt omnes docent; sed hic nulla est huius generis læsio, ergo ad nihil tenetur. Minor suaderur, quia sic celebrans bona fide, vel ex opinione, intendit satisfacere, & prudèter credit, cùm agat ex opinione; ergo quantum est ex parte sua, non peccauit, consequenter ad nihil tenetur, quia obligatio restitutionis supponit culpam saltem venialé, imò quidam requirunt mortiferam cum Sanchez *lib. 2. c. 23. n. 160.* quarum vtraque cùm absit, dicendum est, non adesse obligationem restituendi. Tum quia vbi non est culpa, vt in casu nostro, cùm egerit bona fide, & ex opinione probabili, quæ excusant à mortali. Nauar. *consil. 4. de vsur. n. 4.* per *cap. Capellanus ad restitutionem.* Tum quia stante dicta opinione satisfecit; ergo ad nihil tenetur. Tum quia ad hoc vt quis teneatur ad restitutionẽ, necesse est, vt adsit formalis violatio iustitiæ, id est, vt sciat se lædere tertiũ, Megal. 1. 2. *lib. 2. c. 1. 3 1. n. 31.* ergo cùm hic ignorauerit huiusmodi læsionem, ad restitutionem non tenetur. Verum quidé est, quòd charitas eum cogit ad orandum pro iis, à quibus stipendia recepit.

cepit. Neque dicas, possessorem bonæ fidei teneri de eo, quo factus fuit, ditior, postquam deuenit in malam fidem ; quia iste Sacerdos in nullo fuit factus ditior, siquidem illa stipendia respondent labori, & occupationi in celebrando, præterquam quòd illa regula non habet locum in onerosis, neque Sacerdos censetur factus ditior, ita quòd ea regula hîc nulla ratione locum habet. Hucusque Bordonus.

2. Sed nouissimè aduersus illum insurgit Raphaël Auersa *de sacram. Euchar. q.11. sect.17.* affirmatiuam sententiam docens, quia licèt in tali casu Sacerdos sic celebrans non teneatur ratione iniustæ acceptionis, tamen adhuc tenebitur ratione rei acceptæ. Sicut quandocumque quis bona fide accepit rem, quam putauit suam, vel putauit iusto titulo acquirere ; si postea deprehendit, rem non fuisse suam, aut non iusto titulo acquisitam, tenetur vtique restituere, seu satisfacere. Debebit ergo ille Sacerdos, cognita veritate, vel aliam Missam celebrare, & applicare, vel stipendium restituere. Intelligitur tamen, dummodò possit : alioqui si per impotentiam excusatur, ex hoc alio capite cessat interim obligatio.

Sup. hoc in dubius Ref. fin. & infra in fin. ref. 18. & sup. doctrina aliarum Ref. eius primæ not.

3. *Nota* tamen hîc etiam Bordonum *vbi sup. q.18. num.28.* docere quòd etiam in casu prohibito per sacram Congregationem, non foret peccatum mortale, sed tantùm veniale, & absque obligatione restitutionis, retinere sibi partem stipendij ; quia nec verba prohibitiua huius rei sunt ita grauia, nec materia ipsa adeò grauis, & hoc non intelligit solùm in vna, *aut* paucis Missis, sed absolutè absque limitatione. Quod tamen non est facilè admittendum, quinimò si quis recepit ab aliquo integra stipendia pro magno Missarum numero, & decipiat alterum Sacerdotem, dicendo se non accepisse nisi dimidiata, eumque hoc dolo inducat ad ea acceptanda, grauiter delinquet, & ad restitutionem obligabitur. Si tamen patefacta veritate, eum inducat, vt sciens, & volens consentiat ; potest quidem excusari, nec circa hoc extat difficultas. Et hæc omnia etiam contra Bordonum aduertit Auersa *loc. cit.*

RESOL. XXV.

An Sacerdos, qui eleemosynam accipit pro dicendis Missis, possit postea per alios satisfacere minori pitantia sine peccato, & onere restitutionis. Ex part. 2. tr. 14. Resol. 10.

Sup. hoc in Ref. præterea vltimo & in fine, & infra in Ref. 28. & pro doctrina communi mediorum §. 1. & huius Ref. & eius vers. dummodo, sup. infra §. Sed dices, huius Ref. & sup. in alia Ref. eius not.

§. 1. TRes præcipuas inuenio in hac materia DD. opiniones. Prima est Dominici Soto *lib. 1. de iust. q.3. art.1.* Rodriq. *in summ. tom. 1. c.243. n.12.* Suarez *in 3. p. q.83. art.6. disp.86. sect.3. vers. hac verò occasione*, & aliorum asserentium, Sacerdotem licitè id facere, nec ad aliquam restitutionem teneri ; dummodo ipse sit Curatus, aut eius populi curam habens : nam cùm talis Sacerdos, vt supponitur, iustum stipendium aliis concedat, nullii facit iniuriã, si ipse pro cura, onere, & sollicitudine reliquum sibi retineat.

2. Secunda opinio est Viguerij apud Bartholomæum ab Angelis *in exam. ordin. dial. 1. §.510.* Petri de Ledesma *in sum. tom. 1. de sacram. Eucharist. cap. 18. concl. 13.* qui citat Nauarr. Cordub. & Maiorem, Anton. Fernand. *in Exam. Theol. mor. p. 3. c. 5. §. 9. n. 6.* Petri de Aragon. *in 2.2. q.85. art.5. dub. vlt.* Lucij Ortiz, *in sum. c.16. n.76.* & aliorum asserentium, omnes Sacerdotes, tam habentes, quàm non habentes curam animarum, non posse aliis minora stipendia dare, & sibi aliquid retinere. Limitant tamen hanc sententiam, nisi ex lege, vel consuetudine, vel ex voluntate, saltem tacita commendantium, dantiumque maiora stipendia, fit ordinatum, atque receptum, vt aliqua pars illorum remaneat penes ipsos.

3. Tertia opinio, cui tanquam probabiliori adhærebam olim, est Gabrielis Vasquez *in 3. p. tom. 3. disp. 23. c. 4. n. 30.* Naldi *in summ. ver. Missa, n. 4.* Homoboni *de exam. Eccles. part. 1. tract. 8. c. 14. q. 131.* Fraxinelli *de oblig. Sacerd. sect. 3. prænot. 5. § 4. n. 1.* Emanuelis Sà *ver. Missa, n. 45.* & aliorum, qui docent opinionem affirmatiuam, etiam quoad omnes Sacerdotes, siue sint Curati, siue non, duabus tamen concurrentibus conditionibus.

4. Prima est, vt talia stipendia ipsi dentur Sacerdoti pro Missis ab eo celebrandis, vt sic ipse Sacerdos dominium dictorum stipendiorum acquisierit, & non sit simplex dispensator, vt Missarum dicendarũ curator. Secunda est, vt eam partem stipendij pinguioris alteri Sacerdoti præbeat, quæ sit iustum stipendium, lege, aut consuetudine præfinitum. Quibus suppositis, hæc sententia probatur, quia Sacerdos dominium accepti pinguioris stipendij, acquisiuit cum obligatione dicendi Missas pro alio : ergo, vt dominus, dato iusto stipendio, per alium Sacerdotem obligationem adimplendo, nullam iniustitiam committit. Confirmatur, nam Sacerdos, qui ex dato sibi pingui stipendio, mercedem iusti stipendij, pro Missa dicenda dat alteri, nulli infert iniuriam : non quidem alteri Sacerdoti celebraturo, quia datur ei iustum stipendium, neque illi pro quo celebranda est Missa, quia pro eo Missa offertur eiusdem valoris ex iusto stipẽdio, ac si ex pinguiori diceretur. Ergo licitè eam partem, iustũ stipendium excedentẽ sibi retinet.

Sup. hoc dispensatore late infra in Ref. 27. & Vide supra ad medium §. 1. huius Resol. vers. dummodo ipse.

5. Sed dices, licitum hoc etiam videtur illi Sacerdoti, qui stipendium accepit, vt curaret Missas dicere, nam etiam talis dispensator Missarum dat Sacerdotibus celebraturis iustum stipendium ; ergo nulla eis infertur iniuria, & iniustitia. Respondeo, negando consequentiam, infertur enim illis iniuria, non quia illis non tribuitur iustum stipendium, sed quia totum stipendium, quod ex voluntate donantis ad ipsos pertinebat, minimè datur. Ita olim circa præsentem quæstionem sentiebam.

6. Sed modò sacra Congregatio *in §.5.* contrarium determinat, sic enim ait sacra Congregatio, omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat. Vltra DD. citatos alios inuenies hanc quæstionem tractantes, qui sunt Riccius *in praxi, p. 2. resol. 363. n. 1. & 2.* Naldus *ver. Missa, n. 20.* Io. de la Cruz *in direct. consc. 1. 2. q. 1. dub. concl. 1.* Cenedus *in qq. Canonicis, q. 27. per totam.* Iterum Riccius *part. 3. resol. 309. per totam, n. 30.* Valerus *in differ. vtriusque fori, ver. Missa, differ. 1. per totam.* Rodriq. *in sum. tom. 4. c. 52. n. 2.* Filliucius *tom. 1. tract. 5. cap. 6. n. 186.* Molfesius *in sum. tom. 1. tr. 3. c. 16. n. 20.* Vega *in sum. tom. 2. c. 41. cas. 3.* Hieron Llamas *in 3. p. Methodi, c. 13. §. 18.* Guttierrez *lib. 1. can. qq. c. 29. num. 32.* Zanardus *in director. Theol. p. 1. tract. de Eucharist. c. 13. n. 7.* Syluius *in 3. p. q. 83. art. 1. quæritur 17. in fin.* & alij.

RESOL. XXVI.

An post Decreta Vrbani VIII. possit quis sine peccato celebrare per tertium retinendo sibi partem stipendij? Et quid si retenta fuerit maior pars stipendij? Ex p. 6. tr. 8. & Misc. 3. Resol. 10.

Sup. hoc in Resp. præteri-

§. 1. AFfirmatiuam sententiam tenet nouissimè Franciscus Bordonus *in Consiliis Regula-*

ta, & cum eodem Bordono hic citato in 1. vlt. Resol. 1. post præteritam, & infra in Resol. 28. & lege etiam doctrinam Resolutionum annotationū sequentium huius Resol.

rium resol. 25. n. 28. Quia Decretum Vrbani VIII. non damnat contrariam opinionem, sed eius vsum tantùm, cum in decreto, non constet de huiusmodi reprobatione, & ad hoc facere videntur dicta superius *sub quæst. 6.* Ergo ex hac prohibitione contra rem aliàs licitam non videtur inferēdum peccatum mortale. Tum quia decretum vtitur simplici verbo, *Prohibet*, quod ex se non magis inducit vnum quàm alterum peccatum; ergo aliundè deducendum est peccatum mortale, nempè ex grauitate materiæ, & voluntate Legislatoris obligandi ad mortale; vt de communiori docet Sanchez *lib. 6. à c. 4. n. 29.* Sed in casu nostro neutram reperitur; non intentio obligandi ad mortale, quia ista vbi non exprimitur, neq; sufficit vt tale propositum habuerit Papa, quia propositum in mente retentum nihil operatur; neque id colligitur ex contextu aliorum decretorum, ex quibus simul collatis potius colligitur oppositum, nam in Decreto §. *Deinde*, intendit obligare sub mortali cum obligatione restitutionis, vt tot celebrentur Missæ, quot sunt stipendia etiam congrua, ibi. *Sub obtestatione Diuini iudicij mandat, ac præcipit*; & infrà subdit, *suæ obligationi non satisfaciant, quinimò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Ecce quot verbis vrgentibus vtitur, & geminatis, quæ magnum mysterium indicant peccati mortalis cum restitutione: & ne quis dubitaret de his, expressit suam intentionem Sacra Congregatio; ergo si hoc idem voluisset in nostro præsenti casu, expressisset, *arg. l. vnic. §. Sin autem, C. de caduc. toll. l. si seruus, § Prætor ait, ver. Non dixit, ff. de acq. hæred.* Barbosa *lit. l. n. 32.* Neque pars stipendij est notabilis quantitas, cum sit minor pars retenta, quàm tradita, vt in casu supponitur; imò tradita etiam minori parte, & retenta maiori non videtur peccare mortaliter, quod est secundum probandum, quia non desumitur quantitas notabilis seu grauitas materiæ, neque ex Sacrificio, neque ex notabilitate respectiuè ad furtum, quod sit peccatum mortale ex notabili quantitate; suaderur illud primum, quia stipendium attenditur ratione laboris, seu potius oneris, & obligationis ciuilis, quam contrahit Sacerdos ad celebrandum, ergo ex hoc capite non fit contra grauem materiam; suadetur etiam secundum, quia notabilis quantitas ea censetur, in qua infertur graue damnum proximo, vt de communi tradit hanc Regulam Bonacin. *disp. 2. de restit. quæst. 8. part. 1. n. 7.* Sed in casu nostro nulli infertur damnum neque leue, non defuncto, cum illi æquè satisfiat, non Sacerdoti, cum voluntate non inuitus recipiat illam stipem congruentem secundum taxam. Deinde quando aliquis tradit stipem duplam, vel maiorem Sacerdoti amico, censetur potius donare excessum, quàm dare pro stipendio, quia solùm amici solent hoc liberalitatis signum monstrare, & magni viri suam vrbanitatem, quam non intendunt computare in stipendium taxatum. Vide aliquid apud Dianam *resol. 11. & 12. de celebrat. Miss.* Huc vsque Bordonus; sed ego hanc sententiam non admitto, *in p. 1. tract. 14. resol. 10.* & in loco paulò suprà citato non facio pro Bordono, nam loquor in casu quo stipendium pingue fuit datum, non solùm pro Missa celebranda, sed etiam intuitu personæ, quæ Missam celebrare debebat.

Sup. hoc in Resol. 2. not. seq. & in alio §. eius annot.

Quæ hic sūt infra resol. 29. & 30.

Quæ hic est Resol. antecedens.

Sed quid dicendum est de alio dubio, quando Sacerdos recipit stipendium pingue pro Missis dicendis à se, & reperit alium Sacerdotem, qui velit sponte dicere Missas illas pro multò minori stipe, an possit excessum retinere? Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Resol. 68.

§. 1. Affirmatiuè respondent aliqui, vt Pellizzarius *in Man. tom. 1. tract. 6. cap. 3. n. 23.* vbi sic ait: Addo quod si Religiosus electus in executorem testamenti curaret minori stipendio celebrari alibi Missas præscriptas à testatore, quam celebrentur in loco ipso testatoris: ideoque minorem pecuniæ summam insumeret in celebratione dictarum Missarum, tuta conscientia retinere posset residuum illud pecuniæ, quod item expendisset, si Missæ in loco testatoris celebratæ fuissent. Et hoc titulo industriæ ab eo adhibitæ in Missarum procurationem, ad quam industriam non tenebatur: proportionaliter, vt dicunt Doctores communiter eum, qui rem alienam vendit ex commissione illius, qui est dominus ipsius rei, si sua sponte illam transferat in alium locum, vbi carius venditur, acquirere excessum illum pretij, tanquam fructum suæ industriæ specialis, ad quam non tenebatur. Nec obstat declaratio sacræ Congregationis posita post decreta *de celebrat. Miss. §. ad meum*, vbi habetur, Sacerdotem, cui offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missæ, teneri integram illā eleemosynam tribuere Sacerdoti, cui Missam celebrandam committit, nec posse retinere vllam partem illius; si quidem declaratio expresè loquitur de Sacerdote suscipiente Missam à se celebrandam; non autem de Sacerdote, qui tanquam executor testamenti curat, vt Missæ præscriptæ in testamento ab aliis celebrentur; Religiosus autem in præsenti casu se habet hoc posteriori modo. Hæc omnia Pellizzarius, quem sequitur etiam P. Tamburinus *opusc. de Sacr. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 5. n. 16.*

2. Sed prorsus contrariam sententiam sustinendam esse puto, & audiui his diebus à fide dignissimo, hanc opinionem inter aliquas fuisse damnatam à sacra Congregatione Iudicis in Manuale P. Pellizzarij: Vnde meritò nostram sententiam docuit nouissimè P. Francisc. Lugo *de Sacr. lib. 5. c 12. q. 5. n. 50.* vbi ita asserit: Nota pariter illos qui petunt Missas, teneri communiter ex iustitia dare iustum stipendium, nisi Sacerdotes sponte contenti sint minori. Verùm etsi reperiant Sacerdotem, qui minùs acceptare velit, tenentur adhuc iustum, & integrum stipendium dare qui vel ex testamento, vel ex alia commissione grauantur curare certum Missarum numerum, intelligendo iuxta morem, & praxim loci. Quia defunctus, & quiuis alius, qui commisit Missas pro se dici, percipiet maiorem fructum ex quantitate simul eleemosynæ. Ita ille: cui adde Fagundez *p. 2. lib. 3. c. 10. n. 10.* & amicissimum, & doctissimum P. Auersam *de Sacr. Euchar. q. 11. sect. 7. §. tenentur etiam.* Non est igitur audiendus magis Pellizzarius, & Tamburinus.

2. Verùm quid dicendum in alio dubio, quando Sacerdos recipit stipendium pingue pro Missis à se dicendis, & reperit alium Sacerdotem, qui velit sponte dicere Missas illas pro multo minori stipe, an possit excessus retinere. Affirmatiuam sententiam ego olim docui, & docet nouissimè, me citato, Martinus de San. Ioseph *in Mon. Confessarior. tom. 1. lib. 1. n. 17. de Eucharistia, n. 8.* vbi sic ait: [Pero si los Sacerdotes, à quien repartio las Missas el Sacerdote, que se quiso exonerar de la carga dellas, voluntariamente, y por modo de donacion graciosa perdonassen al Sacerdote alguan parte del estipendio grueso, que auia recebido, o toda la demasia, me parece que se podra quedar iustamente con ello el que repartio las Missas,

RESOL. XXVII.

An detur casus post Decreta Vrbani VIII. in quo quis possit sibi retinere aliquid de stipendiis datis pro Missis dicendis?

Et in textu huius Resolutionis in exemplum huius quæstionis adducitur specialis, & curiosus casus.

Missas, porque aqui no ay negociacion, ni ganancia, que es lo que quiso quittar la sacra Congregacion, solamente interueniente el titulo de mera, y pura donacion: porque assi como la prohibicion Apostolica no se estiende à los Sacerdotes, que quieren celebrar graciosamente, assi tampoco à los, que libre, y graciosamente perdonad la parte del estipendio que les pareciere.] Ita ille; Cui adde, præter Auersam, Fraxinellum, me citato Lezanam, *verb. Missa n.35.* & me citato Pellizzarium *vbi suprà n.14.*

3. Itaque sicut potest Sacerdos gratis celebrare pro alio, condonans illi totum stipendium Missæ, sic vtique potest condonare partem, nec hoc prohiberi supradictis decretis, quæ non tollunt exercitium misericordiæ, vel liberalitatis, vt neque tolluntur per taxam Missarum.

4. Verùm licet hæc opinio speculatiuè loquendo probabilis sit, tamen in praxi vel nunquam, vel nimis circumspectè reducendam esse puto, nam vt rectè obseruant vterque Lugo Ioannes, & Franciscus, ille *de sacr. Euchar. disp. 21. n. 32.* hic *lib. 3. c. 12. q. 7. n. 74.* prudenter timeri potest, ne celebrans non omninò liberè, seu liberaliter acceptet onus dicendi Missas, & remittat stipendij partem, præsertim si sit pauper, & egens, & non amicissimus commendanti, sed potius ex aliquo metu cedat iuri suo. Quia forsan alioqui non darentur sibi tales Missæ, vel in futurum aliæ non dabuntur, vel quid simile veretur. Et ideò Martinus de San Ioseph, *vbi sup.* asserit: [Es necessario mirar, como se haze esto, que sino es pura donacion, sino porque en gano, ò miedo, ò por otro respecto perdonan, aura iniusticia de parte del Sacerdote, que repartio las Missas con obligacion de restituir, y crece la dificultad, con que disponere el Derecho, quod donare suum nemo præsumitur, *leg. cum de indebito, 25. vers. si vero, ff. de probationibus, l. Campanas, ff. de oper. libertor. l. fin. C. de nouat.* Y assi para la seguridad de la conciencia, es necessario que sea clara, y pura donacion.] Adde, quod aliquando petens Missas à Regularibus offerat stipendium auctius positiuè intendens eas ab ipsis Regularibus, & non ab aliis: idque ad effectum acquirendi maius illud meritum, quod in Missæ Sacrificio pendet ex opere operantis, & potest sperari auctius ex Missis per Sacerdotes Religiosos celebratis, quam ex Missis per Laicos Sacerdotes dictis; tunc enim non censeo, quod Regulares possent modo dicto retinere illum excessum stipendij, cùm talis retentio rationabiliter præsumi possit fieri, inuito domino offerente; qui stipendium ita pingue non dedisset, si credidisset Missas celebrandas esse ab aliis, quam à Regularibus.

RESOL. XXVIII.

An Sacerdos post Decreta Vrbani VIII. præbens alitè minus stipendium, quam accepit pro Missis dicendis, peccet mortaliter.

Et an Sacerdos, qui vel ignoranter, vel cum opinione sibi probabili violat prædicta Decreta, teneatur vel reficere Missas, vel stipendia restituere? Ex part. 10. tr. 16. & Misc. 6. Ref. 69.

§. 1. NEgatiuè respondet doctus, & amicissimus P. Bordonus *in Const. Regul. tom. 1. resol. 15. n. 28.* putat enim in decretis Vrbani VIII. non contineri, nisi simplicem prohibitionem, quæ non potest obligare, nisi ad peccatum venile; vtpotè non continentia vllam pœnam grauem, quoad hanc partem, nec vllam clausulam, ex qua colligatur grauitas obligationis; cuiusmodi sunt illæ aliæ, sub obtestatione Diuini iudicij: Et suæ obligationi non satisfaciant, quinimò grauiter, &c. quæ in iisdem Decretis apponuntur, quoad alias partes. Constat autem, quod si sacra Congregatio sub eadem grauitate obligationis voluisset adstringere etiam in isto casu, id expressisset, iuxta *leg. vnic. §. sin autem C. de caduc. tollen.* Præterea non vrget obligatio restituendi ex damnificatione, nisi quando infertur graue damnum: at in nostro casu nulli infertur graue damnum, non ei, pro quo dicitur Missa; cùm Missa reuera dicatur: non Sacerdoti celebranti, cùm voluntariè recipiat stipendium taxatum; non danti stipendium, cùm ipse hoc vnum intendat, vt dicatur Missa. Et hanc opinionem Bordoni tanquam probabilem admittit P. Tamburinus *de Sacr. Missæ l. 3. cap. 1. §. 5. n. 6.* & illum non audet damnare Pellizzarius *in Man. tom. 2. tract. 6. c. 3. n. 23.* Sed aliorum iudicio iudicandam relinquit.

Sup. hoc §. 1. in Ref. 9. vlt. & Ref. 15. & lege hanc resolutionem.

2. Verùm ego hanc sententiam olim reprobaui, & præter Auersam, & Peyrinum refellit nouissimè, me citato P. Lugo *de Sacr. lib. 5. cap. 12. quæst. 7. n. 77.* Probatur ex verbis Decreti, §. 4. ibi: *Volens omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere, prohibet*, &c. Quippe quamliber speciem, aut occasionem lucri turpis ab Ecclesia remouere, materia sufficiens est, vt grauiter præcipiatur, & seria voluntas obligandi grauiter indicatur ex tali motiuo proposito. Nec hic attendendum est damnum iniustè illatum alicui, sed indecentia tam sordidæ negotiationis, quæ satis capax est præcepti grauiter obligantis secundùm se, quamuis in aliquo casu particulari possit esse veniale peccatum ex paruitate pecuniæ retentæ, vel etiam indecentiæ secutæ; vnde soluitur fundamentum contrariæ sententiæ. Et ideò ex his me citato infert Pater Lugo, Sacerdotem, qui vel ignoranter, vel cum opinione sibi probabili violauit prædicta decreta, teneri, vel reficere Missas, vel stipendia restituere, sicut ille, qui bona fide rem accepit, quam putauit se acquirere iusto titulo, teneri dicimus ad restitutionem, quando competit, se deceptum fuisse.

Sup. hoc late supra in res. 24. & in aliis §§. eius primæ not.

RESOL. XXIX.

An supra dicta prohibitio extendatur ad Capellam, cui pro paucis Missis pingue stipendium respondet, si per alium Sacerdotem Sacra efficiantur, data ei stipe iusta & consueta? Ex part. 2. tr. 14. Ref. 11.

§. 1. PVto, quòd Decreta sacræ Congregationis in hoc casu non extenduntur: quia illud reliquum retinetur titulo beneficij & Capellaniæ, non enim tribuitur tantum pro Missis dicendis. Vide Philiarchum *in summ. part. 1. lib. 2. c. 14.* Cenedum *in qq. Can. quæst. 27. num. 12. in fin.* Posseuinum *de offic. cur. cap. 2. num. 18.* Ledesmam *in summ. tom. 1. de Euchar. cap. 19. concl. 13.* & doctissimum Villalobos *in summ. part. 1. tract. 8. diffic. 17. n. 1.* Et tandem ita declarauit sacra Congregatio.

RESOL. XXX.

An Sacerdos qui à viro amicissimo accipit pro dicenda Missa duplicatum stipendium, possit per alium Sacerdotem satisfacere, dato ei isto stipendio? Ex p. 2. tr. 14. Ref. 12.

§. 1. REspondeo cum distinctione. Vel enim illud duplicatum stipendium datum fuit præcisè, & simpliciter pro Missa: vel datum fuit non solùm pro Missa dicenda, sed etiam intuitu personæ, quæ

Sup. hoc supra in Resol. 27. §. verum quid, vsque in finem

dictæ Ref. & in Ref. 26. prope finem vers. Deinde, sed lege eas per totas.

Missam celebrare debebat, vtpotè, quia amicus, vel coniunctus. Si in primo casu, puto non satisfacere, secus autem in secundo.

RESOL. XXXI.

An Sacerdos, qui per alterum Sacerdotem Missam celebrare facit, possit retinere excessum consueti stipendij, si sponte condonetur?

Et asseritur Episcopum non posse ordinare, quod Sacerdotes non dicant Missas pro minori stipendio à lege taxatum. Ex part. 2. tract. 14. Ref. 13.

Sup. hoc supra in Resol. 27. §. Verum quid.

§. 1. REspondeo affirmatiuè, dummodo excessus stipendij alteri Sacerdoti manifestetur, & illud plus scienter ab illo, & gratis relaxetur; & ita nemini dubium est, vt notat Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. part. 2. de sacrificio Missæ, q. 2. dub. 8. concl. 1.* & Homobon. *de exam. Eccles. part. 1. tract. 4. cap. 14. q. 191.* Sacerdotem posse sibi retinere pecuniam, quam pro sacro faciendo accepit, si illud gratis ab alio fieri procuret.

2. Et Villalobos *in summ. p. 1. tract. 8. diff. 15. n. 4.* asserit, Episcopum non posse ordinare, quòd Sacerdotes non dicant Missas pro minori stipendio à lege taxato, nam vnusquisque potest liberè condonare quicquid vult; & ita in decisione huius dubij (licèt immeritò his diebus aliqui contradixerint) mecum consentiunt multi viri docti Societatis Iesu, & is nostræ Religionis, de hac re à me consulti, quibus adde Illustriss. de la Riba Vicarium Generalem, etiam de hac re à me consultum.

RESOL. XXXII.

An quis possit diminuere Missas in compensatione damni dati non obstantibus Decretis Vrbani VIII.

Et pro praxi huius quæstionis fingitur curiosus casus in textu huius Resolutionis. Ex p. 10. tract. 16. & Miscell. 6. Ref. 66.

§. 1. FIngamus, quod aliquis sæcularis commendasset alicui Monasterio, v. g. centum Missas, eæque celebratæ essent, nihilominus pro recuperãdo stipendio ipsarum, aliquas expensas fecerit Monasterium, eo quod qui ipsas commendauerat, nolebat illud soluere, si postea idem sæcularis alias Missas eidẽ Monasterio commendasset, posset Monasterium compensare damnum sibi allatum, diminuendo in his centum Missis id quod consumpserat in stipendio aliarum recuperando. Ratio est, quia sicut Sacerdos accepto stipendio tenetur ratione iustitiæ Missas celebrare, ita etiam commendans Missas tenetur ratione iustitiæ in vtroque foro stipendium tribuere. Cum autem in obligationibus Iustitiæ, detur compensatio, ita & in præsenti. Ita docet Lezana *in sum. quæst. reg. tom. 4. verb. Missa, n. 34.* cui adde Pellizar. *in Man. reg. tom. 2. tr. 6. c. 3. n.* .... & ante illos Peyrinus *in Priuileg. Minim. tom. 3. c. 1. n. 37.* Nec obstat huic responsioni decretum Sacræ Congregationis præcipiens, vt absolutè celebrentur tot Missæ, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; si quidem Sacra Congregatio loquitur de Missis debitis, ex stipendio; cum tamen in præsenti casu Missæ, quæ modo dicto omittuntur ad faciendam iustam compensationem, non possint dici debitæ ex stipendio, quantumuis solutum fuerit stipendium ipsis respectiuè correspondens, quippè quod, dato iure compensationis, fictione, vt ita dicam, iuris, non censetur solutum pro Missis, sed in compensationem damni alias iniustè illati, & consequenter, quoad inducendam obligationem, celebrandi dictas Missas, perinde se habet, ac si re vera non fuisset solutum.

2. Sed hæc opinio nunquam mihi placuit, & postea inueni, non placuisse docto P. Tambur. *de Sacr. Missæ lib. 3. c. 1. §. 3. n. 103.* Nam, ait ipse, fac Missas celebrandas esse pro anima purgãte, vel pro impetranda sanitate alicuius, nõ erit æquum, vt hi patiantur damnum in re tam graui ob delictum debitoris illius, etiã si anima, & infirmus ad eundem debitorem pertineant. In illo igitur solum casu prædictam recompensationem admittentem, quo constaret, totum damnum esse solius debitoris, & nullo modo tertij.

RESOL. XXXIII.

An, si quis, v. g. accipit stipendium pro vna Missa sufficiens ex iustitia ad mortale, si Missam non dicat, teneatur illud restituere?

Et an Sacerdos, qui liberaliter promittit alicui vnum Sacrum animo obligandi, si promissum non impleat, peccet mortaliter?

Et docetur pluribus petentibus sine stipendio Sacrum à Sacerdote posse vna Missa satisfieri.

Ex quo infertur, quod Religiosi, qui ex visu Regulæ, & Constitutionum tenentur certis diebus offerre Sacrificium pro defunctis sui Ordinis, pro Capitulis, & Benefactoribus, possent licitè offerre idem Sacrificium pro aliis, à quibus stipem acceperint. Ex p. 10. tract. 15. & Miscell. 5. Ref. 43.

§. 1. DE hoc casu nouissimè interrogatus, & pro negatiua sententia adducebant me ipsum, & Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 25. num. 25.* asserens, omissionem vnius Missæ, pro qua receptum est stipendium, non esse peccatum mortale.

2. Sed ego affirmatiuè respondi, & addo Dicastil. *de Sacram. tom. 1. tr. 5. disp. 4. dub. 22. n. 422.* vbi ficati: Illud autem mihi omnino verum videtur, quando quis accepit stipendium satis magnum, ita vt tantumdem furto ablatum esset materia grauis furti, si non dicat sacrum, & retineat stipendium, peccare mortaliter: nam retineret sine titulo pecuniam consideribilem, eamque deberet restituere: titulus enim retinendi est ob causam dicendi Sacrum, atque ipsa oblatio sacri est, sub cuius conditione datur.

3. Respondebit tamen aliquis: Ille factus est dominus stipendij, & solum illi remansit obligatio offerendi Sacrum. Ea autem obligatio præcisè, vt est obligatio sacri dicendi, non censetur materia grauis: ergo nec est peccatum mortale, nec tenetur ad restitutionem: pecunia enim possidetur sub obligatione susceptæ: obligatio autem non est de re graui. Totum ergo peccatum consistit non in retinendo ipsa pecunia, cuius iam factus est dominus sub eo onere, & obligatione dicendi Missam: sed consistit in eo, quod non impleat obligationem, quæ obligatio non est de re graui iuxta dictam opinionem.

4. Nihilominus ita fit dominus Sacerdos illius pecuniæ, vt semper remaneat obnoxia restitutioni sub conditione, si non impleatur; cumque conditio dicendi Missam non impleatur, retentio pecuniæ iam est retentio rei grauis in materia iustitiæ sine titulo; atque adeò peccatum mortale est illam retinere: deficitque titulus retinendi, deficiente impletione illius muneris, & obligationis, sub qua conditione data fuit, & ob eam causam.

5. Respondebit quis secundò, talem Sacerdotem posse retinere pecuniam, si Missa dicatur etiam per alium,

alium, dato illi stipendio communi, quod exiguum est, & non materia grauis iustitiæ. Nemo autem grauius peccat, quàm sit grauitas obligationis, qua tenetur: Ergo si solum teneatur ad id, quod in se leue est, non potest committere culpam grauem.

6. Respondeo posse contingere vt quis efficiendo rem, quæ in se non est materia grauis, excuset culpam grauem, quam non excusaret, si rem illam alioqui leuem non faceret, v.g. si quis dat Petro aliquid pretio graui æstimabile sub conditione leui eundi ad talem, aut talem locum, aut faciendi aliquid quod leue est, & ille accipiat sub ea conditione, quamuis facere illud, leuis res sit: si tamen non faciat, & retineat quod datum illi fuit, erit retentor rei graui sub titulo, tenebiturque rem acceptam restituere sub mortali: grauitas enim non pensanda est ex parte conditionis nõ impletæ, sed ex parte rei acceptæ, & retentæ sine titulo: quia illi data non fuit, nisi dependenter à tali conditione quantumuis leui: quia deficiente, deficit etiã titulus donationis, per quam transferebatur dominium. Sic ergo in nostro casu, quamuis dicere sacrum in se non sit materia grauis, nihilominus grauis materia pecuniæ data Sacerdoti sub ea conditione dicendi Sacrum, retinetur sine titulo, eo ipso quod Sacrum non dicatur; ac proinde grauitas materiæ non pensanda est ex parte conditionis, quæ non impletur; sed ex parte pecuniæ quæ retinetur, & data non fuit, nisi sub conditione illa, quantumuis leui, aut dependenter ab illa conditione; itavt, si non impleatur conditio, resultet obligatio restituendi totam illam graue pecuniam, quæ obligatio est iustitiæ, & sub mortali. Hucusque Dicastillus doctè, & solidè vt semper solet.

7. Vnde ex his patet responsio ad instantiam adductam pro negatiua sententia; nam in illo casu supponitur stipendium Missæ non esse sufficiens ex iustitia ad mortale.

Sup. hoc to. 1. tr. 4 ref. 3. §. vlt.

8. Nota verò: Sacerdotem, qui liberaliter promittit alicui vnum Sacrum animo se obligandi, si promissum non impleat, non peccare mortaliter tenet me citato Leandrus *de Sacram. tom. 2. tr. 8. disp. 4. quæst. 16.* qui etiam *q. 14.* docet me citato pluribus petentibus sine stipendio posse vna Missa satisfieri, quod tenet etiam Martinus de San Ioseph, *in mon. Confess. tom. 1. lib. 1. tr. 17. de Eucharistia, n. 4.* Escobar *in Theologiæ tract. 1. examin. 11. cap. 4. n. 96. in fine.* Lezana *in QQ. Regul. tom. 4. verb. Missa, n. 22.* Dicastillus *vbi sup. dub. 19. n. 364.* quia cùm Missæ Sacrificium sit infiniti valoris, æqualiterque prosit omnibus secundum cuiuslibet deuotionem, nec vnus ex participatione alterius in re minima lædatur; hinc est, quod qui dedit stipendium, vt pro illo offerretur, non debet esse rationabiliter inuitus, vt pro aliis idem Sacrificium ex charitate offeratur. Vnde ex his infertur, quod Religiosi, qui ex vi suæ Regulæ, & Constitutionum, tenentur certis diebus offerre Sacrificium pro defunctis sui ordinis, pro Capitulis, & Benefactoribus, possunt licitè offerre idem Sacrificium pro aliis, à quibus stipem acceperunt; quia Sacerdoti solùm prohibetur offerre idem Sacrificium pro multis, quibus ex iustitia, ratione stipendij accepti, tenetur, non verò prohibetur offerre pro vno ex iustitia, & simul offerre pro alio, ex sola liberalitate, vel charitate. Hoc enim ipsa Ecclesia aliquo modo præsupponit: siquidem idem Sacrificium, quod in memento pro viuis, obtuli pro Petro, qui ad celebrandum pro eo me conduxit; simul etiam pro defunctis, in memento pro mortuis, præcepit offerre: ergo.

His tamen non obstantibus, non nego contrariam sententiam esse probabilem: quam tuetur nouissimè Bossius *de conscient. to. 1. p. 1. tit. 1. § 401. cum seqq.* cum Tamb. *opusc. 3. de sacrif. Missæ, lib. 3. c. 1. §. 3. n. 9. & seqq.*

Sup. hoc inf. in Resol. 36. §. Notandum est, & in ref. 43. §. 3. E. quæ mutua, & ref. Alibi etiam, & infra in tr. 3. Ref. 10. §. 2.

Sup. hoc in Resol. 36. §. fine, & Resol. 147. in fine, à vers. Verum est.

RESOL. XXXIV.

An sacerdos diebus festiuis possit accipere pro vna Missa duplicatum stipendium? Ex p. 2. tr. 14. Ref. 9.

§. 1. Affirmatiuè respondet Homobon. de Bonis *in exam. Eccl, p. 1. tr. 4. c. 13. q. 120.* & in hanc opinionem videtur inclinare Bonacina *de Sacram. disp. 4. q. vlt. punct. 8. n. 121.* Et ita determinauit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanens. *in summario, decis. 7.* quam inuenies apud Fraxinell. *de oblig. Sacerd. post sect. 5. fol. mihi 101.* Sed hæc opinio damnatur in decreto Cardinalium, *in* §. 3.

RESOL. XXXV.

An, cùm Sacerdotes ordinantur, & cum Episcopo consecrant, possit vnusquisque applicare illud sacrificiũ cui voluerit? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 112.

§. 1. Casus est curiosus, & ad illum respondet Ludou. Mæratius *in D. Thom. tom. 3. tract. de Sacram. Eucharist. disput. 38. sect. 8. n. 4.* vbi sic ait: Dum plures Sacerdotes simul consecrant, & consecrando simul vnum, idemque sacrificium Missæ offerunt, ad eorum quemlibet perinde pertinere illius applicationem, atque si solus offerret, quia quilibet est illius totius vera causa per se independenter ab alio, vnde & potest independenter ab alterius voluntate illud integrè cui voluerit applicare, quod sic à singulis applicatum diuersis personis, proderit omnibus, quibus applicabitur, quia prodesse decet alicui; nulla autem ratio est, cur vni potius, quàm alteri prosit. Sic ille.

Sup. hoc inf. in Resol. 46. prope finem, à vers. Nota hic, & in Resol. 147. §. Nota hic, & pro omni contento in hac Resol. melius in to. 4. tr. 8. Ref. 92.

RESOL. XXXVI.

An Sacrificium Missæ prò pluribus oblatum prosit singulis, ac si pro vno tantum offerretur?

Et notatur primò, Sacerdotem vna Missa satisfacere pluribus petentibus vnam Missam, dummodo ab illis non sit acceptum stipendium.

Secundò, eodem sacrificio satisfacere, & pro voto, & pro eo, qui eleemosynam ad faciendum Sacrum dedit. Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 81.

§. 1. Negatiuè respondet Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 83. art. 1. dub. 7.* Henriquez *lib. 9. cap. 17. num. 5.* Mercerus *de sacram. q. 83. art. 1. dub. 7.* Azorius *p. 1. lib. 10. c. 21. quæst. 2.* Sotus *de Iust. lib. 9. quæst. 2. art. 2.* Suarez *in 3. part. tom. 3. disput. 79. sect. 12.* Coninck *de sacram. quæst. 83. art. 1. dub. 3.* & alij penes ipsos.

Pro hac quæstione lege doctrinam §. vlt. Ref. seq. & ex Resol. 33. §. Nota verò, post medium, à vers. Vnde ex his, &c.

2. Sed affirmatiuam sententiam docet ex Thomistis Caietanus *in 3. part. q. 79. art. 5.* & Petrus Soto *de Euchar. lect. 7.* ex Theologis Societ. Iesu, Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 231.* & Gaspar Hurtadus *de sacr. disp. 3. de sacrificio Missæ, diffic. 8.* Idem etiam tenet Petrus Nauarra *de restitut. lib. 2. cap. 2. n. 268.* Corduba *lib. 1. q. 3.* & alij penes ipsos.

3. Notandum est tamen quod si quis in secunda sententia stare vellet, duo notabilia corollaria ex ea posset inferre. Primum, Sacerdotem vna missa satisfacere pluribus petentibus vnam Missam, dummodo ab illis non sit acceptum stipendium, & ita docet Hurtadus *vbi sup. diffic. 15.* Secundum, eodem sacrificio satisfacere & proprio voto, & pro eo qui eleemosynam ad faciendum sacrum dedit.

Sup. hoc supra in R. 33. §. Nota verò, & in aliis eius, not. secundæ.

4. Sed hæc primam sententiam negatiuam sequentes minimè admittunt, & ideò in Thesibus Theologicis publicè assertis in Collegio Romano Societatis Iesv à Marcione Sfortia Pallauicino *lib.8. n.173.& 174.* sic habetur: Hoc sacrificium non habet valorem satisfactorium infinitum, alioquin frustra esset pro vno, vel pluribus defunctis, multa sacrificia offerre, & posset sacerdos eodem sacrificio satisfacere, & proprio voto, & stipem offerenti, vel liceret ei idem sacrificium, quod applicat stipem offerenti, applicare sibi,& aliis. Sic ibi.

5. Verùm non potest Sacerdos, qui accepit stipem à pluribus, vnico sacrificio cunctis satisfacere, quia asserunt Doctores secundæ sententiæ, cùm duplex eleemosyna pro eodem die accipi non possit, sequitur per sacrificium vnius diei duplici stipi non satisfieri; & de hoc non est dubitandum post decreta sacræ Congregationis *de celebrat. Missarum*, quæ ego adduxi *in 1.part.tr.14. resol.7. & 8.* Vnde eruditissimus Torreblanca *in pract.iur.lib.2.cap.9.n.6.* non bene me adduxit pro contraria sententia.

Quæ hic sũt supra Resol. 18. & 23.

RESOL. XXXVII.

An Sacerdos possit applicare diuersos fructus vnius Missæ diuersis personis, & ab illis duplicata stipendia accipere?

Et docetur Sacerdotem posse idem sacrificium offerre pro eo, à quo accepit eleemosynam, & simul pro alio ex sola liberalitate, vel charitate, & gratitudine. Ex p.6.tr.6. & Misc.1.Resp.9.

Sup hoc cursim infra in Resp.46.§.Ex his,in princ. & in Resol. 148.lege doctrinam eius §.vlt.in principio.

§.1. VT verbi gratia dicendo Missam de Spiritu Sancto, vel de B.Virgine, & applicando vni illam Missam ad aliquod beneficium à Deo impetrandum; alteri verò applicando eandem Missam in satisfactionem peccatorum alicuius defuncti, vel viuentis. Et affirmatiuam sententiam docet Philibertus Marchinus *de Sacram.Ordinis tract.3.p.2. c.16. n.17.* quam testatur se vidisse seruari in praxi à valde doctis & timoratis Religiosis, & sustinuisse Patrem Tasca insignem Theologum Societ.Iesu: & rationes adducit, eo quod isti duo fructus impetrationis & satisfactionis sunt separabiles, & realiter distincti. Ergo licebit Sacerdoti se obligare ad vnũ, & non ad alium: ergo dum offert impetrationem pro vno, & satisfactionem pro altero, poterit duo stipendia recipere. Deinde si Sacerdos tenetur vni vtrumque effectum applicare, vel tenetur ex natura sacrificij id postulante, vel ex pacto & contractu inter ipsum, & dantem stipendium: non ex primo capite, quia illi duo fructus sunt distincti realiter, & de facto separantur, vbi Missa offertur pro viuo existente in peccato mortali, cui potest Missa prodesse solùm quoad impetrationem, non quoad satisfactionem. Neque tenetur ex pacto, quia neque Sacerdos intendit se obligare ad applicandos binos fructus, neque Missam petens, Sacerdotem ad vtrumque effectum obligauit, cùm id non expresserit. Ergo, &c.

2. Nec valet dicere, quod qui dat stipendium pro Missa, censetur velle tam impetratorium, quàm satisfactorium fructum; nam rogatus vtrumque vellet, & stipendium pro vtroque est sufficiens. Ergo Sacerdos iniustè agit, si integrum fructum illi non confert. Nam respondetur ex dictis, negandum esse antecedens, quia propositum in mente retentum nihil operatur, vt clarè patet *ex l.quidquid adstringendæ, de verb. oblig.* ibi *nisi palam verbis exprimatur*, &c. Quinimò in motiuo, & fine, quem habent Missam petentes, conijcienda est illorum voluntas: finis autem interdum est sanitas ægrotantis; cui applicatio satisfactionis, quæ ex Missa prouenit, prorsus repugnat; interdum est bonus exitus rerum temporalium, vel quid simile; neque quicquam cogitant de peccatorum suorum satisfactione, imò sæpissimè sunt in statu peccati mortalis, dum pro aliquo temporali beneficio impetrando Missam sibi celebrari curant, ac proinde norunt se esse fructus satisfactorij incapaces. Non ergo approbandum est, vt vniuersaliter verum, petentes Missas, integrum ex eis fructum velle, nisi aliud exprimant. Et tandem in tali casu non recipiuntur bina stipendia, quasi sint pretia duplicis Missæ fructus, sic enim esset simonia, sed accipiuntur pro seruitute, & obligatione applicandi pro vno satisfactorium, pro altero impetratorium fructum: quæ quidem seruitus & obligatio cùm sit duplex, & diuersis personis ob diuersos fines applicabilis, sicque vtraque pretio æstimabilis, potest vtique duplici stipendio compensari: & hæc omnia docet Marchinus *vbi suprà*, licet asserat supradictis nonnihil aduersari decreta sacræ Congregationis *de celebrat. Missar.* quæ si alicubi non essent non recepta, aliquis posset dicere opinionem Marchini tanquam probabilem amplecti posse.

3. Sed ego puto absolutè contrariam sententiam tenendam esse, quam tuetur Nauarra *de restit. lib.3. cap.2.dub.6.num.243.* Possevinus *de offic.Curat.cap.2. q.7.num.25.* & Bonacina *de Sacrament. disp.4.q.1. punct.8.num.15.* quia sacerdos sic faciens excedit taxam sibi debitam, & ab Episcopo præscriptam, quæ quidem debetur, & præscribitur non in ordine ad applicationem fructus impetratorij, vel satisfactorij, sed in ordine ad laborem, vel sustentationem ipsius sacerdotis. Ergo, &c. Adde quod, vt rectè obseruat Graffius *de celebrat.Missar.tom.2.cons.3.* qui petit celebrari Missam, intendit obligare sacerdotem ad id quod est vtilius, & quantum licitè potest, & omni meliori modo. Ergo, &c.

4. Notandum est hic etiam, Marchinum *vbi sup. cap.17.* docere etiam sacerdotem posse idem sacrificium offerre pro eo, à quo accepit eleemosynam, & simul pro alio ex sola liberalitate, vel charitate & gratitudine. Et ratio est, quia sacerdoti prohibetur solùm eandem Missam dicere pro multis, quibus de iustitia, ratione stipendij accepti tenetur. Non verò prohibetur offerre pro vno cui debet, ex iustitia, & simul pro alio ex sola liberalitate, vel charitate, & tante Missæ sacrificij valore infinito, tam secundum virtutem intensiuam, quàm extensiuam, vnde æqualiter prodest multis ac paucis secundum cuiuslibet deuotionem, sed de hac quæstione alibi dictum est.

RESOL. XXXVIII.

An Sacerdos possit duplex stipendium pro vna Missa accipere, applicando vni partem solitam, & alteri suam partem? Ex p.2.tr.14.Resp.14.

§.1. AFfirmatiuam sententiam tuentur Molfesius *in sum.tom.1.tract.3.cap.15.n.40.* Bartholomæus ab Angelis *in exam.Conf.dial.5.§.507.* & multos graues viros docuisse hanc sententiam, notat Homobonus *de exam.Eccl.p.1.tract.4.c.13.§.125.* quam ipse etiam probabilem vocat, & Gauantus *in comment.ad Rubr.Miss.tom.1.p.3.tit.12.n.29.* contrariam sententiam, quam ipse tenet, vocat probabiliorem. Ergo hæc sententia est probabilis.

2. Et illam cum aliqua limitatione docet etiam Filliucius *tom.2.tract.15.cap.6. num.151.* vbi ex Nauarr. asserit sacrificantem posse partem sacrificij sibi debitam applicare iis, pro quibus teneretur. Sed quia nescitur

nescitur quanta sit, addit, arbitrari partem trium Missarum posse supplere vni, quæ dicenda esset, & applicanda tota vni; quod seruare poterunt ij, qui cùm receperint multa stipendia, non possunt omnibus satisfacere. Ratio huius opinionis hæc est, quia vt obseruat Henriquez *lib. 9. c. 21. n. 7.* valor Missæ specialis, qui competit sacerdoti, est eiusdem rationis cum valore medio, qui competit illi, pro quo offertur propter stipendium sactificij Missæ, & potest dictum valorem specialem sacerdos alteri applicare, quod etiã tenet Naldus *sum. part. 1. lib. 2. cap. 14.* Fernandez *in exam. Theol. mor. in sum. verb. Missa, n. 12.* Philiarchus *in part. 3. cap. 5. §. 2. n. 4.* Sotus *in 4. dist. 11. q. 2. art. 5. & dist. 13. q. 2. art. 1.* Nauarr. *c. 25. n. 92. & 111.* Scorzia *de sacrificio Missæ, lib. 1. c. 9. n. 2.* Nugnus *in 3. p. tom. 1. q. 83. art. 1. dub. 3. in fin.* & alij; licèt non minùs probabiliter Bonacina *de Sacr. disput. 4. q. vlt. punct. 8. num. 16.* Suarez *in 3. p. tom. 2. disp. 79. sect. 9. in fine*, & alij contrarium asserant. Sed circa præsentem quæstionem vide *infra in resol. 80.*

Quæ hic est infra ref. 43.

RESOL. XXXIX.

An Sacerdos valorem Missæ specialem sibi debitum possit alteri applicare, & pro eo stipendium accipere? Et docetur Sacerdotem, qui tenetur dicere Missam pro sola præsentia, non posse aliud stipendium accipere pro applicatione valoris Missæ. Ex p. 5. tract. 14. & Misc. 2 Ref. 45.

§. 1. DE hac quæstione actum est *in 1. p. tract. 4. resol. 14.* & pro parte affirmatiua adduxi aliquos Doctores, qui tamen non scripserunt post decreta Missarum edita à Sanctiss. D. Vrbano VIII. Ideo nunc pro tali sententia adducam Bartholom. à S. Fausto, qui post dicta decreta ponderata, & in suo libro reposita, etiam opinionem affirmatiuam docuit; vt patet *in tract. de Euch. lib. 2. q. 158.* & clariùs *q. 58.* vbi postquam firmasset posse Sacerdotem portionem suam alteri tribuere, statim subdit hæc verba. Ex quo rectè infertur posse Sacerdotẽ pro vna Missa duplex stipendium accipere, vt pro vno portionem suam tribuat, & pro alio solitam partem applicet. Ita ille. Et hanc opinionem Peyrinus *de priuil. tom. 3. cap. 1. n. 25.* admittit in casu, quo in aliquo Monasterio paupere creuisset adeò Missarum numerus, vt ei satisfacere minimè possent Sacerdotes ibi cõmorantes, nec haberẽt vnde possent dictas Missas aliis data stipe cõmendare.

Quæ hic est Ref. antecedens, & in duabus Ref. seqq. in Ref. 3. seq. §. Et ideo, & infra in Ref. 46. §. Ex his itaque, & quamuis tenuiores, legentes tamen infra distinctiõ Ref. 109.

2. Sed hæc opinio mihi displicet; nam in suprà dictis decretis Vrbani VIII. sacra Congregatio præcipit sub obtestatione diuini iudicij, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Tot Missæ igitur sunt dicendæ, quot sunt eleemosynæ, non fructus medius, & specialis applicandus? Et ita hanc sententiam in terminis dictorum decretorum Vrbani VIII. docet, & mordicus tenet, Paulus Fraxinellus *de Sacerdotum obligationibus, in edit. 7. sect. 3. prænot. 2. n. 5. & seqq.* cui adde nouissimè Ioan. de Lugo *de Sacram. Eucharist. disp. 21. sect. 2. n. 33.* & hanc sententiam docet etiam omninò videndus noster Megalius *var. resol. tom. 2. resol. 179. per totam*, vbi plures pro hac firmanda opinione rationes adducit. Et ita etiam tenet Rodriq. *in summa, tom. 2. cap. 48. n. 2.*

hoc, ublic do-, late in Ref. 44. 45. 46. & in 341. §.

3. Adde quod si Faustus *loco citato q. 156.* docet, Sacerdotem, qui tenetur dicere Missam pro sola præsentia, vt asserunt, non posse aliud stipendium accipere pro applicatione valoris Missæ, quia vnica Missa non meretur nisi vnicum stipendium ex dictis decretis, nescio quomodo postea teneat in casu, de quo loquimur, posse Sacerdotem accipere pro vna Missa duplicatum stipendium, cùm in vtroque casu eadem sit ratio; decreta videlicet suprà dicta prohibentia duplicata stipendia pro vna Missa accipere. Ad auctores verò quos pro sua firmanda sententia adducit Faustus, & ego *vbi suprà*, adduxeram, respondeo, vt dictum est, scripsisse ante decreta Vrbani VIII. & ideo nihil faciunt pro hac firmanda sententia. Ad illam verò doctrinam, posse scilicet Sacerdotem applicare partem sibi debitam, respondeo non esse certam, & aduersùs illam præter multos alios insurgit nouissimè Iacobus Granado *in 3. p. de Sacram. controu. 6. tr. 14. disp. 8. n. 3.* & Suarez immeritò pro se Faustus adducit; nam in calce sectionis contrariam sententiam apertissimè docet, & Miranda, qui pro se etiam Faustum adducit, in fine articuli secutus Suarez, ab opinione Fausti recedit. Dicendum est igitur non posse Sacerdotem partem sibi debitam ex opere operato in sacrificio Missæ alteri applicare, ex decretis sacræ Congregationis Sacerdotibus interdicti pro applicatione dictæ partis aliud stipendium accipere, vt ex verbis supra relatis patet. Et quidem qui dat stipendiũ pro Missa intendit & vult sibi applicare valorem medium certum, non autem incertum, & manentem sub opinione Doctorum. Adde, vt optimè obseruat Rodriq. *in sum. tom. 2. c. 48. n. 4.* & alij. [Que la limosna, y pytanza no se da por applicar el fruto de la Missa; porque este es espiritual, y dandose por el, se cometeria simonia: sino da se como estipendio temporal, attento que el que sirue en el Altar, bien es que reciba estipendio, con que se sustente; el qual estipendio està tassado del Obispo; y assi recibiendo mas de limosna por vna Missa, peccara el Sacerdote, y estara obligando à restitucion, pues lleua mas estipendio del que merece.] Et ita hanc sententiam ante decreta Vrbani VIII. decreuerat etiam Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis an. 1617. vt patet apud Fraxinel. *vbi sup.* post *sect. 5.* in summario Decisionum dictæ Congregationis, vbi *n. 16.* sic habetur. Non potest Sacerdos Missam celebrans se ipsum speciali illo valore priuare, qui sibi celebranti debetur, illúmque aliis applicare, vt duplicatam pro eodem Missæ mercedem accipiat. Ita *ibi.*

Hic & sup. in Ref. 17. §. vlt.

RESOL. XL.

An Sacerdos possit applicare partem Missæ sibi competentem, & pro illa stipendium accipere? Ex p. 6. tr. 6. & Misc. 1. Ref. 8.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Philibert. Marchinus *de Sacr. Ordinis tr. 3. p. 2. c. 16. n. 7.* nam si talis fructus est alteri applicabilis: certè afferri non potest Theologica ratio solida, cur Sacerdos pro tali obligatione applicandi huiusmodi fructum non possit aliquod distinctum stipendium accipere. Tum etiam quia omne opus bonum, non quatenus est meritorium; sed quatenus est satisfactorium est applicabile alteri ab ipso operante; imò sacram ipsam communionem solent laici pro aliis offerre: Ergo multò magis fructum Missæ sibi proprium poterit celebrans aliis elargiri, & absque Simoniæ labe in pactum deduci. Deinde potest Sacerdos sibi ipsi applicare fructum Missæ medium seu specialem, quẽ pro aliis offerre potest; ergo poterit etiam fructum sibi proprium applicare alteri, & consequenter duas pitancias accipere. Huc vsque Philibert. Marchinus.

Sup. hoc in duabus præcedentibus Ref. & in Ref. seq. & in Ref. 1. post seq. §. Et ideo, & infra in Resol. 46. cursim in principio, §. Ex his à fortiori.

2. Sed ego hanc sententiam maximè post Decreta celebrationis Missarum satis reprobaui *in 3. p. tract. 14. resol. 45.* cum multis Doctoribus, quibus nunc addo

Quæ hic est ref. antecedens.

addo Gauantum *in Rubricis Missalis p.3.rit.12.n.29.* Dico igitur non posse Sacerdotem pro vna Missa duplicatum stipendium accipere, applicando v. g. vni fructum Missæ medium, & alteri fructum Missæ sibi proprium, cui ipse renunciat, & cedit. Et hanc sententiam tenet nouissimè Persic. *de offic. Sacerd. lib.2. dub.2.n.102.* & contrariam damnat.

RESOL. XLI.

An pro fructu sibi competenti possit Sacerdos accipere aliud stipendium pro Missa dicenda?

Ex quo deducitur in praxi hoc non esse admittendum ex eo, quod pro actione dubia quis acciperet stipendium certum: nec illi suffragatur fides.

Et notatur, quod Sacerdos, qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare pro cultu illius, vel commoditate populi tantum absque obligatione applicandi Sacrificiū, non potest pro illius applicatione aliud stipendiū accipere.

Item quæritur, an in graui necessitate Sacerdotis, cui nequeat aliter occurri, liceat plura stipendia iusta vnius Missæ recipere pro sufficienti vitæ clericalis sustentatione?

Et an qui pluribus debet Missam non ex stipendio accepto, sed ex liberali promissionē, possit vnica Missa pluribus satisfacere?

Ex quibus sequitur, quod si in aliqua Religione est consuetudo, vel statutum, quod ex benenolentia, vel gratitudine erga amicos Fundatoris. Protectoris. Benefactoris, necessitatum communium, Regni, Ciuitatis, aut Communitatis, & etiam ex Regula pro defunctis, &c. dicantur aliquot Missæ, potest nihilominus Sacerdos stipendium accipere ab alio, & illi Sacrificium applicare.

Et an peccet mortaliter Sacerdos, qui differt per tempus notabile dicere Missas pro eo, à quo accepit stipendium, pro quo curiosus casus in §. penul. huius Resol. inuenietur.

Et tandem docetur Sacerdotem non posse applicare Missas coniunctim, & in confu, vel associatas, sed debere dicere Missas pro singulis, &c. Ex p.11.tr.7. & Misc.7. Resol.27.

§. 1. NOuissimè affirmatiuè respondet P.Thom. Hurtadus *tract.2.disp.4.resol.171. cum seq.* & ex eadem Religione P.Remig. *in sum.tr.5. disp.4. §.7.n.2.* vbi sic ait, [El fruto de las misas es de tres modos; El primero es el fruto general, y es el que la Iglesia aplica à todos los fieles viuos y difuntos: El segundo es el fruto medio, y es el que responde à aquello por quienes se ofrece la Missa: El tercero es special, que responde al Sacerdote, como ministro publico]

2. [Conforme esta dotrina enseñan, que no obstante el decreto, puede el Sacerdote pobre recibir por vna Missa mas estipendios ofreciendo por el vno el fruto medio, y por el otro el valor que corresponde al Sacerdote, porque es de la misma calidad que el fruto medio; y como dixe el Padre Leandro de mayor satisfacion: Quia Sacerdos celebrans dixe proximior est sacrificio omni alio pro quo medium fructum applicat.] Ita ille; qui vt vides hanc sententiam tanquam probabilem admittit, & illam P.Hurtadus asserit non paruum solatium afferre pauperibus Religiosis, & aliis.

3. Sed ego puto prorsus nec à Religiosis, vel aliis illam minimè in praxi deducendam esse, & præter Eminentiss. Lugo, & alios Doctores, quos alibi adduxi, nouissimè negatiuam sententiam tenet Ioan. de Soria *in epilogo summarum p.2.tr.1.sect.5.disp.2.§.circa stipendium*, vbi sic ait; Potest etiam partem sacrificij sibi conuenientem alteri applicare, non tamen tanquam pro integro sacrificio, sed vt pro vna tertia, sed contrarium nunc omninò tenendum propter decreta Vrbani VIII. Idem etiam docet me citato Pater Franciscus Lugo *de Sacram.l.5.cap.12.q.4.n.32.* & ex eadem Societate nominatim contra Hurtadum Doctissimum Bardi *in Selectis l.10.q.12. num.6.cum seq.* Itaque etiam secluso decreto Vrbani VIII. puto contrariam sententiam non esse sustinendam, num incertum, & controuersum est apud Doctores, nath valor iste personalis possit alteri applicari, & ideo est contra iustitiam pro certo stipendio dare aliquod incertum, nihil de tali incertitudine manifestando danti eleemosynam, nam si ei aperiretur velle pro stipendio accepto, solùm applicare valorem hunc personalem, proculdubio nemo esset adeo insanus, vt vellet eleemosynam erogare pro re adeo dubia.

Alibi in tribus præcedentibus resol. & in resq. §. Et

4. Probatur secundò conclusio, quia incertum est, an valor iste personalis etiam triplicatus, adæquet valorem vnius integræ Missæ, pro qua celebranda datur integrum stipendium, & quamuis Marchinus *loc.cit.* dicat, valorem hunc esse æqualem valori medio, hoc tamen, vel non probat, vel inefficaciter probat diuinando. Sed dato, & concesso, esse verum contrariam sententiam spectando rem ipsam secundùm se, nihilominus post decretū S.Congregationis sustineri non potest; nam in primo Paragrapho, S. Congregatio prohibet ne accipiatur plura stipendia pro iisdem Missis celebrandis, quæcumque exigua sit eleemosyna, siue etiam Sacerdos acceperit ab vna, siue à pluribus personis, & declarat accipientem non satisfacere suæ obligationi, peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri; ex hoc decreto duo colligo, quæ confirmant vtramque conclusionem superius à me positam. Primò enim prohibet Pontifex pluralitatem stipendiorum pro eadem Missa; & ideo prohibitio ista confirmat secundam conclusionem, per quā dixi post publicationem huius decreti sustineri non posse priorē sententiam: neque valet dicere per hoc decretum prohiberi: ne idem Sacrum pro multis celebretur, pro quibus ratione stipendij ex iustitia tenetur Sacerdos Missam applicare; non autem prohiberi quin valor personalis alteri applicetur; & ab eodem aliud stipendium recipiatur: non valet inquā hoc dicere, tum quia dubium est num talis valor possit in alium transferri, vt supradictum est, tum etiam quia si posset transferri, & id esset licitum, Pontifex non prohibuisset absolutè pluralitatem stipendiorū pro eodem Sacro, sed declarare debuisset sūmi non posse pro applicatione eiusdem valoris siue specialissimi, aut personalis: sed cùm absolutè prohibeat pro eadem Missa pluralitatem stipendiorum, intelligi debet, quod prohibitio feratur in Missa secundū omnem valorem, quem continet, & alteri applicari potest. Et hæc omnia docet Bardi, & Lugo *locis citatis.*

5. Dico igitur sententiam Hurtadi, & aliorum esse refellendam, nec in praxi deducendam, quia iuste non potest accipi pro re, vel actione dubia pretium, vel stipendium certum, sed quamuis sit probabile competere celebranti talem fructum specialissimum, & hunc aliis applicari posse, tamen vtrumque dubium est, cùm à multis probabiliter negetur. Incertū simul est quantitas talis fructus, an. s. adæquet fructum medium. Non ergo potest certum stipendium accipi pro applicatione fructus ita dubij. Vnde solūntur argumenta contrariæ sententiæ, quæ liberè Romæ ab omnibus Ministris huius Curiæ defenduntur, & meritò quidem. Et ideò infert Bardi *vbi sup.* à Sacerdote resarciendum damnum illatum iis à quibus plures eleemosynas recepit pro iisdem Missis, & hoc vel

vel restituendo excessum supra legitimum stipendiũ, vel celebrando alias Missas, easque applicando personis illis, à quibus plura accepit stipendia pro quantitate stipendiorum, neque dicto Sacerdori suffragatur bona fides, quia nolo eum teneri solùm ratione rei acceptæ iam consumptæ, secundùm quam forsitan non est factus ditior, sed volo illum teneri ratione contractus innominati, do vt facias, hoc est, do eleemosynam, vt pro illa facias Sacrum: bona autem fides non tollit obligationem illam quæ reperitur inter contrahentes, vt omnes fatentur.

6. Hanc verò quæstionem hîc pertractare iterùm volui, ne Lectores nixi auctoritate amicissimi P. Bardi, vel P. Hurtadi, me pro affirmatiua sententia in posterum adducant, vt ipsi non benè fecerunt, nam licet ego olim in illam inclinauerim, tamen postea, vt optimè obseruat P. Lugo, *vbi sup.* negatiuam sententiam mordicus docui *in p. 5. tr. 14. resol. 45. & p. 6. tr. 6. res. 8.* nec enim pudet in meis operibus dissentire ab aliqua sententia quam docueram, exemplo D. Augustini, & omnium Magistri D. Thomæ; idem fecit Sanchez retractando se, & mutando plures sententias in summa, quas de matrimonio docuerat. Idem fecit Rodriquez, Portel, ipse Suarez, & Vasquez.

7. Rectè itaque ex eadem Societate P. Franciscus Amicus, qui inter Theologos ætatis nostræ prima subsellia obtinuit, sic asserit *in curs. Theol. tom. 7. disp. 33. sect. 12. n. 385.* Hoc tamen constanter, ac fideliter pronuncio, me nunquam affectu impugnandi, sed studio inquirendi veritatem, & Authores legisse, & sententias examinasse, quo fit, vt non semel, vel ex assidua Doctorum lectione, vel ex publica, & frequenti disputantium concertatione, vel ex diuturna, ac sedula mentis commentatione, quasi è tenebris obortà luce eandem sententiam, quam semel, vt veram statuimus, bis, aut ter mutauerimus, eligentes potius mutabiles videri, quàm cum præiudicio agnitæ veritatis pertinaces haberi. Ita ille, & ego.

8. Nota hic obiter, quod Sacerdos, qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare pro cultu illius, vel commoditate populi tantùm absque obligatione applicandi sacrificium, non potest pro illius applicatione aliud stipendium accipere; sed contrarium non est improbabile etiam post decreta Vrbani VIII. Ita Soria, *vbi sup.* & alij.

9. Item, quia iuxta probabilem sententiam, quam amplectuntur Angelus, Syluester, Nauarrus, quos sequitur Lessius *lib. 2. cap. 12. num. 71.* Nauarra *lib. 3. c. 1. n. 375.* Filliucius *tract. 22. 143.* licet etiam probabiliter in valde graui Sacerdotis necessitate, cui nequeat aliter occurri, plura stipendia iusta vnius Missæ recipere pro sufficiente vitæ clericalis sustentatione. Nec decreta Cardinalium anni 1625. loquuntur in hoc casu, cùm non intendant iuri naturali derogari. Ita P. Lugo *vbi suprà n. 688.* Sed in hoc puto procedendum esse cum magna cautela, ne Sacerdos puret se esse in graui necessitate, in qua non est, nec aliter huic necessitati occurri posse, nisi sumendo duplicatum stipendium, ideo in facti contingentia omnia benè perpendat, & cum viris Doctis, & piis statum suum consulat. Alibi etiam à nobis dictum est, quod qui pluribus debet Missam non ex stipendio accepto, sed ex liberali promissione, potest vnica Missa pluribus satisfacere, quod nouissimè docet Ioan. Soria *loco citato*, nec hoc prohibitum esse in decretis Vrbani, quæ solùm loquuntur, quando Missa debetur ex iustitia multis ratione multiplicis stipendij recepti. Vide Thomam Hurtadum *vbi suprà n. 178. cum seq.* & tandem sic ait; Decretum autem, consuetudo, aut lex solùm prohibet eandem Missam dicere pro multis, pro quibus ex iustitia tenetur offerre ratione stipẽdij accepti, hæc enim lex solùm taxat pro Missis dicendis stipendium: non verò prohibet quòd offeratur pro aliis ex promissione, liberalitate, & misericordia. Quare opinio Thomistarum de infinitate valoris sacrificij Missæ, non solum theoricè, & speculatiuè est vera, sed etiam practicè quantùm ad obligationem pro aliis multis, dummodo non sit ex accepto stipendio. Quare maximè fauorabilis est animabus Purgatorij, pro quibus ex æquo potest offerri, ac pro illo, qui stipem donat; & potest contingere, quod in illo pro quo offertur ex gratitudine maiorem fructum causet, quàm in alio, qui stipendium dedit, quia in illo maior est deuotio, iuxta cuius mensuram causatur fructus satisfactionis. Ita Hurtadus.

10. Hinc sequitur, quod si in aliqua Religione est consuetudo vel statutum, quod ex benevolentia vel gratitudine erga amicos fundatoris, protectoris, benefactoris necessitatum communium Regni, Ciuitatis, aut Communitatis dicantur aliquot Missæ: potest nihilominus Sacerdos stipendium accipere ab alio, & illi applicare sacrificium.

Sup. contento in hoc, & seq. §. supra in Ref. 53. §. Nota vero ad medicũ, vers. Vnde ex his, & lege infra ref. 147. in fine.

11. Vnde Remigius *vbi sup. n. 3.* dicit, [Es tambiẽ muy prouable, que los Religiosos que estan obligados por la Regla y constituciones de la Orden, dezir Missa por los difuntos della, pueden ofrecer la Missa por otro de quien han recibido estipendio.]

12. Nota etiam hîc, quòd peccat mortaliter Sacerdos, qui nimium differt dicere Missam pro eo, à quo accepit stipendium; tempus notabile, ego alibi cum multis Doctoribus existimaui esse spatium vltra mensem, Leander existimat spatium vltra tres, at magis latè loquitur Hurtadus *vbi sup. resol. 18. n. 203.* puto tamen hanc materiam non esse ampliandam, sed potius restringendam: nam si huiusmodi Missæ dici iubeantur causa impetrationis, vt puta pro aliqua necessitate, notabiliter dilatæ damnum spirituale, vel temporale importare possunt; si verò ratione satisfactionis, præcipuè animarum Purgatorij, tunc etiam plana est iniquitas, cùm eas acerbissimis doloribus cruciatas debito à se suffragio differat liberare. Et Marchinus putat quòd Sacerdos teneatur restituere eleemosynam acceptam, si Missa celebranda erat pro beneficio aliquo temporali impetrando, & ob culpabilem eius moram, vel nullo modo, vel segnius est impetratum; violatio enim iustitiæ obligationem parit restituendi. Sed huic sententiæ, non adhæret Pater Hurtadus *loco citato n. 198.*

Alibi infra in Ref. 47. & in alia eius not.

13. Et tandem nota, quod aliqui, quos citat & sequitur noster Alphonsus de Leone *quæst. 7. sect. 10. & quæst. 8. sect. 16. de Capellaniis*, asserunt debere Sacerdotem sigillatim, ac distinctè dicere singulas Missas pro singulis, qui petierunt illas. At Bonacina *de Sacr. disp. 4. quæst. vlt. punct. 7. §. 3. num. 1.* & Auersa *de Sacr. Euchar. q. 11. sect. 17. §. admittunt*, posse Missas applicari coniunctim, & in confuso. Si nimirum Sacerdos qui recepit à quatuor personis quatuor stipendia, dicat totidem Missas pro cunctis, ita vt singulæ pro rata prosint omnibus; dum omnes Missæ dicantur intra latitudinem temporis concessi. Ego autem existimo hanc secundam sententiam in rigore sufficere, prima tamen magis mihi placet, & eius modus accommodatior, & vsitatior est.

RESOL. XLII.

An Sacerdos possit directè offerre Sacrificium Missæ pro aliquo Infideli, Turca, Hebræo, Cathecumeno, &c. & ab illis accipere consuetum stipendium?

Et docetur Sacerdotem non posse accipere stipendiũ pro Missa dicenda, & applicare fructum Missæ ipsi Sacerdoti

cerdoti proprium, & peccare contra iustitiam exhibendo pro certo stipendio munera incerta, & fructus Missæ incertos, stante opinione probabili tantum. Quod est, non posse Sacerdotes duas pitancias accipere pro eadem Missa, vnam quatenus applicat fructum Missæ medium, quem pro determinatis personis ex vsu Ecclesiæ celebrans offerre solet: & alteram, quatenus applicat fructum sibi proprium. Ex part. 10. tr. 12. & Misc. 2. Resol. 21.

§. 1. Affirmatiuè respondet Tamburinus, *Opusc. de Sacrif. Missæ, lib. 3. cap. 2. §. 2.* quia licèt Sacrificium Missæ illis non prosit, quoad meritum; siquidem infidelis, qui propter priuationem gratiæ est Dei inimicus, non est in statu meriti; neque prosit quoad satisfactionem, quia satisfacere pœnæ quis non potest, dum est in peccato mortali; neque enim pœna vlla remittitur ei, cui actu debetur pœna æterna: prodest tamen quoad impetrationem, quatenus eis impetrari possunt, mediante Sacrificio, aliqua bona temporalia, immò & spiritualia, vt sunt aliquæ bonæ inspirationes, & auxilia, vt Deus aliquantulum placatus eos infideles vocet ad fidem. Dices, non licebit ergo Sacerdoti integram stipem accipere; siquidem nec integrum Missæ fructum ei attribuere potest. Respondeo neque actu peccatori potest celebrans applicare totum fructum; & tamen nunquam hunc scrupulum iniecisti Sacerdoti, quasi non possit à sibi cognito peccatore integram stipem accipere. Dico igitur, ex vna parte, fructum impetrationis tanti esse, vt superet omnem æstimabilitatem pecuniæ: & ex alia infidelem, vel peccatorem offerentem eleemosynam velle interpretatiuè illud, quod velle rationabiliter potest. Cum igitur possit solùm participare de fructu impetrationis; hanc solam, & nihil præterea velle, præsumendus est. Ita Tamburinus.

2. Sed contrà illum stat Hieronymus Garcia *in Summa morali, tract. 3. diffic. 1. dub. 6. punct. 3. n. 25.* sic; [Digo lo segundo, el Sacrificio de la Missa puede ofrecerse por los Catecumenos, y infideles indirectè & sub generali quadam ratione, pero no en particular por este, ò aquel.] Ita ille; cui adde Marchinum *de Sacram. Ordinis, tract. 3. p. 2. cap. 7. n. 6.* ita aientem: Dicendum est, Missæ Sacrificium offerri posse pro Cathecumenis, & infidelibus indirectè, & sub generali quadam ratione, sed non in particulari pro hoc, vel pro illo. Si videlicet offeratur Missa pro conuersione infidelium, vt sic, vel pro conuersione hæreticorum Galliæ, aut Germaniæ; vel pro salute totius mundi, quod minimè prohibetur: imò in Missali extat Missa pro schisma tollendo, & pro pace Ecclesiæ vniuersalis: & Sacerdos in Canone, offerens profert hæc verba: Pro omnibus orthodoxis, pro Ecclesia tua Sancta, vt eam pacificare, custodire, & adunare digneris toto orbe terrarum. Ratio etiam suffragari potest, quia tunc Sacrificium non offertur directè pro illis, qui sunt extrà Ecclesiam, seu solùm directè offertur pro nostræ fidei propagatione: atque ità per se solùm intenditur Ecclesiæ bonum, licèt ex hoc nonnihil etiam spiritualis fructus in Paganos, & in infideles redundet, quod est indirectè pro infidelibus offerre. Tunc verò offeretur directè hoc Sacrificium pro illis, quandò offeretur pro aliquo bono ipsorum temporali, vel spirituali, descendendo in particulari ad hanc, vel illam personam: & hoc modo contendimus, nec licere, nec, si fiat, vllo modo prodesse his, pro quibus offertur. Hæc Marchinus.

Sup. hoc in tom. 4. tr. 1. res. 39. §. sed nota, & in alio § eius annot.

3. Verùm resolutio huius difficultatis pendet ex illa quæstione, an Sacerdos directè possit offerre Sacrificium Missæ pro infidelibus. Et negatiuæ sententiæ adhæret Castrus Palaus, *tom. 4. disput. 22. punct. 3. num. 4.* Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 2. q. 6.* Machadus, Lublinus, Huertos, Camerota penes ipsum Granadus *in 3. part. D. Thomæ, contro. 6. tract. 14. cap. 6. num. 3.* Hurtadus *de Sacram. disp. 11. de sacrif. Missæ, difficult. 4.* Azorius *tom. 1. lib. 10. cap. 22. q. 1.* Caspensis *in Curs. Theol. tom. 2. tract. 23. disp. 1. sect. 4. n. 4.* Vasquez *disp. 227. cap. 3. & seq.* Sotus *in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 7.* asserentes, Sacrificium Missæ, nec licitè, nec validè offerri posse pro non baptizatis viuis. Et in primis non posse pro illis licitè offerri, probatur ratione desumpta ex consuetudine; quia Ecclesia non baptizatis, quàtumuis Cathecumenis, denegat publicas orationes in Missa, excepto die Parasceues, ex peculiari priuilegio, in signum generalis redemptionis in eo die pro omnibus à Christo exhibitæ; in aliis autem diebus potiùs petit vt infideles conterantur: ergo Ecclesia hac consuetudine satis denotat, se nolle, & prohibere quòd fiant orationes publicè pro non baptizatis: ergo multo fortius prohibet, & non vult Sacrificium Missæ pro illis offerri, quia istud maius est Orationibus publicis, & non minùs publicum quàm illæ. Deinde non posse pro illis validè offerri probatur, quia Eucharistia vt Sacramentum non prodest illis, cùm tantùm sit instituta in Sacramentum baptizatis, ergo nec vt Sacrificium; quia etiam vt Sacrificium confert suos effectus instar Sacramenti ex opere operato. Consequentia patet, quia mirum esset & nullo fundamento affirmari posset, Christum Eucharistiam in Sacramentum pro baptizatis tantùm instituisse: & eandem in Sacrificium, quam etiam vt sic, instar Sacramenti, instituit, pro non baptizatis instituisse. Et hæc videtur expressa sententia D. Augustini, *lib. 1. de anima, & eius orig. c. 9. ante med. in 7. tom.* vbi aduersus Vincentium Pelegianum probat, pro paruulis decedentibus ante Baptismum Sacrificium offerri non posse, eò solùm, quia non sunt per baptismum, vel Martyrium regenerati. Quis enim (inquit) offerat Corpus Christi, nisi pro eis qui sunt membra Christi? Nemo autem fit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo. Cùm ergo hæc ratio non solùm paruulos, sed viros adultos non Baptizatos comprehendat; efficitur ex sententia Augustini, pro ipsis offerri Sacrificium non posse: quod ipse August. *eo lib. cap. 11.* expressis verbis indicauit. Idem clarissimè expressit Concil. Bracharen. *1. can. 35.* & Chrysost. *homil. 69. ad Popul. Antiochen. & serm. 3. in Epistol. ad Philippen. in morali expos. D. Thom. quæst. 79. art. 7. ad 2.* Ratio efficax est; quia non est credendum, Christum Dominum Eucharistiam in ratione Sacrificij instituisse pro iis, pro quibus in ratione Sacramenti non instituit; neque effectum Sacrificij communicandum esse, quibus Sacramenta communicari non possunt. Præterea, si Sacrificium Missæ ex opere operato effectum habere posset in non baptizatis; vt quid Ecclesia Cathecumenos peractis Orationibus, & finita lectione Euangelica excludebat? ne oblationi, consecrationi, & consumptioni præsentes essent.

4. Scio tamen, & concedo, opinionem affirmatiuam esse satis probabilem, quam tenent Suarez, Bellarminus, Henriquez, Layman, Sà, Cardinalis Lugo, Filliucius, Scorcia, Fagundez, Bonacina, Syluius, Villalobos, Ledesma, Ludouicus de San Iuan, quos citat Leandrus *vbi suprà*, quibus ego addo Lessium *in 3. part. D. Thomæ, quæst. 83. art. 1. dub. 9. num. 53.* Trullench. *de Sacram. lib. 5. cap. 2. dub. 4. num. 6.* Auersam *de Sacrament. Eucharist. quæst. 15. sect. 10.* Præpositum *in 3. part. quæst. 83. art. 1. dub. 21. n. 218. in fin.* Martinum de San Ioseph *in Me-*

nita

nita Confessariorum, tom. 1. lib. 1. tract. 10. de Eucharist. num. 14. Vvigers 3. part. quæst. 83. dub. 12. n. 61. Mercerum de Sacrament. quæst. 83. dub. 5. num. 9. & novissimè Dicastillum de Sacramentis tomo 1. tractatu 5. disp. 2. dub. 3. num. 47. qui asserit, posse offerri Missam pro bono ipso infidelium, vel spirituali, vel etiam temporali, vel in communi, vel in particulari, pro hac, aut illa natione, vel persona. Quod probatur ex usu veteris legis, in qua fiebāt sacrificia, vt pro Dario, 1. Esdræ 6. pro Spartiatis, 1. Machab. 12. pro Heliodoro, 2. Machab. 3. quia ratio sacrificij non erat tunc limitata: Ergo idem nunc licet propter eandem causam, quia nostrum sacrificium magis sufficiens, & magis vniuersale existit, quia sacrificium cruentum pro omnibus, quoad sufficientium, fuit oblatum à Christo. Sed istud non est minus vniuersale quoad efficaciam: ergo. Neque hoc est omnino alienum ab usu Ecclesiæ; nam ita factum esse in Ecclesia, ex multis Sanctis Patribus probant Henriquez, & Suarez vbi suprà, & ita intelligunt Paulum 1. ad Timotheum 2. vbi præcipit aut commendat orationes, & oblationes pro omnibus fieri, & pro Regibus, qui tunc infideles erant. Quem locum omnes Græci, & Latini Patres interpretantur de obsecrationibus quæ fiunt in Missa, & oblatione impetratoria.

5. Verùm licet hanc opinionem affirmatiuam, vt dixi, existimem esse probabilem; non tamen admittenda videtur opinio Patris Tamburini, videlicet, posse Sacerdotem recipere stipendium ab infideli, vt ei sacrificium Missæ applicet. Et ratio est, nam infidelis, dando stipendium pro Missa, præberet stipendium certum credens, quod sit capax fructus sacrificij Missæ, vt suppono, maximè si ad hoc faciendum à Sacerdote induceretur: & Sacerdos ei præberet fructum incertum: Nam (vt visum est; nec negari potest) opinio contraria, quam ego teneo, negat pro infidelibus posse offerri sacrificium Missæ. Quod confirmatur authoritate ipsius Patris Tamburini: nam vbi suprà lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 67. verè, & rectè docuit, Sacerdotem non posse accipere stipendium pro Missa dicenda, & applicare fructum Missæ ipsi Sacerdoti proprium; & adducit rationem: quia, quod talis fructus sit alteri applicabilis, est res satis incerta: Fideles autem, cùm afferunt stipem certam, non sunt fructui incerto satisfaciendi. Ergo idem debebat docere in casu quo sacerdos acciperet stipendium ab infideli pro Missa dicenda: nam vt visum est, sacrificium Missæ posse infidelibus applicari, res satis incerta est, vnde infidelis si sciret hoc, stipendium non daret. Et ideò Dicastillus vbi suprà, tractat. 2. disput. 1. dub. 9. num. 219. optimè, & verè docet Sacerdotem peccare contra Iustitiam exhibendo pro certo stipendio munera incerta, & fructus missæ incertos, stante opinione probabili tantùm: nam qui dat certum stipendium, nullo modo vult se subiicere incertitudini opinionum. Ita ille, quæ omnia applicanda sunt in casu nostro. Ergo. Opinionem tamen Tamburini admitterem in casu quo infidelis sciret diuersitatem opinionum, quæ inter Doctores extant, vel hoc Sacerdos innueret: tunc quidem posse recipere stipendium pro Missa dicenda, non dubito.

6. Et ideò ex dictis refellendus est nouissimè Pater Leandrus vbi suprà de Sacrament. tom. 2. tractat. 8. disput. 4. quæst. 10. asserens posse sacerdotem duas pitantias accipere pro eadem Missa: vnam quatenus applicat fructum Missæ medium, quem pro determinatis personis ex vsu Ecclesiæ celebrans offerre solet: & alteram, quatenus applicat alteri fructum sibi proprium, cui ipse renunciat, & alteri cedit. Sed hanc opinionem, Cardinalis Lugo, & ego cum multis aliis sæpiùs improbauimus: & improbat Tamburinus, & Dicastillo vbi suprà, & nouissimè Antonius Ruteus ex Ordine Minorum, de Sacrificio Missæ l. 1. disp. 1. quæst. 2. dub. 2. num. 7. vbi sic ait: Quæres, si verum est, Sacerdotem posse fructum ex opere operato specialiter sibi prouenientem alteri pro libito applicare: an vnica Missa possit satisfacere duobus stipendiis, applicando vni fructum medium, qui communiter applicatur, & alteri fructum hunc specialem sibi proprium? Respondeo nullo modo licere: Primò, quia fructus hic nullus est, cùm Sacerdos est in mortali, ideoque fructus huic applicatus esset incertus, & sæpè nullus, cùm tamen fructum aliquem certum applicare teneatur. Secundò, ignota est quantitas huius fructus, quem puto maiorem fructu medio. Denique, qui dato stipendio rogat Missam, intendit sibi applicari fructum medium, qui communiter applicatur ei, pro quo offertur sacrificium; & Sacerdos recipiens eleemosynam, tacitè ad id se obligat: ideoque licet applicare fructum hunc specialem duorum sacrificiorum, non satisfacere obligationi. Ita ille, cui adde, me citato Auersam de Sacramento Eucharist. quæst. 11. sectione 10. Caspensem in cursu Theologico tom. 2. tract. 23. disp. 3. sectione 8. num. 109. & me citato Garciam in Summa morali; tractatu 2. difficultate 10. dubit. 4. num. 14. & 15. & præter rationes adductas, præcipua est; quia qui dat stipendium pro Missa, intendit, & vult sibi applicari valorem certum; non autem incertum, & dubium, & manentem sub opinione Doctorum: incertum autem est, an Sacerdos possit illam partem in illum transferre: similiter est incertum, & valdè dubium, an habeat effectum ex opere operato, etiam quoad satisfactionem. Ergo, &c.

7. Reassumendo itaque omnia quæ dicta sunt in hac Resolutione assero, Sacerdotem non posse pro infidelibus directè Sacrificium Missæ in persona Christi, & Ecclesiæ pro ipsis offerre, vt fructum ex opere operato in illis habeat; atque adeò non posse ex illis consuetum stipendium accipere pro Missa dicenda.

recitanter lege infra doctrinam § vult. Resolutio. 229.

RESOL. XLIII.

An qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare sine sacrificij applicatione, vt vulgò dicitur, Con la sola, præsenza, *possit aliud stipendiū pro illa Missa accipere; & alteri applicare?* Ex part. 2. tract. 14. Resol. 80.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Alphonsus de Leone, vir huius literaturæ consultissimus, *in tract. de Iubileo part. 3. quæst. 20. num. 27.* Vbi sic asserit. Quando datur stipendium, non pro applicatione sacrificij, sed pro cultu Ecclesiæ, vel commoditate populi: tunc potest Sacerdos aliam eleemosynā accipere pro applicatione sacrificij, absque peccato & obligatione restitutionis. In dubio autem non præsumitur datum, vel relictum pro cultu Ecclesiæ, sed pro applicatione sacrificij, nisi aliud constet ex claris verbis testatoris, vel circunstantiis personarum. Vnde cùm fratres in Oratorio, seu eorum Ecclesia faciunt celebrare festis diebus, vel ob commoditatē ipsorū, vt Missam audiant, & ibi communicent, & aut ob commoditatem gentis vicinæ absque alia expressione: non intelliguntur Sacrificij applicationē velle, vt in praxi vidi multoties consultum, & practicatum à viris timoratis & doctis. Ita ille. Et antea hanc sententiam docuerunt etiam Fraxinellus *de oblig. Sacerd. sect. 4. concl. 4.* §. 8. & Homobon. de Bonis *de exam. eccles. part. 1. tract. 4. c. 13. quæst. 121.*

Sup. hoc in tribus Res. seqq. &. supr. in Res. 27. §. vlt. & in Res. 39. §. Adde, & in Res. 42 cursim in §. Nota hic.

2. Sed

2. Sed his non obstantibus, nouissimè negatiuam sententiam tenet Gauantus *in comm. ad rubr. Missalis rom. 1. p. 3. tit. 12. n. 5.* vbi ita ait. Qui tenetur alicubi celebrare absque applicatione Sacrificij ad diuinum cultum tantùm: ita debet ibi celebrare, vt nullo modo accipiat stipendium ab alio, vt illi applicet Sactificium sibi liberum, quod expressè vetuit sacra Concilij Tridentini Congregatio in Declarationibus Decreti *de celeb. Miss.* sub Vrbano VIII. emanati. Ita Gauant. Verba verò sacræ Cógregationis hæc sunt. Ad quartum respondetur, Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione Beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere. In quibus verbis sacra Congregatio absolutè, & sine vlla distinctione videtur prohibere Sacerdotibus, ne pro vna Missa duplicatũ stipendium accipiant; vnde corrueret etiam opinio posita *suprà in resol.* 14. Ratio horum omnium esse potest, quia stipendium non datur pro Sacrificio ipso, & fructu spirituali: nam hoc esset simonia, sed exhibetur pro labore extrinseco, quod est pretio æstimabile. Vnde Episcopus, his omnibus consideratis, statuit quantitatem iusti stipendij. Ergo vna Missa non meretur, nisi vnicum stipendium iuxta Episcopi taxationem, nisi occurrerent aliæ circumstantiæ, quas supponimus non accidere in casu nostro.

Quæ hic est supra Res. 38. & in aliis eius annot. primæ.

RESOL. XLIV.

An, qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare, vt vulgò dicitur: Con la sola presenza, *possit aliud stipendium pro illa Missa accipere, & alteri applicare?* Ex p. 4. rr. 4. & Misc. Res. 16.

§. 1. PRo affirmatiua & negatiua sententia *in part. 1. tract. 14. resol. 80.* adduxi aliquos Doctores, & pro affirmatiua sententia etiam post decreta Sanctiss. D.N. Vrbani VIII. stat Bartholomæus à S. Fausto *in tract. de Iubileo lib. 1. 9. 81.* vbi, sic ait. Quando Sacerdoti datur stipendium non pro applicatione sacrificij, sed pro cultu Dei, vel commoditate populi, potest tuta conscientia aliud stipendium accipere pro applicatione sacrificij. Hinc confratres qui faciunt in Oratorio celebrare diebus festiuis, vel ob commoditatem ipsorum, vt Missam audiant, aut ob commoditatẽ vicinæ gentis absque alia expressione, non intelliguntur sacrificij applicationem velle. Ita ille, & nouissimè in terminis dictorum decretorum Vrbani VIII. hanc etiam opinionem tenet Ludouicus à Cruce *in expositione Bullæ Cruciatæ, disp. 3. dub. 19. n. 21.* vbi sic ait. Nec dictis obest declaratio sacræ Congregationis sub anno 1626. dum ait, Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, capellæ; legati, aut salarij, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrãdis susceperint, non posse eadem Missa vtrique oneri satisfacere. Respondetur enim intelligi dum Sacerdotes prædicti celebrare tenentur pro peculiari alicuius intentione. Hæc ille. Et tandem hanc sententiam non obstante decreto Vrbani VIII. nouissimè docet etiam Homobonus de Bonis *in consult. cas. conscient. vol. 2. part. 5. respons. 63.* Vnde corruit argumentum quod Gauantus pro sua adducebat sententia, nempe Cardinales Concilij sic determinasse, nam eorum responsio non intelligitur in casu nostro, quando Sacerdos non habet obligationem peculiarem applicandi valorem pro alicuius intentione: vide etiam Fraxinellum *in editione nouissima de Sacerd. obligat. ad dicendam Missam, sect. 4. concl. 6. §. 8. num. 1.*

Quæ hic est Res. antecedens & in duabus Res. seq. & supra in Res. 17. §. vlt & in Res. 39. §. Adde. & in Res. 41. cursim in §. Nota hic.

2. Verùm his non obstantibus sententiam negatiuã & nouissimè tuetur & docet doctus Augustinus Barbosa *in tract. de officio Parochi, cap. 11. num. 11.* & pro hac sententia adducit aliam decisionem sacræ Congregationis diuersam ab illa, quam attulit Gaustus editam *die 1. Septemb.* 1629. Vnde immeritò Turrianus *in select. part. 2. disp. 31. dub. 16.* asseruit hanc sententiam nullam habere probabilitatem, & procedere ex ignorantia; sed iste author, vt alibi dictum est, rigidè, se gerit in censurandis aliorum opinionibus, vt docti viri eiusdemmet Societatis fatentur.

RESOL. XLV.

An quando solum constat Capellanum teneri quotidiè celebrare in tali Ecclesia, vel Altari, teneatur applicare valorem Missæ pro Fundatore Capellaniæ? Ex p. 6. tit. 6. & Misc. 1. Res. 13.

§. 1. HÆc dubitatio habet locum præsertim in antiquis Capellaniis, quæ quibus conditionibus seu oneribus fundatæ fuerint ignoratur, sed solùm certum esse potest ex antiquo vsu, & facili obligationibus in tali Altari tot Missas in anno, mense, hebdomada, vel die celebrandas. Et quidem in tali casu negatiuam sententiam circa quæstionem propositam tenet Philibertus Marchinus *de Sacramento Ordinis tract. 2. part. 2. cap. 27. n. 5. & seq.* Putat enim non esse Sacerdotem onerandum applicatione Sacrificij, nisi manifestè constet de tali obligatione; & consequenter posse alteri fructum Missæ applicare, & nouum stipendium accipere. Et ratio est, quia *in leg. quidquid adstringendæ ff. de verb. oblig.* hæc verba habentur. *Quicquid adstringendæ obligationis causa dictum est, id, nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est, aut certè secundum promissorem interpretamur, quia stipulatori liberum fuit verba late concipere.* Sic ibi. Hinc ortum fuit illud axioma. *Propositum mente retentum nihil operatur.* Ergo si fundator non se declarauit per verba importantia Missæ fructum, nulla oritur in Capellano obligatio ad illius applicationem, & sibi fundator debet imputare, si meritem suam non aperuit: imò in dubio præsumendum est, si voluisset, vtique declarasset. Secundò, lex quælibet etsi iusta, non ligat subditum, nisi sit ei sufficienter promulgata & intimata, seu nisi habeat claram legis notitiam: sed onus applicandi sacrificium est quasi lex priuata, & contractus quidam onerosus, qui expressa contrahentium voluntate perficitur. Ergo Sacerdos non est onerandus onere applicationis sacrificij, nisi habeat claram de illo notitiam. Tertiò in dubio melior est conditio possidentis suam libertem. Ita Marchinus.

2. Sed contrariam sententiam docet Bonacina *de Sacramentis disp. 4. quæst. vlt. punct. 7. §. 2. n. 13.* Gauantus *in Rub. Missalis part. 3. tit. 12. n. 5.* Homobonus *in Exam. Eccles. part. 1. tract. 4. cap. 13. quæst. 121. in fine.* Quibus adde nouissimè Ghilinum *in summa verb. Missa celebratio, num. 23.* vbi sic ait. Quando nullo modo constat de fundatione Capellaniæ, cùm nulla reperiatur scriptura, sed solùm constat ipsum Capellanum teneri quotidie celebrare in tali Ecclesia, vel in tali altari, tenetur obtinens Capellaniam Missæ valorem applicare pro fundatore Capellaniæ. Ratio est, quia fundator censetur sibi voluisse consulere omni meliori modo, applicando sibi Missæ valorem, cùm agatur de salute animæ, de qua præsumendum est vnumquemque curam habere, & etiam quia Capellaniæ regulariter loquendo solent institui cum onere applicandi Missæ sacrificiũ pro fundatore.

Sic

Sic ille. Et hunc casum videtur definiuisse Sacra Congregatio in declarationibus Decreti *de celebr. Miss. in ordine ad 4. dubium*, vbi sic habetur. Ad 4. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.

3. Verùm ad omnia hæc argumenta conatur respondere Marchinus; & ad auctoritatem Sacræ Congregationis putat decretum illud loqui de Capellis, quæ habent onus applicandi pro fundatore sacrificium, non de iis quibus simplex celebratio, seu officiatura cum tenui eleemosyna iniuncta manet. Sed an hæc opinio sit probabilis aliis iudicandum relinquo, mihi enim non placet, & ideò nouissimè illam refellit auctor casuum conscientiæ Bononiæ discussorum anno 1634. mense Februario, *cas. 1. fol. 9.* Auctorem dictorum casuum asserunt esse P. Carolum Zambertum Societatis Iesv.

RESOL. XLVI.

An Sacerdos possit accipere duplex stipendiu, vnum pro applicatione sacrificij, alterum pro officiatura Missæ?

Et infertur, non posse Sacerdotes accipere duo stipendia pro vna Missa, applicando vni fructum medium, & alteri suum specialissimum: vel applicando vni Missæ satisfactionem, & alteri impetrationem.

Et an, si aliquis Sacerdos, acceptis pluribus stipendiis iustis bona fide in ea opinionem apud se probabilem, applicauerit multis vnicam Missam, teneatur postea, cognita veritate, supplere, vel alias Missas applicando, vel stipendia restituendo?

Et tandem notatur, quod Sacerdos ordinatus, & celebrans cum Episcopo potest illud sacrificium alteri applicare. Ex p. 11. tr. 8. & Misc. 8. Ref. 67.

§. 1. SÆpiùs in praxi accidit hic casus, & de illo alibi à nobis pertractatum est, & me citato, illum latè discutit affirmatiuam sententiam tenendo Eminentiss. D. Meus Card. Lugo *de sacram. Eucharistiæ disp. 21. sect. 1. n. 19. cum seqq.* Idem docet, me citato Leander *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 4. q. 12.* & me citato, Hermannus Busembaum *in Medulla Theolog. Moral. lib. 6. tract. 3. cap. 3. dub. 1. n. 7.* & me citato; Garzias *summa Theolog. Moral. tr. 3. diffic. 10. dub. 3. num. 6.* & me citato Pellizzarius *in Man. Reg. tom. 2. tract. 6. cap. 3. n. 20.* Idem etiam docet P. Tamburinus *opusc. de sacrificio Missæ lib. 3. cap. 1. §. 3. n. 14.* sic asserens; Dubitabis an liceat Sacerdoti accipere duplicem eleemosynam, alteram pro præsentia, seu quam vocant officiaturam, alteram pro intentione, seu applicatione?

Alibi in tribus præced. Ref. & supra in Ref. 17. §. vlt. & in Ref. 31. §. Add. & in Ref. 41. cor. fin. & Notandum quamvis non dicant plenissime supra hanc quæst.

2. Respondeo, quando constat petentem Missam, dato stipendio, etiam integro, solum voluisse præsentiam, potest accipere aliud integrum stipendium pro applicatione, & è contrario. Ratio est, quia stipendium pro præsentia, recipitur propter laborem extrinsecum Missæ, quo in tali loco, vel tempore Missa assumitur celebranda: stipendium verò pro applicatione pro ipso sacrificio, eo modo, quo supra §. 1. *n.* 2. fieri sine labe simoniæ posse docuimus. Ita Tamburinus, qui postea *n.* 25. respondet ad declarationem Cardinalium, & dicit non esse contra eum: ipsa enim solùm loquitur de iis qui habent capellaniam, legatum, vel solarium cum onere applicandi pro fundatore, non verò de iis, qui ad præsentiam solam obligantur: fuisset enim iniustum, si iis, qui præsentiam solùm debent, & applicatio est sua, prohibuisset, ne quod in sua est potestate, aliis dare potuissent. Sed audiamus Dicastillum *de Sacram. tom. 1. tract. 4. disp. 4. dub. 23. n. 436.* vbi sic ait: Tota difficultas est, suppositâ quadã Bulla Vrbani VIII. & declaratione Congregationis Concilij anno 1626. à qua quæsitũ fuit; An qui tenentur ratione beneficij, capellæ, legati, aut solarij, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votiuis, aut defunctorum recipere, & vnico Missæ sacrificio vtrique oneri satisfacere? Congregatio respondit, prædictos quibus diebus tenentur celebrare ratione beneficij, Capellæ, legati, aut solarij, si eleemosynas pro aliis Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere. Propter hæc verba Gauantus, Barbosa, & Diana, quos refert Lugo *disp. citata, n.* 20. putant non licere. Sed ipse Lugo cum Suario, Vazquio, & aliis licere putat, & testatur de communi sententia, pluresque ex iis, qui scripserunt post eam Bullam, & responsum censere ibi sermonem esse de Sacerdote, qui ratione prædictorum obligatur certis diebus celebrare pro aliquo, & de hoc ait non posse vtrique satisfacere. Quæ doctrina mihi placet, & rectè ab eodem Lugone confirmatur. Ego sanè legi per otium Bullam, & nihil est quod cogat aliter sentire, sicut neque in alia simili, quam refert Barbosa *tract. de offic. Parochi cap. 11. n. 11.* addit etiam Lugo postea sententiam mutasse Dianam, & qui cum Gauanto senserat *tract. illo 14. resol. 80. in 2. part.* nostram sequi. Diana tamen *in 4. part. tr. 4. resol. 16.* non omninò videtur hoc sentire: Quamuis enim principio videatur huic sententiæ fauere, circa finem, & laudat Barbosam, & testatur de noua alia declaratione facta 1. Septembr. 1629. & taxat Turrianum, quod acerbiùs inuehatur in eam Barbosæ sententiam. Ita Dicastillus. Et tandem hanc sententiam tenet P. Auersa *de Sacram. Eucharist. quæst. 11. sect. 17.*

Quæ hic est supr. Ref. 43.

Quæ hic est supr. Ref. 44.

3. Sed licet hæc opinio tantorum Doctorum auctoritate fulciatur, tamen circa illam ego semper habui maximam difficultatem, vt optimè obseruat Dicastillus, & Garzias locis citatis, quia video declarationes Congregationis esse nimis claras pro sententia negatiua; & primò contra Cardinalem Lugo in ordine ad Parochiam stat declaratio, quam ego adduxi *in part. 4. tract. 4. resol. 16.* & generaliter pro omnibus Sacerdotibus nunc inuenio aliud Responsum 1627. Sacræ Congr. Episcopo Fragarit nsi tenoris sequentis: an Sacerdotes qui nulla alia obligatione, in confraternitatibus, vel in Monasteriis Monialium celebrant, quàm pro ornatu Ecclesiæ, vel vt Confratres vel Moniales satisfaciant præcepto audiendi Missam, possint vltra stipendium quod recipiunt à confraternitate, vel Monialibus, aliud stipendium recipere? Die 9. Ianuar. & 6. Februar. 1627. Sacr. Congreg. Illustriss. Cardinalium Concilij Trid. interpretum respondit, non posse. Cosmus Card. de Torres. Franciscus Paulutius Secretarius. Hanc declarationem adducit Paz Iordanus *tom. 1. lib. 4. titul. 1. n. 516. fol. 340.*

Quæ hic est supr. Ref. 44.

4. Itaque huic declarationi, vt patet, non possunt applicari, nec adaptari interpretationes adductæ à Cardinali Lugo, Dicastillo, & aliis pro alia declaratione emanata ann. 1626. nam in ista posteriori ad Episcopum Fragarienem supponitur aperte Sacerdotes non habere aliam obligationem dicendi Missam; nisi *con la sola presenza*, vt vulgò dicitur, id est sine applicatione sacrificij; & tamen Congregatio respondit non posse recipere nisi vnum stipendium, etiamsi celebrent pro sola officiatura. Et ideò præter Gauantum, & alios à me alibi adductos, nouissimè Angelus Possentius *in Recollectione quæstionum Moralium, verb. Missa, cap. 4. n. 22.* Stantibus decretis Vrbani VIII. docet, Sacerdotem qui in aliqua tenetur

tur Ecclesia, pro illius cultu, vel populi commoditate, citra sacrificij obligationem applicandi, non posse pro illius applicatione aliunde stipendium accipere. Ita ille: cui etiam adde Ioan. de Soria *in Epilogo summarum p. 2. tr. 5. disp. 2. §. Circa stipendium.* Ratio verè pro supradicta sententia videtur esse, quia cùm stipendium Missæ detur ad sustentationem Sacerdotis, consequens est, vt si Sacerdos accepit stipendium ab aliquo pro illa Missa, non habeat ius accipiendi rursus stipendium ad sui sustentationem ab alio pro eadem missa: cessat enim titulus sustétationis exigendæ.

5. Vnde ex his optarem Emin. Card. Lugo nunc dum est adscriptus inter Purpuratos Patres Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, vel suam sententiam defendere, & firmare, vel alteram ita per Sacram Congregationem determinari, vt non sit amplius locus Doctorum interpretationibus.

6. Aliqui verò asserunt supradictas Cardinalium declarationes pro negatiua sententia procedere, quando res est dubia: secus autem quando expresè offertur eleemosyna pro sola præsentia, & non pro applicatione, & adducunt declarationem Congregationis Concilij die 13. Iulij 1630. asserentis, quod quando in fundatione beneficij, seu Capellæ expresè cautum est: non teneri celebrantem ad applicationem sacrificij, eo casu poterit celebrans accipere nouum stipendium, & vnica Missa satisfacere obligationi beneficij, seu capellæ, & item danti nouum stipendium. Hæc ille. In qua Gauantus *in Rubric. Missalis, part. 3. tit. 12. num. 5.* obseruat verbum *expresè*, sed in declaratione facta Episcopo Fragarienſi videtur nullam obligationem supponi pro applicatione sacrificij, sed tantùm stipendium dabatur pro officiatura: & tamen Congregatio respondit, tales Sacerdotes non posse aliud stipendium pro applicatione Missæ accipere. Ideò, vt dixi, optarem Sacram Congregationem in posterum claram resolutionem præsentis dubij procedere: etiam quidem ab ipsis Eminentissimis Cardinalibus considerandum videtur, quod quamuis stipendium ministrorum Ecclesiæ assignandum sit per ordinem, ad sustentationem personæ, non debetur integra sustentatio pro vno tantùm ministerio, sed pro omnibus, quibus possunt occupari tales ministri. Missa autem non est integra diei occupatio, sed vnius horæ. Vnde rectè Vasquez probat, pro officio Missæ non deberi sacerdoti stipendium sufficiens ad victum totius diei, sed tantùm ad partem victus, quia quamuis dignus sit operarius Euangelij mercede sua pro victu, & sustentatione, non tamen omnes eodem modo: Nam si is, qui toto die in Ecclesiastico ministerio, legendo, studendo, docendo, ministrando Sacramenta, &c. occupatur, aut toto die ad hæc, aut ad alia ministeria, provt occurrerit occasio, obligatus existit (qua ratione obligabitur Parochus) nihil ampliùs meretur, quàm moderatè victum, & vestitum suum, aut familiæ; quo pâcto quæso tantumdem etiam mereri poterit, qui vna tantùm hora totius diei in celebratione Missæ occupatur? Quo solo ministerio non impeditur clericus, quo minus possit aliqua honesta via aliquid lucrari ad vitam sustentandam, vt habetur *cap. Clericus victum 87. distinct.* atque hac ratione tamen ab Ecclesia stipendium per ordinem ad laborem, & occupationem ministerij.

7. Itaque non esset secundùm æquitatem iustitiæ, vt Sacerdotibus integra detur sustentatio pro sola Missa, nec Ecclesia id vult, imò propterea strictè cauit, ne quis ordinetur sine beneficio, aut patrimonio, vt habetur *cap. non licet, cap. Episcopis, cap. tuis, c. cùm secundum Apostolum de præbendis*, & in Tridentino *sess. 21. cap. 22. de reform.* Et sanè *in cap. illo non licet, & cap. Episcopus*; & *cap. secundum Apostolum*, iubetur Episcopo, vt alat Sacerdotem, quem sine bonorum possessione ordinauerit. Quod si casu aliquo post ordinationem in paupertatem deuenerit Sacerdos aliquis, non est liber ab illa sententia Domini *Genes. 3.* in sudore vultus tui vescéris pane. Quapropter arte aliqua, vel agricultura quærat sibi victum (vt dicitur *cap. Clericus 91. dist.*) fugiat otium laborando, præbeat bonum exemplum, imitetur Apostolum. Ideò D. Hieronymus relatus *cap. nunquam, de consecrat. distinct. 5.* assignat varia officia in quibus potest se exercere Clericus, potiùs quàm propria auctoritate vsurpet sibi aliorum bona: non enim instituit Christus Dominus sacrificium Missæ instar mechanicæ artis ad sustentandam vitam corporalem Sacerdotum, sed ad alendam vitam omnium spiritualem. Vnde aliqui putant nihil probabilitatis habere id quod aliquot recentiores Thomistæ, vt referunt Corduba, & Petrus Nauarra (inter quos, vt refert Henriquez, est Bannez) qui omnes dicunt pro vna Missa licere accipere à multis stipendia necessaria pro soluendis debitis, emendis libris, alendis parentibus, aut sororibus, qui vnum cum sacerdote reputantur. Et id quod Paulus asserit; *Qui altari seruit, de altari viuere debet*: intelligendum est iuxta occupationem, & laborem ministerij, nisi velint hi Auctores concedere, quod qui dixerit duo responsoria pro vno defuncto, possit exigere integrum victum illius diei, quia ministrauit altari; quod nullo modo concedendum est: imò Sotus, & Petrus Nauarra ex eo, quod stipendium est debitum iustitiæ, & habet suam proportionem, & ordinem ad laborem, vel occupationem; compulsi sunt concedere tantumdem posse accipere pro Missa Sacerdotem diuitem, quantum potest accipere pauper; vel certè tenentur asserere paupertatem nihil referre ad hanc rem, sed esse iniustum & imminutum stipendium illud commune taxatum ab Episcopis. Quod absurdum ne concederent Henriquez, & Rodriguez, in aliud non minùs absurdum inciderunt: nimirum Sacerdotem diuitem, eo ipso quod accipit stipendium, & ait pro illo se dicturum Missam, cedere iuri suo plus accipiendi. Sed cur, quæso, non idem potest dici de paupere, qui eodem modo accipit commune stipendium, & idem promittit.

8. Ex his omnibus apparet, rectè Sacram Congregationem in supracitatis declarationibus noluisse Sacerdotibus permittere pro Missa, nisi vnicum stipendium. Et tandem considerent Eminentissimi Patres, quod stipendium non præbetur Sacerdoti pro Sacrificio ipso, seu pro fructu illius: nam hoc esset simonia, vt rectè obseruat Dicastillus *de Sacrament. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 16. num. 320.* & alij communiter, sed præbetur, vt dictum est, in ordine, & in subsidium suæ sustentationis. At in nostro casu ex vno stipendio accepto iam Sacerdos ex illa Missa obtinuit debitam sustentationem ab Ecclesia præscriptam pro illo die: Ergo alterum stipendium non potest accipere, quia acciperet id quod sibi de iure minimè competit.

9. Ex his à fortiori infertur, reijciendas esse opiniones aliquorum recentiorum asserentium, posse Sacerdotes accipere duo stipendia pro vna Missa, applicando vni fructum medium, & alteri suum specialissimum, vel applicando vni Missæ satisfactionem, alteri impetrationem. Eliminandæ sunt ab Ecclesia Dei istæ nundinationes cum sanguine Christi. Et has sententias ego alibi reprobaui, & reprobat nouissimè doctus P. Antonius Escobar *in sua erudita Theologia morali parua, editionis vltimæ, tract. 1. exam. 11. cap. 4. num. 64.* & me citato Possentius *in Remin. collect. qq. mor. verb. Missa, cap. 2. num. 5.* si aliquis verò

Sacer-

Sacerdos acceptis pluribus ſtipendiis iuſtis bona fide iuxta opinionem apud ſe probabilem applicauerit multis vnicam Miſſam, exiſtimans, & intendens iis ſimul ſatisfacere, non teneri poſtea cognita veritate ſupplere, vel alias miſſas applicando, vel ſtipendia reſtituendo cenſet Bordon. *tom.1.var.reſol.25.quæſt.23.n.22.* quia talis Sacerdos non peccauit contra iuſtitiam: attamen quamuis hic non teneatur ratione iuſtæ acceptionis, tenetur adhuc ratione rei acceptæ, ſicut qui bona fide rem accepit, quam putauit eſſe ſuam, vel ſe iuſto titulo comparare, ſi poſtea nouerit, aut rem non eſſe ſuam, aut non iuſtè ſibi acquiſitam, tenetur equidem reſtituere, vel ſatisfacere, niſi per impotentiam excuſetur. Et ita me citato tenet P. Franciſc. Lugo *de Sacram.tom.1.lib.1.c.12.q.4.n.41.* & P. Auerſa *de Sacr.Euchar.q.11.ſect.17.§.quod ſi Sacerdos quiſpiam.* Nota hic obiter quod Sacerdos ordinatus celebrans cum Epiſcopo, poteſt illud ſacrificium alteri applicare, quia cauſa eſt illius. Ita Ioann. de Soria in Epilogo ſummarum *part.2.tract.1.ſect.6. diſp.2.§.circa ſtipendium.* Meratius *tom.3.de Euchariſt.diſp.38.ſect.8.n.4.* & Eſcobar *vbi ſup.n.61.* vbi ait, Sacerdotes celebrantes cum Epiſcopo, poſſe ſingulos cui voluerint integrè, & independenter voluntate alterius Miſſam applicare, quia ſinguli ſunt vera cauſa per ſe totius ſacrificij, ac ſi vnus ſolus offerret. Ita Eſcobar.

In hac bona fide, ſupr. Ref.24. & fine Ref. 48. & in Ref. 51. §. Dico. ad medium.

Sup. hoc notanter ſupra in Ref.35. & infra in Ref. 51. & Nota hic. & lege eſi doctrinam alterius Ref. earum occaſionum.

RESOL. XLVII.

An Sacerdos peccet mortaliter differendo celebrationes Miſſarum ad longum tempus?
Et quod tempus ſit ita longum? Ex p.2.tr.14. Ref.25.

Sup. hoc ſupra in Ref. 41. §. Nota etiam. & infra in Reſol. 5.

§.1. COmmuniter affirmatiuè reſpondent DD. quos citat, & ſequitur Bonacina *de Sacram. diſp.4.q.vltim.punct.7.§.5.n.2.* & præter illos docet etiam hanc ſententiam Homobonus *in exam. Eccl. part.1.tract.4. cap.14. quæſt.132.* Fernandez *in exam. Theol. p.3.c.5.§.11.n.4.* & alij.

2. Sed quod tempus ſit ita longum, vt mortale peccatum conſtituat, non explicant, & in hoc eſt difficultas, & Sacerdotes ſunt anxij. At Villalobos *in ſum.p.1.tr.8.dub.18.n.2.* explicauit. Et quia codex rarus eſt, ponam eius verba: [Pareceme podria vn Sacerdote cargarſe de 50. ò 60. Miſſas, y dichas aquellas, de otras tantas. A eſte tono podran los Conuentos encargarſe mas, ò menos, conforme al numero de Sacerdotes, que tuuieren.] Idem docet etiam Ledeſma *in ſum.tom.1.c.18.concl.17.*

RESOL. XLVIII.

Quid per modicum tempus intelligatur in reſponſionibus Sacræ Congregationis ad Decreta Vrbani VIII. de celebratione Miſſarum? Ex part.9. tract.6. & Miſc.1.Reſ.54. aliàs 55.

Sup. hoc in Ref. præcedenti ante ſupr. in Reſol.41. §. Nota etiam.

§.1. FVit à Sacra Congregatione quæſitum: *Decimo ſuper quinto eiuſdem Congregationis Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba:* Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demùm iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant: alioquin omnino abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant; &c. *Quæritur, an hoc Decretum prohibeat abſolutè, quominus accipiant nouas eleemoſynas ij, qui acceptis non ſatisfecerũt, & quid ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?*

2. Reſponſum verò fuit ita à Sacra Congregatione: *Ad decimum reſpond. Non prohiberi abſolutè, ac propterea, etſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.*

3. Sed dicta verba explanans Peytinus *de priuil. tom.3.conſtit.9.Vrbani VIII. fol.mihi* 381. ſic ait: [Per modicum tempus hîc intelligo ſpatium trium annorum, quo ſpatio terminantur Officia, vt plurimũ Regularium: cùm enim hæc Decreta ſint odioſa, attenta præſertim Mendicantium paupertate, debent ita interpretari, vt minùs lædant, quàm fieri poteſt: & cùm quid ſit modicum tempus, arbitrarium ſit, vt docent Tuſchus *lit.T.concl.37.n.12.* Menoch. *de arbitr.lib.2. caſu 31.n.5.* ideò per modicum tempus hîc intelligo ſpatium trium annorum; ſeu omninò remittendum eſſe Iudicis arbitrio, conſiderantis circumſtantias loci, temporis, perſonarum, &c.] Ita ille.

4. Verùm talem expoſitionem, quod modicum tempus in dictis verbis Sacræ Congregationis intelligatur ſpatium trium annorum, omninò reijciendam eſſe exiſtimo. Nam doctus P. Theſaurus *in præxi, p.2. verb. Miſſarum onera, in fin.* exiſtimat, ſpatium octo, vel decem dierum, & non vltra, intelligi per modicum tempus. Ego verò cum Ledeſma, & Villalobos, vt me citato, obſeruat Lezzana *tom.4. verb.Miſſa, n.39.* putaui ſpatium 50. aut 60. dierum ad plurimum eſſe modicum tempus.

5. Vnde ex his apparet, opinionem Peyrini, tanquam laxam, & improbabilem reijciendam eſſe. Nec putent Lectores noſtram ſententiam non eſſe ſatis benignam: nam Pellizzarius *in Man. Regul. tom.1. tr.5.c.9.ſect.3.n.72.* me citato, & Eminentiſſ. Cardinali Lugo, ſic ait: [Iudicio ſupradictorum Authorum modicum tempus cenſebitur ſpatium 50. aut 60. dierum: notabile autem tempus erit, quod excedit tale ſpatium. Verùm hæc doctrina, licèt ſit valdè rationabilis in caſu quo ſupradictus numerus Miſſarum vni, ac eidem promittatur ex ſtipendio; cùm ſic præſumatur cedere iuri ſuo, & eſſe contentus tali dilatione, vtpote ſciens ab vno Sacerdote non poſſe dici tot Miſſas, niſi tanto temporis interuallo: in caſu tamen, quo illæ plures Miſſæ petantur à diuerſis, & quidem non ſcientibus illum Sacerdotem eſſe aliis multis Miſſis oneratum; non videtur talis doctrina ita facilè admittenda, (idq; ob rationes adductas *§.præced.*) niſi Sacerdos præmoneat petentes ſe iam eſſe obligatum ad tot, vel tot Miſſas, & nihilominus petentes alias Miſſas ab eo exigant; nam ſic præſumuntur cedere iuri ſuo, & conſequenter non poterunt conqueri de dilatione. Quanquam niſi Miſſa petatur pro aliqua inſtanti neceſſitate, iudicio prudentis, non patiente moram, probabile ſit, Sacerdotẽ ſine dicta præmonitione poſſe ſe ſimul obligare ad 15 aut 20 Miſſas, etiã à diuerſis petitas ex ſtipendio, & hoc ex interpretatiua voluntate ipſorum petentium.] Ita Pellizzarius.

6. His tamen non obſtantibus, me citato, nouiſſimè noſtram ſententiam approbat Doctiſſ. Hier. Garcia *in ſum.mor.tract.3.diffic.10.dub.8.n.4.* ſic aſſerens: [Solo pues eſta la dificultad en ſeñalar el tiempo que ha de paſar, para que ſea pecado mortal la omiſſion de las Miſſas. Los Legiſtas in l. *Si cùm dies, ff. de recept.arbitr. ad verba Papiniani: Si intra modicũ tempus, dederit pœnam,* &c. diſputan qual ſea *modicũ tempus*, y communmente reſponden, teſte Menochio *de arbitr.iudic.lib.2.cent.1. caſu 8.n.10. ad fin.* que ſe ha de eſtar à juizio de buen varon, conſiderada la materia, y calidad de las perſonas: y aſſi en vna deciſion de la Rota *in cauſa Bononienſi* (teſte Marchino *vbi ſu-*

pra,n.5.) se resoluio, que le era lecito al Sacerdote recebir nueuas cargas de Missas, si dentro de vn mes podia cumplir con las ya recebidas de otras, si ya las Missas no piedesen mas breuedad. Otros Iurisconsultos lo estienden à dos meses, y se colige *ex Can. præsentium,7.q.1.* donde no se llama ausente el, que por enfermedad faltò dos meses à la Iglesia. Lo mismo consta del Concilio Tridentino *sess.23.de reform. cap.1.* & *sess.24. cap. 12. de reform.* donde se llama *modicum tempus*, quando falta dos meses vn Canonico al Coro, luego segun esta cuenta parece, que podra tomar vn Sacerdote hasta 60. Missas de vna vez, y las Iglesias, proportione seruata, segun tuuiere Capellanias; saluo quando son por algun caso occurrente. Contestan con esta dottrina Ledesma, Villalobos, Diana, Lugo, y à este modo, proportione seruata, podran los conuentos encargarse de mas, ò menos cantidad, segun el numero de los Sacerdotes que tuuiere. En la Religion de Santo Domingo ay ley, que no reciban los Religiosos de vna vez mas que 50. Missas. En nuestra Religion ay precepto riguroso, que no se reciban Missas sin registrarlas al Prelado, dixiendole las, que tiene por dezir, para que no cargue mas de las que puede cumplir en dos meses à los mas largo.] Hæc ille.

RESOL. XLIX.

An Sacerdos pauper, qui pro die occurrenti non habet eleemosynam pro Missa celebranda, possit Missam celebrare, & illam applicare pro primo offerenti stipendium, quem Deus scit futurum primum? Ex part.2.tr.14.Resol.15.

§.1. Affirmatiuè aliqui viri docti respondent. Ita Henriquez *lib.9. cap.21.n.2.* Vega *in sum.tom.2. cap.41. cas.5.* Fernandez *in exam. Theol. mor.p.3.c.5.§.9.n.5.* Fraxinel. *de oblig. sacerd. sect.5.præ-not.5.§.5.n.1.* Petrus de Aragona *in 2.2.q.85. art.3.* Petr.à Nauarr. *de restit.lib.2.cap.2.n.373.* Rodrig. *in sum.tom.1.cap.242.n.9.* Henriq. *lib.8.c.21.n.2.* & alij quamplures recentiores, quorum sententiam probabilem vocauit noster Molfes. *in sum.tom.1. tr.3.c.16. n.28.* & Reginald. *in praxi, tom.2. lib.23.c.17.n.233.* Ratio est, quia licet opus illud sit præteritum respectu nostri, in Dei tamen acceptatione, & æternitate est præsens, vnde respectu Dei acceptantis est ita recens, & præsens, ac si eodem momento offerretur.

2. Sed his non obstantibus, contrariam sententiam docuerunt Riccius *in praxi,p.3.ref.361.n.3.* Barbosa *de potest. Episc.p.2.alleg.24.n.12.* Homob. *de examin Eccl. p.1. tr.4.c.14. quæs.130.* Ioan.de la Cruz *in direct.conse.p.3. de sacrif. Missæ,q.1.dub.8.concl.1.* Fagundez *de præcept. Eccl.p.1.lib.9.cap.9.n.10.* Corduba *lib.1.q.4.dub.6.* Coninch *de sacram.q.83.art.5.dub.9. n.168.* Filliuc. *tom.1.tr.5.c.3.n.79.* Molfesius, Reginaldus, Suar. & nouissimè mordicùs docet hanc sententiam doctissimus Petr. Cenedo *in qq. Canonic. q.28. num.6.*

3. Et licet Illustrissimi Cardinales in decreto Vrbani VIII. nihil de hac quæstione attingant, tamen antea ex mandato Clementis VIII. sub die 15. Nouembris 1605. sententiam superiùs positam, tanquam pluribus hominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem improbarunt, & condemnarunt. Declarationem Cardinalium adducit de verbo ad verbum Cenedus *vbi suprà*, & Riccius.

RESOL. L.

An detur aliquis casus, in quo Sacerdoti liceat Missas celebrare anticipatè? Ex p.2.tr.14.Resol.16.

§.1. Respondeo dari, & erit, si ex obligatione alicuius Capellæ teneatur Missas certas singulis hebdomadis celebrare, vel in posterum pro certa intentione, quia tunc si aliter non exprimatur in fundatione Capellaniæ, potest Sacerdos in antecedente hebdomada tales Missas celebrare. Ita Riccius *in praxi p.3.resol.338.* Petr. de Ledesma *in sum.p.1.de Sacr. Euchar.c.18.concl.17.* Rodrig. *in sum.tom.1.c.253.n.8.* Reginald. *in praxi.tom.3.lib.23.c..n.237.* & alij, licet Fernandez respondeat cum distinctione *in exam.mor. Theol.p.3.c.5.§.9.n.5.*

RESOL. LI.

An Sacerdos, qui præterita die applicauit Missam pro Petro, & nihil postea celebrando Missam de applicatione Sacrificij cogitauit; quod est quærere, an Sacerdos in Missa actualiter, vel virtualiter debeat applicare Sacrificium pro eo, qui dedit stipendium? Ex part.2.tract.14.Resol.47.

§.1. Affirmatiuè respondet Vasq. *in 3.p.tr3. disp. 238.c.6.n.76.* putat enim, vt sacrificium alicui applicetur, & vt tale ei profit, debere à voluntate offerentis proximè, vel remotè procedere. Vnde si quis offerat Missam, & hæc voluntas postea in celebrationem ipsius Missæ nullo modo influat, vt neque proximè, neque remotè eius causa sit, voluntas illa proderit per modum impetrationis: at verò sacrificium ipsum non item. Putat igitur Vasquez, applicationem Missæ debere fieri actualiter, vel virtualiter tempore eiusdem sacrificij: philosophatur enim ex pacto de applicatione, ac de intentione conficiendi sacramentum. In hanc sententiam incidunt Betancius *in sum.Corona, p.4.cap.5.n.9.* Beia *p.1.cas.23.* & Fraxinell. *de oblig. sacerd. sect.4.concl.4. §.7.n.1.* qui putant, Sacerdotem in *Memento*, debere applicare valorem Missæ eis, pro quibus tenetur celebrare.

2. Sed si hæc sententia amplectenda esset, multis scrupulis agitarentur sacerdotes. Ideo contrariam opinionem probabilem esse puto, quam tenent Suar. *in 3.p.to.3.disp.13.sect.3.concl.2.* Bonac. *de sacr.disp.1. q.3.punct.2.§.3.n.11.* & Molfes. *in sum.tom.1.tr.3.c.4. n.13.* Distinguendum est igitur in hoc casu. Vel præterita die Sacerdos absolutè applicat pro Petro fructum sacrificij die craftina offerendi, & tunc valet talis applicatio, licet postea in Missa nihil de tali applicatione sacerdos cogitet. Vel non applicat determinatè, sed habet voluntatem craftina die applicandi, & in hoc casu talis applicatio minimè valet.

3. Vnde contra Vasq. est dispar ratio inter applicationem, & intentionem conficiendi sacrificium. Quia voluntas, qua offertur sacrificiũ, non est necesse, vt sit operatiua sacrificij, sed solũ applicatiua fructus eius: & ideò fieri potest per simplicẽ voluntatem, quæ antecedat ipsum sacrificium, & postea nihil circa ipsum operetur. At verò intentio conficiendi Sacramentum, debet esse intentio operatiua conficiendi ipsum sacrificium, & ideò quando nihil actualiter, seu virtualiter operatur, non est ad sacramẽtum sufficiens: neque est propriè voluntas efficax eius. Ex his apparet quod ad applicandum sacrificium non requiritur intẽtio, quæ virtualiter duret tẽpore sacrificij. sicut requiritur ad conficiendum sacramentum. Vnde sufficit, quod sacerdos applicet absolutè sacrificium tali die offerendum, modò talis intentio non fuerit postea reuocata.

RESOL.

RESOL. LII.

An requiratur intentio saltem virtualis in eodem tempore Missæ, ad applicandum fructum Sacrificij, cui præbuit stipendium? Ex part.5.tract.14. & Misc.2. Resol.65.

§.1. AFfirmatiuam sententiam tenet Granado *in 3.part.de Sacram.controu.3.tr.5. disp.4. sect.2. n.14.* quia non aliter prodest, vel applicatur alicui fructus boni operis, aut Sacrificij, quàm offerendo illud pro tali persona; sed vt offeratur pro tali persona, requiritur intentio saltem virtualis offerendi pro illa, & non satis est quòd aliquando id quis voluerit. ergo vt alicui prosit bonum opus, vel sacrificium Missæ, necessaria est virtualis intentio. Maior videtur certa, quia si pro alio offeratur, illi non prodest. Minorem probo, quia illa oblatio debet esse voluntaria; sed sola habitualis voluntas non reddit oblationem voluntariam, ergo requiritur saltem virtualis. Minor patet, quia sola habitualis voluntas non sufficit, vt ratione illius aliquid fiat, sed perinde se habet, ac si non esset; propterea enim docent Doctores nec ad meritum, nec ad Sacramentum illam sufficere. ergo non potest dici voluntariè factum, aut oblatum, quod habituali voluntate fit. Concedendum ergo necessariò est requiri intentionem, seu *voluntatem* offerendi, quæ saltem virtualiter maneat *tempore* oblationis boni operis, vel sacrificij Missæ. Ita Granado. Vnde secundùm suam sententiam applicatio Missæ pro illo, qui dedit eleemosynam, esset facienda actualiter, vel virtualiter tempore eiusdem sacrificij.

2. Sed quia casus est quotidianus, etsi hæc opinio esset vera, multi sæculares præbendo stipendium fraudarentur applicatione sacrificij Missæ, & Sacerdotes grauiter peccarent. Ideo ne deseras videre meipsum *in part.1.tract.14.resol.47.* vbi negatiuam sententiam docui, quam, me citato, tenet nouissimè Ioannes de Lugo *de Sacram.disp.8. sect.6.num.93.* cui adde etiam Hurtadum *disp.4.de Sacram. in genere, difficult.5.* & Coninck *de Sacram.q.64.art.8. dub.2. num.76.* quia quamuis intentio habitualis non sufficiat ad efficiendum Sacramentum, neque ad efficiendum Sacrificium, quia ad id requiritur intentio factiua, quod conuenire nequit intentioni non perseueranti actualiter in se, neque virtualiter in aliquo effectu sui; sufficit tamen ad applicandum valorem, seu fructum Sacrificij faciendi ex alia intentione actuali, aut virtuali, quia ad applicandum valorem, aut fructum Sacrificij, non est necessaria intentio factiua Sacrificij, neque valoris illius, sed sufficit intentio applicatiua valoris futuri sacrificij faciendi ex alia intentione, & respiciens ipsum valorem, vt purum obiectum, & non vt effectum. quia ex eo tantùm quòd celebrans tunc quando fit Sacrificium, aut antea, velit suum Sacrificium aut existens, aut postea futurum alicui prodesse, dicitur illi sufficienter applicare valorem: ad id autem sufficit intentio habitualis, quia sufficit intentio non factiua, aut purè volitiua. Igitur possum hodie, verbi gratiâ, applicare alicui sacrificium, quod eras, vel infra dies aliquot celebrabo, manebitque ei applicatum, etsi de illo nihil amplius cogitem, modò non habeam voluntatem contrariam ante celebrationem, quia in tali casu voluntas non debet me mouere ad aliquid vlteriùs operandum, sed solùm mouere diuinam voluntatem, aut statim, ac sacrificem, eius fructum alteri applicet. Secus est de confectione Sacramenti, quam libera mea voluntas physicè debet causare applicando potentiam motiuam ad actum externum operandum.

Quæ hic est dict. antecedens, & in alio §. & vers. eius ac.

RESOL. LIII.

An Sacerdos post consecrationem possit applicare fructum Sacrificij Missæ, pro quo stipendium acceperat, si antea non applicauerat?

Et hoc procedit ex illa quæstione, an actio Sacrificij Missæ essentialiter consistat tantum in consecratione vtriusque speciei?

Et docetur multos DD. tenere in sumptione Eucharistiæ totam essentiam Sacrificij Missæ consistere. Ex p.10.tr.12. & Misc.2.Res.27.

§.1. REsolutio huius dubij pendet ex illa quæstione, an actio Sacrificij Missæ essentialiter consistat tantùm in sola consecratione vtriusque speciei: & affirmatiuam sententiam docent communiter Doctores. Probatur primò hæc opinio ex forma, qua ordinantur Sacerdotes per verba illa: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium.* Constat autem characterem Sacerdotalem, qui per illa verba datur, directè esse ad consecrandum Corpus Christi, nec habere primarium alium effectum supernaturalem; ergo formaliter actus consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi est idem quod actus sacrificandi. Sup. hac quæst. infra in tr.3. Res. 24. ex doctrina eius §.1. & 2. & in Res.25. §. Sed ego, & in Res.27. cursim, & recitatiuè in fine §. Sed, & in tom.9. tr.7. lege §. Aliqui. Res. 111.

2. Probatur secundò, ex illo principio, quòd Christus in Missa sit principaliter offerens, & quòd Sacerdos exercere debeat actionem sacrificandi in persona Christi, qui non minus in Missa, quàm in Cruce est offerens principalis, vt docet Tridentinum, *sess.22.cap.2.* & communiter Patres. Sed quando Sacerdos sumit Eucharistiam, nullum actum exercet in persona Christi; neque vllum est signum sensibile, quod hoc significet: quin potiùs illa, quæ immediatè antecedunt sumptionem, scilicet illa verba, *Domine non sum dignus, &c.* & illa, *Corpus Domini nostri Iesu Christi, custodiat animam meam,* &c. imò reliqua aliqua præter consecrationem, aperta sunt signa nominis agentis in persona propria: nec explicari potest quomodo sumptio Eucharistiæ, aliæque actiones, & verba tribui possint Christo, vt principali operanti; quod tamen facilè intelligitur, & explicatur in ipsa forma consecrationis. Ergo in hac & non in aliis consistit essentia Sacrificij.

3. Verùm, his non obstantibus, non dicunt Doctores asserentes fractionem pertinere ad essentiam Sacrificij. Ita Canus, *de Locis Theol.lib.12.c.13. ad 4.argum.* & Valentia, *tom.4.disp.6.quæst.9 punct.1. §.* Probant primò ex facto Christi *Matthæi 26. Marci 14. & Lucæ 22.* dum panem consecratum fregit, præcepitque, vt nos idem faciamus; illa enim verba, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur:* iuxta textum Græcum idem sonant, atque pro vobis frangitur, vt notat Vasquez *disp.222. num.11.* Probant secundò ratione, nam fractio, seu passio Christi in Cruce, vt habetur, *de consecrat. dist.2. Canone, Cùm frangitur:* qui desumptus fuit ex D.Prospero. Idem docet Algerus, *lib.1. de Sacrament. Corporis Christi.* Fractio ergo pertinet ad rationem Sacrificij commemoratiui passionis Christi, perinde atque consecratio. Item, non desunt etiam Doctores tenentes in sumptione Eucharistiæ totam essentiam Sacrificij Missæ consistere. Ita Albertus *in 4.dist.13.* Ledesma, *1 part.Quarti, quæst.23. art.4. in fine,* & alij, quia ad rationem Sacrificij requiritur aliqua immutatio in Christo, qui est res oblata. Nulli autem alij actioni Missæ videtur posse tribui ratio immutationis, nisi sumptioni, per quam aliqua ratione Christus immutatur. Sup. hac fractione latè & cum multis DD. in tom 2.tr.1. Resol.102. §.2. à lin.6. à vers. nam Guillelmus. Sup hoc infra in tr.3. Res.24. §.1. à principio vsque ad medium, & in tom 9. tr. 7. Res.111. § Aliqui.

tatur. Imò etiam si quis velit ad rationem actionis Sacrificij Missæ, quia incruentum Sacrificium est, nullâ requiri in Christo immutationem; nulla est alia actio melior, & aptior, quàm sumptio ipsa, vt in ea constituatur ratio Sacrificij; quia Sacrificij incruenti ratio consistit in repræsentatione Sacrificij cruenti: hoc autem sumptione ipsa repræsentatur, iuxta verba Pauli, *Quotiescumque manducabitis, &c. mortem Domini annunciabitis.* Quamuis ergo etiam consecratione repræsentetur, putãt adhuc hi Auctores meliùs sumptione rationem actionis Sacrificij repræsentari; ideò totam essentiam in eo constituunt. Itaque in ea actione consistit integra essentia Sacrificij, quæ victimam immutat: atqui sola Sacramenti consumptio victimam immutat; quia per hanc destruitur esse sacramentale, quod Christus, vt victima habet in hoc Sacramento. Confirmatur, quia consecratio est tantùm victimæ præparatio, quæ ad Sacrificium non pertinet, nisi depositiuè; alioqui etiam Incarnatio pertinuisset ad Sacrificium cruentum Crucis, quia per illam præparata fuit victima Crucis.

Sup hoc infra in Resol. 147. §. vlt. ad medium. vers. Quod si ante. & lege eam paulo ante à vers. Ex his infert Dicastillus.

4. His suppositis, ad casum propositum affirmatiuè videtur respondendum ex his, quæ docet Pater Tambur. *Opusc. de Sacrif. Missæ, lib. 2. cap. 2. §. 10. n. 7.* vbi sic ait: Ex probabili sententia, docente, Sacrificij essentiam consistere in consecratione simul, & in consumptione, probabile etiam erit posse applicari fructum Missæ toto tempore ante prædictam consumptionem, quia iam in hac sententia offertur actio facienda, non iam facta. Ita ille. At ego prorsus huic sententiæ non adhæreo, stante diuersitate opinionum; vnde in casu nostro, pro stipendio certo Sacerdos præberet danti eleemosynam fructum, & applicationem incertam: nam, vt visum est, magis communis opinio est, quòd in sola consecratione consistit tota essentia Sacrificij Missæ: Ergo peracta consecratione, non potest ampliùs dictum Sacrificium applicari; quod quidem, si sciret qui præbet stipendium, non illud præberet pro Missa applicanda post dictam consecrationem: nam vellet Missam cum fructu incerto, & posito sub opinione.

Sup. hoc quamuis recitanter infra lege §. vlt. Res. 229.

RESOL. LIV.

An, si Sacerdos Regularis applicet Missus contra intentionem Superioris, valeat talis applicatio?

Et notatur, quod si Sacerdos Regularis non faceret vllã applicationem Missæ, licet Prælatus illam Missam applicaret, non haberet dicta Prælati applicatio vllum effectum. Ex p. 2. tr. 14. Res. 72.

Sup. contento in hac Res. 147. §. vlt. inter medium, & finem, à vers. Nota secundo.

§. 1. Respondeo, dictum Regularem peccare quidem contra votum, sed applicationem Missæ contra mentem Superioris validam esse, quia Christus Dominus liberum actum celebrationis & consecrationis instituit, vt tota applicatio pendeat ex Sacerdotis libera intentione. Ita Sylvest. *ver. Missa primò, n. 12.* Angelus *vers. eodem, n. 36.* Henriq. *lib. 9. cap. 21. n. 6.* Fagund. *tract. 1. lib. 3. cap. 10. n. 4.* Villalobos *in summa part. 1. tract. 8. dub. 11. n. 2.* & ita determinasse Theologos Salmantinos notauit Rodrig. *in sum. tom. 1. cap. 141. concl. 10.* & alij.

2. Ista opinio est probabilis, sed contrariam etiã non minus probabilem existimo, quam docet nouissimè doctus Fraxinell. *in tract. de oblig. Sacerd. sect. 6. §. 7. n. 1.* & Gauantus *in comment. ad Rub. Missal. p. 3. tit. 12. n. 28.* Nec valet argumentum Suarez. *in 3 part. tom. 3. disp. 79. sect. 9.* positum suprà, nam respondetur esse disparem rationem inter intentionem consecrationis, & applicationem Missæ; nam intentio Sacerdotis in consecratione, est de essentia Sacrificij. Ideò non potest Prælatus illam irritare, aliàs non esset Sacrificium. At quòd valor Missæ huic, vel illi applicetur, non est de essentia Sacrificij, & ideo si à Prælato alteri, quàm ei, in quem Sacerdotis intentio dirigitur, applicetur, est Sacrificium. Hanc etiam opinionem docuit Scot. *quodlib. 20.* Corduba *lib. 1 quæst. 3. opin. 6.* Ledesma 2. *4. quæst. 16. art. 14.* & alij.

3. Notandum est verò, cum Villalobos *vbi suprà, n. 3.* quòd si Sacerdos Regularis non faceret vllam applicationem Missæ, licèt Prælatus illam Missam applicaret, non haberet dicta Prælati applicatio vllum effectum, quia Prælatus non est minister Sacrificij, sed hoc procederet stante prima opinione, non autem in secunda sententia.

RESOL. LV.

An Missa Conuentualis possit applicari?

Et alij duo casus proponuntur. Primus, quod Capellanus, quando licitè, & ex honestate potest vacare à celebratione Missæ impositæ, in tali casu possit celebrare Missam non pro stipe, quod est clarum, sed pro charitate in sui vtilitatem, vel parentum, aut amicorum.

Idem intellige, si Prælatus mihi quotidie celebrare præcipiat in genere.

Secundus, quod si Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum ægrotaret per duos menses, non teneur per alium celebrare, nec ipse factus sanus relictas Missas dicere. Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Res. 51.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Peyrinus in *Priuil. tom. 3. c. 1. n. 20.* vbi sic ait: Existimo quòd dicta Missa conuentualis possit applicari pro quocumque voluerit Prælatus; non enim apparet vllum præceptum, neque diuinum, neque humanum in contrarium. Vnde intrat regula, quòd omnia sunt concessa, quæ non inueniuntur prohibita. Ita ille, qui citat Cordubam, Rodriguez, & nostrum doctum amicissimum Trimarchi, quibus ex eadem Religione adde nouissimè P. Francisc. de Nigro *in add. ad Rusc. p. 1. præsup. 1. quæst. 15.* & ex nostro P. Leone *de offic. Capellani, quæst. 8. sect. 18. n. 188.* quorum opinionem ego teneo, secluso consuetudine in contrarium; & ideo non est audiendus Bonac. *disp. 4. de Sacram. quæst. vlt. punct. 7. §. 2. num. 7.* Fraxinellus *de oblig. sect. 4. concl. 4. §. 16.* & alij, asserentes Missam conuentualem non posse applicari ei, qui dedit stipendium.

Sup. §. 1. vers. Peyrinus loco citato.

2. Notandum est etiam hîc obiter quòd dictus Peyrinus *loco citato, num. 23.* quærit, an possit Capellanus, quando licitè, & ex honestate potest vacare à celebratione Missæ impositæ, an inquam, in tali casu possit celebrare Missam non pro stipe, quod clarum est, sed pro charitate in sui vtilitatem, vel parentum, aut amicorum. Et respondet affirmatiuè, quia dura nimis esset captiuitas obligare pauperem Sacerdotem, vt nullo vnquam tempore posset pro se, vel suis vnam Missam dicere, & colligo clarè ex *dicto cap. significatum*, ibi, *salua honestate*, id est, æquitate; at honestas, & æquitas talem indulgentiam concedunt. Colligo etiam ex illa clausula eiusdem capitis, *Nec sibi liceat hoc illi subtrahere sine causa voluptatis.* Ergo si non licet talem vacantiam assumere causa voluptatis corporalis, & temporalis, licebit quidem causa deuotionis, & charitatis, ac voluptatis spiritualis. Idem intellige si Prælatus mihi quotidie celebrare præcipiat in genere: nam hoc præceptum etiam humano modo intelligendum est, cùm

cùm sit humanum, humanitas autem, seu æquitas vacationem concedit. Ita Peyrinus, vide etiam de Nigro *in addit. ad Ruyz, part.1. præsup.1. q.1.* Nota etiam quòd idem Peyrinus *num.24.* tenet, quòd si Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum ægrotaret per duos menses, non teneri per alium celebrare, nec ipse factus sanus relictas Missas dicere, quia breue tempus intelligitur spatium duorum mensium, & cùm fundator mentem suam non explicuerit, se non intendere dare stipendium nisi quotidie celebranti, quacumque causa excluſa, non est credendum quòd voluerit tam strictè obligare: vnde enim viuet pauper Capellanus infirmus, qui nihil habet præter stipendium Missæ, si eo paruo tempore, quo plus indiget, tenetur alteri stipendium elargiri? Hæc Peyrinus, & ante illum Bariola *in aphorism. litter. C. verb. Capellanus*, vbi sic ait: Capellanus ægrotans toto anni spatio potest excusari per bimensem tantùm à Missis celebrandis singulo anno, occasione infirmitatis. Ita ille, & tandem nouissimè hanc sententiam, me citato, tenet Ioan. de Lugo *de sacr. Euchar. disp.21. sect.1. n.49.* qui ridet Vegam *in summ. cap.28. cas.14.* & P. Stephan. de Auila *in manuscript.* asserentes Capellanum per duos menses infirmum, non teneri per alium celebrare; & idem etiam docet Franciſc. de Nigro *in addit. ad Ruyz, part.1. præsup.1. q.1.* quæ omnia à fortiori magis probabilem faciunt sententiam, quam ego docui *in 4. part. tr.4. resol.238.* cum Hurtad. nempe Capellanum infirmum Missas omissas pro vno menſe non teneri compensare.

Hoc in Resol. &c.

Quæ hic est vltima Resol.

RESOL. LVI.

An Parochus teneatur celebrare pro suis ouibus, & quoties; & an teneatur illis aliquas Missas applicare? Et quid, si adsit consuetudo in contrarium? Et an hæc consuetudo obliget sub mortali, quando de hoc onere non constat ex tabulis Ecclesiæ, vel ex præcepto Episcopi? Ex part.2. tr.14. Resol.26.

Sup. hoc in Resol. seq.

§.1. REspondeo Curatum debere in diebus Dominicis, & in festis, quibus populus tenetur audire Missam, celebrare per se, vel per alios ex iusta causa. Ita Villalobos *in sum. part.1. tr.8. dub.14. n.5.* Ioan. de la Cruz *in direct. consc. part.2. de sacr. Missæ, quæst.1. dub.8. concl.3.* Syluius *in 3. part. quæst.83. art.1. quæritur 17.* & alij.

Sup. hoc in Resol. seq. ad medii. vers. Hæc supposita.

2. Sed licet, vt diximus, teneatur celebrare in his diebus, non tamen infertur, quòd teneatur pro populo dictas Missas applicare, & ideo potest stipendium ab aliis pro supradictis Missis, sine scrupulo accipere, nisi adsit consuetudo in contrarium. Contra Nugnum *in 3. part. tom.1. quæst.83. art.1. dub.9. concl.2. fol. mihi 501. col.1.* Parocho enim, vt bene obseruat Syluius *vbi supra*, non debentur prouentus pastorales præcisè, vt celebret ad intentionem populi, sed ratione totius officij pastoralis.

3. Et etiam si adsit, putat Posseuinus *de officio Curati, cap.2. num.4.* & Fraxinellus *de oblig. Sacerdot. sect.3. concl.2. §.1. n.4.* & alij, hanc consuetudinem non obligare sub mortali, quando de hoc onere non constat ex tabulis Ecclesiæ, vel ex præcepto Episcopi, cùm in præiudicium alicuius non sit inducenda obligatio, sine claris probationibus. Circa hanc quæstionem vide etiam Vasquez *in 3. part. tom.3. disp.86. sect.1.* Filliucium *tom.1. tract.5. cap.6. n.174.* & alios.

RESOL. LVII.

An Parochus in illis diebus, in quibus tenetur Missas celebrare, vt populus eam audiat, possit pro ea manualem eleemosynam recipere? Ex part.4. tract.4. & Miscell. Resol.232.

Sup. hoc; quod hîc supponitur, in Resol. præcedenti §.1.

§.1. SVpponendum est, Parochum ex vi beneficij parochialis non teneri ad offerendam Missam pro populo, quia obligatio Parochi ad id nullo iure scripto, nec consuetudine introducta probari potest, nec ex institutione beneficij parochialis deducitur, quia ex hoc tantùm deducitur obligatio Parochi ad celebrandam Missam, vt populus eam audiat; ita ego *in tract. de celebratione Missarum*, & nouissimè Hurtado *de Sacram. disp.4. de sacrific. Missæ, diffic.16.* Hoc supposito, quæritur, an Parochus in dicto casu, quando celebrat, vt Parochiani Missam audiant, possit pro applicatione Sacrificij eleemosynam accipere ab alio? Et negatiuam sententiam, teste Gellio *in 8. select. Canon. cap.28. num.4.* & Barbosa *in collect. declarationum, vers. Missarum eleemosyna, §. vlt.* determinauit sacra Cardinalium Congregatio *sub die 1. Septembris 1629.* sic asserens; Missam quibus diebus tenentur Parochi celebrare, non possunt pro ea manualem eleemosynam recipere.

Sup. hoc ibidem in §. Sed licet.

RESOL. LVIII.

An Sacerdos simplex nullo impedimento detentus peccet mortaliter non celebrando, modo communicet in Paschate, nec adsit scandalum, vel contemptus? Et docetur simplicem Sacerdotem ter, aut quater celebrantem in anno, & præcipuè in Natalis Domini die, Resurrectionis, & Pentecostes minimè peccati mortalis reum esse. Ex p.2. tr.14. Resol.19.

§.1. PEccare mortaliter respondit Ioan. de la Cruz *in direct. part.2. de sacr. Missæ, q.1. dub.2. concl.2.* Villalob. *in summ. part.1. tr.7. dub.49. n.1.* Homobonus *in exam. Eccles. part.1. tr.4. cap.14. quæst.133.* Spina *in specul. testam. gloss.3. n.63.* & alij DD. communiter.

2. Sed contrariam sententiam probabilem puto cum Bonacina *de Sacram. disp.4. quæst. vlt. punct.7. n.10.* & illam docet D. Bonau. *in 4. dist.12. art.2. q.2.* Victor. *in summ. n.94.* Caietan. & alij.

Sup. hoc in tom.3. tr.1. ex lata doctrina Resol. 102. propè finem §. Dices.

3. Nota verò, quòd DD. pro contraria sententia citati docent simplicem Sacerdotem ter, aut quater celebrantem in anno, & præcipuè in die Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes minimè peccati mortalis reum esse, nec teneri aliis vicibus celebrare. Vide Fernandez *in exam. Theol. Moral. part.3. cap.5. §.6. num.1.* & Pitigianum *in 4. tom.1. dist.13. quæst.2. artic.1.*

RESOL. LIX.

An Capellanus ægrotans per aliquos dies teneatur per alium Sacerdotem Missas celebrare? Ex p.2. tr.14. Resol.27.

Sup. hoc in Resol. seq. & supra in Resol. 55. §. vlt. ad medium, à vers. Nota etiam.

§.1. NEgatiuè respondent DD. Sed difficultas est assignare numerum dierum, Molfes. *in summ. part.1. tract.6. cap.1. num.79.* Riccius *in part.1. res.340. n.5.* Graffius *tom.2. cons. lib.3. de præben. diff.2. num.5.* Fraxinellus *de obligat. Sacerd. sect.4. concluſ.4. §.13.* Barbosa *de potestate Episcopi, part.2. alleg.24. num.31.*

*n.*31. Homobon. *de exam. Eccles. part.*1. *tract.*4. *cap.*3. *q.*122. putant hanc sententiam esse admittendam, si Capellanus ægrotaret per octo, vel decem dies. Petr. à Nauarra *de restitutione, lib.*2. *cap.*1. *n.*210. si per spatium vnius, vel duorum mensium Capellanus ægrotaret, non obligat illum ad celebrandum. Non enim (vt asserit) credibile est fundatorem voluisse ita strictè obligare, cùm suam mentem non explicaret; nec certè est rationabile tantùm emungere. Sic ille, & Naldus *in summ. vers. Missa, n.*11. Quorum sententiam impugnat Genuensis *in praxi cap.*47. *n.*2.

2. Ego verò si Capellani infirmitas perduraverit vsque ad 15. dies; non obligarem illum ad Missas celebrandas.

RESOL. LX.

An Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, si per mensem sit infirmus, teneatur pro illo tempore Missas compensare? Ex p.4.tr.4. & Misc.Res.238.

Sup. hoc in Res. præterita, & in alio § & vers. tius not.

§. 1. MVlti putant in tali casu tempus vnius mensis esse satis laxum ad excusandum Sacerdotem, ne Missas compenset; sed excusari docet Hurtadus *de Sacram. disp.*4. *de sacrificio Missæ, diffic.*1. vbi sic ait. Si Capellanus infirmitate, aut alio impedimento non voluntario impeditus existat, non tenetur Missas pro paruo tempore, nempè pro vno mense omissas compensare, nisi constitutio aliqua, aut nota consuetudo id non permittat, quia id potest de mente fundatoris prudentissimè præsumi. Ita ille, qui citat Layman; vnde rectè asseruit Mercerus *de Sacram. in* 3. *p. D. Thomæ q.*83. *art.*2. *propos.*2. *n.*1. quòd obligatio celebrandi quotidie intelligenda est moraliter, & regulariter, quia alioquin esset onus intolerabile, nisi sit tale beneficium, & talis consuetudo, vt obliget ad prouid.dum quotidie Ecclesiæ de sacrificio per se, vel per alium, tunc enim maiori rigore vrgebit hæc obligatio quotidiana.

RESOL. LXI.

An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, possit ex causa maioris honestatis vnam Missam in hebdomada omittere.

Et an aliquando non solum vnam, sed alteram Missam possit talis Sacerdos ex causa honestatis relinquere?

Et cursim notatur, quod in tali die non potest Sacerdos Missam pro alio celebrare, & accipere ab illo stipendium.

Et asseritur ex aliqua ingruente necessitate posse Capellanum per annum quater, vel sexies celebrare pro seipso, vel sibi valde coniuncto, ad specialem gratiam Dei obtinendam. Ex p.2.tr.14.Res.28.

Sup. contento in hoc §.1. & in fine huius Resol. in duabus Res. seqq. & supra lege doctrinam §. Notandũ. Res.55.

§.1. REspondeo affirmatiuè, si institutio Missæ dirigatur ad personam Sacerdotis his, vel similibus verbis: Eligatur Capellanus, qui quotidie celebret; non autem si adiungat, per se, vel per alium: neque enim si institutio Missæ dirigatur ad locum: vt si scilicet dicatur quotidie Missa in tali Ecclesia, vel in tali Capella, &c. tunc enim Sacerdos, qui huiusmodi onus habet, sine vlla vacantia, tenetur quotidie celebrare. Ita Zanardus *in direct. Theol. p.*1. *de sacrif. Miss. cap.*13. *in principio*, Fraxinellus *de oblig. Sacerd. sect.*4. *concl.*4. §.1. Bonacina *de Sacram. disp.*4. *quæst. vlt. punct.*7. §.2. *n.*16. & 17. & alij penes ipsos.

2. Hoc vnum aduertam, quod ipsi non notarunt, Nauarrum in casu proposito putare aliquando Sacerdotem non solùm vnam, sed etiam alteram Missam posse ex causa honestatis relinquere. Ita ille *tom.*1. *consil. lib.*3. *de præb. consil.*6. *n.*5.

3. Sed hanc sententiam impugnat Nald. *in summ. verb. Missa, n.*6. qui probabiliter tamen *in n.*7. asserit ex aliqua ingruente necessitate posse Capellanum per annum quater, vel sexies celebrare pro se ipso, vel sibi valde coniuncto ad specialem gratiam Dei obtinendam: nam hoc non ei denegaret Capellaniæ institutor, si de tali casu cogitasset, vel interrogatus fuisset. Potest igitur Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum, ex consuetudine introducta, relinquere vnam Missam in hebdomada. Nota tamen, quòd non potest in tali die celebrare Missam pro alio, & accipere stipendium. Ita DD. communiter.

RESOL. LXII.

An in obligatione celebrandi detur paruitas materiæ? Et an ex aliqua ingruente necessitate liceat Capellano ad Missam quotidie obligato aliquando per annum qualiter, vel sexies celebrare pro seipso, vel sibi valde coniuncto ad specialem gratiam Dei obtinendam, non vero pro alio in vtroque casu, à quo stipendium recipiat? Ex p.5.tr.5.Res.23.

§. 1. VIdetur affirmatiuè respondendum ex doctrina Naldi *in sum. vers. Missa, n.*7. vbi sic ait: An autem præfatus Capellanus obligatus ad Missam quotidie possit eo die cuiusque hebdomadæ, quo sibi liberum est, Missam omittere, pro alio celebrare conferente sibi stipem specialem. Respondendum censeo negatiuè, nam consuetudo illa omittendi Missam semel in hebdomada fundata est *in prad. cap. significatum, de præbend.* vbi ex causa honestatis & maioris deuotionis id ei conceditur. Ergo cessante causa, cessat etiam illa iuris indulgentia, quinimò addo id satis exprimi in præfato *cap. significatum*, vbi in fine subditur non ei licere transferre se ad aliam Ecclesiam. Non negarem tamen ex aliqua ingruente necessitate licere eidem Capellano aliquando per annum, puta quater, vel sexies celebrare pro se ipso, vel sibi valde coniuncto ad specialem aliquam Dei gratiam obtinendam, id enim non negaret pius Capellaniæ institutor, si de tali casu cogitasset, vel interrogatus fuisset. Ita Naldus, cui adde Homobonum de Bonis *in consult. moral. tom.*2. *part.*7. *respons.*52. Sed aliquis posset dicere hos auctores non præbere hanc licentiam ex paruitate materiæ, sed ex præsumpta voluntate testatoris, nisi dicatur talis voluntas præsumi ex ipsa paruitate materiæ.

RESOL. LXIII.

An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, possit semel in hebdomada omittere Sacrificium, etiam si institutio dirigatur ad locum, & celebrare pro alio, accepto stipendio?

Et docetur talem Capellanum posse quater, aut sepies per annum celebrare pro seipso, vel sibi valde coniuncto patre, matre, & benefactore. Ex part.10. tr.14. & Misc.4. Res.39. alias 37.

§.1. AFfirmatiuè respondet Pater Vidal, *in Arca Theol. Mor. tit. de Iustitia, Inquisit.*1. per totam, in qua firmat, quod Sacerdos obligatus quotidie celebrare, potest tuta conscientia semel in hebdomada se abstinere à celebratione Missæ quotidianæ: quo modo loquatur Testator, ac exstet institutio Capellaniæ: at si illa die, in qua non tenetur celebrare secundum

secundùm Testatoris intentionem, voluerint celebrare, potest licitè applicare illud Sacrificium ad suum beneplacitum secundum alterius intentionem, & accipere aliud stipendium.

2. Probatur hæc opinio Primò: nam hæc obligatio ad quotidie celebrandum secundùm determinatæ personæ intentionem, est intelligenda moraliter, prudenter, & regulariter, aliàs esset onus intolerabile. Ita sentit Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 86. sect. 1. vers. de Beneficiis in fine.* Sed ob fugiendum tale inconueniens, debemus expressè asserere, & affirmare, posse liberè Sacerdotem pro vna vice in hebdomada applicare Missam secundum alteriùs intentionem: nam aliàs semper esset onus intolerabile. Confirmatur; Hæc obligatio ad quotidie celebrandum, secundùm alicuius determinatæ personæ intentionem, cadit sub præcepto affirmatiuo: ergo obligat quidem ad semper, sed non pro semper, hoc est in pluribus diebus; non verò in omnibus: ergo saltem pro vna vice in hebdomada poterit ad suum beneplacitum pro alio celebrare, & accipere nouum stipendium.

3. Secundò probatur; qui non tenetur aliquid alicui determinatæ personæ elargiri, potest tuta conscientia illud elargiri ad suum beneplacitum; id ex praxi clarè deducitur: ergo similiter Sacerdos, qui non tenetur semel in hebdomada celebrare pro aliqua determinata persona, supposito quod velit celebrare, poterit celebrare ad suum beneplacitum, & accipere nouum stipendium. Confirmatur; Nam vt affirmant Doctores, principaliter Naldus *in summa, verb. Missa, num. 7.* Diana *tract. 14. de celebrat. Miss. resol. 28.* & Alphonsus de Leone, *tract. de Iub. part. 3. quæst. 20. n. 22.* potest ex aliqua vrgenti necessitate Capellanus per annum quater, aut pluries celebrare pro seipso, vel sibi valde coniuncto, id enim ei non denegaret Capellaniæ Institutor, si de tali casu interrogatus fuisset: ergo hoc idem possumus nos asserere de vna Missa in hebdomada; maximè quia cognoscere & scire tenebatur Capellaniæ fundator Sacerdotem semel in hebdomada non teneri celebrare: ergo cùm possit pro aliquo alio ad suum beneplacitum celebrare, poterit accipere etiam nouum stipendium ex eo, quod applicatio manet ipsi libera. Et hæc omnia, & alia etiam docet Vidal. *vbi suprà.*

Ar. hoc in fol. 1. not. præcitat. §. 1. n. 3. & lin. 3. & in Res. 2. ad medium, vers. Non negatem, & infra in Res. disp. 61.

4. Sed ego prorsus negatiuam sententiam sustinendam esse puto, & contrarium asserere est contra sensum communem omnium Doctorum, & contra Praxim. Et quidem si Auctores, qui vsque adhuc scripserunt, desudant ad excusandos Sacerdotes, si ter vel quater in anno applicent pro seipsis Sacrificium ex tacita concessione institutoris Capellaniæ, quid, quæso, dicerent de opinione Patris Vidal, qui docet posse 60. Missas non sibipsis, sed aliis cum stipendio applicare? Sed asserit Pater Vidal, quod in isto casu interrogatus institutor Capellaniæ respondet, vt etiã in primo, quem ego, & alij concedimus. Verùm iudica tu amice Lector, si adest eadem ratio in vtroque casu: nam in primo institutor remittit tantùm tres, vel quatuor Missas singulis annis pro ipsomet Sacerdote; in secundo casu remittit Missas 60. pro aliis dicendis cum stipendio, quod ipse antea Sacerdoti tradiderat. Itaque dicendum est, non esse negandum Sacerdotem, siue Capellanum ad quotidie pro aliis celebrandum obligatum, posse aliquoties in anno, vt quater, vel septies pro seipso, vel pro aliquibus sibi valdè coniunctis ad specialem aliquam gratiam obtinendam; vel pro anima sui Patris, vel Matris, vel carissimi amici, aut benefactoris celebrare. Tum quia credibile est, quòd pius quotidianæ Missæ vel Capellaniæ institutor, si de tali casu præcogitasset, vel interrogatus fuisset, hoc minimè negasset, Tum quia nimis graue, ac intolerabile onus esset Sacerdoti, si obligationem naturalem, & charitatem in seipsum, vel in proprios Parentes, & in præcipuos amicos aut benefactores omnino ei præcluderet; & toto tempore vitæ suæ quotidie pro aliis celebrare deberet; pro se autem aut pro iis, quibus plurimum debet, nunquam posset Sacrificium offerre. Sed hæc omnia cessant in casu superius posito, in quo Sacerdos non vacaret ex iusta causa, sed ex motiuo auaritiæ ad duas eleemosynas lucrandas eadem die.

5. Nec obstat dicere cum Patre Vidal, quod esset onus intolerabile, quotidie pro institutore Capellaniæ celebrare: nam nos concedimus; posse vnam vacantiam pro septimana accipere honestatis causa: sed supposito, quod Sacerdos hanc vacantiam nollet accipere, sed vellet satisfacere, negandum est P. Vidal esse onus intolerabile pro institutore Capellaniæ celebrare; sed potius esse obligationem iustitiæ, stante pacto inito cum ipso quotidie celebrandi. Dicendum est itaque, prout alibi docui, Sacerdotem posse semel in hebdomada, causa maioris honestatis Missam prætermittere, si in fundatione Capellaniæ fuit electa persona, vt si dicatur: Eligatur Sacerdos qui quotidie celebret; aut volo, vt Sacerdos electus ad hanc Capellaniam quotidie celebret; secus, si in fundatione Capellaniæ non electa fuerit persona, sed tantùm habita fuit ratio loci, aut Missæ celebrandæ, vt si in fundatione dicatur: Volo, vt dicatur Missa quotidie in tali Ecclesia, aut Capella, &c. quia tunc tenebitur Sacerdos absque vlla intermissione quotidie celebrare. Nego itaque absolutè, Capellanum in die quo potest Missam omittere, posse si velit pro alio celebrare, & stipendium accipere. Et ita, vt dixi, docent communiter Doctores Riccius, Gauantus, Homobonus, Bonacina, & alij, quos citat, & sequitur Martinus *de Sacram. Ordinis, tract. 3. part. 2. c. 23. n. 8.* quibus adde Alphonsum de Leone, Campanilem, Nauarrum, Sanctum Carolum Borromæum, quos citat, & sequitur Fraxinellus, *de obligat. Sacer. sect. 4. concl. 4. §. 3. n. 1.* & me citato docet etiam nouissimè P. Leandrus, *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 5. quæst. 18.* qui etiam *q. 17.* obseruat obligatum ad quotidie celebrandum, posse semel in hebdomada à celebratione abstinere, non solùm titulo honestatis, sed etiam itineris, vel oblectationis casu, quia consuetudine est introductum, & hoc ob humanam fragilitatem, vt Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum, possit vnam Missam in hebdomada omittere: Ergo licitè, etiamsi id fiat quauis de causa. Ita Leandrus.

Alibi in Resolutionibus not. 1. huius Res.

RESOL. LXIV.

An Capellanus obligatus singulis diebus Missam pro aliquo celebrare, possit in quolibet anno aliquando pro se, vel pro aliis Sacrificium applicare?

Et notatur primo, quod Sacerdos obligatus ad dicendam Missam quotidianam pro aliquo, non tenetur tres Missas in die Natiuitatis Domini pro eo celebrare, sed tantum vnam, & alias duas potest sibi applicare.

Secundo, quod nullus Sacerdos, nec etiam Parochus tenetur de præcepto tres Missas in die Natiuitatis Domini dicere, cum ad id nullo iure obligetur, sed tantùm de consilio.

Tertio, quod Sacerdos Missæ quotidianæ addictus possit in die defunctorum omnium non pro Institutore Capellaniæ, sed pro aliquo particulari defuncto Missam applicare.

Et quæritur, an in tertio Ecclesiæ sit, vt Sacerdotes in illa die omnium defunctorum non pro particularibus defunctis,

Etiá, sed generaliter pro omnibus fidelibus defunctis offerant Sacerdotes omnes Sacrificium illius diei? Ex p.4.tr.4. & Misc.Ref.86.

Sup. hoc supra in Ref. 61. §. vlt. à lin.3. & in Ref.62. ad medium, à vers. Non negarem. & in Ref.63.§. Secúdo probatur. à lin. 8. & vers. Nam.

§.1. AFfirmatiuè respondent Naldus *in summa, ver. Missa,num.7.*& Homobon.de Bonis *in exam.Eccl.part.3. tract.14.c.1.q.3. resol.2.* vbi sic ait. Probabiliter puto ex aliqua ingruenti necessitate Capellano licere aliquando per annum,puta quater,vel sexies pro seipso, vel sibi coniuncto ad aliquam à Deo gratiam obtinendam celebrare,id enim pius Capellaniæ institutor non negasset, si de tali casu cogitasset, vel de hoc interrogatus fuisset. Ita ille.

2. Notandum est etiam hîc obiter primò, quòd Sacerdos obligatus ad dicendum Missam quotidianã pro aliquo,non tenetur tres Missas in Natiuitate Domini pro ea celebrare,sed tantùm vnam. & alias duas potest sibi applicare,quia institutio Missæ nihil aliud imponit, quàm quòd Sacerdos quotidie, vel in omnibus festis celebret. Sed qui in die Natiuitatis Domini vnam Missam applicat institutori, celebrat in illo die. Ergo vna Missa institutori satisfacit. Deinde nullus Sacerdos,nec etiam Parochus tenetur de præcepto tres Missas dicere in die Natalis,cum ad id nullo iure obligetur,sed tantùm de consilio;ergo neque tres Missas applicare tenebitur; & ita hanc sententiam docet Fraxinellus in editione nouissima *de Sacerdotum obligationib.ad Missam, sect.4.concl.4.§.21.*

Sup.his infra in Ref.100. §.1 & 2.

3. Nota etiam secundò, Sacerdotem Missæ quotidianæ addictum posse in die omnium defunctorum non pro institutore capellaniæ, sed pro aliquo particulari defuncto Missam applicare.Ita Alphonsus de Leone *de Iubilæo p.3.n.21.ad fin.* Sed talem Sacerdotem in dicta die Commemorationis omnium defunctorum non pro aliquo defuncto particulari,sed pro omnibus defunctis in Purgatorio existentibus vniuersaliter celebrare posse,imò debere, docet ex multis rationibus Fraxinellus *loc.cit.§.22. per totum*, vbi conatur probare intentionem Ecclesiæ esse vt Sacerdotes in illa die non pro particularibus defunctis,sed generaliter pro omnibus defunctis offerant sacrificium.

RESOL. LXV.

An Sacerdos, qui simplici beneficio cum onere Missarum gaudet, possit pro hoc munere idoneum substitutum deputare?

Et cursim notatur, quod si in institutione Capellaniæ expresè disponatur, vt Capellanus per se ipsum celebret, tunc per alium substitutum satisfacere non potest. Ex p.4.tr.4. & Misc. Ref.87.

§.1. NEgatiuè respondet Riccius *in praxi tom.1. resol.340.n.6.*arguendo à Rectore parochiano infirmo, qui non potest deputare Vicarium, sed munus deputandi pertinet ad Episcopum, vt dictum fuit per Rotam 6.*Octob.*1583. coram Seraphino.

2. Sed in nostro casu ego contrariam sententiam teneo: puto igitur idoneum substitutum ab ipso Capellano deputari posse,& non ab Episcopo,& ad argumentum Riccij respondeo quòd non est eadem ratio de substitutione Capellani & Vicarij Parochi; Capellanus enim Missam tantùm celebrare tenetur, Vicarius autem Parochi præter onus celebrandi,onus habet curæ animarum. ergo à solo Episcopo rectè debet Parocho infirmo substitui,& ita hanc sententiam docet Fraxinell.*de oblig.Sacerd.ad Missam,sect. 4.concl.4.§.14.n.5.*

Sup. hoc lege doctrinã

3. Nota tamen quòd si in institutione Capellaniæ expresè disponatur vt Capellanus per seipsum celebret, tunc per alium substitutum satisfacere non potest, vt declarauit sacra Cardin.Congregatio, & testatur Campanili *in diuer.iur.Can.rubr.7. cap.6.n.13.*

RESOL. LXVI.

An Episcopus possit compellere Capellanum, vt per se ipsum celebret, si in fundatione positum fuit, quod Capellani celebrent?

Et notatur,quod tunc taliter Beneficiatus, vel Capellanus possit cogi ad Presbyteratum, quando in fundatione exprimeretur, quod debeat actu esse Sacerdos, & per se ipsum seruire in beneficio.

Etiamque aduertitur Capellaniam non esse Sacerdotalẽ nec aptitudine, nec actu, si in fundatione dictum sit Capellanum debere celebrare Missas, & ita possit prouideri Clerico annorum 14. Ex p.2.tr.14.Resol.

§.1. COngregatio Cardinalium respondet negatiuè his verbis. Episcopus non potest compellere obtinentem Capellam, vt ipsemet celebret, licèt in eius fundatione disponatur, quòd Capellani celebrent, nam istis oneribus Missarum, rectè per substitutum satisfit.

2. Hanc declarationem ponit Homobon.*in exam. Eccles.p.1.tr.4.c.13.q.122.* Bonacina *de Sacr. disp.4. q.vlt.punct.7.§.1.n.1.* Campanil.*in diuers.iur.Can.Rub. 7.c.6.n.13.* Barbosa *de potest.Episc.p.2.alleg.24.n.29.*& alij penes ipsos,cum Piasec.*in prax.p.2.c.3.a.5.n.4.*vbi etiam notat, quòd tunc taliter beneficiatus, vel Capellanus posset cogi ad presbyteratum, quando in fundatione exprimeretur, quòd debeat esse actu Sacerdos, & per se ipsum seruire in beneficio.

3. Nota etiam Capellaniam non esse sacerdotalem,nec actu,nec aptitudine,si in fundatione dictum sit Capellanum debere celebrare Missas,& ita possit prouideri simplici clerico annorum 14. Nam nisi expresè caueatur à testatore,quòd Sacerdos per seipsũ hoc agat, semper potest per alium celebrare. Vide Gonzalez *ad reg.8.Cancel. glos.5.n.24.*

RESOL. LXVII.

An Sacerdos,qui certis diebus ex accepto stipendio vel ex fundatione Capellaniæ debet dicere Missam de B.Virgine, de Spiritu sancto, vel de Requie, possit illis diebus dicere Missam currentem in Missali præscriptam? Ex p.2.tr.14.Resol.31.

§.1. REspondeo affirmatiuè, si in illis diebus incidat solemnitas alicuius Sancti, & Sacerdos afficiatur maiori deuotione in Missa de dicto Sancto, aliter peccarêt. Ita Fagundez *de præcept. Eccles. p.1.lib.3.cap.9.num.6.* Gauantus *in comm.ad Rubr. Missal.tom.1.part.3.tit.13.num.20.* & 21. Petrinus *in priuileg.Minimorum, tom.1.const.5. Leonis X. num.2.* Fraxinellus *de oblig.Sacerd.sect.4.concl.4.§.4.* Sylvius *in 3.p.quæst.7.art.9. ad 5.* Azorius *p.1.lib.10.cap.32. quæst.5.* Emanuel Sà *ver. Missa, num.48.* Homobonus *de exam.Eccl.p.1.tr.4.cap.14.q.126.* & alij communiter. Ratio est, quia omnes Missæ sunt æqualis valoris, ex opere operato, vt notat D.Thom. *in 4. dist.45. q.2. art.3.q.1. ad 5.* & licèt, cæteris paribus, Missa de requie magis defunctis prodesset, cùm eius preces ad animarum liberationem directè fundantur, supplere tamen potest maior Sacerdotis deuotio, vel Sancti illius intercessio, cuius suffragium in Missa imploratur. Et licèt testator dixerit, quòd singulis diebus

diebus dicatur, v. g. Missa de B.Virgine, vel de requie: hæc verba tamen intelligenda sunt ciuili modo,& moraliter, nam non debet prævalere voluntas testatoris, Ecclesiæ ordini,& ritui. Et de hac re instruendi sunt simplices,ne scandalo afficiantur, dum petentes Missam pro mortuis,non audiant Missam de requie,sed de Sancto. Sed in hac quæstione absolutè, & sine vlla limitatione,aut scrupulo loquitur Villalobos *in sum.tom.1.tr.8.diff.91.n.9.* vbi sic asserit. [El que esta obligado à dezir vna Missa, v. g. de nuestra Señora, y dize la del dia, cumple bastantemente, como sea sin scandalo, que el dezir esta Missa, ò aquella, es accidental.] Idem etiam docet Ioan.de la Cruz *in direct.consc.p.2.de Sacrific.Missæ,q.4. dub.2. concl.2.* Vide etiam Ledesmam *in sum.tom.1. cap.24. consil.6.* & Suarez *in 3.part.tom.3.disp.83. sect.3.*

RESOL. LXVIII.

An Sacerdos accipiens stipendium pro dicenda Missa Spiritus sancti, B.Virginis, vel cum aliqua collecta, dicens postea Missam in illa die currentem, peccet mortaliter? Ex p.3.tr.6. & Misc.2.Resl.62.

§.1. SÆpiùs in praxi occurrere solet casus iste; & ad illum negatiuè respondet Petr.Nauarra *de restit.lib.2.c.2.n.248.* vbi sic asserit. Petenti Missam de Spiritu sancto, de Defunctis, vel de alio Sancto, vel vt Orationem de salute,vel de B.Virgine,&c apponat, non tenetur Sacerdos acquiescere; nisi ob specialem illum laborem non debitum,eleemosynam augeat, quod non solùm probo ex eo,quod, vt Syluester *in ver.Missa,q.8.dicto 5.* sentiunt & alij multi, nulla Missa est defuncto,vel cuipiam alteri salubrior, quàm dici, sed etiam ex eo,quòd cùm taxatur Missæ labor,non cum iis circumstantiis, sed simpliciter taxatur. Vnde importunas has conditiones Sacerdos non tenetur admittere, nisi specialiter promitteret; tunc enim tenetur ex vi promissionis, & veracitatis sub veniali peccato implere, sicut aliam quamuis promissionem, quæ non impleta non damnificaret proximum notabiliter. Licèt Sylvest.*ver.Missa*,peccatum esse mortale contendat, cùm dicat infideliter agere,& non satisfacere;quod tunc verùm dumtaxat putarem, cùm ad has conditiones, vel similes eleemosyna notabiliter augeretur. Hæc Nauarra, quæ omnia notabiliter à Confessario sunt aduertenda, & addenda *resol.31. tr.de celebr.Missarum in 2.p.* quidquid in contrarium asserant Fraxinel.*de oblig.Sacerd. sect.4.concl.4.§.4.n.6.* Rodrig.*tom.2.c.44.n.9.* & alij.

RESOL. LXIX.

An Sacerdos possit dicere Missam Assumptionis, Natiuitatis, &c. Beatæ Virginis, quando dicta Missa à laicis exigitur? Ex p.3.tr.6. & Misc.2.Resl.101.

§.1. NEgatiuè respondet Gauantus, vir in his materiis versatissimus *in comm.ad rubricas Missalis,tom.1.part.4. tit.27.n.8.* vbi sic asserit. Quid agendum quando Missa votiua exigitur de Assumptione B.Virginis,de Natiuitate eiusdem, & eiusmodi? dici potest de B. Virgine ex quinque votiuis pro diuersitate temporum accommodatis,cum intentione ad honorem Assumptionis B.Virginis, &c. alias enim dedecet, vel dicere, *Gaudeamus omnes in Domino,diem festum*,&c. vel immutare tunc verba,*diem festum*, in *commemorationem*, neque laïcorum causa violandæ sunt Rubricæ. Ita ille.

2. Non desinam tamen adnotare nostrum Castaldum *in praxi cærem.lib.2. sect.6.cap.4.n.1.* contrariam sententiam docere,sic enim ait:Missa votiua de quolibet Sancto, ac quacumque festiuitate, de qua iuxta Rubricas Missalis per anni circulum celebratur, dici potest assumendo eam, quæ in die festo habetur, accommodando orationem, vbi habetur *Natiuitas*, vel *Festiuitas*,dicendo *commemoratio*, vel *memoria*,omittendo vbi habetur *hodie*, cum præfatione propria si eam habeat, tamen sine *Gloria* & *Credo*. Si celebretur Missa votiua de Assumptione B.Virginis, vel de S.Agatha in introitu *Gaudeamus*; vbi habetur *diem festum celebrantes*,dicetur *memoriam celebrantes*. Sic Castald. & ante illum Alcozer *in cærem.tr.1. gloss.4.*

RESOL. LXX.

An sit dicenda Missa Assumptionis, Natiuitatis, &c. B.Virginis extra dictarum Festiuitatem? Ex p.4. tr.4.Misc.Resl.39.

§.1. EGo *in 3.part.tract.6.resol.102.* docui hoc fieri esse reprehensibile, non enim ex indiscreta laicorum deuotione violandæ sunt Missalis rubricæ; dixi tamen quòd si Sacerdos aliquis hoc faceret sine scandalo, aut superstitione,quòd non peccaret mortaliter,ex his,quæ adduxi *in 2.part.tr.14.resol.55.*

2. Verùm nouissimè aduersùs me acriter insurgit P.Megalius *resol.var. tom.2. resol.187. num.18.* contrariam sententiam tenens ex authoritate Bullæ Pij V. positæ *in principio Missalis*, vbi in virtute sanctæ obedientiæ præcipit Sacerdotibus vt Missam nonnisi iuxta ritum, modum, & normam, quæ per Missale, quod ab ipso traditum est,dicant,aut legant.ergo,&c.

3. Sed optimè obseruat Filliucius *tom.1. tr.5.c.5. num.140.* dictum præceptum piissimi Pontificis non obligare cum tanto rigore ad obseruantiam singularum regulatum Missalis,sed iuxta grauitatem earum; generaliter autem obligat ad obseruandum ritum Missalis, & non ad introducendum alium, quod accideret, vt obseruat Ioan.Præpositus *in 3.p.D.Thom. quæst.83. art.4.dub.3.n.187.* quando quilibet pro suo arbitrio Sacrum faceret secundum aliud Missale; sed hoc non accidit in casu nostro, nam Sacerdos dicit Missam positam in Missali Romano, licèt affixa die & tempore,cuius mutatio secluso scandalo,aut aliqua superstitione non videtur transgressio ita grauis, vt peccatum mortale possit constituere.Et ita hanc sententiam docet Tannerus *tom.4.disp.5.quæst.10.dub.1. num.6.* vbi sic ait. Non obstat Bulla Pij V. præfixa nouo Missali,vbi omnibus in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur, vt Missam iuxta ritum illius Missalis legant, sensus enim dumtaxat,est,vt non fiant Missæ seu votiuæ, seu de tempore, nisi provt in nouo Missali præscribuntur; non autem prohibetur ne vna Missa in aliam eiusdem Missalis commutetur, vt ex contextu patet. Ita ille. Nec aliter sentiunt Gauantus, & noster doctissimus & amicissimus P.D.Antonius Carauiolus, quos citat Megalius; nam ipsi asserunt quidem dictas Missas nó esse celebrandas, quod etiam ego asserui, & nunc assero, sed non dicunt, quòd si Sacerdos aliquis de facto illas celebret,sit de peccato mortali damnandus, & hoc ego probabiliter nego, propter allatas rationes, & propter authoritatem nostri P.Castaldi & Alcozer asserentium absolutè posse supradictas Missas celebrari, & ideo in tali casu Sacerdotem non peccare mortaliter,sentiunt etiam multi viri docti Societatis Iesv, & Dominicanæ familiæ de hac re à me consulti.

RESOL.

RESOL. LXXI.

Sup. prima diffic. huius tituli cursim, & recitanter, in tom. 3. tr. 6. ex lata doctrina Resol. 88. in fine, & vide etiã doctrinam Resolutionum annotationum sequentium huius Res.

An Sacerdos possit dicere Missam aliquam de Passione, quæ in Hebdomada Sancta recitatur, si illa à laicis cum eleemosyna petatur?

Et an verò pro Missa de Passione longa, & magna Sacerdos satisfaciat, si dicat Missam de Festo etiam semiduplici, aut infra Octauam, vel dicenda sit Missa de Passione votiua in fine Missalis posita?

Idem est dicendum de petente Missam de Spiritu sancto, de SS. Trinitate, ac Sacramento Corporis Christi, non quæ eo tempore habentur, dicendæ sunt, sed votiuæ assignatæ in fine Missalis? Ex p. 3. tract. 6. & Misc. 2. Res. 102.

Sup. hoc lege doctrinã Res. præteritæ, & Res. & §§. eius notationum.

§. 1. HIc casus his diebus in praxi accidit, & in illo magna contentio fuit inter viros doctos, ego pro affirmatiua sententia adduxi Henriq. *lib. 9. c. 23. n. 6. in glossa lit. M*, & Fagundez *de præceptis Eccl. præc. 1. lib. 3. c. 9. n. 6.* vbi ex Nauarro asserunt, Sacerdotem pro Missa de Passione longa, & magna satisfacere, si dicat Missam de Festo, etiam semiduplici, aut infra Octauam. Ex quibus verbis apparet, dictos Authores putare dictam Missam dici posse in diebus ferialibus.

Sup. hac Missa longa de passione, ex doctrina Res. seq. signanter §. 2. post medium, à vers. Vnde.

2. Sed ego apud Nauarrum hanc opinionem non legi, & tunc contrariam sententiam tenui, quia, vt optimè notat Castaldus *in praxi carem. lib. 2. sect. 6. c. 4. n. 1.* de tempore, & festis mobilibus, Missæ votiuæ non celebrantur, & ideo de Passione, Spiritu sancto, Sancta Trinitate, ac sacramento Corporis Christi; non quæ eo tempore habentur, sed votiuæ assignatæ in Missali Romano dici debent. Sic ille; vnde Ioan. Alcoçer *in carem. tr. 1. gloss. 4.* ita asserit. [Aduiertase, que pidiendose alguna Missa votiua de passion, no se hà de dezir de las de la semana santa, con la passion de alguno de los Euangelistas, sino la que entre las Missas votiuas se pone al fin del Missal.] Vide etiam Gauantum *in comment. ad rub. Missalis, tom. 1. part. 4. tit. 17. n. 2.* vbi docet, quòd Missa festiuitatis corporis Christi non potest dici nisi in eius festo, & octaua; & extra illam dicenda est Missa votiua de Sacramento in fine Missalis posita, cui nihil addi debet, neque sequentia inconsulta Sede Apostolica. Ita etiam Missæ illæ de Passione dicuntur in Hebdomada sancta tantùm, & extra illam, Missa de Passione in fine Missalis posita dicenda est. An verò secluso scandalo, & superstitione talis recitatio sit peccaminosa, ex principiis alibi à nobis positis determinandum est. Verùm negare non possumus, quin saltem sit reprehensibilis: non enim ex indiscreta laicorum deuotione violandæ sunt rubricæ.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 6. ex lata doctrina Res. 88. in fine.

RESOL. LXXII.

An quis pro Missis Hebdomadæ Sancta possit dicere Missas votiuas?

Et an pro Missa longa de Passione satis impleat Sacerdos, si celebret de Festo, etiam semiduplici, aut infra Octauam?

Et an ex declaratione Congregationis Rituum prohibeatur dicere Missas votiuas in iis diebus, in quibus prohibetur fieri de Festo duplici, argumento à fortiori sumpto, nempe infra Octauam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Feria 4. Cinerum, in Hebdomada maiori, in vigiliis Natiuitatis Domini, & Pentecostes?

Et an peccet mortaliter Sacerdos, qui Prophetias semper omitteret, in Missis quatuor temporum, vel Sequentiam in Festis, aut pro his alias Missas diceret?

Et docetur omittentes ex industria Sequentiã defunctorum in eorum Missis in die 2. Nouemb. in die obitus, in Anniuersariis, &c. peccare tantum venialiter.

Et quid, si omitterentur Gloria, Credo, *vel* tres orationes. Hanc igitur, & Communicantes, *quæ in Festiuitatibus Paschatis, Ascensionis, Natiuitatis, &c. dici solent?*

Et quid dicendum est, si Sacerdos omitteret scienter in Canone pauciora verba, aut preces, v. g. ab illis Nobis quoque peccatoribus, *vsque ad* Per Christum Dominum nostrum, *vel aliquid ex duplici* Memento, *cum clausula ei annexa, an semper sit venialis?* Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. Res. 53.

§. 1. VIdetur negatiuè respondendum: nam ferijs dictæ Hebdomadæ excludunt non solùm dies festos duplices, sed etiam duplices secundæ classis; vnde festiuitas D. Francisci de Paula, & Annuntiationis B. Virginis, si occurrãt in dictis feriis, transferuntur; ergo quo pacto dici potest, quòd sit licitum in dictis feriis dici Missa votiua?

2. Sed hoc non obstante, nouissimè affirmatiuæ sententiæ adhæret Quintanaduenas *in Theol. mor. to. 1. tr. 7. singul. 40. n. 2.* vbi sic ait: Quòd verò pro his Missis possit Missa votiua priuata (non solemnis, aut conuentualis) dici, minus ambigo; cùm hæc dicipossint quocumque die, dum officium non sit duplex; & licèt Officium Hebdomadæ Sanctæ sit maius, & duplicibus etiam festis præferendum; attamen duplex non est in eo gradu, quo Missæ propriæ excludunt votiuas, ita vt hæ regulariter dici nequeant. Vnde Eman. Rodrig. *to. 1. q. 43. a. 8.* ex Nauar. *cons. 16. n. 8. tit.* Pro Missa longa de Passione satis implet Sacerdos si celebret de festo, etiam semiduplici, aut infra Octauam. Consulam tamen Sacerdotem, vt tunc non publicè, sed in priuato Oratorio celebret. Hucusque Quintanaduenas.

3. Verùm ego puto contra illum prorsus non esse recedendum à sententia negatiua ex decreto facto Congregationis: & ita hanc sententiam docet Gauantus in Rubricas Missalis, *p. 1. tit. 4. n. 3. lit. O.* vbi sic asserit. Dicendũ est prohiberi Missas votiuas in iis diebus, in quibus prohibetur fieri de festo duplici, argumento à fortiori sumpto, nempè infra Octauam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Feria 4. Cinerum, in Hebdomada maiori, in vigiliis Natiuitatis Domini, & Pentecostes. Et ita declarauit sacra Congregatio Rituum die 28. Augusti 1627. Hæc Gauantus vnde caueant Episcopi opinionem Patris Quintanaduenas in eorum Diœcesibus practicari.

4. Notandum est etiam hîc quòd supra etiam obseruaui, dictum Quintanaduenas loco citato *sect. 16.* quærere, an peccaret mortaliter Sacerdos, qui Prophetias semper omitteret in Missis quatuor Temporum; vel Sequentiam in festis, aut pro his Missis alias diceret? Et negatiuè respondet, saltem si Missæ sint priuatæ, & scandalum absit. Et primò existimat, & probat hoc ex Granado *contr. 6. de Euch. tract. 14.* statuente: Quando pars, quæ omittitur, non esset necessaria ad ordinariam Missæ integritatem, quia solet nõ dici, vt Symbolum, vel Gloria, vel tres Orationes, facilius posse à culpa mortali excusari eius omissionem: ergo cùm Prophetiæ, vel Sequentiæ dici non soleant in ordinariis Missis, immò semel, aut iterum in totius anni decursu tantum dicantur, & sine illis integra Missa dicatur; harum omissio venialis. Præterea, culpa erit sine causa, & cũ hac nec venialis. Præterea, quia Sequentiæ non ex præcepto, aut decreto, sed ex priuilegio Nicolai Papæ introductæ sunt, vt refert Durand. *lib. 4. de Rit. c. 22.* ergo non erit lethalis earũ omissio. Et in hoc casu idem Quintanaduenas asserit, non esse attendendũ in omissione hac, an sit magna, vel exigua pars, seu quantitas, quæ in Missæ celebratione

tione omittitur; sed an sit ex substantialibus, vel ad sacrificium conficiendum, vel ad integram Missam ex ordinariis perficiendam. Hinc omittere scienter in Canone pauciora verba, aut preces; v.g. ab illis: *Nobis quoque peccatoribus*, vsque ad: *per Christum Dominũ nostrum*; vel aliquod ex duplici Memento cum clausula ei annexa, esset lethale, quia & in Canone, & semper dicuntur; non verò esset, si in eodem omitteretur id, quod in ordinariis Missis dici non solet, sed in singularibus festiuitatibus Paschatis, Ascensionis, Nativitatis, Epiphaniæ, &c. v.g. id quod additur precibus; Hanc igitur; ac precibus; Communicantes. Sic Filliuc. *to.1.tr.5.c.5.* & Diana *p.2.tr.14.ref.59.* Sicut nec iuxta hos DD. esset lethale omittere Gloria, & Credo, quia sine his integra Missa ex ordinariis dicitur; secus Epistolam, vel Euangelium, cùm sine his non dicatur: nam sunt, vt cum Suario *disp.88. sect.3.* loquar, veluti membra principalia, & necessaria huius corporis heterogenei. Nec obstat prædictis Ecclesiæ antiqua consuetudo in legendis Prophetiis, & dicendis sequentiis; à tempore nempe Nicolai Papæ, SS. Ambrosij, Augustini, & aliorũ antiquorum, vt videre licet apud Rodulphum *prop.23.* Durand. *lib.2.c.11.* & Trithem. *lib.4.c.22.* quia quantumuis vetustissima, sub mortali obligare non valet. Sic antiquissimus obtinuit mos, vt ab introitu Missa audiretur, & qui ab Euangelio audiret, nõ peccaret grauiter diebus festis; sicut nec Sacerdos, qui Gloria, aut Credo, omitteret: ergo similiter, &c. Et hæc omnia pro sua firmãda sententia docet Quintanad. *vbi sup.* Sed an probabiliter, iudicent alij? Non deseram tamen adnotare, quòd post hæc scripta inueni, Bordonum *in Consil. Regul. tom.2. ref.64.n.33.* docere, omittentes ex industria sequentiã Defunctorum in eorum Missis in die 2. Nouemb. in die obitus, in Anniuersariis, &c. peccare tantũ venialiter; quæ opinio confirmat opinionẽ Quintanad. sed alij de hoc valdè dubitant, tum quia illa omissio est quantitas notabilis, tum etiã quia versatur circa materiam grauem ab Ecclesia specialiter pro illis diebus assignatã, vnde supradictis opinionibus nõ assentior.

Sup. hoc infra in Resol. 82. §. vlt.

Qui hic est infra Resol. 82. & in aliis eius noct. & pro Regibus & Euangelio commutis in hoc textu infra in Ref. 91. & in aliis eius annot. pro hac quæst.

Sup. hoc infra in Resol. 82. §. vlt.

RESOL. LXXIII.

An in Feria V. Hebdomadæ Sanctæ possint Sacerdotes Missam priuatam dicere in aliquo Oratorio, etiam post dictam Missam solemnem?

Et aliqua curiosa circa celebrationem Missæ huius diei, & Sabbathi Sancti inuenies in textu huius Resolutionis, maximè si in dictis diebus incidat Festum Annunciationis, vel alterius Sancti solemnis. Ex p.11.tr.5. & Misc.5.Ref.32.

Sup. hac positione casus in Resol. seq. & in eodem §. in penult. & vlt. & in tom.8.tr.4. ref.46.§.vlt.

§.1. QVæro ante responsionem huius dubij, an in dicto die licitum sit celebrare? Et negatiuè respondet nouissimè Andr. Saussay Doctor Parisin. *in Panoplia sacerdot. lib.1.p.2.c.9.art.2.§.1.* vbi sic ait: S. Francisci fertur Epistola ad omnes Fratres suos, in qua iubet, etiamsi in suis Monasteriis plures Sacerdotes adsint, vnam celebrari Missam, adeo vt vnus sit qui celebret, cæteri communicent. Hanc Epistolã Ecxius in Enchiridio, vt S. Francisci genuinã, ait non agnosci ab eius Ordinis professoribus, nec à se tamen reiici: loqui enim auctorem, non de quolibet die, sed de Feria V. in Cœna Domini tantũ, in qua scilicet Ecclesiæ Catholicæ vetus est consuetudò, vt in vnaquaq; Ecclesia, Missa solemnis, à solo qui præest sacerdote, celebretur, reliquis Sacerdotibus, si in ea plures sunt, sola communione vel assistentia (vt aiunt) contentis. Elicitur priscus ille mos ex Ordine Romano, ante annos fermè 800. edito, vbi sub titulo de Cœna Dñi, hæc habentur: *Fractis autem oblatis, cõmunicent Presbyteri primò, posteà Diaconi, & cæteri omnes, & ita perficiatur Missa.* Antea florebat Alcuinus, qui in libro quem conscripsit *de diuinis officiis*, ex veteri Ecclesiæ politia, *cap.* de Cœna Domini, expresè scribit: *Dum cantatur antiphona ad communionem, interim Clerũ & omnem populũ communicare.* Cui consonat liber Sacramentorum S. Gregorij, vbi expleta Chrismatis consecratione, peractisq; mysteriis, hæc rubrica subiungitur: *Pontifex vadit ante altare, & communicat omnis populus in ordine suo.* Et verò hac die qua Christus Eucharistiæ Sacrificium instituit, solus ipse sacrificauit, cæteri omnes qui ei in mensa assidebant (quamuis tunc fuerint ab eo Sacerdotes ordinati) ipso porrigente diuinum munus susceperunt. Ob reuerentiam igitur Christi solius hac die celebrantis, & suis manibus discipulos communicantis, conueniens esse nemo pius & prudens negauerit, vt ipsa die qualibet in Ecclesia, vnica liturgia celebretur ab vno, eoque primario Sacerdote, reliquis discipulorum instar adstantibus, & summa modestia & humilitate de eius manibus suscipientibus corporis & sanguinis agni immaculati (qui Pascha nostrum immolatus est) Sacramenta venerãda. Cæterùm & huic fauet consilio id quod Marcus Francolin. *in lib. de horis Canonicis c.30. n.4.* narrat suo tempore accidisse: Scilicet, Cardinalem Sauellium Pontificis Vicarium in Vrbe, quibusdam Sacerdotibus Sacrificare volẽtibus in die Cœnæ Domini, prohibuisse ne ea die sacrificarent. Porrò Parisiis contrarium morem vsurpari conspicimus, & passim in Gallia, dicunt etiam in Hispania. At an procedat de facto, vel de iure, ipsi viderint qui faciunt. Excusari tamen censeo, ex tolerãtia Episcopi, qui videt, nec prohibet. Hucvsque Saussay. Ideo Layman *lib.5. tr.5.c.4.n.9.* & Azor. *tom.1.lib.10.c.24.q.5.* dicunt, talem consuetudinem esse seruandam, quia videtur obtinuisse vim legis, præsertim in aliquibus conuentibus; & Persicus *de officio sacerdotis lib.1.dub.6.n.40.* testatur; Sacram Congregationem Rituum decreuisse, quod eo die celebretur vnicum sacrificium in singulis Ecclesiis. Vide etiam Bonacinam *de Eucharist. q.7.punct.2.n.17.* Ex his patet non benè dixisse Amicum *in Curs. Theolog. tom.7. disp.33. sect.10. num.306.* hanc sententiam solùm Franciscum docuisse.

2. Verùm his non obstantibus, communis Doctorum sententia est in contrarium, quam sequitur Emin. Card. Lugo *de Sacram. Euchar. disp.20.n.14.* qui testatur nullum decretum extare in contrarium: & Garzias vbi infra, asserit, de declaratione Cardinalium adducta non constare authenticè.

3. Dicendum est igitur, quod in feria v. in Cœna Domini, communis est Doctorum sententia nullam esse obligationem abstinendi à Sacrificio, neque ex iure scripto, quia nullum est, neque ex consuetudine quæ vim legis habeat. Nam esto pluribus Ecclesiis introductum sit vnicam Missam solemnem celebrari, in qua omnes Sacerdotes communicent, id non est introductum per modũ obligationis, sed deuotionis, vt aptius Apostolorum communio de manu Christi Domini commemoretur. Adde prædictam consuetudinem abrogatam iam esse, cùm passim videamus eo die Sacrificium celebrari tam Romæ, quàm extra. Vide Francisc. Lugo *de Sacram. tom.1.lib.5.c.5.q.3.n.26.* qui nostram sententiam satis firmat, & respondet ad argumentum consuetudinis adductum à Saussay, & aliis aduersariis vbi suprà. Vide etiam Doctores inferius citandos, vno ore asserentes neque iure, neque consuetudine esse prohibitum in feria v. hebdomadæ Sanctæ Missam celebrare.

4. Hoc supposito, difficultas est, an Missa in dicta die possit à Sacerdotibus celebrari finita iam Missa solemni. Et affirmatiuam sententiam tenet nouissimè

Sup. hoc infra in tr.2. Resol.46. §. Notandum.

cursim in fine.

mè P. Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tr. 5. disp. 4. dub. 2. n. 29.* vbi sic ait; Vasquez quamuis doceat licere illo die, & nec consuetudine aliqua, nec iure scripto esse prohibitum, adeoque nullam licentiam requiri, quam videtur requisiisse Sotus; obseruat tamen tanquam valdè obseruandum, eo die solùm licere celebrare antequam Missa solemnis finiatur, & Corpus Christi in locum designatum recondatur. Nam postea iam incipit officium Parasceues, cùm statim Vesperæ dicantur; in Parasceue autem (vt dicemus) non licet celebrare. Verùm quamuis hoc in illa ipsa Ecclesia publicè, ita faciendum videatur, non video cur in alio priuato, & semoto Sacello, aut Oratorio non possit Missa celebrari? maximè, si sit rationabilis causa, qualis esset si dies esset festus, & non omnes potuissent commodè adesse tempore aliarum Missarum: neque in his casibus, & cum his circumstantiis puto Vasquium negaturum: solùm enim videtur loquutus de Missis dicendis in eodem templo. Cur enim in alio templo, vbi nondum reconditum est venerabile Sacramentum licebit adhuc celebrare; quamuis alibi iam sit reconditum, & non licebit in aliis Sacellis, aut locis ab omni templo separatis; imò adhuc in his licere putarem, quamuis in omnibus illius oppidi Ecclesiis iam esset reconditum, dummodo seruetur tempus consuetum, in quo licet alioquin celebrare. Ratio autem Vasquij de Vesperis iam incœptis, & de officio Parasceues iam incipiente, parum firma est, vt postea videbimus; ideo ad vsum iam non vlterius celebrandi recurrendum est, non ad præceptum celebrandi in Parasceue, quæ nondum aduenit. Ita ille.

5. Sed, vt verùm fatear, sententiam Patris Vasquez video communiter à Doctoribus amplecti, & ita docet Castrus Palaus *tom. 4. tract. 22. disput. vnica, punct. 7. n. 2.* Hurtadus *de sacrificio Missæ* Quintanadueñas *tom. 1. tract. 4. singul. 5. n. 6.* Franciſc. Lugo *de Sacram. tom. 1. lib. 5. cap. 5. q. 3. n. 26.* Garzias *in summa Theolog. moral. tr. 3. difficult. 2. dub. 3. punct. 1. n. 3.* Leander. *de Sacram. tom. 2. tr. 8. disp. 5. q. 20.* & Caspensis *in Curs. Theolog. tom. 2. tract. 23. disp. 3. sect. 2. n. 44.* vbi sic ait; Dicendum est, licitum esse non solùm Prælatis Ecclesiarum, sed etiam quibuscumque aliis Sacerdotibus, Missam priuatam celebrare in Feria V. maioris hebdomadæ. Et ita tenet communis sententia, quia nulla datur lex, neque præceptum id prohibens; neque oppositа consuetudo: hæc enim quamuis detur in Ecclesiis, non tamen quasi ex obligatione, sed ex deuotione ad imitandum Apostolos, qui eo die de manu Christi acceperunt communionem, & per contrariam consuetudinem abrogata est; & ita videmus viros doctos, & timoratæ conscientiæ, eo die celebrare: hoc autem intelligendum esse antequam finiatur Missa solẽnis, & recondatur Christi corpus, vt rectè obseruat Vasquez; quia immediatè post incipit dies Parasceues, cum statim Vesperæ dicantur. Ita ille.

6. At non deseram hic adnotare in fauorem sententiæ affirmatiuæ Patris Dicastilli, heu quondam mihi amicissimi, stare ex eadem Societate præstantissimum Theologum Ioannem Præpositum *in 3. part. D. Thomæ q. 83. art. 2. dub. 2. n. 128.* vbi sic ait; Dico, quod non est illicitum Feria V. hebdomadæ Sanctæ præter sacrum solemne, vltrà celebrare. Probatur; Nulla lex, vel consuetudo obligat, vt ea die plura sacra non fiant: nam quod pauci celebrent, non arguit eos non posse, vel consuetudinem id prohibere, cùm remanente potestate celebrandi, id variis de causis possit contingere, vt quia Sacerdotes impediuntur confessionibus, quia denudantur altaria, vel quia ad imitationem Apostolorum cupiunt communicare ex manu Præpositi, vel Rectoris Ecclesiæ. Confirmatur ex praxi; in plerisque enim templis præter solemne Sacrum aliqua alia solent celebrari, Episcopis non repugnantibus.

7. Non est verò necessitatis, vt ea Sacra celebrentur ante solemne, quamuis id sit decentius. Hæc ille; in quibus vltimis verbis sententiam affirmatiuam Dicastilli contra Vasquez videtur admittere. Quod etiã probatur: nam suppositа sententia, quæ hodie communior appellanda est; quod in Sabbatho Sancto licitum sit priuatas Missas dicere, difficultas est, an dicere quis possit Missam ante solemnem. Negat Castr. Palaus, Baunius, & alij: nam adhuc durat tempus mœroris, & nondũ incæpit solemnitas Resurrectionis, ob quam prohibitio cessat; & hoc idem indicant alij: Affirmant verò Hurtado *de Missa disp. 4. diffic. 3.* Martinon *disp. 40. n. 5.* Card. Lugo *n. 13.* & me citato Franciſc. Lugo *n. 36.* & Dicastill. *n. 38.* Garzias *n. 17.* Ergo sicut in Sabbatho Sancto dici potest Missa adhuc existente tempore Passionis, idem dicendum est quod in Feria V. etiam incœpto tempore Passionis possit dici Missa illius diei.

8. Sed his non obstantibus, ego non audeo recedere à sententia P. Vasquez, & aliorum, quam præter Doctores citatos approbat etiam Andreas Sausſay, vbi supra: sic enim asserit; Vasquez fatetur congruentius esse, vt eo die reliqui omnes Sacerdotes præter Præpositum (aut qui eius legitimè impediti vices gerit) à celebratione abstineant, & ad imitationem Apostolorum de manu illius, tanquam de manu Christi, Eucharistiam accipiant. Addit, & monitum optimum (vbi vsus præualet, nimirum vt Sacerdotes singuli Sacrum faciant Feria V. in Cœna Domini) ea die, solùm licere celebrare, antequam Missa solemnis finiatur, & Corpus Christi in locum designatum reconditur: nam postea mox incipit officium Parasceues, cùm statim Vesperæ dicantur, & in Parasceue in memoriam mortis, & sepulturæ Domini à celebratione Sacrificij sit abstinendum. Ita Sausſay, cui etiam addè Auersam *de Sacram. Eucharist. q. 11. sect. 15.*

9. Vnde ex superius dictis apparet quid faciendum sit anno futuro 1655. in quo festum Annunciationis B. Virg. incidit in feriam quintã hebdomadæ Sanctæ.

10. Dico igitur ab Epiſcopis assignandos esse plures Sacerdotes pro singulis Ecclesiis, vt in illa die celebrent, vt sine scrupulo, & commodè populus possit satisfacere præcepto audiendi Missam, ratione illius festiuitatis; sicut faciendum esset si Festum Annunciationis caderet in diẽ Sabbathi Sancti, & adeò P. Tamburinus *opusc. de Sacrific. Missæ, l. 1. cap. 6. §. 1. n. 2.* sic ait, Incipit talis Missa priuata Sabbathi Sancti à Kyrie eleisõ, exclusis Prophetiis, & Litaniis, quæ solùm in Missa solemni recitãtur & ex iis exclusis, obligabuntur fideles audire, si possunt quando fortè dies Sabbathi Sancti sit festiuus ex præcepto. In quo casu tam Sabbatho, quàm die Iouis plures Missæ possent non obstantibus mœrore passionis Domini, in Ecclesiis offerri, quot scilicet, ad satisfaciendum populo moraliter necessaria iudicabuntur. Ita Tamburinus; cui etiam addè Franciſc. Lugo *de Sacram. lib. 5. cap. 5. q. 4. n. 3.* ita asserentem; Iuxta consuetudinem autem, qua ego vidi per annos quadraginta, tam in America quàm in Hiſpania, & Italia, censeo publicè posse celebrari Missas priuatas de consensu superioris, quando festum incidit in Sabbathum Sanctum: nam id factum est aliquando, & causa supperit sufficiens faciendi, nec consuetudo contraria præualere potuit in euentu tam raro. Sic ille.

11. Et tandem non deseram hic apponere verba Patris Hieronymi Garziæ *in summa tract. 3. difficult. 2. dub. 4. punct. 3. num. 16.* sic asserentis; Pero que feria si cayese alguna fiesta en este dia? La mayor parte

parte de los Dotores concuerdan, que seria pecado mortal dexar de oyr Misa; porque en tal caso,como dize bien Marchino *num.*8. concurren dos cosas, dia de fiesta, y sacrificio que se celebra, y assi paraque puedan los fieles cumplir con este precepto, dan lugar los señores Obispos paraque en cada Iglesia se digan dos Misas rezadas: assi lo ordenò el señor Arçobispo de Zaragoça el año de 1639. que cazò en este dia San Iorge, fiesta colenda en esta Ciudad, y yo fuy vno de los que la dixeron en esta casa.]

12. Et Cardinal Lugo *vbi sup.n.*20. toma el Cielo con las manos cõtra los que tienen por opinion,que no se puede celebrar en este dia, y no obstante este sentir dizen que si cae fiesta en el, puede dar licencia el Obispo paraque se digan algunas Misas rezadas, paraque el Pueblo pueda cumplir con el precepto: parecele à este Autor, que no hablan consequenter; porque si està prohibido por la Iglesia,mal puede dar licencia el Obispo,pero quando tenga esto absurdo, en opinion de estos Autores, en la nuestra que affirmamos, que con cosa se puede dezir, ningun absurdo se siegue. Ita ille, cui adde Leandrum *de Sacrament.tom.*2.*tr.*8.*disp.*5.*q.*25. vbi sic ait; De facto anno 1606. occurrente festo Annunciationis in Sabbatho Sancto, plures Missæ celebratæ sunt in Toletanâ diœcesi, quam ego etiam tali die in hoc nostro Complutensi Collegio celebraui. Hæc Leander. Quæ quidem omnia à fortiori procedunt,si festum Annunciationis incideret in Feria V. Nam, vt optimè obseruat Emin.Card.Lugo, *& omnes Doctores citati, vbi sup.* nullus Canon in iure prohibet,ne dicta die Missæ celebrentur, vt prohibetur pro die Sabbathi Sancti; & tamen hoc non obstante, satis probabiliter plures Doctores vt visum est, docent per consuetudinem Canonem prohibentem celebrare Sabbatho Sancto fuisse abrogatum: Et ideò si festum Annunciationis in illud incideret plures Missas dicendas esse, vt fideles præcepto satisfacerent, vt factum fuit in Hispania anno 1606.& anno 1639.ergo à fortiori dicendum est in casu nostro in die Feriæ V. maximè accedente licentia, & ordinatione Episcoporum. Vide præter DD.citatos Ioan.de Garzia *in Epilogo summarum p.*2.*tr.*1.*sect.*5.*disp.*2.§.*circa recitationem.*Possentium *in recollect.qq.Moral.verb.Missa,c.*1. *n.*19. Escobar *in Theol.moral.tr.*1.*exam.*11.*c.*4.*n.*49.

13. Verùm difficultas est, quænam Missa eo die dicenda sit.

Respondeo non esse dicendam Missam de Annunciatione, quia Missa, & officium dictæ diei transfertur post tempus Paschale, sed dicenda erit Missa diei currentis: nam licet aliqui Doctores asserant in casu quo festum Annunciationis incideret in Sabbathum Sanctum,dicendam esse Missam de B.Virgine,& non Missam Resurrectionis;hoc ipsi dixerunt,quia Missa Resurrectionis non habet Introitum; sed in nostro casu Missa feriæ V. non caret Introitu: ergo illa dicenda erit, & non de Beata Virg.

Sup.hac licentia infra in tr.2. ex Resl.46. lege §.vlt. & §. Notandum, ad medium, 3 vers. quod verò.

Sup.hac diffic. in simile. Resl.seq.& in alijs §. eius loc.

RESOL. LXXIV.

An si Festum Annunciationis veniat in die Sabbathi maioris Hebdomadæ, sint in illa die celebrandæ plures Missæ in Ecclesiis? Et quænam Missa dicenda sit in illa die? Ex p.2.tr.14. Resl.21.

§. hoc in §.præteri- §. Dico tur. & & in Resl.seq.

§.1. HOc dubium potest in praxi sæpius contingere; & ego puto vtramque opinionem, nempe affirmatiuam, & negatiuam esse probabilem. Negatiuam docuit Villalobos *in sum.p.*1.*tr.*8. *dub.*20.*n.*4. & quia Codex rarus est, ponam eius verba. [El año de 1606. que cayo la Annunciacion en Sabado consultò el Obispo de Salamanca letrados para este caso, y resolvieron, que non se dixesse,y lo mismo fue en Valladolid adonde estaua a la sazon la Corte,y no sabemos que en parte ninguna se aya hecho lo contrario.]

& infra in tr.2. ex Resol.45. lege §.vlt. & ex Resl.46. §. Notandum, & vlt.

2. Sed contrariam docuit doctissimus Ledesma *in summa tom.*1.*de sacram.Eucharist.cap.*19.*concl.*5.Fernandez *in exam.Theol.mor.p.*3.*cap.*5.§.5.*n.*2. Syluius *in* 3.*p.q.*83.*art.*2. noster Molfesius *in summa tom.*1. *tract.*3.*cap.*17.*n.*41. & nouissimè Ioan. de la Crux *in direct.conse.p.*2.*in sacr.Missæ,q.*2.*dub.*2.*concl.*1. vbi Anno 1617.occurrente festo Annunciationis in Sabbatho Sancto plures Missæ celebratæ sunt in singulis Ecclesiis Toletanæ Diœcesis.

3. Si petas verò,quænam Missa dicenda sit in illa die. Respondit Ledesma *vbi suprà*, vel Missa B.Virginis, vel Missa ordinaria illius diei, cum introitu tamen Missæ Resurrectionis sequentis diei. Rationes verò pro parte negatiua huius dubij, inuenies apud Vasquez *in* 3.*part.tom.*3.*q.*83.*art.*3.*disp.*233.*c.*2.*n.*23. Pro parte verò affirmatiua apud Suarez etiam *in* 3.*p. tom.*3.*disp.*80.*sect.*2.*ver.tertius dies.* Vide etiam Pitigianum *in* 4.*tom.*1. *dist.*13.*q.*2.*art* 2. Ego autem consulerem sententiam affirmatiuam.Vide etiam circa præsentem quæstionem, Gauant. *in comment. ad Rubr.Missal.tom.*1.*part.*4.*tit.*10.*n.*43.

Sup. hoc in Resl. 2. not. præteritæ & signanter §. penult. & vlt. Resl seq. & in Resol. præterita §. Verum. & seq. & infra in tr.2. Resl. 45.cursim in fine.

RESOL. LXXV.

Supposita opinione probabili, quod in Sabbatho Sancto possit à quolibet Sacerdote, secluso scandalo, in aliquo Sacello dici Missa priuata,quæritur,an dicenda sit Missa Resurrectionis cum vesperis?

Et discutiuntur omnes difficultates,quæ contingere possunt in prædicto casu circa Introitum, Prophetias, Credo, & alia, etiam si Festum Annunciationis inciderit in dicta die.

Et docetur,quod si in Sabbatho Sancto inciderit Festum Annunciationis,& quis audierit Missam dicti Sabbathi, vt satisfaciat præcepto, tenetur audire vesperas, secus autem peccauit saltem venialiter. Ex p.11.tr.8. & Misc.8.Resl.66.

§.1. ALibi satis probaui contra Vasquez, Castrum Palaum, Saussay, Azorium, quibus adde Iordanum *tom.*1.*lib.*4.*tit.*1.*n.*111. non esse peccatum secluso omni scandalo in Sabbatho Sancto celebrare, & dicere Missam Resurrectionis.

Alibi in Resl. 1. post præteritam §.dico.& in Resl. præterita per totam,& infra in tr.2. ex Resl.45. lege doctrinam eius §. vlt. & ex Resol.46. §. Notandum. & §.vlt.

2. Stando igitur in hac sententia, & quod Missa priuata in illa die dicenda sit de Resurrectione, difficultas est, an dicenda sit vt Missa solemnis, videlicet cum vesperis? Casus est curiosus,practicabilis, & à pluribus non pertractatus. Itaque negatiuam sententiam docet noster P.Castald. *in Cæremon.lib.*3.*sect.*18. *cap.*7.*num.*2. vbi sic ait; Cùm enim hæc Missa non habeat Introitum, facta contritione, in qua dicitur Psalm.*Iudica me Deus*, immediatè à *Kyrie eleison* incipit Missa; in qua non dicitur Credo, neque Offertorium, & in Præfatione dicitur, *Te quidem Domine omni tempore, sed in hac potissimum nocte.* Infra actionem. *Communicantes, & noctem Sacratissimam celebrantes,* cum *hanc igitur*, propria, *Agnus Dei* non dicitur, & loco post communionis dicitur Antiphona *Vespere autem Sabbathi*, sine Psalmo,postquam dicitur oratio *Spiritum nobis, &c.* & *Ite Missa est* cum duplici *Alleluya*; Ita ille.

3. Verùm ego adhæreo sententiæ affirmatiuæ,nempè in Sabbatho Sancto dici posse Missam priuatam, vt dicitur Missa solemnis cum Vesperis; Vnde licèt

Gauantus teneat in dicto die non esse recitandas Missas priuatas, tamen suppositâ probabilitate nostræ sententiæ, asserit dicendam esse Missam cum Vesperis. Sic itaque asserit *in Rubric. Missalis p.4. titul.10. n.44.* Quo casu fortè sufficit incipere à Confessione, qua finita dicat Sacerdos *Kyrie eleison*, de more, & reliqua cum vesperis vsque ad finem Missæ. Ita ille. Et post illum Leand. *de Sacr. to.2. tr.8. disp.5. q.27* Et pro hac sententia adducendus est etiam Eminentiss. D. meus Card. Lugo *de Sacr. Eucharist. disp.20. sect.1. n.21.* vbi sic ait; Infertur secundo in Missis priuatis illa die non esse legendas prophetias, quia illæ non sunt pars Missæ, sicut nec benedictio Cerei; sed pertinent ad officium cantandum solemniter cum choro. De litaniis posset magis dubitari; nam Micrologus *cap.53. de Sabbatho Sancto*, dicit, quòd à litaniis solebant incipere qui Missam priuatim celebrabant: sed tamen hoc nō est in vsu; quia litaniæ reuera non pertinent ad Missam, vnde qui ex præcepto Missam illam audiunt, non obligantur ad audiendas litanias. Ita ille, & post illum Hermann. Busembaum *in Medulla Theol. Moral. lib.6. tract.3. cap.3. dub.3. in resp. ad 2.* Ergo si Cardinalis Lugo, & alij excludunt tantùm à Missis priuatis dicendis in illa die prophetias & litanias, dicendum est includere vesperas; nam si vellent vesperas excludere, aut facerent vt nominatim fecerunt de litaniis, & prophetiis, clarum est ex vulgatis iuribus quod incluſio vnius est exclusio alterius, vt patet ex *l. cum prætor, ff. de iudic. l. cùm maritus, C. de procuratorib. l. quamuis C. de pignorib. l. ait Prætor. §. Sed quod Papinian. ff. de minorib. cap. nonne, de præsumpt.* & docet Surd. *decis.195. n.12.* Menoch. *cons.106. n.14.* & alij communiter. Ergo, &c.

4. Rectè itaque etiam hanc sententiam sequendo Tambur. *in opusc. de sacrificio Missæ lib.1. c.6. §.1. n.2.* sic ait; Incipit autem talis Missa priuata Sabbathi Sancti à Kyrie eleison exclusis prophetiis & litaniis, quæ solum in Missa solemni recitantur; Ita ille. Ergo si ex Missa priuata Tamburinus excludit solùm prophetias & litanias, necessariò dicendum est includere vesperas.

5. Nec obstat dicere in fauorem sententiæ Castaldi, quod nimis indecens & indecorum videtur vesperas summo mane recitare: nam respondeo negando esse indecens in nostro casu dicere vesperas summo mane; cùm enim licitum sit & decens, vt suppono, dicere Missam in illa hora; ergo licitum erit & decens dicere etiam vesperas. Probo consequentiam, quia in illa die vesperæ sunt pars Missæ, & eius accessorium; ergo debent sequi naturam sui totius, & sui principalis iuxta vulgatam regulam, quod accessorium sequitur naturam sui principalis iuxta *l. etiam Cod. de iur. dotium, & regula accessorium de regul. iuris in 6.* ac exornat Menochius *cons.58. n.13.* Surdus *de alim. tit.9. q.31. n.8.* & alij ergo, &c.

6. Itaque asserō quod si vesperæ illius diei dicerentur ab aliquo summo mane extra Missam, tunc vtique ea recitatio indecens appareret; Sed quando dicuntur cum Missa, vt eius pars, nullam indecentiam continere dicendum est, cùm in tali casu vesperæ, vt eius pars, induantur natura & priuilegio Missæ: ergo, &c.

7. Vnde ex his infero, quod si in Sabbathum Sanctum incideret festum Annunciationis, & quis audiret Missam dicti Sabbathi, vt satisfaceret præcepto, quando Sacerdos recitaret in Missa Vesperas, si ipse tum extra Ecclesiam egrederetur, vel voluntariè distraheretur, peccatum veniale committere dicendum erit. Probatur, nam vesperæ in illa die sunt pars Missæ: sed in illa die propter festum Annunciationis quis tenetur audire missam: ergo peccat venialiter si non audit Vesperas, nam relinquit audire partem Missæ.

8. Nota verò quod post hæc scripta Eminentiss. simum D. meum Cardinalem Lugo audiui, vt magis clarè mens eius mihi innotesceret, & inueni illum nostræ sententiæ adhærere, & illam in praxim deduxisse: nam quoties celebrauit Missam priuatam in Sabbatho Sancto, recitauit illam cum Vesperis, & testatus est sic etiam fecisse plures Patres inclytæ Societatis IESV, & ita obseruari in Hispania. Et hoc anno 1654. in Ecclesia Sanctæ Marthæ, in qua omnes Sacerdotes in illam confluentes dicunt Missam in Sabbatho Sancto, hoc anno, inquam, Capellani instabunt Missas dicendas esse cum Vesperis, & ita scio aliquos Sacerdotes fecisse. Et hanc sententiam nouissimè tenet Bartholomæus Corsetus in Praxi Sacrorum Rituum *p.2. tract.1. cap.8. n.25. in fine fol.88.* & Claudius Arnaud *in Epitome Sacrorum Rituum tract.1. p.4. tit.10. n.28. fol.246.*

9. Vnde ex his omnibus licèt Gauantus *vbi supra* asserat hoc dubium esse magis fugiendum, quàm dicendum; ego tamen satis probabiliter firmo, Missam priuatam in die Sabbathi Sancti esse recitandam cum Vesperis, & ideò non adhæreo nostro Castaldo, quin etiam ab ipso dissentior dum asserit *vbi supra num.1.* vt dicta Missa non antea celebretur quàm in Ecclesiis incipiant, vel saltem incipere probabiliter possint officia Paschalia: nam licèt hanc opinionem Castrus Palaus & alij tenuerint, mihi magis placet posse dici summo mane: Ita docet Dicastillus *de Sacramentis tom.1. tract.5. disput.2. dub.2. num.38.* quia nihil est quod cogat in contrarium, & piorum vsus ita habet, teste Cardinali de Lugo *loco cit. n.23.* Idem docet Leander *de Sacram. tom.2. tract.8. disp.5. quæst.28.* Hurtadus *disp.4. de sacrif. Missæ, diffic.9. in finem.* Hieronym. Garzias *in summ. tract.3. difficult.2. dub.4. punct.3. num.17.* cum aliis, & hîc Romæ in Ecclesia Sanctæ Marthæ in die Sabbathi Sancti summo mane Sacerdotes incipiunt celebrare Missas priuatas. Ergo, &c.

10. Et tandem hîc quæro, an si aliquis Sacerdos vellet in Sabbatho Sancto dicere Missam priuatam, posset dicere aliam Missam extra Missam cadentem illius diei. Et affirmatiuè me citato tenet Leander *vbi supra q.17.* vbi sic ait; Qui autem voluerit Missam priuatam in Sabbatho Sancto celebrare, poterit dicere Missam ordinariam illius diei, aut cum introitu Missæ diei Resurrectionis, vel incipiēdo à Kyrie eleison, finita confessione, vt dicit Gauantus, aut Missam Sancti in illa die concurrentis, aut votiuam B. Virginis. Ita ille. Cui addę; me etiam citato Hermannum Busembaum *in Theol. Mor. l.6. tract.3. c.3. dub.3.* & me citato Caspensem *in curs. Theol. tom.2. tract.23. disp.3. sect.2. num.56.* & me citato Machadum *de pers. confess. tom.2. lib.4. part.1. tr.11. docum.11. n.5.* Idem docet Trullench. *de Sacram. lib.3. cap.8. dub.9. num.20.* Idem docet Escobar *in Theologia Morali parua vltimæ editionis tract.1. Exam.11. cap.4. num.49.* Hurtadus *disp.4. de Sacrific. Missæ, diffic.3.* & alij. Sed ego modò figo pedes, & firmiter asserō in tali die non esse celebrandam aliam Missam quàm Resurrectionis, modo quo supra dictum est, & ita docet Dicastillus *de Sacr. tom.1. tr.5. disp.4. dub.2. n.37.* & alij: nam cùm Missa, & officium illius diei sit ritu duplici, rubricis Missalis magis conforme & consentaneum est non dicere Missam votiuam, quam in duplicibus aduertunt non esse dicendam.

11. Dicere Missam Annunciationis, vel alterius Sancti, si incidat in illum diem, non probo, cum tunc non celebretur, sed transferatur illud festum. Dicere Missam cum introitu sequentis diei Dominicæ

nicæ Resurrectionis, non mihi placet; nam esset confundere Missas inter se, & Missa Sabbati Sancti ex institutione non habet introitum.

RESOL. LXXVI.

An licitum sit Regularibus in Festis duplicibus dicere Missas votiuas cum Gloria in excelsis Deo ?

Et an sit licitum Regularibus in Festis duplicibus Missas votiuas Spiritus Sancti, B. Virginis Mariæ, vel Defunctorum celebrare ? Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. Resol. 3.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Brunus *de priuil. Regul. part. 2. tract. 8. cap. 1. prop. 4.* vbi sic ait, Regularibus licitum est in festis duplicibus Missas votiuas Spiritus Sancti, Virginis Mariæ, vel Defunctorum pro libito celebrare, & in eisdem, ac aliis omnibus votiuis canticum Angelorum, seu Gloria in excelsis Deo, & etiam pro libito dicere. Duas habet partes hæc propositio: Prima priuilegium non est, sed commune ius, quo non solum Regulares, verum etiam sæculares vti possunt in Missis priuatis, vt tenent Suarez *de Eucharist. disp. 83. sect. 3. & disp. 88 sect. 3. conclus. 1. maximè in §. in quo est.* Portell. *in addit. verb. Missa §. 8. & alij:* Et probatur, quia alia ratio est de obligatione Sacerdotis, vt confirmetur festo illius diei in recitando diuino Officio; alia verò vt confirmetur in dicenda Missa cum Rubricis Missalis. Hæ enim Rubricæ iuxta Doctores minus obligant, quàm aliæ, non enim est præceptum de Missa, aut tali Missa dicenda, sicut est de Officio dicendo. Dixi priuatis, quia aliter in solemnibus asserendum iuxta *cap. Quidam, & cap. Creatura, de celebrat. Miss.* de quibus, & aliis vide citatum Suarez. Secunda autem pars propositionis probatur ex concessione Alexandri IV. facta Minoritis, per Bullam quæ habetur *in compend. priuil. Mendic. verb. Missa quoad modum §. 4.* his præcisè verbis; Alexander IV. concessit Fratribus Minoribus, vt in Missis votiuis Spiritus sancti, & Virginis Mariæ, Gloria in excelsis Deo, necnon Sequentiæ competentes tam in solemnitatibus cantare, quàm dicere possint in priuatis, non obstante statuto generali, videlicet Capite Concilium, extra de celebratione Missarum, in quo Pontifex Innocentius III. statuit, vt in Missis commemorationis, seu votiuis licèt dicatur propria præfatio, non tamen Hymnus Angelicus, seu Gloria in Excelsis, vt inter commemorationē, & solemnitatem differentia ostendatur. Verum cum hæc concessio non extendatur nisi ad votiuas dē Spiritu sancto, & de Virgine Maria; alia concessio Sixti IV. adducenda est, quæ refertur à Roder. *tom. 1. qq. Regul. q. 43. art. 15.* his verbis: Concessit Fratribus Minoribus de Obseruantia, vt possint dicere in omnibus Missis votiuis Gloria in Excelsis Deo. Ita Brunus. Sed displicet mihi id quod asserit Brunus absolutè licitum esse in festis duplicibus dicere Missas votiuas; nam hoc est illicitum, & ex Rubricis saltem venialiter peccaret; licet aliqui asserant mortaliter; & sic docet ipsemet Suarez ab ipso adductus; Et ideo me citato Dicastillus *de Sacrament. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 14. n. 273.* sic asserit: Statuendum secundò, Quosdam putare per se loquendo non esse licitum, Missam aliam celebrari ab eo, qui pro arbitrio suo potest dicere, & omittere Missam absque obligatione; nam sicut liberum est Missam dicere & omittere, ita etiam aliam celebrare. Quæ doctrina verissima est, si de obligatione sub mortali agamus; neque enim videtur sub mortali latum præceptum dicendi Missam de Feria, aut de Sancto, ita Suarius *disp. 83. sect. 3.* Reginald. *lib. 26. num. 208.* Sylvester *verbo Missa.* Hentiquez *lib. 9. cap. 23. n. 5. in Commentario litt. H.* vbi plures alios refert, inter quos Sotum, & Medinam, quibus adde Dianam cum multis aliis, quos refert *2. part. tract. 14. res. 30. 31. & 32. & 4. part. tract. 4. Miscell. resol. 39.* vbi docet id esse reprehensibile, & affert aliquos, qui putant esse mortale contra nonnullos alios, Azor, etiam *loco cit.* dicit esse dubiam quæstionem, quando fit sine aliqua rationabili causa, & probabilius putat esse peccatum mortale. Vnde vt minimum concederet esse veniale. Hæc Dicastillus. Caueant ergo Sacerdotes præsertim sæculares, imò & Regulares ex doctrina Patris Bruni in festis duplicibus Missas dicere, quia etiam Regulares de hoc non habent priuilegium, & vi Rubricarum saltem qui vtuntur Missali Romano, tenentur sub peccato veniali in festo duplici, & in Dominicis Missas votiuas non celebrare; ergo, &c.

Sup. hoc lege Resolutiones ante penult. huius Resl. & pro parte in tom. 4. tr. 1. ex Resl. 41. §. vlt. post medium, vers. vnde infert. & in fin. 4. ante finem huius Resl.

Prima, & tertia Resl. citatæ in hoc textu nunc hanc sequētur, aliæ verò duæ hic sunt supra Resol. 67. & 70.

Sup. hoc pro Regularibus lege vers. à not. primæ huius Resl.

RESOL. LXXVII.

Vtrum Sacerdos, qui in diebus Dominicis, vel in aliis festis duplicibus celebrat aliam Missam votiuam v. g. vel de Requie, &c. peccet mortaliter ? Ex part. 2. tr. 14. Resl. 30.

§. 1. REspondeo negatiuè. Ita Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. q. 41. art. 21. concl. 3.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 83. sect. 3. concl. 1.* Zanardus *in direct. Theol. part. 1. de sacram. Euchar. c. 12. q. 14.* Hier. Llamas *part. 3. Methodi, cap. 5. §. 14.* & alij; quicquid in contrarium asserat Barthol. ab Angelis *in exam. confess. dial. 5. §. 466.* & Angelus *ver. Missa, n. 33.* Ratio est, quia sicut Sacerdos potest liberè dicere, vel non celebrare Missam, ita etiam & aliam celebrare, & in rigore præceptum dicendi Missam v. g. de Sancto, de feria, &c. non videtur latum sub onere peccati mortalis nisi aliud circumstantiæ suadeant, & scandalum adsit, & ideo cum Villalobos *in summ. p. 1. tractat. 8. dist. 31. num. 5.* non damnarem reum peccati mortalis, Sacerdotem illum, qui in diebus festiuis Apostolorum Virginis, & Domini nostri, diceret aliam Missam.

Sup. hoc lege doctrinā Resl. præteritæ, signanter ad medium, à vers. Sed displicet. & in to. 4. tr. 1. Resl. 41. §. vlt. post medium vers. vbi docet.

RESOL. LXXVIII.

An Sacerdos obligatus dicere Missas D. Gregorij teneatur illas dicere sine interruptione, & omnes de Requie ? Ex p. 2. tr. 14. Resl. 32.

§. 1. REspondeo negatiuè, & præter DD. quos citat, & sequitur Bonacina *de Sacrament. disp. 4. quæst. vlt. punct. 7. §. 3. n. 6. & 7.* tenet hanc sententiam Homobonus de Bonis *in examine Eccl. p. 1. tract. 4. cap. 14. q. 127.* Quod non teneatur dicere Missas de Requie, patet ex dictis superiori resolutione. Quòd verò possit illas cum interruptione celebrare, patet. Nam Missarum obligationes, licèt ad locum relatæ interruptionem non admittant, tamen ad Sacerdotis personam relatæ ciuili modo, & moraliter intelliguntur, vt salua honestate, ac deuotione Sacerdotis quantum fieri potest, magis continuè celebrentur. Vide etiam Beiam *p. 1. cas. 24.* Sed post hæc scripta inueni Gauantum *in comment. ad Rubric. Missal. tom. 1. p. 1. tit. 5. lit. D.* contrarium docere, nempe valere quidem supradictas Missas si discontinuentur, sed non vt eas quas instituit S. Gregorius: sed tu

Sup. hæc difficultatis signanter in Resl. 69. & in alio vers. eius annot.

rene cum supradictis DD. quibus adde Fraxinellum *de oblig. Sacerd. sect. 8. concl. 6. §. 5. n. 1. & 2.*

RESOL. LXXIX.

An sit laudabile Missam defunctorum, & officium sibi applicari, decantari, & exequias celebrare, quasi ipse mortuus sit? Ex part. 5. tract. 13. & Miscell. 1. Resol. 2.

Sup. hoc in tom. 4. tr. 1. Resol. 25. §. Sed hic obiter.

§. 1. DE hoc casu olim interrogatus fui ab Excellentissimo Duce Alcalense huius Regni Protege; & morem hunc in Lotharingia vigere testatur Lucas Pinellus *de Missa part. 2. cap. 7. dub. 3.* quem ipse defendit, atque etiam tuetur ac laudat Bartholomæus à S. Fausto *de Sacram. Eucharist. lib. 2. quæst. 148.* ne fortè postea hæredes, vt sæpè fit, negligentes sint in huiusmodi suffragiis faciendis. Hinc ex eadem ratione motus Laurentius de Peytinis *in priuileg. Minim. tom. 3. cap. 1. num. 21.* docuit licere alicui facere sibi celebrari officium, & Missam defunctorum dum viuit; & de Missa docet etiam Nauarrus *tom. 1. lib. 3. consil. de celebrat. Missarum, cons. 6.* Homobonus *in exam. Ecclesiast. part. 1. tract. 3. c. 14. quæst. 127.* Zerola *in praxi Episcoporum, part. 2. verf. Missa,* quibus adde Barbosam *in collect. Doctorum ad Concil. Trid. sess. 22. c. 3. n. 8.* qui tamen limitant hanc sententiam, modò in Missa non dicantur illæ orationes, quæ supponunt aliquem esse iam mortuum, vt Oratio, *Inclina Domine,* in qua habentur hæc verba, *quam de hoc sæculo migrare iussisti*; & hoc ne mendacium committatur. Sed hanc limitationem non esse necessariam, putat Faustus *loco citato,* quia etiam in Missis de *Requiem,* quæ dicuntur pro iis, qui iam sunt in Purgatorio, dicitur in Officio Missæ, *ne cadant in obscurum, ne absorbeat eas tartarus.* In qua oratione Ecclesia orat, ne animæ defunctorum ad pœnas ignis detrudantur, cùm tamen illæ iam in eodem igne sint, & tamen dum sic orat, nullum mendacium committit, quia ne committatur, sufficit quòd Ecclesia repræsentet illas animas Christo ac si tunc essent agonizantes, & pro iis orat, vt à Purgatorij pœnis liberentur. Sic etiam in casu, de quo loquimur, vt veritas salua persistat, sufficit si Sacerdos oret pro viuis, & repræsentet eos Christo Domino, ac si iam essent mortui: modus autem anticipatè loquendi vsitatissimus est in sacris Scripturis.

2. Verùm ego contrariæ sententiæ adhærendum esse puto, quam tuetur Layman *lib. 5. tr. 5. cap. 2. n. 15.* vbi sic ait. Talem consuetudinem nullo modo introducendam arbitror, sed potius tollendam si introducta est, tum quia ritibus, & ordinationi Ecclesiæ Romanæ conformis non est, tum quia non video quam vtilitatē talis sacrificandi modus habere possit. Nam ex sacrificio duplex potissimùm fructus prouenire solet, vnus est ex opere operato & infallibilis, quatenus oblatio fit in Christi persona, & hic fructus statim prouenit ei, pro quo offertur, si capax est, nec potest in futurum suspendi; consequenter eiusmodi sacrificia non liberabunt hominem à Purgatorio, si contingat eum post mortem reum esse, sed solùm conferent ad remissionem pœnæ temporalis consequendam, dum viuus est, cuiusmodi fructum etiam quis per alia sacrificia similiter consequi potest. Alter est fructus, qui per modum impetrationis prouenit, quatenus cum sacrificio iuncta sunt Ecclesiæ suffragia, siue preces, & hæ quidem secundùm propriam tum institutionem, tum significationem referuntur ad solos mortuos, vt non nisi improprie, & imperitè, ne dicam superstitiosè, viuis applicari possint. Accedit quòd Sacerdos in his suffragiis propria sua intentione, non possit mutare intentionem Ecclesiæ. Intentio autem Ecclesiæ est, vt Missa, quæ dicitur de Requie, & Officium funebre dicatur pro mortuis; nam ad eum finem collectæ & preces factæ sunt: ergo inutiliter, & infructuosè, ne dicam superstitiosè, dicuntur pro viuis, quippe præter, aut contra Ecclesiæ intentionem, & hæ sunt rationes, quas pro sua firmanda sententia adducit *vbi suprà* Layman, quam ego libenter sequor, & docet etiam Fraxinellus *de Sacerd. obligat. sect. 4. præm. 4. §. 4.* licèt malè pro hac sententia Nauarrum adducat.

3. Restat modò respondere ad argumentum Fausti & Peyrini. Dico igitur ad vitandam negligentiam hæredum posse viuos sibi applicare Missas de Sanctis, Missas pro remissione peccatorum, &c. quæ quidem Missæ fuerunt ab Ecclesia pro viuis institutæ, & non Missæ de Requie, quæ ex institutione, & significatione ad solos mortuos referuntur, hoc enim est de directo contrariare ritibus Ecclesiæ Romanæ, & confundere eius ordinationes; diuersa enim officia & Missas ipsa instituit & assignauit pro viuis, & pro defunctis.

4. Nec exemplum adductum à Fausto de illis verbis, quæ in Missa de Requie dicitur, *Ne cadant in obscurum, ne absorbeat eas Tartarus,* &c. valeat in fuorem sententiæ, quam reprobamus, nam in illis verbis Sacerdos se accommodat sensui instituto, & intentioni Ecclesiæ, quæ sic illam Missam pro iam mortuis ordinauit, & instituit. At in nostro casu Sacerdos ageret contra institutionem, & mutaret intentionem Ecclesiæ. nam eius intentio est, vt Missa de Requie dicatur pro mortuis, & ad hunc finem preces & collectas composuit, pro viuis autem alia sacrificia ordinauit, ergo, &c. Vnde contra Nauarr. & alios *suprà,* etiamsi in Missa de Requie non diceretur oratio, *Inclina Domine,* vt mendacium euitaretur adhuc ex rationibus adductis dicendum est pro viuis Missam de Requie celebrare permittendum esse.

5. Nota tamen quòd post hæc scripta inoui Franciscum de Nigro *in addit. ad Ruiz. p. 1. reg. 3. §. 1.* hanc quæstionem pertractare, & pro sententia quam ego suprà docui cum Layman, adducere etiam Puteum *de Sacram. Missæ, lib. 2. disp. 4. q. 1. n. 2.* & P. Timarchi, & ideo ita omnino tenendum esse puto.

RESOL. LXXX.

An Missa Regularibus concessa possit ab aliis dici in ipsorummet Regularium Ecclesiis?
Et quid de Missa Sanctissimi Rosarij? Ex p. 2. tr. 14. Resol. 74.

§. 1. NEgatiuam sententiam docui in casu Missæ prima vice, nobis concessæ de B. Andrea contra nonnullos Theologos, *vt infrà, in tr. Miscel.* videri potest; & ita declarasse sacram Rituum Congregationem die 19. Nouembr. 1622. testatur nouissimè Gauant. *in comment. ad Rubr. Miss. tom. 1. p. 3. tit. 10. n. 16.* qui etiam *p. 4. tit. 15. n. 11.* notat, quòd vbi celebratur festum sanctissimi Rosarij ex Decreto Gregorij XIII. ne dicatur ea Missa, quæ nomine Rosarij dicumfertur, quia concessa tantùm Ordini Prædicatorum à sacra Rituum Congregatione die 25. Iunij 1622. & prohibita fuit aliis, eodem die, sed fiat Missa vt in festo sanctæ Matiæ ad Niues, quod obseruatur in æde Lauretana ex Synodo Diœcesana 1626. vel in Natiuitate, mutato nomine in Festiuitatis, quod fit Bononiæ, sed illud prius magis placet. Ita Gauantus.

RESOL.

RESOL. LXXXI.

Quando quis Beatificatus est, & cõcessa fuit facultas, vt Sacerdotes certæ Religionis possint de illo Missam celebrare, vt concessum fuit in Beatificatione nostri B. Andreæ Auellini, quæritur in tali casu, an omnes aly Sacerdotes sæculares, & Regulares possint celebrare Missam de eo Beatificato in Ecclesia assignata in Decreto Beatificationis?

Et docetur priuilegia non esse extendenda de persona ad personam, etiamsi adsit similitudo rationis.

Et quod verba alicuius rescripti, & priuilegij, quando sunt satis clara, & certam habent significationem, nulla adhibenda est extensio, & interpretatio, sed tenor, & forma priuilegij est obseruanda.

Et quod gratia censetur concessa iuxta verba supplicationis. Ex part. 2. tract. 15. & Misc. 1. Res. 55.

Sup. hoc in Res. præterea, & in Res. seq. & in to. 3. tr. 6. Res. 91. à §. Notandum est. Vsque in finem dictæ Res. & late to. 9. tr. 5. Res. 11.

§. 1. VIdetur respondendum affirmatiuè, quia fauores, & priuilegia sunt amplianda, ex *cap. olim, de verb. signif. l. beneficium, ff. de constit. Princip. l. hoc modo, ff. de condit. & demonstr. & l. cùm quidam, ff. de lib. & posthum.* vbi Gloss. plura refert, & Azeued. *tom. 6. lib. 9. tit. 18. lib. 10. num. 5.*

2. Sed hæc opinio mihi non placet, sicut & multis doctissimis viris de hac re à me consultis, & illam reprobat ex Societate Aloys. Turrian. *in 2. 2. tom. 1. c. 13. dub. 8.* & ex nostra Religione P. Molfesius *in summa, tom. 1. tract. 11. cap. 6. n. 51.* & ita fuisse determinatum per Theologos Salmanticenses, testatus est mihi ex Prædicatorum familia vir doctissimus, & amicissimus, M. Dominicus de los Reys, confessarius quondam Serenissimi Principis Philiberti. Ratio est, primò, quia Alexander III. *in cap. de reliq. & venerat. Sanctorum*, prohibuit aliquem colere cultu publico, sine Apostolicæ sedis facultate, sed talis facultas non videtur concessa omnibus Sacerdotibus, ex eo quòd certæ Religionis Sacerdotibus expressè concedatur. Ergo, &c. Probatur minor, nam clarè apparet per facultatis formam subintellecta restrictio, & inclusio vnius, vt loquuntur Doctores, est exclusio alterius, ex authoritate *leg. cum prætor, ff. de iudic. & l. maritus, C. de procurat.*

Sup. hoc in Res. præterea, §. 2. ante medium, vers. dixi, loci, & remissiue, & in Res. 5. Sed quæritur. & in to. 3. tr. 5. Res. 90. §. 2. post medium, sectio doctrinæ vers. Nota etiam. & in Res. 4. not. Concedentis 2. ad medium à vers. dicendum est de vero vti-

3. Secundò, in dictis Bullis Pontificiis pro dicenda Missa Beatorum designantur à Summo Pontifice dies, & personæ; sed, vt respondit sacra Congregatio, & Cardinalis Bellarminus, teste Turriano, Missa non potest dici extra illum diem; ergo neque ab aliis personis, præter illas ibi assignatas.

4. Tertiò, priuilegia, & gratiæ censentur solummodo concessæ iis personis, quæ sunt in priuilegio expressæ, sed in nostro casu priuilegium dicendi Missam conceditur Sacerdotibus illarum Religionum. Ergo, &c. Minor patet ex contextu Bullarum. Maior probatur à Martino Bonac. *tract. de leg. disp. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 2. num. 1.* & aliis. Tum quia priuilegia ad eos solùm extenduntur, ad quos extenditur intentio concedentis, sed intentio concedentis non censetur ad alios extendi, quàm ad eos, qui exprimuntur in priuilegio. Ergo, &c.

5. Hinc ex communi Doctorum sententia notauit Salas *de leg. disp. 14. sect. 9. n. 48.* & Suarez *lib. 8. c. 26. num. 11.* priuilegia non esse extendenda de persona ad personam, etiamsi adsit similitudo rationis; nam vis priuilegij non est posita in ratione, sed in voluntate concedentis, ideo non satis est, quòd in alia persona sit similis ratio, si voluntas concedentis ad illos non extendatur; non autem censetur extendi, si non exprimatur; nam inter homines, voluntas non operatur nisi vt significata. Ergo, &c.

6. Quartò gratia censetur concessa iuxta verba supplicationis, vnde Princeps precibus sibi porrectis solet se accommodare, *l. si preces, ff. de legibus, &c. inter dilectos, §. cæteri de fide instrum.* Simon de Prætis *de interpr. vlt. volunt. tom. 2. lib. 3. interpret. 2. dub. 1. solut. 8. n. 23.* Moneta *de commut. vlt. volunt. c. 6. concl. 6.* Mattienzo *lib. 5. recopil. tit. 11. lib. 29. n. 1.* Iason *in l. Gallus, in 1. lect. §. idem credendum, n. 10. ff. de lib. & posth.* Loaz *de matrimonio Regis Angliæ, dub. 5. n. 28.* Catheran. *concl. 19. n. 2.* Menochius *lib. 1. cons. 33. n. 14. & lib. 2. cons. 180. n. 1.* Parisius *lib. 4. cons. 3. n. 58.* & Mandel. *lib. 2. cons. 281. n. 15.* vbi ait, quòd si aliquid non fuerit petitum in supplicatione, esset absurdum dicere, quòd censeatur concessum; sed in procœmio, & tenore Bullæ Beatificationis dicti B. Andreæ, Clericos regulares Missam pro ipsis postulasse apparet, & non pro omnibus. Ergo concludendum est, Summum Pontificem ipsis, & non aliis, talem gratiam concessisse. Quod ex verbis ipsius Bullæ ita manifestum est, vt frustrà argumentationes pro confirmanda hac opinione congerere mihi videar, ideo hoc vnum addam. Quòd quando verba alicuius rescripti, & priuilegij sunt satis clara, & certam habent significationem, nulla est adhibenda extensio, & interpretatio; sed tenor, & forma priuilegij est obseruanda, vt obseruauit Salas *sect. 9. n. 53.* Bonac. §.... *n. 3.* Marius Antoninus *lib. 5. resol. 17. n. 11.* Franc. Bec. *cons. 32. num. 3.* Bald. *in l. 1. §. si is qui, in lect. antiqua in fin. ff. de exercit. act.* Tiraquell. *in l. si vnquam, in ver. liber sis, n. 8. Cod. de reuoc. don.* & Surdus *tom. 1. cons. 140. num. 21.* vbi asserit, ad vnguem seruandum esse priuilegij tenorem, & non esse recedendum à forma verborum ipsius; sed in dictis Bullis Pontificiis verba sunt satis clara, & certam habent significationem: ergo nulla est adhibenda interpretatio, & extensio, sed forma ipsarum est obseruanda.

Sup. hoc infra lege doctrinam §. Cõfirmatur secũdo. Res. 88. & in to. 6. tr. 3. ex Resol. 60. §. Negandum. à lin. 8. & ex Res. 190. §. 2. ad lin. 7. & in tom 4. tr. 3. ex Resol. 28. §. 2. prope finẽ, à vers. Nam ex præmio. & in tom. 9. tr. 7. ex Res. 97. §. Probatur eo quod.

7. Restat modò respondere ad argumentum in principio positum. Dico igitur, fauores, & priuilegia tunc esse amplianda, quando id recta ratio permittit rationabiliter fieri posse, seruata verborum proprietate, quod fieri non posse in nostro casu patet ex rationibus supra adductis; & ita asserunt Bonacina, Salas, Suarez, & alij. Vide Dec. *in cap. sanè, de priuilegiis, num. 10.*

RESOL. LXXXII.

An Missa certis Regularibus concessa pro aliquo Beato, possit ab aliis dici etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis? Ex part. 3. tract. addit. Res. 2.

Sup. hoc in duabus præcedentibus Res. & in to. 3. tract. 6. ex Res. 91. à §. Notandum est. Vsque in finem, & in tom. 9 tr. 5. Res. 21. & in to. 3. tr. 3. ex Res. 90. & §. 2. post medium lege vers. Nota etiam.

§. 1. EX multis rationibus negatiuam sententiam docui *in part. 2. tract. 1. misc. ell. resol. 55.* sed nouissimè, me citato, aduersùs hanc sententiam insurgit Megalius *in prompt. Theolog. tom. 1. verb. Canonizatio Sanctorum, num. 1.* vbi tenet cum Castro Palao *tr. 4. disp. 1. punct. 5. §. 5. n. 4.* licere beatificatos, vt beatificatos, colere recitatione horarum, processionibus solemnibus, & sacrificio Missæ, non solùm in locis & prouinciis, pro quibus est hoc concessum, sed etiam in aliis.

2. Verùm hæc opinio summoperè mihi displicet, & ideo negatiuam sententiam iterum doceo: & præter rationes ibi adductas, nunc addo hanc sententiam expressè determinasse sacram Cardinalium Congregationem die 19. Nouembris 1622. teste Augustino Barbosa *de officio Parochi. cap. 11. num. 34.* & Barthol. Gauanto *in enchirid. Episc. verb. Missæ ritus, n. 1.* quod etiam probat Lucas Castellinus *tract. de canonizat. Sanctorum cap. 2. punct. 1. §. 6. num. 6. & 7.* ex ipsis Bullis

Pontificiis, in quibus conceduntur supradicta Beatificatis cum clausulis restrictiuis dici, loci & temporis; vnde Eminentiss. Dominus meus Cardinalis ab Auria, & Illustriss. Senatus huius vrbis Panormi, ex speciali priuilegio & decreto Sacræ Congregationis die 2. Augusti 1625. obtinuerunt, vt Missa & Officium concessa Clericis Regularibus pro nostro B. Andrea Auellono dicerentur à Clericis sæcularibus, & Regularibus in aliis Ecclesiis dictæ ciuitatis. Et ideo ex his opinio Castri Palai, quam contra me sequitur Megalius, à Reuerendiss. Magistro sacri Palatij Romæ admissa non fuit, & liber ille ibi anno præterito venalis non erat, licèt, vt verum fatear, eius auctor aliàs sit vir doctissimus. Inuigilent igitur Ordinarij, ne in eorum diœcesibus opinio supradictorum Auctorum deducatur in praxim, & contrauenientes, me consulente, sine debita animaduersione minimè derelinquant.

Sup. his pro loco lege §. vlt. Resol. 3. not. præteritæ, & in to. 3. tract. 3. ex Resol. 90. §. pro die, & tẽpore lege § 2. post medium, vers. Nota etiam, & vide alios vers. eius adnot. & in Res. 1. huius not. lege §. Sed quæritur, &c.

RESOL. LXXXIII.

An in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, quando casus occurrit, debeant cantari duæ Missæ, vna de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam; & an Ecclesiæ Regularium dicantur Collegiatæ?

Et an in Ecclesiis Regularium duæ Missæ sint cantandæ in prædicto occurrenti casu?

Et cursim aduertitur, quod Prælatis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, & Conuentualium obligatio incumbit, vt in talibus Ecclesiis quotidie saltem vnam Missam celebrari curent. Ex p. 2. tr. 14. Resol. 76.

Sup. hoc in §. Sed quid. Res. seq.

§. 1. HIc casus frequenter solet accidere, nec ita facilè eius solutio apud Doctores inuenitur. Gauantus *in comment. ad rubric. Missalis, tom. 1. part. 3. tit. 10. n. 8.* affirmatiuam sententiam docet, & *n. 11.* asserit, ita declarasse sacram Rituum Congregationem in his verbis: [Tanquam de re grauissima statuit sacra Congregatio, Missam de feria priuilegiata in Cathedralibus & Collegiatis nullatenus omittendam esse, sed omnino astantibus Canonicis, & assignata distributionum portione cantandam esse, aut cum Diacono & Subdiacono; aut, si eorum copia non suppetit, absq; eis, & post Nonam, non obstante quacumque consuetudine contraria, quam sacra eadem Congregatio sustulit, & in posterum admitti vetuit, & addit pœnas contentas in Bulla Pij V. quæ præceptum continet.] Ita Gauantus. Non reticebo tamen contrariam sententiam docere nostrum P. Andream Castaldum *in sua praxi cærem. lib. 2. sect. 6. c. 3. n. 20.* Sed dicet aliquis, an si opinio Gauanti esset vera, & de dicta declaratione Cardinalium constaret authenticè: an, inquam, in Ecclesiis Regularium duæ Missæ essent cantandæ? Respondeo negatiuè. Nam declaratio supradicta loquitur Collegiatis secularibus: & contra Portel. *in dub. Regul. ver. Missa n. 7.* & alios, Ecclesiæ Regularium non dicuntur Collegiatæ, vt probat Rodrig. *qq. Regul. tom. 1. q. 43. art. 12.* & in terminis nostri casus Villalobos *in sum. tom. 1 tr. 8. diff. 19. n. 4.* vbi sic ait. [En las ferias de Quatro temporas, Vigilias, y Rogaciones, siendo dobles, ò semidobles en las Iglesias Cathedrales, y Collegiales se dizen dos Missas, vna de la fiesta à la Prima, y otra de feria despues de Nona, conforme à las Rubricas del Missal Romano. Los Religiosos no estan obligados à dezirlas, que sus Iglesias non son Collegiales.] Ita ille. Notandum est etiam cum Layman *in Theol. mor. lib. 6. tract. 5. cap. 3. n. 5.* Filliucio *tom. 1. tract. 5. cap. 4. n. 104.* & aliis penes ipsos, quòd Prælatis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum & Conuentualium obligatio incumbit, vt in talibus Ecclesiis, quotidie saltem vnam Missam celebrari curent. Sed Victoria *in sum. num. 94.* absolutè negat mortaliter peccari, si aliquo die Missa in his Ecclesiis intermittatur.

Sup. hoc in Res. not. præteritæ, §. Nota tamen, & infra in Res. 25.

Sup. hoc notato pro parte Ecclesiarũ Cathedra-

RESOL. LXXXIV.

An in Collegiatis, & Cathedralibus Ecclesiis possit aliquando sine peccato mortali Missa solemnis relinqui?

Et an in dictis Ecclesiis sint duæ Missæ cantandæ eadem die, quando in Feriis quadragesimalibus & aliis Feriis occurrit Festum duplex, vel semiduplex alicuius Sancti?

Et an hoc non procedat in Ecclesiis Regularium, non in ipsis non debent cantari duæ Missæ, quando occurrit similis casus, sicut in Ecclesiis Collegiatis? Ex p. 10. tr. 12. & Misc. 2. Res. 40.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Tamburinus, *Opus. de Sacrific. Missæ, lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 1. & seqq.* vbi sic ait: quamuis aliqui in Rectoribus eiusmodi Ecclesiarum, mortale peccatum agnoscant, si aliquo die in hoc deficiant, tamen probabile est (præscindendo ab aliqua particulari talis Ecclesiæ obligatione) Missam siue priuatam, siue solemnem semel vel bis omittere in hebdomada, non esse saltem mortale. Ratio est, quia nullus est obligandus sub culpa lethali, nisi manifestè constet de præcepto obligante; at non apparet tale præceptum, nec quòd tantùm onus susceptum fuerit à Collegiatis, eo ipso quod Collegiatæ sint. Dices cum aduersariis; omittere talem Missam, fore primò scandalum: Secundò, contrà consuetudinem Ecclesiarum: Tertiò, contrà *cap. Cum creatura, de celebrat. Missarum.* Respondeo ad Primum, non fore ad summum, nisi meram populi admirationem. Ad Secundum, hanc non esse consuetudinem acceptatam sub mortali, quia de hac non constat. Ad Tertium, nego colligi præceptum graue ex dicto capitulo, quod hic exscriptum, ita profero. *Cum Creatura non habeat quod pro meritis respondeat Creatori, &c.* & infrà: *mandamus, quatenus nullum in vos torporem negligentiæ irrepere permittatis, quo minus, & pro Anniuersariis Defunctorum, & pro Festo, vel Feria, secundum temporum congruentiam Missarum solemnia conuentualiter celebretis.* Hæc Canon. Vbi nota primò illud, *Mandamus*, quòd ex aliquibus bonis Doctoribus non notat præceptum sub mortali. Nota secundò illud, *secundum temporum congruentiam*, & illud, *Torporem*, quæ solum notant moueri Prælatum, vt sine tempore temporum officia, & Missæ, iuxtà Rubricas, non omittantur: non igitur nouum præceptum afferunt. Hactenus Tamburinus.

2. Sed huic opinioni non possum adhærere, cum aduersetur communi sententiæ Theologorum, & Canonistarum: Vnde Hieronymus Garcias *in Theolog. moral. tractat. 3. difficult. 2. dub. 3. num. 1.* sic asserit: [Conuienen en primer lugar Theologos, y Canonistas fundados en el derecho *cap. Cum creatura, de celebr. Miss.* y en las Rubricas del Missal, que los Prelados ò aquien tocare el gouierno de las Iglesias Cathedrales, y Collegiales, estan obligados debaxo de culpa graue à mandar celebrar cada dia Missa cantado, ò solemne, auiendo suficiente numero de Sacerdotes, y Ministros para ello: podria empero escusar alguna causa grauissima, como quemarse la Iglesia, pestilencia grande.

grande, citiar la Ciudad el enemigo, y otras semejantes. Contra esto de los textos citados, y de la praxis, y costumbre vniuersal, ò immemorial, de todas las Iglesias, tan assentada ya, que dexarlo de hazer causaria grande escandalo en el pueblo, elqual paga por este sin las decimas à los Ministros de la Iglesia, y les dexan otros muchos bienes temporales.] Ita ille cui adde, me citato Leandrum *de Sacram. tom. 2. tr. 8. disput. 5. q. 8.*

Sup. hoc in Resl. præteriti.

3. Sed quid dicendum de obligatione celebrandi Missam de Feria priuilegiata? Tamburinus, *vbi supra n. 6.* putat, si omittatur, non peccari mortaliter; quia non manifestè constat de tam rigoroso præcepto: At timenda est primò dicta declaratio Sacræ Congregationis: Secundò Rubrica Missalis id disponens. Respondeo ad primum. De tali declaratione non constare authenticè: Ad secundum, quod Rubrica has duas Missas, nempe currentis Festi, & Feriæ priuilegiatæ, iniungens præceptum (vt alia interim taceam) non denotat: ait enim, *Cantantur*, seu *dicuntur duæ Missæ*; Quæ non sunt verba imperatiua. Immò, etiamsi diceret, *Cantentur*, non statim probaretur præceptum sub mortali; nam verba imperatiua non semper præceptum graue important. Ita ille.

Sup. hoc latissimè in tom. 4. tr. 1. Resol. 29. & in aliis eius notatis.

4. Verùm talem doctrinam, me citato meritò refellit Garzias *n. 3.* cuius verba hæc sunt: [La mayor difficultad està, si en las Ferias priuilegiadas, quales son las de Quaresma, Vigilias, Quatro Temporas, y Rogaciones, quando concurren con Santo doble, ò semidoble; si ay obligacion sub culpa graui de dezir dos Missas, como dispone el Missal, vna de Santo post Tertiam, y otra de la Feria post Nonam. Algunos Autores dizen, que no obliga sub culpa graui. Lo primero, porque la Rubrica del Missal solo dize, *Dicuntur, vel cantantur duæ Missæ*; luego basta dezir la vna cantada, y la otra rezada; pues pone la disiunctiua *vel*. Lo segundo, porque estas palabras no son preceptiuas, sino monitorias. Pero lo contrario defienden con razon Gauanto, Marchino; ni dissiente Diana. Lo primero, porque aquella Rubrica que dize, *post Tertiam vna, & altera post Nonam dicantur*: es de cosa grauissima, y obliga debaxo de culpa mortal, pues dà à entender, que cantar dos Missas, non solo es Ritu, ò ceremonia, sine expresso mandado de la Rubrica, laqual quieren Pio V. y Clemente VIII. Vrbano VIII. que se obserue, pues en sus Bulas se manda con precepto de obediencia, que se obseruen las reglas del Missal, y es esta vna de las principales; de suerte que assi como se canta cada dia Tertia, y Nona, assistiendo, y hallandose presentes los Canonigos; y seria su omission graue, assi tambien no basta que la Missa ferial sea rezada, sino que se cante como se cantan las Horas Lo segundo, porque no ay mas razon que sea cantanda la vna, que la otra, y pues la Rubrica obliga à cantar Missa, y pone ambas: luego à las dos deue comprender. Lo vltimo, porque la Congregacion de Ritos à 16. de Mayo de 1626. mandò debaxo de las penas que Pio V. pone en sus Bulas del Breuiario, y Missal, que en las Cathedrales, y Colegiales despues de Nona se diga la Missa de la feria priuilegiada, y que assistan à ella los Canonigos, y que se les assigne por ellos distribuciones, con loqual dà à entender que corre obligacion de dezir se.] Et ita hanc sententiam tenet etiam nouissimè Leandrus *vbi supra q. 9.* Igitur si aduersus superiùs dicta contrarium in aliquibus Ecclesiis Collegiatis efficeretur, statim Episcopi seuerè puniant Canonicos, & Superiores hoc permittentes.

hoc in Resl. præteriti medius, Resl. Sed

5. Nota tamen, quod optimè Leandrus *q. 10.* me citato obseruat, superiorem sententiam non procedere in Ecclesiis Regularium; nam in ipsis non debent cantari duæ Missæ, quando occurrit casus sicuti in Ecclesiis Collegiatis. Et ita etiam, me citato tenet Bordonus *in Consil. Regul. tom. 1. resol. 26. n. 25.* & me citato Garcias, *vbi sup. n. 8.* Vide etiam Pellizarium *tom. 1. tract. 5. cap. 9. sect. 2. n. 33.* Lezanam *in summa, tom. 4. verb. Missa, n. 49.* & Nigrum *in Addition. ad Ceremonial.* Ruyz *præsup. 2. q. 9.*

dicet aliquis, & in resol. seq.

RESOL. LXXXV.

An Regulares duas Missas celebrare teneantur, occurrente Festo cum feria in Quadragesima, aut alias priuilegiata? Ex part. 6. tr. 8. & Misc. 3. Resl. 11.

§. 1. NEgatiuam sententiam ego docui *in tract. de celebrat. Missar. resol. 76.* Sed nominatim contra me affirmatiuam sententiam mordicus tuetur eruditus Zypæus *in consultationibus Canonicis, lib. 3. de celebr. Miss. consult. 2. per tot.* sed ego non discedo à sententia negatiua probabili, quam docui, & nouissimè, me citato illam sequitur etiam Franciscus Bordonus *in Consiliis Regular. resol. 25. n. 25.*

Quæ hic est supr. Resl. 83. ad medium, à vers. Sed dicet. & in §. vlt. Resol. præteritæ.

2. Notandum est etiam hic obiter, Merollam *tom. 3. disp. 6. cap. 8. dub. 22. n. 126.* nominatim contra me docere, priuilegium faciendi celebrare Missam in aliquo Oratorio priuato non posse extendi de loco ad locum, & contrarium asserere putat improbabile; Sed iste Author bona eius venia, aliquando nimis audacter se gerit in censurandis aliorum opinionibus, & ideò iterum affirmatiuam sententiam probabilem puto, quam præter Nouarium, & Megalam à me adductos *in p. 4. tr. 4. resol. 208.* etiam nouissimè tenet, me citato Leo Zambellus *in Repertorio Morali, verb. Missa, n. 46.* vbi sic ait: Missa potest celebrari in Oratorio nobilis ex priuilegio e. g. Bononiensis, qui ad Ferrariam perrexit vt ibi inhabitet, non obstante quod habuerit dictum priuilegium, pro suo Oratorio Bononiæ; est enim priuilegium istud personale, & non locale. Ita ille.

Sup. hoc in tom. 4. tr. 2. Resol. 33. & 34.

Quæ nunc inuenietur in tom. 4. tr. 2. Resl. 331.

RESOL. LXXXVI.

An relinquere Missam solemnem in nostris Ecclesiis diebus festiuis sit peccatum mortale?

Vbi multa discutiuntur de vi consuetudinis.

Et deducitur, quod non omnis consuetudo obligat ad culpam mortalem, sed illa quæ inducta est cum tali intentione per modum obligationis, & præcepti.

Et quod quando est dubium, an consuetudo fuerit introducta cum intentione obligandi, non obligat. Ex p. 3. tract. 2. Resl. 8.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Peregrinus *in comm. ad nostras constit. part. 1. c. 1. litt. E.* vbi sic ait: In Ecclesiis nostris, in quibus solet, & potest solemniter Missa cani, si id omitteretur ex aliqua iusta causa, non peccaret Superior, neque alij. Si verò ex negligentia, Superior, vel qui causa principalis esset huius omissionis, mortaliter peccaret, non solum ratione scandali, si scandalum oriretur apud sæculares, sed etiam secluso scandalo; quia cum ista consuetudo sit conformis canonibus, & consuetudini generali Ecclesiæ, eius transgressio ex negligentia est peccatum mortale, cum sit materia grauis. Ita ille.

Sup. hoc in Resl. seq. & supra in Resl. 83. cursim. in fine, & infra in Resl. 144. §. Verùm.

2. Sed hæc opinio mihi non placet, quia non omnis consuetudo obligat ad culpam mortalem, sed illa, quæ inducta est cum tali intentione per modum obligationis, & præcepti, vt notat Suarez *de leg. lib. 7.*

Sup. hoc in tom. 6. tr. 2. lege doctri-

nam Resol.16. & signanter in tom 3. tr. 6. Resol.17. §. 1. ante medium, versf. Demas de loqual, & in Resol.19. §. nec obstat, à princ. vsque ad medium. & in Resol.94. §. ad secundum. & seq. & §.vlt.

lib.7.cap.14.n.6. Azorius *part.1.lib.5.cap.18.q.5.* Rebellius *part.1. lib.1.q.5.n.17.* Reginald.*tom.1.lib.13. cap.23.n.244.*Filliucius *tom.2.tract.27.c.3.n.49.*Becanus *in part.2. tract.3. cap.8. quæst.1.num.4.* Vasquez *in part.2.disp.177.cap.2.in fin.* Layman *in Theol.mor. lib.1.tr.4.c.24.n.2.* Fagundez *part.4.lib.1.cap.2.n.14.* Granadus *in part.2. D.Thom.controu.7.tract.3.part.2. disp.16. sect.2.n.13.* Villalobos *in summ.tom.1.tr.13. diffic.2.n.7.*& alij,& ideò benè asseruit Glossa *in cap. frustra, disp.8.* ad consuetudinem necessarium esse,vt eo animo, & intentione seruetur, vt ius in posterum fiat. Ratio est clara, quia primò actus agentium non transgrediuntur intentionem eorum. Secundò, de ratione legis est, vt fiat intentione obligandi. Tertiò, quia nemo se obligat sine intentione,vt in voto, & professione constat.

3. Hoc supposito, sic argumentatur. Consuetudo, quam affert Peregrinus, oritur ex nostra Regula: nam ideò cantamus Missam solemnem in diebus festiuis, quia Constitutiones *part.1. cap.1.* asserunt, quod Missa solemnis diebus festiuis celebretur. Sed nostræ Constitutiones,vt patet,non obligant ad peccatum mortale. Ergo necessariò sequitur, quod neque consuetudines ex illis ortæ ad illam obligabunt, cum accessorium sequatur naturam principalis, vt tradit *lex Cum principalis, & lex,nihil dolo, ff.de reg. iur.* Et notant communiter DD. quos ad satietatem adducit Barbosa *in collect.tom.3.lib.5. sexti Decr. regul.42.n.1.* & Menochius *vol.1.consil.58.n.13.* Deinde dictam consuetudinem non fuisse introductam cùm intentione obligandi, vltra supradictum argumentum, patet ex sensu communi omnium Patrum nostræ Religionis, qui in Capitulis generalibus tam difficulter, etiam in casibus magni momenti, noluerunt imponere præcepta obligantia sub mortali,conformando in hoc seipsos nostris constitutionibus, quæ ad culpam noluerunt obligare; & ideò tandem in Capitulo celebrato anno 1622. fuerunt abrogata omnia præcepta imposita sub mortali aliis præteritis Capitulis. Et reuerà in casu de quo loquimur, quis potest cogitare, cùm Regula nos non obliget sub onere peccati mortalis canendi Missam, quod nostri hoc onus ipsis, & nobis voluntariè, & sub hac intentione imponere voluerint; quod factum minimè esse ex hoc apparet, quia nemo ante Peregrinum ex nostris Patribus senioribus dixit vnquam,hanc consuetudinem introductam esse cum intentione obligandi ad mortale. Quod si hoc esset, ipsi necessariò deberent scire, & si scirent, vtique dixissent.

Sup. hoc in tom.6.tr.2. Resol.18. 19. & 20. & ibi in tr.1. in fine Resol.41.& in tom.3. tr.6.Resol.17. ex latissima eius doctrina,prope finem §.1. à versf.Imoque quando. & ibi in Resol. 94.§.Vel secundò, ad medium, versf. Vnde, & in tom.4. tr.4. Resol.27.§.vlt. & ibi in tr. 6.Resol.51. §.vlt.

4. His omnibus addendum est,quod quando adest dubium, an consuetudo fuerit introducta cum intentione obligandi, non obligat, vt docet Suarez *de leg.lib.7.cap.15.n.13.*licet contrarium tutius esse asserant Reginaldus *in praxi tom.1. lib.13.cap.23.n.224.* & Azorius *part.1.lib.4.cap.18.q.5.* quia in dubio nemo præsumitur velle obligari, nec expedit multiplicari præcepta, vbi moraliter certa non sint: ergo cùm in nostro casu saltem dubij simus, an dicta consuetudo canendi Missam fuerit à nostris Patribus introducta cum intentione obligandi, illam non obligare dicendum omninò est.

5. Confirmantur omnia supradicta ex his, quæ adducit Gauantus *in comment.ad rubr.Missalis,tom.1. p.3.tit.11.n.14.*vbi sic ait:Collegiatæ Regulares (quæ tamen minùs collegiatæ dicuntur) tenentur ad Missam in choro, ex vi regulæ tantùm, & consuetudinis interpretantis regulam. Ita ille. Sed regula nostra, & consuetudo, vt supra ostensum est, non obligant nos sub onere peccati mortalis dicere Missam in choro: ergo illam omittere minimè culpa lethalis erit. Nec valet dicere cum Peregrino,quod talis consuetudo sit conformis canonibus, & consuetudini generali Ecclesiæ: nam hoc concedendo, non inde sequitur, nec deduci potest,quod nostra consuetudo obliget ad mortale.

6. Verùm his non obstantibus,si nostri Superiores Missam non canerent sine iusta causa, essent seuerè puniendi, & si adesset scandalum,peccarent mortaliter, alioquin minimè.

RESOL. LXXXVII.

An relinquere Missam solennem in nostris Ecclesiis sit peccatum mortale?

Et explanatur, quod quando nullo iure teneantur Religiosi ad chorum professi nondum ordinati in Sacris ad Horas Canonicas, tenentur tamen ex longa, & recepta consuetudine iam præscripta in vnaquaque Religione. Ex p.4.tr.4. & Misc.Resol.6.

§.1. NEgatiuam sententiam docui contra Peregrinum *in 3.part.tract.2.resol.8.* sed ipse iterum *in addit.quæst.11.* eandem opinionem mordicus defendit,& licet fateatur hanc obligationem non procedere ex vi nostræ consuetudinis, asserit tamen procedere ex vi consuetudinis vniuersalis Ecclesiæ, & ex vi Canonum.

2. Sed miror quidem suam sententiam Peregrinum defendere ex vi Canonum, cùm communiter Doctores asserant,Regulares non teneri ad Officium diuinum,sub quo ipse includit Missam solennem, tutione alicuius textus iuris Canonici, constanterque firment in toto corpore Iuris Canonici non adesse Canonem imponentem hanc obligationem Regularibus,sed teneri ad Horas Canonicas ratione consuetudinis iam præscriptæ in vnaquaque Religione: & ideò nouissimè Iacobus Gordonus *in Theol. mor. tom.2.lib.6.q.2.c.6.§.3.n.22.* sic ait: Restat ergo cùm nullus extet Canon de hac re, aut constitutio Ecclesiæ, Regulares ad Horas Canonicas tantùm obligari ex longa, sancta,& recepta consuetudine, ita ille,qui citat Sotum,Medinam, & Caietanum: sed audiamus Lessium *lib.2.c.37.dub.9.c.49.* sic asserentem.De Religiosis ad chorum professis nondum ordinatis,communis sententia Doctorum est,teneri ad Horas canonicas: difficultas est, quo iure teneantur, non enim iure Canonico scripto, cùm nullus Canon ea de re extet,nec iure naturæ,quia non pertinet ad essentiam Religionis: neque ex vi voti, aut professionis, quia in voto se ad hoc non astringunt? nec tenentur ratione eleemosynarum, quibus viuunt, quia non dantur cum hoc onere, sed vt viuant secundum suum institutum.Itaque solùm videntur teneri præscripto consuetudinis vbique receptæ: & ita etiam hanc sententiam docent Faustus *de Horis Canonicis lib.2.§.5.* Bonacina *disp.1.q.2.punct.2.n.1.* Tannerus *in 2.2. D. Thomæ disp.5.q.1.dub.4.n.143.*Suarez *de Relig.tom.2. lib.4. cap.17. n.2. & seq.* Villalobos *in summ.tom.1. tract.24.difficult.9.n.7.* & alij penes ipsos. Vnde si in aliqua Religione non adesset talis consuetudo, quod negamus, esset dicendum, illos Religiosos non esse astrictos ad Horas Canonicas persoluendas.

3. Verùm his non obstantibus P.Peregrinus docet, quod sub nomine Officij diuini includitur Missa solemnis, & quod præcipiatur tribus in locis apud Canones, vt Regulares Officium diuinum persoluant: ergo tenentur ad Horas Canonicas,& per consequens ad Missas solemnes, quæ comprehendantur nomine Officij diuini ex vi Canonum, & iuris positiui, & textus qui hoc præcipiunt asserunt esse *cap. dolentes, de celebratione Missarum, cap.cùm creatura, eodem titulo, & in Clem.1.* etiam eodem titulo.

4. Sed

4. Sed vt verum fatear, quando hanc sententiam legi, prima facie vehementer stupui, quod apud veteres, & recentiores scriptores tam doctos tale præceptum in iure canonico non fuerit inuentum, vt supra visum est, & quòd P. Peregrinus solus his nostris temporibus inuenerit, & ideò statim ad textus, & ad expositores cucurri, & cùm legerim *cap. dolentes*, & *cap. cùm creatura*, nec vllum verbum inueni, quod comprehendat Regulares, vt legenti patebit, aliquam difficultatem mihi præbuit *Clem.* 1. vbi Concilium Viennense loquitur etiam de Regularibus, & ideò cùm paululum suspensus hæsissem, statim tenebras fugauit Filliucius *tom. 2. tract. 23. cap. 4. n. 133.* vbi postquam quæsierat, an Ecclesiæ sæculares, siue Cathedrales, siue Collegiatæ obligentur ad Officium in choro, tandem quærit, an Ecclesiæ Regulares obligatæ sint ad eiusmodi Officium, & ita asserit. Respondeo esse obligatas iuxta cuiuscumque consuetudinem, & institutum, ex *Clem. 1. de celebr. Missar.* nam etiam Ecclesiæ Regulares connumerantur cum Cathedralibus, & Collegiatis. Dixi *iuxta cuiuscumque institutum*, quia Religiosi non tenentur ad Officium in choro ratione proprij beneficij, cùm id non habeant, neque propterea quod viuant ex eleemosynis, vel bonis Ecclesiasticis, quia non dantur cum hac conditione, neque etiam est ius Canonicum vniuersaliter obligans Religiosos ad id, sed pendet ex peculiari cuiusque instituto & consuetudine, vt dictum est. Hæc Filliucius.

5. Vnde dicendum est dictam *Clem. 1.* non asserere absolutè Regulares esse obligatos ad Officium diuinum persoluendum, sed ad id teneri iuxta cuiuscumque consuetudinem, & institutum, & ita etiam possent interpretari *cap. dolentes, & c. cùm creatura*, si de Regularibus loquerentur. Verùm cùm P. Peregrinus concedat in nostra Religione non adesse institutum, neque consuetudinem obligantem sub mortali ad canendam Missam solemnem in diebus festiuis: ergo constanter dicendum est illam relinquere non esse peccatum mortale, sicut esset si relinquerentur Horæ Canonicæ, ad quas persoluendas consuetudo præscripta iam obligat. Non bene igitur P. Peregrinus dicit nos teneri ad canendam Missam solemnem ex vi Canonum, sed optimè cum Gauanto *ad rubr. Missalis, tom. 1. p. 3. tit. 11. n. 4.* dicendum est, Regulares ad id teneri ex vi regulæ & consuetudinis interpretantis regulam, quam nos, & ipsemet Peregrinus negamus in nostra Religione adesse cum obligatione culpæ lethalis: ergo, &c. quæ omnia confirmantur. Nam si nos teneremur dicere Missam solemnem ex vi Canonum, & consuetudinis vniuersalis Ecclesiæ, vt vult Peregrinus, teneremur illam dicere in diebus ferialibus, vt patet ex *d. Clem. 1. & cap. dolentes, & cap. cùm creatura, de celebrat. Missarum.* Sed nos hoc non facimus. Ergo dicendum est ad illam nos non teneri virtute dictorum Canonum.

6. Respondet Peregrinus hoc esse verum, sed potest esse quòd per viuæ vocis oraculum licentiam non canendi quotidie Missam obtinuisset Religio ab aliquo Summo Pontifice, quia illis temporibus passim erat in vsu concedere similes facultates per viuæ vocis oraculum. Verùm si hæc opinio Peregrini admittenda foret, certi essemus de transgressione Canonum & consuetudinis (vt vult ipse) vniuersalis Ecclesiæ, dum in nostra Religione non fuerit cantata solemnis Missa in diebus ferialibus, & incerti essemus de excusatione transgressionis, nam ipsemet peregrinus loquitur cum formidine, & præsumptiue, quam quidem licentiam à Peregrino præsumptam difficulter adfuisse dicendum est, cùm non sit credibile in re tanti momenti si Patres essent obligati ex vi Canonum, & consuetudinis vniuersalis Ecclesiæ ad canendam Missam diebus ferialibus, si hoc non facerent ex priuilegio Summi Pontificis, vt præsumit Peregrinus, non, inquã, vt dixi, credibile est in re tam graui, quoad memoriam posteram, & in honorem Religionis, & ad securitatem conscientiarum, si de tam solemni priuilegio in Archiuo S. Syluestri, vel alio in loco mentionem aliquam non reliquissent: sed hoc non inuenitur; neque Patres seniores de tali priuilegio vnquã mentionem fecerunt. Ergo necessariò dicendum est non adfuisse, & ita est, quia reuera necessarium non erat, cùm Regulares, vt dictum est, atque satis probatum, non teneantur dicere Missam ex vi Canonũ, sed ex consuetudine præscripta in vnaquaque Religione: sed in nostra Religione nõ fuit accepta consuetudo, vt Missa solemnis caneretur diebus ferialibus, sed tantùm diebus festiuis, & hoc sine onere peccati mortalis: ideò Patres sine vllo Pontificis priuilegio dictam Missam solemnem in diebus ferialibus non dixerunt, neque nos his etiam temporibus dicimus, non, vt dictum est, ratione alicuius priuilegij, sed quia in Religione non habemus consuetudinem illam canendi.

7. Igitur contra P. Peregrinum cum communi sententia omnium Doctorum, tam veterum, quàm recentiorum, dicendum est, Regulares non esse obstrictos sub mortali ad Officium diuinum, & Missam solemnem in choro canẽdam ex vi alicuius Canonis, vel consuetudine vniuersalis Ecclesiæ, sed ex regula, & vi consuetudinis præscriptæ interpretantis regulam. In nostra verò Religione recepta est consuetudo obligans sub mortali ad persoluendas Horas Canonicas, etiam extra chorum, non autem ad canendas Missas solemnes in diebus ferialibus; festiuis verò diebus illam canimus, sed non cum obligatione peccati mortalis, quæ omnia patent ex superiùs adductis, ex quibus etiam patet responsio ad alia, quæ adducit pro sua firmanda sententia Peregrinus.

RESOL. LXXXVIII.

An admodum RR. PP. Olinetani commorantes in Abbatia Vinoldanæ teneantur singuli ad diurnam Missarum celebrationem?

Et an Generalis non possit eis præcipere hanc diurnam celebrationem?

Et docetur Generalem non posse præcipere Religiosis subditis, quæ sunt absolutè extra Regulam, sed quæ expressè, vel tacitè in ea continentur.

Et aduertitur, quod vsus, obseruantia, & praxis, atque consuetudo, leges, & statuta interpretantur. Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Res. 42. aliàs 41.

§. 1. Respondeo negatiuè: Et licet prima facie videantur obstare verba apposita in Rescripto Clem. VIII. die 22. Maij 1592. tamen ego contrarium puto: Vnde illa per extensum apponam; sic enim ibi Pontifex asserit: *Octo ad minus Monachorum, &c. qui omnes ibidem Conuentum constituant, ac iuxta ipsius Congregationis regularia instituta viuere, & eidem Ecclesiæ in Diuinis, horas Canonicas statutis temporibus decantando, ac Missas singulis diebus celebrando deseruire, &c.* puto igitur ex dictis verbis adesse quidem obligationem quotidie celebrandi, sed non à singulis Monachis.

2. Moueor ad id tenendum, quia non est incredibile S. Pontificem, dum ad seruiendum dictæ Abbatiæ introduxerit ad administrationem RR. Monachos Olinetanos, velle eos ibi viuere contra morem, & vsum suæ Religionis, & imponere illis onus, ad quod vigore suarum Constitutionum non tenerentur.

tur. Sed in eorum Constitutionibus *part.1.cap.62.* sic habetur: *Singuli Sacerdotes, singulis diebus Dominicis, & solemnibus infra hebdomadam occurrentibus Missã celebrare teneantur: ij verò Monachi, qui stant ex ea parte chori, in qua stat hebdomadarius, quotidie per illam hebdomadam Altaris sacrificium offerant.* Ita ibi. Ergo dicendum est in verbis Bullæ adesse obligationem, vt in dicta Abbatia quotidie Missæ celebrentur, sed non à singulis Monachis, sed eo modo, quo in aliis Monasteriis, secundum morem, & vsum Religionis, & secundum præceptum Constitutionis, solitum est ab ipsis celebrari. Alioquin sequeretur magna difficultas. An etiã Generalis possit eis præcipere hanc diurnam celebrationem. Etenim certum est, neque Generalem posse præcipere Religiosis subditis quæ sunt absolutè extra regulam, sed quæ expresè, vel tacitè in illa continentur, vt docet D. Tho. *in 2.2 q.104. art.5. ad 3.* Vasquez *in part.2.disp.154.cap.4 num.21.* Lessius *lib.2.c.41.dub.9.n.76.* Azorius *tom.1.lib.13. cap.11. quæs.9.* Sanchez *in Sum.tom.2.lib.6.c.2.n.15.* Suarez *de Relig.tom.3.lib.10.c.8 n.6.* Valentia *tom.3. disp.7.q.3.punct.2.* Castrus Palaus *tom.3.tr.16.disp.4. punct.2.n.7.* & alij. Sed Regula PP. Oliuetanorum, vt supra visum est, neque expresè, neque tacitè onus dictim celebrandi continet, sed expresè firmat contrarium. Ergo videtur, quod Superior diurnam hanc celebrationem Monachis in dicta Abbatia commorantibus imponere minimè posset. Dicendum est igitur Pontificem in dicta Bulla voluisse, vt singulis diebus in Monasterio dictæ Abbatiæ Missæ celebrentur, sed non à singulis iuxta morem, & Constitutiones Religionis.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 6. Res. 13. prope finem, à vers. Et nota etiam.

3. Confirmatur primò hæc opinio, quia verba dispositionis debent declarari, & restringendi ad qualitatem adiectã, vt tradit Surdus *lib.2. cons.179 n.40. & 41.* Casanate *cons.44. n.29.* & alij quos adducunt Castillo, Soto, Maior, *Controu.tom.5.cap.9.à n.1.* cum Salgado *de Retentione Bullarum, part.1. cap.15.n.53.* Sed in Bulla Pontificis sic habetur: *ac iuxta ipsius Congregationis regularia Instituta viuere, & eidem Ecclesiæ singulis diebus Miss.m celebrando deseruire,* sic ibi. Si itaque Monachi ex mente Pontificis tenentur viuere, & singulis diebus celebrare, iuxta ipsius Religionis mores, & Instituta: nam particula, *Et*, æqualiter copulat præcedentia cum sequentibus, vt idem sit de vno, quàm de alio, vt docet Menochius *cons.56. n.95.* Parisius *vol.1.cons.95.n.6.* Natta *tom.4.cons.573. n.14.* Sequitur onus celebrandi Missas assignatas à Pontifice, explicandum esse secundum Religionis mores, vsum, & instituta, quæ, vt supra visum est ex verbis Constitutionum, obligant, vt singulis diebus à Monachis in Ecclesia celebretur, sed non à singulis.

Sup. hoc lege supra doctrinam Res. 81. §. Quarto gratia, & lege §§. à vers. cius annot.

4. Confirmatur secundò, quia rescripta recipiunt interpretationem ex narratis precum, siue supplicationis, ita vt exinde, vel extendenda, vel restringenda, vel supplenda, vel declaranda veniant, vt obseruat Ripol. *tract. de Regularib.cap.22. num.56.* Cacherano *decis.23.n.44. & decis.88.n.9.* Grammaticus *decis.203.n.202. & 203.* Surdus *decis.268.n.15. & decis.219.n.15.* Riccius *cons.55.n.60. vol.2.* & alij. Sed Bullam Clem. VIII. certum est fuisse fundatam super capitula iam stabilita inter Commendatarium, & Religionem Olluetanam, & secundum præscriptum dictorum capitulorum, postea fuisse factam petitionem. Verum inter alia Capitula adest illud, tenoris sequentis. Quarto, che li PP. Religiosi accettino il carico di mantenere à detta Chiesa per li diuini Officij continuamente, & à perpetui tempi, otto Sacerdoti da fare la residenza, messe, hore canoniche, nell'hore solite alla loro Religione, & conuenienti: & ogni giorno celebrare li Diuini Officij. In quibus verbis clarè apparet & Religionem non se obligasse, vt octo Missæ dictim à singulis Monachis celebrentur, sed vt singulis diebus celebrentur Diuina Officia. Quæ quidem verba verificantur quoad celebrationem Missarum, si non octo, sed aliquæ Missæ celebrentur, secundum morem dictæ Religionis. Ergo, &c.

5. Et tandem confirmatur tertiò, quia vsus, obseruantia, & consuetudo, leges interpretantur; vnde in *l.19. ff. de legib.* sic habetur: *Si de interpretatione legis quæratur, in primis inspiciendum esse, quo iure Ciuitas retro in eiusmodi casibus vsa fuerit, cùm optima legum interpres sit consuetudo,* ita ibi: quod etiam probatur ex *c. ium dilectus, de consuet.* vt obseruat Eneo. Vgolinus, Kelius *de priuil. iuris Ciuilis, lib.2.c.3.n.2.* Vvamesius *de iure Pontif. vol.1. cons.12.n.7.* Reinkingk *tract. de Regimine Secular & Ecclesiastico lib.2. Class.2. cap.2. n.29. & cap.11.n.6.* Harprechtus *in Instit. tom.1.§.13. tit. de Excusat. Tutorum, n.50. & tom.3.§.3. tit. de loc. & conduct. n.71.* Manochius *cons.32. n.44.* Sylvanus *cons.88. n.27.* & alij: quinimo omnium actuum, & dispositionum interpres est consuetudo, vt docet Rebuffus, Ripol. *tr. de Regul. cap.47. n.39.* Solorzanus *de Iudiorum iure, tom.2. lib.2. cap.21. n.24. & seq.* Surdus *de Alim. tit.2. q.66. n.4.* Mollerus *lib.1. Semestrium, cap.13. n.4.* Natta *cons.406. n.25. & 28. tom.2.* Vvesembecius *cons. Sil.266. n 84. p.6.* & ideò quamlibet dispositionem, regulam recipere à consuetudine, dixerunt Cagnolus *in Repet. ad leg. Si quis maior, C. de transact.* Vvesembecius *vbi sup. n.85.* Surdus *decis.223. n.11.* quæ omnia approbat etiam Hulticus Hunnius *in sua Encyclopedia iuris, part.1. tit.4. cap.4. n.18. & seqq.* & adeò vera sunt, vt docuerit Amicus *cons.42. n.16. & 17.* Ernestus Cothmannus *vol.4. cons.48. num.14.* Alderanus Mascardus *de interpret. statut. concl.2. n.156.* & Hunnius *vbi sup. tit.3. cap.7. n.73.* quòd interpretatio Statutorum, ex consuetudine, praxi, & obseruantia subsequuta desumi debeat, *etiamsi proprietas verborum ipsius Statuti repugnet,* quod etiam docet de priuilegiis Solorzanus *vbi suprà,* vir sapientissimus, & eruditissimus.

6. Sed post Bullam Clem. VIII. vsus, obseruantia, & consuetudo, ipsis Abbatibus Commendatariis scientibus, videntibus, & consentientibus, etiam tempore sancti Caroli Archiepiscopi, semper fuit, vt in dicta Abbatia, singulis quidem diebus celebrentur Missæ, sed non à singulis Monachis. Ergo ita intelligenda, & explicanda sunt verba rescripti Pontificij, de quibus est difficultas. Et quidem, si ex decennij lapsu, ratione consuetudinis scripturæ interpretantur, vt tradit vterque Molina, Theologus, & Iurisconsultus, hic *de Primog. lib.2. cap.6. n.57.* ille *de Instit. tom.3. tr.4. disp.590. concl.9.* Guttierrez *pract. qq. lib.3. q.2. n.26.* & alij, quanto magis dicendum est secundum consuetudinem subsequutam, interpretandam esse scripturam, de qua loquimur, cùm non solùm tempus decennij sit elapsum, sed tempus 40. annorum, & plus. Itaque ex omnibus supradictis existimo, dictos Monachos, cùm non obligentur expresè ad præcisum numerum Missarum, posse adiuuari vacationibus, quibus mos, & constitutio Religionis illis largitur, vel saltem tantum teneri ad celebrandum, secundum vsum, & consuetudinem obseruatam post dictam Bullam Clem. VIII. Ita ego sentio, saluo aliorum meliori iudicio, & ideo rogo dictos RR. PP. Oliuetanos, vt circa præsens dubium non acquiescant solo meo voto, sed quærant saltem vorum vnus, vel alterius viri docti, quibus superius dicta libentes corrigenda submitto.

RESOL.

RESOL. LXXXIX.

An licitum sit celebrare Missam in Altari, in quo Episcopus celebrauit ea die absque eius licentia?

Et an Canon, & præceptum circa hoc sit in vsu, vel contraria consuetudine sit abrogatum, & ideo non obliget? Ex part.10.tr.12. & Misc.2.Ref.24.

§.1. NEgatiuè respondet Paz Iordanus, Episcopus Tragurien sis *in suis Elucubration.tom.2. lib.4.tit.1.n.149.* vbi sic ait: In locis, in quibus alias permittitur celebratio, illa censeatur prohibita quotiescumque Episcopus ea die super ipso Altari celebrauerit, *cap.in Altare vlt.de Consecr.dist.2.* quòd & si loquatur de Missa cantata, atque adeò ex vi literæ de illa tantùm intelligendum videatur vt nonnullis placuit: tamen ex Decreto Concil.Altisiod. *cap.10. ex glos.* auctoritate *in d.cap.* ex consuetudine optima legum interprete; atque ex doctrina Ang. *verb.Altare, §.fin.* Tabien. *ead.quæst. penult.* Sylu.& Armill. *eod. verb.* Homob. de Bonis *tractat.4.q.139.* Gauant. *thes. Sacr.rit.part.1.tit.20.tit.F.vers.Illud.* generaliter accipitur, etiam de Missa priuata, reuerentia namque debita Episcopo, propter quam id statutum fuisse admonet Gloss. *in d.cap.fin.* militat in vtroque casu: & quamuis Azor. *part.1.lib.10.cap.27.quæst.10.* testetur dictum Canonem alicubi consuetudine contraria derogatum; Gauantus tamen *l.c.* fatetur in Mediolanen. Prouincia, ea qua decet reuerentia custodiri; prout etiam in his partibus seruari, possum & ipse testari. Hucusque Iordanus.

2. Verùm, non obstantibus, Scortia *de Sacrific. Missæ, lib.2.cap.14.n.6.* Castrus Palaus *tom.4. tr.22. punct.9.n.11.* Layman *lib.5.tract.5.c.6.n.10.* testantur, præceptum hoc consuetudine ferè vbique esse abrogatum. Et nouissimè P.Dicastillus *de Sacram.tract.5. disp.4.dub.8.n.150.* docet, hoc præceptum non esse in vsu, atque adeò non obligare. Vnde ego puto propter reuerentiam debitam Dominis Episcopis in casu contingenti, semper ab ipsis esse licentiam petendam: sed si non petatur, existimo sine vllo peccato posse celebrari, & non esse scrupulis locum dandum.

3. Nota, quòd post hæc scripta inueni Franciscum de Nigro, *in Addit.de celebr.Miss.p.6. Animad.8.q.10.* ex Bartholomæo de S.Fausto docere supradictũ Can. *in Altari, de Consecr. dist.1.* intelligendum esse de Missa Solemni, & Pontificali, non autem de Missa particulari, & de Altari, in quo Episcopus tanquam particularis Sacerdos celebrat, & probat ex verbis Textus, *ibi*: In quo Episcopus Missam cantauit. Et addit, quòd hic Canon videtur desuetudine abrogatus; & forsitan olim locum habebat, cùm Episcopus in propriis Ecclesiis, & in sua Diœcesi pontificaliter Missam cantabat.

RESOL. XC.

An Sacerdos possit dicere Missam ante Matutini Officij celebrationem? Ex part.2.tr.14.Ref.36.

§.1. PEccare mortaliter, si Sacerdos hoc faceret, sentiunt non ignobiles Authores, quos inuenies in numero paulò minus quàm 30. apud doctiss. Cenedum *in suis Canonicis quæstionibus q.3.n.7.* quorum sententiam ipse mordicus tuetur, & probat tum ratione consuetudinis, tum ex rubricis Missalis editis ex authoritatibus Romani Pontificis: vbi dicitur, quod Sacerdos celebraturus accedat ad sacrificiũ Missæ Matutino saltem absoluto. Et hanc opinionem tenet etiam ex neotericis Pitigianus *in tom.1.dist.13. q.2.art.10.* & Zanardus *in direct.Theol.p.1.de Euchar. cap.9.q.7.*

2. At contrariam sententiam probabiliorem esse iudico & in praxi sine vllo scrupulo amplectendam, & præter Doctores 20.quos citat & sequitur Barbosa *de potestate Episcop. p....alleg.24.n.15.* docet etiam hanc sententiam Layman *lib.4.tr.5.c.4.n.5.* Ioan.de la Cruz *in direct.consc.p.1.præcept.3.art.3.dub.4.concl.2.* Raphaël de la Torre *in 2.2.tom.1.controuers.8.disp.2. n.6.& 7.* Villalob. *in sum.tom.1.tr.8.diffic.30.n.1.* Ratio est quia, vt ait Syluius *in 3.p.q.83.art.2.* ex sui institutione, matutinales preces, & sacrificium Missæ nullam habent connexionem, neque vllum ordinem, nam preces horariæ adinuentæ sunt, vt eis exhiberetur cultus diuinus, Deo supplendo pro populo. Mysterium verò Eucharistiæ à Christo institutum est, vt recoleretur memoria Passionis eius, in quo nulla connexio inuenitur, quare vnum ad aliud requiratur.

3. Ad argumenta in contrarium, respondetur ad primum, negando adesse talem consuetudinem obligantem ad peccatum mortale. Ad secundum respondetur, in Missali Romano nullum esse verbum præceptiuum, & ex modo quo illa regula ponitur, apparet ibi nihil nouum statui, sed solum declarari, & proponi quod fieri solet & expedit. Imò *ibidem* expressius admonentur Sacerdotes vt priùs aliquantulum vacent orationi.

RESOL. XCI.

An Sacerdos possit aliquando eodem die plures Missas celebrare.

Et pro praxi huius quæstionis septem casus in textu huius Resolutionis assignantur, sed aliqui eorum abierunt in desuetudinem. Ex p.2.tr.14.Ref.56.

Sup.hac generali interrogatione lege infra ex Ref.146. §. Ad dubium. & alium §. eius annot.

§.1. MVlti, vt Palud. D. Anton. Turrecr. Durand. & alij apud Doctores, *vbi infrà*, affirmatiuè respondent, & ex neotericis docet etiam hanc sententiam Valentia *tom.4.disp.6.q.11.punct.3.ad 7.* Henriquez *lib.9.cap.30.art.7.* & Nauar. *in man.c.25.n.93.* & alij. Casus autem, in quibus id liceat, dummodo Sacerdos sit ieiunus, ad septem reducunt. Primus, in die Natiuitatis Domini nostri. Secundus, quando iam ferè dicta Missa, superuenit Pontifex, Episcopus, aut habens quasi Episcopalem iurisdictionem ordinarius Prælatus, Rex, vel aliquis Princeps sæcularis, aut etiamsi superueniant aliqui itinerantes in die præcepti festo. Tertius, si cùm finit Missam, nuntiatur ei, quòd intrat defuncti corpus sepeliendum cum Missa. Quartus, si non est seruata Eucharistia, & nuntiatur aliquem in articulo mortis esse, debet iterum celebrare, & dare ægroto viaticum. Quintus, ob benedictionem nuptiarum, quando aliqua necessitas, aut magna congruentia vrget. Sextus, ob rationabilem causam iudicatam à bono, & cordato viro, ob quam videatur necessarium, vel congruentissimum, vt Missa secundò dicatur, quod habetur *cap.consuluisti, de celebr.Miss.* Septimus porrò, quando vnus Sacerdos præficitur duabus Ecclesiis Parochialibus, ob illarum paupertatem.

Pro primo casu, contento ad lin.7. huius textus in Ref. seq. Et §.2. not. præteritæ & pro secundo latè infra in Ref.94.& in aliis earum annotationũ pro istis casibus, & pro tertio, quarto, & septimo casu cõtentis etiam in hoc §.1. in Resol.seq. & in aliis eius annot. pro istis casibus.

2. Sed ob multiplicitatem Sacerdotum hi casus abierunt in desuetudinem, & solus primus & vltimus in his nostris regionibus obseruatur, vt bene obseruat Llamas *part.3.Meth.cap.5.§.17.in fine.* Ioan.de la Cruz *in direct.or. consc.p.2. de sacr.Missæ, q.2. dub.3. concl.3.in fine.* Syluius *in 3.p.q.85.art.2.ad 5.* Scorzia *de sacram.Missæ, lib.2.c.16.n.2.* Molfes. *in sum.tom.1. tract.3.c...num.46.* Vgolin. *de potest.Episcopi, c.16.n.4.*

Vasquez *in 3.p.tom.3.disp.232.cap.5.n.48.* Pitigianus *tom.1.in 4.dist.13.q.2.art.3.* Nugnus *tom.1.in 3.part. q.83. art.2.* Suarez *tom.3. in 3.p.dist.8.sect.3.* & alij. Vnde Sacerdotes considerent in aliis casibus quid facere debeant, & attendant consuetudinem locorum, & regionum,& celebrent de licentia Episcopi, vt obseruat Posseuinus *cap.2.n.7.*

RESOL. XCII.

An quando Parochus possit celebrare duas Missas, possit etiam hoc facere non solùm in diebus Festiuis, sed etiam in diebus Ferialibus?

Et notatur, quod quando dicitur posse bis celebrare, intelligitur etiam ter, aut sæpius, si toties occurrat necessitas eodem die.

Et aduertitur, quod in prædictis casibus requiritur, vt Sacerdos,vel Parochus ita celebrans sit semper ieiunus, hoc est, quod in prima Missa non recipiat ablutionem, sed solum corpus,& sanguinem,& aliter non poterit dicere secundam Missam.

Sed quid est faciendum in Feria VI. Parasceues, si inaduertenter Parochus, qui in Feria V. Cœnæ Domini debebat seruare in vna Parochia Sanctissimum Sacramentum, & reseruauit illud in duas Parochias?

Et si accidat casus,quo antequam Sacerdos sumat ablutiones, scit gentium multitudinem tunc ex itinere aduenisse, sitque dies Festiuus,& non sit alius Sacerdos, an possit iterum celebrare?

Item,an sit licitum,vbi est raritas Sacerdotum,& magna frequentia populi,vt est in India,eodem die plures Missas celebrare,quando Sacerdos non potest vna celebratione satisfacere toti populo?

Item, an ad communicandum moribundum infirmum morti vicinum; & vbi est consuetudo, vt defunctus sine Sacrificio non sepeliatur, possit Sacerdos post primam Missam celebrare secundam? Ex part.10. tract.16. & Misc.6.Res.23. aliàs 22.

Supr. hoc in tom.3.tr.1. Res.54.§.Sed ego. ante medium.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Suar. *in 3.p. tom.3. disp.8. sect.3.§.sextus autem casus.* Sed aduersus illum insurgit Nugnus rectè,vt obseruat Cardin.de Lugo *resp.mor.lib.1.dub.14.* dicens, hanc sententiam esse omnino improbabilem, & non esse veram dicit Marcus de los Huertos *de Sacrificio Missæ q.13.* & non adhæret huic sententiæ Trullench. *de Sacram.lib.3.c.8.dub.1.n.4.* vbi sic asserit:Dico tertiò, quando Sacerdos habet duas,vel tres Parochias, potest duas,vel tres Missas in die celebrare,ita communis DD. hoc autem intellige, modo Parochus non possit commodè habere coadiutorem: In quo tamen standum erit consuetudini: vt bene Villalobos *p.1. tr.8.diff.21.n.*..Intellige etiam,id procedere in diebus festis, non verò in feriatis ; vnde non placet, quod dicit Suarez,nimirum,etiam id licere in diebus feriatis, si populus sit sufficiens, nam tunc nec ex parte Sacerdotis, nec populi reperitur magna necessitas, quod requirit dictum *cap.Consuluisti*,& sufficit,vt alternatiuè Missam in vna Parochia vna die,& alteram in alia Parochia: admitterem tamen ego sententiam Suarez in aliquo die feriato,in quo populus abstinet se ab opere seruili in honorem alicuius Sancti,illiusque festum celebrant,& ex alio capite occurrit necessitas celebrandi in altera Parochia.Ita Trullench.Sed ego puto absolutè, sententiam P.Suarez esse probabilissimam,& tutam in praxi. & illam sustinet Leandrus *de Sacram.tom.2.tr.8.disp.5.q.38.* Card.de Lugo *vbi sup.n.2.* qui citat etiam Ioan.de la Cruz Dominicanum, & Gasp.Hurtadum. Hanc etiam sententiam Suarez docet, nouissimè P.Dicastillus *de Sacrament. tom.1.tract.5.disp.4.dub.3.n.39.* Castrus Palaus *tom.4. tr.22.punct.7.n.9.* & Amicus *in Curs.Theol.to.7.disp. 33.Scol.11.n.316.* Et vt aduersus Nugnum, & alios hæc opinio remaneat satis probabilis,non grauabor hic apponere verba Martini de San Ioseph. *in Man. Confess.to.1.lib.1.tr.13.de Euchar.n.7.& 8.* vbi sic ait: [Al Sacerdote le esta prohibido celebrar mas de vna vez al dia, por Derecho Ecclesiastico, cap.*Sufficit de Consecratione dist.1.* cap.*Consuluisti*, cap.Referente,de *Celebrat.Missar.* Saluo el dia de Nauidad en que se pueden dezir tres Missas,saluo tambien los casos de necessidad, como lo dize Innocentio III. *dist.c.Consuluisti*,y contrauenit à este precepto,es pecado mortal, en que conuienen los Dotores. El caso de necessidad,en que puede el Sacerdote celebrar mas de vna Missa, es quando tiene dos Parrochias en diuersos pueblos, que el vno por su pobreza no tiene Cura podra dezir dos Missas, para que cada pueblo pueda oir Missa las Fiestas,d.cap.*Consuluisti*.Es cosa esta recibida en la pratiqua, y comunemente admitida de los Dotores,y tengo por probable la opinió de Suarez,que dize,que no solamente en las Fiestas, sino en otro qualquieradia podra dezir Missaen ambas Iglesias, si en ambas ay suficiente numero de Fieles, que quieran oir Missa cada dia, y puedese fundar en el mismo capitulo *Consuluisti*. Pero como aduierte Villalobos *tr.8.de Miss.diffic.11.* no ha de tomar el Sacerdote lauatorio en la primera Missa, que si le tomasse,no seria licito dezir a segunda, ni en el dia de Nauidad.]Ita ille. Vnde Dicastillus,&alij penes ipsi vbi suprà putant,quod quando Parochus alterius oppidi est ægrotus,aut absens,poterit secundò alius Sacerdos ibi celebrare, qui iam in sua Ecclesia celebrauit. Aduerte,quod quãdo dicimus posse bis celebrari,intelligimus etiam ter,aut sæpius,si toties necessitas occurrat eodem die, vt Suarius, & alij notant. Quidquid dicat Fagundez *in primo præcepto Eccles. lib.3.c.17.*& ante illum Henriq.*lib.9.c.30.n.7.* ex autu,cap.*Consuluisti,citato*, in quo textu non est semus magis de duplici,quàm de multiplici,vt legenti constabit. Sed ad hoc,vt Sacerdos possit bis,aut ter celebrare in casibus,in quibus id licet, iuxta superiùs dicta,requiri,quod sit ieiunus;vnde in priori Missa non debet sumere ablutiones,aliter dicere non poterit secundam. Ita DD. communiter. Notandum est hic obiter cum Trullench.*de Sacram.lib.3.c.8.dub.1.n.6.* quod in hoc casu Sacerdotem duas Parochias habentem in Feria V.Cœnæ Domini solùm posse reseruare Sanctissimum Sacramentum in vna Parochia, nam Feria VI. sequenti sumitur vna particula vino mixta, & cùm iam non sit ieiunus,non poterit idẽ facere in alia Parochia. Quod si inaduertenter in duabus Parochiis Sanctissimum Sacramentum reseruauit, ait Suar. *sup.* & bene,vt in priori Ecclesia sumat Sacram Eucharistiam sine vino,vt maneat ieiunus, & sic poterit in altera Parochia Sacram Eucharistiam seruatam seruandis sumere. At si in priori sumpsit particulam cũ vino,in secunda non sumat Sacramentũ,sed illud reseruet in Sacrario. Hoc tamen intellige, casu quo commodè Missa extra Ecclesiã in altari portatili celebrari non possit,aliter enim non posset plures celebrari quia cessat necessitas,vt bene Ledesma in Sum. *tom.1.c.19. de Euchar. post.7. concl.*, & cum Villalob. *suprà,n.8.* Ad hunc casum reduci potest,si Sacerdos antequam sumat ablutiones,scit gentium multitudinem tunc ex itinere aduertasse; sitque dies Festiuus & non alius Sacerdos,posse iterum celebrare,vt probabiliter docet Villalobos, *supra,n.9.* cum Suarez *citato.* Sed hæc mihi non placent,& quoad primum, quia id non potest semper fieri, nec decet; maxime si cœli inclementia non permittat, vt quando pluit nigri-

ningit, ventusque tantus est, vt vix possit locus aptus, decensque parari pro Sacro; imò & pro populo, qui non videtur tunc iis inclementiis exponendus, & cogendus ad Sacrum audiendum. Alij verò eam necessitatem insufficientem indicant; putant enim satisfieri præcepto audiendi Missam, si Fideles assistant etiam extra templum, quamuis non videntes, nec audientes: quod satis probabile est; sæpè tamen non permittet inclementa cœli. Vide Dicastillum *n.*49. Secundum verò casum, Ego difficulter admitterem, quia nulla est necessitas; nam vel illa multitudo peregrinantium inculpabiliter tardè venit, & tunc non peccauit; Si autem culpabiliter, non tollitur peccatum audiendo Missam, sed per pœnitentiam. Ita ex Lugo Dicastill. *n.*47. qui tamen non probabilem contrariam sententiam tenet. Et ideò Amicus *in Curs. Theol. tom.7. disp.33. sect.11. n.*318. hæc omnia sustinet; primò licitum esse Sacerdoti secundam Missam celebrare, præsertim in die Festo, si post primam superuenerit magna multitudo peregrinorum; qui Missam eo die non audiuerunt. Nam quod censetur debitum respectu Parochi ad satisfaciendū deuotioni, & obligationi suorum Parochianorum, censebitur saltem licitum cuilibet Sacerdoti ad satisfaciendum obligationi, & deuotioni populi. Secundò licitum esse, vbi est raritas Sacerdotum, & magna frequentia populi, vt est India, eadem die plures Missas celebrare, quando Sacerdos non potest vna satisfacere toti populo: qua de causa Paulus III. peculiari Bulla edita anno *1549.* quæ incipit, Paulus Episcopus, concessit, vt possint Presbyteri Societatis in locis Infidelium bis de die Missam celebrare. Quod fecit tùm ad scrupulos tollendos, vbi, & quando non esset tanta necessitas: tum ad hoc ipsum, tutius practicandum. Tertiò licitū etiam esse Sacerdoti ad communicandum infirmum morti propinquum, secundam Missam celebrare. Ratio est, quia maxima illa vtilitas, quam percepturus est infirmus ex hoc Sacramento in eo articulo mortis prævalere videtur huic legi, de vna tantùm in die Missa celebranda, præsertim cùm Pontifices concedant, suadente necessitate, facultatem secundam Missam celebrandi, quia autem negauerit in hoc casu suadere necessitatem? Et tandem Quartò, vbi viget consuetudo, vt defunctus sine Sacrificio non sepeliatur, posse Sacerdotem post primam Missam celebrare secundam pro defunctis: præsertim cùm in hoc casu specialiter ius permittat Sacerdoti secundam Missam celebrare. Hæc omnia, vt dixi, Amicus *vbi suprà.*

Sup. hac doctrina lege infra in tr.3. ex Ref.10.§. vlt. ad medium, & ex Ref.13. §.1. ad medium, vers. Adde, & ex Ref.18. §.vlt.

Sup. hoc in Resol. seq. §. Negauit.

Sup. hoc in Ref. præced. §.1. vers. Quamus. & infra in Ref. 118. §. Sed. inter medios. vers. Cōmunitur. & hic in Ref.133. &c. Sup. hoc quamo in Ref. præced. §.1. vers. Tertius.

RESOL. XCIII.

Quomodo Sacerdos habens duas Parochias, & Ecclesias debeat celebrare in Feria V. Hebdomadæ Sanctæ?

§.1. *Et an, quando Parochus duas Missas dicere tenetur, debeat petere licentiam ab Episcopo?*

Et notatur posse simplicem Sacerdotē duas Missas in vno die celebrare, si ingens fidelium multitudo Missā audire deberet, & secus si exigua, v.g. decem, aut viginti, & non est alius Sacerdos, qui celebrare posset.

Et an non tantum bis, sed ter, & quater Sacerdos possit eodem die celebrare, si causa subsit, quæ binam celebrationem honestauerit? Ex part.11.tr.5. & Misc.5. Resol.33.

§.1. SVppono cum Eminentiss. D.meo Card. Lugo *de Sacram. Eucharist. disp.20. sect.1. num.*47. & aliis communiter Sacerdotem habentem duas parochiales Ecclesias, quibus solus ipse absque coadiutore ministrat, & in vtraque est populus auditurus Missam, posse bis celebrare. Sed difficultas est, quomodo debeat celebrare in Parasceue. Ad hoc dubium respondet ex Syluio, & Ioan. de la Cruz, P. Leander *de Sacram. tom.2. tract.8. disp.5. q.*40. vbi sic ait; Notent Pastores quod Feria VI. Parasceues non possunt officium, quod in Missali continetur, facere, nisi in vna Ecclesia, ne vel communicent non ieiuni in secunda, vel officium peragant in prima, sine vsu calicis, & contra morem Ecclesiæ. Sic ille. Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thomæ quæst.*83. *art.2. dub.2. n.*130. sic ait: Quid facturus sit pastor habens duas parochias, si Feria V. maioris hebdomadæ consecrarit hostiam in monumento reponendam, an scilicet possit in die Parasceues in vtraque parochia communicare, & officium illius diei in vtraque parochia celebrare? ratio dubitandi est, quod Sacerdos immittat partem hostiæ in vinum non consecratum. Aliqui censuerunt id posse, etiam sumpto vino; verùm id meritò passim reijcitur, quia neque ius, neque auctoritas ostendit licere, non seruato ieiunio, eo die communicare. Itaque videtur dicendum primò, Pastorem debere substituere alterum pro alterutra parochia, si facilè id possit.

ta post medium, ā vers. Notandum, est hic obiter.

2. Dicendum secundò, si non possit procurare alium, pridie in alterutro loco non consecret hostiam reponendam in monumento, si parochiæ sint vicinæ.

3. Dicendum tertiò, quod si parochiæ ita distent à se inuicem, vt populus vnius non possit ad Ecclesiam alterius conuenire, vel quacunque alia de causa id non possit commodè fieri, ita vt videatur in vtroque loco debere celebrare Officium Parasceues, in priori non ponatur vinum & aqua in calice, vt solam Hostiæ partem sine ablutione sumere possit, & ieiunus possit celebrare in secundo loco: quod si vinum, vel ablutionem sumpserit, non potest secundò celebrare, sed eo casu debet hostiam pridie consecratam, in secundo loco decenter in sacristia reponere.

4. Dices, Sacerdos non potest celebrare, nisi seruatis ritibus Missalis, quos non potest seruare in primo loco, si velit in secundo celebrare.

5. Respondetur, id quidem ostendere, quod secundo loco diximus, scilicet esse magis consultum, vt eo die solùm in vno loco officium celebretur, non videri tamen concludere nullo vnquam euentu aliter fieri posse.

6. Dico ergo, sacerdotē graui de causa posse celebrare, etiāsi fortè ritus non ita grauis seruari nō posset, quod in nostro casu cōtingit: nam ritus mittendi vinum in calicem, & mittendi particulam hostiæ in vinum, non videtur ita grauis, vt si seruari nequeat, frequens aliqua Parochia debeat carere officio illius diei, præsertim accedente consuetudine Episcopis & superioribus Ecclesiasticis satis perspecta. Hucvsque Præpositus. Vide etiam Suarez *tom.3. disp.*80. *sect.3.* & Amicum *in Curs. Theol. tom.7. disp.33. sect.11. n.*317. Dico, itaque in tali casu Parochum non habere obligationem erigendi pro die Parasceues duplex sepulchrum in vtraq; Ecclesia, sed poterit tantùm in principaliori. Ratio est, quia cùm debeat Sacerdos in die Parasceues particulam Hostiæ præcedenti die consecratæ simul cum vino in Calice posito sumere, non posset iterum non ieiunus cōmunicare: nam vt idem Sacerdos possit secundam Missam celebrare, vel in prædicto casu iterum communicare, supponi debet ieiunus, vt omnes docent *ex cap. ex parte, de celebrat. Missar.* vbi Pontifex prohibet secundam Missam Sacerdoti, qui post primā, purificationem accepit. Quod si fortè Parochus hanc futuram difficultatem non præuidens, in vtroque templo tumulum erexit: tunc vel in vno tantùm sacramentum sumat, & cæremoniam absoluat, & in altero Sacramentū in secreto ac

decenti loco recondat: vel certè in primo templo omittat illam cæremoniam sumendi particulam Hostiæ consecratæ cum vino, vt citato loco monet Suarez, cùm talis cæremonia non censeatur essentialis. Hoc autem intelligitur, vbi seruatur Romana consuetudo de consumenda Hostia die Parasceues, quæ præcedenti die Iouis exposita fuit in sepulchro. Vide etiam Caspensem *in curs. Theol. tom. 2. tract. 23. disput. 3. sect. 1. num. 51.*

7. Verùm an quando Parochus potest, vt supra suppositum est, dicere duas Missas; tenetur petere licentiam ab Episcopo.

8. Negatiuè respondet Tamburinus *opusc. de sacrif. Missæ, lib. 1. c. 6. §. 3. n. 1.* Pluries (ait) in eodem die celebrare fas est, quando quis præest duabus Ecclesiis, & ni bis in die sacrificet, sacro careret alterutra. Idem esset, vbi rari sunt admodum Sacerdotes, vt in Anglia, Hibernia, & nonnullis partibus Germaniæ, & in Indiis (adde & Tunesi, & in tota Africa, & in regionibus quibuscunque infidelium, in simili necessitate Christianorum ibi fortè degentium) quilibet enim Sacerdos, quamuis non sit parochus, poterit ibi requirente necessitate, pluries celebrare in die, etiam nulla petita licentia ab Episcopo fortè ibi præsente, vel vicino; quia vbi ius commune facultatem concedit, ab alio expectanda nequaquam est. Ita ille.

Sup. hoc in Resol. præterita prope finem, à vers. vbi est raritas.

9. Sed contrariam sententiam docet Hieronymus Garzia *in summ. Theol. mor. tract. 3. diffic. 2. dub. 5. n. 8.* [Aduierten (ait) los Dotores citados, al Parocho que tuuiere muchas Parrochias, que no reserue el Iueues Santo el Sanctissimo Sacramento en ambas Parrochias, porque no podra sumir ambos el Viernes Santo, si ha de guardar la ceremonia de la Iglesia que es echar la particula en las abluciones, y despues sumirlo todo; y assi caso que reserue en ambas partes el Sanctissimo Sacramento, por no dexar sin monumento à alguna de las Parrochias; vna de dos, ò busque vn Sacerdote, para que lo saque del monumento, y suma en la vna, ò sino, no eche en la primera donde el Viernes le sacare, la particula, sino suma la Hostia sola, y en la otra podra sumir Sacramento, y abluciones, en la secunda Parrochia podrà sacarlo del monumento, però reseruarlo sin sumirlo, hasta el Sabado, ò el Domingo, porque en ningun caso se puede sumir, no estando ayuno] *ex cap. ex parte, de celebr. Missar.*

10. [El caso que es propuesto con las condiciones dichas, todos los Autores lo admiten, y esta *in viridi obseruantia*, pero con todo esso se pide licencia al Obispo vna vez para toda la vida, y de hecho escriuiendo esto me refiere vn Parrocho, que el hà pedido estos dias licencia al Señor Arçobispo para hazerlo, y que sin ella no se atreuen, y aun Barbosa *de officio parochi, cap. 11. n. 9.* Alphonsus de Leone *de offic. capellani, quæst. 8. sect. 17. cas. 1.* quieren se pida licencia à la Congregacion de Ritos cuyo vltimo Autor refiere, que la pidieron los de Austria la superior, donde por la penuria de los Sacerdotes à causa de la expulsion que delles hizieron los Hereges, y la concediò dicha Congregacion como queda dicho.]

11. Nota etiam hic obiter, posse etiam simplicem Sacerdotem duas Missas in vno die celebrare, si ingens fidelium multitudo Missam audire deberet, secus si exigua decem vel viginti, & non esset alius Sacerdos qui celebrare posset. Moueor tum authoritate Leonis Pontificis *epist. 91. ad Dioscor. cap. 2.* qui manifestè indicat eo casu duplicem Missam dici posse ab eodem inquam Sacerdote, nam à diuersis nihil noui diceret; Tum argumento deducto ex parocho duarum, qui secundùm omnium sententiam duas Missas celebrare eodem die potest, ne vnius Ecclesiæ Parochiani priuetur commoditate audiendi Sacrum: ergo impedire ne plures absque sacrificio remaneant, sufficiens causa est bis sacrificandi. Et ita sustinet Suarez *disp. 80. sect. 3. in fine.* Ægid. de Coninch. *dub. 3. circa finem.* Nec dissentit Layman *dicto lib. 5. tract. 5. cap. 4. n. 6.* Et docet absolutè Castrus Palaus *tom. 4. tract. 22. punct. 7. n. 9.* qui etiam petit an non tantum bis, sed ter, & quater possit Sacerdos eodem die celebrare si causa subsit, quæ binam celebrationem honestauit. Et affirmatiuè respondet, quia cùm binam celebrationem sola necessitas concedat, & trinam concedere poterit. Vnde Sacerdos trium Ecclesiarum præfectus, triplicem Missam celebrare poterit.

Sup. hoc in Resol. præterita post medium, à vers. Ad hunc casum, & in alio vers. eius not.

12. Cæterùm existimo grauiorem causam requiri pro trina, & quaterna celebratione, quàm pro bina, vtpotè res rarò, vel nunquam vsitata. Ad tantæ grauioris causa, sacrificium multiplicari poterit, sed rarò, vel nunquam credo eam causam euenturam, nisi in præfectura trium Ecclesiarum, quæ ex vrgentissima tantùm causa concedi potest, & grauiori quidem quàm ea quæ communiter expostulatur ad duarum Ecclesiarum præfecturam. At ea præfectura concessa, potest Sacerdos in prædictis Ecclesiis eodem die celebrare: nam eò ipso quo quis pluribus Ecclesiis præficitur, à superiore approbata est Sacrificij repetendi necessitas. Aduerto vt rem omnino indubitatam, nunquam repeti sacrificium posse, si in Missa Sanguinis ablutio sumpta est: quia præceptum celebrandi iterùm, ob prædictas causas, & occasiones occurrentes derogari non potest. Sed de hac quæstione alibi ego dixi.

RESOL. XCIV.

An licitum sit Sacerdoti cœptam Missam inchoare, si superueniat vir illustris, qui id petat, & alius Sacerdos non adsit, qui celebret?

Et alia curiosa circa præsentem casum, pertractata inueniet in textu huius Resolutionis etiam pro diebus Ferialibus, & personis minus illustribus. Ex part. 1. tract. 5. & Misc. 5. Res. 45.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam tenet Pater Franciscus Bardi *in selectis lib. 10. quæst. 11. num. 3.* & præter Henriquez, Azorium, Laymann, Fagundez, Scorzia, & Emmanuelem Sà ab ipso citatos, hanc sententiam tenet etiam Castrus Palaus *tom. 5. tract. 22. punct. 11. num. 4.* & Marchinus *de Sacrament. Ordinis, part. 3. cap. 16. num. 4.* & doctus amicissimus Pater Hieronymus Garzia *in summa Theolog. Moral. tract. 3. difficultat. 8. dub. 6. punct. vlt. num. 32.* sic asserens: Finalmente à cerca boluer à començar la Missa dizen Salzedo *in pract. criminal. cap. 45. pag. 126.* Rodriguez *in summa part. 1. cap. 144.* que no es licito boluerla à començar, aunque sobreuenga alguna gente que no ha oydo Missa, y no queda otra por dezir Petro Nauarro, y otros dizen lo contrario, que si llegare de camino, ò por otra ocasion legitima vn Cardinal, vn Obispo, ò vn grande, que podria començar de nueuo, aunque huuiesse dicho la Epistola, y que deue hazerlo: y de hecho sucedio esto en nuestra Señora del Pilar desta Ciudad este Setiembre de 1642. porque llegò el Eminentissimo Cardinal Triuultio, y dezir el Sacerdote el Credo, y le mandò boluer à començar el Euangelio, la razon desta doctrina es, porque si puede vno dezir dos Missas en vn dia, para que si las oyga el pueblo, quando el Cura tiene dos Parro-

chias

chias, luego mayor podrà repetir vn pedaço de Miſſa, ſic ille. Et ideò hanc opinionem probabiliorem exiſtimat Villalobos *in ſumma tom.1.tract.8.diſſic.31. num.9.*

2. Itaque aſſerunt in tali caſu poſſe Sacerdotem repetere Miſſam inceptam vſque ad Offertorium excluſiuè, ita Bardi *vbi ſupra*, qui poſtea ſubdit, ſi quis velit nos cogere ad reſpondendum, num ſit peccatum graue repetere omnia, etiam vſque ad Canonem excluſiuè, dico quod quamuis ad damnandum aliquem Sacerdotem id facientem, non habeamus efficax argumentum; nihilominus ad aſſerendum eum temerè operari, ſufficit authoritas Theologorum, qui non admittunt repetitionem: niſi eorum, quæ antecedunt offertorium, & etiam in re iſta ſatis videtur congruentia prædicta, proinde licet non apertè damnarem repetentem vſque ad Canonem, neque poſſem illum excuſare à peccato graui: tamen apud me res eſt valde dubia.

3. Ita ille: ſed ego ſine formidine puto in tali caſu Sacerdotem repetentem Miſſam vſque ad Canonem excluſiuè peccare mortaliter: non enim parum concedimus, vt dictum eſt, ſi liceat ei repetere vſque ad Offertorium excluſiuè: Et quidem non deſunt Authores aſſerentes Oblationem, quæ fit in Offertorio eſſe vnam ex partibus eſſentialibus Sacrificij Miſſæ.

4. Sed hic poteſt curioſiùs inquirere, an repetitio ſupradicta, quando ſuperuenit vir magnæ notæ, & *illuſtris*, fieri poſſit etiam diebus ferialibus? Et affirmatiuè reſpondet Bardi *loco citato n.10.* quia, ait *ipſe*, etſi præceptum de Sacro non vrgeat, nihilominus, quia nos non fundauimus ſententiam noſtram in adimpletione præcepti, ſed potius in iuſta & honeſta deuotione perſonæ magnæ dignitatis, idcirco conſequenter diſcurrentes, aſſerere poſſumus, etiam diebus ferialibus id eſſe licitum, decet enim Epiſcopos, & alios fideles quotidie ſacrum integrè audire; & ſcire cupis propter quas perſonas liceat Sacerdoti repetere Miſſam inceptam, dico eſſe Principes ſupremos non recognoſcentes ſuperiorem; item Proreges, Cardinales, Nuntios Pontificum, Epiſcopos, Oratores Regum, Magnates Hiſpaniarum, Inquiſitores Maiores, Commiſſarios Cruciatæ, Præſides ſupremorum Conſiliorum Regis, non autem eorum Conſiliarij, &c. nec etiam eos, qui vulgò dicuntur *Titolati*, niſi forſitan inueniantur in terris, in quibus dominium habeant.

5. Et tandem quærit P.Bardi *vbi ſup.n.11.* ſi repetitio Miſſæ, modo quo ſupra dictum eſt, efficeretur pro perſonis ordinariis, & infimæ conditionis, an Sacerdos in tali caſu peccaret grauiter. Et reſpondet ſe non dubitare quin ſit peccatum veniale, quia eſt contra praxim Eccleſiæ, quæ pro perſonis tantùm qualificatis id permittit: at non poſſum firmiter, & conſtanter aſſerere eſſe peccatum lethale, ſed id remitto prudentiæ, & iudicio Theologorum. Ita Bardi, ſed ego ſine formidine aſſero in tali caſu Sacerdotem lethale peccatum committere; eſſet enim tranſgreſſio in re graui propter irreuerentiam ergà Miſſæ Sacrificium, vt patet ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ talis actio cohoneſtat in ordine ad illuſtres perſonas, non autem quoad infimas, & exiguæ notæ.

6. Verùm omnia ſuperius dicta procedunt in ſententia affirmatiua ſupradictorum Authorum, mihi autem magis placet ſententia negatiua, quam tuetur P.Thomas Tamburinus *opuſc.de ſacram.Miſſæ,lib.2. cap.7.§.8.n.2.* vbi ſic ait: Concedunt aliqui ſi ſuperueniat Princeps, vel Prælatus, vel proceſſio populi, vel ſimiles, auduturíque ſint ſacrum, poſſe Sacerdotem interrumpere Miſſam, & iterum incipere ſi alius ſacerdos non ſit, & celebrans ſolùm progreſſus fuerit vſque ad Oblationem excluſiuè, non verò ſi vltra; imò id non praxi obſeruatum eſſe teſtatur Nauarrus, & Henriquez.

7. Mihi quidem hæc conceſſio non placet, ſicuti nec placuit ſupra, quod propter ſimilem aduentum poſſet ab eodem bis eodem die celebrari. Ratio eſt, quia eiuſmodi aduentus non affert tantam neceſſitatem, quæ ſuperare poſſit irreuerentiam interruptionis Miſſæ, quandoquidem illi, cùm non ſuppetat alia Miſſa, ad integram audiendam non obligentur: Maximè ergo laudandum eſt decretum Mediolanenſe, in quo abſolutè cauetur, ne quis Miſſam ſemel inchoatam repetat: id quod praxim à Nauarro allatam, nec ſolido fundamento nixam, meritò corrigit. Hæc Tamburinus, & licet aduerſus illum inſurgat Pater Bardi *vbi ſupra*, ſciat vir doctiſſimus, & amiciſſimus opinionem Patris Tamburini, præter Gauantum, Rodriguez, & Diaz, ex eius Societate, docere fortiſſimum commilitonem, & qui apud me inſtar plurium eſt, nempe Iacobum Granadum *in 3.part. D.Thom. controu.6.tract.14.diſput.10.n.4.* ſic aſſerentem: Poſt inchoatam verò Miſſam non expedit illam iterum inchoare, etiamſi perſona magnæ authoritatis aduenìat, & dies ſit Feſtus. Vnde ſtrictè ſub excommunicatione præcipit Synodus Hiſpalenſis, *tit.de celebrat. Miſſarum, cap.8.* ne peracta confeſſione inchoetur iterum Miſſa, licet aduenìat perſona cuiuſlibet dignitatis. Hucvſque Granadus. Agnoſce amicè Lector, noſtram ſententiam firmatam eſſe à duabus Synodis Prouincialibus, in quibus tot ſapientiſſimi Antiſtites, & Theologi, ac Canoniſtæ extitere. Et P.Hermannus Buſen m *in medulla Theologiæ moralis lib.6.tract.3.cap.4.dub.3.n.5.* obſeruat, opinionem affirmatiuam non eſſe in vſu, & ad ea, quæ contra Tamburinum affert P.Bardi reſponderi poteſt, talem actionem non poſſe cohoneſtari ex deuotione perſonæ inſignis dignitatis & notæ: nam illa deuotio eſt potiùs repellenda tanquam indiſcreta, nec dignitas illuſtris perſonæ poteſt, nec debet aliquid operari contra reuerentiam debitam venerabili ſacrificio Miſſæ. Non nego tamen opinionem affirmatiuam Patris Bardi, & aliorum eſſe probabilem.

RESOL. XCV.

An Miſſa incepta poſſit, ſuperueniente aliquo Principe iterum inchoari?

Idem eſt de ſuperuenientibus Marchione, Comite, Cardinali, & Epiſcopo.

Et an hoc fieri poſſit dicto Euangelio, imo vſque ad Oblationem excluſiuè?

Et non approbatur id quod aliqui Sacerdotes faciunt, addendo tempus meditandi non aſſignato in Rubricis Miſſalis; quia nouam cæremoniam, & cultum peculiarem addunt ab Eccleſia non præſcriptum. Exp.10. tr.12. & Miſc.2 Reſ.11.

§.1. NEgatiuè reſpondet Tamburinus, *Opuſc.de Sacrif.Miſſæ,lib.2.cap.7.§.8.num.2.* Ratio eſt, quia eiuſmodi aduentus non affert tantam neceſſitatem, quæ ſuperare poſſit irreuerentiam interruptionis Miſſæ, quandoquidem illi, cùm non ſuppetat alia Miſſa, ad integram non audiendam non obligentur. Maximè ergo laudandum eſt decretum Mediolanenſe, in quo abſolutè cauetur, ne quis Miſſam ſemel inchoatam repetat: Id quod praxim à Nauarro illatam, nec ſolido fundamento nixam, meritò corrigit. Ita ille.

Sup. hoc in Reſ. præterita, & ſi placet, lege verſ. eius annot.

2. Sed sententiam Nauarri, & aliorum satis probabilem esse existimo, quam præter Scottiam, & Layman, à Tamburino citatos, approbat nouissimè P. Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 13. n. 213.* vbi sic ait: Quæri vlteriùs potest, an incepta Missa possit iterum à principio inchoari superuentu alicuius viri Principis, & illustris superuenientis post generalem peccatorum confessionē, aut post Gloria in excelsis Deo, vel post Epistolam quoque recitatam? Respondetur cum Nauarro, & Azorio *supra*, & aliis, posse; hæc enim sufficiens causa videtur iterum Missam inchoandi. Exemplum ponit Azorius in Cardinali, Episcopo, Marchione, Comite. Ego quidem non solùm dicta Epistola, sed dicto etiam Euangelio fieri posse puto; imò vsque ad oblationem exclusiuè: est enim eadem ratio de Euangelio, & de symbolo, illaque quasi antiphona quæ præcedit Offertorium, & in Missali appellatur *Ad Offertorium*.

3. Nota hic obiter, Dicastillum *vbi supra, n. 269.* non approbare id quod faciunt aliqui Sacerdotes, addendo tempus meditandi, non assignatum in Rubricis Missalis. Sic itaque asserit: Hinc etiam est, quod cùm idem sit de cæremoniis, atque de verbis, siue detrahendis, siue addendis præter assignatas à Pontifice; & inter alias cæremonias, & ritus colendi Deum in Missa numerentur tria illa tempora orandi, aut meditandi; euerissimè scilicet in *Memento* primo pro Viuis, & in *Memento* secundo pro Defunctis; ac tandem tertiò post sumptionem Corporis, vbi in Canone Missæ dicitur in Rubrica illius, *Quiescit aliquantulum in meditatione sanctissimi Sacramenti*. Hinc, inquam, est addere quartam orationem, seu meditationem, & quartum tempus sic quiescendi, & orandi etiam mentaliter, esse nouam quandam cæremoniam, quam tamen addunt aliqui plus nimium deuoti, qui antequam sumant Corpus Christi in Missa per aliquod tempus cum illo in manibus perseuerant orantes: quod etiamsi mentaliter faciant in illo situ, & habitu corporis perseuerantes, iam addunt alium similem cultum ei, quem posteà meditando exhibent ex præscripto Ecclesiæ post suptionem eiusdem corporis: quod ostendit, illum esse peculiarem cultum ab Ecclesia præscriptum. Ergo nouum addunt contra Ecclesiæ præscriptum. Ideò illos appellaui plus nimium deuotos: vnusquisque tamen in suo sensu abundet. Hæc ille.

Sup. his, & doctrina huius §. lege infra Resol. 185. & 186. & vide etiã alias Resol. earum primarum annot.

RESOL. XCVI.

An qui in die Natiuitatis Domini facit Officium Diaconi, & sumit Eucharistiam ex manu celebrantis, possit postea dicere saltem duas Missas?

Et notatur, quod Cardinalis qui in Sacello Pontificio dicit Missam Natiuitatis Domini ante mediam noctem, non potest postea dicere mane alias duas Missas.

Et aliud nouum dubium reijcitur pro hac difficultate, scilicet, an ex eo, quod sacrificium possit sufficere pluribus, Sacerdos satisfaciat vnico Missæ sacrificio pro multis obolis oblatis cum onere celebrandi, ablato nomine stipendij, & mutato in oblatione, &c. Ex p. 11. tr. 4. & Misc. 4. Res. 43.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Hieronymus Columbus *de Hierarchia lib. 4. c. 70. n. 14.* vbi sic ait: Obiter in hoc loco occasione eorum qui sibi licitum esse putant cessare sæpiùs à sacrificio; non pigeat à simili alium scrupulum tollere: An Sacerdotes, qui in die Natali Domini in Missa solemni Diaconi officium gerentes communicant de manu Episcopi, possint eadem die celebrare saltem alias duas Missas constitutas. Ratio dubitandi istorum est, quod facultas in illa recipiendi per Eucharistiam, solùm Sacerdotibus data est in repetito ter Missæ sacrificio: Sed Presbyter illa die velut Diaconus Pontifici ministrans, de manu illius communicat, non igitur illa die poterit veluti Presbyter offerre sacrificium, sed saltem se legitimè poterit excusare. Respondeo, quod hæc excusatio non petita, est accusatio manifesta modicæ deuotionis, & scrupulosæ conscientiæ, quæ à 1600. annis vsque adhuc nulli venit in mentem; quod si ex quotidianis distributionibus Sacerdotum hac die singulis tribus Missis centum aurei assignarentur, nemo esset qui se triplici sacræ actionis munere prohiberet: atque tunc omnes simul Doctores conuenirent, memores illius regulæ iuris, quod priuilegia sunt amplianda, non restringenda, & quod Presbyter communicans de manu Episcopi in vna Missa velut Diaconus, non per hoc cessat esse Presbyter illa die, sed ad horam tantùm impedit ministerium illud inferius Episcopo, ac per hoc non amittit ius celebrandi reliquas Missas, quæ illius diei diuersis horis sunt deputatæ: hoc etiam stante iuxta Suarij, ac meliorum Doctorum sententiam, quod tota hac die sacratissima, à noctis dimidio incipiendo liceat omnes, ac singulas Missas celebrari à quolibet Sacerdote censuris canonicis non impedito, & hoc maximè deceat illa die exhiberi triplici sacrificio munus diuinæ Majestatis ob memoriam ut genuit Saluatoris, primò velut Verbum ab æterna mente Parentis: Secundò corporaliter de Maria Virgine factus homo: Tertiò quotidie spiritualiter in corde suorum fidelium. Qua inquam ter repetiti actione sacrificij hac die viro spirituali, nulla maior toto anni curriculo spiritualis suauitas, ac iucunditas, ac pinguedo spiritus esse potest: Vnde à nullo penitus atque penitus renuenda est. Ita ille.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 1. Res. 54. §. vlt. & ne deseras hic insta lege Resol. 128. per totam, & signãter §. Sed. ad 4. &

2. Sed prorsus hæc opinio est reijcienda, vtpote, primò contra praxim, & sic Romæ in Ecclesia D. Petri Canonicus, qui facit officium Diaconi in prima Missa, & sumit Eucharistiam à celebrante, postea non celebrat, & idem facit Eminentiss. Cardinalis, qui in Sacello Pontificio ministrat vt Diaconus in Missa Papali, & recipit species sanguinis à Pontifice; nam postea non audet celebrare, vt obseruaui alibi cum Cardinali Lugo.

3. Et ratio est, quia Sacerdos qui sumpsit Eucharistiam more laïcorum, non potest in illa die amplius celebrare; priuilegium enim dicendi tres Missas in illa die, conceditur celebrantibus: Ideò si semel Sacerdos sumpsit Eucharistiam more laïcorum, amittit ius in illa die ad sacrificandum. Nemo enim potest sumere Eucharistiam extra, & vltra Missam.

4. Nota etiam hic cum Dicastillo *de Sacrament. tom. 1. tract. 4. disp. 9. dub. 17. n. 410.* quod Cardinalis qui in Sacello Pontificio dicit Missam Natiuitatis ante mediam noctem, non potest posteà dicere manè alias Missas, quia cùm iam celebrauerit pro die Natiuitatis ex prædicta Indulgentia Papæ concedentis, aut mandantis anticipare eam actionem intra ipsam solemnitatem, & festum, non censetur pro tali Cardinali manere locus celebrandi post mediam noctem, sicut posset, si non celebrasset. Qua ratione si esset præceptum non dicendi bis Matutinum in eodem festo, & ex priuilegio posset quisquis quod nunc possumus) dicere Matutinum pro die sequenti anticipatè, scilicet ante Solis occasum, aut mediam noctem, non posset iterum dicere post mediam noctem, quia vtens tali indulgentia, censetur dixisse pro illa die, & celebrare, ad quam spectat illud Matutinum Officium.

5. Vnde ex his non sunt admittenda ea, quæ asserit

serit Caramuel *in Theolog. fundam. fundam.*30. §.13. *num.*515.

6. Nota etiam hîc obiter aliam singularem opinionem supradicti Hieron.Columbi *vbi suprà c.*62.*n.*24. vbi sic ait;Ex his iam satis patere potest responsio ad omnes rationes quorundam qui falso ac metaphorico illo suo stipendij nomine, & principio negant vnicum Missæ Sacrificium sufficere posse pluribus, qui singuli diuersis temporibus mobilia, vel immobilia bona Ecclesiæ contulerunt,aut sigillatim Sacerdoti simul obolos tribuunt cum onere celebrandi. Nos autem stipendij nomen ab hoc ministerio penitus, atque penitus interdicimus, ac iuxta Christi Euangelium asserimus pro multis offerri hoc Sacrificium, ab eoque neminem spontè aliquid offerentem excludi posse, atque adeò eorum dona,& munera, & Sancta sacrificia illibata à Sacerdote pro singulis offerenda esse,quæ singulis iuxta singulorum pietatem, ac Religionem proficiant.

7. Et sic ex dictis iam pariter refutata manet DD. quorumdam opinio indiscreta, qui falsis eiusmodi suis fundamentis innixi, putant, vt cùm Sacerdos rogatus ab aliquo pro eo obtulit Sacrificium, si iste fortasse nihil ei tribuat,hunc posse à Sacerdote citari apud iudicem pro mercede. Sed qui talia indigna faceret,esset quidem, me iudice, dignus suspensione ab executione Sacri Ministerij,quod ita vilipendit. Ille autem,qui ei non aliquid tribuit,hoc solum pro pœna ferret, quod nullus imposterum Sacerdotum pro eo aliquid spontè daret.Missa nempè,obligatio spontanea interpretatur,non coacta.Vnde Sacerdotes qui in suis titulis,aut capellis quomodocumque prouisis de hostiis,& vino & cera celebrant,si fæpè etiam sine vllo offertorio rogentur à laicis pro se Missas agere,indignum videtur velle ab eis in exteriori iudicio aliquid extorquere. Ita ille.

8. Sed aliqua ex his cautè legenda sunt, ne dicam amplius, sunt enim contra torrentem omnium DD. & contra Praxim totius Ecclesiæ, quam Columbus non veretur improbare;ideò prorsus est reijciendus.

RESOL. XCVII.

An in nocte Natiuitatis Domini Sacerdos nolens celebrare omnes tres Missas, sed vnam tantum,possit relinquere primam Missam,& dicere secundam, & si placuerit tertiam ?

Eadem est ratio, si Sacerdos vnam Missam vellet celebrare in die. Ex p.2.tr.14.Res.39.

§.1. ALiqui forsitan negatiuam sententiam amplectendam esse putabunt : sed affirmatiuam docuit Zanardus *in direct.Theol. p.*1.*de Euchar. cap.*9.*q.*7. Vgolinus *de potestate Episcop.cap.*16. *n.*5. Petrus Ledesma *in sum.tom.*1.*de sacram.Euchar.c.*19. *post.*9. *concl.* quem postea sequutus est Villalobos *in sum.p.*1.*tr.*8.*diffic.*22.*n.*3. & quia codex rarus est,ponam eius verba. [Verdad es que se podria dezir de noche qualquiera de las tres Missas,que es cosa accidental dezir esta,o aquella.] Et eadem ratio militat, si Sacerdos vnam Missam vellet celebrare in die,tunc enim posset dicere tertiam, vel secundam Missam ; quidquid Gauantus putet,dicendam esse vel primam, vel tertiam, & potiùs tertiam, cuius Oratio cum Officio concordat. Ita ille *in comment.ad Rubr.Miss. tom.*1. *part.*4.*tit.*3.*num.*6.

RESOL. XCVIII.

An Sacerdos in nocte Natiuitatis Domini possit tres Missas ante auroram celebrare? Ex part.2. tr.14. Resol.35.

§.1. NEgatiuè respondet Villalobos *in sum. p.*1. *tr.*8.*diffic.*22.*n.*3. Fernandez *in exam.Theol. mor.p.*3.*cap.*5.§.7.*n.*3.Vgolinus *de potestate Episcopi, c.*16.*n.*6. Fagundez *de præcept.Eccl.tract.*1.*lib.*3.*c.*16. *n.*3. Petr. de Ledesma *in sum.tom.*1.*c.*19.*concl.*9. *fol. mihi* 128. Didacus Nugnus *in* 3.*p.tom.*1.*q.*82. *art.*2. *ver.sed est dubium, fol.mihi* 504. Miranda *in manuale prel.p.*1.*q.*40. *art.*8.*concl.*2. Nauarr. *in sum.c.*25.*n.*5. Ioan. de la Cruz *in direct.consc. p.*2. *de sacrif.Missæ, q.*2.*dub.*1. *concl.*3. Sylvest.Ang.Tab.Arm. *ver.Missa*, & alij. Probatur hæc opinio, nam in Rubr.Missalis ita statuitur. Secundò, quia in ipso Canone dicitur *communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*, pro prima Missa; pro aliis verò duabus dicitur, *& diem sacratissimum celebrantes.* Hanc etiam opinionem docet Acosta *in expositione Bullæ Cruc. q.*32. & Squillante *de oblig. cler. p.*1. Sup. hoc in Ref.seq. & in Resol.1. post seq. §. Notandum.

2. Sed mihi contraria sententia semper visa est probabilior,& illam sæpius in praxi consului.Vnde miror à Nugno *vbi sup.*improbabilem vocari. Sed iste author nimis audacter in censurandis opinionibus se gerit, maximè sapientissimi P. Suarez, qui nostram tuetur sententiam *in* 3 *p.tom.*3. *disp.*80. *sect.*4. quam sequitur etiam nouissimè Puteanus *in* 3.*p.q.*83.*art.*2. Layman *lib.*4.*tr.*5.*c.*4.*n.*4.Vasq.*in* 3.*p.*3.*to.*3.*disp.*232. *c.*3.*n.*3.Reginald.*in praxi,tom.*2.*c.*9.*sect...lib.*4.*n.*134. Coninch *in* 3.*p.q.*83.*a.*2.*dub.*4.*n.*218. Sylvius *in* 3.*p. q.*73.*art.*2. Molfesius *in sum.tom.*1.*tr.*3.*c.*10.*n.*22. Zanardus *in direct.Theol.p.*1. *Euchar.c.*9.*q.*7. Scorzia *de sacr.Miss.lib.*2.*c.*15.*n.*5. Ratio est quia *in c.nocte sancta de consecr. dist.*1. absolutè conceditur, vt nocte Natiuitatis Missæ celebrentur sine vlla distinctione.

3. Ad primum argumentum contratiæ sententiæ respondetur cum Vasquez, quod prædictæ rubricæ intelligendæ sunt de Missis conuentualibus & solemnibus, vt priuata Missa de nocte post mediam noctè dicatur, secunda in aurora, tertia verò in plena die. Ad secundum argumentum respondetur cum Suarez, non obstare, quòd in prima Missa dicatur, *communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*, non item in duabus,reliquis,sed,*communicantes, & diem sacratissimum celebrantes*; quia in diuini Officij recitatione, verba non referuntur semper ad tempus in quo dicuntur, sed in illud pro quo repræsentando & commemorando dicuntur : vnde etiam si in prima Missa dicatur,*& noctem sacratissimam venerantes*,nemo tamen negat, quin talis Missa priuata dici possit in plena diei luce.

4. Malè igitur, vt dicebam, hæc opinio tot authoribus,& rationibus fulcita improbabilis à Nugno vocatur, est enim probabilissima & tutissima in praxi, quicquid etiam in contrarium post hæc scripta inueni sensisse Bonacinam *de Sacram.disp.*4. *q.vltim. punct.*9.*num.*9.

RESOL. XCIX.

An in nocte Natiuitatis Domini Missæ tres dici possint ante auroram ?

Et author à quadam impugnatione defenditur,quod nimis gratum erit lectoribus.

Et docetur non esse peccatum mortale asserendum, nisi adsit veritas clara, & præceptum clarum.

Et adducitur, quod ex principiis intrinsecis, vel extrinsecis, & hæc duo, etiam vnum sine altero facere opinionem probabilem. Ex part. 10. tr. 12. & Misc. 2. Res. 58. aliàs 57.

Sup. hoc in Res. præterita, & in Res seq. §. Notandum.

§. 1. NEgatiuè nominatim contra me respondet M. Ghetius *in Thesauro Animæ, tom. 3. verb. Missa, cap. 2. q. 2.* tum quia non licet de nocte celebrare nisi ex ordinatione, & licentia Ecclesiæ: quæ tamen nihil ordinauit nisi de Missa mediæ noctis. Ergo, &c. tum etiam quia sic vsu receptum est: tum tertiò quia tantùm in prima Missa dicitur in Canone: *Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*, quod euidens indicium est, posse tantùm de nocte celebrari Missam primam; & hæc si considerasset Diana non reprehenderet Nugnum de audacia in censurandis opinionibus, quia iste vir laxat habenas conscientiæ, & sine ratione, & ideo alios loquentes veritatem carpit. Ita ille.

2. Sed ad supradictas rationes quas M. Ghetius adducit pro sua firmanda sententia, ego sigillatim respondi. Vnde ipse debebat meas responsiones refellere: ideò ad illas me remitto, & ita nostram affirmatiuam sententiam tenent, me citato sapientissimus Cardinalis Lugo *de Sacramento Eucharistiæ disp. 20. sect. 1. num. 25.* & me citato Garcias *in Theolog. moral. tract. 3. difficult. 2. dub. 5. n. 4* & me citato Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 9. n. 72.* & me citato Baucius *tract. de obligat. Sacerd. in Miscellan. ad Sacrament. Eucharist. quæst. 45.* & me citato Raphaël Auersa *de Sacrament. Eucharist. quæst. 11. sect. 11.* qui nominatim Nugnum impugnat, & testatur de Praxi Vrbe Romæ sub oculis Pontificis, & etiam me citato Caspensis *in cursu Theologico, tom. 2. tr. 23. disput. 3. sect. 2. n. 61.* qui asserit esse communem sententiam, & sine controuersia, & me citato P. Lugo *de Sacram. Eucharistiæ, disp. 20. sect. 1. n. 26.* asserit de veritate huius opinionis non posse hodie dubitari, & me citato Ioannes Henriquez *in QQ. Pract. sect. 22. quæst. 19.* & me citato Martinus de San Ioseph, *in cap. Auisos, de Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 15. num. 16.* & me citato Leandrus *de Sacrament. tom. 2. tract. 8. disp. 5. quæst. 32.* & me citato Gesualdus *in Theolog. moral. tom. 1. tr. 15. cap. 1. num. 29.* & me citato Bassæus *in Flor. Theol. moral. verb. Missa, num. 7.* & me citato Stephanus à Sancto Gregorio *de Sacrament. lib. 3. cap. 31. num. 6.* & me citato Franciscus de Nigro *de celebr. Miss. part. 6. animad. 2. num. 4.*

3. Videt modo M. Ghetius quot viri docti nominatim nostram sententiam communi calculo approbarunt, quibus adde nouissimè doctissimum Amicum *in cur. Theol. tom. 7. disput. 33. sect. 12. num. 330.* Tamburinus *in opusc. 3. de sacrificio Missæ, lib. 1. c. 6. §. 4. num. 3.* Marstorat. *in Resolut. Pastor. tract. 4. cap. 4. quæst. 5.* Castrum Palaum *tom. 4. tract. 22. punct. 5. n. 13.* Opatouium *de Sacrament. disput. 2. de Eucharist. q. 2. num. 27.* Lessium *in part. 3. quæst. 36. art. 2. num. 73.* Zambellum *in repertor. moral. verb. Missa, num. 24.* Tamburinum *de iure Abbatum tom. 2. disp. 5. quæst. 7. num. 3.* Marchinum *de Sacrament. Ordin. tract. 3. p. 3. cap. 7. num. 9.* Moscosum *in Summa tractat. 5. cap. 3. num. 10.* Escobar *in Theol. moral. tract. 1. exam. 11. c. 4. num. 95.* Mercerum *de Sacrament. quæst. 83. art. 2. propos. 3. num. 1.* Præter Puteanum, Layman, Suarez, Vasquez, Reginaldum, Coninch, Syluium, Molfesium, & Scortiam, quos omnes citaui *in part. 2. tractat. 14. resol. 35.* Sed audiat Ghetius Magistrum Serra Dominicanum sic asserentem *in suis claris, & eruditis Commentariis ad 3. partem D. Thomæ, quæst. 83. art. 2.* Qua hora sit Missa celebranda explicat D. Thomas *hic ad 3. & 4.* & ait, regulariter Missa debet celebrari in die, & non in nocte, regulatiter inquit: nam vt *Can. Nocte, de consecrat. distinct. 3.* dicitur: Nocte sancta Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent Presbyteri: ex quibus verbis, quidam non improbabiliter (quidquid alij dicant) colligunt, non solùm vnam, sed omnes tres Missas illius solemnitatis posse nocte celebrari à Sacerdotibus priuatis, cùm absolutè eis facultas conferatur Missas celebrandi; nec admonentur, vt dicta prima Missa expectent diem ad alias dicendas. Nec obstat in præfatione, & in Canone duarum posteriorum Missarum dici, sacratissimum diem; nam si propter hoc non possent dici in nocte, neque prima potest dici in die, cùm in eius præfatione, & Canone dicatur sacratissimam noctem. Nec obstat etiam quod ait D. Thomas in nocte Natalis Domini Missa celebratur: nam quamuis non plurali, sed singulari nomine vtatur Missa; ratio tamen quam subiungit, propter hoc quod Dominus in nocte natus est, indicat tres omnes dici posse in nocte, cùm æqualiter procedat de omnibus Missis: singulare etiam sæpe sumitur pro plurali; aut illud non excludit. Huc vsque Serra, & ante illum ex eadem Religione Michaël Zanardus *in Director. Theolog. part. 1. de sacram. Euchar. cap. 9. q. 7.* & Marcus de los Huertos, teste Garcia *vbi supra*, quem quidem Auctorem ego adhuc videre non potui.

4. Ad id verò quod asserit supra Magister Ghetius, me capere loquentes veritatem: dico, me maximè dare omnibus Scriptoribus, & tanquam Magistros venerari, solum nulli cedo quoad modestiam in scribendo, vt passim patet in meis operibus. Vnde miror quo pacto me carpere Doctorum scripta ipse asserere potuerit. Et quod Nugnum dixerim rigidè aliorum opiniones censurare, igitur ex hoc sequitur, me carpere aliorum scripta, vt vult Ghetius? vel me non existimasse Nugnum virum Doctissimum? vti etiam sæpius vocaui Sotum, Victoriam, Canum, Ledesmam, Ioannem de la Cruz, Sousam, & alios qui tanquam ex equo Troiano, è Sapientissima Prædicatorum Familia prodiere, in qua ego plures viros amicissimos, & mihi addictissimos habere scio, qui bene notunt, quantum ego eorum sanctissimo, & illustrissimo ordini deferam. Quod verò Nugnus terminos transgrediatur in censura opinionum, patet ex multis, & ex ista de qua in hac resolutione fuit sermo, quæ cùm doceatur à magnis viris, etiam à Patribus Dominicanis, tamen ab ipso nota improbabilitatis inuritur. Olim loquens cum admodum R. Magistro de los Reys Confessario Principis Philiberti, viro docto, ab eo audiui Nugnum ex suis Castris Commilitonem in hoc aliquando defecisse. Quod ego etiam notaui in Patre Turriano. Et tamen aliquis ex Patribus Societatis Iesu, non ægrè hoc tulit, neque aduersum me insurrexit, vt facit Magister Ghetius. Imò Eminentissimus Cardinalis de Lugo sæpius in suis operibus sequens meam sententiam, supradictum Turrianum in censura aliquarum opinionum reprehendit.

5. Ad id verò quod etiam Magister Ghetius affirmat (an modestè, vel non iudicent alij) videlicet me laxare sine ratione habenas conscientiæ: asserto, quod ego in meis operibus nimis circumspectè, & considerate procedo in selectione opinionum, vt sine litore legentibus patet: nam multas reprobo, multas remitto Lectoribus iudicandas; multas tantùm simpliciter refero, & si sæpius benignioribus adhæreo, vel earum probabilitatem ostendo, quando opinio benigna est probabilis, non laxat habenas conscientiæ, vt vult Magister Ghetius, sed iugum Domini suaue, & leue reddit, faciléque Christi Fidelibus Sacramentum pœnitentiæ præbet. Quare sunt conscientiæ rigidi

gidis sententiis premendæ, si benignis opinionibus leniri possunt? Quare scopuli, & laquei semitæ addendi sunt, vt inuia euadat? Quare ad Rupes est quis compellendus, vt exinde præcipitetur, si absque vllo offendiculo, in itinere plano, ad ambulandum eum constituere possumus? Quis reum declaret quem probabilitas asserere potest innocentem? non sunt animæ illaqueandæ vinculis, sed potius scelera, quando fieri potest, arcenda, & eliminanda. Rectè dixit Villalobos *in summa tom.1.tract.24. difficult.9.n.8.* [A mi se haze riguroso condenar à nadie à pecado mortal, no siendo el derecho claro.] Et ideò vbi non constat de præcepto, non est obligatio sub mortali imponenda, vt obseruat Suarez *in 3.part.tom.3. disp.26.sect.3.* Hinc omnium Magister D. Thomas *Quodlib.9.art.15. in corpore*, docuit, non esse peccatum mortale asserendum, nisi adsit veritas clara. Idem *in primam 2.quæst.107.art.4* in corpore docet, Legislatores moderatè debere præcepta imponere, sic enim ex Augustino asserit. In quibus quidem legibus humanis etiam Augustinus ait esse moderationem attendendam, ne conuersatio Fidelium onerosa reddatur. Ita sanctus Doctor, quidem exardescret in aliquos scriptores multiplicantes peccata mortalia, vbi præceptum non est clarum, quod quidem facere non deberent ex ratione Angelici Doctoris quam supra adduxit, videlicet ne conuersatio Fidelium onerosa reddatur, obligationum, & onerum multiplicatio, non infert sanctitatem. O quot miserè damnarentur, *quos* probabilitas opinionum saluat. Dicendum est *igitur* contra Magistrum Ghetium, quod si quis sententias benignas, dummodo sint probabiles, docet, quod non laxat conscientiæ habenas, sed facilius ad lauream Empyream Christianos promouet.

6. Opiniones verò benignas, quas ego in meis operibus sequor, omnes esse probabiles, patet ex principiis intrinsecis: nam semper ad illarum firmitatem, validas, nec contemnendas rationes adduco. Patet etiam ex principiis extrinsecis: nam nullam sententiam doceo, quam non fulciam auctoritate plurimorum Doctorum. Et hæc duo; etiam vnum sine altero, facere opinionem probabilem communis est sententia, teste Martino de San Ioseph. *in mon. Confessar.tom.1.lib.1.tract.24. de Pœnit. num.13.* Carolo de Baucio *in casibus conscientiæ singularibus cas.281.* Iosepho de Ianuario *de cas.reser.resol.37.* Marco Vidali *in Arca Theol.mor.tit.de Duello inquis.2.num.6.* Layman *lib.1.tract.1.cap.5.§.1.* Machado *de perfecto Confess.tom.1. in discur.Pract.art.2.§.1.n.3.* Lugo *de principiis Theol.mor.part.1.c.3.n.4.* Leandro *de Præceptis Ecclesiæ, tract.5.disp.4.q.17.* & aliis. Quod verò multæ ex istis opinionibus antea latuerint, & ego ex variis Doctoribus in meis operibus collegerim; quid ad rem? nihil officit: nam, vel istæ opiniones sunt probabiles, vel non; si non sunt probabiles, non solum in meis operibus vnitæ, sed etiam apud suos Auctores dispersæ essent censurandæ; nam iniustum, & ridiculum esset, Originale intactum relinqui, & exemplar deleri: Si probabiles verò sunt, quare sub modio, & in abscondito delitescere debebant? Quare non erant ad communem omnium vtilitatem in proscenium deducendæ? sunt meræ nugæ: Qui facit malum odit lucem. Si opinio benigna probabilis est, non est sub pallio tegenda, solis lumen aspiciat, omnibus clarescat, ab omnibus sciatur, vt leuamen Pœnitentibus, solamen Confessariis inferat; quibus, vt alibi probauimus tutè in praxi licitum est sequi opinionem probabilem, probabiliori, & tutiori relicta. Non debemus igitur multiplicare obligationes minimè præceptas, cùm satis difficile sit satisfacere præceptis.

Alibi in to.8. tr.1. Ref.2. & in omnibus aliis eius tom.

7. Et ideo ad confirmationem supradictorum, & in mei defensionem non grauabor hîc apponere verba doctissimi Fratris Hieronymi Garciæ *in Summa morali tr.1. difficult.5. dub.3.n.3.* vbi ita asserit. [De lo dicho se colige quan iniustamente se quexans los que sienten que en materias morales aya diuersidad de opiniones; ante es particular merced de Dios, en que resplandece su diuina prouidencia, pues ha criado, y cria cada dia tan differentes ingenios para que dellos nacies sen diuersos pareceres, y opiniones, con que no fuesse vnico el camino obrar en las aciones morales, sino antes tan multiplicado, dilatado, y ancho, quanto lo son los sentimientos en las materias controuersas, y dudosas, demas de que con la variedad de opiniones se haze mas suaue el yugo de Christo, porque quiça si en las materias morales no huuiera sino vn camino, quedara mucho mas peligroso a las conciencias que fauorable; pues apretarlas demasiadamente es affligir y atormentar à las almas temerosas, y lleuarlas de escrupulos, y no se puede negar, sino que en esto ha andado muy bien Diana, aunque algunos poco doctos han venido à dezir que ha ensanchado las conciencias, y dar licencia para pecar, pues es cierto que no ensenia opinion que no sea probable per principia intrinseca, aut extrinseca, y assi sin razon le calumnian.] Hæc ille.

8. Verum placulum existimarem, si non apponerem hîc per extensum verba pij, & sapientissimi viri Ioan. Gersonis Cancellarij Parisiensis, *in lib.4.part.3. de vita spirit. l.O.* sic asserentis: Doctores Theologi non debent esse faciles ad asserendum aliquas actiones vel omissiones esse peccata mortalia. Imò nec venialia, præsertim sub verbo vniuersali; maximè cum obseruatio communis obnitatur, obuiárque vbi non sunt certissimi de re. Nam per huiusmodi assertiones voluntarias, rigidas, duras & nimis strictas in rebus vniuersis (id est in opinionibus) nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius demerguntur. Hinc etiam generantur scrupuli inquietatiui simplicium, vt eis sit solidum nihil. Nam si beatus est vir, qui semper est pauidus, & veretur peccata sua: obseruandum tamen est illud Terentianum, *ne quid nimis & ne in scirpo nodum quærant.* Demum quid prodest, imò quid non obest coarctare plus iusto mandatum Dei quòd est latum nimis? Quid igitur expedit amarius, grauiúsque reddere illud Christi iugum, quod suaue est & onus leue? nam & si contemptus ex hac laxatione, & dulcedine apud aliquos improbos maior oriatur, habentes velamen malitiæ libertatem: at apud alios benè institutos gratiarū resonabant actiones. Præstabitur etiam seduliùs seruitium Domino, cuius mandata grauia non sunt, quippe qui non vult nos tentari, & grauari supra id quod possumus. Hucvsque Ioan. Gerson: cuius verba verè aurea, vtinam aliqui in scribendo & consulendo obseruarent.

9. Et tandem claudam hanc resolutionem cum M Serra ex inclyta Religione Dominicana sapientissimo Theologo, qui in 2.2. *D.Th.tom.2. epist. ad Lectorem*, sic ait: Quia ad doctrinam moralem plurimū refert scire eius auctores etiam iuniores, ideò nonnullorum nomina cum eorum sententiis hic commemorare mihi valdè expediens visum est, *Benigniores præterea opiniones, aut amplector, aut earum probabilitatem non reijcio, ne plurimis claudam cœlum, sed omnibus viam Domini facilioré demonstrem.* Ita Serra, ergo qui docet opiniones benignas, dummodo sint probabiles non laxat (vt vult Ghetius) habenas conscientiæ, sed vt dicit Serra, viam Domini suauem reddit.

RESOL.

RESOL. C.

An saltem Parochus in die Natiuitatis Domini teneatur tres Missas celebrare?

Et an nullus alius Sacerdos in illa die teneatur tres Missas dicere?

Et notatur in nocte Natiuitatis Domini posse ante auroram Sacerdotes celebrare omnes tres Missas.

Etiamque cursim aduertitur, quod Religiosi, quibus ex priuilegio licèt vna hora ante diem celebrare, possunt duabus horis cum dimidia; imo & vno quadrante ante ortum solis celebrare. Ex part.4. tr.4. & Misc. Resol.236.

Alibi pro vtroque cõtento in hoc §. supra in Resol.64. §. Notandum, post mediũ vers. Deinde.

§. 1. DIxi *saltem Parochus*, quia, vt alibi probatum est, nullus Sacerdos in illa die tenetur tres Missas dicere; sed difficultas est quoad Parochum, & affirmatiuam sententiam docet Henriq. *in sum. lib.9. cap.30. n.6.* vbi affirmat, Parochum teneri tres Missas dicere eo die.

2. Verùm contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docet Bellettus *in §. is qui Cler. part.2. §.28. n.2.* Quia sicuti Parochiani eo die non tenentur, nisi vnum Sacrum audire, nec Parochi plura dicere, secluso scandalo, & contemptu. Deinde Ecclesia concedit ex priuilegio tres offerre Missas in die Natalis Domini; ergo nemo tenebitur ex obligatione illas celebrare.

Sup. hoc in duabus præcedentibus Resol.

3. Notandum est tamen hîc obiter contra dictum Bellettum *loco citato*, & alios, in nocte Natiuitatis Domini posse ante Auroram Sacerdotes celebrare omnes tres Missas, & ita præter Doctores quos *in tract. de celebrat. Missarum* citaui, docet nouissimè Guilielmus Mercerus *de Sacram. in 3. part. D. Thomæ q.83. art.2. propos.3. n.1.* Gaspar Hurtado *de Sacram. disp.4. de sacrific. Missæ, difficult.4.* Puteanus *in 3. part. D. Thom. q.83. art.2.* quia *in canone, nocte sancta, de consecr. dist.1.* absolutè; & sine vlla distinctione id concedit; quòd verò in Rubrica Missalis tria tempora diuersa assignentur pro tribus Missis, non obstat, quia id tantùm efficitur pro Missis solemnibus.

Sup. hoc magis latè etiã quoad tempus in Resol. seq. §. ex his: & in aliis eius primæ annot.

4. Nota etiam secundò, quòd Religiosis, quibus ex priuilegio licet vna hora ante diem celebrare, possunt duobus horis, & dimidia, imò & vno quadrante ante ortum Solis celebrare. Ita Hurtado *vbi sup.* & ego alibi.

RESOL. CI.

Sacerdos in qua hora possit incipere Missam?

Et infertur Religiosos, quibus ex priuilegio concessum est per horam ante diem celebrare, posse etiam per tres horas ante ortum solis Missas dicere.

Et quæritur etiam an Regulares possint illico post Matutinum, aut post duas horas media noctis celebrare ex priuilegiis.

Et an pro infirmo communicando liceat celebrare etiam media nocte? Ex p.2. tr.14. Resol.33.

Sup. hoc infra in tr.2. Resol.47. ex doctrina §.1. ad medium.

§.1. REspondeo quoad inceptionem licitum esse incipere Missam in ipso initio Auroræ, sic sentiunt communiter DD. qui conueniunt nomine Auroræ intelligi crepusculum diei, vel primam Solis irradiationem; neque hoc debet consistere in indiuisibili, sed Missa potest celebrari, quando iam est proxima talis irradiatio.

Pro omni contento in hoc §. Ita-

2. Itaque prima opinio est Reginaldi *in praxi tom.1. lib.29. cap.9. num.173.* qui asserit per quadrantem horæ licitum esse celebrare ante primam Solis irradiationem. Secunda opinio est Homoboni *in exam. Eccles. part.1. tract.4. cap.14. q.136.* Henriquez *lib.9. cap.24. n.5.* Ægidij de Coninch. *in 3. part. q.83. art.2. dub.4. n.217.* vbi ait, Initium diei, quo Missæ possunt incipi, est initium Auroræ, aut circa illud semihora, aut circiter, ante ortum Solis. Tertia opinio est Azor. *part.1. lib.10. cap.25. q.5.* Scottiæ *de sacr. Miss. lib.1. cap.15. n.8.* qui nomine Auroræ, intelligunt spatium vnius horæ cum quadrante ante radios solares manifestos. Quarta opinio probabilior est, Ioan. de la Cruz *vbi infrà concl.2.* Peregrini *in compend. nostrorum priuileg. part.1. tit. Missa.* Suarez *in 3. part. tom.3. disp.80. sect.4.* Ant. Fernandez *in exam. Theol. mor. part.3. cap.5. §.14. n.3.* Posseuini *de off. Curati, cap.8. n.28.* & aliorum asserentium omnes Sacerdotes posse celebrare per horam cum dimidia ante Solis ortum. Imò aliqui addunt posse anteuerti dictum tempus, vt Missa finiatur hora & dimidia ingrediente ante Solis radios manifestos, quod est asserere, posse Missam incipi duabus horis ante Solis radios apertos. Quam sententiam sequutus est etiam Rodriguez *in sum. part.1. cap.47. n.1.* & Fernandez *vbi suprà*, & Paludanus & Victoria cum Pitigiano, *in 4. tom.1. dist.13. quæst.2. art.4.*

3. Ex his inferunt Suarez & alij, Religiosos quibus ex priuilegio concessum est per horam ante diem celebrare, posse etiam per tres horas ante ortum Solis Missas dicere, quicquid in contrarium asserat Layman *lib.4. tract.5. cap.4. n.3.* & Vasquez *in 3. tom. disp.233. cap.3. n.27.* vbi asserit posse tantùm per duas & dimidiam horam, non autem per tres horas. Sed plus ego addam cum Ioan. de la Cruz *in direct. to. p.2. de sacr. Miss. q.2. dub.1. concl.3. in fin.* posse illico post matutinum, aut post duas horas mediæ noctis Missas celebrari ex priuilegiis.

4. Non reticeam Henriq. *lib.9. c.24. n.5.* facultatem concedere Sacerdoti celebrandi ante Auroram ob honestam causam, vt, v.g. commodè iter suum perficiat. Sed hoc non admittit Layman *vbi supra*, est enim contra canonem, & consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ. An autem pro infirmo communicando liceat celebrare etiam media nocte, negat Henriq. *vbi suprà*, sed tu contrarium tene cum Victoria, *de Euchar. n.95.* & Layman *loco cit.* & aliis.

RESOL. CII.

An Regulares, qui inter se habent communicationem priuilegiorum, possint, translata media nocte pro duas horas celebrare Missam?

Et difficultas est, an Regulares hodie possint vti priuilegio concesso ab Alexandro VI. super hoc vel sit reuocatum per Concilium Tridentinum, & Bullam Pij V? Ex p.10. tr.12. & Misc.2. Resol.25.

§.1. AFfirmatiuè respondent ex priuilegio Alexandri V I. Martinus de San Ioseph. *in Monit. Confess. tom.1. lib.1. tract.14. de Euchar. num.14.* Ludouicus Caspensis, *in Cur. Theol. tom.2. tract.23. disp.3. sect.2. num.60.* Dicastillus *de Sacram. to. tr.5. disput.4. dub.4. num.19.* Leandrus, *de Sacram. tom.2. tract.8. disp.6. quæst.4.* & Cardinalis de Lugo *de Euchar. disp.20. sect.1. num.27. & 30.* vbi sic ait: Maior est facultas, qua ex concessionibus Alexandri VI. relati ab Emanuele Rodriguez, *in Bullario Regularium, Bulla 13.* Alexander VI. possunt Monachi Benedictini facere sacrum duabus horis post mediam noctem; quod licet concessum fuerit soli Conuentui de Monteserrato, posteà tamen Clemens VIII. in Bulla 22. relata vbi suprà, extendit facultates illius

illius Conuentus ad totam Congregationem. Et quidem, licèt in aliis Monasteriis non militet eadem ratio, propter quam illud priuilegium concessũ fuit tali Ecclesiæ; adhuc videtur concessum omnibus, quia Benedictini per communicationem participant priuilegia familiæ Cistercienſium Hiſpaniæ ex Conceſſione Clementis VIII. & Ciſtercienſes illi participant priuilegia Ordinis S. Hieronymi ex conceſſione Gregorij XIV. Huic autem Ordini Pius IV. conceſſit, vt priuilegia extenderentur ab vno Conuentu ad alios omnes, etiam non exiſtente in illis eadem cauſa: quare de primo ad vltimum, ij, qui participant priuilegia dictæ Congregationis Benedictinorũ, vidẽtur habere adhuc illud priuilegium. Ita Lugo. Verùm Tamburinus in dictis verbis, putat, Cardinalem de Lugo excludere Monaſterium à dicto priuilegio; ſic itaque aſſerit: *Opuſc. de Sacrif. Miſſæ, lib. 1. cap. 5. §. 4. n. 12.* Addit idem de Lugo non poſſe quempiam vti hac conceſſione niſi in Eccleſia vt habet priuilegium, non verò vt habet Rodriguez, in Monaſterio. Sed non deeſt pro Rodriguez defenſio, nam nomine Eccleſiæ veniunt etiam Religioſorum clauſtra, vt ex Sacris teſtibus, & Gloſſa, notat Laurentius de Peyrinis. Vtrumque igitur eſt probabile. Ita Tamburianus; cuius ſententiæ, licèt ego adhæream, tamen puto contra ipſum Cardinalem Lugo à priuilegio ſuprà dicto non velle monaſteria excludere; quod patet, ſi attentè legatur Martinus de San Ioſeph *vbi ſuprà*, nam citando, & ſequendo verba Cardin. Lugo *in dicto* priuilegio Alexandri VI. non ſolùm includit Eccleſias Regularium, ſed etiam eorum Monaſteria. Et ideò Hieronym. Garcias *in Summa Morali tr. 3. diſſ. 4. dub. 1. punct. 2. n. 15.* rectè ſic obſeruat [Parece que eſte Autor (loquitur de Cardinali Lugo, *vbi ſup.*) hable de los Monges, quando dizen Miſſa fuera de ſu Monaſterio, en cuyo caſo, no podrian vſar del, y no habla de otros Monaſterios, y de otros Religioſos, que participan.] Ita ille. Vide etiam Villalobos *in Summa tom. 1. tract. 8. diffic. 22. n. 10.*

Sto. hoc infrà Reſol. 102. §. Non eſt, & in Reſol. 110. §. cuiſum in fine, & §. ſeq.

2. Sed quicquid ſit de hoc, difficultas eſt an Regulares hodie poſſint vti dicto priuilegio, & negatiuè reſpondet Garcias, *vbi ſuprà, n. 14.* putat enim dictum priuilegium, & ſi quæ ſunt ſimilia fuiſſe reuocata per Concilium Tridentinum, & Bullam Pij V. & citat pro hac ſententia Sorbum, Nauarrum, Azorium, Salzedum, Rodriguez, Fagundez, Marcum de los Huertos, Peyrinum, Lezanam, & Aſcanium Tamburinum; quibus addè Perſicum *de Officio Sacerdot. lib. 1. cap. 5. dub. 18. num. 149.*

3. Verùm ego non recedo à ſententia negatiua, quam olim docui, & quam me citato docet Martinus de San Ioſeph *vbi ſuprà*; cui addè Cardinalem de Lugo *n. 28.* Dicaſtillum, *num. 68.* Thomam Tamburinum, *n. 14.* Ludouicum de San Iuan, *in Summa, quæſt. 12. de Sacram. Euchar. art. 3. dub. 1.* Ludou. Caſpenſem *in Cur. Theol. tom. 2. tr. 23. diſp. 3. ſect. 2. n. 60.* Ad Concilium Tridentinum, & ad Bullam Pij V. in quibus ſe fundat Garcias, & alij. Reſpondeo, Tridentinum non reuocare priuilegia, ſed tantum velle Ordinarios curare, ne Miſſæ celebrentur horis indebitis; non celebrantur autem horis indebitis Miſſæ, quæ celebrantur tempore, quo ex facultate Superioris licet; nec ex illa generali loquutione cenſentur reuocata priuilegia Religioſorum; id quod etiam aduertit Rodriguez *in Summa, cap. 245. n. 1. & in Q. Q. Regular. q. 43. n. 5.* Additque huius ſententiæ fuiſſe viros doctos, quibuſcum rem hanc communicauit. Dicendum eſt itaque, hodie poſſe Regulares, ſtante dicto priuilegio Alexandri VI. dicere Miſſas in ſuis Eccleſiis, & Monaſteriis, duabus horis poſt mediam noctem.

RESOL. CIII.

Dato, & non conceſſo dictum priuilegium Alexand VI. fuiſſe reuocatum à Concilio Tridentino, an hodie Regulares poſſint ſaltem ex priuilegio Pij V. conceſſam poſt Tridentinum celebrare tribus horis ante hortum ſolis?

Et quid poſt meridiem, an inquam, etiam infra duas horas poſt meridiem; imò vſque ad tres horas celebrare poſſint?

Et notatur non ſolum Sacerdotem Regularem, ſed etiã quoſcumque poſſe ſtatim & illico poſt mediam noctem celebrare ad dandum Viaticum ægroto extremè laboranti; & ſi ſint ieiuni poſſint ad tres horas poſt meridiem celebrare ad dandum Viaticum ægroto moribundo.

Et an in his caſibus ſit neceſſaria licentia Epiſcopi, ſi adſit?

Et notatur non eſſe peccatum mortale celebrare Miſſam vſque ad horam nonam. Ex part. 10. tractat. 12. & Miſc. 2. Reſ. 26.

§. 1. NEgatiuam ſententiam mordicus tenet nouiſſimè doctus Pater Hieronymus Garcias *in Summa Morali, tract. 3. difficult. 8. dub. 1. punct. 2. num. 17.* cuius verba hic per extenſum apponam; ſic itaque aſſerit: [La duda ſolo eſtà en la inteligencia deſtos priuilegios, ſi ſe ha de tomar de mas à mas el tiempo que ellos dan, de lo que arriba puſimos por derecho comun, ò ſolo como ſuena la letras dellos: Suarez, *ſect. 4. citata, §. tertia exceptio.* Rodriguez, *tom. 1. Q. Q. Regul. quæſt. 42. artic. 2.* Mirand. *tom. 1. quæſt. 40. art. 10. concl. 2.* Tamburinus, *quæſt. 7. citata, num. 4.* Diana, *part. 2. de celebrat. Miſſar. tract. 14. reſolut. 33.* Gauant. *part. 1. tit. 15. num. 1.* pretenden, que los priuilegios han de obrar ſobre todo el tiempo ſeñalado arriba en el punto paſſado, porque de razon del priuilegio, es que obre ſobre el derecho comun, y ſino obraſe de mas à mas todo lo que concede, no ſeria de prouecho, loqual no ſe ha de dezir, porque lo contrario eſtà expreſſado *cap. Si Papa de Priuil. in 6.* de ſuerte que dizen, que ſupueſto que de derecho comun en la opinion muy probable, y ſegura que hemos pueſto arriua, ſe puede dezir dos horas antes de ſalir el Sol, que dando el priuilegio vna hora, ſe podra dezir tres horas antes de ſalir el Sol: porque ay en el Verano hora y media de crepuſculo, ò aurora, y media antes que ſe pueda dezir Miſſa, ſegun lo determinamos en el punto paſſado, ſon dos horas, y vna que añade el priuilegio, vienen à ſer tres horas. Pero eſta opinion eſplicada con eſta latitud, no la tengo por ſegura, ni aiuſtada à la mente de los Pontifices, que concedieron los priuilegios, y aſſi reſpondo, y digo con Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 25. quæſtione 3.* Fagundez *cap. 17. num. 4. & 5.* Vaſquez *cap. 1. num. 27.* Bauny, *quæſt. 7. & 13. citatis*, que en el preſente caſo los priuilegios tantùm valent, quantum ſonant, y que los Pontifices ſe fundan, no en la opinion probable de los Theologos, que alargan media hora à la aurora; ni en caſos extraordinarios, que occurre neceſſitad; ſino en lo que tiene vez de derecho comun, que es la regla del Miſſal, laqual dize, que ſe celebre Miſſa ab aurora vſque ad meridiem, y aſſi todo lo que paſſeren deſto los priuilegios, eſſe han de obrar, y no mas, y de lo demas ſe ſigue grande inconueniente, como ſe vè en eſte caſo: en Verano amanece, y rompe el crepuſculo, ò alba à las tres, y vn quarto; en nueſtra opinion ſe puede comenc ir media hora antes del crepuſculo, que ſeria à las dos, y tres quartos, ſi à eſſo añadieſſemos vna

Quæ eſt Reſol. 1. poſt præteritam, in §. Ex his, & ſupra in Reſ. 100. §. vlt. & infrà in tractat. 2. Reſ. 47. §. vltim. prope finem, à verſ. Vnde. & in tom. 9. tr. 7. Reſ. 49. § Et ſi noſtra priuilegia.

vna hora de priuilegio, vendria à ser à la vna, y tres quartos; esté excesso eo realidad de verdad qué seria contra las reglas del Missal, contra la mente de los Pontifices, y contra la praxis, y costumbre de la Iglesia, y se escandalizaria quien lo viesse; luego los priuilegios no se han de estender tanto, sino solo lo que añaden desde la aurora, y desde medio dia.] Ita ille.

2. Sed in his non obstantibus, Ego non recedo à sententia, quam docui & præter Doctores vbi suprà adductos à Garcia, docet nouissimè me citato Pater Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 6. q. 3.* Idem docet, me citato, doctissimus P. Dicastillus *de Sacrament. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 4. n. 55.* vbi sic asserit: Addunt multi apud Dianam citandum, ita intelligendum esse hoc præceptum, vt Missa finiatur sub principium auroræ, seu crepusculi; ita vt possit inchoari media hora ante crepusculum. Potest igitur Missa iuxta hanc doctrinam inchoari per duas ferè horas ante ortum Solis, aut etiam integras, quia parum pro nihilo reputatur. Vnde Religiosi, qui gaudent priuilegio celebrandi vna hora ante diem, possunt per tres horas ante ortum Solis absque alio priuilegio Missam inchoare. Legatur Diana *2. part. tract. 14. resol. 33.* & Lugo citandus, qui rectè ad hominem impugnat Vasquium; quòd sicut in meridie, non obstante, quòd talis terminus assignetur, putat esse accipiendum tempus moraliter, etiamsi sit aliquanto post meridiem; ita à parte ante moraliter sit accipiendum. Ita Dicastillus; cui adde Thomam Tamburinum *Opusc. de Sacrificio Missæ, lib. 1. c. 6. §. 4. n. 5.* Tannerum, *tom. 4. disp. 5. quæst. 10. dub. 4. n. 63.* Hieronymum Rodriguez *in Compen. Q. Q. Regular. ref. 25. num. 1.* & me citato Quintanad. *in Instruct. ordin. p. 5. §. 10. num. 1.* & me citato, Pellizarium *in Man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 2. subiect. 1. n. 97.* vbi sic ait: Quæres quo tempore, & qua hora possint Regulares celebrare Missam. Respondeo, quòd licèt iure communi non possit celebrari Missa, neque ante auroræ, neque post meridiem, nisi in casu raro, ac existente rationabili causa; vt tradunt communiter Doctores apud Layman, *lib. 5. tract. 5. cap. 4.* & suadet vniuersalis consuetudo Ecclesiæ: Regulares tamen, ex priuilegio Bullato Gregorij XIII. concesso Patribus Societatis IESU, cum licentia proprij Prælati possunt celebrare vna hora ante auroram, & vna hora post meridiem; adeoque possunt inchoare Missam tribus horis ante Solis ascensum, & infra duas horas post meridiem. Ita Suarez *disp. 80. sect. 4.* & probatur ex eo, quòd cùm priuilegium debeat operari aliquid vltra ius commune; priuilegium istud, concedens facultatem celebrandi vna hora ante auroram, & vna post meridiem, debet intelligi, vt concedat facultatem celebrandi vna hora ante, aut post tempus illud, quo iure communi licitum est celebrare: vnde fit, quòd cùm etiam sine priuilegio liceat celebrare duabus horis ante ascensum Solis, & infrà horam post meridiem; vi priuilegij licebit celebrare tribus horis ante auroram, & infra duas post meridiem, imò & vsque ad tres horas iuxta Dianam *part. 2. tract. 14. resol. 34.* pro se citantem Ioann. de la Cruz. Hucusque Pellizarius. Vide etiam Trullench *de Sacram. lib. 3. cap. 8. dub. 13. n. 7.* Vnde satis probabilem & tutam in praxi puto sententiam affirmatiuam, quam olim docui, & ante me, & post me tot viri sapientissimi docuerunt.

3. Nota hic obiter, non solùm Sacerdotes Regulares, sed etiam quoscunque posse statim, & illicò post mediam noctem celebrare ad dandum Viaticum ægroto extremè laboranti. Ita me citato, tenet Dicastillus *vbi suprà, n. 73.* per benignam legis interpretationem, quæ in isto casu non videtur obligare. Idem, me citato, tenet etiam Leandrus *vbi supra, q. 5.* & me citato, Cardinalis de Lugo *de Euchar. disp. 20. sect. 1. num. 26.* & plures alij: quicquid in contrarium nominatim contrà me asserat doctus, & amicissimus Garcias *vbi suprà, punct. 1. n. 3. in fine*, cui adde Trullench *de Sacrament. lib. 3. cap. 8. dub. 23. n. 2.* qui hoc tantùm concedit post vnam horam transactam mediæ noctis: Sed tu ne discedas à nostra sententia, quam etiam tenet Caspensis, *in Cur. Theolog. tom. 2. tract. 23. disp. 3. sect. 2. n. 63.* Martinus de San Ioseph *in summ. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 14. de Euchar. n. 13.* & Auersa *de Sacram. Euchar. q. 11. sect. 15.* qui etiam notat cum Vasquez ad dandum Viaticum infirmo periclitanti, posse Sacerdotem ieiunum celebrare ad tres horas post meridiem; quod etiam docet Caspensis *vbi supra*, Castrus Palaus *tom. 4. disp. 22. punct. 7. num. 14.* & Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 6. quæst. 11.* An vero in his casibus sit necessaria licentia Episcopi, si adest; aliqui affirmant; ego verò puto non requiri cum Ioanne Præposito *in 3. part. D. Thomæ, quæst. 83. art. 2. dub. 4. n. 240.*

4. Et tandem nota Tannerum *tom. 4. disp. 5. q. 10. dub. 4. n. 61.* admittere tanquam probabilem opinionem Nauarri, & aliorum asserentium non esse peccatum mortale celebrare Missam vsque ad horam nonam; sed hoc mihi displicet, vt alibi probauit.

Sup. hoc in Resol. not. seq. §. 1. per totum, & infrà prope finem Resol. 107. vers. & adducit, &c.

Quæ hic est Resol. 1. post præteritam.

Quæ nunc hanc sequetur, in eius §. vlt. & infra in Resol. 108. §. Nota. & in Resol. 109. & 110.

Sup. hoc in Resol. 1. post præteritam, cursim in fine, & infra in Resol. 133.

RESOL. CIV.

Sacerdos in qua hora possit finire Missam?
Et notatur cursim Sacerdotem Festo die ratione itineris impeditum posse Missam incipere vna hora post meridiem.
Etiamque docetur, quod Religiosi ex suis priuilegiis possunt celebrare vsque ad Nonam inclusiuè, id est vsque ad tres horas post meridiem. Ex part. 2. tr. 14. Resol. 34.

§. 1. REspondeo, vsque ad meridiem inclusiuè. Verum est, quod Ioan. Andreas *cap. 1. de celebr. Miss.* Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 5. §. 14. n. 1.* & Vasquez *in 3. p. tom. 3. disp. 232. c. 4. n. 37.* asserunt posse incipi Missam non multo post transactum meridiem, neque enim res hæc, quæ moralis est, ita mathematicè considerari debet: sed licèt hoc asserant, non assignant tamen tempus.

2. Ego verò multas opiniones circa tale tempus inuenio. Prima est Azorij *p. 1. lib. 10. cap. 25. q. 6.* qui asserit tertiam horæ partem sufficere, vt Sacerdos dicatur mortaliter peccare, differendo Missæ celebrationem post meridiem. Secunda opinio est Layman *lib. 4. tr. 5. c. 4. n. 4.* & Homoboni *in exam. Eccl. part. 1. tr. 4. c. 14. q. 114.* asserentium tale tempus esse medium horam. Tertia opinio est Martini Bonacinæ *de Sacram. disp. 4. q. vlt. punct. 9. num. 6.* qui asserit spatium trium quadrantium sufficere ad peccatum mortale. Quarta opinio est doctissimi Syluij *in 3. p. q. 83. art. 2.* asserentis Sacerdotem posse celebrare post meridiem, dummodò non attingat spatium vnius horæ.

3. Religiosi verò ex suis priuilegiis, vt notat Ioan. de la Cruz *in direct. conse. p. 2. de sacr. Miss. q. 1. dub. 1. concl. 4.* possunt celebrare vsque ad Nonam inclusiuè, id est, vsque ad tres horas post meridiem. Notandum est etiam cum Henriquez, Miranda, Suarez, & aliis, quos citat & sequitur Layman *vbi sup.* Sacerdotem festo die ratione itineris impeditum, posse Missam incipere vna hora post meridiem.

RESOL.

RESOL. CV.

An Sacerdos, paulo post meridiem possit Missam dicere? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Resl. 105.

Sup. hoc in Resl. præcedenti, & in aliis eius primæ annot.

§. 1. TEmpus legitimum celebrandi est antemeridianum, ita vt ante meridiem inchoari debeat Sacrum, & sic negatiuè quidam respondit in casu contingenti ad dubium præsentis resolutionis.

2. Verùm ego contrarium docui, per ea quæ adducit Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thom. q. 83. art. 2. dub. 4. n. 143.* vbi sic ait: Plures recentiores notant nos non debere esse magnopere anxios de meridie, sed paulo post meridiem posse Sacrum celebrari, quia res hæc moralis, quæ non est lege determinata, non definitur termino indiuisibili ex ipsamet consuetudine, & parum reputatur pro nihilo. Sic ille.

RESOL. CVI.

An quis licitè possit dicere Missam vsque ad primam horam post meridiem?

Et non est dubitandum, quod ratione itineris possit Missa celebrari ad primam horam post meridiem; & in solemni Festo quando officium finitur ad horam secundam, in ea possit Missa inchoari, vt populus, vel pars populi audiat in illa hora Missam. Ex part. 5. tract. 13. Resl. 7.

Sup. hoc in Resol. Ioninbus, & §§. positis in annot. vlt. huius Resl.

§. 1. DIcam quid sentiat Philippus de la Cruz *en su Norte de Confessores, tr. 10. §. 3. corol. 2. fol. mihi* 161. vbi sic ait. [Hasta medio dia, que son las doze se puede dezir Missa sin opinion. Lo que haze dificultad es saber si se puede dezir Missa despues de ellas, y no comprehendemos los Obispos, Patriarcas, Arçobispos que pueden dezir Missa antes de amanecer, y despues de medio dia, y dar licencia para dezilla a esta hora, y antes que amanezca, y de noche por alguna causa ò necessidad, segun lo tiene Paludano, y san Antonio, y lo que por epiqueya sin licencia del Obispo interueniendo alguna necessitad celebran en los dichos tiempos, como lo resuelue Nauarro: No hablamos tampoco de quando ay alguna fiesta principal, y se acaba el Officio à la dos, se puede dezir Missa, porque no quede el pueblo, ò parte del sin oyrla. O quando alguna camina que podra llegando cerca de la vna dezir Missa, como no sea despues, segun lo tiene Manuel Rodriguez. Supuesto lo dicho podrasse dezir Missa dadas las doze, hasta la vna sin exceder mas. Assi lo vemos puesto en vso, y que los Pontifices lo ven, y los Obispos aquien es de oficio les compete su dispensacion, no hablan sino que lo permiten, y puesto que no hemos de andar midiendo los tiempos, y no consistir in indiuisibles, y que los relojes no siempre andan vniformes, antes siempre sucede vnos andar media hora antes, ò despues de otros, y assi serà quedando el vltimo las doze, à la media hora despues del primero vendra à ser, que respeto del vltimo, aunque la Missa se diga à la vna, serà en orden al primero relojo las doze y media. Non obstante esta razon, sino por las antecedentes se puede dezir generalmente hasta la vna, y si de aqui se excedieSSe el Sacerdote pecaria mortalmente.] Hæc ille, qui magis amplè loquitur, quàm Ioannes Præpositus; quem citaui *in 4. p. tr. 4. resl. 105.* Sed contrariam sententiam docent communiter Doctores.

Sup hoc infra in Resol. 146. §. Supra dictum &c. Sup. hoc ipsa in fine Resl. 101. Sup. hoc in duabus Resl. præcedentibus, & in duabus sequ. & infra in Resl. 146. §. Ex his, & supra in Resol. 103. §. vlt. & in tom. 3. tr. 6. Resl. 66. §. 3. ad medium, vers. Et tamen. & in tom. 9. tr. 7. Resl. 49. §. De priuilegio. post medium vers. Imò.

RESOL. CVII.

An in prohibitione celebrandi post meridiem detur parvitas materiæ? Ex part. 5. tr. 5. Resl. 58.

Quæ hic est supra Resol. 104. & in multis aliis eius primæ not.

§. 1. HAnc quæstionem, me citato *in tract. de celebrat. Miss. resol. 34.* pertractat P. Lugo *de Sacram. Euchar. disp. 20. sect. 1. n. 37.* & dicit tempus prohibitionis ne celebretur post meridiem, non esse accipiendum mathematicè, sed moraliter. Vnde aliqui dicunt posse tertia parte horæ post meridiem inchoari Missam. Alij extendunt ad semihoram, alij ad tres ferè quadrantes, alij ad horam non integram. Verùm ipse Lugo non excusat ita celebrantes propter paruitatem materiæ, sed quia quod intra illum terminum fit, requera intra debitum terminum & tempus fit obligationis. Sed Bonacina *de Sacram. disp. 4. quæst. vlt. punct. 9. n. 9.* videtur supradictos excusare ratione paruitatis materiæ, ex exemplo quod adducit de laborantibus in diebus festiuis: sic enim asserit: Mihi via incedenti ad peccatum mortale videtur requiri spatium trium quadrantum, vel etiam horæ, sicut enim spatium horæ sufficit ad contrahendum mortale peccatum, quoties opera seruilia in die festo exercentur; ita si quis per horam post meridiem non perficiat Missam, non videtur à mortali excusandus præcisa iusta causa. Ita ille.

2. RESOL. LVIII. *pag. 158. in fine resol.* adde: Et idem videtur docere Fagund. *pr. 1. lib. 3. c. 18. n. 6.* vbi videtur agnoscere paruitatem materiæ ex parte temporis in celebratione Missæ; nam postquam dixit esse peccatum mortale notabiliter ante auroram sacrificare, subdit. Videndum nunc est, quænam sit ista notabilitas, vt inde mortale, vel non mortale colligamus. Et adducit Azorium *tom. 1. lib. 10. c. 25. q. 6.* dicentem, tertiam partem horæ esse tempus notabile ante lucem, & sufficere ad peccatum mortale. Et Henriq. *lib. 9 c. 14. n. 5. in fine*, dicentem dimidium horæ ante lucem sufficere ad peccatum mortale, quam sententiam ipse Fagundez sequitur, vnde videtur indicare minus spatium temporis sufficere ad peccatum veniale, non ad mortale. Sed circa præsentem quæstionem ne deseras videre vbi suprà Lugum inter Theologos nostri temporis nemini secundum.

Sup. hoc supra in Resl. 101. §. 1 & 2. & in Resol. 103. §. Sed his ad lin. 7. & in tom. 9. tr. 7. Resl 49. §. Etenim, & seqq.

RESOL. CVIII.

An possit Sacerdos incipere Missam vna hora integrâ post meridiem sine priuilegio, & causa?

Et notatur posse aliquando differri Missam vsque ad horam Nonam, & primo hoc facere possunt Religiosi, non tamen absolutè, sed ratione itineris, vel ex alia iusta causa.

Secundo an in funere Regis, aut Principis possit Missa incipi ante meridiem, & protrahi vsque ad Vesperas, vel Nonam, vel quartam horam post meridiem: & quando Episcopus sacros celebrat Ordines, tunc enim licitum est incipere Missam post Vesperas, aut Nonam si actus Ordinis ante meridiem cœptus est, eademque ratio est in Sabbatho Sancto.

Tertio ratione itineris, aut alterius necessitatis, an possit inchoari Missa à quolibet Sacerdote vna hora post meridiem.

Et tandem quæritur, an si Sacerdos in casu sibi non concesso celebraret duas, vel tres horas post meridiē, & aliquis audiret talem Missam, an iste satisfaceret præcepto de audienda Missa in die festo?

Et quo quis potest deducere quoddam absurdum, sed dissoluitur, videlicet, an quis possit satisfacere præ-

cepto audiendi Missam pro die Dominica, si in ipsa Dominica audiret Missam, quæ in Capella Papali dicitur ante mediam noctem, quando dies Natalis Domini incidit in Feria II. Ex part. 10. tract. 12. & Misc. 2. Res. 22.

Sup. hoc quâuis non tam plenè, & absolutè, lege tamen, si placet doctrinâ quatuor præceptorum Res. & aliarum earum primarum annotationum.

§. 1. NEgatiuè respondet Tamburinus *Opusc. de Sacram. Missæ, lib. 1. cap. 6. §. 4. n. 22.* Opatonius *de sacram. tract. de Eucharist. disput. 1 q. 2. n. 2.* Franciscus de Nigro *in Addit. ad Ruyz part. 6. Animad. 2. q. 10.* Hieronymus Garcias *in summa tract. 3. diffic. 8. dub. 1. punct. 1. n. 12.* quod confirmatur ex priuilegio Gregorij XIII. quod adducit Amicus *in Cur. Theol. tom. 7. disp. 33. sect. 12. n. 329.* nempe, posse Patres Societatis per vnam horam incipere Missam post meridiem. Ergo sine priuilegio apparet hoc non esse licitum. Quod etiam confirmatur ex auctoritate Doctorum, quos citat, & sequitur Castrus Palaus *tom. 4. tract. 22. punct. 7. n. 14.* nempe, ex recepta consuetudine, posse vna hora post meridiem Missam inchoari, quando in die festo ratione itineris, aut alterius necessitatis inchoari non potuit. Ergo non erit licitum præter hos casus.

2. Verùm, his non obstantibus, affirmatiuam sententiam docet P. Leandrus *de sacram. tom. 2. tr. 8. disp. 6. q. 11.* vbi tenet, Missam posse incipi vna hora integra post meridiem: & testatur de communi vsu, & praxi Clericorum. Et ideò Martinus de San Ioseph *in monit. Confessar. tom. 1. lib. 1. tract. 14. Euchar. tom. 13.* sic ait: [Y aun sin priuilegio, ni causa alguna, me parece que podran dezir Missa qualesquiera Sacerdotes à la vna del dia, porque assi està puesto en costombre, que ha preualecido contra la ley: y en Madrid he oydo tañer en Missa despues de la vna y media del dia.] Ita ille.

3. Nota tamen, posse aliquando differri Missam vsque ad horam nonam. Et primò hoc facere possunt Religiosi ex priuilegio, non tamen absolutè, sed ratione itineris, vel ex alia iusta causa, vt docet me citato, Dicastillus *de sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 5. num. 84.* & me citato, Auersa *de sacram. Euchar. q. 11. sect. 5.* & alij. Secundò, in funere Regis, aut Principis potest Missa incipi ante meridiem, & protrahi vsque ad Vesperam, vel Nonam, Henriquez *lib. 9. c. 14. num. 6. litt. A.* dicit, ita practicatum fuisse Salmanticæ in funere Regum, & finitam Missam hora 4. post meridiem. Fagundez *præcept. 1. lib. 3. c. 17. n. 19.* Quid id ipsum dicendum putat, quando Episcopus Sacros celebrat Ordines, tunc enim licitum est incipere Missam post Vesperas, aut Nonam, si actus Ordinationis ante meridiem cœptus est; & ob eandem rationem poterit in Sabbatho Sancto incipi longè post meridiem Missa ob longum officium Ecclesiasticum, vt docent ipsi Doctores cum Nauarro *de orat. noct. 3. n. 244.* Tertiò, certum est ex Suar. Rodriguez, & aliis, vt notat Dicastillus *vbi supra n. 76. & 82.* posse vna hora post Meridiem Missam inchoari à quolibet Sacerdote, quando in die Festo ratione itineris, aut alterius necessitatis inchoari non potuit, & hoc ex recepta consuetudine, vt cum aliis obseruat Castrus Palaus *tom. 4. tract. 22. punct. 7. n. 4.*

Sup. hoc supra in Resol. 103. §. Sed his in fine, & cursim in Res. 104. §. vlt. & magis latè infra in duabus Res. seqq.

Sup. hoc supra in Res. 104. cursim in fine, & in Resol. 106. etiam breuiter ad medium, & infra in Resol. 146. §. Supra dictam, in fine.

4. Sed difficultas est, an Sacerdos in casu non sibi permisso celebraret Missam duas, vel tres horas post meridiem, & aliquis audiret talem Missam, iste satisfaceret præcepto? & negatiuè videtur respondere Pasqualigus, decis. 311. *num.* 8. quia præceptum audiendi Missam videtur subordinatum præcepto non celebrandi transacta tali hora diei: atque adeò videtur obligare ad audiendam Missam intra illud tempus, intra quod de iure communi potest celebrari, atque adeò nisi audiatur, non satisfacit præcepto. Verùm illum impugnat Leandrus *de Præcepto Eccles. tract. 2. disp. 1. q. 26.* quia præceptum sanctificandi Festa, quod includit abstinentiam ab opere seruili; & auditionem Missæ incipit à media nocte, & desinit in mediam noctem: Ergo, qui quacumque hora harum viginti quatuor audierit Missam, dummodo pro illa die dicatur, præcepto illius satisfacier. Nec obstat, quod præceptum audiendi Missam coarctetur ad tempus præscriptum à iure communi pro celebratione. Vnde dicendum esset, quod si aliquis induceret Sacerdotem ad dicendam Missam duas, vel tres horas post meridiem; peccaret vtique, sed satisfaceret præcepto audiendi Sacrum. At quicquid sit de hoc certum est, quod qui extra tempus præscriptum à iure audiret Missam, quæ diceretur vel consuetudine, vel ex dispensatione, aut priuilegio, certum est, inquam, quod is satisfaceret obligationi audiendi Missam.

5. Nec supradictis obstat, quod ex sententia Leandri sequeretur, quemlibet satisfacere præcepto audiendi Missam, si in die Dominica audiret Missam, quæ in Capella Papali dicitur ante mediam noctem, si Natiuitas Domini incideret Feria secunda: Sed hoc dicere videtur absurdum: Ergo. Respondeo enim, audientem talem Missam non satisfacere præcepto: Primò, quia, vt docet Cardinalis Lugo *de Eucharist. disput. 15. sect. 3. num. 56.* & alij, illa Missa non dicitur in die Dominica, sed in die Feriæ secundæ Natiuitatis, quæ aliquantulum anticipatur à Papa pro illo loco. Sed cùm hæc opinio non placeat Patri Dicastillo, *vbi supra tract. 4. disp. 9. dub. 17. num. 404.* ideò ipse obseruat, intra diem solemnitatis Ecclesiasticæ non omnia munia, seu actiones, & functiones, quæ in tali die permittuntur, aut requiruntur quouis tempore, seu hora illius diei esse licita, aut permissa, sed aliqua in quibusdam horis, alia in aliis. Sic videmus Sacrum (excepto die Natiuitatis) non posse dici sine priuilegio tempore nocturno, sed tantùm sub aurora vsque ad meridiem, aut aliquanto pedi, plus minusve, iuxta varias sententias. Præterea, vt rectè notat Thom. Sanchez *Consiliorum Moralium lib. 7. cap. 2.* licet quoad contractus, & alia huiusmodi, dies incipiat à media nocte; tamen quantum attinet ad Officium Diuinum, & celebrandum Ecclesiasticas Solemnitates, incipiat dies à Vesperis. Pro qua sententia refert D. Thomam *Quolibet 5. art. 8. in corpore*, Caietanum *verb. Hora*, & alios Doctores. Nihilominus non omnes Horæ Canonicæ dici possunt post Vesperas, & Completorium, sed tantùm Matutinum, & Laudes; Prima verò, Tertia, Sexta, & Nona nonnisi saltem post mediam noctem, secluso speciali priuilegio. Atque hac ratione dicendum est de Missa, non posse dici post Vesperas, sed posteà sub Auroram; quia pro eo genere celebritatis est determinata quædam temporis latitudo: non quia nondum simus intra diem Festiuitatis Ecclesiasticæ, ita vt si per nefas diceretur Sacrum, non diceretur intra Festum, cùm iam simus in illo; sed quia intra ipsam diem non sumus in horis legitimis ad id faciendum. Vnde, si Pontifex dispenset, vt per aliquas horas ante quando anticipetur, vel postponatur Missa; non censetur dispensasse, vt dicatur extra diem, indulgendo vt possit prius, vel postea celebrari. Iuxta hanc ergo doctrinam dicendum est, Pontificem pro Sacello suo de quo agimus, dispensare, vt Sacrum celebretur ante mediam noctem pro solemnitate Natiuitatis; illud tamen Sacrum spectat ad diem Natiuitatis; non quia anticipetur dies Ecclesiastica festi Natiuitatis, quæ à Vesperis iam incepit; sed quia permittit, aut forte mandat, vt tale Sacrum dicatur ante horas solitas in aliis diebus: (hoc enim vbique gentium fit

Sup. hoc supra in Resol. 103. §. Sed his in fine, & cursim in Res. 104. §. vlt. & magis latè infra in duabus Res. seqq.

Sup. hoc supra in Res. 104. cursim in fine, & in Resol. 106. etiam breuiter ad medium, & infra in Resol. 146. §. Supra dictam, in fine.

illa

illa nocte celebrando ſtatim poſt mediam noctem) ſed etiam ante horam ſolitam in cæteris Eccleſiis pro illa nocte; &, vt hoc fiat diſpenſat in ieiunio ſeruari ſolito, vt poſſit Cardinalis celebrare. Hucuſque Dicaſtillo; Ex quibus patet reſponſio ad argumentum adductum contra doctrinam Leandri.

6. Negandum eſt enim, ſi Vigilia Natiuitatis venerit in Dominica, per illam Miſſam impleri præceptũ Miſſæ audiendæ in Dominica; tùm quia eo ipſo, quòd Pontifex illam Miſſam non computet pro Dominica; ſed pro ſequenti Feſtiuitate, cenſetur non approbare illam Miſſam pro præcepto Dominicæ; tùm quia eò ipſo, quòd Eccleſia determinat tempus intrà quod poſſint dici Miſſæ Dominicæ, vel Feſti colendi, cenſetur conſequenter velle, vt non in aliud tempus differatur Miſſæ auditio, præſertim ſi Miſſa alterius temporis non computetur in Eccleſia pro illa die, ſed pro die altera quæ in aliquibus horis communicat cum præcedenti quoad aliquas functiones, non verò quoad Miſſam. Dicendum eſt itaque cum *Patre Leandro*, aliquem adimplere præceptum audiendi Miſſam, ſi audiret Sacrum celebratum poſt duas, vel tres horas poſt meridiem: nam licèt Sacerdotes ſic celebrantes peccarent, Audientes tamen illam Miſſam ſatisfacerent præcepto.

RESOL. CIX.

An Regulares poſſint vigore priuilegiorum celebrare ex iuſta cauſa vſque ad Horam Nonam incluſiuè? Et in textu huius Reſolutionis aſſignantur aliqua cauſa iuſtæ pro hoc faciendo.

Sed quæritur, an dicta priuilegia per Concilium Tridentinum ſeſſ.22. ſint reuocata? Ex p.10.tr.15. & Miſc.5.Reſ.27.

Sup. hoc ſupra in Reſ. 103. §. Sed his. in fine, & in Reſol. 104. §. vlt. & in Reſ. 108. §. Nota tamen, & infra in Reſ. ſeq. in principio.

§.1. AFfirmatiuè reſpondet Tamburinus, *opuſc. de Sacrif. Miſſæ, lib.1.c.6.§.4.n.24.* ex conceſſione Eugenij IV. facta Congregationi Sanctæ Iuſtinæ, & poſtea *n.25.* ſubdit: Iuſtam autem cauſam iudico quodlibet impedimentum quo quis propter rationem alicuius momenti non poteſt antea Miſſam incipere. Dico (alicuius momenti) ſi quidem non ſufficit ſolum vt non commodius celebres, nec ex eo, quod tardius è lecto per ſegnitiem exſurrexeris, nec vt ſtipem cum eâ non indigeas lucrari valeas, &c. è contra ſufficiet, præter iter faciendum infirma valetudo quo tardius cogaris è lecto, vel è recto exire, ſtudium neceſſarium ad concionem vel ſimile, ſi poſt Miſſam illi ſtudio vacare non poſſis, negotium alicuius momenti, quod differri non poteſt, multitudo confeſſionum, ſi poſt Miſſam illis ſatisfacere non valeat, imò, & confeſſio incepta, quam ægrè differre pœnitens ferat, & eleemoſyna, qua ad victum indigeas, & his non abſimilia potius morali iudicio, quã certa regulâ definienda. Semper ergo præ oculis habendum erit; debere intercedere aliquam neceſſitatem, nec quidem maximam, cùm ſimus in priuilegiis, quæ in nullius ſunt præiudicio, nec verò modicam, cùm ſimus in re non leui. Ita ille.

2. Nota tamen, quod P. Lezana *in Summa tom.1. cap.21.n.2.* putat hodie non valere hoc priuilegium, quod etiam docet Panuinus *in priuileg. maxim. tom.1. Conſtit. vnica, Pij V.* §.7. *n.19.* & Naldus *ver. Miſſa num.30.* quia Pius reuocauit omnia priuilegia Regularibus ad id conceſſa, quam Conſtitutionem, refert Naldus *vbi ſuprà.*

3. Sed his non obſtantibus ego ſententiam Patris Tamburini ante ipſum docui, quam poſtea tenent me citato Cardinalis Lugo *de Sacram. Euchar. d.20. ſect.1.n.42.* & me citato Leandrus *de Sacram. Pœn.2. tract.8. diſp.6.q.10.* & me citato Martin. de S. Ioſeph. *in Mon. Confeſſ. tom.1. lib.1. tract.14. de Euchar. n.14.* quam iterum nunc magis explico & declaro.

4. Dico itaque ex dicto Priuilegio Eugenij IV. poſſe Regulares ratione itineris, & ex iuſta cauſa differre Miſſam vſque ad tres horas poſt meridiem, quod etiam non eſt vniuerſaliter verùm, ſed in æquinoctio, nam in ſolſtitio hyemali noua hora attingit ſolum ad ſecundam poſt meridiem cum quadrante; in ſolſtitio autem æſtiuo vſque ad horam tertiam poſt meridiem cum tribus quadrantibus.

5. Non eſſe verò reuocatum dictum priuilegium Eugenij IV. patet ex his, quæ docui alibi, & me citato docet Cardinalis Lugo, *vbi ſuprà, n.29.* qui loquens de quodam ſimili priuilegio ſic ait: Circa illud tamen dubitari poteſt. An ſit reuocatum per Concil. Trident. ſeſſ.22. ſecreto de cuitandis in celebratione Miſſæ. Nam Fagundez *vbi ſuprà, n.3.* cum aliis dicit eſſe reuocata ibi omnia eiuſmodi priuilegia, quia nimirum Concilium inter alia prohibet ne Sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent, & in fine addit, non obſtantibus priuilegiis, ac conſuetudinibus quibuſcunque. Ita Cardin. Lugo, & tandem pro hac ſententia alibi adduxi doctum Dicaſtillum *de Sacram. tom.1. tr.5. diſp.4. dub.4.n.68. qui n.70.* explicat Bullam Pij V. & *n.71.* hæc addit: mihi perſuadeo noſtrum Suarium grauioribus fortaſſe occupatum ſtudiis non legiſſe, aut non ſatis attentè prædictum motum proprium Pij V. quem ſi legiſſet, proculdubio non dixiſſet. Pius V. ſpeciali quodam motu proprio vetuit omnes nocturnas, vel matutinas Miſſas.

Alibi ſupra in Reſ.102. §. Sed quidquid. ſed lege eam per totam, ſicut etiam Reſ. 103. & infra ex Reſ. ſeq. §.1. in fine, & §. Sed hanc.

Alibi in Reſ. 2. not. præteritæ §. Sed his. ad lin.3. & in Reſ.3. §. Idem etiam.

RESOL. CX.

An Regulares poſſint dicere Miſſas vſque ad horam Nonam?

Et quid de alio priuilegio Leonis X. dicendi Miſſam ſtatim poſt mediam noctem? Ex part.11.tract.2. & Miſc.2. Reſ.2.

§.1. HOc dubium pertractat Brunus *part.2. tr.8. cap.1. propoſ.3.* & reſpondet affirmatiuè ex priuilegio ſpeciali, ac primò ex conceſſione Leonis X. in præcedenti propoſitione præcitata huius tenoris. Conceſſit vt de licentia ſuorum Superiorum poſſint celebrare poſt meridiem, præſertim diebus quando eſt de audienda Miſſa præceptum, & quando fratres debent ambulare, ſeu de via veniunt, & non poſſunt ante meridiem applicare ad locum, vbi commodè poſſunt Miſſam audire, vel honeſtè celebrare. Secundò, ex conceſſione Sixti IV. facta etiam Minoribus, quam refert Chriſtoph. *à cap. font. poſt Collectorem priuileg. Mendic. in ſuo compend. priuileg. verb. celebratio Diuinorum* §.6. his verbis; conceſſit quod Fratres Minoris obſeruantiæ Sacerdotes, poſſint cauſa neceſſitatis poſt horam ſtatutam ab Eccleſia celebrare: verum cum hæc duæ conceſſiones in aliquo deficiant; Primò, in hoc, quod tempus non determinat, ſed indeterminatum relinquit, nec quidquam Regularibus concedit; niſi cum licentia Superiorum; Secundò, quod etiam tempus non determinet, cum inter Doctores ſit diuerſitas opinionum, quod tempus ſit ſtatutum ab Eccleſia ad Miſſas legitimè celebrandas, ſitque limitata per caſum neceſſitatis; ea propter ad alias conceſſiones procedendum eſt. Probatur ergo tertiò ex conceſſione Innocentij VIII. relata ab eodem Chriſtoph. *poſt collect. priuileg. Mendic. in citatis compend. & verbo* §.7. & 9. Conceſſit Fratribus Ordinis Prædicatorum Congregationis Hiſpaniæ reformatis, quod poſſint celebrare Miſſam per horam poſt meridiem,

Sup. hoc ſed minus ample ſupra in Reſ.103. §. Sed his. curſim in fine, & in Reſol. 104. §. vlt. & & in Reſol. 108 §. Nota. & in Reſol. 109.

præsertim quando prædicatur in Conuentibus, vel sunt solemnia officia. Sed cum hæc concessio partim sit priuilegium, videlicet in eo, quod dat facultatem dicendi Missam hora post meridiem, partim non, cum secundus casus exprimat in quibus de iure licet sine priuilegio celebrare, vt tradit citatus Roder. idcò aliam ampliorem sine vlla limitatione adducemus ex Eugenio IV. registratam *in dicto compend. priuileg. Mendic. verbo Missa quoad tempus* 1. *his plane verbis:* Concessit quod Fratres Minores possint celebrare Missam vsque ad horam nonam post meridiem sine scrupulo conscientiæ: Omitto eamdem concessionem factam Cœlestinis itinerantibus à quodam Eugenio, relatam à Ioan. de la Cruz *de statu Relig. l.*2. *cap.*5. *dub.... concl.*2. cum illa proximè posita Eugenij IV. sit amplior, tum ex eo, quod non terminat tempus ad Nonam, cum hac dictione, *exclusiuè*, tum etiam ex eo, quod ad omnes Regulares Sacerdotes extenditur, hæc autem ad solos itinerantes. Quod si obijcias Trident. *sess.*22. *cap.*1. Respondebimus vt supra in proximè præcedenti propositione, videlicet non reuocare hoc priuilegium.

Sup. hoc, & contento in tribus seqq. §. lege supra ex doctrina Res. 102. §. Sed quid-quid. & ex Resol. 109. §. Non esse.

2. Instabis, Pium V. constitutione ante memorata quoad dictam Missarum celebrationem Regularium priuilegia reuocasse; Respondetur hoc priuilegium, sicut etiam alia priuilegia, quoad celebrationem Missarum, restituta fuisse, vt vniuersaliter probauimus de omnibus priuilegiis *in tract. de priuil. in comm.* Hæc omnia P. Brunus; Quæ quidem satis confirmant à me dicta in loco, quem, vbi infra, citat Dicastillus.

3. Sed hanc sententiam me citato ita absolutè prolatam non admittit Card. Lugo, sed illam limitat, sic itaque asserit *de Sacram. Eucharist. disp.*20. *sect.*1. *n.*42. In hoc etiam puncto locum habent exceptiones in primo puncto positæ de Episcopo iter agente, de celebratione necessaria ad dandũ Viaticum ægroto; & de personis habentibus priuilegium: quod eo facilius concedi potest ad postponẽdam, quam ad anticipandam horam, quo hæc obligatio ortum magis habet ex voluntate subditorum, qui ob suam commoditatem recesserunt ab antiqua consuetudine tardius celebrandi. Priuilegium autem magis amplum videtur, quod concessit Eugenius IV. Congregationi S. Iustinæ, celebrandi in itinere, vel ex causa iusta, vsque ad nonam inclusiue, prout habetur in Bulla XI. Eugenij IV. in Bullario Regularium apud Rodriguez. Vnde limitandum est, quod cum Ioan. de la Cruz dicit Diana *tom.*1. *tract. de celebrat. Missarum resol.*34. vbi supponit, illud priuilegium esse absolutum; cum tamen solum sit ad certos casus itineris, vel alterius causæ. Dicit etiam horam nonam esse vsque ad tres horas post meridiem: quod etiam non est vniuersaliter verum, sed in æquinoctio: nam in solstitio hyemali nona hora attingit solum ad secundam post meridiem cum quadrante: in solstitio autem æstiuo vsque ad horam tertiam post meridiem cum tribus quadrantibus, vt latè Francolinus *de tempor. hor. cap.*10. ita Lugo.

Quæ hic est supra Resol. 104. §. vlt.

4. Idem etiam me citato docet Dicastillus *de Sacram. tom.*1. *tract.*5. *disp.*4. *dub.*5. *n.*84. vbi ita ait, Aduertendum præterea est, Religiosos, qui habent communicationem priuilegiorum, sicut anticipare Sacrum, ita postponere vsque ad horam nonam; id enim concessit Eugenius IV. Benedictinis de Monte Serrato, vt notauimus *dub. præced.* §. *Ex Benedictinis.* Adde Dianam *part.*2. *resol.*34. *in edit. anni* 1635. vbi sic ait, Religiosi verò ex suis priuilegiis, vt notat Ioan. de la Cruz *in directorio, &c.* possunt celebrare vsque ad nonam inclusiuè, id est, vsque ad tres horas post meridiem. Hoc tamen priuilegium videtur esse illud, quod concessit Eugenius IV. Congregationi S. Iustinæ, & habetur in Bulla XI. illius Papæ; ibi tamen conceditur, non ad arbitriũ, sed in itinere, & ex causa iusta; vnde nisi talis causa sit, non licebit. Ita ille.

Vt in annot. præterita.

5. Sed nostram, & Bruni sententiam contra Dicastillum, & Lugo posse sustineri existimo, nam quidquid sit de priuilegiis ab ipsis adductis, priuilegium Eugenij IV. à Bruno adductum loquitur absolutè, & sine vlla limitatione. Ergo idem dicendum videtur de alio priuilegio, quod idem Brunus adducit, videlicet dicendi Missam statim post mediam noctem ex concessione Leonis X. relata *in supplem. concess.*275. *& in Compend. priuil. Mendic. verb. Missa*, 2. §. 6. his præcisè verbis: Concessit Fratribus Minoribus de Obseruantia, vt de licentia Superiorum possint celebrare illico post Matutinum, de æstate verò quando noctes sunt breuiores, etiam ante Matutinum Chori, vel infra, dummodo celebraturus illud per se, aut cum socio dixerit, prout consuetum est in ordine, ci Prima. In qua concessione notandum est, quod Pontifex non dat Regularibus absolutam facultatem celebrandi Missas illico post Matutinum, aut post mediam noctem, sed cum duabus limitationibus: Prima, vt Missæ dicantur de licentia Superiorum; Secunda, vt si Missæ dicendæ sunt illico post mediam noctem, persolutum sit Matutinum cum Prima, hæc autem secunda limitatio non mediocrem ingerit difficultatem, quî enim fieri potest, vt Missæ celebrentur ante Matutinum Chori, cum Chorus in Ordine Minorit prædicto, Matutinum media nocte incipiat, & quod Prima cum Matutino antea recitari debeat; sequetur enim inde Missas inchoari debere ante mediam noctẽ, & inchoationi eiusmodi obstaret, quod Prima deberet antea recitari, quæ nihilominus ante mediã noctem recitari minimè potest. Verũ hæc difficultas facile soluitur, si dicatur, quod possunt dici Missæ ante Matutinum Chori omnino persolutum, potest enim illico post mediam noctem Prima recitari, & statim inchoari Missa, dum Matutinum persoluitur. Adiunge, quod illa conditio dicendi Matutinum cum Prima non est sic obligatoria, vt non valeat priuilegium, si prius non recitetur. Nam ea conditio non ponitur vt restrictiua concessionis, sed vt quid requisitum secundum ius commune Ecclesiæ, & Ordinis, quæ recitatio, cum iam non sit ex iure requisita quoad Matutinum, vt post Sotum tenent Suarez, Rodericus, & alij, nec etiam quoad Primam, cum Ecclesia, nec Ordo iam quidquam circa hanc recitationem ex iure, aut ex consuetudine habeat, possunt dicti Regulares Missas celebrare Prima minimè recitata, vt tenet citatus Rodericus *art.*3. imò nec recitato Matutino, si adsit aliqua necessitas, ac ex consequenti valet priuilegium non recitata Prima, & Matutino; Ita Bruno; Cui adde Dicastillum *vbi supra*, qui testatur se audiuisse à fide dignis prædicti Ordinis, & aliorum, Congregationem Montis Calsini eiusdem Ordinis habere priuilegium celebrandi statim post mediam noctem. Et ideò *num.*65. sic ait, Hoc dixerim propterea, quod Matriti iam olim ante viginti annos mihi legisse contigit litteras Patris Antonij de Mendoza Societatis IESV Assistentis pro Hispania, datas anno 1595. decimasexta Martij ad Patrem Franciscum de Porres, tunc Prouincialem, cuius verba sunt: [Su compannero de N. R. podra dezir Missa post mediam noctem, y à todos los que caminaren, da licentia nuestro Padre para poderlo hazer. Yo embiarè vn priuilegio impresso, que me dizen lo han impresso agora los Benitos.] Hactenus in litteris. Cum ergo Assistens Hispaniæ vir per se ipsum, & pro munere suo tantæ auctoritatis, testetur Reuerendum admodum Patrem nostrum Claudium Aquauiuam bonæ memoriæ eam facultatem

tem concessisse, nec ab ipso, nec à Successore admodum R. P. N. Mutio Vitelescho, moderno Præposito Generali, reuocatam suam prædictam facultatẽ, saluo meliori iudicio, existimo posse nos vti prædicta facultate, maximè re communicata cum Superiore, vt in hac facultate ampliori sequamur, & seruemus eandem restrictionem, quam supra diximus in celebrando vna hora ante auroram seruari debere, ita vt hoc priuilegium, & amplior facultas censeatur concessa ad normam, & modum alterius minoris vsus, & facultas non concedatur, nisi primariò omnibus Superioribus, deinde iis, quibus ipsi commiserint, idem iudicium sit de hac facultate ampliori. Hæc Dicastillus, quæ omnia applicanda etiam existimo Patribus nostræ Religionis Clericorum Regularium, & aliarum Religionum.

RESOL. CXI.

Quomodo tempus mediæ noctis in præceptis Ecclesiasticis sumendum sit?

Quod facit pro ieiunio naturali circa Missæ celebrationem. Ex p.7.tr.11. & Misc.2.Resl.15.

§.1. CVriosa & noua est quæstio, & pro eius resolutione Ioan. Caramuel *in reg. D. Bened. disp.*101.*n.*1328. tres conclusiones ponit. Prima est: Nullum horologium esse infallibile, ideò nulli necessariò standum esse. Secunda: Omnia horologia habere vim opinionis probabilis, nisi ita exorbitent, vt eorum error clarè, & euidenter cognoscatur. Tertia: Horologia accurata horæ quadrante à veritate deuiare. Vnde infert, quod temerarius non erit, qui censuerit vrbis horologia, quæ à stolidis sæpius diriguntur, integro quadrante exorbitare. Ideo quadrãte horæ antequá sonet duodecima, incipit dies sequens probabiliter; & æquè probabiliter antecedens dies finitur quadrante postquam sonuerit hora. Qui in pago, aut in eremo fuerit, vbi solùm est vnum horologium bene regulatum, probabiliter potest credere illud plusquam horæ quadrante à veritate exorbitare.

Sup. hoc inf. in Resl. 250. (Et tandẽ. ad medium, & infra in hac ipsamet Resl. in fin. §. Sed hæc. & latè inferius in n. 1. Resl. 57. à principio, vsque ad §. Quod autem.

2. Sed quid si Petrus haberet horologium exquisitissimum mediæ noctis tempus præcisè indicens? Respondeo adhuc in tali casu tempus non debere mathematicè, sed ciuiliter, ac moraliter accipi. Dies notabiliter incepisse dicitur, cùm eius octaua pars effluxit, nempe post mediam noctem hora tertia. Dies leuiter est inchoata cùm harum trium horarum effluxit quasi octaua pars, nẽpe hora omin. 22. sect. 30. Non puto præcepta Politica, siue Ecclesiastica ea sint, siue sæcularia, tam exactè posse tempus decernere, vt reus sit qui sublatis aliis inconuenientibus, differat opus præceptum vno quadrante: quia aliàs Ecclesia rebus faciendis mathematica tempora indicerer, non moralia; quod est contra vniuersorum opinionem. Ita Caramuel.

3. Sed hæc opinio videtur communiter reprobata à Doctoribus, dum loquuntur de præcepto horarum Canonicarum, de præcepto ieiunij, festorum obseruatione, & similibus, & ex illa sequeretur, quod quis statim post horam duodecimam noctis posset Completorium dicere, & satisfacere præcepto Horarum Canonicarum, vel posset comedere carnes, & obseruare ieiunium, imò mane communionem sumere, & satisfacere præcepto ieiunij naturalis pro sumptione Eucharistiæ. Et tamen DD. controuertunt: vt alibi visum est, si etiam dato primo pulsu horæ duodecimæ media nocte dicenda sit elapsa, ita vt præcepta præteriti diei, vel futuri dicantur elapsa, vel incepta: & omnes concordant quod finito vltimo pulsu horæ duodecimæ expirent, & incipiant præcepta affixa diebus; & ita docent Doctores, quos ego citaui *in part.*3.*tr.*4.*resol.*36. quibus nunc addo Præpositi. *in* 1.2. *D. Thom. q.*19.*art.*6.*dub.*5.*n.*8. & Eman. Lugum *de Euch. disp.*15. *sect.*2.*n.*37. Non desinam tamen adnotare quod sententiam Caramuelis approbat noster Pasqualigus vir doctus *decis.*338.*n.*6.*& seq.*

Alibi in Resl. non. seq.

Quæ nunc hanc sequetur, in §. vlt. in principio, & in aliis §§. & vers. eius not. & in §. not. primæ huius Resl.

4. Nota verò quoad Caramuel *disp.*40.*n.*463. ex suo principio quod præcepta Ecclesiæ debeant intelligi non mathematicè, sed moraliter non approbat, quod ego olim docui, nempe annum nouitiatus debere computari de momento ad momentum, ita vt si professio efficiatur quatuor aut sex horas ante decimum sextum annum sit inualida: putat enim nouitiatus annum decere esse integrum moraliter, hoc est, secundum æstimationem prudentem: sed me citato Caramuelis sententiam non approbat Bordon. *tr. de profes. Regul. c.*4.*q.*10. vbi docet professionem factam per semihoram ante ætatem requisitam esse inualidam.

Docuit in Resl. 158. & 159. tom. 7. tract. 1. & in aliis §§. earũ annotatio-num.

RESOL. CXII.

An si sonuerit vnum horologium, possit quis comedere in media nocte, donec aliud sonuerit, & die sequenti celebrare?

Et notatur, quod si tantùm sit vnum horologium, vbi cœpit sonare duodecima hora, aliquis biberet, licet quando sonaret vltimus pulsus desiisset bibere, non poterit die sequenti celebrare aut communicare.

Ex quo infertur, quod qui buccellam habet masticans, & audit primum pulsum horæ duodecimæ noctis, tenetur incontinenti de ore eijcere buccellam, si die sequenti velit Missam celebrare, vel Eucharistiam sumere.

Si tamen masticat buccellam de materia carnis, & dies sequens sit ieiunij, non tenetur illam eijcere, etiam sub veniali. Ex p.3.tr.4.Resl.36.

§.1. AFfirmatiuam sententiam docuit Sanch. *de matr. to.*1.*lib.*2.*disp.*41.*n.*4. aduersus quem nouissimè insurrexit Eman. Rodrig. *in noua editione suæ summæ, to.*1.*c.*105.*n.*6. vbi asserit. [Y que oyendo la media noche esta comiendo y beuiendo, no puede comulgar el dia siguiente, pues el precepto de no comulgar hauiendo comido obliga, aunque este en duda si es media noche, porque otros reloxes sonaron despues. Esta conclusion es contra Thomas Sanchez, el qual dize si despues sonare otro relox puede comulgar, attento que son como vna: probables opiniones, y cada vna se puede seguir, à loqual respondo que en este precepto de celebrar en ayunas no nos hauemos de atar à probabilidades.] Ita Rodrig. & ante illum docuit etiam hanc sententiam Io. Salas *in p.*2.*D. Thom. tr.*8.*disp. vnica, sect.*25.*n.*264.

Sup. hoc in Resol. seq. & infra in Resl. 250. §. Et tandem. cur. sim in fine.

2. Sed mihi his non obstantibus placet magis opinio Sanchez, quidquid asserant Rodrig. & Salas. Dico quod si diuersa sint horologia, & aliquorum sonuerit hora duodecima, aliquorum non sonuerit, potest qui tunc soluit ieiunium naturale, communicare die sequenti, & siue illa dies, siue sequens sola sit ieiunij, poterit dubitans cœnare, & edere carnes, perinde ac si essent duæ opiniones probabiles, quarum vtramque licet sequi, & amplecti. Neque enim teneor ego sequi vnum horologium, nisi fortè antecedenter illud assumpserim ad ieiunium ordinandum, iuxta illius horas, neque etiam in hoc casu, si vnum aliquantulum post aliud subsequenter sonuerit, illius horas sequi teneor; & ita hanc opinionem præter Sanchez tenet etiam Fagund. *de præceptis Ecclesiæ, præc.*4. *lib.*1. *cap.*10.*n.*3. Sancius *in selectis, disp.*42.*n.*18. & Villalobos *in summa tom.*1.*tract.*1.*difficult.*21.*num.*17. vbi sic asserit. [Si ay diuersos reloxes, se ha de iuzgar, co-

mo si huuiesse dos opiniones probables, que puede eligir la que quisiere, saluo si vno dellos fuesse tal que de ordinario no anduuiesse bien concertado.] Sic ille. Ad argumentum verò Rodriguez respondeo, quod quando quis operatur cum opinione probabili, vt est in casu nostro, non operatur irreuerenter circa Sacramentum.

Sup. hoc lege doctrinã Resol. præteritæ per totã, & signanter §. Sed hæc. à medio vsque in finem, & in Resol. seq. in fine, vers. y se aduierta. & vide etiã doctrinam Resol. 1. post seq. & infra ex Resol. 250. §. Et tandem.

3. Notandum est verò hic cum supradictis Doctoribus, quod si tantum sit vnum horologium, & vbi cœpit sonare duodecima, aliquis biberet, licet quando sonaret vltimus pulsus desiisset bibere, non poterit die sequenti communicare, quia quando primus pulsus horæ auditur, iam est hora expleta, & horologium est tantùm testis id indicans; & licet diuersi sint pulsus, id euenit, quia nequit vno pulsu, hora duodecima indicari: sicut vno pulsu hora prima indicatur. Ex quibus infert Sancius *vbi supra in selectis, disp.42.n.20.* quod qui buccellam habet masticans, & audit primum pulsum horæ duodecimæ noctis, tenetur incontinenti deijcere buccellam, si die sequenti Sacramentum Eucharisticum velit sumere, vel Missam celebrare; postquam verò buccellam eiecerit, non tenebitur esse nimis anxius ad abluendum os. Si tamen masticat buccellam de materia carnis; & dies sequens sit ieiunij, non tenetur illam eijcere, etiam sub veniali, non enim cum tanto rigore illud præceptum positiuum obligat semoto contemptu. Ita Sancius.

Sup. hoc in tom.4. tr.6. ex Resol.38. §.vlt. intermedium, & finem, vers. Nam primò. & vers. Secundò asserit.

RESOL. CXIII.

An si diuersa sint horologia, & vnum sonuerit horam media noctis, aliud verò non, possit qui tunc bibit, vel comedit, Missam dicere, vel communicare sequenti die? Ex p.4.tr.3.Resol.19.

Sup. hoc in Resol. præterita, & infra in Resol.250. §. Et tandem. cursim in fine.

§.1. Affirmatiuè respondet Ioannes Sancius *in selectis disp.53.n.3.* vbi sic ait: Si horologia diuersa sint, ad pulsationem primi poterit refectio fieri: sicut enim in odiosis ad vltimum potest appellari, ita possunt comedentes post horam duodecimam noctis ab vno horologio designatam crastino Eucharistiam sumere, si aliud horologium sonuisse constet esu expleto. Ita ille, & ante illum alter Sancius *de matrim. tom.1.lib.2.disp.41.n.40.*

2. Sed nouissimè aduersùs hanc opinionem insurgit Merolla *tom.1. disp.3.cap.3. corollar.11.n.139.* vbi sic ait: Falsum est id quod subdunt aliqui, id est Sanchez, quod scilicet si diuersa sint horologia, & vnum sonuerit horam mediæ noctis, aliud verò non, potest qui tunc soluit ieiunium naturale communicare sequenti die, quia est veluti si essent duæ rationes, vel opiniones probabiles, liceret enim vtram illarum amplecti. Hoc, inquam, falsum est, quia in pari causa melior conditio præcepti possidentis, & opiniones probabiles sunt tantùm speculatiuæ, & ideò homo tunc debet se gerere, ac quando factum est dubium. Ita Merolla.

3. At, pace huius viri docti, affirmatiuam sententiam non falsam, sed probabilem, & tutam in praxi esse existimo, & ideo illam non solùm tuentur vterque Sanchez *vbi suprà*, sed etiam Fagundez *præc.4. lib.1.cap.20.* Pharaonius *tract. de sacrament. Pœnit. in appendice sess.3.cas.14.* Vega *in summa, tom.1.c.14. cas.12.* & Villalobos *in summa, tom.1. tract.1. difficult.21. num.7.* Vbi ita ait. [Si ay diuersos reloxes, se ha de iuzgar como si huuiesse dos opiniones probables que puede elegir la que quisiere, saluo si vno dellos fuesse tal que de ordinario no anduuiesse bien concertado, y se aduierta que el primer golpe que da el reloxe la hora, y anssi si beuio tras el, aunque no aya acabado de dar todos los golpes el relox, no podrà comulgar esse otro dia.] Sic ille; verùm post hæc scripta inuenio sententiam Merollæ docere etiam Salas *in 1.2. tom.2. tr.8. disput.vnica, sect.25. num.264.* vnde vtraque opinio est probabilis.

Sup. hoc lege doctrinã Resol. præteritæ per totã, & signanter §. Sed hæc. à medio vsque in finem, & in Resol. seq. in fine, vers. y se aduierta. & vide etiã doctrinam Resol. 1. post seq. & infra ex Resol. 250. §. Et tandem.

RESOL. CXIV.

An si quis comedat, vel bibat vsque ad vltimum ictum horologij designantis horam mediæ noctis, possit die sequenti celebrare, vel communicare?

Et an, qui post pulsum primum horæ quadrantis, vbi solent pulsare ante horas, seu pulsu maiores, in media nocte biberet, aut comederet, possit Missam celebrare, aut communionem sumere? Ex p.6. tr.6. & Misc.1. Resol.34.

§.1. Cvriosum est dubium, & illud negatiuè respondet Ioannes Præpositus *in part.1.2. D.Thomæ, quæst.29.art.6.dub.5.n.8.* Vbi sic ait: Si esset vnum horologium, & vbi cœpit sonare duodecimam aliquis biberet, licet quando foret vltimus pulsus, desisteret bibere, non posset die sequenti communicare: quia cùm primus pulsus horæ sonat, iam hora est expleta, & horologium tantùm est testis id indicans: & si diuersi pulsus sint, id euenit, quia nequit vno pulsu duodecima indicari, sicut indicatur prima hora vno pulsu, quod omnino videtur verum, & videtur intelligi respectu locorum, in quibus non est vsus præludiorum in horologiis. Verùm vbi est talis vsus, dubium esse potest, quando sit signum elapsæ horæ, an initio præludij, an postquam incepit primus pulsus horæ. Ad quod videtur dicendum, quod per se loquendo hora sit expleta, quando inchoatur præludium. Ita mihi rotulerunt varij horologiorum directores à me super hac re consulti. Et quo sequitur, quod per se loquendo si quis in talibus locis biberet in initio præludij horæ duodecimæ, sequenti die non posset communicare, quia ab initio præludij incipit sequens dies, & per consequens eo die non esset ieiunus ieiunio naturali. Hæc Præpositus, & ex parte Sanchez, & alij quos ego alibi citaui.

2. Non desinam tamen hic adnotare affirmatiuam sententiam probabilem esse secundum opinionem Martini Bresseri Societatis Iesv, *de conscientia, lib.4.cap.11.n.107.* vbi sic asserit: Probabile videtur horam duodecimam durare moraliter vsque ad vltimum sonum; adeoque interim bibentem & comedentem non violare ieiunium vel naturale, vel Ecclesiasticum sequentis diei. Sed post hæc scripta inueni aliud dubium apud P. Lugo *de Sacr. disp.15. sect.2. n.37.* an qui post primum pulsum horæ quadrantis vbi solent pulsari ante horas, seu pulsus maiores, in media nocte biberet, aut comederet, posset communionem sumere. Et negatiuè respondet Lugo, quia cùm incipit pulsari primus pulsus quadrantis est completa alia hora 12. & incipit hora alterius diei. Sed nouissimè Trullench *in Decal. tom.1.lib.3.cap.2. dub.4.n.8.* putat hoc mathematicè verum esse, quia tamen moraliter pulsus leuiores quadrantis, & primus pulsus horæ maioris, computari possunt pro vnico tempore, & quasi compleri totam horam vsque primum pulsum horæ maioris, & si Bresserus probabile putet vsque ad vltimum pulsum; ideò aliquis in tali casu posset dicere non esse à communione abstinendum.

RESOL.

RESOL. CXV.

An Sacerdos, qui noctu misit ad raucedinẽ faucium leniendam saccharum in os paulatim deglutiendum, si illud durauerit post mediam noctem, & dubitat, an reliquas partes illius in stomachum traiecerit, possit Missam celebrare?

Et an reliquiæ cibi, etiam si deglutiantur post mediam noctem, non impediant communionem, aut celebrationem? Ex part. 2. tract. 14. Resl. 51.

§. 1. NEgatiuè respondeo cum communi sententia DD. hi sunt Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 16. sect. 4.* Vasquez etiam *in 3. part. tom. 3. disp. 211. cap. 3. num. 31.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 29. c. 6. n. 119.* Bonacina *de Sacram. disp. 4. quæst. 6. punct. 2. n. 7.* Molfesius *in summ tom. 1. tract. 3. cap. 10. n. 13.* Coninch *de Sacram. quæst. 80. art. 8. n. 48.* & Syluius *in 3 p. q. 80. art. 8. fol. mihi 248. col. 1.* vbi sic ait: Solueretur ieiunium, si quis nocte misisset in os aliquid sacchari, & eius aliquid traiecerit post mediam noctem, & quia tam saccharum, quàm aliqua liquescentia communiter deglutiuntur, ideò qui tale quippiam ante somnum accepit, non potest die sequenti communicare, nisi moraliter sit certus, quòd ante mediam noctem totum deglutiuerit, vel, quod residuum erat, absumlerit. Sic ille.

Sup. hoc in duobus Resl. seqq.

2. Nec valet dicere, quòd illud non sumitur illo die *ab* extrinseco, nec traijcitur per modum cibi, sed per modum saliuæ. Nam respondetur, illam esse quamdam successiuam manducationem, quæ ex parte fit eodem die, & cùm illa materia imponatur, vt paulatim deglutiatur ex intentione sumentis, tandiu durat eiusdem comestio, donec ipse totam deglutiuerit, sicut si paulo ante mediam noctis horam imponerem alios cibos ori, eósque donec media esset audita, manderem, & deglutirem eos, nullo modo possem eo die communicare. Hæc communiter asserunt DD.

3. Non reticeam tamen contrariam sententiam docere Tabienam *verb. communicare*, §. 49. vbi concedit, id quod præterito die intra os sumptum est, etiamsi data opera deglutiatur in sequente, non soluere ieiunium naturæ, neque impedire perceptionem Eucharistiæ, quia (inquit) ad hoc opus est sumptione alicuius rei exterioris, quæ fit eodem die. Igitur necesse est, vt res aliqua eo die in os mittatur. Pro hac sententia faciunt, Durandus, Gabriel, Paludanus, qui concedendo reliquias cibi, etiamsi deglutiantur, non impedire communionem, reddunt hanc rationem; quia eo die non fuerunt in os immissæ, quæ quidem ratio, vt diximus, militat in casu nostro. Et sic ex neotericis, sententiam Tabienæ amplexus est Bartholom. ab Angel. *in exam. confess. dial. 4. §. 214. litter. A.* vbi sic asserit. Quod dictum est de saliua, & de reliquiis cibi, & huiusmodi, dicendum est de eo, qui in sero accipit aliquod in ore pro voce, vel pro alio, quod remanet; non enim venit ab extrinseco post mediam noctem, nec propter hoc ille non esset ieiunus. Ita ille.

Sup. his reliquiis cibi in Resl. not. præmitt. §. 3. quæst. num. & in Resl. post medium §. 1. de lege infra doctrinam Resl. 124. & alterius eius not.

RESOL. CXVI.

An cum quis cubitum iret, ori saccharum imposuit, & nescit postea, an ante mediam noctem liquefactum fuerit, possit adhuc Missam dicere, aut Eucharistiam sumere?

Ex quo deducitur, quid est sentiendum, si reliquiæ cibi deglutiantur post mediam noctem, an impediant celebrationem Missæ, vel Eucharistiam sumere? Ex part. 6. tract. 7. & Misc. 2. Resl. 15.

§. 1. QVia casus est frequentissimus, pro affirmatiua sententia ego *in p. 1. tr. 13. resl. 51.* adduxi ex inclyta Dominicanorum familia Tabienam & Bartholomæum ab Angelo: quibus nouissimè addo, ex Societate IESV Stephanum Bauny *in Theol. Moral. part. 1. tr. 10. q. 22.* vbi sic ait: An pro ieiunio sit habendus proindèque ad Eucharistiam idoneus, qui pridie eiusdem diei, quo eam sumpturus erat, cùm cubitum iret, ori saccharum imposuit, ad faucium raucedinem tollendam, maximè si nescit certò, ex tali substantia, ecquid residui aliquid oti ac palato adhæserit post mediam noctem, quod calore ac halitu liquefactum in stomachum penetrauerit.

Quæ hic est Resl. antecedens, & in Resl. seq.

2. Mihi ea mens est, ac sententia, eiusmodi rebus ieiunium non solui, consequenter sumptionem Eucharistiæ non impediri: ita iudicandi auctores habeo viros eruditos ac graues, nec secus in hac controuersia sensisse video Theologos; qui ea de re disserunt *in 3. part. D. Thomæ*: neque aliter Summarum scriptores. Tabiena enim scribit his verbis *verb. Communicare* §. 49. id quod præterito die intra os est sumptum, etiamsi data opera deglutiatur in sequente, non soluit ieiunium naturæ, neque impedit perceptionem Eucharistiæ. Quòd Tabiena ait, affirmat quoque Barthol. ab Angelo *in Exam. Confess. Dialog. 4. §. 214. lit. A.* Quod dictum est, inquit, de saliua & de reliquiis cibi, & huiusmodi, dicendum est de eo, qui serò accipit aliquid in ore pro voce, vel pro alio, quod remanet, non enim venit ab extrinseco post mediam noctem, nec propter hoc ille non esset ieiunus. Ita ille. Ad horum authorum testimonia accedit & ratio. Solui non potest ieiunium, nisi sumptione rei alicuius externæ, idque eo die, quo ad refectionem, aut voluptatem accipitur, secundùm Palud. Gabriel & Durand. quod & probatur. Cibi reliquiæ, quæ adhæsêre palato ac dentibus, cùm postridie eius diei, quo sunt sumptæ, deglutiuntur ab homine, omnium opinione non faciunt, vt Eucharistia censeatur indignus, quia ieiunus est, cuius rei causa haud dubiè non est alia, quàm quia eo die, quo ad communionem acceditur, non sunt prædictæ cibi reliquiæ in os illatæ: at facit pro opinione præsenti hæc ratio. Ergo, &c. Hucusque Bauny.

Sup. hoc in Resl. 1. not. præteritæ §. vlt. ad medium, & in Resl. 2. §. 1. post medium. Sed lege infra doctrinam Resl. 124. & alterius eius not.

3. His tamen non obstantibus licèt suprà dictæ rationes, quas affert Bauny, fuerint vbi suprà à me adductæ, adhuc negatiuæ sententiæ ego adhæreo, cùm sit communis teste nouissima instructione Hispalensi *pro ordinandis parte 5. §. 9. n. 2.* quia aliquid sacchari, quod paulatim post mediam noctem atteritur, & deglutitur, non est annumerandum inter reliquias cibi, sed est verus cibus: & quædam successiua manducatio, quæ ex parte fit eo ipso die. Et ita hanc sententiam præter Doctores quos citaui *dicta resol. 5.* tenet etiam Fagundez *in præcept. 3. Ecclesiæ lib. 3. c. 5. n. 16.* Persicus *de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 3. dub. 6. n. 60.* Et nouissimè Ioan. Vviggers *de Sacrament. in 3. part. D. Thom. quæst. 80. art. 8. n. 37.*

RESOL. CXVII.

An si quis ante cubitum apponeret in os aliquid ad paulatim liquefaciendum propter distillationem capitis, vel faucium raucedinem, si duret post mediam noctem, censeatur die sequenti ieiunus, ita vt possit Missam celebrare, aut communicare?

Ex quo infertur, an qui casu traijcit aliquid reliquiarum in dentibus ex cibo cœnæ præcedentis relictarũ,

censeatur ieiunium frangere pro communione, vel Missæ celebratione? Ex part. 7. tract. 12. & Misc. 3. Resol. 10. aliàs 8.

§. 1. SÆpius hanc quæstionem pertractaui; sed quia sæpiùs in praxi occurrere solet, sæpiùs de illa redibit sermo, & negatiuam sententiam docui *in part. 2. tract. 14. resol. 51.* cum Suarez, Vasquez, Reginaldo, Bonacina, Molfesio, Coninch, & Syluio; quibus nunc addo Eminentiss. D. meum Cardinalem de Lugo, *de Sacram. Euch. disp. 15. sect. 2. n. 37.* Raphaëlem Auersam *de Sacram. Eucharist. q. 8. sect. 8.* Hurtadum *de Sacram. Euchar. disp. 9. difficult. 15.* Alphonsum de Leone *de offic. Capell. quæst. 8. sect. 17. cas. 2. n. 146.* Fagundez *in Præcept. Eccles. part. 3. lib. 3. cap. 5. n. 26.* Præpositum *in 3. part. q. 80. art. 8. dub. 1. n. 39.* Persicum *de Offic. Sacerd. lib. 1. cap. 3. dub. 6. n. 60.* Sancium *in selectis disp. 42. n. 21.* Matthæum de Rubæis *in Rubr. Miss. cap. 9. n. 3.* & Iacobum Marchantium *in Resolut. Pastor. tract. 4. cap. 2. quæst. 3. cas. 3.* vbi sic ait. Qui casu traijcit aliquid reliquiarum in dentibus ex cibo cœnæ præcedentis relictarum, non censetur etiam ieiunium frangere, ob dictam rationem. Aliud foret, si quis saccharum in ore posuerit paulatim liquefaciendum, & ante mediam noctem necdum totum traiecerit: est enim successiua quædam manducatio, & cibi sumptio. Vnde si quis indormiret cum saccharo in ore, de quo dubitet, an ante mediam noctem totum deglutierit, teneat se non ieiunum. Ita ille.

Quæ hic est supra Resol. 115. & in Res. 116.

Sup. hoc cursum in Res. 1. nor. præteritæ §. vlt. ad medium, & in Res. 2. §. Mihi, prope finem. & vide infra Resol. 124. & aliam eius not.

2. Sed quia sæpiùs per litteras consultus fui à pluribus enixè an sententia affirmatiua, pro qua ego, *vbi suprà*, adduxeram Tabienam, & Bartholomæum à Sancto Angelo, ab aliquo Auctore existimaretur probabilis, nunc assero P. Amicum Societatis Iesu illam nouissimè tanquam probabilem admittere, sic enim asserit, *in Curs. Theol. tom. 7. disp. 27. sect. 1. num. 5.* Dubium est de saccharo, quod retineretur in ore ad temperandas capitis distillationes, an impediat Eucharistiæ sumptionem. Affirmat Suarez *disp. 68. sect. 4.* & communiter reliqui. Negare tamen videtur Tabiena, *verbo, communio,* & alij docti viri, quos ego consului, qui addunt, hanc opinionem tutam esse in praxi. Et sanè non videtur improbabilis, cùm talis liquor in stomachum descendat per modum saliuæ. Ita Amicus, vir quidem in Theologia Scholastica, & Morali optimè meritus. Tu Lector iudica.

RESOL. CXVIII.

Vtrum Sacerdos, qui mane solet deglutire aliquid ex propriis vnguibus, vel papyri, &c. possit celebrare Missam?

Ex quo deducitur mulierem terram, aut simile comedentem, siue illud comedat ob delectationem, quod est comedere per modum cibi, siue comedat, vt colorem minuat, quod est comedere per modum medicinæ, non posse post istorum sumptionem sumere Eucharistiam. Ex part. 2. tract. 14. Resol. 52.

Sup. hoc in Resol. seq. & in aliis §§. eius not.

§. 1. NEgatiuè respondet Henriquez *in sum. lib. 8. cap. 49. n. 2. & in gloss. litt. O.* Nugn. *tom. 1. in 3. part. q. 50. art. 8.* vbi putat, falsam esse sententiam modernorum, dicentium, quòd si quis deglutiat aliquid ex propriis vnguibus, vel papyri, vel sanguinis proprij vulneris, & alia similia, quæ neque habent rationem cibi, neque potus, neque etiam medicinæ, non est impeditus ad sumptionem Eucharistiæ; Diuus namque Thomas dicit *in solut. ad quartum argumentum*, nihil referre, quòd aliquid horum nutriat, vel non nutriat. Vnde assumi per modum cibi, vel potus, solùm distinguitur ab eo, quod est assumi per modum saliuæ; atque ideò quæcumque res exterior, est ad hoc impedimentum, aliàs enim si medicina esset noxia, non esset impedimentum.

2. Sed hæc opinio est nimis rigida. Ideo probabiliorem puto opinionem Sum. Coronæ *pag. 4. c. 4. num. 65.* & Ioan. de la Cruz *in direct. consc. p. 2. de Euchar. q. 5. dub. 4. concl. 2.* Et quia codex rarus est, ponam eius verba, itaque sic ait. Qui comedit modicum papyri, aut aliquid simile, non habens rationem cibi, aut medicinæ, potest iuxta sententiam probabilem sumere Eucharistiam. Ex quo infert (& est casus de quo olim fui à nobilissimo viro interroptus) mulierem terram, aut simile comedentem, siue illud comedat ob delectationem, quod est comedere per modum cibi; siue comedat, vt colorem minuat, quod est comedere per modum medicinæ, non posse post istorum sumptionem sumere Eucharistiam.

RESOL. CXIX.

An si quis mane deglutiat chartam, cretam, frustulum ligni, aut quid simile non comestibile, possit celebrare, aut sacram Eucharistiam sumere? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 38.

§. 1. HAnc quæstionem ego discussi in tract. *de celebrat. Missarum, resol. 52.* & pro parte negatiua adduxi Henriquez, & Nugnum, quibus nunc addo Villalob. *in summa, tom. 1. tract. 7. difficult. 39. n. 1.* Reginaldum *tom. 2. lib. 29. cap. 6. n. 118.* Naldum in *summa, verb. Eucharistia, n. 10.* & Layman *in Theolog. mor. lib. 5. tr. 4. cap. 6. n. 18.* & Scortiam *de sacrif. Miss. lib. 2. cap. 7. n. 1.* vbi sic asserit. Ieiunium ad sumendam Eucharistiam non tantùm Ecclesiasticum esse debet, sed etiam naturale; ita vt excludat & cibum, & potum, & medicinam, résque cæteras, etiamsi non nutriant, vt papyrum, &c.

2. Sed his non obstantibus, in dicta resolutione, sententiam affirmatiuam tenui, & adduxi Summam Coronam, & Ioan. de la Cruz, quibus nunc addo Ludouicum de S. Iuan *in summa part. 1. tract. de Eucharist. q. 7. art. 10.* & Sancium *in selectis disp. 42. n. 2.* vbi sic ait. Infertur etiam quòd qui parum papyri, aut alterius rei comestibilis deglutisset, possit communicare: solus enim cibus, aut potus impedit communionem. Ita ille, & hanc sententiam probabilem putat Ledesma *in summa, tom. 1. de Sacram. Euchar. cap. 23. concl. 4.* ita asserens. [Ay vna duda, si vno ha aduertidamente traga vn poco de papel, ò de otra cosa, que no tiene razon de comer, ni de beuer, sed tar podra comulgar. En esta dificuldad algunos dizen, que si, por no ser manjar, y otros dizen que no, porque parece que en este caso tienen lugar derechos traydos. A esta dificuldad se responde, que ambas sentencias son probables, y se pueden seguir.] Sic ille, & ego.

RESOL. CXX.

An sumptio Tabachi in folio, puluere, & fumo impediat celebrationem Missæ, & Communionem?

Et infertur, quod si quis per nares aliquantulum aquæ, vel similia sumat, non frangit ieiunium naturale.

Et an si quid per modum respirationis attrahit, quod possit nutrire, v. g. vaporem aliqualem etiam in quantitate, quæ sufficiat ad aliqualem nutritionem, an inquam, hoc impediat celebrationem Missæ, aut Eucharistiam sumere?

Et quid, si granum aliquod parum quis in os sumat,

ad masticandum pro confortatione capitis sine intentione comedendi, si casu in stomachum descenderet? Et an si quis deglutiret in magna quantitate nummos aureos, vel aliquid de plumbo, de ossiculis aliquorum fructuum, de fragmentis metallorum, de vitro, de lapillulis, ligno duriori, & similibus, violet naturale ieiunium? Ex part.5.tr.13. & Misc.1.Resl.1.

Sup. hoc in Casibus Resl. 89. & in secunda in §. ultim vlt.

§. 1. CAsus est curiosus, & quotidianus, & de illo loquens Franciscus de Nigro *in addit. ad Ruiz p.1.prælect.4.n.32.q.18.* sic ait: An vsus tabachi ante Missam sit licitus? vtuntur omnes communiter, & dicunt non esse illicitum, & præcipuè Hispani. Ego tamen laudarem contrarium, quia sæpissimè descendit in gutture, & videtur potiùs irreuerentia, & video timoratos scrupulizare. Ita ille. Sed absolutè vsum tabachi ante communionem nouissimè damnat doctus & eruditus Ant.de Leone *in qq.mor. de Cocholate, p.2.§.4.n.10. & seq.* & quia codex rarus est, ponam hic per extensum eius verba. [De los tres modos en que el tabaco se vsa, que son en hoja, en humo, y en poluo, assiento que todos tres quebrantan el ayuno natural, por loqual ninguno se puede vsar antes de la sagrada Comunion. En quanto al primero, que es traer la hoja en la boca para desflemar, no ay duda, pues vna vez ò otra siempre passa algũ fumo al estomago, y lo mismo se dize del poluo. En quanto al segundo, que es el humo, parece que tiene alguna duda. [Sed ipse putat violare ieiunium, quia fumus aliquo modo nutrit, & ideo affert aliqua exempla multorũ, qui ex solo fumo multo tempore vixerunt, & postea subdit.] Ni contra esto se sigue, que todas las vezes que vno entrasse donde huuiesse humo, siendo como es, forçoso tragar alguno, quebrantaria el ayuno natural, porque entonces falta la voluntad, la opilacion y la acion, que son circunstancias que en tabaco concurren. Por loqual declaro, que el ayuno natural quebranta con la menor parte de comida, ò beuida, y que no es necessario que esto sea de cosa verdaderamente potable, ò comestible, sino que basta que el que en ello es agente lo aplique por beuida, ò comida, y lo embie al estomago, pues es euidente que la tierra, el barro, el carbon, la carcoma, la cera, y otra cosa deste modo ni sustentan moralmẽte, ni son comestibles, ni potables, y ay mugeres que las comen por vicio, y no ay duda de que todas con estas especies quebrãtan el ayuno natural. Y es à mi juyzio tan delicado este preceto, y verdadera esta dotrina, que si por gusto se comiera alguno vn perdigon de plomo, ò vna moneda, me pareciera que auia quebrantado este ayuno, y que no podia aquel dia recebir la sagrada Comunion. Y colijo de lo dicho, que aunque el humo de suyo no es comestible, ni potable segun el vso comun de los hombres, segun el particular de algunos es potable, y los que vsan el tabaco en humo, lo beuen, y esta fraze es propria de los que desta yerba escriuen. Y quantos exercen este vicio del humo, le passan al estomago por gusto, voluntad, y aplicacion del mismo modo que si comieran, ò beuieran vn gran regalo; y lo tienen por tanto sustento, que en haziendo costumbre en ello, se les enflaqueze el estomago si tardan en beuerla; pues con estas calidades y circunstancias quien dirà que no quebranta el ayuno natural?] Huc vsque Antonius de Leon, qui etiam pro hac firmanda sententia duo Concilia Prouincialia adducit, & primum est Limense III. *Act.3.cap.20.* vbi sic habetur. Prohibetur sub reatu mortis æternæ Presbyteris celebraturis, ne tabachi fumum, seu tabachi puluerem naribus, etiam prætextu medicinæ, ante Missæ sacrificium sumant. Alterum Concilium est Mexicanum III. *lib.3.tit.15.§.13.* vbi sic dicitur. Præcipitur ne vllus Sacerdos ante Missæ celebrationem, aut quæuis alia persona ante communionem, quidquam tabachi per modum fumalis euaporationis, aut quouis modo percipiat. Et licèt dicta Concilia, vt prouincialia, non obligent extra prouinciam, tamen afferunt magnam auctoritatem huic sententiæ, maximè cùm fuerint approbata à sacra Cardinalium Congregatione.

Vlt. hoc infra prope finem Resl. 118.

2. Verùm his non obstantibus negatiuæ sententiæ ego adhæreo, & ideo suppono cum Ioan.de Lugo *de Sacram.Euchar.disp.14.sect.2.n.28. & 33.* duo requiri, vt naturale ieiunium soluatur ad impediendã sumptionem Eucharistiæ. Primum quòd sumatur aliquis cibus & potus. Secundum quòd talis cibus & potus sumatur per actionem, quæ sit comestio & potatio. Prima conditio probatur ex VII.Concilio Toletano *can.2.* vbi sic dicitur. Nullus post cibum potúmque quemlibet minimum sumptum, Missas facere præsumat. Secunda conditio patet ex Filliuc.*to.1.tr.4.cap.8. n.286.* Mercero *de Sacr.q.80.art.8.* Layman *lib.5.tr.4. c.6.n.18.* Reginald.*to.2.lib.29.c.6.n.119.* Marchantio *in Candel.de Sacr.Euch.tr.4.c.2.q.2.cas.4.in fine.* Bonac. *de Sacr.disp.4.q.6.punct.2.n.16.* Fausto *de Sacr.Euch. lib.1.q.379.* Syluio *in 3.p.q.80. art.8.* Tannero *to.4. disp.5.q.8. dub.4.n.78.* Fagundez *pr.3.lib.3.c.5.n.14.* Coninck *de Sacram.q.80.art.8.n.47.* Pitigiano *in 4. sent.tom.1.dist.8.q.3.art.2.* Suar.*in 3.p.tom.3.disp.68. sect.4.§.quæres rursus*, asserentibus sumere aliquid per modum cibi, vel potus esse accipere aliquid ore, quod propria actione vitali per os traijciatur in stomachũ.

3. Hoc supposito respondeo ad quæstionẽ propositam negatiuè: nam tabachus in folio & puluere sumitur per nares, ergo non frangit naturale ieiunium, quia non sumitur per actionem comestiuã, quæ solo ore efficitur. & ideo Suar. & Fagund.*vbi sup.* docent, quòd si quis per nares aliquantulũ aquæ sumat, non frangit ieiunium naturale, quia illa aqua non potest dici sumpta per modum potus, quæ tamen certũ est, quòd frãgeret ieiunium naturale, si per os sumeretur. Vnde Cœlestinus *in Compend.Theol.moral. tr.8. c.3. dub.5.* sic habet. Non frangit ieiunium Ecclesiasticũ, atque ideo potest sine scrupulo communionẽ sumere, quando quis aliquantulũ aquæ per nares attrahit, vel similia, quæ in stomachũ transmittuntur. Ita ille, cui etiam adde Barthol.à S.Fausto *de sacr.Euch.lib.1. q.382.* sic asserentem: si aliquis aliquantulũ aquæ per nares attrahat, quæ in stomachum transmittatur, non frangit ieiunium naturæ, nec manet impeditus ad sumendam Eucharistiam, quia non fuit per modũ cibi, aut per modum potus transmissa in stomachum. Ita Faustus & ne auctore careat nostra sententia, scias ex supradicta ratione docere illam nostrum doctum & amicissimum P.Alphonsi de Leone *de offic.Capell.q.8. sect.17.cas.2.n.134.* vbi ita ait: Non frangere ieiuniũ docti pleriq; dixerunt de his, qui ante Missæ celebrationem tabachum, vt vocant, in folio, vel in puluere recipiunt. nam primo casu de folio tantùm potest contingere traiectio humoris alicuius ex capite manantis in stomachum, & secundo casu de puluere fit attractio per nares, & licèt aliqua eius pars traijciatur in stomachum, non impedit, vt dixi, de aqua attracta per nares. Hæc Leo contra alium Leonem.

Sup. hoc infra in Resl. 124.§.vlt.

4. Sed quid dicendum quando tabachus sumitur in fumo? Antonius de Leone *vbi suprà*, vt visum est, docet frangere ieiunium naturale; verùm ego respondeo negatiuè. Primò, quia licèt fumus tabachi nutriret, & per os sumeretur, non descendit in stomachum, sed statim per nares exit. ergo non frangit ieiunium; etenim, vt docet Filliucius, & Doctores à me superiùs citati, vt cibus frangat ieiuniũ naturale, necesse est vt traijciatur in stomachum. & ideo Io.Præ-

positus

positus *in* 3.*p.q.*80.*a.*8.*n.*39. tunc asserit sumptionem tabachi impedire communionem quando transmittitur per os in stomachum. Secundò respondeo quòd etiamsi aliud ex fumo tabachi in stomachum descenderet, adhuc non frangeret ieiunium naturale, quia recipitur in stomachum per modum respirationis, non autem per actionem, quæ sit comestio, vel potatio, ergo non frangit ieiunium. Et ideo Suar. *in* 3.*p. to.*3.*disp.*68.*sect.*4. §. *quæres vrsius.* Fagundez *præc.*3. *lib.*3.*c.*5.*n.*14. Pitigianus *in* 4.*tom.*2.*dist.*6.*q.*3.*art.*2. Villalobos *in summa tom.*1.*tr.*7.*difficult.*39.*n.*5. Alexius Troisset *de sacram. Euch.*5.*p.*2.*sect.*27. Bonacina *de Sacram.disp.*4.*q.*6.*punct.*2.*n.*6. Lugo *de sacram.Euch. disp.*15.*sect.*2.*n.*33 asserunt, si quid per modum respirationis attrahatur, quod possit nutrire, hoc non impedire suptionem sacramenti, quia illud nõ est comedere, nec bibere, nec est sumere per modum cibi, vel potus, quando aliquid huiusmodi ore accipitur, quod per se & propria actione vitali in stomachum traijciatur, comedendo, vel bibendo. Ita Suarez *vbi suprà*, & alij. Hinc in terminis casus nostri de fumo sic asseruit Iacob. Granad. ex Societ. Iesv doctiss. Theologus *in* 3.*p.de Sacr.contr.*6.*tr.*10.*disp.*8.*n.*4. Si quis respirando attraxerit vaporem aliquem etiam in quantitate, quæ sufficiat ad aliqualem nutritionem, posset adhuc ad Eucharistiam accedere, quia id non sumitur per modum cibi. Ita Granadus. Adde quòd si contraria opinio esset vera, sequeretur, quòd si quis ex industria aperto ore fumosum halitum carnis in magna quantitate, tempore, v.g. Quadragesimæ, respirando attraheret, non solùm ieiunium naturale, sed etiã Ecclesiasticum solueret, quod est absurdum, & ideo, vt reor, nullus Confessarius, si quis se accusaret per totũ manè alicuius vigiliæ ex industria in culina permansisset hauriendo fumũ Perdicum, Caponum, &c. nullus, inquam, Confessarius talem de peccato mortali damnaret, & ob id à communione illa die arceret. Ad exempla verò quæ Ant. de Leone adducit, quòd multi ex sumptione fumi multos dies vixerunt, respondet Dandinus *de anima lib.*2.*com.*53.*digress.*25. non esse facilè credenda. Et ideo nostram sententiam docet etiam Alphons. de Leone *loc. cit.* asserens tabachum in fumo sumptum non impedire communionem.

5. Verùm modo discutiendum est an si folia tabachi, vt apponuntur ab aliquibus in nare, apponuntur in ore, impediant communionem? Et respondeo cum Alphonso de Leone & Ioan. Præposito *in* 3.*p. q.*80.*art.*8.*dub.*1.*n.*39. quòd tunc impeditur communio per sumptionem tabachi quando per os sumitur, & in stomachũ transmittitur, quia sumitur per modum cibi. Igitur si nihil de illo in stomachum traijciatur, non impeditur communio. Sicuti Coninck *de Sacram.q.*8.*art.*8.*n.*148. Petrus Matthæus *in rubr. Miss.cap.*9.*n.*3. Mercerus *de Sacram.q.*80.*art.*8.*notab.*1. Bonacina *de Sacram.disp.*4.*q.*6.*punct.*2.*n.*9 & alij dixerunt licere aromata ori imponere ante communionem, ad vitandum noxium aërem, eaque etiam dentibus conterere, modò de illis nihil deglutiatur. Imò Tannerus *tom.*4.*disp.*5.*q.*8.*dub.*4.*n.*79. & Faustus *de Sacram.Eucharist.lib.*1.*q.*381. docent quòd si quis aliquid aromaticum ore circumfert, sed nihil ex intentione deglutit, nisi minimum quid per modum succi inseparabiliter saliuæ immixtum, non frangit ieiunium naturale, atque adeò posse Eucharistiam sumere; secundùm Lorichium *in thesauro ver. Missa num.*21.§.3. non impedit communionem si quis granum aliquod paruum in os sumeret ad masticandum, pro confortatione capitis, sine intentione comedendi, si casu in stomachum descenderet. Antonius tamen de Leone supponit semper aliquid de tabacho in stomachum transmitti impediens communionem. Restat modò respondere ad alia argumenta, quæ pro sua sententia adducit dictus Anton. de Leone. Dico igitur non esse admittendum illud principium, res non comestibiles, neque nutritiuas si ab agente sumantur cum applicatione & intentione sumendi illas per modum cibi, frangere ieiunium Eucharisticum. non est, inquam, hoc admittendum, nam si res, quæ sumuntur à parte rei, non sunt cibi, nó possunt frangere ieiunium, intentio enim & applicatio agentis non potest facere de non cibo cibum, & Concilia & Canones, vt suprà visum est, solos cibos prohibent, ergo de illis cibis loquuntur, qui in stomacho alterari, & concoqui possunt. Et licèt Granadus *de Sacram. contr.*6.*tr.*10.*disp* 8.*n.*6. & alij, quos ego retuli *in* 3.*p. tract.*4.*resol.*38. faueant contrariæ sententiæ, tamen & alij, quos ego ibi sum sequutus, probabiliter asserunt rem non comestibilem neque nutritiuam, etiamsi sumatur ab agente per modum cibi, non frangere ieiunium. Et hanc sententiam præter Doctores ibi adductos cum Cælestino, Alphonso de Leone & Vega *in Espejo de Cursus tom.*1. *cap.*10.§.17.*n.*161. teneat nouissimè, me citato, duo docti recentiores, Ioannes Sancius in editione Lugdunensi *disp.*42.*n.*23. & Ioannes de Lugo *de Sacram.Euchar. disp.*15.*sect.*2.*n.*25. & probatur, quia, ait Lugo, si cibus sit in quantitate notabili, nullum videtur esse discrimen inter ieiunium naturale, & Ecclesiasticum, nisi exiguæ materiæ paruitas; sed certum est quòd si aliquæ materiæ adductæ ab Antonio de Leone sumerentur in magna quantitate, non frangerent ieiunium Ecclesiasticum, ergo neque naturale, & ideo cum dicto de Lugo contra dictum de Leone, dicendum est quòd si quis deglutiret in magna quantitate nummos aureos non violaret neque ieiunium Ecclesiasticum, neque naturale, & ideo dicendum est contra Leonem de plumbo, & ego addo de officulis aliquorum fructuum, de fragmentis metallorum, de vitro, de lapillulis, lignis duriori & similibus & ratio horum est, quia nomine cibi non intelliguntur nisi ea, quæ, per se loquendo, alterari possunt à stomacho. Nec valet decere in fauorem Leonis, & contra Lugo, quòd rum nutrire videtur, nam in medicamentis interdum adhibetur, nam respondeo cum Dandido *de Anima lib.*1. *com.*53. *digress.*25. quòd præterquam medicamentum quatenus medicamentum est, nutrire non debet, sed qualitate quapiam alterare, aut efficere tuentis substantiam aurum illud exiguæ quantitatis in puluerésque contusum, potione aliqua temperatum sit oportet, vt à calore superari queat, alioqui si integrum deuoraretur, vt est in casu, de quo loquitur Lugo, cum excrementis ejicitur. Vnde ex supradictis infero non bene Nugnum *in* 3.*p.q.*80.*art.*8. dixisse improbabile esse quòd aliqui asserunt trafglutientem papyrum communicare posse, & adducit pro sua sententia D. Thomam *vbi suprà ad* 4. to quòd dicat non referre quicquam ad soluendum ieiunium naturale, quòd illud, quod assumitur, nutriat, vel non, dummodo assumatur per modum cibi. At his verbis S. Doctor suam non munit sententiam, cùm solùm asserat nihil referre ad soluendum ieiunium naturæ, quando illud quod assumitur, esset in tam modica quantitate vt non nutriat, quod ego etiam assero. Sed non dixit D. Thomas nihil referre ad frangendum naturale ieiunium illud quod assumitur, esse, vel non esse nutritiuum, quod tamen asserere necessarium esset, vt sententia Nugni faueret, & hæc omnia contra illum docet Sancius *in selectis, disput.*42. *numero* 23. Sed dato, & non concesso, quòd res non nutritiuæ frangerent ieiunium naturale, dicendum est non frangere illud, nisi sumantur per actionem comestiuam vt suprà satis probatum

probatum est, quod non accidit in sumptione tabachi de qua loquimur, cùm sumatur per nares, vel per modum respirationis, vel in stomachum non traijciatur, ergo, &c.

6. Ad auctoritatem verò Conciliorum Prouincialium Limensis, & Mexicani, quæ pro sua sententia adducit Leo, respondeo quòd in illis partibus forsitan tabachus sumitur in tali modo, vt ferè semper ad vomitum prouocet, & ideo rectè ab illis Conciliis eius sumptio prohibita fuit, & hoc ego colligo apertè ex Synodo Episcopatus Canariarum, relato ab ipso Leone. vbi in constitutione *de vita & honestate Clericorum, fol.* 128. sic habetur. [Item ordenamos, que ningun Clerigo antes de dezir Missa, ni dos horas despues de auerla dicho tome tabacho sub pœna excommunicationis latæ sententiæ] ex quibus verbis apparet sumptionem tabachi non prohiberi nisi ratione vomitus. nam aliàs non prohiberetur per sumptam Eucharistiam, etenim post illam non solùm tabachus, sed omnis cibus sumi potest. & hæc dicta sufficiant in defensionem sumptionis tabachi, quem tamen ego non sumo.

RESOL. CXXI.

An sumptio Tabachi ante celebrationem Missæ, vel communionem frangat ieiunium naturale? Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Res. 3.

In hoc latè Salas. præsens, & in Bel. seq. §.

§. 1. Affirmatiuam sententiam nominatim contrà me tenet P. Lezana *in summa quæst. Regul. tom. 3. verb. Eucharistia, quoad Regulares, n.* 18. vbi sic ait; De tabachi sumptione noua quæstio est, propter nouum vsum, forsan abusum huius sæculi, an impediat communionem. Aliqui enim respondent negatiuè, Diana *5. part. tract.* 13. *resol.* 1. Quod mihi non placet; quia tabachus verè est nutrimentum, vt constat ex multis experientiis plurium, qui ex ipso solo sustentati sunt: verè etiam est medicina; hoc enim prætextu sumitur, sumitur etiam non casu, sed ex intentione, & proposito, vt suppono: & quod sumatur per nares non tollit quo minus talis actio sit comestio, & si non communis, & ordinaria, sed extraordinaria, qualis esset si ægroto edere per os non potenti aliquis liquor daretur per nares, & inde ad stomachum deueniret. Quare, credo, quòd, siue sumatur in puluere, siue in fumo, siue in folio, siue per os, siue per nares, nisi sit in tam parua quantitate, vt moraliter certum sit, nihil ipsius substantiæ ad stomachum peruenisse, impedire communionem. Ita ille.

2. Sed ego iterum non discedo à sententia, quam *vbi suprà*, docui, & quam, me citato, tenet nouissimè Marchantius *in resol. Pastor. tract. 4. in Appen. ad c.* 2. vbi sic asserit. Quæstio quotidiana est, an liceat ante Missam, vel communionem, sumere tabachum, siue per modum fumi, siue per modum pulueris, siue per modum folij, quod masticatur, & expuitur illicò? Sæpe respondi, id non parum indecens esse; & ita consuetudinem illam planè ablegandam à Sacerdotibus, & Ministris Altaris, tanquam corruptelam. Peccati tamen mortalis absolutè, & per se condemnare non ausus fui. Quia non frangit ieiunium tabachi sumptio, nisi quando per os sumitur, & in stomachum transmittitur; nempe tunc per modum cibi sumitur. Et licèt fumus tabachi per os sumatur, non tamen per modum cibi sumitur, aut potus; nec ideò sumitur, vt per se & ex intentione in stomachum traijciatur comedendo, vel bibendo, quod est propriè per modum potus, vel cibi sumere; quin potius per nares exit. Quod si etiam aliquid ex fumo in stomachum recipiatur, vt aliqui dicunt, id tamen magis fit per modum respirationis, quàm per actionem quæ sit comestio, vel potatio. Sed etiamsi tabacho aliquis humor commoueatur in capite, qui forsan in stomachum potest defluere, non tamen est manducatio; ideò strictè, & per se loquendo, ordinariè non impedit, tanquam frangens ieiunium. Nam ad fractionem ieiunij passim duo requirunt Doctores, scilicet quòd sumatur aliquis cibus, vel potus, & quidem sumatur per actionem, quæ sit manducatio, & potatio; ad quod requiritur quòd fit traiectio per os in stomachum propria actione vitali. Hæc Marchantius; cui adde ex Societate Iesu Antonium de Escobar *in Theolog. moral. tract. 7. exam. 6. cap. 5. num.* 62. ita asserentem: Tabachinæ pulueres, fumus, aut folium prohibet à communione? Puluis aut fumus minimè, qui nullam cibi, aut potus rationem habet per na[illegible]s traiectus. At folium in os admissum, si ad ston[illegible] traijciatur integrum, (nempe aliqua folij p[illegible]a) prohibet à Communione; secus si per modu[illegible] saliuæ aliqua folij resolutio deglutiatur. Sic ille.

3. Hanc etiam sententiam, me citato, approbat P. Auersa *de sacrament. Eucharist. q.* 8. *sect.* 8. §. 3. & 6. docens non impediri communionem, aut celebrationem per sumptionem tabachi in puluere, aut folio, aut fumo. Et hanc sententiam tanquam probabilem, me citato, admittit Machadus *tom. 1. lib. 2. part. 4. tr. 8. document. 4. num. 3. & 4.* & absolutè, me etiam citato, illam tenet Pasqualigus *in praxi de ieiun. decis.* 438. Vnde aduersùs amicissimum Patrem Lezanam remanet satis probabilis nostra opinio, quam sequuti sunt tot viri docti.

4. Hæc tamen dicta esse volo in rigore loquendo; nam ob reuerentiam debitam Sacramento, consulo, vt à sumptione tabachi abstineatur, maximè in folio per os, propter periculum illud traijciendi in stomachum.

5. Ad rationes P. Lezanæ respondeo, quod dato, & non concesso, quòd tabachum sit nutritiuum, vel sumatur per modum medicinæ; tamen hoc non obstat quando sumitur in puluere, & fumo per nares, quia non sumitur actione comestiua, vel potatiua sine qua non frangitur ieiunium naturale, vt ego satis firmaui in loco à P. Lezana citato. Et ideo, si sumatur in folio per os, & aliqui[illegible] in stomachum descendat, certum est, quòd frang[illegible] ieiunium; nam ita descendit in stomachum actione comestiua, & per modum cibi; ergo, nisi aliquid descendat in stomachum ex casu, & præter intentionem; seu, vt dixit Escobar, *vbi suprà*, deglutiatur per modum saliuæ aliqua folij resolutio, non autem aliqua folij particula.

Nota etiam, quòd post hæc scripta inueni nostram sententiam, me citato, docere etiam Leandrum *de Sacramentis, tom.* 1.

RESOL. CXXII.

An sumere Tabachum in Ecclesia sit peccatum mortale? Et an, si dentibus conteratur frangat ieiunium Eucharisticum?

Et quid, si per nares assumatur? Ex part. 10. tract. 16. & Misc. 6. Res. 24. aliàs 23.

§. 1. Quoad primum respondeo affirmatiuè, si sumatur Romæ in Ecclesia D. Petri, & eius porticu, & Hispaniæ, si sumatur in Ciuitate, & Diœcesi Hispalensi, stantibus prohibitionibus Sanctiss. D. N. Innocentij X. & Vrbani VIII. sed difficultas est, quid dicendum in aliis Ecclesiis, & affirmatiuè respondet Pater Pasqualigus *in qq. Canonicis, cent.* 2. *quæst.*

9.175. quia sumptio tabachi in Ecclesia, & eiusdem atriis non est mala, quia prohibitio, & proinde malitia ipsius non coarctatur intra terminos Diœcesis Hispalens. intra quos coarctatur prohibitio; sed ideò est prohibita, quia mala: vnde vbique retinet suam malitiam. Itaque putat sumere tabachum in Ecclesia, ex genere suo esse peccatum mortale, nec fieri veniale, nisi ex leuitate materiæ. Ratio est, quia huiusmodi peccatum est dignum, quod puniatur pœna excommunicationis, vt constat ex præfata constitutione Vrbani VIII. in qua ponit excommunicationem ipso facto incurrendam pro tali peccato; ergo cum excommunicatio non possit imponi nisi pro peccato mortali, *cap. Romana & cap. dilecto*, de sententia excommunicationis, & docent communiter, huiusmodi peccatum erit mortale. Præsertim quia punitur tali pœna, tanquam de se peccatum, & non quia prohibitum. Vnde non potest dici, quod sit mortale, quia sub mortali prohibeatur à Pontifice, non autem quia de se non sit mortale. Nam Pontifex mouetur ad prohibendum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ex indecentia, & irreuerentia, quam continet, & quia vult extirpare abusum tam scandalosum. Vnde supponit, quod contineat talem malitiam, quæ excommunicatione puniri possit.

2. Verùm consultus hic casus à me cum viris doctis senserunt contra P. Pasqualigum, non esse peccatum mortale, quod nouissimè docuit Eminentiss. Cardin. de Lugo *in respons. moral. lib. 1. dub. 9. n. 7.* vbi loquens de sumptione tabachi, sic ait: Monuerim tamen, ne id in Ecclesia, vel eius ambitu fiat, cum propter reuerentiam illorum locorum Sanctiss. D. N. Vrbanus VIII. id in Diœcesi Hispalensi prohibuerit, vt vidimus: quæ prohibitio licet ad alias Prouincias non extendatur, supponit tamen sine irreuerentia aliqua loci Sacri id fieri non posse. Ergo, dum asserit prohibitionem illam non extendi ad alias prouincias, sumptio tabachi in Ecclesia non est mala, quia mala; & ideò Cardinalis vbi suprà tantum monet, ne in Ecclesia sumatur, ergo talis sumptio non erit peccatum mortale, licet sine aliqua irreuerentia loci fieri non possit. Itaque sumptio tabachi in Bulla Vrbani VIII. fuit materia excommunicationis, non quia sit mala ex genere suo, sed propter nimiam irreuerentiam & graue scandalum cum quo sumebant in Diœcesi Hispalensi.

Sup. hoc in duabus præcedentibus Res. latissimè.

3. Quoad secundum dubium, videlicet, an sumptio tabachi frangat ieiunium Eucharisticum, latè de hac quæstione actum est nobis alibi, & quando sumptio tabachi fit per nares, certum est, quod non frangit ieiunium, & ita me citato, tenet Leandrus *de sacram. tom. 2. tr. 7. disp. 5. q. 10.* & alij communiter. Difficultas est, quando folium tabachi ore sumitur, & dentibus conteritur ad sputa, & flegmata ex ore proijcienda. Aliqui Theologi à Cardinali Lugo consulti prorsus responderunt, talem sumptionem tabachi non impedire communionem: quia non est necesse, quod aliqua substantiæ pars traijciatur in stomachum, vt ij effectus fiant, imò summa cura adhibetur, ne aliquid transeat, quia propter summam eius mordicitatem, & acrimoniã, vehementer læderet stomachum, vt constat experientia, si aliqua ex succo guttula casu deglutiatur, reluctante statim stomacho ad nauseam, & vomitum prouocato; quare continuo spuitur quidquid saliuæ in ore cum herba illa cõmiscetur. Potest tamen sufficere applicatio ad linguã & os, vt virtutem transmittat in stomachum; videmus enim sufficere aliquando quod applicetur ad nares, vt similes ferè effectus causet, licet tunc nihil per fauces traijciatur; quanto magis sufficiet quod in ore, & lingua habeatur? Secũdo, quia licet non possint qualitates eædẽ, quæ sunt ipsa herba traijci sine subiecto, & per consequens sine aliqua particula substantiæ, possunt tamen producere similes qualitates in medio, & in lingua, quæ porosa est, & participat eamdem tunicam cum ore stomachi, quæ qualitates productæ in medio deferunt secum virtutem ad eos effectus producendos. Sic enim videmus etiam, si vino generoso os abluatur, & si nihil traijciatur per fauces, apparere effectus confortato capite, atque etiam stomacho per consensum partium, & per communicationem qualitatum similium, quod non minus poterit in tabacho contingere. Plures alias probationes pro hac sententia adducit Lugo *vbi sup. n. 6. & 7.* vbi sic ait: Hæc & alia magistri illi pro praxi sua, & aliorum tuenda asserebant, quæ mihi ad minus eam licitam probant, quando aliquis ea solum intentione herbam illam ori applicat, vt sine traiectione substãtiæ operetur effectus, quos sine illa traiectione per attractionem, vel per productionem solum similiũ qualitatum operari potest, quicumque illi sint, & curando, provt omnes curare solent, ne succus, vel quidquam aliud in stomachum traijciatur. Si enim tunc aliquid ex succo mixtum cum saliua transierit, hoc erit præter intentionẽ, & casu, sicut de guttula aquæ, vel vini, qua os abluitur dici solet, atque adeo non violabitur ieiunium naturale. Hæc ille; quæ nimis plausibilia erunt tabachistis.

RESOL. CXXIII.

Num dubitans, an aliquid cibi, vel potus sumpserit, possit Missam celebrare, vel communicare.

Et an quoties quis dubitat an hora duodecima surrexerit, comedit, bibit, vel aut os abluendo dubitat an aliquam guttam deglutierit; vel si dentibus quidpiam masticans dubitet, an deglutierit, vt in vtramque partem inclinare possit, si deponat dubium practicum, possit celebrare, & Eucharistiam sumere? Ex p. tr. 4. Res. 29.

§. 1. NEgatiuam sententiam docent Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. diffic. 41. n. 40.* Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 1. diffic. 21. n. 6.* Fagundez *p. 3. lib. 3. cap. 5. n. 18.* vbi asserunt, quòd dubitans, an sit nudus hora noctis duodecima, & comedat, aut bibat, non potest die crastino sumere Eucharistiam, quia positio est pro præcepto communicandi, seruato ieiunio naturali; tum, quia nulla est possessio ex parte communicantis, vt in dubio eius conditio potior sit.

2. Sed is non obstantibus, aduersùs Sanchez insurgit nouissimè Sancius *in selectis, disp. 42. per tot.* vbi acriter illum impugnat, & probat, quòd quoties quis dubitans, an hora duodecima noctis somnierit, comedit, bibitve, aut os abluendo, dubitat an aliquam guttam deglutiuerit, potest sacram Eucharistiam sumere, si deponat dubium practicum, iudicans quòd hic & nunc sibi liceat suscipere, quantumcunque perseueret in dubio speculatiuo. Et ad argumẽta contraria respondet, & rationes pro sua sententia adducit, quæ sunt adeò probabiles, vt existimem hanc sententiam in praxi tutam & securam esse.

3. Et post hæc scripta inuenio etiam Laymann in *Theol. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. n. 36.* contra Sanchez hanc sententiam tanquam probabilem etiam admittere, sic enim asserit. Numquid Sacerdos dubitans, an noctis medium cœnando excesserit, altera die sacrificare poterit? Negat Sanchez, quia in tali dubio tutior pars eligenda videtur propter reuerentiam Sacramenti. Sed existimo non improbabiliter, permitti posse Sacerdoti, vt in tali casu sacrificet, etiam propter deuotionem, ac nulla cogente necessitate, quia lex ecclesiastica de ieiunio communicaturis seruando non

non videtur tam arctè constringere conscientias in casu dubio. Simili modo respondetur, si dentibus quidpiam masticans, dubitet, an deglutierit, vt in vtram partem inclinare possit, quòd à sacra communione abstinere non teneatur, quia in eiusmodi casibus fauorabilia præsumere licet, ne conscientiæ nimis adstringantur. Ita Layman, & ego, quæ valdè notanda sunt, quia quotidiana, & multos scrupulos sedabunt, nec in aliis auctoribus passim obuia.

RESOL. CXXIV.

An reliquiæ præcedentis diei, quæ hærent inter dentes, si sponte, & voluntariè deglutiantur, impediant communionem, & Missæ celebrationem?

Et quid, si remaneat aliquis notabilis, & magna reliquia, etiam si casualiter deglutiatur?

Et an si quis aliquantulum aquæ per nares attrahat, quæ in stomachum transmittatur, maneat impeditus ad celebrationem Missæ, vel sumptionem Eucharistiæ?

Idem dicendum est, si quid per modum respirationis attrahatur, etiam si possit nutrire, vel alterare, vt musca, vel quid simile. Ex part.3.tr.4.Ref.37.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Gabriel Vasq. *in* 3. *p.tom.*3.*disp.*11. *c.*4.*art.*30.vbi ita. Si reliquiæ cibi non deglutirentur casu, sed ex industria, impediret sumptionem Eucharistiæ, quia cùm de *industria* deglutirentur, non sumerentur per modum *saliuæ*, sed per modum cibi. Filliucius *tom.*1.*tr.*4.*c.*8. *n.*236. sic asserit. Qui reliquias cibi ex cœna remanentes casu traijcit, nec etiam frangit, si tamen aduertantur, antequam deglutiantur, debent exspui, quia tunc viderentur de nouo comedi; idem docet Nugnus *in* 3.*p.tom.*1.*q.*80.*art.*8. ita loquens; Colligitur, quòd si reliquiæ cibi remanentes in ore ex intentione transglutiantur, sunt impedimentum ad communionem pro illo die; imò videtur mihi, quòd si remaneat aliqua notabilis, & magna reliquia, etiàsi casualiter transglutiatur, si postea cognoscatur, est homo impeditus ad communicandum pro illo die. Sic Nugnus, & ante illum Paludanus *in* 4.*disp.*8.*q.*2. *art.*2.*concl.*2. & videtur apertè sententia D.Thomæ *in* 3.*p.q.*80.*art.*8. *ad* 4. & in illam inclinat Layman *in Theol.lib.*5.*tr.*4.*cap.*6.*n.*18. Et ratio (vt dictum est) erit. Primò, quia talis actio videtur noua comestio, cùm ex vi prioris non sequatur, sed noua actio voluntaria fiat. Secundò, quia iam non videtur id sumi per modum saliuæ: vide etiam Fagundez, Suarez, & alios *vbi infrà*, Barthol. ab Angelis *in exam.confess. dial.*4.§.214. Reginaldum *tom.*2. *lib.*29. *cap.*6.*n.*119. & Muttinum *in Theol.mor. de sacr.Eucharist.q.*10.

2. Sed si aliquis voluntariè tales reliquias deglutiret, & postea communicaret, non damnarem de peccato mortali, nam contraria sententia videtur probabilis, vt visa est Suarez *in* 3.*p.tom.*3.*disp.*68.*sect.*4. qui citat doctissimum Tabienam; & illam tenet Henriq. *in summ.lib.*8.*cap.*50.*n.*4. *in glossa litt.V.* & tanquam probabilem admittit etiam Ioan.de la Cruz *in direct. conscient.p.*2.*q.*5.*dub.*4.*concl.*2. vbi sic ait: Item, quæ manent in ore ex extrema cœna, si casualiter, imò licet aduertenter, secundùm aliquos, non impediunt sumptionem Eucharistiæ. Ita ille. Vide etiam Molfesium *in summa tom.*1. *tract.*3. *cap.*10.*n.*13. Pitigianum *in* 4.*tom.*1. *dist.*18.*q.*3. *art.*3. Chamerotam *de Sacram. tract.*4. *cap.*10. *dub.*9. & Rodriguez *in sum. tom.*1. *cap.*103. *n.*3. vbi ita asserit. [Por tragar vno vna reliquia de manjar que le quedo entre los dientes, no queda impedido para comulgar, porque esto no se traga por modo de manjar, sino por modo de saliua, pero si la reliquia fuere tal que se parta entre los dientes tragandose no podra comulgar.] Et Conich *de Sacram. q.*80. *art.*8. *n.*47. pro hac sententia duas adducit rationes. Prima est, quia deglutitio talium reliquiarum pertinet potius ad manducationem præcedentis diei, quàm præsentis; deinde cum dictæ reliquiæ hodie nullo modo ab extrinseco ori imponantur, non sumuntur iam per modum cibi, sed per modum saliuæ. Ergo non impediunt communionem, etiamsi voluntariè deglutiantur. Sed his non obstantibus consulendum est, dictas reliquias, quantum commodè fieri potest, exspuere.

3. Notandum est tamen hic obiter, quòd si quis aliquantulum aquæ per nares attrahat, quæ in stomachum transmittatur, non manet impeditus ad sumptionem Eucharistiæ, quia non fuit per modum cibi, aut per modum potus transmissa. Idem dicendum est, si quid per modum respirationis attrahatur, etiamsi possit nutrire, vel alterare, vt musca, vel quid simile. Et ita docent Fagundez *de præceptis Ecclesiæ, præc.*3.*cap.*5.*n.*14. & alij.

RESOL. CXXV.

An reliquiæ cibi, si traijciantur ex industria, impediant communionem, & Missæ celebrationem?

Et de multis aliis casibus agitur, in quibus quis potest communicare, & Sacrificium facere non ieiunus.

Et quid, si reliquia sit magna, & notabilis, etiam si casualiter deglutiatur?

Et asseritur, quod quando esset præceptum communicandi, & infirmus non posset sine graui nocumento omittere potionem, posset sumere Eucharistiam non ieiunus.

Et notatur, quod si ægrotus non possit res suas transmittere, possit communio dari imposita parua parti Hostiæ in vino in cochleari.

Etiamque cursim aduertitur, quod si Sacerdos aduertit se non esse ieiunum, potest pergere in Sacrificio, licet aduertat ante consecrationem. Ex part.4. tract.4. & Misc. Ref.104.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Ioan. Præpositus *in* 3.*part. D.Thom.q.*80.*art.*8.*dub.*1.*n.*40. vbi sic ait: Idem dicendum de reliquiis ciborum pridie sumptorum, quæ interdum hærent inter dentes, dicendum, inquam, non impedire communionem, si casu transmittantur, quia dicuntur transmitti per modum saliuæ, secus si transmittantur de industria. Ita ille, & post illum nouissimè Gaspar Hurtado *de Sacram.disp.*9.*de Eucharistia, diffic.*15.

2. Sed ego *in* 2.*part.tract.*4.*resol.*37. contrariam sententiam probabilem censui, & illam docet Petrus Ochagauia *de Sacram.tract.*2. *de Eucharistiæ effectibus, quæst.*12. *num.*7. vbi ita asserit: Ieiunium naturale non soluitur ex eo, quòd reliquiæ cibi quæ inter dentes manserunt ex die præterito, postea in stomachum traijciuntur, ex industria. Hæc ille. Et hanc opinionem probabilem etiam putat Tannerus *tom.*4. *disp.*5.*quæst.*8.*dub.*4.*num.*99. vbi contrariam tutiorem tantùm vocat.

3. Aduertunt tamen alij, & inter illos Ludouicus de San Iuan *in summ.tom.*1.*q.*7.*art.*10. *de sacram.Euchar.dub.*3. *concl.*1. [Que si la reliquia es tan grande que es menester mascarla primero con los dientes, parece, que se quebranta el ayuno, porque se come y traga à manera de manjar y no de saliua.]

4. Notandum est hîc obiter quod Toletus *lib.*2. *cap.*28. *num.*4. asserit quòd quando esset præceptum communicandi, & infirmus non posset absque graui

nocumento omittere potionem, posse sumere Eucharistiam non ieiunum; sed hoc non admittit Præpositus *loc. citato dub. 2. n. 42.* nam in tali casu communio potest sine peccato differri, nec Ecclesia censetur velle obligare ad communicandum eum, qui non potest ieiunus communicare.

Sup. hoc infra in tr. 2. Res. 53. §. vlt. Et signanter in fine, &c.

5. Nota etiam pro praxi quòd si ægrotus non possit res suas transmittere, possit communio ei dari imposita parua parte hostiæ cum vino in cochleari. Ita Præpos. *vbi suprà*, vide etiam Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 67. sect. 6. §. secundus casus, post medium, & disp. 71. sect. 3. sub finem.*

Sup. hoc post consecrationem infra in Res. 130. §. vlt. in principio, & signanter in Res. 230. §. Nec obstat. ad medium, vers. Aliquorum. & in tom. 1. tr. 3. Res. 162. §. 1. prope finem vers. Si quis ante.

6. Tandem nota quòd Sacerdos si aduertit se non esse ieiunum, potest pergere secundùm aliquos in sacrificio, licèt aduertat ante consecrationem, sed alij probabiliùs id negant, excepto casu, quo non potest sine nota ab Altari recedere, in quo casu idem dicendum de eo, qui est in scamno communicantium, vt communicet. Sic Præpositus *num. 4.*

RESOL. CXXVI.

An in ieiunio pro Missa celebranda, vel communione sumenda, detur paruitas materiæ?

Et quid est dicendum, si musca, aut aliquid minimum casu intrauit in os apertum, an obstet Missæ celebrationi, vel communioni? Ex part. 5. tractat. 5. Resol. 12.

Sup. hoc in Res. seq. & infra in tr. 2. Resol. 57. §. Quod autē. & sequ. in tom. 1. tr. 6. Res. 47. §. 1. cursim prope finem, vers. sicut deglutire.

§. 1. ALiqui, teste Hurtado *de Sacram. Eucharist. disp. 9. difficult. 15.* existimant tantùm esse peccatum veniale Eucharistiam sumere post sumptionem cibi, & potus in parua quantitate ob leuitatem, seu paruitatem materiæ; & Gotfredus & Præpositus docuerunt ad sumptionem Eucharistiæ sufficere ieiunium Ecclesiasticum, quia ieiunium ad eam prærequisitum præcipitur ab Ecclesia: ergo eodem modo intelligendum est, quo Ecclesia intelligit ieiunium, quod pro diebus ieiunij præcipit.

2. Sed prorsus contrariam sententiam tenendam esse puto. Dico igitur esse lethale crimen ieiunium naturale frangere ante communionem sumpta quantumlibet minima parte cibi, nisi per modum saliuæ, aut respitationis sumatur, vel attrahatur. Nam materia prohibita ab Ecclesia non est, quod quis non sumat cibum, vel potum absolutè, sed quod non suscipiat Eucharistiam post cibum, vel potum; huiusmodi autem præceptum violatur simpliciter in suo actu principali, etiamsi ieiunium in parua materia solutum sit: & ita docet Hurtado *vbi supra*, cui adde Ioannem de Lugo *de Sacrament. Eucharist. disput. 15. section. 2. num. 22.* Præpositum *in 3. part. quæst. 80. art. 8. dub. 1. num. 39.* Sancium *in select. disputat. 51. num. 1.* Suarez *in 3. part. tom. 3. disput. 68. section. 4.* Vasquez *disput. 211. cap. 3.* Ochagauiam *de sacram. Eucharist. tract. 2. quæst. 12. num. 7.* Turrianum *de inst. tom. 1. disput. 22. dub. 1. num. 6.* & alios penes ipsos. Vnde puto contrariam sententiam esse improbabilem, & ideò in Concilio Toletano VII. *Can. 2.* relato *in cap. nihil, quæst. 1.* dicitur, nullus post cibum, potumque quemlibet minimum sumptum Missas facere præsumat.

3. Non desinam tamen hîc admonere ea quæ docet Granado *in part. de Sacram. contr. 6. tr. 10. disp. 8. num. 8.* vbi sic ait: Tabiena & Henriquez dicunt, si musca, aut aliquid minimum casu intrauit in os apertum, non obstare communioni, quia id non est manducare. Et quidem si minimum aliquid inaduertenter traijciatur, eo ipso censetur traijci per modum saliuæ, ac proinde nō soluere ieiunium. An verò quantitas muscæ sit adeò minima, vt de illa hoc verificetur, incertum mihi est. Pater Thomas Sanchez ait non obstare communioni, quod quis inaduertenter calicem deglutierit. Pater Ildefonsius Rodriguez ait, aquam quam putamen auellanæ capit, esse minimam. Res restringenda potius, quàm extendenda est. Hucvsque Granado.

Sup. hoc infra in Res. 151. §. Sed iste. cursim ad medium, & inferiùs in tr. 2. Res.

RESOL. CXXVII.

An ieiunio Eucharistico detur paruitas materiæ excusans à peccato mortali? Ex part. 6. tr. 8. & Misc. Resol. 8.

§. 1. PRo affirmatiua sententia conatur P. Paguius *in decis. 335. per totam*, multas adducere rationes, licèt in fine sic asserat. Hæc quidem & alia quæ possent adduci, probabilem faciunt hanc opinionem, nō tamen audeo aliquid determinare, & Lector melius poterit rem ponderare; non tamen assentior P. Dianæ citato dicenti hanc sententiam esse improbabilem. Ita ille. Sed hanc sententiam esse falsam ante me dixit Persicus *de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 3. dub. 5. n. 4.* Et Suarez *tom. 3 disp. 66. sect. 4.* asseruit non esse practicè probabilem; & Ego nerui improbabilem puto, cum sit contra communem opinionem Theologorum & Casuistarum, qui in puncto materiam pertractarunt, videlicet. An in ieiunio Eucharistico detur paruitas materiæ; & vsque adhuc nullum inuenio Auctorem, qui affirmatiuam sententiam doceret. Probatur nostra opinio ex auctoritate Concilij Toletani *7. cap. 2.* quod refertur *in cap. nihil 7. q. 1.* vbi statuitur. Vt qui cibum potúmque quamlibet minimum sumptum Missas facere præsumpserit excommunicetur. Ergo clarè patet in ieiunio Eucharistico non dari paruitatem materiæ, inducens tantum peccatum veniale; nam pœna excommunicationis non fertur nisi propter peccatum lethale. Dicere autem quod Concilium loquitur de quantitate minima; quæ non soluceret ieiunium Ecclesiasticum; gratis dicitur, nam absolutè pronunciant esse excommunicandum qui celebrauit post cibum sumptum in quauis quantitate minima, ergo excludit omnem paruitatem materiæ.

2. Probatur secundò ex auctoritate Rubricæ, vbi sic habetur: *Si quis non est ieiunus post medium noctem etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi in quantumcumque parua quantitate, non potest communicare, nec celebrare.* Ita ibi. Ergo necessariò sequitur non dari parvitatem materiæ in ieiunio Eucharistico, cum Rubrica dicat quod post cibum sumptum in quantumuis parua quantitate, non potest quis communicare, vel celebrare; sed peccatum veniale non impedit sumptionem Eucharistiæ: Ergo dicendum est in tali casu, peccatum mortale adesse. Quod etiam probatur in dicta Rubrica paulò infrà vbi subdit; *Quod si lauando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionē non impedit communionem, quia sumpta fuit per modum saliuæ.* Si ergo stilla aquæ, illico sumpta per modum saliuæ, secundùm Rubricam non impedit communionem, nec frangit ieiunium Eucharisticum, quia sumitur per modum saliuæ; clarè patet in hac materia non dari paruitatem materiæ, cùm nulla maior paruitas materiæ excogitari potest, quàm stilla aquæ, & tamen vt visum est impediret communionem, & ieiunium Eucharisticum frangeret, si non sumeretur per modum saliuæ. Ergo. Et quidem si in ieiunio naturali pro sumptione Eucharistiæ danda esset paruitas materiæ inducens tantum peccatum veniale, aperiretur ianua

ianua multis absurdis in assignanda quantitate paruitatis materiæ, nam si aliquis diceret v.g. vnam stillam aquæ esse paruitatem materiæ, alter respondebit, & quare non duæ, tres, vel quatuor; & non deficerent qui opinionem Ildephonsi Rodriguez, quam adducit Pasqualigus in praxi deducerent, nempe parum aquæ, quam putamen auellanæ capit; esse paruitatem materiæ; quod quidem apertè esset contra textum *in cap. ex parte, de celebratione Missarum*, vbi statuitur, quod Sacerdos qui in Missa sumpsit ablutionem non possit progredi ad vlteriorem Missam celebrandam. Ex quo textu, vt obseruat Præpositus *in 3. part. D. Thomæ quæst. 8. art. 9. de Sacram. Euchar. num. 39.* Vasquez *tom. 3. disput. 211. cap. 3. num. 28.* & alij, id quod suprà probatum est apertè constat, nempè non dari paruitatem materiæ in ieiunio Eucharistico, & ideo minimam sumptionem impedire communionem; cùm in Missa parum à Sacerdotibus sumi soleat pro ablutione, sumitur enim parum vini. Rectè igitur ex veteribus dixit Durandus *in 4. distinct. 8. quæst. 4. num. 11.* eum qui post minimum cibum, aut potum Eucharistiam sumit, esse præuaricatorem præcepti, sed præuaricator non dicitur, nisi qui mortaliter peccat. Ergo, &c. Dicere autem quod Durandus loquitur de modico cibo, quale, non solueret ieiunium Ecclesiasticum, gratis dicitur, & ideo Vasquez & Pereirus *vbi suprà* illum citant pro nostra sententia. Pro qua etiam facit omnium Magister D. Thomas *in 3. part. quæst. 80. art. 8. in corpore*, vbi docet dupliciter aliquem impediri à sumptione Eucharistiæ, primò secundùm se, & sic impeditur quis ob peccatum mortale; secundò ob prohibitionem Ecclesiæ & sic impeditur post cibum & potum. Sed primùm impedit sub peccato mortali. Ergo etiam secundum. Nec valet dicere quod in his verbis de paruitate materiæ, nec verbum quidem D. Thomas. Nam respondeo se magis explicare, ibidem *in respons. ad 5.* vbi asserit, post sumptionem cibi, & potus in quantumcumque parua quantitate non licere communionem recipere. Ergo excludit omnem paruitatem materiæ, & supponit in illa peccatum mortale; nam cum peccato veniali licitum est sumere Eucharistiam, & tamen ipse dicit, quod non licet illam sumere post sumptum cibum in quantumuis minima quantitate. Et quidem si pro digna susceptione Eucharistiæ ex præcepto Ecclesiastico, certum est quod requiritur ieiunium naturale, quod minima parte cibi, aut potus dissoluitur, sequitur hanc etiam minimam partem etiam præceptum voluisse comprehendere.

RESOL. CXXVIII.

An particula consecrata frangat ieiunium naturale?

Et cursim docetur nulli, etiam si Sacerdos sit, extra celebrationem licere in die bis communicare.

Et notatur Sacerdotem posse pluries celebrare, non solum in Festo Natiuitatis, sed etiam vrgente aliqua necessitate, qualis esset ad moribundum communicandum; vel ad satisfaciendum duabus Parochiis, quarum curam habet vnus solus Parochus.

Et cursim aduertitur, quod prohibitum est Sacerdoti sacrificanti de sacrificio non participare modo ieiunus celebret.

Etiamque notatur Sacerdotem non ieiunum posse sacrificare ad dandum Viaticum moribundo, & in dicto casu posse etiam consecrare non in azymo, sed in fermentato, si panis azymus non adsit, & sine aliquibus vestibus ad hoc ministerium assignatis, & quamuis vestes, aut vasa non sint benedicta, aut consecrata. Ex part. 11. tract. 6. & Misc. 6. Resol. 15.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Fagundez *in præcept. Eccles. præcept. 3. lib. 3. cap. 7. n. 11.* vbi sic ait: Nulli verò, etiamsi Sacerdos sit, extra celebrationem licet in die bis communicare, vt docent communiter Doctores. Et ratio est, quia id vetat Ecclesiæ consuetudo vniuersalis, quæ consuetudo obligat sub præcepto: deinde, quia si secundò quis communicet, cùm in prima communione sumat ablutionem, iam secundò communicare non poterit ieiunè, vt patet; imò quamuis ablutionem non sumat, sed solam particulam hostiæ, iam ieiunus non communicabit secundo, ac proinde non licitè. Enimverò Sacerdotibus si in die natalitij Domini conceditur ter celebrare post communionem ante ablutionem digitorum sumptam, id quidem ex priuilegio est, quod excedere non possunt absque graui, & lethali culpa. Ita ille.

2. Sed contrariam sententiam tenet P. Thomas Hurtado; putat enim particulam consecratam non frangere ieiunium naturale, & ideò de cocholata, & tabaco, *tract. 2. cap. 9. §. 3. n. 125.* quærit: [Si vn Sacerdote comulgò sin celebrar, si podrà celebrar?] Et sic respondet: [El caso no le visto en ningun Autor, y me parece puede suceder, que vn Sacerdote comulgue por su deuocion, sin tomar labatorio, y assi pregunto, si este tal podrà celebrar, si se ofrece alguna ocasion forçosa, ò necessitad vrgente? Supongo por cosa cierta, que a ningun seglar, ni Sacerdote que no celebra, no puede comulgar dos vezes al dia: assi lo tienen todos los Theologos, y Sumistas, con Santo Thomas *3. part. q. 80. art. 10. ad 4. & alibi.* Probo hoc esse de iure diuino, & quamuis non sit de iure diuino, ita tenet vniuersalis Ecclesiæ consuetudo: quæ cùm sit in materia grauissima, obliga à pecado mortal. Supongo mas contra Fagundez, que la Hostia consegrada, si no se toma el labatorio, no quebranta el ayuno natural, que la Iglesia manda se tenga antes de la sagrada comunion: y assi, el dia de Natiuidad, que se dizen tres Missas, sin tomar mas del Sanguis, no se disputa en el precepto del ayuno, sino en el que ay de no dezir mas de vna vez Missa. La razon es llana, pues los Concilios, y San Agustin, que hazen mencion de este precepto del ayuno, solo prohiben el comer, ò beber algo de los mantenimentos naturales, y vsuales, y esto por la reuerencia, y veneracion que se deue à este Santo Sacramento: *Hoc placuit Spiritui Sancto, in honorem Sancti Sacramenti*, dize San Agustin, y el hauer comulgado primero, no quita la nouedad que se requieren para esta veneracion, siendo este Pan, y mantenimento celestial: porque si bien sustenta el cuerpo, y el que le come conuierta las especies en substancia: pero no come substancia de pan, sino cuerpo de Christo, y assi no quebranta el ayuno natural; lo qual suponen como cierto todos los Theologos, y Sumistas: y assi, el no poder vn seglar comulgar dos vezes, no es por falta del ayuno, sino por la costumbre de la Iglesia que lo prohibe. Esto supuesto, respondo, que si vn Sacerdote comulgò sin tomar el labatorio, puede celebrar segunda vez, si se le ofrece necessitad vrgente.] Ita ille. Confirmatur hæc opinio ex Patre Amico *in Curs. Theolog. tom. 7. disp. 27. sect. 2. num. 14.* & aliis, vbi sic ait: Sacerdotem posse pluries celebrare, non solùm in festo Natiuitatis Domini, sed etiam vrgente aliqua necessitate; vt habetur *cap. Consuluisti, de celebrat. Missar.* qualis esset ad moribundum communicandum, vel ad satisfaciendum duabus Parœciis, quarum curam habet

Quoad hoc lege suprà doctrinam Resol. 96. & Res. eius secundæ not. & in tom. 4. tr. 8. Res. 94.

Sup. hoc, & duobus casibus seqq supra in Res. 91. & in aliis §§. eius annot. & pro

moribundo latè infra in Resol.133. à §. 2. & in aliis eius not. pro hoc casu. Et pro contrò in vers. cum prohibitum sit, huius textus, magis latè in to.4. tr.8. ex Resol. 90. §. Vnde non. & in alio vers. eius not. sed lege eam per totam & nō pigebit.

beret Parochus, & non posset propter paupertatem Vicarium sustinere; in his enim duobus casibus concedunt communiter Doctores, posse Sacerdotem pluries in die celebrare, & consequenter communicare, cùm prohibitum sit Sacerdoti sacrificanti de sacrificio non participare, *cap. comperimus, de Consecrat. dist.2.* modò ieiunus celebret, aliàs in his casibus non liceret non ieiunum celebrare. Ita Amicus. Ergo particula consecrata non frangit ieiunium naturale; nam secunda vice celebrans, ab Amico, & aliis Doctoribus communiter, dicitur celebrare ieiunus. Vnde ex his sequeretur, quod si quis laicus bis sumeret Eucharistiam, peccaret quidem, quia bis communicauit contra prohibitionem Ecclesiæ, sed non peccaret, quia contra præceptum Eucharistiam sumpsit non ieiunus; etenim particula consecrata in prima communione non fregit ieiunium naturale; & idem dicendum esset de Sacerdote bis celebrante sine causa, si in prima Missa non sumpsit ablutionem.

Alibi in to. 4. tr.6. Resol. 94.

3. Dices, ex hac opinione, quam docet Hurtadus, sequeretur non esse verum id quod alibi firmauimus, nempe quod si quis sumeret tempore ieiunij quantitatem notabilem formularum consecratarum, frangeret ieiunium; nam si sumptio Hostiæ sacræ non frangit ieiunium naturale, neque dicendum est frangere ieiunium Ecclesiasticum. Respondeo primò, quod nostra opinio roboratur magis auctoritate Patris Fagundez: sed stando in opinione Patris Hurtadi, respondeo esse disparem rationem in vtroque casu, nam in casu de ieiunio naturali, sumptio particulæ consecratæ, non est contra finem præcepti, quæ est reuerentia debita tanto Sacramento; sed in casu de ieiunio Ecclesiastico, sumptio magnæ quantitatis formularum est contra finem præcepti, quæ est maceratio carnis per vnicam tantum comestionem concessam in die ieiunij: nam vt infrà probabo ex Lessio, & aliis, quis nutriretur, & viueret, si tantùm particulas consecratas comederet: ergo. Sed si tibi non arridet hæc responsio, dicam cum Fagundez quod per sumptionem particulæ consecratæ frangitur ieiunium naturale. Ergo, & per sumptionem magnæ quantitatis formularum frangitur etiam ieiunium Ecclesiasticum, vt supra à nobis probatum est.

Sup. hoc primo in Resol. prima post seq. & in aliis eius primæ not. & pro secundo infra in Resol. 205. §.2. ad medium, hoc est vt Sacerdos consecret, in fermētato, &c. Sup. his vestibus infra in Resol.178. §. vlt. in principio, & in aliis Resol. & §§. eius annot. pro hac quæstione, & pro Alibi posito in lin. pen. huius text. in Resol. & §§. designatis in hac & præterita not. Sup. contrò in hac Resol. in to.7. tr.5.

4. Nota hic obiter, Patrem Hurtadum *vbi supra* §.6. *n.*144. & 152. sic asserere: [Muy probable es, y seguro en la pratica, dezir y a consejar, que vn Sacerdote que no està à ayuno pueda dezir Missa, para comulgar à vn enfermo, que esta tan peligroso que no puede esperar, y ay gran peligro que muera sin recebir el Viatico: y que puede vn Sacerdote consagrar en pan, que no sea azimo, sino con leuadura: pero no sin todo genero de vestiduras Sacramentales, porque el tener los Sacerdotes vestiduras particulares para celebrar los sacrificios, es de iure gentium: bien es verdad que podra celebrar, sin que estas vestiduras, ò vasos esten consagrados.] Ita ille; sed de his omnibus alibi à nobis pertractatum est.

RESOL. CXXIX.

An pro euitando mortis periculo possit quis celebrare non ieiunus?

Ex quo deducitur, quod si excommunicatus, etiam nominatim denunciatus ob fugiendum mortis periculum celebrat, non peccat. Ex part. 5. tractat. 3. Resol. 39.

§.1. AD hanc quæstionem respondeo non posse Sacerdotem in eo casu celebrare Missam, cùm celebratio exigeretur in contemptum Ecclesiæ, & præceptorum eius, quia tunc esset intrinsecè mala; et quando verò exigeretur ad alios fines, vt ad audiendam Missam, tunc respondemus secundò cum Syluestro *in summ. verb. Eucharistia* 2. *n.*10. posse Sacerdotem in eo casu celebrare, quia iura positiua excusant à culpa eos, qui in his strictis casibus agunt contra sua statuta, quod potest probari à simili: nam qui excommunicatus etiam nominatim denunciatus ob fugiendum mortis periculum celebraret, non peccaret, vt constat ex *cap. Clerici, de Clerico excommunicato ministrante*, in quo culpa temeritatis requiritur ad hoc vt affectus censura Ecclesiastica celebrando peccet, quæ temeritas non reperitur instante ea necessitate; ergo etiam Sacerdos non ieiunus, qui prædicta necessitate coactus celebraret, excusaretur à culpa. Secundò probatur, quia præcepta positiua Ecclesiæ non obligant cum tanto rigore, neque obstat *cap. Apostolicæ, de Clerico excommunicato ministrante*, in quo denotatur suspensum celebrantem cum ignorantia, peccatum committere. Respondetur enim ibi esse sermonem de ignorantia culpabili, quam quisque debuit tollere, quámque textus ille appellauit crassam & supinam, aut erroneam, cum qua non est mirum hominem peccare celebrando, si eo modo ignorauit, suspensionem. At verò ex hoc non sequitur peccatum committere eum, qui censura aliqua ligatus celebrat ad euadendam mortem, quia tunc est in maxima necessitate constitutus, & eadem est ratio de celebrante ad euadendum simile periculum, cùm ieiunus non est. Hæc Ochagauia *de Sacramentis, tract.2. de Eucharistia, quæst.12. n.15.*

RESOL. CXXX.

An Sacerdos possit celebrare post cibum ad communicandum infirmum, qui est in articulo mortis?

Et notatur, quod in tribus præcipuè casibus possunt Sacerdotes non ieiuni sumere Eucharistiam, & illam consecrare.

Primo propter integritatem Sacrificij, vt quando Sacerdos aquam pro vino in Calice posuit, & illam postea post sumptionem Hostiæ assumpsit; tunc enim vel de nouo debet consecrare Hostiam, & Calicem, vel saltem Sanguinem propter integritatem Sacrificij.

Secundo, quando post assumptionem Calicis, & eius ablutionem vidit Reliquias Hostiæ in Patena, vel corporali, tunc licet Sacerdoti sumere illas Reliquias. Et hoc intelligendum est de Reliquiis Hostiæ a se consecratæ, etiamsi sint paruæ, vel magna quantitatis; secus vero de Reliquiis ab alio Sacerdote in altera Missa consecratis.

Tertio, quando celebrans post consecrationem recordatur se non esse ieiunum; vel si post consecrationem Hostiæ Sacerdos deficiat, si adsit alius Sacerdos non ieiunus debet Sacrificium illud perficere, & communicare, dummodo alius Sacerdos sibi non adsit. Ex part.2. tract.14. Resol.66.

§.1. AFfirmatiuam sententiam docuit Maior *in 4. dist.19. q.3. ad 5.* & Zanardus *in direct. confess. part.1. tract. de Eucharist. cap.7.* & Zambranus *in pract. decis. cas. tempore mortis, cap.4. de Eucharist. dub.6. n.3.* in casu quo moriens non posset recipere aliud Sacramentum, cessante omnino scandalo. Videtur in hanc sententiam inclinare, & adducit sex rationes pro hac sententia, quam probabilem vocat, Filliucius *tom.1. tract.4. cap.8. n.242.* contra Vasquez *in 3. part. tom.4. dist.211. cap.5. n.61.*

2. Sed communis opinio omnium DD. contrà

rium docet. Et ratio est, quia maior ratio habenda est reuerentiæ huius Sacramenti, quàm necessitatis proximi, & tale præceptum obligat infirmum, cùm decenter, & reuerenter Sacramentum confici, & sumi potest. Ita Ledesma *in summ. tom. 1. cap. 13. de Euchar. concl. 5. dub. vlt.* Nauarr. *cap. 25. num. 88. seu 51.* Toletus *lib. 2. cap. 13.* Syluius *in 3. part. quæst. 80. art. 8.* Armill. *verb. Missa n. 25.* Syluius *verb. Missa, 1. q. 7. d. 2. cas. 3.* D. Antoninus *part. 3. tit. 13. cap. 6. §. 2.* Henriquez *lib. 3. cap. 46. num. 1. & cap. 50. num. 1.* Victoria *in summ. num. 83.* & Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2.* & omnes recentiores.

3. Notandum est verò hîc, quòd Sacerdotes in tribus præcipuè casibus, possunt non ieiuni sumere, & consecrare Eucharistiam. Primò, propter integritatem Sacrificij, vt quando Sacerdos aquam pro vino in calice posuit, & illam postea post sumptionem hostiæ assumpsit, tunc enim vel de nouo debet consecrare hostiam, & calicem, vel saltem sanguinem tantùm propter integritatem Sacrificij. Ita D. Thomas *in 3. part. quæst. 83. art. 6. ad secundum.* Tabiena *verb. communicare. §. 42.* Victoria *in sum. n. 101.* Henriquez *lib. 8. cap. 50. num. 3.* Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. art. 6.* & alij.

Super hoc primo infra in Ref. 130. cursim propositum §. 1. vers. y no hace al caso.

4. Secundus casus est, quando post assumptionem calicis, & eius ablutionem, videt reliquias hostiæ in patena; vel corporali, tunc licet Sacerdoti sumere illas reliquias. Ita contra Paludanum *in 4. dist. 9. q. 1.* D. Antoninum *part. 3. tit. 13. cap. 6. §. 9.* Roſellam *ver. Euchar. 3. §. 13.* asserunt communiter DD. vt Caietanus *in summ. ver. Missa.* Sylu. *verb. Eucharist. 3. §. 8.* Victoria *in summ. num. 83.* Nauarr. *cap. 25. n. 89.* Henriq. *in summ. lib. 8. c. 50. n. 2.* Armilla *verb. Missa, §. 26.* & alij. Ratio est, quia totius omnino hostiæ, & calicis consumptio, provt includit etiam sumptionem ablutionis, censetur vna actio, ad ipsam communionem decenter perficiendam pertinens. Ergo illæ reliquiæ per modum vnius cibi, & complementi vnius integri conuiuij, & Sacrificij sumuntur. Vnde hæc doctrina intelligenda est de reliquiis hostiæ à se consecratæ, quia secus videtur de reliquiis ab alio Sacerdote in altera Missa consecratis, quia talis assumptio non esset completio, vt suprà diximus, conuiuij à Sacerdote parati, & supradicta procedunt, etiamsi reliquiæ post ablutionē inuentæ, sint paruæ, vel magnæ quantitatis, contra Sotum *in 4. dist. 12. q. 1. art. 8.*

Sup. hoc laté infra in Ref. 145. 146. 147. & in Ref. 149. in fine, & in Ref. 150. & aſerius in tr. 2. Ref. 107. ingr. §. vlt.

Sup. hoc in Resol. 4. not. præterita, & in aliis eius primæ annot.

5. Tertius casus est, quando celebrans post consecrationem recordatur se non esse ieiunum, vel si post consecrationem hostiæ deficiat, si adesset Sacerdos alius non ieiunus, deberet Sacrificium illud perficere, & communicare, dummodo alius Sacerdos ieiunus ibi non adesset. Ita ex *cap. nihil 7. quæst. 1.* docet Ægidius de Coninch *de Sacrament. q. 80. art. 8. num. 63.* & Villalobos *in summ. part. 1. tract. 7. disp. 39. à num. 12.* Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 211. cap. 5.* & Syluius *in 3. part. q. 60. art. 8.*

Sup. hoc etiam ante consecrationem recordatur de hoc, supra in Resol. 145. §. vlt. &c. & præsecunda, & vltima difficult. huius §. infra in Ref. 138. à lin. 6. & in aliis eius primæ not. pro hac quæst.

RESOL. CXXXI.

An Sacerdos possit celebrare non ieiunus pro communicando infirmo tempore mortis. Ex p. 3. tr. 4. Ref. 33.

§. 1. DE hac difficillima quæstione egi *in tract. de celebrat. Missarum, resol. 66.* & pro parte negatiua adduxi multos Doctores, quibus nunc addo Homobonum de bonis *in exam. Eccles. part. 1. tract. 5. cap. 11. quæst. 99.* Fagundez *præced. 3. lib. 3. cap. 5. n. 22.* Paludanum *in 4. dist. 8. quæst. 2. art. 1. concl. 2.* Coninch *de Sacram. quæst. 80. art. 8.* & Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 68. sect. 5.*

Quæ hîc est Resol. antecedens, & in Resol. seq. & supra in Ref. 128. §. vlt. & infra in ref. 179. in fine,

2. Non reticeam tamen, quòd pro parte affirmatiua præter Maiorem, Zanardum, & Zambranum, quos *loco cit.* adduxi, tenet etiam hanc sententiam Philiarchus *de officio sacerdotis tom. 1. p. 1. lib. 2. c. 2. per tot.* & Fernand. de Heredia *in disp. mixtis de Sacram. tit. de Euchar. dist. 2. punct. 8. dub. 2. n. 8.* vbi vocat hanc opinionem probabiliorem, & illam probabilē etiam tenet Layman in casu necessitatis, si infirmus videlicet moriturus aliud Sacramentum Pœnitentiæ, aut extremæ-Vnctionis susciperе non possit, & scandalum cesset. Ita ille *in Theol. mor. lib. 5. tract. 4. c. 6. n. 21.* sed absolutè hanc sententiam tanquam probabilem admittit Petrus Matthæus *in annot. ad rubricas Missalis part. 1. cap. 9. num. 1.*

& in tom. 3. tr. 1. Ref. 1. ad medium §. 1. & cum iisdem Zambrano, & Layman tantum, in §. 2. huius Resol. citatis infra in tr. 2. Ref. 53. §. An vero. prope finem, vers. Quemadmodum.

RESOL. CXXXII.

An Sacerdos possit celebrare Missam non ieiunus prò consecranda particula ad communicandum moribundum?

Ex quo cursim deducitur, quod potest Sacerdos bis celebrare Sacrum in eodem die ad communicandum infirmum.

Et quod licet Sacerdoti non ieiuno celebrare, vt seipsum in articulo mortis communicet. Ex p. 5. tr. 3. Ref. 35.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Nugnus *to. 1. in 3. part. quæst. 80. art. 8.* Marchantius *de Sacram. in resol. qq. pastor. de Euchar. tract. 4. cap. 2. q. 4. cas. 5.* Tannerus *tom. 4. disp. 5. q. 8. dub. 4. n. 87.* Hurtad. *de Sacr. Euchar. disp. 9. diffic. 17.* Præpositus *in 3. part. quæst. 80. art. 8. dub. 2. num. 47.* Mercerus *de Sacram. in 3. part. quæst. 80. art. 8.* & Ochagauia *de Sacr. ar. 2. de Euch. q. 12. n. 13.* vbi sic ait. Nec pro communicando ægroto in extremis licet Sacerdoti non ieiuno Missam celebrare; quia licèt præceptum non communicandi in ægritudine sit diuinum, & præceptum de seruando ieiunio ante communionem sit Ecclesiasticum; ægrotus in hoc casu non tenetur communicare, quia tunc nullam habuit copiam Sacramenti, Sacerdos verò non tenetur ei ministrare Sacramentum in eo casu, quia solùm illud potest ministrare iuxta ritum & ordinem Ecclesiæ; Ecclesia verò solùm ostendit debere Sacerdotem celebrare ieiunum cum vestibus sacris, &c. & hunc ordinem seruare magis interest, quàm sine illo exhibere Sacramentum, quod tunc necessarium non est. In quo casu, quia præceptum de ieiunio est iuris communis, non potest Episcopus, vt malè aliqui docent, dispensare, & ideo hanc sententiam præter DD. citatos tenet etiam Kellisonius *in 3. part. tom. 2. q. 80. art. 8. cas. 7.* & alij, quos ego ipse citaui *in 1. part. tract. 14. resol. 66.* &, me citato, docet nouissimè Ioan. de Lugo *de Sacram. Euch. disp. 15. sect. 5. n. 68.*

Sup. hoc in duabus præcedentibus Resol. & in aliis earum primarum annotationum.

Quæ hîc est Resol. 1. post præteritam.

2. Sed ibi pro contraria sententia adduxi Zambranum, Zanardum & Maiorem, quibus nunc addo ex Societate IESV insignem Theologum Iacobum Granado *de Sacram. in 3. part. controu. 6. tr. 10. disp. 8. num. 12.* vbi sic ait: Vtrùm autem possit Sacerdos celebrare non ieiunus ad communicandum aliquem in articulo mortis, dissensio est. nam licèt conueniant Authores id licere Sacerdoti, vt se ipsum in articulo mortis communicaret, plerique tamen negant id posse fieri, vt alteri det Eucharistiam. Suarez licèt in hanc communem sententiam magis videatur propendere, in illa *disp. 68. sect. 5.* dicit oppositum videri sanè probabile, idque absolutè amplectitur Maior *in 4. dist. 9. quæst. 2. ad 5.* ait enim licere Sacerdoti post meridiem consecrare, vt deferat Eucharistiam ægroto, consulit tamen vt id faciat non cele-

Sup. hoc magis latè in Ref. 1. post seq.

Sup. hoc cōsilio infra in

tr.2.Ref.67. §.1.post medium, vers. Quod ex eo. & in aliis eius not.

brando Missam, & sine vestibus sacris, quod nimia licentia est, & apud Zambranum *c.3.de Euch. dub.6.* legi possunt plura in fauorem huius doctrinæ, quæ inde confirmari potest, quòd lex charitatis, vtpote diuina, videtur magis obligare Sacerdotem, vt succurrat morituro, illique det viaticum in maxima necessitate, quàm præceptum Ecclesiasticum ieiunij, quod non obligat in tot casibus hactenus explicatis. Sic etiam alia præcepta non seruantur, vt in extrema hac necessitate succurratur infirmis, potest enim Sacerdos se ipsum morituro extra Missam communicare, si alius Minister desit, potest bis celebrare Sacrum in eodem die ad communicandum infirmum, ergo poterit etiam non ieiunus, ob eandem rationem, celebrare. Huc vsque Granado, cuius sententiam, quando infirmus morituro aliud Sacramentum, videlicet Pœnitentiæ, aut Extremæ-Vnctionis suscipere non possit, & scandalum cesset, admittunt Layman *lib.5.tract.4.cap.6.num.21.* & Faustus *de Sacrament. Euchar.lib.1.quæst.393.*

Sup. hac bina celebratione in Ref. seq lege doctrinam à §. 2. & §§. eius annot. pro isto casu.

RESOL. CXXXIII.

An Sacerdos, qui prius Missam celebrauit, possit postea aliam Missam in eodem die celebrare, ad dandum Viaticum infirmo?

Et an pro dando Viatico infirmo constituto in articulo mortis, possit Sacerdos inchoare Missam post meridiem vsque ad Nonam?

Idem est de celebratione ante auroram ex eadem causa; imo statim post mediam noctem potest Missa celebrari.

Et an qui mane sumpsit Eucharistiam, possit iterum sumere Viaticum, si incidat in periculum mortis?

Ex part.11.tract.7. & Misc.7 Ref.21.

§.1. SVppono probabiliter, posse Sacerdotem non ieiunum celebrare pro ministrando Viatico infirmo in articulo mortis constituto. Et ita docent Doctores, quos ego citaui *in part.8. tractat.1. resol.78.*

Quæ hic est in to.3.tr.1. Ref.1.& hic supra in tribus præcedētibus Ref. Et sup. prima difficultate posita in titulo huius Ref.& discussa in hoc textu supra in Resol.91. §.1. vers. Quartus. & in Resol.92. prope finem, vers. Tertio. licitum, & in Ref.128.§. Sed. inter medium, & in Ref.128. §. Sed. inter medium, & finem, & in Resol.132. cursim prope finē, vers. potest his.

2. Sed maior difficultas est in casu proposito, an post ablutionem sumptam in prima Missa, possit iterum Sacerdos celebrare ad communicandum infirmum. Et negatiuè respondet Eminentissimus Cardinalis Lugo *de Eucharist. disputat. 20. sect.1. num.44.* vbi sic ait: Secundus casus est quando esset necesse celebrare ad dandum Viaticum ægroto: in quo casu ferè omnes conueniunt posse secundò celebrari eadem die: quia iura illa supra allegata excipiunt casum necessitatis. Quæ autem maior necessitas potest occurrere? sed rarissimè aut nunquam contingit: quia si Sacerdos iam accepit Sacramentum & ablutionem, non poterit non ieiunus iterum celebrare: si verò non accepit Sacramentum potest, & debet partem suæ hostiæ reseruare, quam ad infirmum deferat. Solùm ergo potest fingi, quòd accepta hostia & nondum accepta ablutione nuncietur ei de periculo ægroti, & non sint aliæ particulæ consecratæ in Ecclesia, & tunc abstineat ab ablutione, & iterum celebret; qui casus magis est metaphysicus quàm moralis, quare ex consuetudine contraria non potest argui (vt aliqui arguunt) ad probandum non licere, quia reuera, cùm casus nunquam datur, non potest esse contraria consuetudo. Ita Lugo; & alij, quos citat & sequitur Tamburinus *de cas. tempor. mortis cap.3.dub.6.n.9.* & Leander *de Sacrament.tom.2.tract.8.disp.5.quæst.34.* Idem etiam docet Pater Auersa *de Sacram. Euch. quæst.11. sect.15.*

3. At his non obstantibus, licèt cum formidine contrariam sententiam videatur docere Pater Franciscus Lugo, heu quondam noster, qui dum viueret scio ex intimis præcordiis me peramasse, is igitur *de Sacrament.tom.1.lib.5. cap.5. quæst.5. num.48.* ita asserit; Ego certè per intrinseca principia non video cur non sit probabile posse Sacerdotem etiam post sumptam ablutionem dicere secundam Missam ad communicandum moribundum. Nam probabilis est aliquorum sententia, dicentium posse Sacerdotem celebrare non ieiunum ad communicandum moribundum. Aliunde certum est posse dicere secundam Missam ob eandem causam. Cur ergo Sacerdos, qui Missam dixit, & non est ieiunus, non possit dicere secundam Missam ad communicandum moribundum, saltem quando non potest æger aliud Sacramentum recipere, subindeque nequit si sit in peccato mortali cum attritione alio medio saluari? Quia Missa dicta per se non obest, nec violatio ieiunij per se. Concurrentia verò vtriusque simul non videtur præponderare saluti vnius animæ; quæ forsan sumpto viatico saluabitur, non sumpto damnabitur. Ego nihil definio propter extrinsecam Doctorum auctoritatem. In contingentia facti pensandet doctus Sacerdos, quid suggerat prudens charitas. Hucusque Pater Lugo. Tu Lector iudica, nam veget me communis sententia Doctorum in contrarium.

4. Sed hîc oritur alia difficultas, an pro dando viatico constituto in articulo mortis, possit inchoari Missa post meridiem, vsque ad Nonam; Et dico, quod ex Vasquez, Pater Hurtadus *disput.4. de sacrificio Missæ difficult.5.* docet, primò, consuetudine receptum esse, vt quando Missa solemnis inchoata ante meridiem, durat post meridiem, quamuis multo tempore post, Missa priuata possit inchoari quamdiu solemnis durat. Secundò addit, quod ob necessitatem succurrendi infirmo ne decidat absque viatico, possit ex epycheia Missa priuata inchoari multo post meridiem, vsque ad horam scilicet nonam.

Sup. hoc pro dando viatico

5. Et hoc idem tenet Leander *de Sacram.tom.3. tract.8. disput.6. quæst.12.* Et quæ dicta sunt de celebratione vsque ad horam nonam pro dando infirmis viatico idem dicendum est de celebratione sum Auroram ex eadem causa, & ita tenet Eminentissimus Lugo *de Sacrament.disp.20. sect.1. num.16.* qui ex Vasquez, Layman, & me etiam citato asserit, Missam in tali casu posse celebrari statim post meridiam noctem, & licet hoc neget Henriquez *lib.9. cap.24. num.5.* & alij penes ipsum, tamen non est recedendum à nostra sententia, quam etiam me citato docet Leander *de Sacrament. tom.2. tract.8. disput.5. quæst.5.* quia maioris momenti est ægroto succurrere viatico, quàm statim post meridiam noctem celebrare, cùm illud sit de præcepto diuino, istud verò solùm ex consuetudine prohibitum.

6. Sed si quæras hîc obiter, an qui mane sumpserit Eucharistiam, possit iterum sumere vesperi, si incidat in periculum mortis per modum viatici. Olim firmiter negauit Eminentissimus Lugo, ego mendicus affirmaui. Habet ille suos sequaces, & ita præter alios alibi à me citatos, tenet eius germanus frater doctus Pater Franciscus Lugo *de Sacrament. lib.4. cap.9. quæst.4. num.26.* Magister Candidus *tom.2. disput.2. art.26. dub.8.* Pontius in *Curs. Theol.*

7. Habeo, & ego meos commilitones, & præter alios à me alibi adductos, ita tenet Kellisonius *in 3.part. quæst.80. artic.11. not.2.* Turrianus *in summa part.2.*

part.2.cap.58.dub.2. num.2. & Pasqualigus *in Theol. tom.2. disp.109.sect.5.n.27.* Vnde apparet vtramque sententiam esse probabilem, sed nostram in auxilium & consolationem infirmorum puto practicandam esse, vt illam sæpius practicarunt Patres inclytæ Societatis Iesv.

RESOL. CXXXIV.

An Sacerdos non ieiunus possit in articulo mortis celebrare, vt se communicet?

Et breuiter docetur, quod præceptum diuinum debet præualere Ecclesiastico, quando vtrumque in eadem persona cadit.

Et notatur, quod necessitas dandi Viaticum moribundo sufficit, vt Sacerdos, si non habeat copiam Confessarij possit sine confessione celebrare.

Et aduertitur, hanc sententiam procedere etiam quoad Sacerdotem excommunicatum.

Et tandem cursim docetur, quod si Sacerdotes, vel Laïcus sint in articulo mortis, nec adsit qui eos sacramentaliter absoluere possit, possint sine confessione communicare. Ex p.5.tr.3.Ref.36.

Sup. hoc supra in Ref. 33. in §. Sed contra ad hæc.

§. 1. Respondeo affirmatiuè, si aliunde sacram Eucharistiam habere nequeat, & ita docet Ioannes de Lugo *de sacram.Euch.disp.15.sect.4.n.69.* vbi sic ait: Si ponatur Sacerdos ipse moriturus, vel *occidendus*, nec posset aliter viaticum sumere nisi *ipse* celebret, tunc potest ipse non ieiunus celebrare ad communicandum pro viatico, quia non plus est celebrare, quàm communicare absque ieiunio, quare dispensatus ad hoc videtur etiam dispensatus ad illud. Idem etiam docent Layman *lib.5.tract.4.cap.6. num.10.* & ante illum Zambranus *de sacram.Euchar. cap.3. dub.6. num.1.* vbi sic ait. Sacerdos sine dubio potest celebrare non ieiunus, vt se ipsum communicet propinquum morti vel naturali, vel violentæ. Ita ille, & hanc sententiam videtur etiam docere Nugnus *tom.1. in 3.part. quæst.80.art.8.* vbi docet, quod præceptum diuinum debet præualere Ecclesiastico, quando vtrumque in eadem persona cadit: sed in nostro casu præceptum diuinum communicandi concurrit in eadem persona cum præcepto Ecclesiastico non sumendi Eucharistiam post cibum: ergo, &c. Sed non desinam hic adnotare hanc sententiam non approbare, malè tamen, Faustum *de sacrament.Euchar. lib.1.quæst.393.*

Sup. hoc infra in n.2. Ref. 36. Reflan. & in aliis eius non.

2. Notandum est etiam hic obiter quod necessitas dandi viaticum moribundo sufficit, vt Sacerdos, si non habet copiam Confessarij, possit sine confessione celebrare. Et ita ex Suarez & Coninck docet Ioannes de Lugo *de sacram. Euchar. disput.4. sect.4. num.107.* qui etiam *num.111.* docet hanc sententiam procedere etiam quoad Sacerdotem excommunicatum, non pro viatico alteri ministrando, potest absque absolutione celebrare, quando necessitas vrget, sicut potest, vt dictum est, absque confessione id facere, qui mortaliter peccauit. Vide etiam Sylvium *in 3.part.quæst.80.art.4.dub.2.* vbi sic ait: Si Sacerdotes, vel laïcus sint in periculo mortis, nec adsit qui eos sacramentaliter absoluere valeat, possunt communicare sine confessione, & si non essent hostiæ consecratæ, posset Sacerdos celebrare, non solùm pro sui, sed etiam alterius periclitantis necessitate. Sic ille, & ego.

Sup. hoc tom.1. tr.1. Ref.15. §.1. medium, verf. Prouquam.

RESOL. CXXXV.

An pro communicando infirmo periclitante liceat in mari, vel flumine celebrare Missam, & hoc etiam sit licitum in diebus festiuis?

Et docetur per nullum inferiorem Papa ob quamcumque necessitatem posse alicui concedi facultatem celebrandi in naui existente in mari, aut flumine.

Et notatur licere etiam deferre sacram Eucharistiam in nauigiis, quia id minus difficultatis habet. Ex part.5.tr.3. Ref.40.

Sup. hoc in tom.4. tr.2. Resol.22. §. penult. & vlt.

§. 1. Communiter Doctores negatiuam sententiam tenent, tum ob consuetudinem, tum ob periculum versandi sanguinem, tum quia vix est locus honestus in mari, in quo decenter Sacerdos possit Missam celebrare. Ita D.Anton. *part.3.tit.13. cap.6.§.4.* Nauarrus *cap.25. num.82.* Suarez *in 3.p. tom.3. disp.81.sect.3.* Kellisonius *in 3.part. quæst.83. art.3. dub.1.* Angelus *verb.Missa, num.40.* Syluester *eodem ver. quæst.5. dict.2.* Vasquez *in 3.part. tom.3. disp.233.cap.1. §.caterum.* Præpositus *in 3 part.q.83. art.3.dub.1.n.148.* Tannerus *tom.4.disp.5.q.10.dub.2. num.28.* Armilla *ver.Missa, §.4.* Sotus *in 4.dist.23. art.3.* & ibi Paludanus *quæst.2.* & Villalobos *in sum. tom.1.tract.8.diffic.23.n.4.* Lezana *in qq.regular.c.71. num.16.* Pilliucius *tom.1.tract.5.cap.4.n.116.* Molfes. *in sum.tom.1.tract.3.cap.10.n.32.* Reginaldus *tom.2. lib.29.cap.7.sect.3.n.179.* Homobonus *in exam.Eccles. part.1.tract.4. cap.14. quæs.137.* Azorius *part.1. lib.10.cap.26. quæs.6.* Pitigianus *in 4.tom.1. dist.13. quæst.2.art.2.* Ioan. de la Cruz *in direct.consc. part.2. q.3. de sacrificio Missæ, dub.1.concl.2.* Chamerota *de Sacram. tract.4. de sacrificio Missæ, dub.15.* Tabiena *ver.Missa, §.8.* Summa Astensis *part.1. lib.4. tit.14. artic.4. quæst.2.* Bartholomæus ab Angelis *in exam. Confess.dial.5.§.620.* Zanardus *in direct.Theol.part.1. de sacram.Euch.cap.14.* Ledesma *in sum.tom.1. tract. de sacram.Euch.cap.20.dub.4.* Henriquez *lib.9.c.27. §.3.* Faustus *de Euchar.lib.2.q.173.*

2. His tamen non obstantibus, non desunt Doctores affirmatiuam sententiam docentes, & ita nouissimè hanc sententiam tenet Iacobus Granado *in 3.part. D.Thom.de sacram.contr.6.tract.14. disput.13. num.2. & seq.* vbi citat Durandum *in 4.sation. lib.4. cap.1.num.41.* Scortiam *de sacrificio Missæ, lib.2.c.13. num.5.* Valterum *de triplici cœna cap.4. cœna 3.* quibus ego addo ex eadem Societate Paulum Layman *in Theol.moral.lib.5.tract.5.cap.5.num.6.* Gasparem Hurtadum *de sacram. disput.4. de sacrificio Missæ, diffic.5.* vide etiam Sà, & Graffium, quos citat & videtur sequi Mercerus *de sacram. quæst.83. art.3. propos.1.* Itaque si in flumine, aut mari magna tranquillitas sentiatur, vt nullum sit procellæ, aut tempestatis indicium, vel quidquam aliud, quod nauim, vel triremem possit in vnam, vel alteram partem notabiliter mouere, & aliunde præter celebrantem sit alius Sacerdos, qui manu firmiter teneat Calicem post consecrationem, non videtur, moraliter loquendo, accidere posse, vt in eo breui tempore, quod est à consecratione ad sumptionem, accidat sanguinis effusio; & si præter spem in rarissimo casu eueniret, non ideò priuandi sunt nautæ in mari diebus festiuis, & in mortis articulo tam singulari solatio, & remedio.

3. Adde, quod in triremi, vel in naui, præsertim magna, potest facilè designari non minùs, sed magis fortasse decens, quàm multa Oratoria, in quibus celebrari solet, & quàm tentoria, & maris lit-

tota vbi necessitate vrgente celebratur, & ipsa platea nauigij potest mundari, & ornari, odoriferisque rebus deijci fœtor picis, vel alius quilibet malus odor. Et quod hac in re præcipuum est, erigi potest Altare, quod ornetur sericis ornamentis, mappisque mundissimis, vbi Altare portatile reponatur cum suis corporalibus, & vestibus non minùs pretiosis, quàm quæ sunt in Ecclesiis, & sacellis. Vnde patet responsio ad rationes, quæ pro contraria sententia adducuntur.

Sup. hoc in Resol. nor. præteritæ prope fin. vers. Et maximè.

4. Nota tamen quod Coninck *de sacram. q.83. art.3. dub.1. num.226.* docet per nullum inferiorem Papa, ob quamcumque necessitatem posse alicui concedi facultatem celebrandi in naui existente in mari, aut flumine, posse tamen hanc licentiam Papam concedere, tradit etiam Turrianus *in sum. p.2. cap.70. dub.1. concl.4.* Verùm Iacobus Granado *vbi supra n.6.* tenet hanc licentiam posse in casu necessitatis concedere Episcopum cum cautione iam declarata, quam tamen non facilè ait esse credendam, nec cuiuslibet Sacerdotis, aut nautæ iudicio committenda, cùm res sit magni momenti. Necessitas autem erit, ne magna multitudo in nauigiis non audiat Sacrum in diebus Festiuis, cùm ad terram descendere nequeat, aut infirmitas aliquorum, qui sine viatico discederent, si non celebraretur in mari.

5. Nota etiam ex dictis, licere etiam deferre sacram Eucharistiam in nauigiis, quia id minùs difficultatis habet, dummodo capacitas sit sufficiens, vt locus decens, & separatus illi designetur. Ita Iacobus Granado *loc.cit. num.7.* Et omnia superiùs dicta in præsenti resolutione, dicta esse volo ex mente suprà dictorum Authorum, quibus adde nouissimè post hæc scripta visum Ioannem de Lugo *de sacrament. Euchar. disp.20. sect.3.n.80.* adi illum, & non pigebit, etenim doctè, vt semper solet, hanc pertractat quæstionem.

RESOL. CXXXVI.

An Sacerdos pro audienda confessione infirmi moribundi possit relinquere Missam inchoatam etiam post consecrationem? Ex p.5.tr.3.Res.70.

§.1. AD hunc casum, qui faciliter euenire potest in villis, sic respondet Zambranus *de sacram. Pœnitentiæ, cap.4.dub.6.n.5.* Si quis Sacerdos, quando est celebrans, petatur pro confessione alicuius pœnitentis in articulo mortis, si non sit alius potest Missam inchoatam etiam post consecrationem relinquere, seruante interim aliquo Eucharistiam, & secum deferat aliquam formam consecratam, & extremam vnctionem ad infirmum, & audita eius confessione, & data Eucharistia & extrema vnctione (remissis tamen Psalmis Pœnitentialibus ad Ecclesiam post Missam) reseruatur ad perficiendum Sacrum, quod si confessio fuerit ita longa, vt media hora perfici nequeat, transacta dicta media hora Sacerdos absoluat dictum moribundum, eo monito, vt post dictum Sacrum aliqua occasione eum accersat, & postea illum de nouo audiat, & absoluat. Ita Zambranus *loco citato.*

RESOL. CXXXVII.

An Sacerdoti non omninò cæco, si possit videre Calicem, & Hostiam, licitum sit celebrare, non obstante quod non possit legere, si memoriter sciret Missam de Requiem, vel de B. Virgine?

Et an cum supradicto Sacerdote sit celebrante assistere debeat Diaconus, vel alius Sacerdos, vt illum adiuuet ad colligenda fragmenta ex Hostia supra Patenam, vel Corporale relicta?

Et an sit peccatum iusta de causa Sacrum sine libro celebrare?

Et quid, si non adsit iusta causa?

Et obiter notatur, quod in casu, quo Elector fiat cæcus, eum nihilominus cum aliis Electoribus debere admitti ad eligendum: & docetur quomodo legere debeat cæcus in prædicto casu. Ex part.9. tract.9. de Misc.4. Res.30.

§.1. RESpondeo affirmatiuè, vt ex sapientissimo Vasquez docet Ioannes Præpositus insignis Theologus Societatis IESV, *in 3.p.q.83.art.3. dub.2. num.168.* vbi sic ait: Requiritur etiam liber qui foliis contineat Canonem, vt communiter Doctores; ne in re tam ardua memoria hominem fallat: vnde communiter docetur, eum qui audet rem diuinam sine libro facere, peccare mortaliter: non est tamen improbabile quod censent aliqui, non esse peccatum si absit scandalum, & errandi periculum. Videri potest Vasquez *disp.133.cap.3. fine,* qui docet, eos qui propter debilitatem visus non possunt legere, possunt tamen sufficienter Hostiam, & Calicem videre, permittendos celebrare, si Missam sufficienter memoriter teneant. Videri etiam potest Suarez *disp.81.sect.4.concluſ.1.* §. *Quartò requirunt.* Ita Præpositus, cui adde nouissimè Pellizzarium *in Man. Regul. tom.1. tract.8. cap.2. sect.2. subsect.1. n.130.*

2. Existimo tamen cum supradicto Sacerdote sic celebrante, assistere debere Diaconum, vel alium Sacerdotem, vt illum adiuuet ad colligenda fragmenta ex hostia supra Patenam, vel Corporale relicta, si forsitan dictus Sacerdos celebrans, illa non videret. Et ita Pater Cæsar del Bosco, vir doctissimus, & amicissimus testatus est mihi, consulisse Eminentissimum Dominum meum Cardinalem de Lugo in quadam Congregatione facta ex ordine Patris Mutij Vitelleschi Generalis Societatis, in ordine ad cæcitatem Patris Vivaldi Ianuensis ciuis Societatis.

3. Et ideò ego annis elapsis consului quemdam Parochum, cuius oculis omnes litteræ duplicabantur, & ideò legere non poterat, potuisse celebrare quotidie, si memoriter sciret Missam de Requie: iste tamen Parochus fragmenta Hostiæ optimè videbat.

4. Notandum est hic obiter, quod in casu, quo Elector fiat cæcus, eum nihilominus cum aliis Electoribus debere admitti ad eligendum, non quidem faciendo sibi scribi nomina eorum, quos intendit eligere, iniuncto scriptori iuramento de fidelitate seruanda, vt vult Castellinus *de elect. cap.5. n.6.* Sed accendendo ad aures scrutatorum, ibique loum suffragium aperiendo, iuxta formam antiquam, de qua *in cap. Quia propter, de elect.* sic quippe facilius euaditur periculum infidelitatis, retento etiam secreto nomine eligentis, & alioqui, vbi forma alicuius actus in totum seruari nequit, explicari debet eo meliori modo, quo potest.

RESOL. CXXXVIII.

An Sacerdos cæcus possit validè celebrare?

Et aduertitur cæcum, qui sine Pontificia dispensatione consecraret, grauiter peccare.

Et

Et an possit cum illo fieri talis dispensatio? Ex part. 5. tract. 6. Res. 17.

§. 1. VIdetur negatiuè respondendum, quia qui non cognoscit, ita se habet ac si esset absens, non enim potest habere euidentiam rei præsentis. Sed respondeo affirmatiuè cum Ioanne Præposito *in 3. part. q. 74. art. 2. dub. 2. n. 12.* vbi sic ait. Cæcus qui ex relatione alterius nouit panem sibi esse præsentem, eumque potest facilè tangere, validè consecrat, etiamsi non tangat, vel alio sensu actu percipiat. Aduerte tamen cæcum qui sine Pontificia dispensatione consecraret, grauiter peccaturum. Ita ille, & ante illum Coninck *de Sacrament. q. 74. art. 2. dub. 1. num. 9.*

2. Non desinam tamen hic adnotare Nugnum *in 3. part. q. 74. art. 2. dub. 4. ad secundum argumentum*, docere Sacerdotem cæcum validè consecrare, sed putat quod non possit fieri cum illo talis dispensatio. Sed tutene contrariam sententiam cum Præposito, & Sotus *in 4. dist. 9. q. 1. art. 2.* refert dispensatum fuisse aliquando cum Sacerdote cæco, vt celebraret, & ideò Ochagauia *de Sacr. tr. 1. de Euchar. q. 6. n. 11.* sic ait. Notandum est dum dicimus rem debere esse præsentem secundum cognitionem, nomine cognitionis comprehendi vel notitiam oculorum, vt cùm quis videt Hostiam consecrandam, vel notitiam tactus, vt cùm quis non videt Hostiam, eam tamen tangit, quia est à tergo. Propter quam rationem dixit Sotus *loc. cit.* se vidisse Tridenti quemdam Episcopum cæcum ex dispensatione Summi Pontificis celebrantem Sacrum. Sic ille.

RESOL. CXXXIX.

An Sacerdos possit celebrare capite cooperto ex aliqua infirmitate?

Et aduertitur facultatem dispensandi celebrare capite cooperto ad Summum Pontificem spectare. Ex p. 2. tract. 14. Res. 58.

§. 1. REspondeo negatiuè, si non adest licentia Episcopi, seu Prælati cum Regularibus. Ita Homobonus *de exam. Eccles. part. 1. tr. 4. c. 15. 7. 145.* Scorzia *de sacrif. Miss. lib. 3. c. 4. n. 2.* Henriquez *lib. 9. cap. 26. n. 2.* Fagundez *de præcept. Eccles. part. 1. lib. 3. c. 21. n. 33.* Layman *in Theol. moral. lib. 5. tr. 5. c. 6. n. 6.* & notat Scorzia Gregorium XIII. vix dispensasse cum Niceæ Episcopo, vt pro infirma valetudine, publicè (excepto tamen Canone, celebraret.

2. Verum est quod notat Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 83. sect. 3.* & Filliuc. *tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 152.* Syluius *in 3. part. q. 83. art. 5. in fin.* Si grauis infirmitas id exigeret, nec posset tamen facilè dispensatio postulari, id posse sine graui culpa. Sed Petrus de Ledesma *in sum. tom. 1. de sacrament. Eucharist. cap. 21. concl. 7.* absolutè docet non esse peccatum mortale secluso scandalo, & contemptu celebrare cooperto capite, sine licentia Episcopi. Et in hanc sententiam inclinat Villalobos *in summ. part. 1. tract. 8. dub. 29. num. 11.* secluso tamen tempore Canonis. Opinio Ledesmæ mihi videtur probabilis, non est enim grauis materia, vt possit inducere peccatum mortale, si non adsit scandalum, & contemptus. Sed post hæc scripta, facultatem dispensandi cooperto capite spectare ad Summum Pontificem, docet Gauantus *in comment. ad Rubric. Missal. tom. 1. part. 2. tit. 2. lit. F.* & ita declarasse Sacram Cardin. Congregationem super negotia Episcoporum die 2. Ianuar. 1590. & Sacram Rituum Congregationem die 31. Iulij 1626. affirmat.

RESOL. CXL.

De quibusdam defectibus corporis in ordine ad celebrandum Missam, v. g. quidam Sacerdos Missam celebrando non potest, quando se signat signo Crucis manu tangere frontem, neque sumere Eucharistiam manu dextera, sed tantùm sinistra; quæritur, an isti defectus inducant irregularitatem, vt absque dispensatione celebrare non possit?

Et docetur, quod Rubricæ Missalis non omnes sunt præceptiuæ, sed aliquæ sunt directiuæ tantùm: & explanatur quales obligent ad mortale, & quales verò non. Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. Res. 51.

§. 1. QVidam Sacerdos Missam celebrando, non potest quando se signat signo Crucis manu tangere frontem, neque sumere Eucharistiam manu dextera, sed tantùm sinistra. Quæritur, an isti defectus inducant irregularitatem, vt absque dispensatione Pontificia celebrare minimè possit? Et more meo breuiter, & resolutoriè deueniendo ad punctum difficultatis negatiuè respondeo; quia tunc ex defectu corporis inducitur irregularitas, quando (vt ait Magister Cornejo *in 3. part. D. Thomæ, tom. 2. tract. 51 disp. 12. q. 2.*) talis defectus facit omnino hominem inhabilem ad celebrandum, vel quod non possit celebrare sine notabili deformitate, aut horrore. Et hoc habetur in *cap. Exposuisti, & cap. Presbyterum, de corpore vitiatis*, & communiter tenent Doctores, vt Gibalinus *de Irregul. cap. 3. part. 2. quæst. 2. num. 2.* Valensis *in Paratitlis ad ius Can. lib. 1. tit. 20. n. 2.* Toletus *lib. 1. cap. 63. n. 3.* Sayrus *de Cens. lib. 6. cap. 7.* Suar. *disp. 57. sect. 2. n. 15.* Castrus Palaus *tom. 6. disput. 6. punct. 11. num. 3.* Præpositus *in 3. part. D. Thom. q. 5. de de irregularit. dub. 14. n. 113.* Layman *lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 7. num. 5. & 6.* Sotus *in 4. dist. 25. quæst. 3. artic. 3.* Henricus Busembaum *in medulla Theolog. moral. lib. 3. cap. 5. dub. 5.* Ioannes Vvigers *in supplement. 3. part. D. Thomæ quæst. 27. dub. 9. num. 37.* Mercerus *etiam in supplement. ad 3. part. quæst. 74. dub. 13. num. 4.* Gesualdus *in Theolog. moral. tom. 2. tract. 25. cap. 2. num. 2.* Reginaldus *tom. 2. lib. 30. num. 46.* Lessius *in 3. D. Thomæ cap. 7. de irregularit. dub. 1. num. 53. & seqq.* Antonius Blondo *de Censuris part. 2. artic. 15. num. 3.* Molina *de iustit. tract. 3. disput. 70. n. 2.* Henriquez *lib. 14. cap. 8.* Auila *de Censur. part. 3. disput. 3. dub. 1.* Ioannes de la Cruz *in direct. part. 2. de irreg. ex defectu corporis, conclus. 2.* Filliucius, Coninck vbi infra, & alij penes ipsos.

Quauis minimè plenè sup. hoc lege tamen, & non pigebit, in tom. 3. tr. 1. doctrinam Res. 102.

2. Sed in nostro casu ex defectibus superius dictis Dominus Consulens non redditur inhabilis ad celebrandum, ne celebrando cum dictis defectibus, celebrat cum notabili deformitate, & horrore. Ergo non est irregularis. Probatur minor, nam quæso quis diceret, horrorem, & deformitatem notabilem apparere, quando Dominus Consulens dicendo Missam, & signando se signo Crucis non tangeret frontem, & sumendo Sacram Hostiam, illam sumeret cum manu sinistra, & non dextera: ergo quidem talem deformitatem, & horrorem in his non agnosco. Deinde hæc omnia difficulter circumstantes obseruabunt, & si obseruarent, notabilem deformitatem, & horrorem non inducerent, vt dixi: ergo nullam irregularitatem inducunt.

3. Confirmatur nostra opinio, nam si sumere Sacram Hostiam cum manu sinistra esset res indecens, & quod deformitatem induceret, vtique Sacerdotes inclytæ Religionis Dominicanæ non sumerent

merent Hostias in Sacrificio Missæ manu sinistra, vt faciunt, ergo.

4. Item considerandum est, quod non sumus in casu quo Sacerdotium esset suscipiendum, sed in suscepto; nam vt obseruat omnium Magister D. Thom. *in 3. part. q. 82. art. vlt. ad 3.* dicendum est non esse eandem regulam in ordine ad susceptionem Ordinum, & administrandum in susceptis. Ratio est, quia is qui ordinem suscipere debet, hoc ipso quod est inhabilis ad eos exercendos, est etiam irregularis, & inhabilis ad eos recipiendos. Qui verò iam ordinatus est, si talis defectus superueniat, dummodo per illum non reddatur notabiliter deformis, potest exercere illa officia, à quibus non impeditur. Quod etiam notauit Palaus, Præpositus, & alij vbi supra, quibus adde Filliucium *tom. 1. tr. 19. c. 6. n. 158.* Coninck *de Sacr. disp. 18. dub. 13. n. 106.* vbi sic ait; Quando defectus ordinato superueniunt, tantum prohibent eum Ordinis vsum, quem sine scandalo, aut periculo exercere non potest. Ita ille. Sed hæc non accidunt in casu nostro, vt suppono. Ergo.

5. Nec obstat dicere, per Rubricas Missalis Sacram Eucharistiam esse sumendam manu dextera; Nam respondeo, quod hoc in Rubricis asseritur, non quia talis cæremonia contineat in se aliquod particulare significatum, vt eleuatio, & fractio Hostiæ, & similia; sed ad maiorem commoditatem ipsa natura dictante se efficere; omnes enim actiones manu dextera complentur.

Sup. hoc infra in Ref. 172. §. Sed aliquis. in principio vsque ad medium, & in aliis eius primæ not.

6. Adde: quòd Rubricæ Missalis non omnes sunt præceptiuæ, sed aliquæ sunt directiuæ. Vnde docet Antonius Escobar, & Mendoza *in Theolog. moral. tract. 1. exam. 11. part. 1. cap. 4. n. 41.* & alij, non omnes Missalis Regulas ad mortale obligare, sed tantùm illas, quæ sacrificij essentiam, vel quasi essentiam continent. Et illas Rubricas esse præceptiuas tenet Marchinus *de Sacram. Ordin. part. 3. tr. 3. cap. 6. num. 4.* quæ frangunt aliquam legem Canonicam in corpore iuris contentam, vt de seruando ieiunio, integrando Sacrificio, de ara consecrata, de loco celebrandi non prohibito, de præmittenda Confessione post lethale, de benedictione vestimentorum, & eiusmodi, quorum singula in corpore iuris sunt expressa. Eas verò Rubricas dici directiuas, quæ nec in toto iure Canonico continentur, nec in Rubricis ponuntur cum verbis importantibus præceptum, qualia sunt *Mandamus, præcipimus, & similia.* Quæ omnia cùm non inueniantur in nostro casu, vt de se patet, in illo nullam culpam agnosco. Et dato quod cæremoniæ, de quibus loquimur, si omitterentur per se aliquam culpam inducerent, quia omittuntur in casu nostro ex iusta causa, nullam culpam inducere dicendum erit.

Sup. hoc in Resol. not. præteritæ, & in eodem §. ad medium, à vers. Quod probatur.

Sup. his verbis infra in Ref. 172. §. Sed aliquis. prope finē, vers. qualia sunt. & in aliis eius annot.

7. Non desinam etiam hic obseruare, quòd forsitan Dominus Consulens possit sumere Sacram Hostiam etiam manu dextera; nam licet non possit ad os suum illam appropinquare, videndum est an saltem possit, quasi faciendo Orationem demisso capite, illud adeò inclinare, vt recipiat in ore Eucharistiam intra digitos manus dexteræ existentem, & sic in rigore, & litteraliter obseruaretur Rubrica Missalis. Suppono tamen hanc capitis inclinationem pro sumenda Sacra Synaxi è manu dextera posse fieri absque magna deformitate, vt quidem reor, quod cùm sit res consistens in facto, remitto videndam sapientissimis Theologis cum Domino Consulente commorantibus. Verùm omnia à me superiùs dicta, ducta esse volo saluo aliorum meliori iudicio, & præsertim doctissimi, & Illustrissimi Antistitis ipsius Consulentis.

RESOL. CXLI.

An secluso scandalo, & contemptu, liceat sine causa iusta celebrare extra Ecclesiam? Ex part. 2. tr. 14. Resol. 38.

§. 1. Affirmatiuè respondet Sotus *in 4. sent. dist. 13. quæst. 2. art. 3.* & post illum Emanuel Sà cor. rectus ex Magistro Sacri Palatij *ver. Missa, n. 20.*

2. Sed peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem extra Ecclesiam sine iusta causa, asserunt communiter DD. Villalobos *in sum. p. 1. tract. 5. diff. 23. n. 1.* Homobonus *in exam. Eccl. p. 1. tr. 4. c. 14. q. 137.* Syl. uius *in 3. p. q. 83. art. 3. concl. 4.* Io. de la Cruz *in direct. conf. p. 2. de sacrif. Miss. q. 83. dub. 1. concl. 1.* Filliucius *tom. 1. tr. 5. c. 4. q. 8. n. 115.* & ali. penes ipsos, & clarè hoc determinatur & colligitur ex *cap. sicut, cap. sic ergo, c. nullus, de consecr. dist. 1.* Et meritò quidem tantæ, & cùm materia ipsa grauis sit, consequenter obligatio præcepti ex suo genere sub mortali videtur. Cæteras rationes vide apud citatos DD.

RESOL. CXLII.

An celebrare extra locum sacrum sit peccatum mortale?

Et additur, quod præter peccatum mortale nullam tamen pœnam suspensionis vel interdicti ipso iure incurrant huiusmodi violatores. Ex part. 11. tract. 4. & Misc. 4. Resol. 2.

§. 1. PRo sententia negatiua, secluso scandalo & contemptu alibi adduxi Sotum, & Sà, quibus nunc addo Ludouicum Lopez *in instructorio conscientiæ tom. 2. c. 79. ante §. superest*, & horum sententiam nouissimè inuenio nolle reprobare Franciscus Lugo *de sacram. lib. 5. cap. 6. q. 2. n. 20.* vbi sic ait: Ego teor hanc secundam sententiam esse communem, & tutam, & veram, & omninò tenendam in praxi. Quod autem quidam opposita notare velint, & nimia liberam, absurdamuè compellent, non omninò probo, cùm habeat pro se, præter Sot. & Sà viros planè doctos & pios, Magistrum etiam sacri Palatij cum aliis DD. quorum opera correctus Sà retinuit adhuc illam sententiam, quam etiam Azor. iudicat probabilem, dum hanc secundam solum vocat probabiliorem.

2. Plures item huius secundæ partis Auctores nullam notam inurunt primæ. Sanè sicut rigor antiquorum Canonum moderatus fuit quoad templorum consecrationem, vt iam sufficiat templi benedictio, vel sola deputatio Prælati; Sic etiam videtur consuetudine temperari; quatenus non requiratur summa necessitas, sicut olim requirebatur *in cap. sicut non alij, de consecrat. dist. 1.* sed honesta commoditas sufficiat ad celebrandum extra locum sacrum; dum autem commoditas honestatur deuotione particulari frequenter celebrandi, vel audiendi sacrum, quod aliter raro fieret, prima sententia putat excusari mortale peccatum, quod secunda sententia probabilior negat. Hucvsque Lugo.

3. Sed ego puto certissimè affirmatiuam sententiam tenendam esse, quicquid asserat Lugo, & sententia Soti, & Sà est singularis, & contra communem, contra praxim Ecclesiæ, & prohiberur *in cap. nullus, de consecr. dist. 1.* & in Concilio Tridentino *sess. 22. cap. de euitandis in celebr. Miss.* & præter Doctores quos etiam, me citato adducit Lugo *vbi supra* nam,

prà n.19. hanc sententiam, me citato tenet Leander *de Sacram. tom.2. tract.8. disput.6. q.15.* Vvigers *in 3.p. D.Thomæ q.83. dub.14. n.66.* Tannerus *tom.4. quæst.10. dub.2. num.28.* Mercerus *de Sacram. q.83. art.3. propos.1.* qui omnes nominatim contra Sotum, & Sà merito insurgunt.

4. Hanc etiam sententiam præter Hinojosam *in direct. tr. de pœnis verb. baptismus fol.321.* docet Martinus de San Ioseph *in mon. confess. tom.1. d.1. tract.14. de Euchar. n.6.* Bassæus *in floribus verbo Missa v.n.1.* Tamburinus *opusc. de sacrificio Missæ lib.1. cap.4. §.1. num.2.* Cardinalis Lugo *de Euchar. disp.20. num.48.* Machadus *tom.1. l.4. p.1. tract.11. docum.1. n.2.*

5. Et quidem si ad panem terrestrem manducandum, sunt domus & certa loca deputata 1. Cor. 11. *Numquid non habetis domus ad manducandum, &c.* quanto magis decet, vt non vbique & quouis in loco, sed in locis tantum Deo sacratis sacrosancta mysteria celebrentur, & panis ille diuinus comedatur. Præpositus *in 3.p.* D.Th. *q.83. art.3. dub.1. n.146.* & Amicus *in Cur. Theolog. tom.7. disp.33. sect.12. n.331.* & 332. vbi sic ait, Sotus putat vix vnquam per celebrationem extra locum ad diuinum cultum deputatum peccari mortaliter, modo absit contemptus. Quæ sententia merito non probatur à Vasq. *disp.233. c.1. in fine*, eò quòd iura non nisi in necessitate concedant Missarum celebrationem extra loca Deo consecrata, vt habetur *Canon.1. de consecrat. dist.1.* consecrationem, inquit, Ecclesiarum, & Missarum celebritates non alibi, quam in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus. Vbi verbum, *Debere*, præceptum importat, quod cùm sit in materia graui, obligat ad mortale. Ita Amicus.

Disp. hoc verb debere in tom.3. 16. Ex Ref. 139. §. Ad responsionē. curium ad lin.5. & in tom.6. tr.1. ex doctrina Def.38. Sig. nacor propositionem §.1. a vers. acquiescentia ve. & in tom.7. tract.1. ex doctrina Rel. fol.106. §. Sed. curium & vocatione ad fin.7. & Lug. & melius in 10.9. tr.7. ex doctrina Ref. 110. paulo post initio. a vers. nam licet. & §. seq.

6. Et contra Sotum nominatim ex ipsomet ordine Patrum Prædicatorum insurgit etiam Magister Marcus Serra *in 3. part. D.Thomæ q.83. art.3.* Dicendum est igitur, extra casum necessitatis præceptum esse Ecclesiasticum obligans sub mortali, vt Missa tantum celebretur in Ecclesia consecrata, aut benedicta ab Episcopo, vel in Oratorio ad diuinum cultum dedicato, & ab Ordinario designato.

7. Vnde cauent Sacerdotes ab opinione Soti, & Emanuelis Sà, non obstante ea, quæ in eorum fauorem adducit Pater Lugo, *vbi supr.* & ideò non deferam aduersus illos apponere hîc verba Patris Dicastilli *de Sacram. tom.1. tract.5. disp.4. dub.6. num.85.* & 86. vbi sic ait: Quapropter merito reijcitur ab aliis Sotus *in 4. dist.13. quæst.2. art.3.* qui dixit non opus esse magna necessitate, vt in hoc mortale peccatum excuseturr. Quæ doctrina (ne amplius dicam) falsissima est, nam *capite nullus*, id præcipitur sub comminatione depositionis, *& cap. sicut, de consecrat. distinct.1.* expressè dicit Pontifex non licere extra Ecclesiam celebrare, nisi summa coëgerit necessitas.

8. Minus adhuc probabile est, quod ibidem asserit Sotus & cum eo Sà *verbo Missa, n.26.* scilicet non esse mortale etiam absque necessitate dicere Missam extra Ecclesiam, & absque vlla alia facultate, si absit contemptus, & scandalum; quod sanè absurdum satis esse probat Suarius *disput.81. sect.3.* nam etiamsi ex denotione quis celebret in sua priuata domo, & secretè, peccat mortaliter, transgrediendo scilicet Ecclesiasticum præceptum in re grauissima. Ita etiam contra Sotum Nauarrus *cap.25. n.32.* & alij Doctores communiter, inter quos Diana citandus cum multis. Hucvsque Dicastillus.

9. Heu quondam noster, mortuus est enim dum hæc scribo, & quidem intra spatium vnius anni amissi ex Societate Iesv tres Sapientissimos, & amicissimos Viros Patrem Antonium Quintanaduenas, P. Franciscum Lugo, & Patrem Ioannem de Dicastillo. Omnes eodem cogimur, omnium versatur vrna, serius ocyus sors exitura.

10. Nota tamen, quod præter peccatum mortale, nullam tamen pœnam suspensionis; vel interdicti ipso iure incurrunt huius præcepti violatores, quicquid affirmet Sylvest. *verb. Missa 1. q.3. §.5.* & Henriq. *l.9. c.27. moti ex c. Episcoporum, de priuil. in 6.* quia ibi non est sermo de celebrantibus extra locum sacrum, sed de celebrantibus, vel celebrare facientibus in loco interdicto per censuras Ecclesiæ, quibus Ecclesiæ ingressus interdicitur. Sicuti bene notarunt Suar. *disp.81. sect.3.* non longè à principio, Ægid. *q.83. art.3. dub.1.* Pœna verò depositionis, quæ à Syluestro Papa *in dicto c. nullus Presbyter*, imponitur, non ipso iure, sed ferenda est, vt ex textu constat; & ita etiam docet Castrus Palaus *tom.4. tr.22. punct.8. num.3.*

RESOL. CXLIII.

An Sacerdos Missum nouam celebrans possit se in medio Altaris ad populum vertere, & oblationes ab ipso sponte factas accipere?

Et notatur quod tamen non debet circuire Ecclesiam. Ex part.2. tract.14. Res.50.

§.1. Respondeo affirmatiuè, & ita declarauit Sacra Congregatio, vt notat Homobonus *de exam. Eccles. part.1. tract.4. cap.13. quæst.117.* & Naldus *in summ. ver. Missa, num.19.* non debet tamen circuire Ecclesiam.

RESOL. CXLIV.

An vsus Missarum siccarum sit licitus?

Et docetur, quod in Ecclesiis Regularium relinquere Missas solemnes diebus festiuis non est peccatum mortale.

Et quæritur, an Episcopus, in aliena Diœcesi possit celebrare Missam solemnem cum paramentis Pontificalibus? Ex part.11. tr.6. & Misc.6. Res.23.

§.1. Affirmatiuè respondet Mercerus *de Sacr. in 3. part. D.Thomæ, q.83. dub.2. in respons. ad 3. argum.* vbi sic ait: Respondetur Missas siccas esse illicitas. Ratio est, quia continet falsitatem. Primò in factis, dum Sacerdos vestitus sacris, accedit ad altare luminaribus incensis, legit Introitum, Orationes, Epistolam, Euangelium, &c. vsque ad Canonem, & simulat se celebrare, nec tamen celebrat, quia non consecrat. Secundò, in verbis est falsitas, quia legit Orationes promittentes sacrificium; & tandem gratias agit, quasi sacrificasset, nec tamen sacrificauit. Hinc abrogatæ sunt per synodum Iprens. sub Martino Rhythouio *tit.15. c.10.* & per secundam Camerac. *tit.3. c.7.* quia continent irrisiones Dei, vt dixit Ioannes Eckius *art.21. ad lib. Annotationum oblatum Carolo V.* Dices, S. Dionysius *Ecclesiasticæ hierarch. cap.7. p.2.* dicit, Cathecumenis præsentibus fieri sacrum solemne pro defuncto, Cathecumeni verò non poterant interesse sacrificio: ergo Missa Cathecumenorum erat sicca. Secundò Feria sexta Parasceues, Sacerdos ad Altare accedit sacris vestibus, & facit Missam imperfectam. Tertiò, Missas siccas approbant Guido de Monte Rocherij, *tract.4. Manipuli Curatorum, cap.7. item Sacerdotale Roman. & Manualia quarundam Ecclesiarum.* Respondetur ad primum, S. Dionysius non describit Missam, etiamsi quidam

inter

interpretes sic verterint, sed Orationes pro Defunctis, quibus Cathecumeni poterant interesse, vt alij melius verterunt. Ad secundum Respondetur: In Paraseeue fit participatio Sacrificij pridie oblati, rectè proinde ad altare, vt ad Dei mensam, & à Sacerdote Sacris induto, vt consummante Sacrificium. Ad tertium respondetur, Guidonis auctoritatem nullam esse, aliis omnibus dissentientibus, vt neque Sacerdotalis Romanus, neque Manualium illorum, cùm à priuatis sint composita, & non sint approbata ab Episcopis. Hucvsque Mercerus; cui adde Syluium *in 3.part. quæst.83. art.2. q.2.* quem citat, & sequitur Thomas Hurtado *in var.tom.1.tract.2.cap.7.resol.28. à n.312. & n.316.* sic ait: Ego vero dico, quod licet ex natura rei, aut ex lege non sit illicita Missa hæc, & sic permitti debeat in illis Ecclesiis vbi viget consuetudo illam dicendi, dummodo non fiat ex superstitione aliqua; tamen in illis Prouinciis vbi non est consuetudo quod Sacerdos sacris vestibus indutus, sicut cum sacrificium est celebraturus, ad Altare accedat, vt Missam siccam dicat, existimo grauiter peccare, & ab Ordinario puniendum, quia rem consuetam inducit contra morem Patriæ, & quæ potest esse ansa quod innocentes scandalizentur; sacræ enim vestes Sacerdotales ex Ecclesiæ institutione solùm ordinatæ sunt ad sacrificium perficiendum, quo cessante illis vtendum non est in altari coram populo, nisi, vt dixi, consuetudo inuexit. Et paulò post *n.320.* subdit, quod vbi non est consuetudo dicendi tales Missas siccas, nullatenus sunt introducendæ, aut dicendæ: Vbi autem est consuetudo, permitti possunt. Hæc enim facit, quod omnia ista, in eo sensu simulato non accipiantur, & sint potius fidelium solatia, quàm Dei, & Christi irrisiones.

2. Sed his non obstantibus, non desunt Auctores Missas siccas non damnantes; quos citat & sequitur amicissimus & doctus P. Lezana *in summa to.4. verb. Missa, n.56.* vbi sic ait: Quamuis dixerim ex communi sententia non licere propter quamcumque necessitatem celebrare supra mare, seu flumen in naui; propter periculum effusionis sanguinis ex motu nauis, id tamen intelligitur loquendo de Missa communi, & ordinaria, quæ fit cum consecratione Corporis, & Sanguinis Christi, non tamen de Missa, vulgò, *Sicca*, appellata, in qua Introitus, Epistola, Euangelium, & aliæ Orationes, consecratione præmissa, dicuntur, prout habetur in nostro Cæremoniali *lib.2.Rubrica 55.* & docent Henriquez *lib.6.de Missa cap.27.n.3.* Fagundez *de primo Eccles.præcepto, lib.3.cap.10.n.14.* ex Azorio *tom.1. instit.mor. lib.7. c.7.q.6.* Quomodò autem ea dici possit siue in mari, siue in terra, lege Henriq. *d.cap.27.* & Portellum *in Responsion.p.3.casu 26.* Id quoque habetur loco relato ex nostro Cæremoniali, vbi etiam in fine illius Rubricæ sic dicitur: Hoc etiam modo sicca coram infirmis dici poterit, si pro deuotione illam audire volunt, cùm Missa cum consecratione in eorum domibus non celebrari soleat. Hucvsque P. Lezana. Sed ego, vt verum fatear sententiæ P. Hurtado magis adhæreo, nempè, vsum Missarum siccarum non esse illicitum, vbi solitum est illas sic dici; secus autem vbi talis consuetudo non adesset.

Sup. hoc supra in fine Resol. 83. à vers. Notandum est. & in Resol. 86. & 87.

3. Verùm hic obiter nota, dictum Hurtadum *vbi sup. n.304.* nominatim contra me docere, quod in Ecclesiis Regularium relinquere Missam cantatam diebus festiuis, sit peccatum mortale. Sed Ego iterum quicquid ipse asserat, non recedo à sententia quam olim docui, & quam me citato tenet Pellizarius *in man.Regul.tom.1.tract.5.cap.9.n.30.* & me citato Petrus Crescentius *in Præsid.Rom.lib.3.n.63.* & me citato Leander *de Sacram.tom.2.tr.8.disp.5. q.11.* An relinquere Missam solemnem, aut maiorem in nostris Conuentibus in dominicis, ac aliis festis, sit peccatum mortale? Affirmaret Peregrinus, si quidem hoc ipsum affirmat loquendo de omissione Missæ solemnis in suis Ecclesiis, vt refert Diana. Sed longè probabilius, imò certissimè respondeo, non esse peccatum mortale, imò nec veniale, secluso scandalo, aut alia circunstantia. Quia, vt ait Gauantus *tom.1.p.3. tit.11.n.4.* Ecclesiæ Regulares tenentur ad Missam in Choro ex vi regulæ tantùm, & consuetudinis, aut constitutionis interpretantis regulam: sed nec Regula nostra, nec Constitutiones, aut consuetudo obligat nos ad peccatum, nec dum veniale, saltem in hac parte: Ergo. Ita Leander; quibus adde Peyrinum *in priuileg.Minim.tom.3. cap.1.n.10.* & Marcum Vidalem *in Arca Theolog.mor.tit.de Horis Canonicis, aspect.1.n.34.* Vnde ex dictis patet responsio ad argumentum, quod contra me facit Hurtadus; nego enim adesse consuetudinem obligatoriam ad culpam mortalem, vt Regulares dicant Missam solemnem singulis quoque diebus Dominicis in Choro, saltem in mea Religione, vt adest consuetudo obligatoria ad mortale, quod Clerici professi persoluant extra Chorum Horas Canonicas.

4. Et tandem nota, dictum Hurtadum *vbi supra cap.6.resol.22. n.236.* nominatim contra me docere, quod Episcopus possit in aliena Diœcesi celebrare Missam solemnem cum Pontificiis paramentis. Sed Tu contra Hurtadum, ne deseras negatiuam sententiam tenere, quam præter Doctores à me allibi adductos tenet me citato Squillante *de priuil. Episc. p.1. cap.3.n.4.* vbi testatur de praxi omnium Episcoporum. Idem etiam docet Sanchez *in Opusc.10.1.lib.7. cap.1.dub.50.n.2.* Baunius *in Theol.moral.tom.2.tr.8. q.18.* Lessius *in 3.p.D.Thom.c.2.de subsensione,n.7.* & vide etiam P. Thesaurum in Praxi *part.2.c.4.n.3.*

RESOL. CXLV.

An Sacerdos celebrans Missam cum voluntaria distractione peccet mortaliter?

Sed maior difficultas est, si Sacerdos cum voluntaria distractione recitat Canonem.

Et an Sacerdos Religiosus possit extra Conuentum Missas dicere, quas tenetur soluere ipsemet Conuentui & postea in ipso Conuentu resarcire? Ex p.1.tract.7. & Misc.7.Res.11.

§.1. Affirmatiuè respondent Doctores, asserentes in recitatione horarum esse necessariam internam attentionem. Sed negant Doctores, qui tale præceptum in recitandis horis Canonicis non agnoscunt. Sed maior difficultas est, si Sacerdos cum voluntaria distractione recitaret Canonem. Nouissimè Pater Tamburinus *opusc.de sacr.Miss.lib.2.cap.3.nu.8. & 9.* asserit, quod distractus voluntariè, in iis Missæ partibus, quæ ad Canonem non pertinent, si eas recitet, non operetur (etiam cùm celebrat ex præcepto) non autem deo dicere eum peccare mortaliter. Ratio est, quia eæ Missæ partes non excedunt rationem rationis ad Deum. Cùm igitur probabile sit (vt modò vidimus) recitare orationes de præcepto cum voluntaria distractione non esse mortale, probabile etiam erit in casu nostro, quod si per notabile tempus voluntariè distractus eas Missæ partes, quæ Canonem continent, recitet, seu peragat, peccabit mortaliter, siue Missa celebretur de præcepto, siue de festo. Ratio, quæ me ad id mouet, est discrimen, quod intercedit inter Missæ sacrificium, & cæteras orationes. Hæ enim sunt meræ allocutiones ad Deum:

at Missa est insuper sacrificium, hoc est actus Religionis excellentissimus, quo profitemur Deum summè venerari, vt supra suo loco notauimus. Videtur autem mihi grauis esse irreuerentia, quod quis dum profitetur Deum summè per suam actionem venerari, cum illo irreuerenter per voluntariam distractionem se gerat, & in tanto ministerio, de quo tremunt Angelorum Ordines, omnia alia cogitare velit, quàm mente attendere ad quod operatur. Adde & morale periculum aliquid graue omittendi, vel non ritè operandi, &c. non audet dicere eum peccare mortaliter, secus autem si voluntariè Canonem recitaret.

2. At ego his diebus interrogatus de hoc casu à quodam Religioso, negatiuè respondi, & nunc inuenio nostram sententiam docere sapientissimum, & amicissimum Patrem Franciscum Bardi in suis eruditis quæstionibus moralibus nouissimè editis ad communem vtilitatem totius Reipublicæ literariæ; sic itaque asserit *lib.8.q.6.n.8.* Quæ dicta sunt de attentione debita in recitandis horis, intelligi etiam debent in recitandis aliis precibus, in audiendo sacro, & in ipso conficiendo, quamvis quidam recentior discrimen agnoscat, dicatque grauiter peccare Sacerdotem, si tempore notabili partem canonis voluntariè distractus recitet, discrimen autem ex nullo alio capite colligit, nisi ex eo quòd reliquæ orationes sunt meræ allocutiones ad Deum, Missa verò est sacrificium, quo Deum ipsum veneramur, proinde grauis videtur irreuerentia, quòd quando quis profitetur per suam actionem Deum colere, irreuerenter se gerat.

Super hoc in Ref. not seq. & præcedentes. Sup. hoc in audiendo Sacrum, infra in tr.3. Ref. 3. & in aliis eius not. posteriores ad lin.6. præcedentis Ref.

3. Contra hunc recentiorem vrgeri poterit; nam vtroque modo Deus colitur, nempe & orationibus, & sacrificio; proinde in vtroque irreuerentia debet existimari grauis, vel leuis, & ad summum, quamuis demus distractionem voluntariam in actione sacrificij esse maiorem, posset quis dicere esse maiorem intra latitudinem peccati venialis, & supereresset ipsi recentiori ostendendum, maioritatem hanc pertingere ad culpam lethalem, quod tamen non probat neque ratione, neque authoritate, nam legi neminem, qui tale ponat discrimen; Authores enim qui dicunt esse grauem culpam se distrare voluntariè in recitandis horis Canonicis, hoc ipsum sustinent de auditione & celebratione, quando saltem est de præcepto; addo etiam, quòd in Canone preces etiam continentur; proinde discrimen quod recentior ille putat interuenire, est omnino reijciendum.

4. Sed si hic obiter quæras, potest ne Sacerdos Religiosus extra Conuentum Missas dicere, quas tenetur soluere ipsemet Conuentus, & postea in ipso Conuentu resarcire? Respondet Villalob. non posse absque licentia Prælati, & notitia, quia iudicat hoc assimilari Missis dictis pro futuris intentionibus; sed meo iudicio videtur absolutè hoc negari non posse: quia si licet secundùm prædictum patrem Missas soluere pro aliquo illo ignorante, ad quas tenetur soluendas, cur si conuentus debitor est circa determinatas Missas, non poterit quis pro illis soluere, & postea resarcire? dicendum ergo hoc non esse illicitum dummodo duo obseruentur, Primum, vt Missa dicatur semper cognita primò obligatione, & debito circa determinatas Missas: Secundò, vt ne dissipentur pro aliquo accidenti aliquæ ex Missis, quas tenentur dicere siue conuentus siue Religiosus particularis. Et hæc omnia docet Ioannes de Soria *in epilogo summarum part.2.tract.1.sect.5.disp.2.§.circa applicationem.*

RESOL. CXLVI.

An de Missa sit argumentandum, ac de Horarum canonicarum recitatione? Ex part.11.tract.1. & Misc.1. Resol.10.

§.1. CAsus non inuenitur apud plurimos, & de illo sic affatur Caramuel *in Theol. fundamentali fundam.43. §.46. n.1125.* Consequentia doctrinæ postulare videtur, vt ex officio diuino ad Missæ lectionem veniamus.

2. Inquiro igitur, Annè de celebratione sacri, sicut de lectione horarum erit philosophandum?

3. Vt melius intelligas dubium, adnotato, multa probabiliter de Officio diuino teneri, quæ debent ad Missam extendi.

4. Primò enim potest aliquis satisfaciendi Officio diuino quacumque hora teneri.

5. Secundò potest illud iterum iterumq; recitare.

6. Tertiò potest quis matutinas (aut alias horas) subdiuidere? Itaut post mediam primi nocturni partem negotiis aliis satisfaciat, & tandem reliquos psalmos legat.

7. Quartò potest ordinem psalmorum & lectionum inuertere; in quibus omnibus, aut nullum aut veniale committitur, si hæc omnia fiant sine rationabili causa. Hinc veniens ad Missam.

8. Quæro primò. An possit aliquis Missam dicere quacumque hora? hoc est an possit illam quis legere ante auroram, aut post meridiem? Et si non possit, cur non posse dicatur? si ad præceptum recurritur non videtur sufficere; Nam Diana docet *part.7. tr.11.resol.12.* dari præceptum indicens officij Canonici partes talibus horis dici, & tamen affirmat eum, qui non seruat has horas, peccare tantummodo venialiter: Ergo si consequentiam teneas, debebis dicere, eum qui vespere celebraret, peccare venialiter, aut disparitatem ob oculos ponere.

Quæ nunc inuenietur in tom.3. tr.6.Ref.72. & in aliis eius primæ not.

9. Quæro secundò, cur non possis bis, aut ter eadē die celebrare? si ob reuerentiam mysterij te non posse illud dicas; quid si celebrando pluries maiorem reuerentiam haberes? Cur non poteris etiam eadem die pluries communicare? Quis finis ab Ecclesia intenditur, quo non deficiat interdum in communi, & frequentissime in aliquo particulari? an saltem in tali casu posset aliquis sequi probabilem illam sententiā, quæ docet cessare legis obligationem in particulari, cum cessat totus legis finis in eodem particulari?

10. Quæro tertiò; An qui celebrat, possit legere vsque ad Canonem & posteà denudare se, & ire ad sua negotia, & post aliquas horas reuerti, & Missam absoluere?

11. Quæro quartò: An possit quis in Missa ordinem orationum inuertere sine mortali, Missamque Epistola, & Euangelio claudere?

12. Quæro quintò: An sit probabilis illa sententia, quæ docet, posse horas Canonicas lingua quacumque recitari, & si probabilis sit. An idem de Missa dici debeat? Et si hoc non, in quo consistat decisionis disparitas? Hucusque Caramuel.

Sup hoc pro Missa infra in §.vlt. huius Ref. & in alio vers. eius not.

13. Sed ego prorsus puto non esse philosophandū si de Missa ac de horis Canonicis, nam alioquin posset quis dicere, horæ Canonicæ possunt dici in latrinis, ergo licitum erit in latrinis celebrare Missam, quis benè potus, & cibis onustus potest dicere horas Canonicas, ergo & sic etiam poterit celebrare Missam.

14. Licitum est persoluere horas Canonicas sedendo, & cooperto capite, ergo licitum erit eodem modo Missam dicere Licitum est persoluere officium verbi gratia in vltima hora ante mediam noctem, & postea transacta media nocte statim dicere Matutinum,

tutinum, & Laudes sequentis diei: Ergo licitum erit in dictis temporibus Missam celebrare.

15. Sed hæc, & similia concedere est nimis absurdum, & falsissimum: ergo non est verum dicere absolutè, vt videtur asserere Caramuel, philosophandum esse de celebratione sacri, ac de lectione horarum.

16. Dico itaque, quod in celebratione Missæ propter reuerentiam in ordine ad conficiendum Sacramentum, & offerendum sacrificium, Pontifices in iure Canonico, & Rubricis Missalis circa dictam celebrationem multa præceperunt, quæ non mandarunt in recitatione horarum Canonicarum: Ergo non rectè dicitur à Caramuele philosophari de horis Canonicis ad Missam.

17. Ex his igitur respondendum est ad quæsita Caramuelis: Vnde ad dubium primum respondeo negatiuè; nam dico, quod Missæ celebrandæ sunt ab aurora vsque ad meridiem, post meridiem verò nemini licet Missam inchoare ex consuetudine iam recepta, & à Pio V. sub pœna suspensionis ferendæ approbata in Bulla, quæ incipit, *Sanctissimus in Christo Pater*, & tradunt Suarez *disp.* 80. *sect.* 4. Vasquez *disput.* 232. *cap.* 4. Layman *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 4. Bonacina *disp.* 4. *de Sacrament. disp. vlt. punct.* 9. *n.* 6. Ægid. de Coninch 83. *artic.* 2. *dub.* 4. *in fine*. Nam esto antiquo tempore cum ieiunium protrahebatur vsque ad Solis occasum, licitum esset hora tertia pomeridiana sacrũ facere; at cessante ea consuetudine, simul etiam vsus, & consuetudo cessauit hora tertia post meridiem celebrandi, quinimò consuetudine firmatum est vltra meridiem plus, minusve Missa inchoetur, tametsi contrarium docet Nauarr. *c.* 25. *n.* 87. Viuald. *in Candelab. cap. penult. de Eucharist. n.* 50. Pitigianus *disp.* 13. *q.* 12. *art.* 4. Lamas 3. *p. method. cap.* 5. §. 18. quibus fauet D. Thomas *q.* 83. *art.* 2. aliique antiqui Patres apud Vasquez supra, asserentes hora tertia post meridiem Missam absque vllo priuilegio dici posse, quia eo tempore Christus se Patri æterno cruentè obtulit. Non igitur esse potest indecens, si ea hora incruente immoletur, eaque de causa testatur Nauarr. se sæpè cùm iter ageret hora tertia post meridiem celebrasse. Sed nullatenus hæc sententia etiam vt probabilis admittenda est, cùm manifestè repugnet consuetudini receptæ, & introductæ, & ab Ecclesia Romana approbatæ: Alias inutilia essent priuilegia concedentia facultatem celebrandi hora post meridiem, si iure communi spectato, omnes possent non solum vna hora, sed tribus horis post meridiem celebrare. Quod si roges quantum temporis spatium differre debeat Sacerdos post meridiem celebrationem, vt moraliter peccare censeatur, respondeo per horam debere esse, quia alias non videtur nimia dilatio.

18. Supradictam doctrinam limitare debes, ne procedat casu quo post meridiem Missa solemnis, & concio ad populum finita sit, nam eo casu introducta est consuetudo, vt eo finito officio aliquæ Missæ priuatæ dicantur, ne plures sacri auditione careant. Deinde limita in necessitate communicandi ægrotum, satisfaciendi populo, vel peregrinis sero accedentibus, poterit enim in his necessitatibus Sacerdos ieiunus Missam inchoare duabus, vel tribus horis post meridiem: maximè ex dispensatione Episcopi, si ibi adsit. Valet enim Episcopus ex rationabili causa facultatem concedere post meridiem celebrandi, sicuti potest concedere, vt ante auroram celebretur. Ex priuilegio autem Pontificis, omnibus Religiosis aliqua iusta causa intercedente concessum est vna hora post meridiem celebrare. Quinimò Sacerdotem, qui ratione itineris, vel alia de causa non potuit die festo ante meridiem celebrare, posse hora post meridiem Missam inchoare ex recepta consuetudine testantur Henriq. *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 6. Suar. *disput.* 80. *sect.* 4. Rodr. *q.* 43. *art.* 2. Mirand. *Man. Prælat. tom.* 1. *q.* 40. *art.* 11. Layman *lib.* 5. *sum. tr.* 5. *c.* 4. *n.* 4.

19. Ex his itaque patet non esse licitum de horis Canonicis in hoc casu argumentari ad Missam ratione consuetudinis, & rigore Bullæ Pij V. qua quidem consuetudine iam non valet argumentum ex doctrina adducta à Diana, qui loquitur de consuetudine sub veniali obligante ad dicendas horas horis consuetis.

20. Ad dubium secundum respondeo, semel tantùm celebrare Sacerdotem posse, quia semel tantùm Christus mortuus est, colligunt omnes Doctores cum D. Thom. *q.* 83. *art.* 2. tum ex Ecclesiæ consuetudine, tum ex Alexand. III. *in cap. sufficit, de consecr. dist.* 1. præcipuè ex Innocent. III. *in cap. censuisti, de celebr. Miss.* vbi consultus Pontifex an Presbyter duas Miss. in die valeat celebrare; respondit, quod excepto die Natiuitatis Domini, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die vnam Missam solummodo celebrare. Item ex Honorio III. *in cap. te referente, eod. tit. vbi vtitur verbo Mandamus.*

21. Et quidem si Eminentiss. Dominus meus Cardinalis Lugo & alij, non concedunt constitutum in articulo mortis posse sumere Eucharistiam, si mane illam sumpsisset ex deuotione, & si communiter Doctores non admittunt, vt laici quotidie sectam synaxim sumerent, quis quæso supradictorum responderet ad hos casus Caramuelis.

22. Ad dubium tertium respondeo, quod Missa est quædam structura, & quoddam opus artificiosum ex præscripto Ecclesiæ constans ex certis partibus certo ordine inter se dispositis, & ideò ad vnitatem actionis, quæ est ipsa, etiam requirit continuitatem, & vnitatem temporis: hinc enim fit, vt quemadmodum modica, & breuis interruptio verbi gratia ad tussiendum, vel excreandum reputatur pro nulla, & si fiat sine causa, & ad tempus aliquanto longius, vt communiter fit in Missa solemni, quando post Euangelium habetur concio, neque etiam est peccatum, ita & longa, & notabilis ad quodcumque tempus, si fiat sine causa, probabilius est, quod possit esse peccatum mortale, & quod verè tollat illius vnitatem, dum tollit compositionem, & coniunctionem partium, & temporis continuitatem.

23. Vnde quod dicitur, consensisse in Missæ celebratione S. Philippus Nerius, vt absoluta consecratione, & dicto Agnus Dei, dimitteret socium, & clauso ostio domestici oratorij, in quo celebrabat, per duas, vel tres horas solus vacaret contemplationi, & posteà communicaret, & sacrificium totum perficeret, vt habetur in eius vita *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 83. & interum *in compend. eiusdem vitæ cap.* 2. *pag.* 27. Dicendum est hoc fecisse ex peculiari Dei instinctu, & motiuo, quæ sine dubio est supra omnes Ecclesiæ leges, *cap. duæ sunt* 19. *q.* 2.

24. Ad dubium quartum respondeo etiam negatiuè, quod apertè probatur ex verbis Pij V. in principio Missalis, vbi ait: Mandantes, & strictè omnibus, & singulis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, vt Missam iuxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale à nobis nunc traditur, decantent, ac legant, &c. cum autem hæc res grauis sit, vtpote ad diuinum cultum spectans, tantumque ministerium cui, & ordinatè geri debeat; iure optimo omissio huius præcepti, vel commissio contra illud, peccatum est ex genere suo mortale, quamuis ex leuitate materiæ sæpè possit esse veniale, aut ex naturali inaduertentia possit quis ab omni peccato excusari.

25. Et ideò ita sunt ordinata, quæ in Missa dicuntur, vt extra propria loca, & variato ordine non rectè

Sup. hoc sup. in Resol. 104. vsq; ad Resol. 108. inclusiuè, & in Resol. 103. §. vlt. & in tom. 3. tr. 6. Resol. 66. §. 3. ad medium, à vers. Et tandem. & in tom. 9 tr. 7. Resol. 49. §. De priuilegio. post medium, à vers. Imo.

Sup. hoc sup. in Resol. 106. cursim ante mediũ, vers. No hablamos. & in Resol. 113. §. Sed hic.

Sup. hoc supra in Resol. 104. in fine, & in Resol.

rectè cohæreant, ita D.Thomas q.83. *art.6.ad 5.* Sylvester *verb. Missa 1.q.3.* Suarius *disp.83. sect.3.* Toletus *lib.2.cap.9.*

26. Quibus adde Dicastillum *de Sacram. tom.1. tr.5.disp.4. dub.13.n.261.* Vnde in rubrica Missalis, vbi agitur de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus §.5. cuius titulus est, *De defectibus formæ*; in fine dicitur, si valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione: si autem non sunt de necessitate sacramenti, non resumat, sed procedat vlterius. Hæc ibi.

Sup. hoc in tom.3. tr.6. Resol.49. §. His poti medium, circa in vers. Et qua ratione. Sed lege ea per totam.

27. Et tandem ad dubium quintum respondeo, Missam non posse celebrari vulgari lingua, tum ex vsu, & praxi Ecclesiæ, tum ex Trident. *sess.22.cap.8.* maximè cùm multæ parabolæ, enigmata, & mysteria non ita commodè in linguam vulgarem transferri possint, & conuerti, vt optimè obseruat Dicastill. *cit. n.270.* faciunt etiam contra Caramuelem ea, quæ docet Azorius *tom.1.lib.8. cap.36.quæst.6.* ibi: Verum quidquid Luterani, &c.

RESOL. CXLVII.

An prosit sacrificium Missæ, si applicetur à Sacerdote pro anima existente in Purgatorio, quam vult Deus? Et in §.vlt. huius Resolutionis aly multi, & diuersi casu breuiter adducuntur pro applicatione sacrificij, &c. Ex p.11.tr.6. & Misc.6.Resl.39.

§.1. NEgatiuè ex Nauarro respondet noster P. Verricelli doctus quidem, & diligens *in qq.Moral.tract.1. q.21.* quia potestas consecrandi, & offerendi data est homini: ergo vt humano modo ea vtatur: non autem humano modo offert, si non nisi miraculosè, & supernaturaliter cognoscibile sit pro qua anima sacrificium offerat: etenim non humano modo, sed supernaturaliter cognosci posset quam animam Purgatorij Deus, aut Beata Virgo vellet liberari: deinde causa prima determinatur obiectiuè à causa secunda, ergo neque Deus se determinat ad remittendam pœnam purgatorij animæ Petri; si quidem cùm non sit determinatus Deus à causa secunda, remanet indifferens & indeterminatus, atque adeò nihil producit: Ergo remanet illa Missa vlla absque applicatione, & sic in thesauro Ecclesiæ, provt cætera sacrificia non applicata. Et ideò hanc sententiam ante Verricelli docuit etiam Tamburinus *opusc. de sacrif. Missæ, lib.2.cap.2.§.9.n.17.* vbi sic ait: si quis applicet sic Missam, Applico pro ea anima quam vult Deus, tunc sacrificium nulli prodesse, sed remanere eius fructum in Thesauro Ecclesiæ. Ratio est iam dicta, quia ex ipso Christi instituto, Sacerdotis, non verò Dei est applicare fructum Missæ. Determinet igitur in hunc, vel similem modum Sacerdos: Offero pro ea anima quam Deus videt magis indigere, vel minùs indigere, &c. nam sic quia determinata est Sacerdotis intentio, vtique iuxta illam acceptabit Deus. Pari modo Ecclesiæ quando ex stipendio annuo debent multas Missas celebrare pro variis defunctis, satis erit si celebrantes applicant pro iis, quibus eo die v.g. illæ Missæ debentur, eas enim Deus videt quibus debeantur. Ita ille. Itaque dicendum est, quod applicare sacrificium, vel dirigere ad voluntatem Dei, vel ad scientiam Dei, si primo modo, sacrificiũ nulli prodest, quia nihil determinatur à Sacerdote, secus autem in secundo modo, quia tunc Sacerdos determinat intentionem suam: ergo notentur hæc ab his, qui oneribus Missarum pressi, nesciunt quo ordine, & quo pacto teneantur illas applicare, nam in tali casu, vt patet ex dictis satisfaciunt suo muneri, si illas applicent provt Deus videt dictas Missas ab ipso Sacerdote deberi, & esse applicandas.

2. Nota hic obiter primò, cùm plures Sacerdotes consecrant hoc sacramentum, ad quemlibet illorum perinde pertinere applicationem illius, ac si solus esset, eo quod vnusquisque eorum verè conficerat, non vt partialis (vt aiunt) causa, sed vt totalis, ac proinde ad ipsum sine alterius voluntate pertinet hoc sacrificium integrè applicare cui voluerit: cumque effectus illius infinitus sit, perinde proderit illis, quibus à singulis Sacerdotibus applicabitur, ac si ab vno solo Sacerdote vni tantùm applicaretur. Alterum est cùm vnus Sacerdos consecrauit solum corpus Christi, quia morte, aut alio impedimento sanguinem consecrare non potuit, ab alio autem Sacerdote supplente defectum prioris consecratur sanguis, ad posteriorem pertinere applicationem sacrificij, quia cum ante consecrationem sanguinis non sit sacrificium, & consecratione sanguinis perficiatur, ille solus Sacerdos dicetur sacrificare, qui sanguinem consecrat, ac proinde ad ipsum pertinebit applicatio sacrificij ad priorem. Quocirca ego non video qua ratione posterior Sacerdos debeat, vel aliquo vinculo teneatur ad intentionem prioris se conformare, vt recentiores nonnulli arbitrantur, nec solùm sub culpa mortali, sed etiam neque sub veniali. Et ita docet Vasquez *in 3. part. tom.3.disput.231.cap.6.num.41.* Verùm obseruat, & benè Castrus Palaus *tom.4.tract.22. punct.6. num.16.* quod in tali casu deberet secundus Sacerdos præcedentis Sacerdotis intentioni se conformare, tametsi obligatus non sit, quod docuit etiam Coninck in *3. part. quæst.83. art.1. dub.9. consil.9.* ex his infert Dicastillus *de Sacrament. tom.1. tract.5. disput.3. dub.7. num.175.* Sacerdotem, qui post consecratum corpus nondum applicuit sacrificium, posse ante consecrationem Calicis applicare, illa enim consecratione perficit sacrificium, tuncque censetur sacrificare. Item quamuis Sacerdos consecrauerit corpus, intendens sacrificare pro vno, potest ante consecrationem Calicis mutare intentionem, & applicare pro alio, cui, & non priori proderit sacrificium. Quod si ante perfectam vtriusque speciei consecrationem non applicuit sacrificium, nullus restat amplius locus applicandi, cùm enim iam sit sacrificium peractum, non est cur censeatur, aut sit factum ea intentione, quæ nullo modo exiſtit ante, vel simul cum ipsa actione sacrificij. Verum est, quod vt alibi, pro applicatione habitualem applicationem celebrantis sufficere, nimirum intentionem offerendi pro tali persona, quæ præcesserit, & retractata non sit, quia voluntas applicandi Missæ fructum non mouere debet ad aliquid alterius operandum, sed solùm mouere diuinam voluntatem, vt statim ac sacrificium offeratur, eius fructum applicet alteri. Secus est in sacramentis, vbi voluntas conficiendi me mouere debet ad faciendam externam actionem, ad quam concurrere non possum moraliter, & humano modo nisi perseueret intentio, vel actualis, vel saltem virtualis. Nec ad applicationem Missæ requiritur certa propinquitas temporis, quo talis applicatio præcesserit, quia dum non retractatur, censetur permanere moraliter, & habitualiter, & per consequens sufficiens. Et ita me citato docet Franciscus Lugo *de Sacrament. lib.5. cap.3. quæst.3. num.10.* quidquid in contrarium asserat Granadus *in 3. part. controu.3. tract.5. disp.4. sect.3.n.14.* Vasquez, & alij. Nota secundò in applicatione fructus sacrificij Missæ prævalere celebrantis intentionem, quamuis aliquando peccet contra iustitiam, vel obedientiam, vel fi-

Sup hoc sup. in Resl.35. & in Resol.46. prope finem, à vers. Nota hic. & in to. 4. tr.8. lege doctrinam Resol. 92. à principio.

Sup hoc sup. in Resl.53 à §. His suppositis.

Alibi sup. in Resl.51.& 54.

Sup. hac applicatione sup in Resl. 54.

delitatem, hæc applicatio est actus potestatis ordinis, & immediatè sit in persona Christi, quare non pendet ab Ecclesiæ, vel Superioris intentione, sed à libera voluntate celebrantis. Sic enim instituit Christus ob liberum exercitium consecrationis, & celebrationis vt applicatio Missæ fiat immediatè suo nomine (sicut effectio Sacramentorum) & per consequens quantumuis superior conetur applicare Missæ fructum alicui, nihil efficiet, si celebrans eum non applicet. Et ratio est, nam in contractibus, & in votis, & in similibus, operatur subditus vt persona principalis, in Missæ verò celebratione, ac applicatione quilibet Sacerdos operatur, vt immediatus Christi minister, independens ab omni humana potestate. Sed de hoc ego alibi. Peccaret tamen mortaliter Religiosus applicando Missam contra intentionem Superioris. Verum est, quod quando Superiores præcipiunt pro deuotis amicis, Prælatis, Principibus, vel pro conuersione Gentilium, aut hæreticorum, vel pro communibus necessitatibus Missas offerri, non teneri subditos obedire sub mortali. Quia nec Superiores intendunt obligare subditos in hoc casu sub mortali, cùm illas potius commendent, quàm præcipiant. Nec apparet iusta ratio cogendi sub mortali subditos ad has Missas dicendas, nisi forsan pro aliquo Principe à quo Respublica Christiana maximè pendeat, & est doctrina probabilis. Et ita docet Fagundez *p. 1. lib. 3. cap. 10. n. 6.* & Franciscus Lugo *vbi suprà n. 28.*

Sup. hoc peccato in Resol. not. præteritæ. Sup. hoc supra ex Res. 33. lege doctrinam §. Nota vero. ad medium, & ex Res. 41. §. Hinc sequitur. & seq.

RESOL. CXLVIII.

An si Missa applicetur existenti in peccato mortali, Sacrificium illud reponatur in thesauro Ecclesiæ, cum non prosit Sacerdoti celebranti illud quoad Satisfactionem ex opere operato?

Et an si Sacerdos obliuiscatur applicare alteri Missam, illius fructus redeat ad ipsum?

Et notatur, quod cum celebratur Missa pro anima Purgatorij, non solum applicandam esse illi satisfactionem sed etiam impetrationem? Ex part. 11. tract. 6. & Misc. 6. Res. 40.

§. 1. ATtende quæso, Amice lector, nam Doctores communiter affirmatiuè respondent cum Suarez. Vnde Mercerus *in 3. part. D. Thom. q. 83. dub. 8. n. 4.* si quæritur an effectus hîc remissionis pœnæ impeditus per obicem detur fictione recedente. Respondetur neg. sed si incapax sit ille, pro quo offertur, manet in thesauro Ecclesiæ: ideò expedit sic offerre, vt si is pro quo offertur non indigeat aut iuuari non possit, prosit aliis, vni, vel pluribus quibus Sacerdos voluerit. Ita ille: cui adde Auersam *de Sacram. Eucharist. q. 11. sect. 10.*

2. Sed mihi non displicet opinio Henriquez quam tuetur pijssimus, & sapientissimus Pater Iacobus Granad. ex Societate Iesu, sic itaque asserit *in 3. p. D. Thom. contr. 6. tr. 14. disp. 7. sect. 3. n. 13.* Secunda difficultas est an si sacrificium Missæ non prosit ei pro quo offertur, aut non impetret eam rem, pro qua offertur, reponatur in Ecclesiæ Thesauro? Respondetur, variè iuxta varios casus explicandam esse hanc difficultatem. In primis enim accidere potest, eum pro quo offertur Missa, non esse capacem totius fructus pro eo statu, quem tunc habet, v. g. si offeratur pro peccatore, cui licet prosit ad obtinendam veniam, non tamen ad satisfactionem. Et quidem Suarez existimat eam satisfactionem nullo modo in futurum prodesse posse eiusmodi peccatori, ac proinde vel statim applicandam esse alteri, vel reponi in thesauro Ecclesiæ. Mihi certè placet opinio Henriquez *lib. 9. cap. 15. §. 2.* existimantis, eam satisfactionem reseruari in mente Diuina, vt applicetur illi peccatori cum in Dei gratiam redierit. Probaturque ratione, quia sacrificium hoc licitè & sanctè offertur pro peccatore: ergo illi applicari potest quidquid ex opere operato tribuitur illi pro quo offertur sacrificium: ergo si pro eo statu id applicari non potest in actu secundo, manebit in actu primo, vt ablato obice peccati mortalis, statim conferatur. Sic enim homini bona fide accedenti ad Eucharistiam, sed sine dispositione ad gratiam, licet tunc non detur gratia, datur posteà, cùm tollit obicem peccati, vt *tr. 9.* diximus, & id est adhuc magis verum in aliis Sacramentis. Hucusque Granado: cuius opinio non solum noua, & curiosa, sed nimis deuota, & pia, & præbens occasionem fidelibus, vt magis libenter, & largios conentur offerre Missas pro amicis, & coniunctis, etiam si sciant esse in statu peccati mortalis, nam illa sacrificia eis proderunt non solùm quoad fructum impetratorium, sed etiam satisfactorium, recedente obice peccati. Immensa bonitas Dei, & munifica ad indulgendum natura.

Sup. hoc infra ex Res. 151. lege

3. Sed hîc oritur dubium, an si Sacerdos obliuiscetur applicare alteri Missam, illius fructus redeat ad ipsum? Negatiuè respondet Henriquez Franciscus Lugo *fol. 251.* Ioannes Vvigers *in part. q. 83. dub. 10. num. 54.* & alij, quia Deus celebrantis intentione non confert Missæ fructum; nec Sacramentorum valorem. At ego existimo, quod quoties Sacerdos nulli alteri applicat fructum sacrificij, censetur sibi applicare, idque per intentionem virtualem, seu interpretatiuam, qua quoties non applicat fructum bonorum operum alteri, à se censetur velle sibi applicare; item ex alia intentione qua maximè suis bonis operibus intendit sibi prodesse quantum potest; vnde ex hac parte nullus fructus manet inapplicatus. Si autem applicet fructum ei, qui non indiget, vel non est capax, tunc putandum est fructum redire ad applicantem, nec remanere in thesauro Ecclesiæ (de fructu applicato viuis loquor.) Ratio est, quia censetur quispiam habere voluntatem interpretatiuam satisfaciendi obligationi, applicando fructum alteri, & casu quo fructus illi non possit prodesse, reflectendi sibi eo modo ac si non applicasset, iuxta illud Psalm. 34. *Oratio mea in sinu meo conuertetur*, & Matth. 10. *Pax vestra reuertetur ad vos*, idque ex similitudine columbæ probari potest, quæ Genes. 8. *Non inueniens vbi pes eius requiesceret, ad arcam reuersa est*: ita fructus sacrificij, cùm non prodest ei cui applicatur, censetur reuerti ad applicantem, nisi intentione aliqua actuali, vel virtuali aliter disponat, aliàs enim si applicans non esset talis intentionis, fructus remaneret in thesauro Ecclesiæ, & hanc sententiam tenet Rutheus *de sacrific. Missæ lib. 1. disp. 5. quæst. 3.* & præter alios Authores, instar multorum vnum adducam, nempe Lessium *in 3. part. D. Thom. quæst. 83. art. 1. dub. 9. n. 54.* vbi sic ait: Dices. Ergo si Sacerdos obliuiscatur applicare alicui sacrificium, nullus inde proueniet fructus ex opere operato. Respondetur; Quidam dicunt posse postea applicari. Sed hoc parum est credibile: Quia sicut Sacramentum consistens in actione, solum potest applicari dum fit à ministro: tunc enim non alias est in eius potestate: ita etiam Sacrificium, tantum potest applicari dum fit, tunc enim tantummodo est in potestate ministri. Confirmatur, quia effectus qui datur ex opere operato, non potest suspendi arbitrio ministri, sed statim datur causa posita. Vnde aliter dicendum quando alteri non applicat, censetur implicitè applicare sibi, & sic fructum ex opere operato habet sacrificium in Sacerdote. Ita ille, & hanc sententiam Tamburinus *opusc. de Sacrament. Missæ*

Missæ lib.2.cap.2.§.12.num.2. probat magis, quia in Missa Sacerdos asserit, Offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis, & pro omnibus fidelibus defunctis, vt mihi, & illis prosit ad salutem.

4. Nota tamen hîc cum Granado *vbi supra n.15.* quod cũ celebratur Missa pro anima Purgatorij, non solum applicandam esse illi satisfactionem, sed etiam impetrationem, quia hæc etiam illi maximè prodest, vt Deus inspiret aliis bona opera, quæ pro illa anima applicet, & sic magis pro illa satisfiat. Sed si aliquis quærat, an omnibus omnino iustis, qui viuunt, & pertinent ad Ecclesiam militarem, pro quibus saltem in generali offertur sacrificium Missæ, vt supra vidimus *sect.9.* suaderique potest primò, quia id in nulla lege fundamentum habet, non in Diuina, quam nullibi Christus Dominus præcepit offerri sacrificiũ Missæ pro omnibus fidelibus, & applicari iustis satisfactionem pro pœna. Nec in lege Ecclesiastica, tum quia de illa non constat, tum quia si Ecclesia id statuisset, designasset vtique quantum satisfactionis applicandum esset singulis iustis, cùm possit magis, aut minus illis applicari: hoc autem nunquam Ecclesia fecit: nec denique fundamentum habet in lege naturali, quia natura non dictat sacrificium Missæ debere offerri ad eum finem. Secundò, quia si quoties sacrificium Missæ offertur, relaxaretur aliqua pœna singulis fidelibus iustis, cùm illi sint penè innumeri, oportet pœnã, quæ relaxatur, esse maximam, & penè incredibilem. Præterea, cùm Missæ, quæ celebrantur *quotidie*, sint quàm plurimæ, nullus iustus esset cui *supereſſet* aliqua pœna peccatorum, quod est planè falsum. His tamen non obstantibus contraria sententia magis mihi placet quam ex Bor. Nau. Tolet. tenet Granad. *loc.cit. sect.2. n.7.* quia sacrificium Missæ relaxat ex opere operato pœnam illius, pro quo specialiter offertur, vt dictum est: ergo etiam relaxabit pœnam eorum iustorum pro quibus generaliter offertur. Consequentia probatur, quia generalis oblatio est generalis applicatio sacrificij: sed sacrificium habet vim infallibiliter relaxandi pœnam iis iustis, quibus applicatur: ergo. Minor patet, quia quod applicatio sit particularis, aut generalis, non obstat quominus sit applicatio: ergo nec obstabit, quominus censeatur sacrificium esse aliquomodo illius, cui generaliter applicatur: ergo quomodocumque applicetur sortietur effectum, si subiectum alioqui sit capax. Ad argumenta Suarez respondet Granadus, & hæc opinio est nimis consolatoria pro fidelibus existentibus in gratia.

Sup. hoc sub lege doctrinam Ref. 57. & §. eius primæ not.

RESOL. CXLIX.

An Sacerdos celebrans in peccato mortali peccet tripliciter, nempe quia indignè consecrat, indignè offert, & indignè sumit corpus?

Et an saltem peccet duplici peccato, & quia conficit, & quia sumit Sacramentum?

Et an etiam Sacerdos celebrans in peccato mortali committat duo peccata, vnum videlicet quia celebrat in peccato, alterum quia omisit confessionem illius peccati: & ideo Sacerdos, qui celebrat Missam in peccato, & sacram Eucharistiam non ab ipso consecratam quam plurimis dispensauit, an vnum tantum peccatum commiserit? Ex part.2.tr.14.Resol.14.

Sup. hoc in tom.1.tr.1. Ref.11. fin.

§.1. REspondeo negatiuè cum Azorio *p.1.lib.10. c.31.q.11.* Homobono *de exam.Eccles. p.1. tr.4.c.16.quæs.147.* Henriq. *lib.8. de Euchar.c.45.n.2.* Fagundez *de præcept.Eccles.lib.1.cap.5.n.8.* Et addunt rationem, quia consecrare, offerre & sumere Sacramentum sunt actus subordinati ad rectam sumptionem, sed diuersi actus, quando alij aliis subordinantur, non efficiunt diuersa peccata, vt docet D. Thom. *in part.2.q.72.art.6.* Ergo, &c.

2. Et licèt multi putent, in hoc sacrilegio tres esse peccati prauitates, puto tamen vnius tantùm peccati adesse deformitatem, nam Missa vnum est sacrificium, licèt ex tribus partibus sit confectum, consecratione videlicet, oblatione & sumptione: igitur, sicut supradictæ partes vnum constituunt sacrificiũ, ita Sacerdos in peccato celebrans, vnum tantùm peccatum admittit, quod tribus in partibus consistit, nempe in indigna consecratione, indigna oblatione, & indigna sumptione.

3. Et hanc opinionem probabilem vocat Nugnus *in 3.part.tom.1.quæst.82.art.5.* licèt ipse putet, Sacerdotem celebrantem in mortali, peccare duplici peccato, & quia conficit, & quia sumit Sacramentum.

4. Nota etiam ex eodem Azorio cum multis aliis, quos adducit Bonacina *de Sacr. disp.4. quæst.6. punct.1.n.33.* Sacerdotem celebrantem in peccato non committere duo peccata, vnum videlicet quia celebrat in peccato, & alterum, quia omittit confessionem illius peccati. Ratio est, quia confessio in illo tempore, obligat in ordine ad communionem, & vbi est vnum propter aliud, est vnum tantùm, licèt contrarium doceat noster Molfes. *in sum. tom.1. tract.3. cap.8.n.90.* & alij.

Sup. hoc in tom.1. tr.7. Ref.56. §.1. & ibi in tr.3. Ref.186. §.1.

5. Ex his apparet, me olim rectè respondisse, quemdam Sacerdotem, qui celebrauit Missam in peccato mortali, & sacram Eucharistiam non ab ipso consecratam quamplurimis dispensauit, vnum tantùm peccatum commisisse.

Sup. hoc in tom.1 tr.7. lege doctrinam Ref.40.

RESOL. CL.

An Sacerdos peccet speciali peccato sacrilegij, si non solum sumat Eucharistiam in peccato mortali, sed etiam cum peccato mortali retineat, antequam species sacramentales corrumpantur?

Et hæc Resolutio pendet ex illa difficultate, an Sacramentum Eucharistiæ continuo gratiam augeat, quandiu in nobis manet?

Ex quibus concluditur, an Sacerdos, si accipiat Eucharistiam in peccato mortali, siue statim post communionem peccauerit, teneatur sub obligatione noui peccati mortalis ad contritionem, vel confessionem procurandam, antequam species corrumpantur?

Idem est de obligatione laici quoad conterendum, non verò confitendum. Ex part.11. tract.7. & Misc.7. Resol.47.

§.1. CAsus est curiosus, & à paucis pertractatus, cuius resolutio pendet ex illa difficultate, an Sacramentum Eucharistiæ continuò gratiam augeat, quamdiu in nobis manet.

Sup. hac difficult. infra in tr.2. Ref. 33 §.2. post medium, à vers. Vnde. & signanter in duobus §§. seqq. & in tom 5. tr.10. Ref. 84. ante medium, vers. Ex dictis.

2. Et affirmatiuam sententiam tenent Doctores, quos citat, & sequitur Cardinalis Lugo *de sacram. Euch.disp.12.sect.2.n.46.* Probatur hæc opinio, quia hoc Sacramentum causat gratiam per modum cibi nutrientis; quare susceptio, & manducatio se habet solùm, vt conditio, & applicatio, non vt virtus agendi: Ergo dum cibus fuerit in stomacho poterit operari, siquidem habet secum totam virtutem, & ibi adest totum Sacramentum; ergo sicut in primo instanti potuit; ita etiam poterit agere in toto tempore sequenti; causa enim necessaria debitè applicata, non est cur non operetur.

3. Et quoad hoc non requirit actum magis intensum, aut maiorem deuotionem; sed putant sufficere

ficere diuturniorem durationem actus, ipsamque maiorem perseuerantiam, esse maiorem dispositionem.

4. Amicus verò vbi infrà, putat hoc Sacramentum augere gratiam, dum manet in stomacho, si dispositio augeatur, & non accidere, nisi aucta dispositione subiecti: Nam sicut causæ naturales ad meliorem applicationem passi, meliorémque dispositionem subiecti, intentiorem, perfectioremque producunt effectum: Ita Sacramenta ad meliorem dispositionem subiecti intensiorem producunt gratiam: igitur aucta dispositione subiecti, augetur gratia Sacramentalis, cùm hæc producatur ad instar effectus naturalis; hanc etiam sententiam tenet Franciscus Lugo *de Sacram. lib. 4. cap. 4. q. 1. n. 9.* Ysambert. *in 3. part. tom. 2. q. 79. disput. 3. art. 2.*

5. Verùm negatiuam sententiam sustinent Doctores, quos nouissimè adducit, & sequitur Pater Dicastillus *de Sacrament. tom. 1. tract. 4. disp. 8. dub. 3. num. 40. cum seq.* qui respondet ad argumenta Cardinalis Lugo, idem docet Martinus *in 3. part. tom. 4. disp. 44. sect. 2.* Castrus Palaus *tom. 4. tract. 21. punct. 9. §. 1. num. 10.* Pasqualigus *in Theolog. tom. 2. can. 117. sect. 5. num. 27.*

6. Probatur hæc opinio: Primò, nam promissio gratiæ facta est manducanti, Ioan. 6. qui autem species Sacramentales in stomacho conseruat, & digerit, non manducat, vt per se patet: nam manducare, est cibum ex ore in stomachum traijcere. Secundò, sequeretur gratiam successiuè produci pro toto eo tempore, quo species in stomacho durant. Tertiò reliqua Sacramenta non conferunt gratiam, nisi in aliquo determinato instanti, quo elapso, non amplius gratiam conferunt: ergo neque hoc Sacramentum gratiam confert, nisi in aliquo determinato instanti, quo transacto, non ampliùs gratiam causat. Quartò digestio specierum non est vsus Sacramenti, vel actio libera, sed merè naturalis: ergo non potest virtute illius gratia sacramentalis augeri, quia hæc non est promissa nisi liberè vtenti hoc Sacramento: alioqui posset illud dormienti collatum gratiam conferre. Quintò sequeretur, maiorem gratiam recepturum illam qui plures, aut maiorem accipit Hostiam; immò qui debiliorem habet stomachum, quia diutiùs in eo manent species sacramentales.

Sup. hoc in §§. not. præteritæ, &c.

7. Et hæ sunt oppositæ sententiæ circa præsentem difficultatem, quas ego omnes probabiles esse puto; quo supposito, stando in opinione affirmatiua, cui ego magis olim etiam adhæsi. Oritur dubium propositum in titulo resolutionis, & ad illud negatiuè respondet Cardinalis Lugo *de Sacrament. Eucharist. disp. 12. sect. 2. num. 64.* vbi sic ait: Hinc obiter infero, si homo acciperet Eucharistiam in statu peccati, licet in ipsa sumptione peccauerit, non tamen teneri sub obligatione noui peccati mortalis ad contritionem statim procurandam, antequam species corrumperentur, vt posset accipere fructum illius Sacramenti. Diximus enim, quod etiamsi tunc confiteretur, non ideò Eucharistia daret illi gratiam Sacramentalem: nam licet cibus sit adhuc in stomacho, non tamen prodest, nisi provt cibus voluntarius, seu voluntariè acceptus; tunc autem non potest eo modo prodesse, quia acceptio voluntaria facta fuit in statu peccati, perseuerantia autem sola non sufficit, nisi provt coniuncta cum voluntaria acceptione illius cibi. Multò autem minùs teneretur homo tunc ad confessionem statim faciendam antequam species corrumpantur ex hoc capite (quidquid sit de obligatione Sacerdotis, quam primùm confitendi, quam imposuit Ecclesia in Tridentino) tum quia præceptum præmittendæ confessionis solùm videtur fuisse de præmittenda confessione ante ipsam communionem, nec verba Pauli, ex quibus colligitur, illud videntur indicare, dum dicit: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, &c.* vbi probatio illa solùm ante esum, & potum requiritur: tum etiam, quia illud præceptum positiuum confitendi post communionem ante corruptionem specierum parum vtilitatis, & multum afferret nocumenti; est enim nimis incertum, & dubium tempus illud, quo species perseuerant incorruptæ, & extra notitiam humanam, atque adeò esset res anxietatibus plena, alumde verò vix esset spes, quod ille qui voluit indignè sumere Eucharistiam, vellet postea mutato consilio confiteri ad tollendum obicem Sacramento iam susceptò; non ergo expediebat legem positiuam fieri de confessione tunc facienda. Ita Lugo.

8. Sed affirmatiuam sententiam tenet Pater Amicus *in curs. Theolog. tom. 7. disput. 25. sect. 2. num. 42.* vbi sic asserit: Sequitur quartò peccare speciali peccato sacrilegij, non modò, qui ad hoc Sacramentum accedit cum peccato, sed etiam qui peccat, dum illud retinet in stomacho, cùm non minorem iniuriam Sacramento irroget, qui illud accipit in peccato, quàm qui illud in peccato retinet; atque hoc corollarium, me iudice, admittere debent etiam aduersarij, nam etiamsi in eorum sententia dum Christus perseuerat in stomacho, non causet gratiam; magna tamen illi iniuria irrogatur, peccando eo tempore, quo per sacramentalem præsentiam intra nos est.

9. Dices hinc sequi, communicantem non solùm obligari ad confitendum peccatum ante Sacramentalem manducationem commissum, ne hoc Sacramentum indignè suscipiat, sed etiam post Sacramentalem manducationem patratum, ne indigne hoc Sacramentum intra se retineat: nam si eadem irrogatur iniuria per manducationem, ac per indignam retentionem, eadem erit obligatio ante, ac post Sacramentalem manducationem commissum peccatum per confessionem expiandi.

10. Respondeo quoad confessionem negari potest sequela, eo quod præceptum illud diuinum ab Apostolo traditum 1. *Corinth.* 11. de non manducando pane, & bibendo calice Domini, nisi præuia probatione sui, quam probationem Trid. *sess. 13. cap. 7.* interpretatur de præuia confessione, vbi peccati mortalis conscientia stimulauerit, iuxta praxim, & declarationem Ecclesiæ non obligat, nisi ante Sacramentalem sumptionem, non autem post, nisi solos Sacerdotes, idque ex speciali præcepto Eucharistiæ; quoad contritionem verò omninò censeo talem hominem teneri ad actum contritionis eliciendum, ne iniuriam irroget sacramentali præsentiæ Christi. Hucusque P. Amicus, cui adde Leandrum *de sacram. tom. 2. tract. disp. 11. q. 19.*

11. Itaque sumens Sacramentum indigne tenetur conteri, vel confiteri, quandiu species incorruptæ manent, siue tempore communionis fuerit in peccato, siue statim post communionem peccauerit, quia toto tempore, quo Christus in illo adest, ponit obicem Sacramento, & retinet Christum in vase immundo. Ergo tenebitur pro toto illo tempore confiteri, aut tollere obicem. Verum est, quod peccans poterit ab hac obligatione eximi propter probabilitatem contrariæ opinionis.

12. Verùm quid ego sentiam, dicam breuiter. Sententia Patris Amici videtur nimis mihi scrupulosa, licet probabilis, ideò adhæreo magis opinioni Cardinalis Lugo asserentis, Sacerdotem non teneri sub

nouo

nouo peccato mortali elicere actum contritionis, si indignè sumpsit Eucharistiam, & species adhuc in stomacho non sunt corruptæ.

RESOL. CLI.

An Sacerdos in peccato mortali celebrans, si antequam species sacramentales corrumpantur, eliciat actum contritionis recipiat gratiam ex opere operato Eucharistiæ?

Et vtrum solius Baptismi sit proprium, vt eius effectus redeat, vel an hoc etiam commune sit saltem aliis Sacramentis characterem imprimentibus?

Et an Sacerdos recipiens vnam partem Hostiæ in peccato recipiat gratiam Sacramenti, si antequam alteram partem Hostiæ manducet, per contritionem in gratia constituatur?

Et an si Eucharistia poneretur in stomacho hominis miraculosè sine eo, quod intraret per oris manducationem, adhuc causet gratiam?

Et quid, quando per respirationem non voluntariè, sed casu per nares, vel per os quis attraxisset in stomachum parum fragmenti particulæ consecratæ? Ex part. 11. tract. 7. & Misc. 7. Res. 48.

Sup. hoc in fin tr. 2. Resol. 13. §. Non desinã. arsim ad medium, ref. si vero accedat.

§. 1. EX diuersitate opinionum, quas in superioti resolutione adduximus, oritur diuersa resolutio præsentis dubij, & ideò ad illum negatiuè respondet Pasqualigus *in Theol. tom. 2. cont. 117. sect. 3. n. 16.* vbi sic ait. Ex dictis colligitur contra Caiet. Palud. Suar. Coninch. *n.* 48. Chellison. *ver. hinc sequitur secundo.* Mercer. *ver dices tertiò*; Auer. *ver. nec.* S. Th. locis citatis pro prima opinione, eum qui indignè susceipit Eucharistiam non percipere fructum; etiam si postea quandiu species durant in stomacho pœniteat, & conteratur, aut etiam confiteatur, vt notat Præposit. 3. *part. q. 79. art. 2. dub. 3. n. 12. verbo ex his deduce*, Hurtad. *disp. 8. de Euchar. diffic. verb. deinde*, & alij adducti pro secunda sententia. Ratio est, quia vt habetur ad Cor. 11. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Vnde iam in sumptione illius Sacramenti iudicatus est, & idem non potest amplius esse ad vitam, cùm fuerit ad mortem. Deinde ipsa manducatio est iam completa, & habuit obicem, ne produceret suum effectum; Vnde non potest amplius producere, quia gratia datur dignè manducantibus, non autem qui digni fiunt, postquam manducauerunt. Ita ille.

2. Sed ego probabiliter adhæreo sententiæ affirmatiuæ, & præter Doctores à Pasqualigo adductos, illam tenet Hermannus Busembaum *in medulla Theolog. moral. lib. 6. tr. 3. c. 1. dub. 7.* Trull. *de Sacram. lib. 3. cap. 5. dub. 2. n. 2.* Leand. *de Sacram. tom. 2. tr. 7. disp. 15. q. 18.* Franciscus de Lugo *de Sacram. lib. 4. cap. 4. q. 1. n. 10.* Martinon. *in 3. p. tom. 4. disp. 18. sect. 2. n. 25. & 26.* & sapientissimus Lessius *in 3. part. q. 69. art. 10. dub. 3. num. 12.* vbi sic asserit, vtrum solius baptismi sit proprium, vt eius effectus redeat.

Sup. hoc & consentio in sequentibus & melius & magis late in tom. 1. lib. 1. Res. 24. n. 15.

3. Respondeo, probabilissimum est id etiam commune esse aliis Sacramentis characterem imprimentibus.

4. Probatur duplici ratione. Prima est D. Thomæ quæ si aliquid valet in Baptismo, etiã valet in Confirmatione, & Ordine. Secunda ratio est, nisi posset illa gratia recuperari, non benè prospectum esset hominibus in hac imbecillitate vitæ, qua gtatia facilè amittitur. Quod patet, quia per hæc Sacramenta Confirmationis, & Ordinis constituuntur homines in quodam statu immobili, ad quem opus habent gratia Sacramentali: Ergo nisi gratia, quæ datur ad huius status functiones, possit recuperari, manebit homo obligatus ad functiones sine gratia illis functionibus propria, quod non est consentaneum suaui prouidentiæ Dei.

5. Eodem argumento probari potest reuiuiscere etiam gratiam Sacramenti Matrimonij, quia hoc Sacramentum tribuit statum immobilem. Item Extremæ-Vnctionis, quia hoc Sacramentum non potest repeti manente statu eiusdem morbi; cùm tamen hæc gratia in illa extracta lucta sit tantoperè necessaria.

6. Idem facilè probari potest de Pœnitentia, hoc Sacramentum potest esse informe, id est sine effectu, salua substantia. Probatur, quia non teneor peccatum mortiferum secundò confiteri, quod antea in confessione, etsi informi, explicui, vt omnes fatentur; Ergo hoc peccatum non remittitur per sequentem absolutionem, alioquin in sequenti confessione fuisset explicandum: ergo remittitur per præcedentem, cuius effectus fuerat impeditus.

7. De Eucharistia res est magis incerta: est tamen satis probabile in quodam casu, scilicet, si quis in peccato communicauerit, & ante corruptionem specierum pœnitentiam concipiat. Ita Lessius.

8. Dicendum est igitur, si quis indignè communicauit, & postea, dum species permanet in stomacho, sufficienter disponatur ad gratiam, illum verè percepturn esse fructum Sacramenti.

9. Et Suarez *disp. 63. sect. 7.* probat id concedi non solum non esse inconueniens, sed maximè dignum Christi benignitate, & efficacia in redimendo, & saluando hominem. Nã si ad hunc finem venit in hominem. per hoc Sacramentum, vt illum sibi vniat, & in itinere veniens (vt sic dicam) non inuenit illum dispositum: antequam verò discedat, homo se conuertit, ac disponit, cur non operabitur in illo effectum, propter quem ad eum Sacramentaliter venit?

10. Itaque dicendum est, quod Eucharistia potest fictè susci pi, vel cum aperto sacrilegio, vel bona fide si sumatur cum aperto sacrilegio cognoscentis se indignè communicare, nec tollatur obex ante consumptas species Sacramentales, nullum operatur effectum, recedente postea fictione; nam qui sic manducat indignè, iudicium sibi manducat, vt inquit Apostolus 1. *Corinth.* 11. scelus immane committens. Ergo non est cur fructum inde percipiat; Vnde tam grauiter delinquit, cùm præsertim itetati facilè Sacramentum, & dignè recipi possit. Alioqui Sacerdos, qui cum indignitate sibi nota contra ius, & fas celebrat grauissimis criminibus, & censuris innodatus, sæpius etiam quotidie per longam vitam reciperet in fine vitæ contritus gratiæ cumulum ingentem ex tot sacrilegiis horrendis, quod apparet satis absurdum. Ita sentiunt S. Thomas *in 4. d. 4. q. 3. art. 2. q. 3. ad 3.* Durandus, Maior, Palud. ibi, Cano, Syluester, & alij, quos sequitur Suarez *sup. disp. 63. sect. 8.* Filliuc. *tr. 1. n. 143.* Bonac. *disp. 1. q. 6. punct. 3.* Coninch. *q. 62. n. 78.* & Henriq. *lib. 1. c. 25. n. 7.* Palaus *tom. 4. tr. 18. punct. 9. num. 6.* Villalob. *tom. 1. tr. 7. diffic. 32. n. 1.* Trullench. & Layman supra Auersa *de Euchar. quæst. 7. sect. 1.*

Sup. hoc supra ex Res. 148. lege doctrinam. § Sed mihi.

11. Si verò tollatur obex ante consumptas species, probabile quidem est conferri fructum Sacramenti. Nam promissio gratiæ facta fuit huic Sacramento propter Christum manducatum; non ratione solius manducationis, sed ratione quoque termini manentis, & per manducationem applicati, iuxta *id Ioan. 6. Qui manducat me, viuet propter me, vnus in me manet, & ego in illo*, vbi Aug. *tr. 26.* ait, *manducare Christum est illum manentem in se habere.* Dum ergo manet Christus in stomacho sub speciebus, efficax est ad producendam gratiam iuxta dispositionem subiecti, subinde

subindeque posita sufficiente dispositione, confert gratiam ex opere operato; quia manet adhuc Sacramentum cum efficacia sibi propria.

11. Et hæc omnia etiam notat, & docet P. Lugo *de sacram. lib. 1. cap. 3. q. 5. n. 34. & 35.* quæ quidem satis grata, & consolatoria Lectoribus fuisse reor.

Sup. hoc inf. in tr. 2. lege doctrinam §. vlt. Res. 35.

13. Verùm ex his faciliùs oritur resolutio alterius dubij, videlicet, an Sacerdos recipiens vnam partem Hostiæ in peccato, recipiat gratiam Sacramenti, si antequam alteram partem Hostiæ manducet per contritionem in gratiam constituatur.

14. Negatiuè respondet Bonacina *de sacrament. disp. 4. q. 4. punct. 2. n. 4.* negant Henriquez, Bonacina, Vasquez *suprà*, nam hic iudicium sibi manducat ex Apostolo.

15. Non est autem æquum, vt quis per eandem refectionem pariat sibi iudicium, & gloriam. Quare Patres aiunt, huic Eucharistiam inutilem, & mortiferam esse, nec dignum reputant, vt ex vi receptionis initio sacrilegæ, vllus ei gradus gratiæ postea conferatur.

16. At ego adhæreo sententiæ affirmatiuæ, & ideò putat Leand. *vbi sup. n. 17.* in tali casu dictum Sacerdotem recipere fructum, & gratiam Sacramenti, siue per sumptionem secundæ partis hostiæ, siue per primam solam, aut simul cum secunda, si species nondum erant corruptæ. Ratio est, quia adhuc tunc Eucharistia habet vim conferendi gratiam ex opere operato; Ergo, cùm alias Sacerdos sit sufficienter dispositus, verè eam conferret.

17. Et citat pro hac sententia Suarez, & Coninck, quibus ego addo Cardinalem Lugo *de Euch. disp. 12. sect. 2. n. 64.* eius Germanum Patrem Franciscum Lugo *de sacram. lib. 4. cap. 4. q. 8. n. 6.* Castrum Palaum *tom. 4. tract. 21. punct. 9. §. 1. n. 7.* Pasqual. *loc. cit. num. 28.* quia ait ille, quando sumitur secunda pars hostiæ, adhuc durat vsus Sacramenti.

18. Et hanc sententiam docet Trullench *de sacrament. lib. 3. cap. 5. dub. 2. n. 2.* & Dicastill. *de sacram. tom. 1. tract. 4. disp. 8. dub. 2. n. 26.* Dicendum itaque, quod illæ particulæ, quæ denuò sumuntur, sunt gratiæ causatiuæ, & non inueniunt obicem in subiecto. Est autem ibi tunc verè sumptio corporis Christi. Quod autem priùs fuerit impedimentum pro priori parte specierum, non sufficit, vt sit impedimentum pro posterioribus partibus, perinde atque in agentibus naturalibus; etiamsi initio applicationis agentis passum sit indispositum, deinde verò disponatur effectus ille, qui à prioribus partibus agentis erat causandus, causabitur posteà eo ipso, quod passum incipiat esse dispositum.

19. Præterea si quis cum minori dispositione, simpliciter tamen sufficienti, accipiat primam partem Eucharistiæ crescat tamen dispositio, quando accipit sequentes, recipit maiorem gratiam ex opere operato. Ergo pari ratione, si quis sit simpliciter indispositus in prima, & pro secunda iam sit simpliciter dispositus, recipiat gratiam virtute secundæ. Ita ille.

20. Sed hic pro curiosis apponam difficultatem, an si Eucharistia poneretur in stomacho hominis miraculosè, sine eo quod intraret per oris manducationem, adhuc causaret gratiam?

21. Et negatiuè respondet P. Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 63. sect. 7. ante 2. concl.* Sed affirmatiuam sententiam tenet Eminentiss. Lugo *de Sacram. Euch. disp. 12. sect. 7. n. 115.* vbi sic ait: Ego sanè non inueni adhuc rationem satis efficacem, contra eum qui concederet præ dictam sequelam, & admitteret quod si tunc ille homo sciret quid secum ageretur, & vellet recipere illud Sacramentum, reciperet quidem effectu sacramenti, quod proportio sibi naturalis suadere videtur, & ratio supra posita, quod scilicet manducatio sit mera conditio applicationis, quare si causa alio modo applicetur, non est cur non possit operari. Immò posset hoc ipsum confirmari ex facto miraculoso, quod à probatis Auctoribus narratur contigisse cuidam Comiti Gallo, iuxta Massiliam, qui dum esset morti proximus, & mala stomachi dispositione prohiberetur à communione Eucharistiæ, quam ardenter exoptabat, allatam sibi hostiam, & super stomachum positam, aperto diuinitùs pectore suscepit, & statim obiit.

22. Quam historiam suppresso nomine, refert & approbat P. Salmeron *tom. 9. in Euangel. tract. 33. ante 3. argum.* in quo casu non videtur credibile, Sacramentum non habuisse effectum ex opere operato, vt quid enim eximius ille fauor, nisi ad communicandum fructum Eucharistiæ? Ita Lugo.

23. Vnde vtramque sententiam ego probabilem esse puto, & ideò cum Suarez consentit Coninck *de Sacram. q. 70. art. 1. dub. 2. n. 43.* Et cum Cardinali adhæret Leand. *de Sacram. tom. 2. tr. 7. disp. 11. q. 16.* sed ego sententiam Patris Suarez, & Coninch habere vim magnam putarem, quando quis per respirationem non voluntariè, sed casu per nares, vel per os attraxisset in stomachum paruum fragmentum particulæ; In his enim casibus tu cogita valde dubito, si Eucharistia illi conferret gratiam. Quia ex constitutione Christi Eucharistia confert gratiam per manducationem, apertè hoc probat Suarez, & alij ex apertis verbis Sacræ Scripturæ.

24. Sed iste talis qui per nares, vel os respirando attraxit fragmentum Hostiæ, non attraxit illud in stomachum actione comestiua; ergo. Minor probatur, nam si quis sumeret per nares parum aquæ, vel per os, v. g. muscam per attractionem spiritus, iste talis non frangeret ieiunium naturale, sed posset sine culpa grauiter sinaxim sumere. Et rationem adducunt Doctores communiter, & ipsemet Cardinalis Lugo, quia tunc illa aqua, vel musca non intraret in stomachum per actionem comestiuam, nec ille talis dicetur eam manducasse.

25. Ergo, & in casu nostro Eucharistia attracta respirando per nares, & per os non causaret gratiam, quia non descendet in stomachum per manducationem; ideò vt dixi, tu cogita: nam casus sunt curiosi, & à nullo Auctore pertractati.

RESOL. CLII.

An Sacerdos excommunicatus celebrans committat duplex peccatum, sciens se teneri vinculo peccati & censuræ?

Et an ille Sacerdos neque vt duo peccata, neque vt circumstantiam aggrauantem eiusmodi circumstantia confiteri teneatur? Ex p. 2. tr. 14. Res. 22.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Homobonus *de exam. Eccles. p. 1. tr. 4. cap. 16. q. 147.* Tolet. *in sum. tom. 1. tr. 3. cap. 8. n. 88.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 66. sect. 1. concl. 1.* Bonacina *de sacram. disp. 4. q. 6. punct. 1. n. 34.* cum Nugno, Henriquez, & aliis.

2. Sed contraria videtur etiam probabilis, quam tuetur Vasquez *in 3. part. tom. 3. disput. 106. cap. 1. num. 6.* quia talis Sacerdos excommunicatus celebrans, non facit contra duas obligationes specie distinctas, quia in hoc casu lex humana positiua prohibet idem, quod lege diuina prohibitum erat ob eandem rationem, quam motiuam nominat, & ita prohibitio accedendi ad hoc sacramentum, intuitu

Reli

Religionis exhibetur. Ideo Sacerdos, neque vt duo peccata, neque vt circumstantiam aggrauantem, eiusmodi circumstantias confiteri tenetur.

RESOL. CLIII.

An Sacrificium Missæ remittat peccata venialia ex opere operato?

Et an sit probabile Sacramentalia remittere peccata venialia? Ex part. 3. tract. 4. Ref. 39.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Didacus Nugnus *in 3. p. tom. 1. q. 83. art. 1. concl. 6.* & hanc sententiam probabilem putat, licèt contrariam tanquam probabiliorem teneat Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. part. 2. de sacrificio Missæ, q. 1. dub. 4. concl. 6.* vbi sic asserit. Probabile est hoc sacrificium remittere peccata venialia ex opere operato infallibiliter, & ita docuit Fr. Garsias de Mondrago in nostro insigni Collegio S. Gregorij Vallisoletani; sed oppositum est probabilius, nam idem videtur esse de peccatis venialibus, ac de mortalibus. Nam etsi sacrificium Crucis habeat dictos effectus ex opere operato, tamen ex voluntate diuina variè per varia media applicatur; per Sacramenta enim applicatur ex opere operato, & infallibiliter, non sic verò per sacrificia. Ita la Cruz.

2. Sed ego Nugno libenter adhæreo, nam sacrificium Missæ ordinatur ad remittenda peccata, sed non potest remittere mortalia ex opere operato. Ergo saltem venialia; deinde satis probabile est sacramentalia remittere venialia. Ergo à fortiori sacrificium Missæ, quia excellentius est.

RESOL. CLIV.

An ita strictè requiratur lumen accensum in Missæ Sacrificio, vel sine eo nunquam sacrificare liceat?

Imo additur quod si lumen extinguatur ante consecrationem, nec haberi possit, relinquenda sit Missa etiam si necesse esset consecrare ad dandum Viaticum moribundo.

Et an sit peccatum mortale lampadem accensam ante Sacramentum non conseruare?

Et an si solum per dimidiam horam, aut aliquid amplius sine lumine existeret Eucharistia, peccatum graue committatur?

Et quid si per integrum diem hoc Sacramentum in Ecclesiæ Sacrario sine lumine esset?

Et an sit præceptum, vt ante Eucharistiam in Templis semper lumen ardeat?

Et docetur, quod extat præceptum de lumine, quando defertur Sacramentum foras.

Ex causa tamen illud etiam omitti potest, vt cum ad agrotum longè distantem defertur, nec commodè cum lumine fieri potest? Ex part. 9. tract. 6. & Misc. 1. Ref. 33. aliàs 34.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam tenet Pater Quinatanadueñas *in Theolog. moral. tom. 1. tract. 4. singul. 1. n. 2.* vbi dicendum existimat, quòd si ob notabilem, seu ob grauiter culpabilem Parochi, vel eius, cuius cura hæc commissa est, negligentiam, per integrum diem, ipso sciente, & consentiente, lampas accensa non sit coram Tabernaculo; peccatum mortale ab eo committeretur: & hoc videtur dicendum, etiam remoto scandalo: quia, si hoc intercedat, non est dubium. Probatur ex sententia Doctorum assertium, ita strictè requiri lumen accensum in Missæ Sacrificio, vt sine eo nunquam sacrificare liceat, vt loquitur Lugo *de Eucharistia, disp. 30. sect. 2. n. 77.* & addit ex Fagundez sententia *cap. 22. in 2. Præcep. n. 19.* Imò addunt aliqui, si lumen extinguatur ante consecrationem, nec haberi possit, relinquendam esse Missam, etiamsi necesse esset consecrare ad dandum Viaticum moribundo. Sed cùm hoc præcipuè sit, ne Eucharistiæ Sacramentum sine lumine existat; licèt simul etiam sit propter Sacrificij celebrationem; dicendum saltem erit, quòd per integrum diem hoc Sacramentum in Ecclesiæ Sacrario sine lumine esse, sine graui culpa non licebit: quia defectus hic est iure graui contra antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem tum celebrandi cum lumine, tum illud apponendi coram Tabernaculo: & eadem reuerentia digna est Eucharistia in Altaris Sacrificio oblata, ac in Sacrario custodita: & licèt hîc non ita manifestè Hostia consecrata pateat, & consecratio ibi, & non hic exerceatur: at consecrationis terminus, seu effectus, à quo consecratio dignitatem suam sumit, in oblata Hostia inuenitur: & excessus manifestationis, ita breui tempore durans, vberiùs compensatur perseuerantia per spatium vnius diei. Vnde, si solùm per dimidiam, aut integram horam, aut aliquid amplius, sine lumine existeret Eucharistia, peccatum graue non committeretur.

2. Sed, his non obstantibus, de tali consuetudine vniuersali dubitat Iacobus Marchantius *in resol. Past. tr. 4. c. 5. q. 4.* vbi sic ait: Quærere verò hic potest quis, an sit etiam præceptum, vt ante Eucharistiam in templis semper lumen ardeat? Respondent aliqui, licèt expressum in iure non reperiatur, consuetudine tamen vniuersalem Ecclesiæ habere vim præcepti. Ita Victorellus, Emanuel Sà, & quidam alij. Sed hanc consuetudinem non esse ita vniuersalem, patet ex multis Ecclesiis parochialibus, maximè ruralibus: vbi propter pauperratem hactenus non fuit solitum lumen continuum accendi. Et licèt Episcopi eam consuetudinem introducere conentur variis Decretis, tamen videmus vix obseruari à subditis ob pauperatem. Disceptant enim illi de expensis, quorum sit eas sustinere, an Ecclesiæ, an decimas percipientium, an communis populi; sicque Decretorum exequutio vel differtur, vel non fit. Extat porrò præceptum de lumine, quando defertur Sacramentum foras, cap. *Sanè de celebrat. Missar.* Ex causa tamen illud etiam omitti posset, vt cùm ad ægrum longè distantem defertur, nec commodè cum lumine fieri potest. Ita Marchantius. Verùm ego opinioni P. Quintananaduenas adhæreo.

RESOL. CLV.

An Sacerdos in necessitate celebrans cum vno lumine olei vel adipis peccet mortaliter?

Et cursim notatur, quod celebrare vnica candela cerea ex causa necessitatis est tantum peccatum veniale.

Et aduertitur Sacerdotem neque peccare mortaliter, si celebret Missam in Altari, in quo imago Crucis non existit? Ex part. 2. tract. 14. Ref. 45.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Riccius *p. 3. decis. 213. num. 1.* Fagundez *tract. 1. lib. 3. cap. 23. n. 17.* Reginaldus *tom. 2. lib. 29. cap. 9. n. 196.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 6.* Fernandez *in exam. Theol. p. 3. c. 5. §. 13. n. 12.* Villalobos *in sum. p. 1. tr. 8. difficil. 26. num. 4.* Vasquez *in 3. p. tom. 3. disp. 233. cap. 3. num. 26.* Molfesius *tom. 1. tract. 3. cap. 12. n. 57.* & alij.

2. Sed negatiuam sententiam probabilem putat Zanard. *in direct. Theol. part. 1. de sacrif. Miss. c. 14. in fin* Pitig. *in 4. tom. 1. disp. 13. q. 2. art. 3.* Nugnus *in 3. p. q. 83. art. 3. dub. 5. fol. mihi 509. col. 1.* Graff. *p. 2. lib. 2. c. 43.*

seq. vers. cũ eodem Fagundez hic citato tantũ, in tom. 3. tr. 1. Resol. 1. §. Et tandẽ.

Sup. hoc præcepto infra in tr. 2. Ref. 53. cursim in fine §. Verum. & magis latè in alio §. eius annot.

Sup. hoc in Ref. seq.

c.43.n.1. Azorius p.1.lib.8.cap.18.q.15. & Homobonus de exam.Eccl.p.1.tr.4.cap.15.q.143. qui etiam tenet Sacerdotem, neque peccare mortaliter, si celebret Missam in altari, in quo imago Crucis non existit, & citat multos, quibus adde Villalobos in sum. part.1. tract.8.diffic.26.n.6.

Sup. hoc infra in Resol. 184. §. Nota tamen.

3. Nota etiam, quòd celebrare cum vnica candela cerea ex casu necessitatis, putauit Nugnus vbi sup. esse tantùm peccatum veniale.

Sup. hoc in fine Res. seq. & infra in Res. 157. §. 1. post mediũ, vers. Et quidem.

RESOL. CLVI.

Virum Sacerdos in casu necessitatis, secluso etiam scandalo, possit celebrare cum lumine olei?

Et an ob causam non tamen grauem valde celebrari possit cum vno cereo, vel igne ardente in oleo, aut seuo, modo scandalum absit? Ex part.2. tractat.14. Resol.67.

Sup. hoc in Res. præterita.

§.1. NEgatiuam sententiam docet Henriq. lib.9. de Missa, cap.26.n.4. & cap.29.n.7. vbi ex consuetudine à tempore Apostolorum introducta, & ex authoritate multorum Patrum, probat vsum celebrandi cum lumine cerei igniti, & in hanc sententiam inclinat Bellarm. lib.2.de Missa, c.14.

2. Sed ego existimo in graui necessitate, & secluso scandalo, & contemptu, non esse mortale peccatum celebrare cum lucerna ex oleo, quia olim in Sanctuario lampades in cultum Dei ardebant, vt ait D. Thom. in part.2.q.101.art.1.ad secundum, & ita Sacerdotem celebrantem non damnarem, ait Suarez in 3.part.tom.3.disp.81.sect.6. quem postea sequitur Fagundez de præc.Eccles.tract.1.lib.3.c.3.n.17. licèt addant, hoc ante factum, non esse consulendum.

3. Sed ego in tali necessitate constitutus, si non adesset aliorum scandalum, cum lumine olei celebrarem. Vide supra q.45. & mecum sentit Reginaldus in praxi, tom.2.lib.29.cap.vlt.p.3.sect.6.n.196. Filliuc. tom.1.tr.5.c.4.n.126. & nouissimè Layman. lib.5.tr.5. c.6.n.17. vbi ita ait. [Licet communi Ecclesiarũ consuetudine receptum sit, vt lumen sit geminum, & in cera, ob causam tamen, etiam non valdè grauem, celebrari posset cum vno cereo, vel igne ardente in oleo, aut seuo, modò scandalum absit.] Ita ille.

Sup. hoc in §. vlt. Resol. præteritæ, & infra in Res. seq. §.1. post medium, à vers. Et quidem,

RESOL. CLVII.

An si Minister extinguat candelam à parte Epistolæ ante finitum Euangeliũ S. Ioannis, peccet venialiter?

Et infertur nullum esse peccatum celebrare extra necessitatem cum vno lumine, vel ad summum esse tantum peccatum veniale.

Et cursim docetur preces pro præparatione Missæ non esse dicendas ante Missam de Requiem, eo quod omitti debent, quia Psalmi habent Gloria Patri, *qui quid solemnitatis, & suauitatis habent.*

Et an in prædictis Missis de Requiem omitti debeant oscula crucis in amictu, stolæ, & manipulo induendis; tum quia prohibentur in Missa solemni, tum quia non osculatur Sacerdos librum in Missa defunctorum, nec Minister osculatur ampullas, quas celebranti porrigit. Ex part.10.tract.12.& Misc.2. Resol.20.

§.1. AFfirmatiuè respondet Franciscus de Nigro de Ordine celebrandi Missam, part.3.§.11. q.3. vbi sic ait: Quæres, an sit peccatum, saltem veniale extinguere candelam ex parte Epistolæ, antequam explicet Euangelium S. Ioannis? Aliqui Ministri, vel auari, vel pigri extinguunt alteram candelam: Sed vt ait P. Trimarchi peccant saltem venialiter (modò non reperiatur in iis crassa ignorantia) quia Pij V. Constitutione vetitum est in celebratione Missæ alias vsurpare cæremonias, nisi quæ eius mandato præscriptæ sunt, atque editæ. Ita ille. Sed cùm in medio Euangelij S. Ioannis, Clerici soleant extinguere dictum lumen, vt possint posteà statim alterum extinguere, ne Sacerdos cogatur illos expectare: ideò puto in tali casu nullum adesse peccatum veniale, quia parum pro nihilo reputatur: nec Bulla Pij transgreditur, vt vult Nigrus. Et quidem si aliquipenes Leandrum de Sacram. tom.2. tract.8. disp.7. quæst.10. asserunt, nullum esse peccatum celebrare extrà necessitatem cum vnico lumine; vel ad summum, vt vult Hurtadus, Fagundez, & alij, quos citat, & sequitur Leandrus loco citato; esse tantùm peccatum veniale, certè dutum videtur dicere cum Nigro, Clericum, qui extinguit lumen à parte Epistolæ, non adhuc finito Euangelio S. Ioannis, peccare venialiter.

2. Nota hîc obiter dictum de Nigro vbi suprà, §.12.num.1. asserere, Preces pro præparatione Missæ non esse dicendas ante Missam de Requiem, eò quòd omitti debeat, tùm quia prohibentur dici ab Episcopo ante Missam defunctorum, ex Carem. Pap. lib.2. sect.2. cap.26. & 28. tùm quia Psalmi habent Gloria Patri, quod nescio quid solemnitatis & suauitatis habet. Ita ille. Gauantus in Rubrica Missalis, part.2. tit.3. §.1. asserit, dictas Preces omitti posse, sed non debere, vt vult Nigrus; & communiter dicuntur. Idem etiam Nigrus vbi suprà num.2. sic ait: Quæres, an omitti debeant oscula crucis in Amictu, Manipulo & Stola induendis? Probabile est, quòd omitti debeant; tum quia prohibentur oscula rerum in Missa solemni, tùm quia non osculatur Sacerdos librum in Missa Defunctorum, nec minister osculatur ampullas, quas Celebranti porrigit. Sic ille. Sed communiter contrarium obseruatur, & tenet Gauantus loco citato.

RESOL. CLVIII.

An Sacerdos peccet mortaliter celebrando Missam sine Ministro, ne careat Missa in die festo, vel pro dando moribundo Viaticum, aut quid aliud simile? Ex part.2. tract.14. Resol.43.

§.1. AFfirmatiuè respondet Fernandez in exam. Theol. mor. p.3.c.5.§.4.n.8. Barthol. Ab Angelo in exam. Confess. dial.5. §.401. quem postea sequutus est Bonacina de Sacram. disp.4. quæst. vnic. punct.9. num.33.

2. Sed ego puto non peccare, & ideo in magna necessitate, qualis est diei festi, aut dandi moribundo Viaticum, vel quid simile, celebrationem Missæ sine ministro licitam esse censeo. Ita Villalobos in summa, part.1.tract.5. diffic.34. n.2. Pitigianus in exam. dist.13.quæst.2.art.5. in fin. Squillante de oblig. Cleric. part.2.dub.23.n.69. & Syluius 3.p. q.83.art.5. asserit, ita facientem non damnare. Vide Fagundez tract.1. lib.3.cap.21.n.6. Homobonum de Bonis in exam. Eccles. part.tract.4.cap.15.quæs.146. & alios.

RESOL. CLIX.

An possit excusari consuetudo celebrandi Missam absque Ministro, vt in Germania locis?

Et supponitur iure Ecclesiastico necessarium esse Ministrum in celebratione Missæ præter Sacerdotem.

Et notatur licitum esse Sacerdoti celebrare sine Ministro

nistro ad dandum Viaticum infirmo.
Idem dicendum est, ne careat ipse Sacerdos, aut populus Missa in die Festo.
Et an Sacerdos possit Missam iam cœptam cum Ministro prosequi sine illo, quando Minister abiit, & expectatus non venit?
Et an in casibus necessitatis, in quibus licitum est sine Ministro celebrare, etiam si adsit fœmina, quæ possit ministrare, potius sit sine Ministro celebrandum, quam vtendo fœminæ ministerio, etiam in casu, quo vir nesciat respondere, sciat autem ministrare, non potest fœmina respondere, & vir ministrare? Ex part. 10. tr. 15. & Misc. 5. Ref. 26.

§. 1. SVppono contra Glossam *in cap. quoque de Consecrat. dist. 2. vers. ipse tertius*, Emanuelem Sà, *vers. Missa, n. 17.* Nauarrum, *cons. 6. de corpre vitiatu*, quem citat, & sequitur Zerol. *in praxi Episc. part. 2. vers. Missa, §. tertio.* Suppono inquam contra dictos Auctores iure Ecclesiastico necessarium esse Ministrum in celebratione Missæ præter Sacerdotē, & est communis sententia omnium Doctorum, quem sequitur D. Thomas *in 3. p. q. 113. art. 5. ad 12.* Suar. *tom. 3. disp. 87. sect. 2. concl. 2.* Fagundez *princ. 1. lib. 3. cap. 21. n. 4.* & alij penes ipsos, sed difficultas est an in aliquo loco, vt in Germania possit excusari consuetudo in contrarium, & videtur negatiuè respondendum; Tum quia Parochi plerique leui sumptu possunt alere eiusmodi ministrum, & adhuc facilius Parochi omnes possunt vel per se, vel per ludi moderatorem vnum vel alterum puerum ad hoc instruere, vt etiam cum parentum solatio Missis ministrent, præterquam quod etiam suos ædituos quamuis rusticos, adhibito nonnullo studio ita informare possunt, vt experientia testatur. Denique etiamsi prorsus impossibile esset habere ministrum respondentem, non possent tamen iure communi licitè sine Ministro celebrare nisi in necessitate, vt superius diximus. Quare communi iure excusari non potest hæc consuetudo à peccato mortali.

2. Verum hoc non obstante talem consuetudinem non audet damnare Layman, *lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 13.* vbi sic ait. Quod verò ad consuetudinem attinet, quæ in quibusdam Germaniæ locis viget, vt Sacerdotes sæculares maximè in pagis Missam sine Ministro respondente celebrent, eam tanquam abhorrentem ab Ecclesiæ traditione etiam in Germania nostris Canonibus decretis (vti videre est in Basil. Concil. *sess. 21. cap. de iis, qui in Missa, &c.* Concilio Moguntino ann. 1549. *c. de Missæ officio rectè peragendo*) Episcopi emendare deberent. Interim verò dum viget, ac toleratur, non potest Sacerdos damnari, si ita celebret. Ita ille, cui etiam adde Adamum Tannerum *tom. 4. disp. 5. q. 10. dub. 6. n. 91.* sic asserentem. Nihilominus tamen quia in quibusdam Prouincialibus Germaniæ Conciliis quiddam hac in re indultum est, vt dictum, eademque est ratio aliorum Episcopatuum, in quibus passim nemine contradicente, saltem in pagis absque Ministro respondente celebratur, hinc meritò videri potest communi iuri per consuetudinem derogatum, præsertim si seruetur moderatio in Synodo Ratisponensi, & Brixiensi præscripta. Hæc Tannerus.

3. Sed hic obiter nota primò licitum esse Sacerdoti celebrare sine Ministro ad dandum viaticum infirmo. Ita Doctores, quos citat, & sequitur Leandrus *de Sacram. tom. 2. tr. 8. disp. 7. q. 53.* quibus adde Præp. *in 3. part. q. 83. art. 3. dub. 7. n. 177.* Lessium *in 3. part.* D. Thomæ, *q. 503. dub. 10. n. 67.* Trullench *de Sacram. lib. 3. cap. 8. dub. 23. n. 3.* & me citato Tamburinum, *opuscul. de Sacrament. Missæ, lib. 1. cap. 7. §. 5. n. 4.* cum Amico *in Cur. Theol. tom. 7. disp. 33. sect. 12. num. 369.* Serra *in 3. part. quæst. 83. art. 5. §. An vero*, & Auersa *vbi infra.* Secundo licitum erit Sacerdoti sine Ministro celebrare, ne ea careat ipse, aut populus Missa in die festo. Ita me citato Auersa *vbi suprà*, Leandrus *vbi suprà, quæst. 54.* & me citato Auersa *de Sacram. Eucharist. q. 11. sect. 9. §. quod si contingat.* Præpositus, *vbi suprà*, & etiam me citato Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 12. num. 234.* qui *n. 136.* aduertit quod etiam poterit Sacerdos Missam iam inceptam cum Ministro prosequi sine illo, quando Minister abiit, & expectatus non venit. Defectus Ministri non est tantæ, & tam vrgentis necessitatis, vt propterea incepta Missa, maximè si eam obtulit, debeat omitti. Sup. hoc ibidem.

4. Addit etiam ex Soto, & aliis in casu necessitatis in quo diximus licere sine ministro celebrare, etiamsi adsit fœmina, quæ possit ministrare potius esse sine ministro celebrandum, quàm vtendum fœminæ ministerio, quia hoc expressius est iure prohibitum, & de se quid indecens, magisque vitandum. Imo Vasquez contra quemdam suppresso nomine relatum contendit in casu, quo vir nesciat respondere, sciat autem ministrare, non posse fœminam respondere, & virum ministrare. Quam sententiam præsertim improbat Vasquez, & improbabilem iudicat si ex eo tantùm capite fiat quod vir sciat ministrare, & non respondere: hanc enim necessitatem nullam iudicat Vasquez ad celebrandum Missam, sed potius esse omittendam, vt sæpè inculcat tam in materia de Eucharistia, quàm de Sacrific. Missæ, sed de hoc iam diximus, & aliquando potest occurrere necessitas celebrandi non seruatis omnibus, quæ expressè requiruntur, & communiter pro celebranda Missa: sola verò responsio fœminæ non est adeò indecora vt alibi. Sup. hoc, & contentis in §§. seqq. huius Ref. in Ref. seq.

5. Potest tamen, ait Dicastillus, & Cardinalis Lugo quod si sit vir, qui nesciat respondere, & fœmina sciat, illa non accedens ad Altare respondeat, & vir ministret. Vnde me citato Leandrus, *quæst. 56.* admittit posse Sacerdotem in casu necessitatis admittere fœminam ad ministerium mediatum, seu remotum vt sibi ex loco remoto respondeat, non verò ad ministerium immediatum, seu proximum vt v. g. administret vrceolos, &c. Et ideò non est audiendus Luzzinus *in Summa, tom. 1. vers. Missa, n. 4.* vbi sic ait: Puto autem casu quod immineret necessitas celebrandi, puta dies festus, vel aliquid simile, & seruitor nullus adesset, illicitum est sine vllo prorsus Ministro sacrificare. Hinc D. Laurentius vt refert Ambrosius, *lib. 1. offic. cap. 41.* Sixto Pontifici cum ad supplicium duceretur dixit: Tu nunquam Sacrificium sine Ministro offerre consueueras. Scio quendam Theologum tanti fœminas facere, vt etiam det eis facultatem respondendi Sacerdoti in Missa. Iste est Suarez, qui in *Comment. 3. p. D. Thomæ, tom. 3. disp. 87. sect. 1. circa finem*, sic ait: Quamuis remotè possint fœminæ interdum respondere Sacerdoti, vt ex choro facere solent in Missa solemni, tamen proximè ad Altare respondendo, ministrare aquam, & vinum præstando, & alia similia faciendo, nec possunt, nec debent. Quod inuentum, & distinctio de respondente proximè ac remotè ad Missam antiquioribus Magistris semper displicuit, de quorum numero Dominicus Soto, *in 4. disp. 13. q. 2 art. 5.* ait. Citius auderem egomet mihi respondere, & ministrare, quam fœminam ad id muneris admittere. Ita Luzzinus.

6. Sed à nobis superius dicta satis probabilia sunt & non debebat dictus Auctor ita acriter contra Patrem Suarez insurgere, & de illo mirari, sed potius debebat insurgere contra Nugnum, qui vt alibi adnotauimus in *3. part. tom. 83. art. 6. dub. 1.* aperte docet Alibi in Ref. seq. §. 1. & 2.

cet fœminam posse immediatè, & proximè Sacerdoti ministrare, quod omninò negandum esse puto, cùm sit contra communem Doctorum sententiam, & contra Ecclesiæ consuetudinem, & contra Nugnum insurgit nouissimè Tamburinus *opusc. de Sacrificio Missæ, lib.1. cap.7.§.5.n.3.* & Trullench. *de Sacram. lib.3.cap.8.dub.22.n.2.* & me citato P.Auersa *de Sacram.Euchar.q.11.sect.9. §.si verò nullus.*

RESOL. CLX.

An Sacerdos in casu necessitatis possit fœminam in responsione ministram adhibere in celebratione Missarum? Ex part.2.tract.14. Resol.44.

Sup. hoc in Resol. præterita à §.Addit. vsque in finem dictæ Resol.

§.1. NEgatiuè respondet Layman *lib.4. tract.5. cap.6. num.13.* Homobonus *de exam.Eccl. p.1.tract.4.cap.15.q.146.* Suarez *in 3.p.tom.3. disp.88. sect.1.* Villalobos *in summ.p.1. tract.8. difficult.34.n.1.* Ioan.de la Cruz *in direct.consc.p.2.de sacr.Missæ,q.3. dub.5.concl.2.* Zanardus *in direct.Theol.p.1. de sacrif. Missæ,cap.15.in fine,* Pitigianus *in 4.tom.1.disp.13.q.2. art.5.in fine.* Fernand. *in exam.Theol.p.3.cap.5.§.4.n.7.* Squillante *de oblig.Cler. part.2.dub.23.n.70.* Molfes. *in sum.tom.1. tract.3.c.10.n.40.* & alij eæ authoritate *cap.1.de cohab.Cler. & mul.* vbi dicitur, vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare.

2. Sed non reticebo, Didacum Nugnum *in 3.p. tom.2.p.83.art.6.dub.1. fol.mihi 516.col.2.* contrariam sententiam docere, nempe quòd si non sit vir, vel ille non possit ministrare, quòd tunc debet fœmina & respondere, & ministrare: nam ex hoc nullum sequitur inconueniens, & ex alia parte fit sacrificium debito modo, sine confusione, & verificantur salutationes ad populum, & responsiones. Ad argumentum contrarium respondet, illa verba intelligenda, extra tempus grauis necessitatis, hoc enim manifestè significat verbum illud, *non præsumat*, in nostro enim casu fœmina non præsumit, sed hoc facit ex commissione Sacerdotis, propter stantem necessitatem: & Sacerdotem ita celebrantem, nempe cum fœmina, non peccare mortaliter, putauit Syluius *in 3.p.q.83.art.5.in resp.ad 12.* sed tu tene primam opinionem.

RESOL. CLXI.

An sacerdos celebrans Missam, si alium non habeat, possit vti Ministro excommunicato non denunciato? Et quid in graui necessitate, si talis sit excommunicatus denunciandus, & vitandus? Ex part.5. tract.9. Resol.91.

§.1. AFfirmatiuam sententiam docet Cornejo *in 3.part.tract.5.de excomm.disp.10.§.4.ex errore 8. dub.2.* cui adde Suarez *disp.12. sect.1.* & Turrianus *lib.2. de excomm.disput.11.dub.1.* quia in tali Ministro potest considerari, vel indignitas personæ si est in peccato mortali, & hæc ratio non impedit, quia ad inseruiendum Missæ non est status gratiæ necessarius, vel prohibitio Ecclesiæ comparatione talis officij, & hæc credi potest pro tali euentu suspendi ab Ecclesia, quæ doctrina intelligenda est, quando grauis vrgeret causa faciendi Sacrum, aliàs, vt sæpè diximus, Concilium Constantien. nullum fauorem concederet excommunicato: vnde etiamsi non sit denunciatus, priuatur hac communicatione. Notat etiam Turrianus quòd si loquamur de excommunicato vitando post denunciationem, idem dubium esse potest, an in casu necessitatis possit inseruire Missæ, in quo consideranda est grauitas necessitatis.

RESOL. CLXII.

An Sacerdos peccet mortaliter, si in aliqno loco, vbi non adest Missale, celebraret Missam? Et an Sacerdotes, quibus debilis est facultas videndi, si memoria calleant, possint dicere Missam sine Missali? Ex part.2.tract.14. Resol.46.

§.1. HAnc quæstionem indecisam reliquit Suarez *in 3.p.& disp.81.sect.6.* & in affirmatiuam sententiam videtur inclinare Reginaldus *tom.2. lib.29.cap.9. part.2. sect.6. n.197.* & docet apertè Fagundez *tract.1.lib.3.c.21.n.23.* Vasquez *in 3.p.tom.2. disp.233.cap.3.n.26.* & Filliuc. *tom.1.tr.8.c.5.n.227.*

2. Sed ego cum Layman *lib.4.tract.5.cap.6.n.17.* Villalobos *in sum.p.1.tract.8.diffic.26.n.5.* & Lesius *in sum.tom.1.de Euchar.cap.20. post 8.concl.* puto in tali casu Sacerdotem non peccare, dummodo sit ita instructus, & de sua memoria confidens, vt moraliter non dubitaret posse se omnia integrè dicere sine Missali, quamuis non sine alio libro loco Missalis, ne notam aliquam incurrat apud alios. Hinc Vasquez *vbi suprà*, putauit Sacerdotes, quibus debilis est facultas videndi, si memoria calleant, posse.

RESOL. CLXIII.

An Sacerdos vtens Missali Romano possit celebrare iuxta Ritum receptum in loco, per quem transit, etiam si discrepat à Romano, tam in Ecclesia sæculari, quam Regulari? Ex p.4.tr.4. & Misc. Resol.95.

§.1. VT si, v. g. quis transiret per monasterium Monachorum D.Benedictini, D.Dominici, &c. & respondet affirmatiuè Ioannes Præpositus *in 3.part. quæst.83. art.4. dub.5. num.190.* quod non tantùm intelligit de Ecclesia sæculari, sed etiam de Regulari, & ideo Religiosum, vel sæcularem transeuntem per monasterium quod vtitur alio Missali quàm Romano, posse in eo monasterio celebrare iuxta ritum ibidem receptum, neque videri in hoc parte plus permittendum existenti in Ecclesia sæculari quàm in loco regulari, quia non est potius priuilegium respectu Religiosorum, quàm respectu sæcularium, vt propterea sit dicendum externas personas posse celebrare in Ecclesia sæculari, iuxta illius ritum, non verò in regulari, cùm singulæ Ecclesiæ non minus regulares, quàm sæculares relinquantur antiquæ consuetudini. Ex quo deducitur idem dicendum si ritus celebrandi Missam in proprio loco & alieno discrepet à Romano, scilicet aliquem festa existentem posse celebrare iuxta ritum receptum in loco vbi celebrat, & hæc omnia docet Præpositus *loco cit.* quæ aliqui non approbant, & nescio circa hanc quæstionem an aliquid sit declaratum à Sacra Cardinalium Congregatione.

RESOL. CLXIV.

An Sacerdos in celebrando non obseruans Rubricas Missalis peccet mortaliter? Et quid si vnam, vel alteram Rubricam non obseruet,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aut si in rebus substantialibus Sacrificij deliquerit? Ex part.2.tract.14. Resl.55.

§.1. AFfirmatiuam sententiam docuit Azorius *p.1.lib.10.cap.29. quæst.6.* Bonacina *de Sacram.disp.4. quæst.vlt. punct.7. §.3. num.3.* Pitigianus *tom.1. in 4. sent.dist.13.quæst.2.art.4. in fine*, & alij. Nam si Breue Pij V. quod in principio Missalis ponitur, cum attentione consideretur obseruantia rituum ac cæremoniarum Missalis, in sacro faciendo, obligare videtur ad mortale.

Sup. Doctrina huius Resl. lege Resl.not.seq. & signanter infra ex Resl. 172. §. Sed aliquis. & supra ex Resl.140. §. Adde à principio.

2. Ego verò, si Sacerdos contrarium faceret, non damnarem de peccato mortali. Nam contrariam sententiam asserentem, dictas rubricas non obligare sub onere peccati mortalis esse probabilem, asserunt etiam DD.citati, & Posseuinus *de offic.Cur.c.2.n.16.* cum aliis. Et ego puto ita omninò esse tenendum, vt docet Fagund. *tract.1.lib.3.cap.21.& seq.* quæ intelligenda sunt si vnam, vel alteram rubricam non obseruaret, non autem si nullam, aut si in rebus substantialibus Sacrificij delinqueret, vt alibi dictum est.

In fine post

RESOL. CLXV.

An sit peccatum veniale dicere Missam, & manus non abluere?

Et quid est sentiendum de manuum lotione post Missam?

Et infertur an mulier tempore menstrui, aut partus saltem ex consilio abstinere à communione debeat, nisi causa vrgeat?

Et quid si macula perpetua sit vt fluxus sanguinis, aut lepra? Ex part.10.tr.12. & Misc.2.Resl.19.

§.1. DE hoc casu interrogatus fui à quòdam Sacerdote: asserebat ille, sententiam negatiuam tenendam esse: sed ego ei fortiter obstiti, asserens Sacerdotem, qui aduertenter celebrat non lotis manibus, venialiter peccare: & ita tenet Granadus *in 3.part. D.Thomæ, contr.6.trat,10. disput.9.num.13.* vbi sic ait: Superest, vt breuissimè dicamus de aliis maculis corporis, quæ susceptioni Eucharistiæ possent obstare. Et in primis si macula perpetua sit, aut nimium diuturna, v.g. fluxus sanguinis, aut lepra; non ideò priuandus est homo Eucharistia; vt rectè Sotus, *dist.12.quæst.1.art.7.* Suarez *disput.68.sect.2.* & alij. Mulier verò tempore menstrui, aut partus saltem ex consilio abstinere debet, nisi causa vrgeat; vt S.Dionysius Alexandrinus *in Epistola quæ refertur, tom.3. Biblioth. Con.2.* affirmat, sequunturque Suarez, & alij; nunquam tamen erit mortale, per se loquendo. Denique non lotis manibus celebrare, aut non abluta facie ad Eucharistiam accedere, viri docti dicunt esse peccatum veniale; si aduertenter fiat, quia est contra reuerentiam tanto Sacramento debitam. Vnde S. Augustinus in illo *sermone* 244. Erubescimus, inquit, ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere. Hæc Granadus; cui adde nouissimè Martinum de San Ioseph *in Monita Confessar. tom.1.lib.1.tract.8.de Eucharistia num.28.* [Pareceme (ait) que serà pecado venial celebrar sin lauerse las manos, y rostro, por la indecencia; però sino huuo ocasion de lauarse, no serà pecado.] Idem etiam docet P.Leandrus *de Sacrament.tom.2.tract.7. disput.6. quæst.16.* Vide etiam Trullench. *de Sacrament. lib.3. cap.8.dub.20.n.1.* & Suarez *in 3.part.tom.2. disp.82. sect.1.* qui excusant à peccato mortali eos, qui deserunt lotionem manuum ante Missam. Ergo peccabunt venialiter.

Sup. hoc in Resl.not.seq. & in eod. §.

Sup. hoc infra in n.2. in fine Resl.sq.

2. Sed quid dicendum de manuum lotione post Missam? Ad hoc dubium sic respondet Nigrus, *in Addit.ad Ruyz p.3. §.1.n.5.* An Celebrans explicata Missa teneatur lauare digitos? Auctor noster; Gauantus, Sperellus, & Castaldus, affirmant; & ita vtuntur non pauci Viri graues. Alij verò negant, & fundantur, quia ablutio ista post Missam non præcipitur; sicut iubetur antequam induat se Vestimentis Sacerdotalibus. Ego sequor vsum affirmantium. Ita ille. Sed ego puto, quod talis lotio, si omittatur, non constituat peccatum veniale; quia lotio ante Missam præcipitur, non autem post Missam.

RESOL. CLXVI.

An Sacerdos, cum sacris se induit vestibus, peccet mortaliter relinquendo orationes positas in Missali, quas se induendo Sacerdotes dicere solent?

Et aduertitur Regulas Missalis non obligare ad mortale, nisi contineant essentiam, seu quasi essentiam Sacrificij, reliquas vero non esse præcepta, sed consilia, & instructiones? Ex part.2.tract.14.Resl.41.

§.1. PEccare mortaliter, si hoc faceret aduertenter putauit Syluius *in 3.p. q.83. art.6.* qui citat Nauar. & Azorium.

2. Sed nimis rigorosè loquuntur hi DD. Ideo puto, dummodo id faciat sine contemptu, non peccare Sacerdotem, supradictas Orationes relinquentem. Et ita præter DD. 8. quos citat, & sequitur Homobonus *de exam.Eccles.p.1.tom...tract.4.cap.15.q.245.* docet etiam hanc sententiam Layman *lib.4.tr.5.c.5. n.12.* Vega *in summa, tom.2.cap.41.cas.9.* Pitigianus *in 4.tom.1.dist.13.quæst.2.art.10.dub.4.* Fernandez *in exam.Theol. p.3.c.5.§.13.n.4.* Scorzia *de sacrif. Missæ lib.2.c.8.n.14.* Fagundez *tract.1.lib.3.cap.21.n.9.* Ratio est, quia nullum adest præceptum, seu lex præcipiens, dictas Orationes à Sacerdote dicēdas sub onere peccati mortalis, & quædam in Missali positæ pertinent ad decentiā, & consilium, non autem ad necessitatē & obligationē. Vide Fagund. *loc.cit.& n.32.* vbi probat regulas Missalis non obligare ad mortale, nisi contineant essentiam, seu quasi essentiam sacrificij, reliquas verò non esse præcepta, sed consilia & instructiones.

Sup. his Regulis in fine Resl. 1. post præteritam sed lege etiā Resl. & §§. eius primæ not.

RESOL. CLXVII.

An in casu necessitatis possit Sacerdos celebrare sine stola, manipulo, aut cingulo, vel celebrare in tali casu necessitatis cum stola, manipulo, aut cingulo non benedicto?

Et an extra casum necessitatis semper sit mortale?

Et notatur primo, quantum ad materiam sacrarum vestium, v.g. amictum & albam debere esse lineā, cæteras vero ex quacumque alia recenti materia, nec multum refert, cuius ea sit coloris.

Secundo aduertitur stolam posse deseruire pro manipulo, & manipulum pro stola.

Tertiò, quod si cingulum perfringatur, & vtraque pars sufficiat ad cingendum, vtraque est benedicta, & potest deseruire celebrationi Missæ.

Adde plus, quod si cingulum ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum, potest cingulum sic fractum necti.

Quarto casulam, manipulum, & stolam seruire ab vtraque parte posse, etiam si vnica tantum consecratione ab Episcopo sacrata essent, si gemino colore afficerentur ad varios diei festos.

Item quod supradictæ vestes tunc consecrationis formam amittunt, cum ita scindantur, vt aptæ amplius non sint ad eos vsus, ad quos sacrantur, alioquin formam consecrationis

secrationis retinent, etiamsi aliqua pars, quæ sacrata non est vna cum filo prophano assuatur. Ex p.2.tr.14. Resol.57.

Sup.contẽto in quatuor lio. primis huius textus infra in Res. 170. & 171. & in tom.1. tr.2.Res.9.§. Nam.ad medium. Sup hac dif fic.in Resol. 1. not. præteritæ,§.vlt. & in Res.2. ad mediũ,& infra in Res. 169.§.2. ad lin.7. &c.

§.1. EXtra casum necessitatis, esse mortale fatentur omnes, Nugnus *tom.1.in 3.p.q.83. art.3. dub.vlt.in fin.* Bonacina *de sacram.disput.4.quæst.vlt. punct.9.n.27.* Vasquez *tom.3.in 3 part.dist.233.cap.3. n.38.*& alij, *ex cap.vestimenta, de consecr.dist.1.* Difficultas consistit in casu necessitatis, vt quando Sacerdos in die alicuius festi esset in loco, vbi non inueniretur aliquod indumentum ex supradictis, vel in alio casu grauis necessitatis. Hieronym.Llamas *p.3. cap.5.§.16.* putat in tali casu Sacerdotem semel, vel bis posse celebrare, sine aliquo indumento non benedicto. Ioan.de la Cruz *in direct.consc.part.2.de sacrif.Missæ,q.3.dub.4.concl.2.* Petrus Ledesma *in sum. tom.1.de Sacram.Eucharist.cap.21.concl.3.dub.3.* Suarez *in 3.part.tom.3.disput.83.sect.3.dub.1.in fin.* Coninch *vbi infra*, & Filliucius *tom.1.tr.5.cap.5.n.149.* putant in casu necessitatis, posse Sacerdotem celebrare sine aliquo indumento, ex dictis.

Sup. hoc colore in tom. 3. tr.6. Res. 49 lege eius doctrinam signanter prope fin. §. His tamen.

2. Nota verò circa præsentem quæstionem de vestibus sacris, quantum attinet ad materiam, amictum, & albam debere esse lineam, cæteras verò ex quacumque alia materia. Nec multum refert, cuius ea sit coloris, etsi in Missali pro certis temporibus, certi colores designentur: nam talis ordinatio præceptiua non est, sed directiua. Ita Homobonus *de exam.Eccles.part.1.tract.4.cap.15.quæs.144.*& alij.

3. Nota etiam secundò, stolam posse deseruire pro manipulo, & manipulum pro stola, quia talia indumenta non habent figuram determinatam. Ita Villalobos *in sum.p.1.tr.8.dub.28.n.3.* & alij.

Sup.contẽto in hoc §. in tribus Resol. seqq.per totas,& infr.in Res.184. §. Nota etiam. mutans Diana sententiã in hoc vlt.citato §.

4. Nota tertiò, si cingulum perfringatur, & vtraque pars sufficiat ad cingendum, vtraque est benedicta, & potest deseruire celebrationi Missæ. Adde plus, quod si cingulum ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum, potest cingulum sic fractum necti. Ita Coninch *de Sacram.quæst.83. art.3.dub.3. num.250.* Emanuel Sà *ver.Missa,n.12.* & Ioan.de la Cruz *vbi suprà.*

5. Nota quartò, casulam, manipulum, & stolam seruire ab vtraque parte posse, etiamsi vnica tantùm consecratione ab Episcopo sacrata essent, vt si gemino colore afficeretur ad varios dies festos. Item supradictæ vestes tunc consecrationis formam amittunt, cùm ita scinduntur, vt aptæ ampliùs non sint ad eos vsus, ad quos sacrantur, alioquin formam consecrationis retinent, etiamsi aliqua pars, quæ sacrata non est, vnà cum filo profano assuatur. Ita Azorius *part.1. lib.10. cap.28. quæs.9. & 10.* & Bartholomæus ab Angelo *in examin.confess.dial.5 §.275.*

RESOL. CLXVIII.

Vtrum cingulum perdat benedictionem, si ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum Sacerdotem, licet aliquo modo vniat partes separatas? Ex part.2. tr.15. & Misc.1.Res.4.

Sup.contẽto in hac Res. in §. Nota tertiò Resol. præteritæ,& in duabus Res.seqq. & infr. in Res. 184. §.Nota etiam. mutãs in hoc §.

§.1. IN simili casu cingulum benedictionem amittere putat ex Paludano Franc. Pitigianus *in 4. sent.tom.1.dist.3. q.2.art.4.* & hanc sententiam videtur etiam docere Bonacina *de sacram.disp.4. q.vltim. punct.9 n.26.* & Valerius Reginaldus *in praxi tom.2. lib.29.cap.6.sect.3.n.160.*

2. Sed ego contrariam sententiam puto esse probabiliorem, quam tuetur noster P.Molfes. *in summ. tom.1.tract.3.cap.12.num.33.* & præter Suarez, & Scorziam, quos ipse citat; tenet etiam hanc opinionem ex neotericis, Coninch *de sacram. q.83.art.3. dub.3.num.251.* vbi sic asserit: si cingulum ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum Sacerdotem, amittere benedictionem. Secus si longior pars adhuc sufficeret ad cingendum: aliqui tamen putant, etiam in prima fractione licere partibus simul nexis vti. Ita Emanuel Sà *verb.Missa, num.12.* Hæc Ægidius.

RESOL. CLXIX.

An si cingulum sit fractum, possit Sacerdos partes separatas connectere, & ita celebrare?

Ex quo infertur, quod Alba amittit benedictionem, si paratis manicis.

Et an Sacerdos peccet mortaliter celebrans sine necessitate cum cingulo non benedicto, aut fracto, aut sine stola vel manipulo, aut cum illis non benedictis? Et p.5.tr.13. & Misc.1.Res.92.

§.1. NEgatiuam sententiam contra mé nouissimè docet Ioan.de Lugo *de sacr.Eucharist.20. sect.4.n.100.* vbi sic ait: Petes quando cingulum rumpitur, ita vt neutra pars sufficiat, an vtraque iterum connexa possit absque noua benedictione vsurpari. Affirmat Diana. Communis tamen sententia id negat, & meritò, quia sicut Alba amittit benedictionem separatis manicis, quia singulæ partes separatæ non sufficiunt, idem dicendum videtur de cingulo. Ita ille, cui adde Tannerum *tom.4.disp.5.q.10.dub.3. num.3.* & Hurtad. *disp.4.de sacrif.Missa,diffic.11.*

2. Sed nostram sententiam præter Doctores à me *vbi suprà* citatos, inuenio nouissimè docere Celestinum *in compend.Theolog.moral.tract.8.cap.5.quæst.* vbi ita asserit. Quæres, an Sacerdos peccet mortaliter celebrans sine necessitate cum cingulo non benedicto, aut fracto? Respondeo, quod non, quod idem dico de celebrante Missam in casu necessitatis sine stola, manipulo, vel cingulo, vel eum illis vestibus non benedictis, non autem extra necessitatem, nisi quod cingulum, vt dictum est, quod quidem cingulum etiam inseruire potest, licet sit ita fractum, vt neutra pars sufficere per se possit, & necesse sit partes simul connecti. Hæc Cœlestinus. Idem docet etiam Iacobus Marchantius *in candelab.sacram.ar. quæstionum Pastor.c.4.de celebr. Miss.q.2.* vbi testatur de praxi, passim enim asserit, videmus, licet cingulum frangatur, solere vtramque partem connecti sine alia benedictione. Et tandem nouissimè nostram sententiam, me citato, tanquam probabilem admittit Franciscus de Nigro *in add. ad Ruiz p.1. prælud.4. n.41. quæs.28.* qui etiam testatur de praxi. Vnde puto vtramque sententiam probabilem esse.

RESOL. CLXX.

An Sacerdos possit celebrare sine cingulo benedicto, vel cum eo, & toto fracto & abrupto?

Et an sit peccatum mortale celebrare sine Missali benedicto ex eo, quod in Pontificali reperitur benedictio pro Missalibus? Ex p.2.tr.14.Res.68.

§.1. MOrtaliter peccare sic celebrantem, putauit Filliuc. *tom.1. tractat.5.cap.5.num.148.* Villalobos *in summ.part.1.tract.8.dub.28.n.8.* Valquez *in 3.part.tom.3.disput.133.cap.4.num.38.* Molfesius *in summ.part.1. tract.1. cap.12. num.31.* Ioan. de la Cruz *in direct. consc. part.2. de sacrific. Missæ, quæs.*

In pro parte lege doctrinam duarum præcedentium Ref. & aliorum §§. earũ primatum notat.

quæst.3.dub.4.concl.20. Nugnus *in 3.part.tom.1.q.83. art.3.concl.3.* Suarez *in 3.part.tom.3.disput.82.sect.3.* §.2. cum Nauarr. *in Manual.cap.25.n.84.* qui asserit, contrariam opinionem non esse tutam, atque ideò in Missali Romano inuenitur benedictio cinguli, ac benedictio pro aliis sacerdotalibus indumentis, quam vniuersalis Ecclesiæ consuetudo obseruat. Et quod dicitur de aliis indumentis, dicendum etiam videtur de cingulo, est enim eadem ratio.

Sup. hac fractione in Ref. præterita, & in aliis eius primè not.

2. Sed contraria sententia probabilis etiam appareret, ideò Sacerdos, qui sine necessitate celebraret cum cingulo non benedicto, peccaret tantùm venialiter, vel cum eo, & toto fracto, & abrupto, & hoc ratione paruitatis materiæ. Ita docuit Henriquez *lib.9.de Missa,cap.29.n.5. in gloss.lit.A,& B.* Paludanus *in 4. dist.13.q.2.art.5.* Richard. *ibid.q.4. art.3.* Sotus *ibid. dist.13.q.2.* & doctissimus Syluester *ver.Missa,1.n.2.* Sà *ver.Missa,n.10.* & Fagundez *tract.1.lib.3.cap.23. num.13.* est enim, vt diximus, materia leuis, & indumentum minus in se considerabile, quam quodcumque aliud; imò indumentum non est, sed indumentorum ligatura.

3. Ad argumentum verò de benedictione posita in Pontificali, respondeo, quod ibi reperiuntur etiam benedictiones pro Missalibus, & pro libris Ecclesiasticis, & tamen non est peccatum lethale, celebrare sine Missali benedicto.

Sup. hæc sup. in Ref.167. à n.5. & in aliis eius nec. & melius ad rem ista in Ref. 172. §.pen. prope fin. à vers. Sed difficultas.

4. Nota tamen quod celebrare cum cingulo non benedicto, ex causa iusta, non erit neque peccatum veniale; Iusta verò causa erit necessitas audiendi, vel celebrandi Missam ex præcepto alicuius festiuitatis seruor magnæ deuotionis, necessitas superandi tentationes aliquas, etsi Sacerdotes pauperes habeant stipem pro celebrando sacro.

RESOL. CLXXI.

An in præcepto celebrandi cum vestibus sacris detur paruitas materiæ? Ex p.5.tr.5.Ref.62.

Sup. omnia contenta in hac Ref. sup. in Ref. 167. §.1. & in aliis eius primæ & secundæ not. & in Ref.170. & fine omnib. verbibus legę Ref.178. & vide alias Ref. & §§. annot. primę edit. §. & in tom.1.tr.2. et Ref.9. §. Nam ad medium.

§.1. NEgatiuè respondet Filliucius *tom.1. tract.5. cap.5.n.149.* vbi sic ait: Quæro an liceat in aliquo casu sacrificare sine vestibus? Respondeo, & dico primò sine omnibus in nullo casu licet, etiam ob periculum mortis, si saltem adiungatur contemptus fidei, esset enim magna irreuerentia, & scandalum in necessitate sine vna, vel altera, præsertim ex minoribus, vt stola, vel cingulo, non esset mortale. Dico secundò ex materiæ leuitate vix potest excusari à mortali, quia quælibet earum vestium est sufficiens ad peccatum mortale, si voluntariè omittatur. Ita Filliucius. Sed ego probabiliter puto ratione paruitatis materiæ non peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem cum cingulo benedicto, vel aliquo alio vice cinguli fungente. Vide Doctores penes me ipsum *in 2.part.tr.14.resol.68.* & hanc sententiam me citato probabilem putat nouissimè Franciscus de Nigro *in addit. ad Ruiz p.1. præs.4.num.42.q.23.*

Quæ hic est Ref. antecedens, & lege etiam Rei. post. præteri.

RESOL. CLXXII.

An Mappæ, seu Tobaleæ sint benedicendæ?
Et de earum numero etiam agitur.
Et an in necessitate possit Sacerdos vti linteis prophanis, eaque postea reddere domino ad pristinum vsum prophanum applicanda.
Et an in casu necessitatis possit tantùm vna Mappa præter Corporale in Sacrificio Missæ adhiberi.
Et an extra casum necessitatis sit peccatum mortale celebrare cum vna tantùm Mappa, & Corporali?
Et difficultas est in supradictis casibus gradus necessitatis assignare: sed pro praxi in textu huius Resolutionis aliqui gradus assignantur.
Et tandem docetur Regulas Missalis esse præceptiuas, quæ tangunt aliquam legem Canonicam in corpore iuris contentam, vt de seruando ieiunio, de Ara consecrata, &c. eas verò Rubricas dici directiuas, quæ nec in toto iure Canonico continentur, nec in Rubricis ponuntur cum verbis importantibus præceptum, qualia sunt, mandamus, præcipimus, & similia. Ex p.10.tr.11. & Misc.1.Ref.5.

§.1. NEgatiuam sententiam docet Amicus *in cursu Theol.tom.7.disp.33.sect.2.n.362.* vbi sic ait: Requiruntur subtus corporale ad minimum duæ pallæ lineæ, vel vna duplicata, tametsi decentius est, vt sint tres, vti Missalis Rubrica præscribit, quarum saltem vna debet totam superiorem Altaris superficiem tegere. Hæ pallæ non necessariò debent esse benedictæ: quin addunt Syluester *verb.Benedictio.q.5.* & Emanuel Sà *verb.Missa,n.7.* in necessitate posse sacerdotem vti lineis prophanis, eaque postea reddere domino ad pristinum vsum profanum applicanda. Quod fieri non potest, si sint benedictæ. Ita ille, cui adde Lessium *in 3.p.q.83.art.2.n.87.* Fagundez *præcept.1.lib.3.cap.22.n.16.* Suarez *in 3.p.tom.3.disp.81. sect.6.* Reginaldum *tom.2.lib.29.cap.9. sect.7.n.194.* Persicum *de offic.Sacerdot.lib.5.c.8.dub.8.n.64.* Zanardum *in direct.Theol.part.1.de Sacram.Eucharist.c.14.* Petrum Fuliensem *in idea Theol.Sacram.c.26.resol.2.* Ludouicum à S.Iuan *in sum.de Eucharist.q.11.art.13. dub.1.concl.3.* Moure *in Medulla cas.conscientiæ, p.3. c.5.§.1.n.9.* Ledesmam *in sum.tom.1.c.20.de Euchar. concl.6.* Filliucium *tom.1.tr.5.c.4.n.129.* Villalobos *in summ.tom.1.tract.8. diffic.26.n.1.* Bonacinam *tom.1. disp.4.q.vlt.punct.9.n.34.* Trullench *de Sacram. lib.3. cap.8.dub.16.n.8.* Bassæum *in Florib.Theol.morb.verb. Missa,5.n.4.* Layman *lib.5.tr.5.cap.6.art.11. in fine.* Adamum Tannerum *tom.4. disp.5.q.10. dub.3.n.48.* Vviggers *in 3.p.q.83. dub.15.n.74.* Vasquez *in 3.p. tom.3.disput.235.cap.3.n.23.* Castrum Palaum *tom.4. tract.22.punct.6.n.1.* Azorium *tom.1.lib.10.c.38.q.8. in fin.* & alios.

2. Sed his non obstantibus affirmatiuam sententiam alij tenent, nempe Mappas Altaris debere esse benedictas: & ita docent Gauantus *in Rubrica Missalis part.1.tit.20. littera S.* Cardinalis Lugo *de Sacrament.Eucharist. disp.20. sect.4. num.76.* Leandrus *de Sacrament.tom.2.tract.8.disput.7.quæst.11.* Caspensis *in cursu Theolog.tom.2. tract.23. cap.3. sect.4.n.78.* quibus adde sapientissimum Patrem Ioannem Dicastillum *de Sacrament.tom.1. tr.5.disp.4.dub.9. n.154.* qui acriter hanc sententiam sustinet, & obseruat plures DD. pro negatiua sententia adductos scripsisse ante Missalis reformationem Clementis VIII. & alios, qui post ipsos scripserunt minùs caute loquutos fuisse. Quod apertè probatur: nam *in dicto Missali, §.20. de præparatione Altaris,* sic habetur: Hoc Altare operiatur tribus Mappis, seu Tobalæis mundis ab Episcopo; vel alio habente potestatem benedictis, superioti saltem oblonga, quæ vsque ad terram pertingat, duabus aliis breuioribus, aut vna duplicata. Sic ibi. Et rursus *in cap.10. de defectibus* in celebratione Missæ occurrentibus, paribus verbis ponitur defectus, si vestes sacerdotales, & Mappæ non sint benedictæ: ergo sicut necessariò, vt docet Marchinus *de sacram.Ordin. tract.3.p.3. cap.14.n.1.* & alij communiter, vestes sacerdotales sunt benedicendæ. ita & Mappæ Altaris. Vnde propria benedictio earum apponitur in fine Missalis.

5. Sed aliquis posset ad supradictas Rubricas respondere; & ad primam desumptam *ex* §. 20. dicendum videtur esse tantum directiuam, & non præceptiuam: & ideo Doctores adductos vbi supra pro negatiua sententia loquutos fuisse quoad necessitatem: Doctores verò pro affirmatiua sententia loquutos fuisse quoad congruitatem. Ita Tamburinus *Opusc. de Sacrif. Missæ, lib. 1. cap. 5. §. 2. n. 2.* vbi asserit, quod non habemus in dictis Rubricis Missalis, vnde cum tanto rigore eiusmodi benedictio mapparum exigatur. Et me citato, docet Garsia *in Summa Theol. mor. tract. 3. difficult. 8. dub. 3. punct. 1. n. 11.* [Que la regla del Missal en vna cosa, que no es de sustancia del sacrificio, sino tambien para mayor ornato, y reuerencia, no se ha de creer que oblique con tanto rigor.] Ad aliam verò auctoritatem Rubricæ, *ex cap. 10. de Defectibus, &c.* dicendum videtur, quod licet iisdem verbis Rubrica loquatur de benedictione vestium Sacerdotalium, ac de benedictione mapparum; non sequitur quod ex ipsis oriatur eadem obligatio: nam benedictio vestium Sacerdotalium est de necessitate, benedictio verò mapparum ex decentia. Itaque regula Missalis de benedictione vestium, est præceptiua; de benedictione verò mapparum, est directiua. Quod probatur ex doctrina Marchini *de Sacram. Ordin. tract. 3. part. 3. cap. 6. n. 3.* & aliorum asserentium, illas regulas Missalis esse præceptiuas quæ tangunt aliquã legem Canonicam in corpore iuris contentam, vt de seruando ieiunio, integrando Sacrificio, de Ara consecrata, de loco celebrandi non prohibito, de præmittenda Confessione post lethale, de benedictione vestimentorum, & eiusmodi; quorum singula in corpore iuris sunt expressa. Eas verò Rubricas dici directiuas, quæ nec in toto iure Canonico continentur, nec in Rubricis ponuntur cum verbis importantibus præceptum; qualia sunt, *mandamus, præcipimus*, & similia. Cùm itaque benedictio vestium Sacerdotalium contineatur in iure Canonico, vt notat Marchinus *vbi suprà*, non autem mapparum; sequitur regulam Missalis de illa loquentem esse præceptiuã: regulam autem de benedictione mapparum; quia in iure non inuenitur, neque in Missali ponitur sub verbis importantibus præceptum, vt patet legentibus, directiuam tantùm esse dicendam videtur. Ergo, &c. Sed sufficiat mihi in gratiam Lectorum superiùs dicta excogitasse; nam cùm dubium sit arduum, & pugnantes inter se inueniantur Doctorum sententiæ; Ego finalem Resolutionem huius Quæstionis Sacræ Rituum Congregationi remitto.

Sup. hoc lege supra ex Resol. 140. doctrinam §. Adde. in principio, & Resol. 164. & 166. & quãuis cursissime vide tamen in to. 6. tr. 1. doctrinam per totum Resol. 27. & signanter §. Item.

Sup. hoc signanter in Resol. 1. not. præteritæ, & in eodem §. & cum eodẽ Marchino tantùm hic citato.

Sup his verbis supra in Resol. 84. §. 1. prope finẽ, & in Resol. 140. §. Adde. prope finẽ, & in tom. 6. tr. 1. Resol. 58. §. Et tãdem. ad mediũ, & §. Et circa. in principio, sed lege eam per totam, signanter alias not. Prædictorum §§.

4. De numero autem Mapparum, non est minor controuersia inter Theologos: nam Vasquez *tom. 3. disput. 233. cap. 3. num. 21.* Suarez *tom. 3. disp. 82. sect. 6.* Fagundez *Præcept. 1. lib. 3. cap. 22. num. 10.* Reginaldus *tom. 2. lib. 29. cap. 9. num. 194.* Henriquez *lib. 9. cap. 28. num. 3.* Toletus *lib. 2. cap. 2. n. 6.* Amicus, Emanuel Sà, *vbi suprà*, cum aliis docent, sufficere ad ornatum Altaris duas tantùm mappas. Sed hæc opinio non videtur admittenda, & plures ex citatis Auctoribus scripserunt ante Reformationem Missalis Clementis VIII. in quo vt visum est, suprà, statuitur Altare esse ornandum tribus mappis, vna oblonga, quæ vsque ad terram pertingat, duabus aliis breuioribus, vel vna duplicata. Et ita tenet post dictum Missale Auersa *de Euchar. quæst. 11. sect. 13.* Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disput. 7. q. 10.* Cardin. Lugo *de Euchar. disp. 20. sect. 4. num. 96.* Hurtadus *de Sacrif. Missæ, disp. 4. difficult. 9.* Persicus *de Officio Sacerdot. lib. 1. cap. 4. dub. 8. num. 59.* Gauantus *in Rubr. Missalis, part. 1. tit. 20.* & alij. Quod etiam colligitur *ex cap. Si per negligentiam, de Consecr. dist. 2.* vbi requiruntur trina lintea, præter Corporale. Nisi tamen aliquis dicat cum Amico, & aliis *vbi suprà*, Rubricam Missalis, præscribentem tres Mappas, loqui de decentia, non de necessitate: & ita Doctores asserentes, sufficere duas mappas, loquutos fuisse quoad necessitatem, non verò quoad congruitatem; vt loquuti sunt requirentes tres Mappas.

5. Non desinam tamen hîc admonere licèt, vt probatum est, pro ornatu Altaris requirantur tres Mappæ, & hæ benedictæ; tamen Auersam *de Sacram. Euchar. quæst. 11. sect. 13.* Leandrum *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 7. q. 11.* & à fortiori Layman, Sirum, Trulleneh, Bassæum, Castrum Palaum, Azorium, *vbi suprà*, docere saltem ex causa necessitatis adhiberi posse Mappas non benedictas, sed communes Laicorum, quæ etiam posteà ad suos vsus eis redditi possunt. Et ideò Garcias *in Summa Theolog. mor. tr. 1. difficult. 8. dub. 3. punct. 1. n. 12.* sic ait: [Aduierte, que si vno no tuuiere manteles, podria despues poner vna toalla limpia en lugar dellos, y despues la podria aplicar à otros vsos, aunque fuessen profanos, como antes estaua applicada. Fagundez dize, que puede el Sacerdote poner el lienzo, que tiene para limpiarse el sudor, si es limpio; y despues puede vsar del, como antes en opinion prouable.] Item Tannerus *tom. 4. disp. 5. quæst. 10. dub. 3. n. 48.* Vvigger *in 3. part. q. 83. dub. 15. n. 74.* Fagundez *Præcept. 1. cap. 23. n. 15.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 28. q. 8.* & alij docent etiam in casu necessitatis posse vnam tantùm Mappam præter Corporale in Sacrificio Missæ adhiberi. Sed difficultas est in supradictis Casibus gradum necessitatis assignare, Tamburinus *opusc. de Sacrif. Missæ cap. 3. §. 1. n. 4. & cap. 5. §. 2. n. 1.* me citato, asserit, quòd gradus necessitatis non est hîc valdè strictè accipiendus. Quare necessitas audiendi, & celebrandi Sacrum die Festiuo, feruor deuotionis, & tentato voluntas tentationem eo remedio superandi, imò & Sacerdoti non diuiti opportunitas eleemosynæ, satis superque in prædicta paruitate, etiam à veniali celebrantem excusabit. Ita Tamburinus; cui adde etiam; me citato, Marchinum, *de Sacram. Ordin. tract. 3. cap. 14. n. 2.*

6. Et tandem pro coronide huius Resolutionis, si Aliquis curiosus inquirat: An extrà casum necessitatis sit peccatum mortale celebrare cum vna tantùm Mappa & Corporalibus: Leandrus *de Sacrament. tom. 2. tractat. 8. disput. 7. quæst. 15.* resolutionè respondit, tantùm esse veniale; mortale verò sine vlla Tobalea, cum solis Corporalibus: Quia celebrare primo modo, leuis; secundo verò maxima esset irreuerentia. Ita ille; cui adde Mouram *in Medulla Casuum Conscientiæ, part. 3. cap. 5. §. 11. numero 11.* sic asserentem: Quale peccatum est facere Sacrum sine his linteis? Respond. sine Tobalea, & Corporalibus esset mortale; cum Tobalea, & Corporalibus sine secundo linteo, esset veniale. Hæc Moura, qui citat Rodriguez, Toletum, & alios.

RESOL. CLXXIII.

An Sacerdos possit celebrare in Patena, & Calice non dum consecratis, & cum vestibus non benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis Missam antea celebrasset?

Et asseritur Ecclesiam pollutam non egere nouo reconciliatione, si in ea bona fide ab aliquo Sacerdote celebratum est. Ex part. 2. tract. 14. Resol. 69.

§. 1. REspondet negatiuè Fagundez *tract. 1. lib. 3. cap. 21. num. 15.* & ita asserit respondisse multos Patres Societatis Iesu.

2. Sed

2. Sed ego contrariam sententiam probabilem etiam esse existimo : nam in prima celebratione à Sacerdote bona fide facta, iam consecrata remanserunt. Vnde postea non indigent alia noua consecratione, vel benedictione. Et ita Castrus *lib.2. de leg. disp. penult. cap. vlt.* asseruit, Ecclesiam pollutam non egere noua reconciliatione, si in ea bona fide ab aliquo Sacerdote celebratum est. Quam sententiam docuit etiam post illum Auila *de cens. part.5. disput.7. dub.3. concl.1.* & Emmanuel Sà *verb. Ecclesia*, licet Portel. *in addit. ad dubia Regul. ver. Ecclesia, num.5.* in contrariam videatur inclinasse sententiam. Sed nostra, vt diximus, probabilis est, & tuta in praxi.

Sup. hoc magis latè in tom.9. tr.1. ex Resl.139. & 140. & hic infra in Resl. seqq. cursim in §.1. & in Resl.177. §. vlt. ad med. & in alia Resl. earum notationib.

RESOL. CLXXIV.

An si in Calice, & Patena non consecratis quis celebret bona fide, remaneant consecrata ?

Ex quo infertur, quod Ecclesia polluta non egeat reconciliatione, si quis in ea bona fide celebrauit. Ex p.5. tr.13. & Misc.1.Resl.60.

Quæ hîc est Resl. antecedens, & inf. in Resl. 177. §.Nota, & pp. peccato 1 primis li. 2 is Resl.1. post seq.

§.1. Affirmatiuam sententiam ego docui *in p.1. tract. de celebrat. Missar. resol.69.* Sed nouissimè contra me surgit amicissimus P. Lugo *in 3. part. tom.2. de sacram. Eucharist. disp.20. sect.4. n.91.* Verùm aduersùs illum nominatim in mei defensionem *collactatur* Franciscus de Nigro *in addit. ad Ruiz, part.6. animaduers.8. n.4.* vbi sic ait : Vtrum Calix, & Patena nondum consecrata ex eo tantùm consecrata remaneant, si cum eis bona fide ante consecrationem celebretur ? Negat Lugo, affirmat Diana, & licet ipse nullum Authorem pro sua sententia adducat, tamen illam docet P. Trimarchi, & probabilem putat P. de Peyrinis, quibus adhæreo. Posset probari primò hæc sententia, quia Ecclesia polluta non eget alia reconciliatione, si quis in ea bona fide celebrauit. Igitur Calix etiam non egebit consecratione, vel benedictione, postquam in illo celebratum est. Antecedens non continet doctrinam falsam, vt contra Dianam ait Lugo, sed continet doctrinam veram, & grauium, ac classicorum Theologorum, Castri *lib.2. de leg. pœn. cap. vlt.* Emanuelis Sà *verb. Ecclesia, n.19.* Auilæ *de censur. part.5. disp.7. dub.3. concl.1.* Henriquez *lib.9. de Missa. cap.27. n.6.* & aliorum. Et patet, quia sacrificij dignitas habet, vt sanctificet locum sine alia reconciliatione. Consequentia verò probatur, quia sicut Ecclesia sanctificatur per sacrificium, ita & Calix. Et P. Trimarchi, qui Dianam defendit, dicit contra Lugum, quod paritates Doctorum non debent currere quatuor pedibus, sed duobus tantùm modo humano. Secundò probatur, quia per contactum sanguinis Christi sanctificatur Calix. Ergo non indiget alia consecratione, vel benedictione : nam quærit P. Trimarchi à Lugo, cur requiritur consecratio in Calice ? respondebit Lugus, quia Calix non consecratus est materia prophana, & per consecrationem non est amplius prophana, sed sacra. Sic argumentatur, sed per contactum sanguinis Christi Calix iam non est amplius materia prophana, sed sacra, quod nemo negabit : ergo & Calix non consecratus non eget consecratione, si in eo bona fide celebretur. Huc vsque Nigro pro me contra Lugum, vnde canendum est mihi illud Ouidianum,

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.

Sup. hoc in Resl. præcrit. §.2. ante medium, & in aliis eius tot.

2. Notandum est etiam nostram sententiam præter Doctores citatos, docere nouissimè etiam Cœlestinum *in compen. Theol. moral. tract.8. cap.5. quæs.9.* vbi sic ait : Vtrum Sacerdos possit celebrare in Patena, & Calice nondum consecrato, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis Missam ante celebrauit ? Respondeo quod sic, quia per talem Missam bona fide celebratam benedicta remanserunt. Ita ille. Et reuera, quia alia consecratione non dicendum est indigere Calicem, & Patenam, per contactum sanguinis, & corporis Christi sanctificata.

Sup. hoc in Resol. nor. præcritæ.

RESOL. CLXXV.

Virum Calix, qui vsum aureum amisit, & iterum postea deauratur quoad illam superficiem, quæ tangit Sanguinem Christi, debeat de noua consecrari, & idem quæritur de Patena ?

Et deducitur, quod Ecclesia retinet suam consecrationem, quando paulatim reficitur, in qua pars noua censetur consecrata hoc ipso, quo consecratæ additur.

Etiamque cursim infertur, quod Ecclesia amittit suam consecrationem, quando præcipua pars parietum simul corruit ? Ex p.2. tr.15. & Misc.1.Resl.3.

§.1. Affirmatiuè respondent communiter DD. sicè Pitigianus *in 4. sent. tom.1. disp.13. q.2. art. vnic.* Molfes. *in sum. tom.1. tract.3. cap.12. n.53.* Petr. Ledesma *in sum. tom.1. de sacram. Eucharist. cap.21 fol. mihi* 148. Scorzia *de sacrif. Missæ, lib.2. cap.14. n.8.* Bartholom. ab Angel. *in exam. Confess. dial.5. §.324.* qui citat Sylueſtrum, Angelum, Armillam, & Tabienam, *verb. Calix*, & alij communiter, vt dixi. Et ratio est, quia consecratio fit propter contactum corporis, & sanguinis Domini, id autem in quo proximè fit contactus, non est consecratum. Ergo consecrandum : & ita certam esse hanc sententiam putant aliqui, vt Reginald. qui *in praxi, tom.2. lib.29. cap.9. sect.6. n.199.* contrariam docet periculosam.

2. Sed his non obstantibus, probabiliorem ego puto cum Layman *in Theol. mor. lib.5. tract.5. cap.6. num.7.* & illam amplexus est Ægid. de Coninch. *de Sacram. quæst.83. art.3. dub.3. num.246.* quam his rationibus probat. Quia cùm res semel consecrata nunquam amittat consecrationem, quamdiu manet eadem, & integra, vt docet D. Thom. *in 3. part. quæst.83. art.3. ad 3.* & communiter Doctores, difficile videtur, cur Calix consecrationem perdat per deauratione m, cùm non frangatur, nec ita mutetur, quin maneat idem. Videtur ergo omnino eam retinere simili ratione, qua Ecclesia retinet suam consecrationem, quando paulatim reficitur, in qua pars noua censetur consecrata hoc ipso, quo consecratæ additur.

Sup. hoc lege doctrinã Resl. not. seq.

3. Sed aduersùs hanc rationem consurgit Suarez *in 3. p. tom.3. disp.81. sect.7.* & Pitigianus *vbi supra*, & alij, dicendo hoc verum esse, quando pars quæ additur, est minùs principalis. Sed in casu nostro, licet pars argentea Calicis videatur principalior quoad magnitudinem materiæ, tamen quoad vsum id quod per deaurationem additur, principalius est ; quia tangit & continet immediatè sanguinem Christi. Ergo. Hæc Pitigianus, & alij.

4. Sed contra, nam ex hoc sequeretur, primò Calicem recenter deauratum posse dici alium à præcedenti. Secundò eum in ratione Calicis, & vsus quem habet ad sacrificium, destrui, si interius autum omnino deteratur, quæ tamen communiter negantur. Vtraque autem sequela probatur, quia res absolutè dicitur destrui, ac fieri noua, quando secundum suam præcipuam partem simul destruitur, aut renouatur. Et patet in Ecclesia, quæ amittit suam consecrationem, quando præcipua pars parietum simul corruit. Et ob has rationes ait Ægidius, viri quidam doctissimi putant hanc sententiam esse probabiliorem

Sup. hoc in tom.9. tr.1. lege doctrinam per tot.

Ref.130. & signanter in primis §§.

liorem : at ego addo, quod probabilem illam etiam vocauit ex aduersariis Gabriel Vasq.nam *in 3.p.q.83. art.2.disp.233.c.3.n.32.* contrariam sententiam,quam ipse tenet,vocat tantum probabiliorem. Ergo secundum Vasquez, sententia Ægidij est probabilis. Ad argumentum Pitigiani in principio positum,respondetur, quod illa noua deauratio censetur consecrata, hoc ipso quo consecratæ additur.

RESOL. CLXXVI.

An qui celebrat in Calice non consecrato, vel ligneo, præter peccatum mortale, incurrat aliquam pœnam ?
Et an Calix, qui modicissimum foramen habebat in fundo cuppæ, quod tamen promiserat artifex ita artificiosè concinnare, vt vix præteritus defectus apparere posset, idque sine vlla Calicis immutatione, an inquam, in tali casu consecrationem amiserit ? Ex p.11.tr.8. & Misc.8.Ref.31.

Sup. doctrina contenta in primis sex lin. huius Resl.lege Resol.1. post præteritam, & alias eius primæ not. quamuis nõ dicant plenè sup.hoc.

§.1. AD hoc dubium negatiuè respondet doctus P. Tamburinus *opusc. de sacrificio Missæ, lib.1.cap.1.§.3.num.1. cum seq.* vbi probat,peccatum mortale committi à celebrante in Calice,vel patena non consecratis,quia fit contra præceptum in re graui,certum est. Quare hic solum quærimus,an in iure incurratur aliqua pœna. Bonacina,sic habet : Contra eum, qui vtitur Calice ligneo, aut Calice non consecrato constituta est pœna depositionis ab officio,& beneficio, *cap.vlt. de celebrat.Missar.* Hæc Bonacina : quod fortasse sumpsit à Suario, qui sic ait : Et ideò in *cap.vltimo de celebratione Missarum*, deponitur Sacerdos, qui sine sacro Calice consecrauerit.

2. Sed amabo te,adeamus prædictum caput vltimum, & videamus quid Episcopo Prixiensi scribat in illo Honorius Tertius : Litt[illegible]uas (inquit) recepimus,continentes quod cum super excessibus Presbyteri Ecclesiæ Sanctæ Brigidæ inquireres,confessus est, quod cum quadam die hostiam, & calicem non haberet, in pane fermentato, & scypho ligneo Missarum solemnia celebrare præsumpsit. Et infra. Intellecto iterum,quod prædicta Ecclesia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter lædebatur, inquisitionis officium iterans, ex eius confessione inueneristi, quod idem sine igne sacrificabat,& aqua.Cùm igitur vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probetur, mandamus, quatenus officio, & beneficio perpetuo ipsum priues. Hæc Honorius.

3. Vbi vides primò, hanc non esse pœnam vniuersalem,sed illi peculiari Presbytero inflictam. Secundò, esto eiusmodi pœnam velis extendere ad omnes ; certè ad omnes similiter delinquentes. At si bene notas, vt notauit ibidem Glossa, Sacerdos ille quatuor peccata commisit. Primò celebrauit in pane fermentato, quod non licet in Ecclesia Occidentali. Secundò in scypho ligneo. Tertiò sine igne, hoc est, sine candelis accensis. Quartò sine aqua, vino consecrando commiscenda erat ; & contra hos omnes excessus, illa pœna priuationis officij, & beneficij fulminatur à Pontifice. Quomodo ergo ad celebrantem in Calice non consecrato tantùm, extendere velis ? Tertiò, licet qui in scypho ligneo celebrauit,supponatur in vase non consecrato celebrasse, & licet item supponamus, in hoc Sacerdotem illum duntaxat, & non in aliis deliquisse, certè, quis non videt minus esse in Calice aureo, vel argenteo non consecrato celebrare, de quo casu nos loquimur ; quàm celebrare in ligneo scypho non consecrato ? Cum igitur paria peccata non sint, cur pari pœna puniantur ? Hucvsque Tamburinus.

4. Sed ego non audeo discedere ab affirmatiua sententia Doctorum, quam nouissimè tenet Dicastillus *de Sacrament.tom.1.tract.5.disp.4.dub.9.n.171.* vbi sic ait : Contra eum autem,qui vtitur Calice ligneo, aut non consecrato, constituta est pœna depositionis ab officio, & beneficio, *cap.vltim.de celebr.Miss.* in quo Episcopus non potest dispensare, cùm sit inferior Papa. Ita ille, cui adde Franciscum Lugo *de Sacr.lib.5.cap.8.q.2.n.6.*

5. Sed hic incidenter quæram,quid dicendum de quodam Calice, qui modicissimum foramen habebat in fundo cuppæ, quod tamen promiserat aurifex ita artificiosè concinnare, vt vix præteritus defectus apparere posset, idque sine vlla Calicis immutatione? an inquam in tali casu consecrationem amiserit? Et affirmatiuè respondeo cum Tamburino *vbi sup. §.5. n.1.* quia propter illud foramen, vnde sanctissimæ species exudabant, aptum nequaquam remanserat ad sacrificium. Sed tu cogita quid dicendum si foramen factũ fuisset in medio,vel principio calicis, nam in tali casu videtur absolutè ineptum remansisse ad sacrificium. Ergo.

RESOL. CLXXVII.

An si Sacerdos dicat Missam in Altari non consecrato, remaneat Altare consecratum ?
Et an possit Sacerdos celebrare in Calice, & Patena nondum consecratis, & cum vestibus non benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis antea celebrauit ?
Et quid etiam, si Sacerdos celebrasset mala fide?
Idem asseritur de Patena, de Corporali, de Pixide, de Custodia, seu Sphæra immediatè tangentibus sacra species. Idem de Ecclesia violata, quod reconciliatur, nempe sacrificium Missæ ibi celebratum. Ex p.9.tr.7. & Misc.2.Ref.18.

§.1. AFfirmatiuè ex Pasqual. respondet Bordon. *tom.2.resol.83.n.19.* tum ex D.Chrysost.*homil.20.in 2.ad Corinth.* ibi : *Lapis quidem natura est : sanctum autem fit,quoniam Corpus accipit Christi.* Sed tunc lapis,seu altare dicitur accipere Corpus Christi, quando in eo celebratur : ergo celebratione consecratur : tum quia consecratur altare, vt receptione virtutis spiritualis reddatur aptum ad diuinum cultum : sed magis redditur aptum per contactum Corporis Christi,quàm per verba formalia consecrationis : ergo celebratione consecratur ; non enim minùs operatur factum, imò pluspam verbum, *non tantùm, ff.rem ratam hab.*

2. Nota ex dictis Bordonum,*vbi sup.n.5.* aduersus Dominum meum de Lugo, docere, me citato, quod si aliquis diceret Missam in Calice non consecrato, Calix consecratus maneret : quod etiam præter Doctores à me alibi in mei fauorem adductos,tenet hanc sententiam ex Soc.Iesu, P.Ant.de Escobar *in Theol. moral.tr.1.exam.1.prac.1.Eccles.c.4.n.95.* vbi sic ait : Addo posse Sacerdotem celebrare in Calice, & Patena nondum consecratis, & cum vestibus nondum benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis antea celebrauit, quia in prima celebratione iam fuerunt consecrata. Ita ille. At Bordonus *vbi sup.* tenet hanc sententiã,etiamsi Sacerdos celebrasset mala fide, quod etiam docet Eman.Sà *verb.Ecclesia, n.19.* quia bona,aut mala fides Calicem non consecrat,aut ecerat,sed Sanguis,& Corpus Iesu Christi in ipso,& Patena nondum consecratis,& cum vestibus non benedictis,si alius Sacerdos bona fide cum ipsis antea celebrauit,quia in prima celebratione iam fuerunt consecrata. Ita ille. At Bordonus *vbi sup.* tenet hanc sententiã,etiamsi Sacerdos celebrasset mala fide, quod etiam docet Eman.Sà *verb.Ecclesia, n.19.* quia bona,aut mala fides Calicem non consecrat,aut ecerat,sed Sanguis,& Corpus Iesu Christi in ipso,& Patena ministratũ:& sicut Sacerdos ad huiusmodi virtualem consecrationem nihil confert, cùm tota pertineat à confectione Sacramenti, ita neque illius bona,

na, vel mala fides obesse, vel prodesse potest huiusmodi sacrationi, per quam Calix effectus est aptum vas, & sanctum ad huiusmodi ministerium. Nota etiam, quòd post hæc scripta inueni nostram sententiam contra Eminentiss. Lugo docere etiam Nald. *in Sum. verb. Ecclesia, num.* 24. &, me citato, Polach *in Aphor. cærem. Missæ, fol.* 32. *n.* 4. *& fol.* 374. *n.* 2. &, me etiam citato, Elig. Bass. *in Flor. Theol. mor. verb. Missa, 5. n.* 2. vnde nostra sententia remanet satis probabilis, quam nouissimè approbat ex Soc. Pelliz. *in Man. Reg. tom.* 2. *tr.* 8. *c.* 6. *sect.* 3. *n.* 101. & me citato Ioan. Henriq. *in q. pract. sect.* 22. *q.* 13. Non nego tamen, sententiam Card. Lugo esse satis probabilem, quam nouissimè tuetur Leand. *de Sacr. tom.* 1. *tr.* 8. *disp.* 7. *q.* 31. Sed in mei fauorem vide etiam Baunyum *in Theol. mor. to.* 1. *tract.* 6. *q.* 13.

3. Post hæc autem scriptis mandata, legi Tamburinum *Opusc. de Sacrific. Missæ, lib.* 1. *cap.* 1. §. 4. *n.* 1. *& seqq.* docentem, me citato, probabilem esse nostram sententiam, asserentem, Calicem, & Vestes remanere consecratas, & benedictas, si in illis non consecratis, & non benedictis, aliquis Sacerdos sacrificaret, etiam (addit ipse) si mala fide celebret in illis. Idem asserit de Patena, de Corporali, de Pixide, de Custodia, seu Sphæra, immediatè tangentibus sacras species: putat enim, omnia suprædicta acquirere sufficientem consecrationem, seu benedictionem, eo ipso, quòd in illis sacra ministeria exhibentur, quia iam contingun-tur suo modo à Sanctissimo Christi Corpore, vnde omnis benedictio promanat: & licèt Calix, v.g. deputetur ad Sacrificium per consecrationem factam ab habente potestatem, quod Sacri Canones semper requirere videntur; tamen æquialenter, imò eminenter, talis deputatio habetur per sacratissimum contactum Corporis Christi. Idem etiam putat probabiliter de Ecclesia violata; reconciliari, nempe, per Sacrificium Missæ ibi celebratum. Et respondet ad argumenta, quæ in contrarium satis etiam probabiliter adduxit Eminentiss. Dom. meus Cardin. de Lugo, quem nouissimè nominatim contra me sequitur Dicastillus *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 9. *n.* 198. Sed aduersùs viros doctissimos, præter Authores citatos, oppono alium virum non minùs doctum, P. Ægidium Coninch *de Sacram. q.* 66. *art.* 2. *dub. vnico, n.* 15. *vbi sic asserit:* [Licèt Patres dicant, Christum sanctificasse aquas, iisque eam vim dedisse suo contactu, dum baptizaretur; non instituit autem eo contactu suum Baptismum, sed Baptismum Ioannis suscepit: moraliter tamen aquas consecrauit, (sicut contactu Sanguinis consecratur Calix, si quis celebret in non consecrato;) illique dictam vim meruit.] Ita ille, & iterum ego. Vtraque igitur sententia sua non caret probabilitate, vt diximus.

Pro Pixide laud. in Ref. 1. post seq. &c. & pro Custodia Lunæ, seu Sphæra ibid. in fine §. Nec.

Sup. hoc in tom. 9. tr. 1. Ref. 139. §. 2. & in alia Resol. eius tom. & hic supra in Ref. 171. §. 2. eadem ad medium, & in Ref. 174. §. 2.

RESOL. CLXXVIII.

An in consecratione Altaris loco Reliquiarum possit apponi frustulum corporalis?

Et an pro Altari fixo sit necessarium in eius consecratione appositio Reliquiarum?

Et an pro communicando infirmo, ne decedat sine Viatico possit Sacerdos celebrare sine vestibus sacris, & sine Altari, hoc est Ara consecrata, vel an hoc concedatur ad vitandum mortem tantum?

De Sacerdote non ieiuno non est dubitandum in prædicto casu, quod potest celebrare ad dandum moribundo Viaticum. Ex p. 11. tr. 6. & Misc. 6. Ref. 25.

§. 1. DIscrepant Doctores, & maximè pro Altari fixo sit necessaria in eius consecratione appositio Reliquiarum. Thomas Hurtadus *var. tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *ref.* 23. *n.* 254. Scortia *de Sacrif. Missæ, lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 4. & alij affirmant. Sed negatiuè respondendum est. Sic docent Panormitanus, *cap.* 1. *de Consecrat. Eccles. an.* 2. Suarez *disp.* 81. *sect.* 5. Ægidius de Coninch *q.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *n.* 241. Vasq. *disp.* 233. *cap.* 2. *n.* 16. Layman *lib.* 5. *sum. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. Franciscus Lugo *de Sacram. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 1. *n.* 11. Dicastillus *de Sacram. tom.* 1. *tr.* 5. *disp.* 4. *dub.* 9. *n.* 146. Gaspar Hurtadus *de Sacr. disp.* 4. *difficult.* 8. Auersa *de Sacram. Euchar. q.* 11. *sect.* 13. Leander *de Sacr. tom.* 2. *tract.* 8. *disp.* 7. *q.* 6. cum aliis. Verùm gratis admisso, quod antiquo tempore fuerit præceptum ne vllum altare consecretur absque reliquiis Sanctorum in ipso inclusis, dicendum necessariò est consuetudine abrógatum esse. Etenim Altaria ita multiplicata sunt ex necessitate, vt vix pro tot Altaribus reliquiæ certæ Sanctorum possint inueniri; nulla igitur est obligatio includendi ibi reliquias. Neque obstat Ecclesiam in Introitu Missæ orare Dominum per merita Sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, quia intelligi debet conditionaliter, si ibi sint, præstat enim hunc sensum: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hîc sunt*, id est quorum reliquiæ, hîc fuerint, & omnium Sanctorum. Ita Palaus *tom.* 4. *tr.* 22. *punct.* 9. *n.* 5.

2. His suppositis, an si quis vellet stare in opinione asserente reliquias necessariò requiri in consecratione Altaris, quæritur an loco ipsarum possit apponi frustulum corporalis? Et affirmatiuè respondet Thomas Hurtadus *vbi supra, tract.* 2. *cap.* 6. *resol.* 24. *num.* 262. Probat hoc ex facto Leonis Primi, qui vt ex Panormitano, Sylvester *verb. Altare num.* 4. & Tabiena, *num.* 6. referunt, ad consecrationem cuiusdam Ecclesiæ dedit partem Corporalis, & Corporis Christi, vt loco reliquiarum poneretur. Quare summus Pontifex Leo dedit partē Corporalium, vt loco Reliquiarum poneretur, & declarauit Corporale summam esse Reliquiam, si enim vestes & indumenta alicuius Sancti & Crux Christi ex contactu habentur, & sunt Reliquiæ, quæ in magna habentur veneratione, & in consecratione Ecclesiæ, vel Altaris poni possunt; cùm corporalia tangant Corpus Christi verum, absque dubio magna est reliquia. Deinde si frustulū illius sindonis, quo Corpus Christi mortuum inuolutum fuit pro magna Reliquia habemus, quis dubitat quod in consecratione Altaris loco Reliquiarum posset constitui, vt qui Corpus Christi viuum tangit, & continet, estque Corporis Christi in Altare indumentum: ergo etiam non est minori veneratione digna, non quidem solùm profert significationem quam habet, sed etiam propter contactum. Hæc omnia Hurtadus.

3. Sed licèt ingeniosè excogitata sint, mihi verò non placent; nam Corporalia licèt tractari debeant cum reuerentia, & ideò à laïcis non tangenda, vel ab aliis nisi à Diacono lauanda; tamen nunquam in Ecclesia Dei tanquam Reliquiæ habita, & æstimata sunt, nec tanquam reliquiæ populo exposita ad adorandum. Nec obstat argumentum Patris Hurtado de instrument. Passionis Christi, & de S. Sindone: nam dicta instrumenta habuerunt contactum physicum Corporis Christi, & ideo tanquam Reliquiæ Ecclesia adorat & proponit, quod dici non potest de Corporali. Et ideò si aliqua particula casu super Tapetum v.g. ceciderit, certum est, quod nemo diceret quod illa pars Tapeti, quæ tetigit Corpus Christi esset tanquam Reliquia habenda, & æstimanda, & posse apponi in consecratione Altaris: sed vt dicit Rubrica post absolutionem remaneret vt prius destinata ad solitos vsus. Et licèt Corporalia benedican-

tur, & destinentur ab Ecclesia ad retinendas Sacras species in Sacrificio Missæ; non tamen ex eorum contactu habentur ab Ecclesia pro Reliquiis, vt ex contactu physico Corporis Christi habentur Crux, Spinæ, Lancea, & alia instrumenta Passionis. Ad factum verò Leonis Papæ quod adducit P. Hurtadus, respondeo quod de illo nimis dubito; nam quo pacto est credendum Sanctum Pontificem dedisse pro consecratione Altaris partem Hostiæ Sacræ; nam sententia Durandi, *lib.1. Rational. diuin. officior. c.7. n.21.* & Ioannis Andreæ *in cap. Placuit, de consecrat. dist.1.* asserentium, loco Reliquiarum particulam hostiæ consecratæ apponi in Ara posse, sustinenda non est, sed omninò reprobanda. Est enim contra reuerentiam debitam Sacramento illud corruptioni exponere, atque ita relato Panormit. docet Vasq. *disp.233. cap.2. n.17.* Ægidius de Coninch. *q.83. art.3. dub.2. num.242.* Suarez *disp.8. sect.5.* Emanuel Sà, *verb. Altare in fine.* Cardinalis Lugo *de sacr. disput.20. sect.3. n.75.* Castrus Palaus *tom.4. disp.22. punct.9. n.5.* Fagundez *præcept.1. lib.3. c.22. n.6.* Dicastillus *de sacr. tom.1. tract.5. disp.4. dub.9. n.147.* & ideò vt dixi non est credendum D. Leonem id fecisse. Vnde sicut tale factum in ordine ad particulam Hostiæ suspectum, & apocriphum redditur, etiam redditur suspectum in ordine ad Corporale: & quidem in tanta Reliquiarum multitudine, quæ Romæ extabant, nescio qua ratione loco earum D. Leo potuerit, vel voluerit frustulum Corporalis mittere.

4. Non deseram tamen in fauorem Patris Hurtadi hic obseruare, Patrem Franciscum Lugo *de Sacr. lib.5. cap.7. q.1. n.13.* admittere, Leonem Pontificem misisse pro consecranda Ecclesia frustulum Corporalis loco Reliquiarum. Et hanc sententiam tanquã probabilem admittit P. Amicus *in curs. Theol. tom.7. disp.33. sect.12. n.349.* vbi sic asserit: Refert Syluester ex Panormitano quod Leo Papa deficientibus Reliquiis posuerit partem Corporalis, & Eucharistiæ in consecratione cuiusdam Ecclesiæ. Sed hæc sententia sicut de parte Corporalis probabilis est, ita de parte Eucharistiæ omninò absurda, & indigna. Ita ille. Sed ego, vt dixi, nimis dubito de facto illo Leonis Papæ quod sit apocriphum, non solum ex eo quod dicitur Pontificem illum misisse pro Consecratione Ecclesiæ partem Hostiæ, quod ipse Amicus fatetur esse absurdum, & indignum; sed etiam ex eo quod dicitur misisse partem Corporalis; nam quo pacto credendum est, vt vult Amicus, hoc Pontificem fecisse ex defectu Reliquiarum, quis credere potest tunc Romæ non extitisse Reliquias, vt Pontifex fuerit coactus, loco ipsarum, frustulum Corporalis mittere? Nisi forsitan aliquis dicat fuisse frustulum alicuius Corporalis miraculosi, quod tunc Romæ extabat, vt nunc plures extant in Italia, & Hispania.

5. Nota etiam hic obiter, Patrem Hurtadum *vbi suprà, cap.2. res.12. n.22.* docere, quod pro communicando infirmo, ne decedat sine viatico, celebrare potest Sacerdos sine * vestibus Sacris, sine Altari, hoc est Ara consecrata, quia hæc, & similia requiruntur ex merò iure positiuo. Sed pace viri docti, hoc in praxi non deducerem per ea quæ docent Tannerus *tom.4. disp.5. q.10. dub.3. n.41.* Io. Vviggers *de sacr. in 3.p. D. Thom. q.83. dub.14. n.63.* Marchinus *de sacr. ordin. tr.3. p.3. cap.14. n.5.* Martinus de San Ioseph *in mon. confess. tom.1. lib.3. tr.16. de Euchar. n.14.* Garsias *in summa tr.3. diffic.7. dub.4. punct.2. n.22.* Et licet ego probabiliter teneam cum ipso Hurtado, posse Sacerdotem non ieiunum celebrare ad dandum Viaticum infirmo, in hanc tamen sententiam descendo præter alias rationes, quia video Ecclesiam in multis casibus permittere ex iusta causa & necessitate Sacerdotes non ieiunos licitè celebrare. Sed non inuenio Ecclesiam vsque adhuc aliquo casu permittere Sacerdotem celebrare absque Vestibus, & absque Altari, & ego solùm concederem ad vitandam mortem. Ergo

* Pro diffic. de vestibus sacris contenta in hoc §. supra in Res.128. §. vlt. in fine, & in Res. 132. §.2. ad mediũ, vers. consuluit, & in Res.171. ad lin.3. & infra in tr.2. Res.67. §.1. post mediũ, vers. quod ex eo. & inferiùs in tr. 4. Res.19. §. vlt. ad lin.8 & in tom.3. tr.1. Res.1. §. Potest etiam tertio. & in Res.2. §. Sed pro: & in to. 1. tr.3. Res. 115. §.1. & vlt. & pro Sacerdote non ieiuno contento in hoc §. in Resol.1. huius not. & in eodem §. in

RESOL. CLXXIX.

An Pixis in qua reponitur Eucharistia necessario sit benedicenda?

Et quid dicendum est de Sphæra, seu Luna, in qua reponitur Hostia publicè ad populum & de Festiculo argentea, in qua Summus Pontifex sumit Sanguinem in Missa Papali?

Et docetur esse præceptum, vt Corporalia, Patena, Calix, & Ara debeant esse benedicta, aut consecrata.

Et cursim aduertitur Pixidem non posse cum particulis in ea consecratis reponi in Tabernaculo, nisi post q. sumptionem sanguinis.

Et infertur, quod vbi est eadem ratio dicitur adesse eadem legis dispositio non extensiuè, sed comprehensiuè.

Ex part.10. tract.11. & Misc.1 Res.3.

§.1. NOuissimè mordicùs affirmatiuam sententiam nominatim contra me tenet doctissimus P. Dicastillus *de Sacr. tom.1. tract.3. disp.4. dub.9. num.193.* cuius sententiam sequuti sunt ex nouioribus Vviggers *in 3.part. D. Thom. quæst.83. dub.16. num.76.* Amicus *in Cur. Theol. tom.7. disput.33. sect.12. n.360.* Marchantius *in Tribun. sacr. tract.2. part.2. tit.4. q.2. dub.6.* Mercerus *de Sacram. quæst.83. art.3. probl.3. num.5.* Leandrus *de Sacram. tom.2. tract.8. disp.7. q.35.* Reginaldus, *tom.2. lib.29. cap.9. num.281.* Granados *in 3.part. contr.6. tract.14. disp.12. num.6.* Hurtadus *de Sacrificio Missæ, disp.4. difficult.10.* Ioan. de la Cruz *in Direct. Consc. de Sacrific. Missæ, quæst.3. dub.3.* Zanardus *in Direct. Theol. part.1. de Sacram. Euchar. cap.12.* Gauantus *in Rubr. Missalis, part.2. tit.2. n.3. litera I.* cum aliis.

2. Et vt verum fatear, validis rationibus fulciunt hæc sententia. Nam Calix, & Patena cum Corporali ideo consecrantur, & benedicuntur, quia tangunt Corpus & Sanguinem Christi; vt patet ex D. Thoma *in 3.p. quæst.82. art.3.* Sed Pixis tangit etiam Corpus Christi, ergo debet benedici. Quia vbi est eadem ratio, debet etiam esse eadem iuris dispositio; vt patet *ex leg. Illud. ff. ad leg. Aquil. leg. Si postulauerit, §.2. ff. ad leg. Iul. de Adulter. leg. Quidam nummularius ff. de edendo, l. Nauta §. fin. ff. Naut. cap. leg. à Titio ff. de Furtis, leg. Illud. Cod. de Sacrosc. Eccles. §. si igitur, ibi sit. quod cum eo.* Glos. *verbo, Italia, in cap.1. de temporib. ordin. lib.6.* Et vbi est eadem ratio, dicitur adesse eadem legis dispositio, non extensiuè, sed comprehensiuè; *ex leg. His solis, vers. satis etiam caute putamus, Cod. de renocandis donat. d. leg. Illud. Cod. de Sacrosanct. Eccles. leg. Item veniunt, §. ait Senatus, ff. de petit. hæred.* Tiraquellus *in leg. Si vnquam, verbo libertis, num.45. & 46.* Rebuffus *ad leg. in lege censoria 203. vers. Item que de seruis vers. Colligitur, ff. de verb. signif. pag. mihi 647.* Surdus, *decis.276. num.8.* Guttierrez, *pract. lib.3. quæst.17. num.84. cum seqq.* Gonzalez *ad Reg.8. Cancell. §.7. præam. num.105.* Rectè itaque dixit Lubonus à San Iuan *de Sacram. Euchar. quæst.11. artic.1. dub.4. concl.2.* [Et cierto auer precepto, de que los corporales, ara, y calix esten beneditos, ò consagrados: porque han de tocar el cuerpo de Iesu Christo Señor nuestro: luego si estos vasos (videlicet Pixis) le han de tocar, precepto ay tambien en el mismo derecho que esten consegrados: de manera que, quando no aya precepto expresso ay lo virtual deduzido del expresso.] Ita ille.

3. Nec

3. Nec obstat dicere cum Nugno *in 3.part.q.83. art.3.dub.4.ad 1.* quod est dispar ratio inter Pixidem, Patenam, & Corporale; quoniam Corporale, & Patena, & manus Sacerdotis tangunt Corpus Christi in ipso Sacrificio. Nam respondeo primò cum Garcia *in Summa Theol.mor.tr.3.difficult.8.dub.3.punct.2. num.31.* Que no tiene mas santitad el Sacramento in fieri, que in facto esse. Respondeo secundo, quod in Pixide non solum reponuntur, & conseruantur particulæ; sed etiam consecrantur in actu Sacrificij, vt consecratur vinum in Calice; quod patet ex vsu ordinario; reponuntur enim supra Aram cum Calice, & Hostia, & omnia simul à Sacerdote consecrantur: & ideo Pixis non potest poni intra Tabernaculum, nisi post assumptum Sanguinem; quia omnes benedictiones, & cæremoniæ Sacerdotis cadunt sub particulis in ipsa contentis; sunt enim pars illius Sacrificij: ergo Pixis tangit Corpus Christi in ipsomet Sacrificio, ac ideo benedicta esse debet, vt Corporale. Vnde corruit responsio Nugni; & si aliquid robur haberet, forsitan procederet in Fistula argentea, in qua Summus Pontifex sumit Sanguinem in Missa Papali, vel in Sphæra, seu Lunula; in qua reponitur Hostia publicè exponenda in ostensorio ad populũ.

Sup. hoc infra in Resl. 232. & 233.

Sup. hoc in Resl. 1. post præteritam, paulo post initium §. Post hæc.

4. Sed instabis cum Tamburino *Opusc.de Sacrificio Missæ lib.1.cap.1.§.6.num.2.* esse, non obstantibus supradictis, dispatitatem rationis inter Calicem, & Pixidem; si quidem in Calice per se, & semper fit consecratio Sanguinis, in Pixide verò non nisi per accidens, si quando adsunt multæ Particulæ consecrandæ: per se enim Corpus Christi in manibus Sacerdotum consecratur. Ergo non est mirum, si Calix sit consecrandus; & Pixis non benedicenda. Respondeo hanc distinctionem in ordine ad reuerentiam debitam Eucharistiæ nullus est, qui non videat esse metaphysicam; sicque ex illa sequeretur neque Patenam, neque Corporale esse consecrandum, vel benedicendum; quia in ipsis peraccidens Corpus Christi consecratur: nam, vt vult Tamburinus, Corpus Christi per se consecratur in manibus Sacerdotis: sed hoc dicere est absurdum: ergo, &c.

5. Et hæc dicta esse volo in fauorem amicissimi Patris Dicastilli cui ita addictum me esse profiteor; vt ad tuendas eius opiniones, meas impugnare minimè erubescam. Sed his non obstantibus, existimo contrariam sententiam, quam ego docui esse satis probabilem, & vt talem illam admittunt ipsimet aduersarij, Dicastillus, & Amicus locis citatis; nam & illam absolutè præter DD. alibi à me citatos, & superius adductos, tenent Ioan. Præpositus *in 3.part. quæst.83.art.3.dub.5.num.171.* & me citato Martinus de San Ioseph *in Mon.Confess.tom.1.lib.1.tract.16. de Euch.n.17.* Castrus Palaus *tom.4.tract.22.disp.vnica, punct.6.n.7.* Tamburinus *vbi suprà*; quibus adde nouissimè Magistrum Serra *in 3.part. q.83. art.3. dub. vnico*, asserentes, Pixidem non requiri ex necessitatè esse consecratam, vel benedictam; quia nullibi cauetur; & præcepta imponenda non sunt absque firmo fundamento.

Docui in Resol. not. primæ huius Resl.

RESOL. CLXXX.

An intra Pixidem vbi Sacramentum reseruatur, debeat permanere aliqua palla ex ligno confecta, & benedicta?

Et an Pixis benedici debeat? Ex part.2. tract.15. & Misc.1. Resl.2.

§.1. AFfirmatiuè respondet Vasq. *in 3.p.disp.233. cap.4.n.36.* vbi ait: Existimo ex consuetudine necessarium, vt intra pixidem, in qua Sacramentum seruatur, sit vas aliquod ex lino, quod benedictione corporalis benedictum sit. Nam quandiu celebratio Missæ durat, Corpus Christi semper esse debet supra pallam corporalem benedictam, quæ sindonem repræsentat, qua Christi Corpus mortuum in sepulchro inuolutum fuit, ita etiam finita Missa quamdiu Corpus Christi seruatur. Hæc ille.

2. Sed hæc sententia mihi non placet; & consuetudo quam affert Vasquez est in contrarium. Ad argumentum verò respondetur ex Nugno *in 3.part. tom.1.q.83.art.3.dub.5.* in his rebus non valere argumentum à paritate rationis, est etiam differens ratio, quoniam corporale tangit Corpus Christi in ipsomet Sacrificio: vnde licet non sit sanctior confectio Corporis Christi, quàm ipsummet Corpus Consecratum, ac præsens perseuerans. Tamen propter conficiendum Sacramentum sunt necessaria vasa consecrata, non autem propter custodiendum. Ex his patet responsio ad illam quæstionem, an pixis, in qua Corpus Christi seruatur, benedici debeat. Reginald. *in praxi, tom.2.lib.29.cap.9.sect.6.n.201.* Molfes. *in sum.tom.1.tract.3.c.12.n.55.* Pet. de Ledesma *in sum. tom.1.de sacr.Euchar.cap.21.fol.mihi 150.* affirmant, & in hanc sententiam videtur inclinare Pitigianus *in 4.sent.tom.1.dist.13.q.2.art.vnic.* cum aliis.

Sup. hac diffic. latè in Resl. præterita per totã, & cursim in alio §. eius primæ not.

3. Sed in rigore mihi placet opinio negatiua, quam tuentur, & docent Paludanus *in 4.dist.13.q.1.art.4.* Tabiena *ver. Euchar.n.31.* Sylvest. *eodem ver.3.q.4.* Sotus *in 4.dist.13.q.1.art.3.* & ex neotericis Nugnus *vbi sup.* Azor.*p.1.lib.10.c.27.q.7.* Henriq. *lib.9.cap.8.* & Vasquez *loco citato* vbi asserit, pixidem non esse benedicendam, eo quòd nullo iure id præcipiatur. Quòd verò in Pontificali pro illa peculiaris benedictio assignetur, non satis est, vt dicamus necessariò esse benedicendam. Nam & in Pontificali assignantur benedictiones pro aliis ornamentis Altaris, & pro vasis Reliquiarum, & pro campanis, quæ tamen omnia non semper benedicuntur.

RESOL. CLXXXI.

An si quis lauet Corporalia ante primam lotionem factam à Diacono, peccet venialiter? Ex part.11.tr.3. & Misc.3. Resl.16.

§.1. NEgatiuè respondet noster doctus Siculus P. Tamburinus *opusc. de Sacram. Missæ l.1. cap.12.§.2.n.1.* vbi sic ait: Certum est corporalia, purificatoria, & similia lauari saltem ex conuenientia debere à Diacono in vase ad hoc præparato, lotionemque mittendam esse in piscinam sacram, vel sacratium, quòd, hic, nihil aliud est, nisi locus in pariete, seu sub terram defossus, & ab aliis profanis vsibus separatus, in quem hæc lotio, & similia proijci ob reuerentiam, solent.

2. Secundò. Notant autem communiter Doctores hoc intelligendum esse de prima lotione, nam hac per Diaconum habita, possunt laïci sine scrupulo, & fœminæ, præsertim Sactæ Virgines, ea melius lauare, tergere, & reficere.

Sup. hoc in Resol. not. seq. §.1. ad medium, à vers. Eaque de causa.

3. Tertiò. Dubium ergo superest, at si laicus sine necessitate ea in ptima lotione lauet, peccet; & non peccari quidem mortaliter certum sit, quia non est materia grauis. Peccari autem venialiter multi supponunt, ex eo quia si ea tangere, ex ipsorum sententia, iis non licet sub culpa veniali, multo magis non licebit lauare.

4. Verùm probabile est, nec esse veniale, licet sit optimum consilium vt à Diacono, vel Subdiacono, vel

vel habentibus ad id priuilegium in prima lotione lauentur: Ratio est, tum quia Doctores supra probabiliter docentes, non esse veniale tangere, videntur etiam probabiliter docere, nec esse lauare: in lotione enim nil aliud tandem interuenit, vt idem Suarez ibidem fatetur, nisi quidam contactus, tum quia vt ibi, ita hic, non constat impositam esse obligationem sub vllo præcepto. Ita Tamburinus.

5. Sed hæc opinio mihi non placet, est enim contra communem, vnde præter alios Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tr. 5. disp. 4. dub. 11. art. 227.* docet hoc prohiberi per Canones, quod nulla consuetudine abrogatum est, nec ait cum Sylvestro rationabiliter abrogari, quod etiam auctoritate plurimorum Franciscus Lugo *de Sacram. lib. 5. cap. 8. n. 62. q. 7.* & Castrus Palaus tradunt *tom. 4. tr. 22. punct. 10. n. 13.* Vnde Regulares secundùm aliquos, habentes priuilegium tangendi, & lauandi corporalia, non possunt illa lauare, nisi post primam lotionem factam à Diacono, & ideò Magister Hinojosa *in Directorio decisionum Regularium verbo corporalia fol. 155.* sic asserit: Corporalia, & Calices tangere reuerenter concessit Sixtus IV. omnibus fratribus Clericis, vel laïcis. Concessit etiam omnibus Monialibus Sanctæ Claræ, & Sororibus Tertij Ordinis Minorum, quòd possint corporalia, & purificatoria contingere, dum tamen prius lota sint à Fratribus. Ecce clarè, & expressè non conceditur dictis personis lotio prædictorum. Inuenies enim maximum rigorem in iure propter periculum alicuius reliquiæ corporis, vel sanguinis Domini ibi detentæ. Quapropter nisi corporalia sint prius lota à ministris, scilicet Sacerdote, vel Diacono, lauari non possunt ab aliis Fratribus, & Monialibus; immò nec à Subdiacono, quia omnibus rigorosè prohibetur huiusmodi lotio, nisi Diaconis, non tamen negatur Fratribus etiam laïcis tangere corporalia, vel calices, quia non est periculum in hoc, & absolutè conceditur per priuilegia.

Sup. hac eõcessione in Resseq. §. 1. in fine, à vers. Las quales.

6. Nihilominus Calistus III. concessit, vt Fratres laïci possint calices contingere, lauare corporalia, & alia ornamenta Ecclesiastica, quam concessionem vsus interpretatur, quòd præcedere debeat lotio à competenti ministro, vt dictum est. Ita Hinojosa.

7. Sed verum vt fatear, non video ad quid deseruiret priuilegium concessum Regularibus lauandi, si illa non possent lauare, nisi post lotionem factam à Diacono, nam hoc absque priuilegio licitum est etiã laïcis: Ad id verò, quod asserit P. Tamburinus, posse laïcos absque culpa veniali tangere corporalia; ergo, & lauare, nego antecedens, & iam alibi hanc sententiam ego non approbaui, nam quidem difficilè discedo ab aliqua opinione, quam video communiter docere Doctores.

Alibi in Res. seq.

RESOL. CLXXXII.

An laici tangentes Calicem, Patenam, & Corporalia peccent saltem venialiter?

Et quid de aliis Clericis inferioribus?

Et quid est sentiendum de contactu Aræ & de contactu Patenæ à parte extra, seu inuersa & de contactu calicis in pede, maximè si pes est amouibilis, vel cupæ calicis à parte exteriori?

Et aduertitur Regulares habere multa priuilegia concessa Sacristis, & laicis, vel conuersis Regularium vt possint supra dicta tangere.

Et cursim docetur corporalia, & purificatoria post primam lotionem posse fœminis maximè Virginibus integrè lauanda, & reficienda tradere. Ex p. 10. tr. 11. & Misc. 1. Res. 2.

§. 1. NEgatiuè ex Soto respondet Tamburinus *Opusc. de Sacrificio Missæ, lib. 1. cap. 2. §. 1. num. 12.* Sed ego affirmatiuæ sententiæ adhærendum esse puto: vnde, cùm Emanuel Sà *verb. Sacram. n. 5.* dixisset, Sacra tangi à Laïcis sine contemptu, aut nullum peccatum est, aut leuissimum: rectè Magister sacri Palatij in Editione Romana sic correxit: Sacra tangi à Laïcis sine contemptu non est peccatum mortale. Rectè, inquam, sic correxit, quia ita docent communiter Doctores, & præcipuè Patres Societatis Iesu: vnde præter Suarez, & Coninch. à Tamburino adductos, hanc sententiam tenet Dicastillus ibidem citandus, Amicus *in Cur. Theol. tom. 7. disput. 35. sect. 12. num. 378.* Laymann *lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 19.* Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 223. cap. 4. num. 37.* Prepositus *in 3. part. quæst. 83. num. 3. dub. 5. num. 171.* Sanchez *in Summa, tom. 2. lib. 2. cap. 43. num. 27.* Castrus Palaus, *tom. 4. tract. 22. disput. vnica, punct. 10. num. 13.* Reginaldus *tom. 2. lib. 29. cap. 9. part. 2. sect. 7. num. 122.* Tannerus, *tom. 4. disp. 5. q. 10. dub. 3. num. 30.* & alij. Dico igitur, quod esto Laïcis, & Clericis inferioribus permissum non sit sacra vasa, & corporalia tangere extra necessitatem; si tamen id faciant seclusa contemptu, non censetur culpa grauis, sed venialis tantum ob materiæ leuitatem. Intercedente verò causa aliqua rationabili, nullam esse culpam, firmant Suarez, Coninch. Layman, Vasquez, & Sanchez *supra*. Eaque de causa Corporalia, & Purificatoria post primam lotionem fœminis, maximè Virginibus, integrè lauanda, & reficienda tradantur; quia hoc munus exactius, quàm viri, præstare possunt; vti bene notarunt prædicti Doctores. Vide Gaïsam *in Theol. moral. tract. 3. difficult. 8. dub. 4. punct. 3. n. 29.* Villalobos *in Summa, tom. 1. tract. 8. diffic. 29. n. 3.* qui nominatim Sotum impugnat; quod idem facit Ledesma *in Summa, tom. 1. c. 22. concl. 2.* vbi sic ait: Dudas es si los Seglares, y mugeres, tocando el Caliz, y la Patena immediatamente, si es pecado, y lo mismo es en tocar los corporales, y el Ara. En esta dificultad el P. M. Soto enseña, que no auiendo menosprecio, quiçano es pecado aun venial, y si lo es, es leuissimo pecado. Digo lo primero, que el tocar el Caliz consagrado, y las demas cosas ya dichas immediamente es pecado en los seglares, y mugeres, aunque no aya menosprecio. Esto se prueua lo primero de los derechos citados, que prohiben el tal tocamiento. Lo segundo se prueua del vso de toda la Iglesia. Todos hazen escrupulo de tocar estas cosas. Digo lo segundo, que no auiendo menosprecio, no sera pecado mortal, pero sera pecado venial, si se hunse sin causa y necessidad. Que no sea pecado mortal, consta del comun consentimento de todos los Fieles, porque ninguno haze escrupulo de pecado mortal. Tambien consta, porque la materia no es tan graue, que aya obligacion de pecado mortal. Que sea pecado venial, se prueua con las razones del primo dicho. Las quales se confirman, porque los sommos Pontifices han dado Priuilegio à los Religiosos, para que los legos puedan tocar los Calizes, y otras cosas semejantes. Luego ello de si no es licito. Ita ille, cui adde Caspensem *in Curs. Theol. tom. 2. tract. 23. disput. 3. sect. 5. n. 88.* Sotum etiam impugnantem Io. de la Cruz *in Direct. Conscien. p. 2. de Sacr. Missæ q. 3. dub. 4. concl. 3.* & Martinum de San Ioseph *in Mem. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 16. de Euchar. n. 18.*

2. Sed an saltem sententia negatiua quam impugnauimus contra Tamburinum sit admittenda in contactu Patenæ à parte externa, seu inuersa, & in contactu Calicis in pede, maximè si pes sit amouibilis. Affirmat sapientissimus Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 9. num. 191.* Sed tu cogita: nam

nam etiam dicendum esset Laicum non peccare venialiter, si tangeret Cupam Calicis à parte exteriori; cùm militet eadem ratio, quæ in Patena. Itaque absolutè non est recedendum ab affirmatiua sententia, quæ, vt dixi, communis est inter Theologos, & præcipuè in Schola Societatis. Et quidem si Laïci, tangendo Corporalia, & Vasa sacra, neque peccarent venialiter; ad quid deseruirent Priuilegia tot Pontificum concessa Sacristis Regularium, vt possint illa tangere? Vide, præter Doctores citatos, Marchantium *in Tribun. sacr. tractat. 2. part. 2. tit. 4. quæst. 2. dub. 6.*

RESOL. CLXXXIII.

An liceat vasa, vestes, ligna, aliaque cultui diuino dicata in prophanos vsus conuertere, dummodo non maneant in eadem forma? Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Ref. 76.

§. 1. OLim de hac re magna mihi quæstio fuit cum quodam Religioso, qui negatiuam sententiam mordicus tenebat, nixus authoritate *cap. ligna, dist. 1.* vbi habetur quòd ligna Ecclesiæ dirutæ non debent ad alios vsus destinari, nisi ad aliam Ecclesiam, vel ad profectum Monasterij, quem profectum explicat ibi glossa, vt deseruiant in Capitulo, dormitorio, &c. vide etiam *cap. Altaris, eadem dist.* & Azorium *part. 1. lib. 9. cap. 9. quæst. 7.*

2. Sed ego non auderem de peccato mortali damnare eum, qui mutata forma dictarum rerum illas in vsus profanos conuerteret, & ita hanc sententiam docet Castr. Palaus *tom. 2. tract. 8. disput. 1. punct. 6. num. 25.* vbi sic ait. Si benedictio, vel consecratio deperdatur alicui, videri potest licitum esse rem, quæ benedicta & consecrata fuit, profanis vsibus deseruire posse. Quis enim negabit ex calice confracto vas aliquod profanum confingi posse, & ex veste aliqua sacerdotali iam rupta, aliquam prophanam componi posse, aliàs esset obligatio hæc omnia perdendi: nam cùm cultui diuino deseruire non possint, restat vt omnino consumantur, quod videtur durum. Præterea nulla videtur rebus sacris irreuerentia fieri ex eo quòd earum materia profanis vsibus aptetur, siquidem numquam est verum dicere res sacras profanis vsibus aptari. Item destructa, v. g. forma Calicis, iam calix ille amisit consecrationem; & consequenter iam non est sacer. ergo est profanus. ergo poterit vsibus profanis deseruire. Quid enim ex præterita consecratione in illa materia remanet, ob quod prohibearis vsui communi materiam illam aptare, siquidem communis est; propter hæc censeo probabile, secluso scandalo, nullum, vel leuissimum peccatum in hac applicatione interuenire. Ita Palaus, qui etiam respondet ad textus supracitatos pro negatiua sententia. nam loquuntur de rebus in eamdem formam manentibus, ac fuerunt applicatæ, de illis enim est verum dicere, quæ semel consecrata sunt, non debent ad laicorum vsus reuerti. Non nego tamen ex decentia conuenire vt ea, quæ vsibus sacris dicata sunt, etiam mutata forma in vsus profanos, minimè conuerti debere, quod nego probabiliter est, ita facientem peccare mortaliter.

RESOL. CLXXXIV.

An sufficiat, si in celebratione Missæ adsit Crux, vel imago Crucifixi in tabula, vel pariete?

Et an non sit peccatum mortale, sed ad summum veniale celebrare sine imagine Crucis, vel Crucifixi, si commodè haberi possint?

Et an si cingulum frangatur, vt neutra pars per se possit deseruire, etiam si nodo partes nectantur, egeat noua benedictione, & secus vero, si antequam omnino diuidatur, reficiatur, vel adhibito nodo firmetur, quia tunc adhuc est vnum cingulum?

Idem est dicendum, quando altera pars sola est sufficiens.

Et docetur ex duplicata Stola, vel Casula, seu Planetâ posse fieri duas; quia plures possunt simul vna benedictione benedici, & etam si separentur, possint retinere suam figuram.

Et an quod vestes Sacerdotales sunt tales, vt funiculis connectantur, etiam si dissoluantur, non amittant benedictionem; sicut diximus de Calice, & Cupa, quando pes est amouibilis, cochleaque nectitur. Ex p. 10. tract. 15. & Misc. 5. Ref. 28.

§. 1. NEgatiuè respondet Gauantus *in Rubrica Missalis part. 1. tract. 10. littera D.* sed nouissimè affirmatiuam sententiam docuit Pater Tamburinus *opusc. de Sacram. Missæ, lib. 1. cap. 5. tit. 6. n. 2.* vbi sic ait: Olim inter curiosos Rubricarum contentio fuit, an obseruetur Rubrica, quæ Crucem in Altari dum fit Sacrum expostulat, si adsit Crucis, vel Crucifici effigies depicta in tabula vel pariete? Satis obseruari Rubricam affirmabant aliqui, quia iam adest Crux; Negabant alij, quia præter illam Iconem depictam ad parietem, requirebant iuxta Rubricæ aliam crucem super Altare inter candelabra, & ob oculos Sacerdotis tum ad orandum, tum ad incensandum.

2. Dico vtrosque sensisse probabiliter, sed à me contra Gauantum audiri libentiùs affirmantes. Neque enim eiusmodi requisita adhiberi debent, sub ritu Metaphysico, sed morali, & humano. Quis autem moraliter amplius Crucem requirat, si Crucem habeat in prospectu (licet non inter Candelabra) ad quam, & orare, & incensare, & quælibet circa illam officia exhibere possit? Ita Tamburinus, cui ego libenter adhæreo, & in eius fauorem adduco etiam P. Trimarchum, & Agrifolium Ordinis Minimorum, quos citat, & sequitur Francisc. de Nigro *ad Cærem.* Ruiz *p. 3. præsup. 3. n. 2.* vbi sic asserit: Quæres, vtrũ in Altari, cuius Icon est ipsamet Crucifixi figura, collocanda etiam sit alia Crux inter ipsa Candelabra, Respondet affirmatiuè Gauantus *loc. cit. vers. Quæritur præterea.* Negat autem P. Trimarchi, qui ad orandũ, & Crucem incensandum satis est imago illa crucifixi in tabula depicta: Et in hoc Collegio Iesu Mariæ in Altari Crucifixi nunquam ad celebrandum ponitur alia Crux, & tamen adsunt viri doctissimi, & cæremoniarum vsus studiosissimi, & etiam tenet P. Agrifolius. Hæc ille; vnde puto sententiam Tamburini esse probabilissimam.

3. Nota tamen hic obiter non esse peccatum mortale sed ad summum veniale celebrare sine imagine Crucis, vel Crucifixi, si commodè haberi possint, ita contra nonnullos, quos citat Fagundez *p. 1. lib. 3. cap. 22. n. 32.* docet me citato Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 7. q. 23.* Sup. hoc supra in fine §. 2. Ref. 155.

4. Nota etiam hic obiter me discedere ab opinione quam docui cum aliis *in p. 2. tract. 15. resol. 4.* & quam non improbabilem putauit Tamburinus *opusc. de Sacram. Missæ, l. 1. cap. 3. §. 3. n. 4.* Dico igitur quod si cingulum frangatur, vt neutra pars per se possit deseruire etiam si nodo partes nectantur, eget noua benedictione, secus verò, si antequam omninò diuidatur, reficiatur, vel adhibito nodo firmetur, tunc enim adhuc est vnum cingulum. Idem iudicium est, quando

Docuit in Ref. quæ hic est supra Ref. 168. & in Ref. 167. §. Nota tertio. & in Resol. 169. & 170. §. 2. ad lin. 4.

quando altera pars sola est sufficiens. Illud autem mihi placet, quod docet idem Sà *verb. Missa, n.* 11. ex duplicata Stola, vel Casula seu Planeta posse fieri duas, quia plures possunt simul vna benedictione benedici, & etiamsi separentur, possunt retinere suam figuram.

5. Illud etiam mihi non displicet, quod obiter dicit Bonacina *disp. 4. quæst. vlt. punct. 9.* quando vestes tales sunt, vt funiculis connectantur etiamsi dissoluantur, non amittere benedictionem, imò testatur Bonacina ita seruari. Vnde si pluuiale, vel casula habeat partes sic ex intentione diuisas, vt funiculis annecti & dissolui possint, vt ea ratione commodius asseruentur, plicentur, &c. non videntur amittere consecrationem sicut diximus de calice, & cuppa quando pes est amouibilis, cochleaque nectitur. Et his etiam adhæret Dicastill. *de Sacr. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 10. num. 210. & 211.*

RESOL. CLXXXV.

An in præcepto Pij V. non addendi aliquid in Missa præter præscripta, detur paruitas materiæ?

Idem est de omissione illarum rerum, quæ in Officio Missæ dicendæ, & recitandæ ordinantur, in Missali.

Vnde excusatur à mortali Sacerdos, qui omisit recitare Graduale post Epistolam. Ex p. 5. tr. 5. Ref. 63.

Sup. hoc supra ex Ref. 95. lege doctrinam §. vlt. & infra Ref. 194.

§. 1. Affirmatiuè respondeo cum Hurtado *disp. 4. de sacrificio Missæ, diffic. 12.* vbi sic ait. Conueniunt Doctores addere aliquid ex suo, quod non ordinatur in Missali, esse peccatum, quia prohibuit Pius V. in Bulla præfixa in initio Missalis Romani iussu ipsius impressi, quòd non est mortale, quando parua aliqua Oratio additur ex deuotione, & non recitatur alta voce coram populo. Ita ille.

Quæ nunc hanc sequetur.

2. Qui etiam putat idem dicendum, vt suprà visum quoque est, *resol. 45.* in omissione illarum rerum, quæ in officio Missæ dicendæ & recitandæ ordinantur in Missali. Vnde Franciscus Syluius *in 3. p. D. Thom. q. 83. art. 6.* Obserua celebrantem teneri ad omnia, quæ præscribuntur in Missali, ita vt nihil possit addere, aut omittere, ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis, néve ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, ait Concilium Tridentinum *sess. 22.* & Pius V. *in Missali* strictè præcepit, vt Missam iuxta ritum, modum, ac normam quæ in eo traditur, decantent ac legant. Non dubitamus tamen quin aliter facientes aliquando peccent solùm venialiter, cùm enim leuitas materiæ soleat aliàs à mortali excusare, non est ratio cur in præsenti non excuset. Ita Syluius. Vnde ego in facti contingentia excusaui à peccato mortali Sacerdotem, qui omisit recitare graduale post Epistolam. Vide suprà *in resol. 45.*

Vt in annot. præterita.

RESOL. CLXXXVI.

An in omissione aliquarum rerum, quæ dicuntur, vel aguntur in Missa, detur paruitas materiæ?

Et an peccet mortaliter omittens Gloria, *vel* Credo, *vel commemorationem aliquam?*

Et quid de omittente in Canone nomen alicuius Sancti, vel tempore Paschali, quæ interponuntur in Communicantes, *aut in actionem*; Hanc igitur oblationem, &c.

Et an si paulo post quis recordetur, non debeat repetere, quia moraliter non contingit hæc fieri sine aliqua interturbatione, & incommoditate?

Et notatur, quod non sit nisi veniale, & quandoque nullum peccatum cæremonias aliquas, quæ inter principales non annumerantur sine contemptu prætermittere, v.g. omittere Crucem aliquam, manuum eleuationem, pectoris tunsionem, &c.

Et an peccet mortaliter Sacerdos celebrans solemniter, qui Epistolam, vel Euangelium, quod à Ministro cantatur, non legit? Ex part. 5. tr. 5. Ref. 45.

§. 1. Ad hoc dubium ita respondet Nugnus in 3. *part. q. 83. artic. 4. dub. 2. concluſ. 2.* vbi sic ait: Ex paruitate materiæ aliquando erit solùm peccatum veniale aliquid istorum omittere; patet, quia religio est virtus moralis habens materiam grauem & materiam leuem, & res certissima est, quòd non dicere vnum Kyrie eleison, est leuis materia, ergo tantùm erit peccatum veniale illud omittere; quæ autem sit grauis, vel quæ leuis materia, iudicio vbi prudentis & timoratæ conscientiæ iudicandum est, & cùm hæc res secundùm se sit grauissima, semper est timendum, & nihil ex electione omittendum est, præcipuè in Canone, vbi faciliùs efficitur peccatum mortale aliquid omittere. Mihi res grauis videtur ex intentione non velle nominare aliquem Sanctum eorum, qui ibi ponuntur. Ita Nugnus, nimis quæ dem scrupulosè.

2. Vnde ego in recitatione etiam sicci Canonis puto dari paruitatem materiæ, & ideo nouissimè Cœlestinus *in compend. Theol. moral. tract. 3. c. 5. §. 10.* ita asserit. Quæres an peccet mortaliter omittens voluntariè *Credo*, vel *Gloria in excelsis*? Respondeo quòd non. Filliucius *tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 155.* idem putat de omittente in Canone nomen alicuius Sancti, vel tempore Paschali ea quæ interponuntur in communicantes, aut in Actione: Hanc igitur oblationem, &c. Ita Cœlestinus, quod ego ante illum docueram *in part. 2. tract. 14. resol. 59.* & dixi nouissimè, me citato, Franciscus de Nigro *in addit. ad Ruiz part. 2. regul. 6. q. 1.* & etiam, me citato, Fasstus *de sacram. Euchar. lib. 2. q. 266.* Et tandem tenet Marchantius *in qq. regular. de Sacram. tract. 2. cap. 5. quæst. 4. fol. mihi 586.* vbi sic ait: Quæro quas cæremonias omittere inter celebrandum, vel addere, semper sit peccatum mortale? Respondeo primò, in his etiam excusare posse rationabilem causam, vel leuitatem materiæ, e.g. omittere Credo, vel *Gloria*, vel commemorationem aliquam, facile excusatur à mortali, quia non sunt partes simplices necessariæ ad Missam, nec quid notabile ad integritatem Missæ spectans consistunt. Nec si paulo post quis recordetur, debet repetere, quia moraliter non contingit id fieri sine aliqua interturbatione & incommoditate. Similiter dic non esse nisi veniale, & quandoque nullum peccatum cæremonias aliquas quæ inter principales non adnumerantur, sine contemptu prætermittere, v. g. omittere Crucem aliquam, manuum eleuationem, pectoris tunsionem, &c. Vide etiam Ioannem de Lugo *de Sacram. Euch. disput. 20. sect. 4. num. 107.* qui, me citato, sentit non peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem solemniter, qui Epistolam, vel Euangelium, quod à Ministro cantatur, non legit, & hoc ex leuitate materiæ, eo quòd tunc non omittatur Epistola, vel Euangelium in Missa, si quidem cantatur solemniter à Ministris ad quos spectat; illa autem lectio, quæ omittitur, videtur esse magis priuata, non tam pro populo, quàm pro ipso Sacerdote. Potest ergo eadem materia, quæ est grauis, si omninò omittatur, esse leuis, si non ab vtroque, sed ab vno solo cantetur, vel legatur.

RESOL.

RESOL. CLXXXVII.

An Sacerdos, qui omittit in Missa voluntariè Credo, *seu* Gloria, *peccet mortaliter ?*

Et quid si omittit in Canone nomen alicuius Sancti, vel tempore Paschali ea, quæ interponuntur in Communicantes, *aut in actione :* Hanc igitur oblationem ? Ex p.2.tr.14.Ref.59.

Sup. contenta in hac Ref. in præcedente Ref. à principio, signanter à lin.4.§. Vnde. & in aliis eius not. pro his quæstionibus.

§.1. FOrtè non peccare putauit Nugnus *tom.1. in 3.part.quæst.83.art.4.dub.2.ad 3.*

2. Sed sine vlla formidine, & absolutè docet non peccare mortaliter, sed venialiter ex materiæ leuitate, Filliucius *tom.1.tract.5. cap.5.n.155.* & idem putat, vt diximus, si omittatur in Canone nomen alicuius Sancti, vel tempore Paschali ea, quæ interponuntur in *Communicantes*, aut in actione, *Hanc igitur oblationem :* quod vltimum est maximè notandum.

RESOL. CLXXXVIII.

An peccet Sacerdos, qui in Missa solemni non recitat, sed tantùm audit Gloria, Credo, Epistolam, Euangelium, *&* Prophetias, *quæ in Hebdomada maiori leguntur inter ipsa Missarum solemnia, dum ea ab aliis recitantur, aut canuntur ?*

Et an Sacerdos in Missa Mortuorum, quando dicenda est Sequentia, Dies iræ, &c. *si illam voluntariè omittat, peccet mortaliter ?*

Et notatur, quod Rubricæ Missalis non sunt præceptiuæ, sed directiuæ. Ex part.9. tractat.6. & Misc.1. Resol.19.

Quæ nunc hanc sequentur, & in Ref.1. post fin. & infra in Ref.191. prope finem §.2. & sup. in Ref.186. prope finem.

§.1. EGo *in part.2. tract.14. resol.42.* firmaui cum multis Doctoribus, Sacerdotem in Missa solemni non legentem submisse Epistolam, & Euangelium, non peccare : vnde Moscosus *in sum.tract.5. cap.5.num.14.* sic ait : [Es opinion comun, que quando en la Missa ay Diacono, y Subdiacono, no esta obligado el Sacerdote à rezar en secreto el Euangelio, ni la Epistola ; y assi lo pratican algunos hombres doctos.] Ita ille. Postea Eminentiss. Dominus meus de Lugo hanc sententiam impugnauit, quam ego iterum defendi *in part.5.tr.13.ref.95.* licet nouissimè cum Lugo, me citato, sentiat Hieron. Garcia *de obligat.Sacer.tract.3.diffic.8.dub.6.punct.2.num.18.* Sed supposita nostra sententia, tanquam probabili : quia Rubrica Missalis non est præceptiua, sed directiua, vt me citato, docet etiam nouissimè Pellizarius *in Man.Regular.tom.1.tract.5.c.9.sect.2.n.35.* ad propositam difficultatem de *Gloria, & Credo*, eodem pacto ipse respondet affirmatiuè. Itaque *n.36.* sic asserit : [Vtrum verò eodem modo excusari possit à peccato Sacerdos solemniter celebrans, qui secretè non recitat *Gloria*, aut *Credo*, aut Prophetias, quæ in hebdomada maiori leguntur inter ipsa Missarum solemnia, dum ea ab aliis recitantur, aut canuntur. Respondeo. posse excusari, tum ob rationes allatas §. *præced.* tum quia non apparet ratio, cur dicendi sunt satisfacere obligationi diuini Officij, qui recitant in Choro solùm audiendo Lectiones, Capitula, Orationes, &c. & non satisfaciat Sacerdos solemniter celebrans, solùm audiendo *Gloria, Credo*, & Prophetias, cùm videatur militare par ratio in vtroque casu : vnde sicut *cap. præc. sect.1. q.10. §. Verum quidem est*, asseruimus recitantes in Choro modo supradicto satisfacere propriæ obligationi, solùm audiendo : ita & idem asserendum est in præsenti casu de Sacerdote solemniter celebrante : cùm *Gloria, Credo*, & Prophetiæ in Missa solemni dici possint pars, non Sacerdotis celebrantis, sed chori, & aliorũ Ministrorum.] Hucvsque Pellizarius. Sed defendendo nostram sententiam tantùm in ordine ad Epistolam, & Euangelium, dico illam tenere, præter Doctores à me alibi citatos, Quintanaduenam, Authores Instructionis ordinandorũ, editæ iussu Martini Realis, vt patet, me citato, *part.5.§.10.n.7.* & etiam me citato, Ioan. Henriquez, *in qq. pract. sect.22.q.10.* vbi sic ait : [Mas probable es, que de ninguna manera esta obligado el Sacerdote à dezir rezado lo, que el Diacono, y Subdiacono han de cantar, si no basta oyrlo, como lo dize Diana.] Et ideò sapientissimus Sanch. *in opusc.tom.2. lib.7.cap.2. dub.13.n.3.* docuit, Sacerdotem celebrantem cum Diacono, & Subdiacono meliùs facere, si dum ipsi dicunt Epistolam, & Euangelium, attente audiat, quàm si secretò dicat. Vnde Moscosus *in sum.tr.5.cap.5.n.14.* sic ait : [Es opinion comun, que quando en la Missa ay Diacono, y Subdiacono, no esta obligado el Sacerdote à rezar en secreto el Euangelio, ni la Epistola : y assi lo pratican algunos hombres doctos.] Ita ille, & iterum ego.

Sup. his Prophetiis supr. in Ref.72. §. Notandum. in principio, quamuis ibi pro illarum omissione in Missa priuata.

2. Notandum est etiam hic obiter, Patrem Bordonum *tom.2. resol... num...* docere, Sacerdotem in Missa Mortuorum, quando dicenda est Sequentia, *Dies iræ, &c.* si illam voluntariè omittat, non peccare mortaliter : quia non est pars substantialis Missæ, sed tantùm integralis. Sed de dictis opinionibus Patrum Pellizarij, & Bordoni, tu cogita.

Sup. hac Sequẽtia *Dies iræ*, sup. in fine Ref.72.

RESOL. CLXXXIX.

An Sacerdos in Missa maiori peccet, si non legat submissa voce Epistolam, & Euangelium, postea à Subdiacono canendum ? Ex p.2.tr.14.Ref.42.

§.1. AFfirmatiuam sententiam docet Fernandez *in exam.Theol.part.3.c.5.§.13.n.15.* & Emanuel Sà *ver.Missa, n.51.*

2. Sed negatiuè respondendum est cum Vega *in sum.tom.2.c.41.cas.7.* qui citat Rodrig. Idem docuit Villalob. *in sum.p.1.tr.8.difficult.31.n.4.* qui malè citat Nauarrum tanquam contrarium sentientem : nam Nauarr. *in orat.Miss.78. & in Manuali c.10. n.44. sen 46.* negatiuam sententiã docet, & multis rationibus probat, tum quia in Missali hoc non præcipitur, tum quia nullo alio Canone, seu iure in Missa solemni imponitur recitari secretò Epistolam, & Euangeliũ. Et licet aliqui id faciant, multa sunt consueta, quæ non sunt præcepta. Malè igitur, vt dixi, à Villalobos Nauarrus pro contraria sententia citatur.

Sup. hoc in Ref. præterita, & in aliis eius primæ not.

RESOL. CXC.

An Sacerdos in Missa solemni teneatur recitare submissa voce Epistolam, & Euangelium ? Ex p.5.tr.13. & Misc.1. Ref.95.

§.1. AD hoc dubium ita respondet P. Lugo *de Sacram.Euchar.disp.20.sect.4.n.107.* Posset fortè excusari à peccato graui Sacerdos solemniter celebrans, qui Epistolam, quam Subdiaconus cantat, non recitat, vel Euangelium, quod à Diacono cantatur, provt excusatur à Vega, & aliis, quos affert & sequitur Diana *p.2.tr.14.res.42.* qui tamen falsò supponit id in Missali non præcipi : nam re vera præcipitur expressè ibi in rubricis Missæ solemnis. Ita ille.

Sup. hoc in duabus Ref. præteritis, & in aliis not. primæ Ref. 188.

2. Sed aduersùs illum nominatim, nouissimè me defendit ex viro docto P. Trimarchi Franciſc. de Nigro *in addit. ad Petrum Ruyz de celebrat. Miſſar. p. 6. animaduerſ. 8. n. 2.* vbi ſic ait: an lectio Epiſtolæ, vel Euangelij celebranti ſolemniter præcipiatur in Rubricis Miſſalis Romani. Negat Diana, affirmat Lugo, dicens quod falsò ſupponit hoc in Miſſali non præcipi, ſiquidem rè vera præcipitur expreſsè ibi in rubricis. Verùm P. Trimarch. tuetur Siculum Dianam, dicens, quod Dianæ intentum cùm aſſeruit quod in Miſſali non præcipiatur, nihil aliud fuit, niſi quod illa rubrica, ſeu cæremonia non eſt præceptiua, ſed tantùm directiua. Hæc Niger. Dicendum eſt igitur, quod licet in rubricis Miſſalis dicatur quod Sacerdos in Miſſa ſolemni legit Epiſtolam, & Euangelium, non autem ſequitur ex hoc, ibi dictam recitationem præcipi cum peccati obligatione; & hæc erat quæſtio à me ibi agitata. Et ideo vti ego loquutus ſum in dicta reſolutione, ita ſunt etiam loquuti ante me Doctores omnes hanc quæſtionem pertractantes. Vnde Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 8. diffic. 31. n. 4.* ita aſſerit. [El Sacerdote no eſtà obligado è dezir la Epiſtola, y Euangelio, no obſtante que lo digan los Miniſtros; porque no ay derecho ninguno, que obligue à eſto, ni lo manda el Miſſa.] Ita ille & ante illum Petrus Ledeſma *in ſum. tom. 1. cap. 24. concluſ. 5.* ſic aſſerens. [El Sacerdote que dize Miſſa cum Diacono, y Subdiacono, no eſta obligado à dezir el por ſi la Epiſtola, y e Euangelio en ſecreto: la razon es, porque no ay derecho ninguno, que obligue al tal Sacerdote à dezir la Epiſtola, y el Euangelio; y el Miſſal de Pio V. no pone tal obligacion.] Et tandem ita etiam loquutus eſt Ludouicus à San Iuan *in ſum. quæſt. 11. art. 23. de Sacram. Euchariſt. difficult. 8.* Igitur ego in dicta reſolutione docui iiſdem verbis id, quod ante me docuerunt ſupradicti viri docti.

3. Et poſt hæc ſcripta inueni ea, quæ ego docui, docere etiam, me citato, Bartholomæum à Sancto Fauſto *de ſacram. Euchar. lib. 2. q. 278.* vbi ſic aſſerit: An Sacerdos cantans Miſſam cum Diacono, & Subdiacono, teneatur ſecretò recitare Epiſtolam, & Euangelium. Affirmant aliqui; communis tamen opinio, veriorque ſententia id negat, & meritò quidem, quia nullum de hoc extat iuris decretum quod Sacerdotem ad hoc obliget, neque etiam Miſſale Romanum iuſſu Pij V. editum huius ordinationis meminit: & licet aliqui id faciant, multa ſunt conſueta, quæ non ſunt præcepta; vnde ſatis eſt à Miniſtris Epiſtolam, & Euangelium audire. Hæ Fauſtus. Hinc ſatis probatum remanet contra amiciſſimum P. Lugo, me non falsò ſupponere, in Miſſali non præcipi Sacerdotibus Miſſam ſolemnem cantantibus recitare ſubmiſſa voce Epiſtolam, & Euangelium, re vera enim ibi id non præcipitur, & hoc ego negaui, & iterum cum citatis Doctoribus nego. Solùm igitur directiuè tenentur ex rubricis Miſſalis Sacerdotes in Miſſis ſolemnibus Epiſtolam, & Euangelium ſubmiſſa voce recitare, non autem præceptiuè.

RESOL. CXCI.

An quis ſecluſo ſcandalo, & contemptu in Miſſa relinqueret Epiſtolam, vel Euangelium, peccaret mortaliter?

Et quid dicendum de Gloria, *vel* Credo *ſi omittantur in Miſſa?*

Et notatur non eſſe peccatum mortale relinquere Communicantes, *& Hanc igitur oblationem, quæ interponi ſolent in Feſtis Natiuitatis, Reſurrectionis, & Pentecoſtes.*

Et an teneatur Sacerdos illa repetere, ſi ex inconſideratione illa omitteret?

Et adducitur Regula generalis, quod in Miſſa nihil eſt repetendum, niſi probabiliter quis dubitet ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe.

Imo, niſi quando certò dubitat, eo quod non ſuffi. iter quodcumque dubium. Ex p. 10. tract. 15. & Miſc. 5. Reſol. 42.

§. 1. VIdetur prima facie negatiuè reſpondendum, quia ſi quis in Miſſa relinqueret *Credo*, & *Gloria*, non peccaret mortaliter, vt me citato docet nouiſſimè Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 8. d. 7. q. 58.* & me citato Martinus de San Ioſeph *ubi ſupra*, tamen aliquando longius eſt *Credo*, & *Gloria*, quam Epiſtola, & Euangelium: Ergo.

2. Sed hoc argumentum nihil officit, & opinioni affirmatiuæ adhærendum eſſe puto cum Martino de San Ioſeph *in monit. Confeſſ. tom. 1. lib. 1. tract. 3. de Euchariſt. n. 12.* Dicaſtillo *de Sacram. tom. 1. tract. 5. diſp. 4. dub. 13. n. 256.* vbi ſic ait: Vnde ſi omittatur aliquid eiuſmodi ex vrgenti aliqua neceſſitate (quæ vix poteſt contingere) ſine reuerentia, nullum erit peccatum. Neque in hoc vim habet, vt probetur Sacerdotem omittere Euangelium, aut Epiſtolam non eſſe mortale peccatum; paruitas materiæ ſecundum ſe conſideratæ, & quod ſæpe Euangelium pauciora verba habeat, quàm *Gloria*, & *Credo*: nam paruitas, vel grauitas materiæ in hac re non ſumitur ad eum modum, quo ſecundum probabiliorem opinionem ſumitur in orationibus, etiam in horis Canonicis; ſed mirum penſata quantitate verborum orationis; ſed conſideratur ſecundum quod Miſſa eſt quoddam ens artificiale morale conſtans certis quibuſdam partibus, ex quibus certa ordinis diſpoſitione confluentibus ens illud artificiale reſultet. In quodam autem compoſito artificiali aliquæ partes eſſe poſſunt magis principales, & neceſſariæ ad illius conſtitutionem, quam aliæ. Vide illarum defectus, etiamſi ipſa in quantitate ſint minores quam aliæ, magis deformant, aut deturpant ens illud artificiale, quam defectus aliarum partium etiam maiorum. Sicut enim in ſtatua v. g. alicuius Sancti, etiamſi ex veſte ipſa deſſuente, vel ex aliquo inſigni, puta ex enſe, quem habet in manu, quandoque maior pars abſcindatur quam ſit pars naſi, barbæ, oris, aut oculorum, non ita illarum partium defectus deturpat, atque harum. Nam deficiente enſe, aut illo ſinu, vel parte veſtis ſine qua ab initio potuit eſſe talis imago, non tantus eſt defectus, atque defectus naſi, & aliorum, etiam minorum in quantitate. Sic etiam in Miſſa defectus hymni Angelici, & Symboli Nicæni, ſine quibus ens illud artificiale, quod dicitur Miſſa, poteſt conſiſtere, non tanti momenti cenſetur, etiamſi maior ſit illorum verborum quantitas, quàm Epiſtolæ, aut Euangelij: quia hic deturpatur, & deformatur conſuetum illud ens artificiale, quod eſt Miſſa; cùm tamen ſine Symbolo, aut Gloria ſæpe conſueta forma conſiſtat. Facilius nihilominus poſſet excuſari à mortali, ſi in Miſſa ſolemni Sacerdos non dicat priuatim Epiſtolam, vel Euangelium, ſed ſolùm cantentur à miniſtris: atque ea ratione excuſat Diana *tract. illo 4. reſol. 42.* cum Vega, Rodriguez, Nauarro, qui Nauarrus docet in Miſſali non præcipi, quod fortè ita erat tempore Nauarri poſtea verò præceptum eſt expreſsè. Itaque non Diana (quem in hoc accuſat Lugo) ſed Nauarrus eſt, qui dixit non præcipi in Miſſali. Diana verò ſolùm contendebat Nauarrum non eſſe contrariæ ſententiæ, ſed huius; & ad id probandum protulit Nauarri doctrinam citatis duobus locis, & aliquas rationes illius. Hucvſque Dicaſtillus.

3. Notan

Sup. hoc supra in Ref. 186. §. Vide, ad lin. 8 & in Ref. 187. & in Ref. 72. §. vlt. post medium.

3. Notandum hic obiter, me satis probabiliter dixisse non esse peccatum mortale relinquere : *Communicantes antes*, vel *Hanc igitur oblationem*, quæ interponi solent in Festis Natiuitatis, Resurrectionis, & Pentecostes ; & ita me citato tenet Dicastillus *vbi supra* ; & me etiam citato Leandrus *q.* 61. Vide etiam Ioannem Henriquez *in qq. pract. sect.* 22. *q.* 17.

Sup. hac repetitione supra in Ref. 186. §. 1. post medium à vers. Nec si paulo post.

4. Sed quid dicendum si aliquis v.g. in die Pentecostes ex inconsideratione omitteret *Communicantes, & Hanc igitur oblationem*, teneretur postea illa repetere ? Et respondeo negatiuè ex doctrina generali quam contra Vasquez docet Dicastillus *loco citato, num.* 266. nempe in Missa nihil repetendum, quod non sit de substantia, etiamsi sine scandalo, aut nota fieri possit, sed vlterius pergendum : Nam in rubricis Missalis, vbi agitur de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus §. 5. *cuius titulus est : De defectibus formæ in fine*, dicitur : Si valdè probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione : si autem non sunt de necessitate sacramenti, non resumat ; sed procedat vlteriùs.

5. Talia autem sunt verba, de quibus nunc agimus, quæ non sunt de necessitate Sacramenti : Ergo illa iam omissa, etiamsi quis secretò possit, non sunt repetenda ; sed pergendum vlterius. Si verò quis probabiliter dubitet, aut credat omisisse aliquid pertinens ad essentiam consecrationis, potest, & debet, vt aduertit Missale, etiam post longam moram repetere *sub* conditione prædicta, saltem tacita, quia tunc nullum est periculum, licet priùs protulerit.

6. Ad hoc autem vt talis repetitio fiat, non sufficit quodcumque dubium : sæpè enim verba proferimus ex vsu ; imò aliquando etiam attentè, quorum postea non recordamur, an fuerint prolata, quando reflectimur ; quia, vt postea recordemur, & fiat memorabile, non tantùm fuit necessarium attentè cogitare ; sed etiam cogitare cum aliquali reflexione, quod dicamus. Vndè scrupulosi debent omnino quiescere in hoc, nec repetere, etiamsi non recordentur. Tantùm ergo est facienda reperitio : quando certò vel probabiliter constat de omissione eorum, quæ sunt de necessitate formæ.

RESOL. CXCII.

An Sacerdos, qui omitteret in Canone Missæ v. g. sex aut octo nomina Sanctorum, excusaretur à peccato mortali ratione paruitatis materiæ ?

Et cursim docetur quod si in consecratione Calicis omittatur ea pars Noui & æterni testamenti, *vel si quis inter Latinos latine celebrans formam consecrationis Græco vel Hispano sermone conciperet, an sit mortale, vel tantum veniale ?*

Et quid, si in Missa Epistola, Euangelium, aut Offertorium omitterentur scienter, an sit peccatum mortale ?

Et quid, si omitteretur Gloria, *vel* Credo, *aut tres primæ orationes ?*

Et infertur, quod si omittatur in Baptismo magna pars cæremoniarum, quas Ecclesia præscribit, an sit peccatum mortale ? Ex part. 10. tr. 16. & Misc. 6. Ref. 37. aliàs 36.

Sup. hoc supra in Ref. 72. lege dolum. vers. Hinc omittere. §. vlt. & infra in Ref. 190. & in fine eius not.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Bernal *de Sacram. disput.* 6. *sect.* 4. *num.* 93. vbi sic ait : Mutationem facere interdum erit contra Religionem mortale. Vt si omittatur in Baptismo magna pars cæremoniarum, quas Ecclesia præscribit ; aut in Consecratione Calicis ea pars : *Noui, & æterni testamenti :* vel si quis inter Latinos Latinè celebrans, formam Consecrationis Græco, vel Hispano sermone conciperet. Interdum erit peccatum contra Religionem veniale. Nempe si mutatio ratione leuitatis materiæ non afferat grauem irreuerentiam, aut indecentiam : vt si ex cæremoniis baptismi scienter omittat Parochus vnam aut alteram ; & Sacerdos in Missa partem aliquam exiguam Canonis, vt octo, vel decem nomina Sanctorum : cur enim hæc non sit materia leuis ? Ita ille.

2. Sed hæc opinio, pace viri docti, videtur mihi aliquantulum laxa ; non enim in Canone reputanda est materia leuis talis omissio ; sed potius grauis, & ideò Pater Suarez *in 3. part. Diui Thomæ, tom.* 3. *disp.* 83. *sect.* 3. explicauit materiam leuem in omissione vnius nominis, vel alterius alicuius Sancti ; vndè ex illo sic asserit Iacobus Granado *in 3. p. contro. 6. tract.* 14. *disput.* 14. *num.* 3. si pars notabilis earum, quæ in Missa semper dicuntur, v. g. Euangelium, Epistola, Offertorium, scienter omittatur, erit peccatum mortale, vt rectè Henriquez *lib.* 9. *cap.* 30. §. 3. & Suarez proximè relatus, qui bene addit, quando pars, quæ omittitur, non esset necessaria ad ordinariam Missæ integritatem, quia solet non dici, vt Symbolum, vel Gloria, vel tres orationes, facilius posse à culpa mortali excusari eius omissionem. Similiter bene docet, non esse mortale omittere minimam partem Canonis, v. g. vnum, aut alterum nomen alicuius Sancti. Ita ille. Cui adde, & me citato, Leandrum *de Sacrament. tom.* 2. *tr.* 8. *disp.* 7. *quæst.* 61. & me citato Dicastillum, *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 13. *n.* 257. Et ideò apponam hic verba Patris Tamburini, *opusc. de Sacram. Missæ, lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *n.* 4. vbi sic ait : Omittere vnum Verbum in Canone, esse mortale, aliqui affirmant : Sed certè licet minor omissio sufficiat ad constituendum mortale in Canone propter eius reuerentiam, quam in aliis Missæ partibus, tamen omittere vnum, aut alterum verbum, non excedere lineam leuitatis, merito communiter censent Doctores. Ita ille.

Sup. in annot. vlt. huius Ref.

Sup his Epistola, Euangelium, &c. in Ref. præterita, & in alio §. eius not. primæ pro hac quæst.

Sup. hoc *Symbolo*, & *Gloria*, &c. supra in Ref. 191. & in aliis eius not. pro hac quæstione, & prosequentibus à vers. Similiter huius textus in Ref. not. primæ huius Ref.

3. Itaque ego puto contra Bernal, quod relinquere octo nomina Sanctorum in Canone Missæ sit peccatum mortale ; non auderem tamen de hoc damnare, si aliquis tria tantum nomina relinqueret ex auctoritate P. Garziæ *in Summa Theol. mor. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 6. *punct.* 2. *n.* 20. vbi sic ait : [La commun opinion y cierta es que dexar dos, ni tres palabras (ego adderem & quartam) en el Canone no es materia sufficiente para pecado mortal.] Ita ille.

Sup. hoc & seq. in hoc §. in Resolutionibus not. primæ huius Ref. & lege Ref. hanc sequentem, &c.

RESOL. CXCIII.

An Sacerdos, qui ex intentione non nominat aliquem Sanctum eorum, qui in Canone Missæ ponuntur, peccet mortaliter ? Ex p. 2. tract. 14. Ref. 49.

Sup. hoc cũ eodem Nugno supra in Ref. 186. §. 1. in fine, & in Ref. 192. §. Sed in principio, ad lin. 6. & in fine dictæ Ref. sed lege eam per totam, & vers. eius primæ not. & infra in Resol. 223. cursim in §. vlt. & supra in Ref. 187. §. 2.

§. 1. PEccare mortaliter putauit Didacus Nugnus *in 3. p. tom.* 1. *q.* 83. *art.* 4. *dub.* 2. *concl.* 2.

2. Sed quia in hac materia datur etiam paruitas materiæ ego puto, Sacerdotem hoc facientem, culpæ lethali minimè esse reum. Colligitur hoc ex Homobono de Bonis *in exam. Eccles. p.* 1. *tract* 4. *c.* 16. *q.* 152. & absolutè tenet hanc sententiam Filliucius *tom.* 1. *tr.* 5. *cap.* 5. *n.* 155.

RESOL. CXCIV.

An Sacerdos Regularis peccet mortaliter, si in canone Missæ pro nomine Episcopi ponat nomen Generalis suæ Religionis ?

Et an in Collectis Missæ nullus Sacerdos possit aliquid addere sub pœna peccati mortalis, præter Orationem solitam pro Rege, & eius prole, & exercitu? Ex p.2. tract.34. Resol.40.

§.1. REspondeo affirmatiuè ex declaratione Cardinalium, quæ sic asserit: Cùm Cæsar Episcopus Nouariensis in Hispaniis Nuntius Apostolicus esset, fuit coram eo dubitatum, an Religiosi peccarent mortaliter in Canone Missæ, dicendo commemorationem pro Episcopo loci, in cuius locum ponebant Superiorem Ordinis; consulta ab ipso Nuntio sancta Sede Apostolica respondit eos mortaliter peccare, cùm sit ad vnguem Missale obseruandum, nec in Collectis Missæ posse aliquid addi sub eadem pœna præter Orationem solitam pro Rege, & eius prole, & exercitu.

Sup. hoc supra lege doctrinam Resol. 185. & §. eius primæ annot. & etiam secundæ.

2. Hanc declarationem inuenies apud Rodriguez *in sum. tom. 4. cap. 51. n. 13.* vbi tamen addit, [que no cõdenaria à pecado mortal, lo que no teniendo noticia desta declaracion, ni sabiendo ser authentica añadir algo en la collecta.] Post hæc scripta, inueni hanc declarationem Cardinalium adducere etiam Villalob. *in summ. p. 1. tract. 8. diffic. 31. n. 3.* Portel. *in dub. Regul. ver. Missa, n. 14.*

RESOL. CXCV.

Aliqua curiosa circa Ritus in ordine ad celebrationem Missæ obseruantur.

Primò, an Sacerdos dum lauat manus debeat recitare totum Psalmum cum Gloria Patri in cornu Epistolæ?

Secundo notatur, quod Generalis, & Prouincialis Regularium, dum Missam cantant, possint sedere ad partem Euangelij, sicut facit Episcopus, præcisè loquendo de sessione: quia Prælati, Abbates, Regulares in eodem loco sedent, cæteri verò celebrantes sedere debent ad cornu Epistolæ.

Tertiò obiter aduertitur Sacerdotem sine stola, & cotta transferendo Pyxidem, in qua custoditur Eucharistiæ Sacramentum ad aliud Altare, non peccare mortaliter, sed solùm venialiter, etiamsi hoc faciat coram aliquibus videntibus.

Ex quo infertur, quod laïcus etiamsi in peccato mortali existens, hoc Sacramentum tangens, vel in casu necessitatis deferens illud ad infirmum, non peccat mortaliter.

Quarto etiam obiter quæritur, quis sit modus communicandi, & pro modo, & in exemplum adducuntur aliqui casus.

Tandem interrogatur, an Orationes septem Psalmorum Pœnitentialium à Sacerdote in fine Litaniarum dicendæ sint genu flexo, an stante?

Idem est, quando in choro recitantur Litaniæ in diebus Rogationum, quod à stantibus recitandæ sunt Orationes. Ex p.10. tr.13. & Misc.3. Res.34.

§.1. DIfficultas est, an Sacerdos, dum lauat manus debeat recitare totum Psalmum cum Gloria Patri in cornu Epistolæ. Gauantus putat versum Gloria Patri dici posse cùm reditur in medio Altaris, & caput inclinatur; sed hoc non placet Patri Bordono *in consil. Regul. tom. 2. resol. 64. n. 9.* quia si ad *Gloria Patri*, inclinatur caput, sine dubio persistere debet vsque ad illius finem in cornu Epistolæ, & post redire ad medium Altaris; aliter actum inclinationis capitis præstare non potest, quia capitis humiliatio fit sine motu locali personæ. Confirmatur, quia *Gloria Patri* est pars Psalmi: ergo in cornu Epistolæ dicendus sicut dicitur Psalmus; totius enim, & partis idem ius est, *leg. quæ de tota 75. ff. de rei vendic. cap. Pastoralis 28. §. Item cùm totum, ff. de off. deleg.* Hæc P. Bordonus, cui ego adhæreo, stante auctoritate viri magni Petri Ruiz *in ordine celebrandi Missas, p. 3. §. 6.* vbi sic ait: Tum iunctis ante pectus manibus facta ibi inclinatione accedit ad cornu Epistolæ, vbi stans ministro aquam fundente lauat manus, id est extremitates digitorum pollicis, & indicis ambarum manuum, dicens totum Psalmum, cum *Gloria Patri, Lauabo inter innocentes manus meas, &c.* quo finito Celebrans lotis manibus eas tergit, & illis ante pectus iunctis reuertitur ante medium Altaris, vbi stans, &c. Ita ille; qui, vt vides, vult vt totum Psalmum *Lauabo*, cum *Gloria*, recitent in cornu Epistolæ.

2. Notat idem Bordonus, *n. 17.* quod Generales, & Prouincialis, dum Missam cantant, possunt sedere ad partem Euangelij, sicut facit Episcopus, loquendo præcisè de sessione, ratione loci: quia honorandi sunt, cùm non solum comparentur cum Episcopis, sed etiam cum Patriarchis, & Primatibus, Rodrig. *tom. 1. q. 12. art. 5.* & quia Principes sunt in suis Religionibus, ex eodem Rodrig. *q. 68. art. 3. Compend. resol. 90. n. 33.* & quia Prælati Abbates Regulares in eodem loco sedent, *Caremon. Canon. Regul. S. Salnat. 1. 17.* Deinde Gauantus *p. 1. tit. 17. n. 6.* dicit Celebrantem ideò sedere ad latus Epistolæ, vt cedatur locus Euangelij Episcopo sedenti, si adsit; Sed Episcopi non solent sedere in Ecclesiis Regularibus: ergo talis locus est proprius Generalis, & Prouincialis.

3. Notat etiam *n. 20.* Sacerdotem sine Cotta, & Stola transferendo Pixidem in qua custoditur Eucharistiæ Sacramentum ad aliud Altare, non peccare mortaliter, sed solùm venialiter, etiamsi hoc faciat coram aliquibus videntibus; quia non conficit per hoc Sacramentũ, neque ad id munus deferendi præcisè requiritur deputatio; ex quo laïcus etiam in peccato mortali existens illud tangens, vel etiam in casu necessitatis deferens ad infirmum non peccat mortaliter ex Paludano *in 4. dist. 5. q. 2. concl. 3.* & ex ipso Suarez *in p. 3. tom. 3. disp. 72. sect. 4.* ergo à fortiori Sacerdos illud præcisè deferens in Tabernaculo, neque proinde tangens immediatè, non peccat mortaliter. Confirmatur in sententia eorum, qui asserunt Ministrantem illud in peccato mortali, non peccare mortaliter, ergo à fortiori neque qui illud tangit mediatè. Quæ rationes licet probent formaliter in ordine ad tactum, nihilominus coadiuuant etiam in ordine præcisè ad decentiam Sacrorum indumentorum, quorum omissio in eo casu non infert tantam irreuerentiam, quantam inducit peccatum mortale in Ministro, vel alio tangente Sacratissimum Christi Corpus. Ita Bordonus.

4. Quæro hic, quid sit modus communicandi? Posseuinus *de offic. Curati cap. 8. n. 5.* sic ait: Communio non benè datur cum sola Pyxide, quia semper fragmenta cadunt, quæ si non excipiantur à Patena retenta inter indicem, & medium digitum sinistræ manus, cadunt insensibiliter in terram, etiamsi particulas diligenter à minutissimis fragmentis purgaueris ante Consecrationem. Applica Patenam, & experientia veritatem docebit: saltem in magnis communionibus. Sed hoc est contra consuetudinem, & contra Rubricam Missalis, *tit. 10. num. 6.* vbi habentur hæc verba: *Manu sinistra Pyxidem seu Patenam cum Sacramento.* Ergo stat in potestate Sacerdotis vti Pyxide, vel Patena. Quod patet ex illa particula, *Seu*, nam propria vis huius dictionis est, vt distinctim, seu alternatiuè accipiatur, vt patet *ex l. 1. §. sublata, ff. ad Trebell. leg. si quis ita legauerit. ff. de aure, & argento legato, leg. generali*, & docet Menochius *cons. 738. num. 1. & 8.* Alexander *cons. 79. num. 5. vol. 5.* Natta

Natta *conſ.650.num.6.* Geminianus, *conſ.28.n.11.* & alij, quos citat Cenedus, *ſingul.15.n.1.* Addit Poſſeuinus, ſupra, quod tutum non eſt Pyxidem eſſe valdè repletam propter periculum, ne particulæ in eis tractandis cadant: Addit etiam, quod nec etiam ſecurũ eſt communicare particulis poſitis ſuper Patenam, quia poteſt fieri, vt illas tantùm appropinques communicando, vt communicandus ſola reſpiratione poſſit particulas è Patena deijcere. Sed abſolutè, ex P. Trimarcho, non placet Franciſco Nigro *in ordin. celebr. Miſſam, part.7.Regul.7.n.7.* Siquidem Patenæ vſus inter communicandum conceditur ab Eccleſia, vt patet ex citata Rubrica: Placet verò Trimarchi, ſi ſermo ſit in aliquo caſu, id eſt, ſi Sacerdos ponat plures & plures particulas, ſiquidem propter multitudinem particularum periculum eſt, quod reſpiratione perſonæ communicandæ, particulæ è patena deijci poſſint: addit, & bene Poſſeuinus, bonum non eſſe, quod celebrans, dum communicat particulas digitis teneat in maiori parte illius, quia cùm celebrans communicabit, oportebit tangere os perſonæ communicandæ, & conſequenter celebrans vix euadet, quin digitos madefaciat; ex quo deinde non paruum incommodum ſentiet, cæteræ particulæ hærendo digitis, & ægrè ſe euellentes, vnde ſi teneatur in minori parte illius tota Sacramenti adminiſtratio euadet munda. Addit etiam, & bene, quod celebrans cauere debeat inter communicandum, ne porrecta particula digitos tergat dentibus, vel ori communicatæ perſonæ; nam ſcrupulus eſt, indecentia, & in mulieribus communicandis aliquid mali habere videtur. Hæc omnia Nigrus, vbi ſupra, quæ adnotare volui, quia quotidiana.

5. Sed ſi aliquis curioſus hic quærat, an Orationes ſeptem Pſalmorum Pœnitentialium à Sacerdote in fine Litaniarum dicendæ ſint genu flexo, an ſtante? Idem & quando in Choro recitantur Litaniæ in diebus Rogationum. Stantes eſſe recitandas, docet noſter Caſtaldus *in ſuo Caremon. edition. ſub anno 1613. lib.2. cap.18. num.30.* & Gauantus *ad finem Breuiarij, ſect.10. cap.1.* Sed negatiuam ſententiam tenet Bordonus *in Conſil. Regul. tom.2. reſol.64. num.3.* Tum quia initium, & medium recitatum fuit ab omnibus genuflexis, ergo & reliquum, cùm finis, & mediorum ſit eadem ratio, *leg. Oratio, ff. de ſponſ.* Conſtat autem de genuflexione principij, & mediorum, ergo ex illorum qualitate infertur conditio finis. Tum quia ſtare denotat Reſurrectionem Chriſti, quem Sacerdos repræſentare non poteſt in recitatione Pſalmorum Pœnitentialium, cùm ſimul oret cum aliis pro remiſſione peccatorum, tam propriorum, quàm aliorum cum ipſo in Choro pſallentium. Nec obſtat, quod in aliis Officiis Hebdomadarius ſtet, ex *Rubrica 34. num.4.* quia eſt pro Officio ordinario; quia in illis deſignat Chriſtum ſtantem in ſua Reſurrectione: in his autem quæritur à peccatis reſurrectio: ergo genuflexione, quæ pœnitentiam indicat quærenda. Ita Bordonus.

6. Sed ego non recedo ab opinione Patris Caſtaldi, & Gauanti, & ita in praxi obſeruatur non ſolùm in noſtra Religione, ſed etiam communiter. Et ad argumentum Patris Bordoni obſtat Rubrica Breuiarij, *tit.24.§.4.* vbi ſic habetur. In Feriis aduentus, Quadrageſimæ, & quatuor Temporum dicuntur preces feriales, etiam ad Veſperas, ſi non ſequatur feſtum: ad Completorium dicuntur conſueræ de Dominica, ſed flexis genibus. Dicuntur autem preces flexis genibus ab Hebdomadario vſque ad verſum *Dominus vobiſcum.* Ita ibi. Ex quibus verbis apparet non eſſe admittendum id quod docet Pater Bordonus, quod quando initium & medium recitatum fuit flexis genibus, ergo & reliquum: nam hoc eſſe falſum patet ex dicta Rubrica.

RESOL. CXCVI.

Duo caſus curioſi circa materiam Euchariſtiæ.

Primus, an ſuccus elicitus ex vuis paſſis ſit in Sacramento Euchariſtiæ materia conſecrabilis, in quo fama eſt conſecrare Ægyptios?

Secundus, an Hoſtiæ rubeæ, quibus literæ aliquando obſignantur, ſint materia Sacramenti Euchariſtiæ?

Et an panis ex lacte, vel aquæ artificiali roſacea, oleo, butyro, ouis, ſaccharo, vel aliquo alio liquore prædominante ſufficiat ad conſecrationem?

Et curſim docetur vinum nimis decoctum non eſſe materiam conſecrabilem. Ex part.7. tr.12. & Miſc.31 Reſol.8. aliàs 6.

§.1. QVæro primò, an ſuccus elicitus ex vuis paſſis, ſit in Sacramento Euchariſtiæ materia conſecrabilis. Hunc caſum apud neminem inuenio, niſi nouiſſimè apud Franciſcum de Amico *in curſu Theolog. tom.7. diſp.16. ſect.3. n.34.* vbi affirmatiuè reſpondet, ſic enim ait: Deducitur quintò, poſſe conſecrari in ſucco expreſſo ex vuis paſſis, in quo fama eſt conſecrare Ægyptios: quia talis ſuccus eſt vinũ, eoque perfectius, quo abſque aqueo humore perpurgatius. Nec obſtat, quod vuæ ex quibus exprimitur, ſint paſſæ: nam hoc non variat ſuccum intra folliculos contentum: ſecus ſi ob nimiam ſiccitatem opus eſſet ad exprimendum humorem, nimia copia aquæ, quia tunc amitteret rationem communis & vſualis vini. Ita Amicus. Sed aliquis poſſet dicere quod vua paſſa ratione ſiccitatis nimis conſolidatur, & ideò eius ſuccus nimis incraſſatus, & denſus videtur habere magis rationem cibi quàm potus; vnde Bonacina *de ſacram. diſp.4.q.2.punct.2.n.3.* docet, vinum nimis decoctum non eſſe materiam conſecrabilem, quia mutat ſpeciem, nec eſt propriè vinum. Verùm ego audiui à viris fide dignis, quod ex vuis paſſis optimum elicitur vinum, licet apponantur vuæ paſſæ intra aquam, niſi eſſet aqua in maxima quantitate, & tunc quantitatem aquæ non obſtare dicendũ erit, ſi ſuccus elicitus inebriaret, nam tunc vinum eſſet, & nihil quantitas aquæ appoſita officeret.

Sup hoc inf. in Reſ. 200. §. vlt.

Sup. hoc vino decocto curſim, & recitatiuè in Reſ. ſequent. Quoad ſecũdum. in fine.

2. Quæro ſecundò, an hoſtiæ rubeæ, quibus literæ aliquando obſignantur, ſint materia Sacramenti Euchariſtiæ. Hunc etiam caſum apud neminem inueni, ſolùm ad ipſum negatiuè reſpondet Eminentiſſimus Dominus meus Cardinalis de Lugo, qui ſic aſſerit *de Sacram. Euchar. diſp.4 ſect.1.n.4.* Sequitur panem debere eſſe ex farina triticea, & aqua naturali coagmentatum; alioquin ſi fiat ex aqua roſacea, lacte, oleo, vel alio liquore prædominante, non ſufficiet, quia non eſt panis vſualis, & multò minùs, ſi miſceatur butyro, ouis, ſaccharo, & ſimilibus. Hæc eſt partim contra Caietanum, quem ſequuntur aliqui recentiores dicentes panem ex lacte, vel aqua artificiali eſſe veram materiam: quia aqua ſolùm requiritur ad vniendas partes farinæ. Cæterum mihi videtur ad minus illa eſſe materia valde dubia. Vnde etiam infertur, quid dicendum ſit ad dubium nuper exortum de quodam Sacerdote, qui ad occultandum finem ſacrilegum, voluit conſecrare hoſtiam quamdam ex illis, quibus ſolemus litteras ſigillare, admixtam ſcilicet cum cinnabrio, vt fieri ſolet; quæ quidem ad minus eſt materia dubia, & meo iudicio inualida, quia per illam mixtionem alteratur notabiliter, & extrahitur à pane vſuali. Ita ille.

Sup hac aqua roſacea in Reſ. ſeq. in principio, à lin.5. & infra in Reſol. 207. à §. Quæro ſecundo.

3. Sed color rubeus, quia eſt res accidentalis, videtur

tur non officere, non enim mutat substantiam tritici. Difficultas igitur consistit in casu de quo loquimur, an cinnabrium mixtum in dictis hostiis obstet, ne illæ possint esse materia Sacramenti. Et quidem per ea quæ adducit D. Thom. *in 3 p. q. 74. art. 3. ad 3.* & ibi Ioan. Præpositus *n. 24.* si cinnabrium apponatur in notabili quantitate, non essent materia consecrationis; secus autem si parum apponeretur, nam in isto casu non irritaretur consecratio, quamuis esset illicitum cum talibus hostiis consecrare. Et ita hanc sententiam probabilem esse tenet acutissimus, & sapientissimus P. Antonius Perez Societatis Iesv, de hac re à me consultus.

4. Sed his non obstantibus non recedo à sententia Eminentiss. Domini mei; nam vt verum fatear, tales hostiæ non videntur, nec sunt panis vsualis, & ad hanc rem moralem, vt optimè obseruat Raphaël Auersa *de sacr. Euchar. q. 2. sect. 3.* potius attendi debet conditio materiæ vsualis ad cibum hominum, quàm ratio physica specificæ quidditatis. Ergo.

RESOL. CXCVII.

An massa panis coagmentata cum aqua maris validè consecretur?

Et quid de iusculo, quod vulgo dicitur Pan cotto?

Et quid dicendum, si farina triticea coagmentetur, & subigatur aqua rosacea?

Idem est de qualibet alia aqua ex floribus, aut herbis distillata.

Et quid, si parua quantitas admisceatur aquæ naturali?

Et an mica panis madefacta, & digitis compressa, & facta quasi massa cruda, sit materia consecrabilis?

Et cursim aduertitur, quod mustum est materia consecrabilis, si tamen coquatur, non erit postea materia sufficiens consecrationis sanguinis.

Et infertur, quod Baptismus collatus cum aqua maris est validus. Ex part. 9. tract. 9. & Misc. 4. Resol. 59. aliàs 58.

§. 1. HOs casus non inuenies apud plures pertractatos; & quoad primum negatiuè respondet Fagundez *de prac. Eccles. præc. 3 lib. 2. cap. 1. n. 14.* vbi sic ait: Idem dicendum est, si farina triticea coagmentetur, & subigatur aqua rosacea: nam si tota aqua, aut maior pars illius (& idem de qualibet aqua ex floribus, aut herbis stillata) sit rosacea, ex tali panis materia non fiet Sacramentum: si verò parua quantitas admisceatur naturali aquæ, non mutabit substantiam materiæ, quia probabilissimum est, conuerti ab alia parte maiori aquæ naturalis, præsertim adiuncta coctione, in qua odoriferæ aquæ vtplurimum exhalantur; & sic non impediet, quominus ex illo pane fiat Sacramentum, cùm sit, & maneat vsualis; illicitè tamen fiet, & contra vsum communem consecrandi, ac conficiendi. Et ratio, ac fundamentum est; quia panis communis, & vsualis, sicut non fit, nisi ex tritico; ita non fit etiam nisi ex aqua naturali, & vsuali, & vtraque res est necessaria æqualiter, vt huiusmodi panis coalescat: ac proinde sicut panis ex alia farina non potest esse materia huius Sacramenti, ita nec etiam ex alia aqua nisi naturali. Oppositam tamen sententiam, scilicet esse validum sacramentum in pane confectum ex aqua rosacea, licet grauissimè peccarer, qui hoc tentaret efficere, tenet Caietanus *in 3 p. q. 75. art. 7.* & ante ipsum tenuit Alexander Alensis *4 p. q. 32. membro 5. art. 1.* quibus consentit Sà *verb. Missa, num. 4.* Probant, quia panis confectus ex aqua rosacea est essentialiter, & verè panis, solumque ab alio differt in odore, & meliùs reficit hominem, quàm si esset ex aqua naturali confectus. Deinde quia aqua non est pars essentialis panis, sed materia transiens, & concurrens ad panem, in fieri, non autem in facto esse: est enim panis tertium quid resultans ex admixtione aquæ, & farinæ, per decoctionem pastæ: & cum dicimus panem, qua panis est, habere formam substantialem, non debemus concipere panem tanquam compositum quoddam ex duobus entibus naturalibus; sed ex materia aquæ, & ex materia farinæ, expulsis suis formis substantialibus, integrari vnam materiam totalem, in quam actione ignis introducitur forma substantialis panis: & quamuis ignis multum exhalet de materia aquæ, non videtur tamen negandum, semper aliquid de materia illa remanere in pane. Denique quia, si aqua maris, & fluuij, differrent specie, panis ex altera illarũ confectus esset aptus ad consecrationem; ergo, & si aqua rosacea differat specie ab aqua naturali, poterit ex ea confici verus panis. Cæterum hæ rationes non sunt adeò firmæ, vt hanc sententiam veram efficiant: licet enim panis confectus ex aqua rosacea sit essentialiter, & verè panis; tamen non est panis vsualis, qui in alimentum communiter assumatur, vt patet, & ex hoc solo principio, & fundamento non est vera materia huius Sacramenti: sicut ob eandem causam non etiam materia illius, panis aqua maris confectus, ac subactus. Hucvsque Fagundez.

Sup. hac aqua rosacea in Res. præterita, §. Quæro secundo. & latè infra in Res. 107. §. Quæro secundo.

2. Sed hæc opinio non caret difficultate: & ideò contra ipsum sic argumentor. D. Thomas *3 p. q. 74. art. 7. ad tertium*, dixit: Si farina admisceatur aqua, non posset ex eo confici Sacramentum, quia non esset verus panis. Ita ille: Sed aqua maris, vt idem asserit *quæst. 66. art. 4. ad primum*, est vera aqua, & ideò Baptismus collatus cum aqua maris est validus; ergo panis confectus cum aqua maris esset verus panis, & ideò materia consecrabilis. Videtur itaque dicendum contra Fagundez, quod sufficit vt panis dicatur vsualis, si sit confectus cum aqua naturali, siue maris, siue fluminis, siue putei, siue fontis: nam licet istæ aquæ differrent specie, sunt tamen omnes aquæ naturales; secus verò dicendum est de aqua rosacea, nam non est aqua naturalis. Hoc dubium ego explorare volui, quia accepi à fide dignis, in Calabria pauperis, quia non habent pecuniam ad soluendum gabellam salis, efficere panem cum aqua maris.

3. Quoad secundum respondeo: Iusculum panis cocti, non esse materiam consecrabilem. Primò, quia licet olim fuerit panis assatus, nunc tamen est panis elixus, in quo fieri non potest consecratio, vnde quis inualidè consecraret in his, quæ Italicè dicuntur *Vermicelli*, *Tagliarini*, *Maccheroni*. Secundò, & meliùs, quia agente igne, & aqua, panis ille effectus est quoddam mixtum artificiale, & quid diuersum à pane vsuali: vnde non dicitur simpliciter panis, ita vt multi asserant non posse sumi in collatione serotina ieiunij, nec vorum ieiunandi in pane, & aqua, adimpleri, si sumeretur iusculum panis cocti. Tertiò, mustum est materia consecrabilis, si tamen coquatur, non erit postea materia sufficiens consecrationis sanguinis: ergo, &c. Sup. hic §. 1. Respondetur ita & probatur.

4. Nec obstat dicere, quod mica panis madefacta, & digitis compressa, & facta quasi massa cruda, sit materia consecrabilis, vt tradit Cardinalis Lugo *de Sacram. Eucharist. disput. 4. num. 5.* Hurtadus *disput. 1. difficult. 3.* Ochagauia *tractat. 1. quæst. 5. num. 15.* & alij; quia per talem mutationem nullo modo amisit coctionem, aut esse panis. Ergo, &c. Non inquam hoc obstat. Primò, quia multi negant talem materiam esse consecrabilem. Ita Trullench. de

de Sacrament.lib.2.cap.1.dub.1. num.8. & Fagundez *in præcept.3.Eccles.lib.2.c.1.n.12.* docet, quod tanta potest esse compressio, vt panis vsualis non sit, nec materia consecrabilis; imò, & vt speciem panis mutet iterum in massam. Respondeo secundò, esse disparem rationem inter vtrumque casum: nam mica panis madefacta calore tantùm digitorum difficile potest in massam crudam transmutari: sed in nostro casu, ex potentia, & vi ignis agentis, panis ille verè efficitur quoddam mistum artificiale, diuersum quid à pane vsuali, vnde vulgò vocatur, *Minestra*: ergo non erit amplius materia consecrationis corporis. Si tamen omnia supradicta viris doctis non placebunt, eis libenter adhæream, & sufficiet mihi illis materiam speculandi præbuisse.

RESOL. CXCVIII.

An panis ex Amylo, seu Amydo sit materia apta Sacramenti Eucharistiæ?

Et adducitur modus faciendi Hostias in Sardinia. Ex part.10.tr.16. & Misc.6.Res.39. aliàs 38.

§.1. PRima sententia affirmat, ita Paludanus *in 4. disp.11.dist.1.art.4.concl.5.* quia id fit ex substantia, & medulla tritici, Henriquez etiam *lib.8.c.9.* putat amylum esse aptum, si ex illo tosto, & in farinam redacto nouus conficiatur panis; pro qua sententia citat Caietanum, & Sotum; quod Adamo Tannero *disp.5. de Eucharist.2. dub.3.* non videtur improbabile; Quod idem putat Palaus, *tom.4.tr.21. punct.4.* qui suam sententiam vocat tantum probabiliorem.

2. Secunda sententia negat, ita tenent Doctores, quos citat, & sequitur Leandrus *de Sacrament. tom.2.tract.7.disp.8.q.9.* quibus ego addo Palaum *vbi suprà*, Martinum de San Ioseph *in Mon.Confess.tom.1. lib.1.tract.2. de Eucharist.num.1.* Dicastillum *de Sacrament.tom.1.tract.... disput.2. dub.2.n.25.* qui cum aliis putat, hoc esse verum, etiam si admittamus, non differre specie physica à pane. Ratio vero est, quia non censetur panis communis, & vsualis, nec simpliciter panis; & sane cum ex tritico madefacto exprimatur aqua non modica, corruptio videtur inde resultare; cuius indicium est teterrimus odor aquæ, qua madefit, & ipsius etiam tritici. Hæc autem corruptio videtur alterius rationis, quam ea, quæ fit cum conteritur inter molas molendini, quæ contritio per se requiritur ad panem; & sane corruptio illa, quæ fit amylo, non tendit ad panem, quæ fit in molendino; facta autem ea corruptione, (proinde atque cum fit ex vino acetum,) non manet simpliciter forma, nec panis simpliciter, & ideò neque idonea materia consecrationis. Cuius etiam corruptionis signum est non leue, quod panis confectus ex amylo diuersæ virtutis est, quam si fieret ex ipso tritico mola contrito. Adde, quod non sufficeret esse eiusdem speciei cum pane vsuali, nisi sit simpliciter panis, qualè diximus non esse confectum ex amylo.

3. Tertia opinio distinguit, quam nouissimè tuetur Augustinus Bernal. *de Sacrament. disputat.27. sect.2.num.17.* Vel enim amylum est perfectum, & absolutè amylon, & ex hoc non videtur posse fieri materia consecrabilis, quia non videtur posse fieri verus, & vsualis panis, Nam ad perfectum conficiendum amylum ponitur triticum in aqua per plures dies, & tunc plane videtur substantialiter corrumpi: tum quia continua illa madefactio, & humefactio valde contraria est siccitati granis inclusæ, eamque penitus destruit, tum deinde quia triticum ipsum acescit, & pessimum odorem emittit, tum demùm quia massa ex amylo confecta valde insipida est & minimè panem sapit, aut redolet. Quæ omnia simul sumpta indicant tantam corruptionem quantam subit vinum, dum in acetum abiit.

4. Vel amylum est imperfectum solum modo, & inchoatum, ita scilicet vt ex tritico per aliquod breue tempus madefacto, & emollito, & minimè fœtido, vel acido exprimatur lacteus humor, & ex illo amylum. Ex hoc enim amylo naturali aqua subiecto, & ad calorem ignis allato fiet panis consecrationi aptus. Nam & retinebit substantiam, & modum essentialem panis triticei, & vsualis, etsi supra communem delicatioris, & pretiosioris. Hæc enim circumstantia non officit, sed potius in Sacramenti reuerentiam cedit. Sicut non desinit Rex, aut Princeps alius panem triticeum comedere, propterea quod *ex arictæ* flore, qui pollen dici solet subtilissimè, & artificiosissimè collecto panis ei conficiatur. Addo cum eisdem, materiam istam, non solum posse esse validam, sed etiam licitam, vbi eius vsus existat. Similem enim alium in Sardinia vigere viri graues, & fide digni referunt, nempe conficiendi hostias ex massa confecta & humore lacteo ex simila madefacta expresso, post exsiccationem aqua naturali in massam redacto, & iuxta communem hostias faciendi modum ad ignis calorem cocto. Hucusque Bernal. Sed ego non recedo à sententia negatiua superius posita, & certum puto ex omnium sententia esse peccatum mortale in pane ex amylo confecto Eucharistiam consecrare; nam saltem est materia dubia, sicut ex hac ratione esset peccatum grauissimum consecrare in Tipha, seu secala, quia valde dubium est Tipham esse veram speciem tritici; alij negant, alij affirmant, & sic de similibus.

RESOL. CXCIX.

An ossa panis sit materia vtriusque, vel alterius consecrationis?

Et pro firmanda doctrina huius quæstionis quæ tota est subtilis, curiosa & docta, aliqua alia obijciuntur, v.g. quod vinum congelatum potest consecrari, quamuis non sit proximè potabile, nisi prius liquefiat & quod mustum in vuis inclusum non est materia consecrabilis, quia succus inclusus in ipsis acynis nondum ex illis expressus, non est proprie demonstrabilis, &c.

Et notatur particulas oppositas in Tabernaculo non esse consecrabiles.

Et an si Hostiæ in clauso calice contineantur, non sit de consecratione earum dubitandum?

Et quid, si in aliqua arca magna, eaque clausa paucula contineantur Hostiæ, aut catarus vini reseruentur, an valeat super his consecratio? Ex p.9. tr.8. & Misc.3. Res.66. aliàs 65.

§.1. CAsus est curiosus, & inter duos viros Doctissimos agitatus, videlicet, inter Eminentiss. Cardinalem de Lugo, & P. Ioannem Dicastillum. Ratio dubitandi est in primis pro Pane, quia adhuc perseuerat in ratione Panis, & per modum cibi: ergo nihil deficit, vt possit consecrari. Pro vino verò, quia etiamsi sit intra poros, seu foramina panis, adhuc est vinum, & quasi in vasculis, seu receptaculis. Nam si fierent ex metallo, auro, argento, aut alia materia vascula tam parua, sicut sunt pori, & cauitates panis, & diceret verba Sacerdos cum sufficienti intentione, & aliis requisitis ad valorem, non apparet cur negandum sit, consecrationem valere: parum ergo refert, quòd vascula, & receptacula sint ex pane.

2. Verum negatiuam sententiam docet, Eminentissimus Cardinalis, *de Euchar. disp. 4. sect. 1. n. 12.* vbi sic ait: sic consequenter, si vinum esset imbibitum in offa panis, non posse tunc consecrari, licet possit antea consecratum retinere tunc consecrationem: ratio autem discriminis est, quod tempore consecrationis debet designari per Pronomen, *Hic*, dum autem continetur intra micam panis, non bene designaretur: illud enim non solum est vinum, sed etiam panis: at verò semel consecratæ species possunt retinere Christi sanguinem; quia ad hoc non est necesse, quod possint designari per illud Pronomen. Ita Lugo.

3. Sed Dicastillus aduersus illum, de Sacramentis *tom. 1. tract. 4. disp. 2. dub. 5. n. 91. & 92.* sic asserit: Esto Pronomen debeat significare substantiam, cuius sunt illa accidentia, & substantia non solum sit vinum, sed etiam panis, quid tamen si Sacerdos supra materiam panis, & vini coniunctam dicat vtriusque materiæ formam: Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus, dirigendo intentionem priorum verborum ad panis, & posteriorum ad vini materiam? Vnde sumitur etiam argumentum, quia, si de facto ponantur multæ particulæ panis simul; & (si velis) non omnes sint panis triticei, & Sacerdos dicat verba: Hoc est corpus meum, dirigendo intentionem non ad omnes, sed ad aliquas; etsi omnes habeat simul & permixtas coram se, tunc nemo negabit consecrare illas, ad quas dirigit; & non obstabit, quòd sint loco coniunctæ particulæ, ad quas non direxit intentionem, vel quæ non sunt panis triticei, etiamsi Pronomen, *Hoc*, ex se aptum esset ad significandas omnes particulas; sufficit enim, quòd dirigatur, & restringatur per intentionem proferentis ad capacē, & intentam materiam. Pari ergo ratione etiāsi panis, & vinum in offa sint loco coniuncta, & quasi penetrata poterit Sacerdos, dicens: *Hoc est corpus*, dirigere ad panem, & dicens: *Hic est sanguis, &c.* dirigere ad vinum. Eodem modo possemus dicere de grano vuæ; nisi enim obstaret quòd supra diximus, esse scilicet, ibi mustum per modum cibi (adeò vt frangeret Ieiunium, & censeretur manducare, qui vuas eo modo comederet) etiamsi aliæ partes vuæ, quæ non sunt ille succus, sint simul cum musto, sufficeret, quòd intentio Sacerdotis dirigatur ad mustū, vt Pronomen, *Hic* significaret mustum; imò licet ad omnia ibi contenta dirigeret intentionem, & vellet significare per illud Pronomen, non obstaret, quominus saltem materia capax consecraretur; sicut consecrarentur particulæ triticeæ, quæ sunt simul cum non triticeis, etiamsi Sacerdos vellet omnes consecrare; tunc enim verba, quæ sunt sufficientia consecrare materiam capacem, non impedirentur ab effectu in tali materia propter simultatem localem materiæ incapacis (vt aiunt Iuristæ, loquentes de Contractibus, Conuentibus, Dispositionibus, & similibus) vsle per inutile non vitiatur.

4. Propter hæc, & alia quæ omitto, existimo satis probabile quòd vtraque materia possit consecrari validè, quamuis illicitè, dummodò vtraque maneat sensibilis; Quia, si tam parua esset guttula vini, vt intra panem confunderetur, defectu sensibilitatis desineret esse consecrabilis. Sicut particula vini ingenti copia aquæ infusa; etiamsi physicè nondum sit in aquam conuersa, non est consecrabilis, consecrabilis alioquin si maneat adhuc sensibilis, vt si vel congelaciata, vel ita crassa sit, vt post infusionem adhuc maneat sensibilis. Negandum ergo est, vinum intra cauitates panis receptum, non manere in ea offa sub ratione potus, & sufficiēter sensibile, vt potetur. Quod si dicimur offam comedere, non verò potare, hoc est propter panem, qui vt crassior & sensibilior materia præualet: in vua verò omnia sunt per modum cibi, vt dixi. Hucusque P. Dicastillus.

5. Sed ego, vt verum fatear, magis adhæreo opinioni Eminentiss. Cardinalis, qui poterat in fauorem suæ sententiæ adducere duos doctissimos viros Molanum Professorem Louaniensem in *Comment. Theol. Pract. tract. 4. cap. 7. concl. 3. n. 33.* & Corneium Carmelitanum Professorem Salmanticensem, qui *in 3. tract. 4. q. 75. art. 5.* hæc asserit: Obiicies: vinum congelatum potest consecrari, quamuis non sit proximè potabile, nisi prius liquefiat: ergo etiam mustum quamuis non sit proximè potabile, nisi mediante expressione. Consequentia videtur euidens, & antecedens probatur, quia species vini consecrati retinent sanguinem Christi post congelationem: vnde si contigerit calicem consecratum congelari, debet liquari, & sumi, vt præcipitur in Missali; ergo etiam poterat à principio consecrari. Respondetur negando consequentiam quòd licet admittamus cum Suarez, & Vasquez, contra Sotum & Valentiam, esse eiusdem speciei, quod tamen ipse Soto negauit; nihilominus expressum est in forma potabili: minimè non expressum, sicut propter eandem rationem non potest consecrari vinum, quo panis madefit, quamuis retineat speciem, & naturam vini, quia solùm non est in forma potabili. Ita Corneio, quem nouissimè secutus est etiam Theologus Complutensis Pater Leandrus *de Sacram. toment. 2. tractat. 7. disput. 8. quæst. 32.*

6. Itaque ex dictis assero, offam in vino non esse consecrabilem quoad species sanguinis; quia illud vinum non potest tempore consecrationis designari per Pronomen, *Hic*. Dices per Pronomen, *Hic*, potest designari vinum in Calice coopertum, vel in aliquo vasculo contentum: ergo poterit per pronomen, *Hic*, etiam designari in nostro casu vinum contentum in offa panis. Respondeo, vinum in Calice cooperto, & in vasculo recluso, contineri ibi per modum potus, & ideo potest designari per Pronomen, *Hic*, sed quando continetur in offa, non continetur per modum potus, sed per modum cibi: ergo non est designabile per pronomen, *Hic*; nam illa offa tunc non solùm est vinum, sed etiam panis. Simi v. g. mustum extra vuam est consecrabile, sed non est consecrabile intra vuam, quia in vua non continetur per modum potus, sed per modum cibi, vt rectè obseruat ipse Pater Dicastillus, & alij communiter. Sic & in nostro casu, vinum illud intra offam non continetur per modum potus, sed per modum cibi, vnde diceretur quis manducare illam offam, non bibere. Ergo vinum in ipsa contentum, non erit materia consecrabilis, sicut mustum in vuis inclusum. Et ita hanc sententiam, post hæc scripta, præter Doctores citatos, inueni etiam docere doctissimum Patrem Amicum *in cursu Theologico, tom. 7. disput. 16. sect. 3. num. 36.* & Patrem Auersam, *tract. de Sacram. Euchar. quæst. 2. sect. 5.* sic asserentem. Non sufficit ad consecrationem ipse vuarum succus inclusus in suis acinis, nondum ex illis expressus; tum quia talis materia non se habet per modum potus, sed potius per modum cibi. Nam vuas propriè manducamus, nec rectè de vua diceretur hic potus, sed rectè dicitur hic cibus: Tum etiam, quia succus inclusus in ipsis acinis, non est propriè demonstrabilis, sicut oportet ad verificanda verba consecrationis per Pronomen demonstratiuum sub quo proferuntur. Quare etiam si physicè loquendo, eiusdem speciei substantialiter sit talis succus in vuis recluſus, atque expressus; tamen in eo statu non est ad consecrationem aptus. Hinc similiter infertur, non videri consecrabile vinum

num imbibitum in buccella panis, aut in spongia; aliove simili corpore poroso. Quamuis, si post consecrationem imbibatur, conseruabitur ibi sanguis Domini, donec vini species siccentur, & simpliciter corrumpantur; quia quoad hoc etiam plus requiritur ad consecrandum, quàm ad conseruandum. Ita Auersa.

7. Nec obstat dicere, quod vinum consecratum adhuc mistum pani conseruat Christi sanguinem: ergo est aptum consecrationi sanguinis. Consequentia probatur; nam eadem dispositio requiritur ad conseruationem sanguinis, quæ requiritur ad consecrationem eiusdem. Nam respondeo negando consequentiam, eiusque probationem. Ratio discriminis, quoniam ad consecrationem requiritur, vt materia sanguinis possit initio consecrationis demonstrari per modum potus, quemadmodum & materia corporis per modum cibi: non est autem hoc necessarium ad conseruandum sanguinem. Cùm igitur nequeat vinum perfusum pani, demonstrari per modum potus, non erit aptum consecrationi, quia ad conseruandum sanguinem sufficit, vt retineat species vini, etiamsi non retineat illas in forma potus.

8. Quæres, cur non est necessarium, vt vinum in consecratione sit in forma potabili, non autem post consecrationem? Respondetur rationem esse, quia in consecratione debet verificari Pronomen, quo sanguis per Pronomen, *Hic* demonstratur per modum spiritualis potus: facta autem semel consecratione, non est ampliùs necessaria talis demonstratio, sed sufficit, si tantum retineat species vini. Et hæc omnia docet Amicus loco citato: vnde satis remanet confirmata opinio Eminentissimi & amantissimi Domini mei Cardinalis de Lugo.

9. Nota hîc obiter, particulas appositas in Tabernaculo non esse consecrabiles: sed nouissimè Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 7. disput. 8. quæst. 63.* contrarium docet, & ait, posse validè consecrari; quia (ait ipse) sufficienter demonstratur contentum per proximum continens: at in hoc casu Sacrarium, seu Tabernaculum est proximum continens: ergo illo demonstrato, demonstratur & contentum. Sed hæc opinio mihi non placet, & non discedo à negatiua quam docui, & quam etiam docet Bassæus *in Theol. Mor. verb. Eucharistia 1. num. 15.* Iesualdus *in Flor. Theol. tom. 1. tr. 8. cap. 6. n. 7.* Castrus Palaus *tom. 4. tract. 21. disp. vnica, punct. 6. n. 5.* Auersa *de Sacram. Euchar. q. 2. sect. 3.* Garcias *in Summa Theol. mor. tract. 3. dis. 9. dub. 1. punct. 6. n. 38.* Et ad argumentum Leandri negandum est cum Palao, particulas in Tabernaculo existere ibi tanquam in continenti, quod sensu percipi possit. Tannerus verò ponit alium casum, *tom. 4. q. 2. dub. 2. n. 66.* ait enim, quod licet si panis, aut vinum suo proprio vase, etiam clauso, contineatur, v. g. Pyxide Eucharistica ille, hoc vero Calice, seu ampulla clausa, valere consecrationem. Nam & pari modo ac sensu de loculis clausis dicimus; *Hæ sunt pecuniæ*; & de poculo clauso; *Hoc est vinum.* Imo verò etiamsi hostiæ clauso Calice contineantur, non videtur de consecratione dubitandum; quia & hic iuxta præsentes circunstantias, & Ecclesiæ vsum, satis designatur contentum sub speciebus panis. At verò si in aliqua Arca magna, eaque clausa, paucula contineantur hostiæ, aut cantharus vini repositus asseruetur; non valebit consecratio, ob contrariam rationem. Eadem ratione, si in aliquo vase proprio vini, puta cantharo, vel ampulla vini clausa, aliqua forte sit hostia reposita, non videtur valere eius consecratio, etiamsi verba conficiendi corporis Christi adhibeantur; quia nec iuxta communem vsum, nec iuxta particulares circumstantias vase illo demonstrato censetur demonstrari, seu contentum sub hostia: sed vel ampulla ipsa, vel vinũ in ea contentum. Hæc Tannerus, quæ secundũ eius mentem dicta esse volo.

Sup. hoc in Resol. 219. quamvis ibi particulæ sunt appositæ in Pixide, & pluvis in Tabernaculo clauso, & significantur sup. hoc in Resl. 220. §. Quin etiam.

Sup. contenus in hoc vers. infra in Resl. 219. §. 1. in medium, & vers. Et sic vinum. & in alio §. vltimo nor.

RESOL. CC.

An consecrare in musto absque necessitate, sit tantum peccatum veniale?

Et an sit necessitas sufficiens celebrandi in musto absque peccato, si non adsit vinum in die Festo, ita vt auditio Missæ omitteretur?

Idem dicendum est pro adimplendo præcepto annuæ communionis, & à fortiori pro dando infirmis Viatico in articulo mortis.

Et asseritur consuetudinem introductam in aliquas Ecclesias consecrandi in musto in certo quodam anni die esse omnino corrigendam, vt hæc consuetudo obseruatur in Lusitania in Ecclesia maiori Brachatæ.

Et docetur succum ex vua non perfectè matura esse consecrabilem, secus autem ex vua acerba.

Item succum ex vuis passis elicitum, esse materiam consecrabilem. Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Resl. 37.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet nouissimè doctus P. Mart. de San Ioseph *ne los Auisos de Confessores, tom. 2. lib. 1. de Eucharist. tr. 2. n. 13.* vbi sic ait: [Yo no allo razon, que haga fuerça à que sea pecado mortal consagrar el mosto; pues es suficiente materia declarada per Derecho; y me parece, que donde ay costumbre serà licito dezir Missa con el, y fuera de necessitad no excederà de pecado venial, procurando euitar la indecentia de que lleue horruras, ò hezes: porque la costumbre que ay de no celebrar con el, no hallo que sea obligatoria à pecado graue, pues no consta se introduxo como obligatoria: y no auiendo se introduzido con actos, y animo de obligarse, no se peca contrauiniendo à ella: Quia actus agentium non operantur vltra fines eorum *cap. Ad audientiam de Decimis, l. Non omnis, ff. si cert. pet. at. leg. In agris, ff. de acquir. rer. Dominio.* Y assi no aprieta esto el Padre Hurtado, *de Eucharist. diffic. 9.* ni Pedro de Ledesma *2. part. de Eucharist. c. 4 concl. 15.* que solamente dize serà pecado consagrar el mosto, no auiendo necessitad, y Henriquez *lib. 8. cap 12. §. 1.* dize solamente, que no es cosa decente celebrar con el.] Hucusque Martinus.

Sup. hoc in Resl. præterita §. Itaque, ante medium. cursim in vers. sicuti v. g. mustum.

2. Sed negatiuæ sententiæ ego adhæreo cùm Suarez, Fagundez, Filliucio, Villalobos, Bonacina, Gauanto, Layman, Machado, & aliis, quos citat, & sequitur Leandrus *de Sacram. tom. 2. tr. 7. disp. 8. q. 33.* Quibus ego addo Castr. Palaum, *tom. 4. tr. 21. punct. 4. n. 7.* vbi sic ait: Liquor vero expressus ex vuis maturis, sed non defœcatus, quique mustum communiter appellatur, materia est consecrationis, quia absolutè est vinum; sed non est decens: Ideoque absque vrgenti causa graue peccatum esset ea vti materia ad consecrationem. Ita ille, qui citat Vasquez, & Coninch. Vide etiam Gesualdum *in Theol. mor. to. 1. tr. 21 c. 2. n. 7.* Dicendum est itaque, Sacerdotem absque necessitate consecrando in musto, peccare mortaliter, non solùm propter prohibitionem Canonis adducti, sed etiam propter consuetudinem Ecclesiæ in re graui, ex rationibus à me alibi adductis, obligantem ad culpam mortalem, & propter irreuerentiam erga tam venerabile Sacramentum, quia, vt optimè obseruat Less. *in 3. p. D. Tho. q. 74. art. 5. n. 24.* mustum plurimas fæces commixtas habet, quæ non sunt consecrabiles.

3. Sed si aliquis quærat, an sit necessitas sufficiens celebrandi in musto absque peccato, si non adsit vinum in die Festo; ita vt auditio Missæ omitteretur?

Et

Et affirmatiuè respondet Baunyus *in Theol. moral. tom.1.tract.5.q.9.dub.2.* cuius verba per extensum apponam, quia etiam deseruient ad confirmationem eorum, quæ superius diximus; sic itaque asserit: An vinum recens, quod mustum communiter appellant, materia sit Calicis in hoc Sacramento? Omnino, quia mustum est verum vinum formaliter, idque potabile, etsi non defœcatum. Ita Iulius Papa de Consecratione, *distinct.2.Canone, Cùm omne crimen.7.* vbi habet racemum exprimi in Calice posse, in eiusque succo Sanguinem posse confici. Secundo, quia etiamnum mos quarundam est Ecclesiarum, certo vt die anni vuæ exprimantur in Calice; deque illis sic expressis fiat consecratio: quem tamen Scholastici improbant, vt alienum à cultu Sacramento huic debito. Enimuero, cum mustum non nisi rustici, aut è vulgo rudi ac impolito homuli ac fœminæ, & quidem delibandi tantum causa bibant; nempe quia impurum, quia turbidum, quia fœcibus plenum: ab eo cuique est ob Dei ac Sacramenti reuerentiam abstinendum, circa grauem necessitatem; vt si vinum deesset, nec haberi aliunde die festo posset, quo fidelibus ex præcepto incumbit interesse sacro Missæ officio, Hucusque Baunyus. Idem dicendum esset pro adimplendo præcepto annuæ Communionis, si non adessent particulæ consecratæ, & vinum. Et à fortiori hoc procederet in articulo mortis pro dando Viatico infirmis: nam in his casibus adesset grauis, & maxima necessitas: & ideo posset Sacerdos celebrare, & consecrare in musto. Notat tamen cum Bizozero *de Sacram.part.4.c.2.n.16.* quod in his casibus deberet prius interponi pannus inter vuam, & Calicem, vt humores grossiores ex vua expressa remanerent in panno.

4. Non deseram tamen hîc obseruare, præter Baunyum *loco citato*, alios etiam Doctores asserere, consuetudinem introductam in aliqua Ecclesia consecrandi in musto, esse omnino corrigendam. Sed hoc non admittit Tannerus, *tom.4. disp.5.q.2.dub.5. n.144.* sic enim ait: Quod in nonnullis locis fieri solet, vt, certo quodam anni die, in musto ex vuis in Calice expresso fiat Consecratio, Suarez probandum non putat, sed potius corrigendum, & tollendum. Idem ferè sentit Vasquez *disp.175.cap.1.n.7.* vbi ait, eam consuetudinem non esse intolerabilem, si fieret non in solo musto, sed in vino iam defœcato, cui aliqua particula musti expressi adiungeretur. Sed mihi maiore consideratione res digna videtur, & cùm *in cap.Cùm omne crimen.de Consecrat.dist.2.* dicatur: Si necesse fuerit, posse botrum in Calice exprimi, & aqua misceri, & ita confici, cur non etiam ob egregiam aliquam causam antiquissimæ institutionis, à Sanctis forsan Authoribus deriuatæ, publicæque ædificationis, & deuotionis, similis consuetudo licitè retineatur, iuxta communem & antiquum Ecclesiæ alicuius ritum, à Pontificibus vtique scitum, & nusquam hactenus improbatum; Hucusque Tannerus. Et hanc consuetudinem obseruari in Lusitania in Ecclesia Maiori Brachatæ, testatur Fernandez de Moure *in Medulla Cas.Conscientiæ part.3.cap.4.§.3. num.6.* in qua sexto die Augusti Dominicæ Transfigurationis à Sacerdote exprimuntur matura botra in Calice consecrando in gratiarum actione pro anni vbertate & fructibus. Sed tales consuetudines, vt dixi, non admittunt communiter Doctores.

5. Notandum est hîc obiter, Amicum, ex Syluestro, *in Curs.Theol.tom.7.disp.16.sect.3.num.32.* docere, succum ex vua non perfectè matura esse consecrabilem; secus autem ex vua acerba.

Alibi supra in Resol.196. à principio.

6. Nota etiam, me alibi obseruasse dictum Amicum, *vbi suprà*, docere, succum ex vuis passis elicitum, esse materiam consecrabilem. Sed video, hanc sententiam impugnare nouissimè Adamum Opatouium *de Sacram. tract.de Euchar.disp.2.q.3.n.30.* vbi sic ait: Succus ex vuis passis eductus non intrat materiam Calicis. Vnde Æthiopes grauiter peccant, (si verum est, quod de illis narratur) quod vuas passas ad celebrationem Missæ adhibent, & ex his liquorem ad consecrationem eliciunt. Ita ille.

RESOL. CCI.

An in Germaniis, vel aliis locis validè Sacerdos consecret in vino paulo ante congelato in Calice?

Ex quo infertur, quod in aqua congelata non possit fieri valide Baptismus.

Et notatur, quod grauiter peccaret, qui in vino congelato consecraret.

Et aduertitur, quod si vinum consecratum congeletur, non desinere esse Christum sub speciebus, & ideo aliud vinum minime consecrandum est, sed debet liquefieri, & sumi.

Et an sit peccatum mortale in vino, quod in Hispania vocatur Hypocrassum, *& in vino aqua misto, & in alio vino vulgo dicto* agua pie, *consecrare, vel sine tamen materia sufficiens, & consecrabile?* Ex p.3. tract.6. & Misc.2. Resol.100.

§.1. NEgatiuè respondent Dicanus Nugnus *in 3. part.tom.1.q.74. art.5.* Armilla *ver.Eucha.* num.19. Alanus *lib.1.de Eucharist.cap.11.* Henriquez *lib.8. cap.12.n.3.* & alij, quia vt in aqua congelata non potest fieri validè Baptismus, sic nec in vino congelato, validè fieri potest Eucharistia; adde quòd vinum congelatum, quatenus congelatum est, non est potabile, sed comestibile; ergo, &c.

2. Verùm affirmatiuam sententiam ego teneo, quam tuentur Emanuel Sà *ver. Missa, n.2.* Angles *eodem ver.n.23.* Sotus *in 4.dist.9.q.1.art.5.* Layman, Suarez, Coninch, & Fagundez *vbi supra*, Filliucius *tom.1.tract.4. cap.4.n.87.* Reginaldus *tom.2. lib.19. cap.2.n.25.* Villalobos *in summa, tom.1.tr.5.disp.5. num.2.* Syluius *in 3.p.q.74.art.5.* & alij, quia vinum per congelationem non corrumpitur substantialiter; ergo, &c. Deinde, vinum congelatum, etsi non sit in actu secundo potabile, tamen potest esse materia proxima consecrationis, quia hæc non consistit in vsu Sacramenti, vt Baptismus, sed in confectione eiusdem; quare sufficit quòd eius materia sit natura sua potabilis, etsi ob aliquod accidens actu potari non possit, vnde patet responsio ad argumentum contrarium.

3. Notandum est tamen, quòd grauiter peccaret, qui tale vinum consecraret, quòd si tamen prius congelatio solueretur, non puto improbabile contra Fagundez *part.3.lib.2. cap.3.n.10.* licitè ipsum consecrari, & ita docet Coninch *de Sacram.q.74. art.5. num.17.* quamuis deceret aliud sumere; & omnino suadendum est, quando commodè fieri potest, vt obseruant Suarez *in 3.part.tom.3.disp.45.sect.1. in fine*, & Layman *infrà*.

4. Aduerte etiam cum Layman *in Theol. mor. lib.5.tract.4.cap.2.n.6.* contra Alanum *lib.1.de Euch. cap.11.* si vinum consecratum congeletur, non desinere esse Christum sub speciebus, & ideo minimè aliud vinum consecrandum est. Vnde Missale Romanum monet, si contingat vinum consecratum in calice congelari, debere liquefieri, & sumi.

5. Sed quia hodie apud Hispanos efficitur quoddam vinum, quod ipsi vocant *Hypocrasse*, ponam hîc verba Petri de Ledesma *in summa, tom.1. de Sacrament.Eucharistia, cap.4.concl.15.* vbi sic asserit: [illegible] dicit

duda si el vino adobado con cosas odorosas, y con cosas semejantes, es materia deste Sacramento que se pueda consacrar. Se responde, que si la mezcla desta cosa es tanta, ò el cozer con ellas de tal qualidad, que corrumpa la substancia de vino, no sera materia deste sacramento. Y para ver quando la corrompe totalmente, se hà de acudir à la experiencia de los sentidos, y al juyzio de los hombres prudentes. Y lo mismo se ha de dezir del vino aguado, y de vn vino que llama agua pie. Pero ha se de auertir, que consaerar en estos liquores, que ay duda si son materias deste Sacramento, es pecado mortal de sacrilegio.] Ita ille.

RESOL. CCII.

An Sacerdos consecrando vinum congelatum peccet mortaliter?

Ex quo infertur peccare Ministrum vtentem materia dubia, vel forma dubia, omittendo certam, etiam si sequatur opinionem de veritate, & sufficientia probabilem, aut speculatiuè probabiliorem.

Et notatur, quod si vinum prius fuerit congelatum, & postea liquefiat, non est improbabile licite consecrari; quamuis minus decenter.

Et quid est faciendum, si vinum in Missa ante consecrationem, etiam post oblationem congeletur, an tunc debeat Sacerdos aliud de nouo infundere, & oblatum consecrare? Ex part. 10. tr. 12. & Misc. 2. Ref. 8.

Sup. hoc in Ref. præcerit. §. notandum est. & in Ref. sect. §. Sed an. & hic infra lege §. vlt. huius Ref.

§. 1. NEgatiuam sententiam ex Vasquez docet Gaspar Hurtadus *de Euch. disp. 10. diffic. 10. in fine*, vbi sic ait: Addit Vasquez, *n. 18.* non esse peccatum in vino congelato consecrare, quamuis hoc sit contra consuetudinem Ecclesiæ, quia non fit contra prohibitionem aliquam latam, neque dicta consuetudine introductam, quia non seruatur tanquam necessaria, & obligans. Ita ille; & post illum nouissimè Tamburinus *Opusc. de sacrif. Misse, lib. 2. cap. 8. §. 8. num. 14.*

Alibi in Ref. 1 noc. præcerit §. 1. & 2. & in Ref. 2. & supra in Ref. 59. §. Sed ego confirm. ad lin. 7. verf. Obiic. & lege etiam §. vlt. huius Ref.

2. Sed hanc opinionem minimè admittendam esse puto: nam licèt Ego alibi cum multis Doctoribus firmauerim, vinum congelatum esse materiam Sacramenti Eucharistiæ; tamen contrariam Sententiam esse probabilem, non est dubitandum, & illam absolutè præter Armillam, Martinum Ledesmam, Cardinalem Alanum, Henriquez, & alios, firmant nouissimè Magister Araujo, nunc meritò ad Episcopatum assumptus, *in 3. part. quæst. 74. art. 8. num. 52.* & ex Societate Iesu Sapientissimus Lessius *etiam in 3. part. quæst. 74. art. 5. num. 24.* Ergo si quis consecraret in vino congelato, conficeret in materia dubia, vt obseruat Syluius *in 3. part. quæst. 74. art. 5.* Fagundez *præcept. 3. lib. 3. cap. 3. num. 10.* & alij. Ergo peccaret mortaliter: nam rectè obseruat Amicus *in Cursu Theolog. tom. 6. disput. 16. sect. 3. num. 36.* numquam esse licitum in materia Sacramentorum, relicta materia certa, vti probabili, & minùs certa, quando certa commodè haberi potest, tum ob periculum frustrandi Sacramentum, cùm hoc non tam pendeat ex opinione hominum, quàm ex institutione Christi; tum ob damnum spirituale, quod infert proximo, priuando illum fructu Sacramenti: eoque peccatum est maius, quò Sacramenti vsus, & fructus ad salutem est magis necessarius. Ita ille, cui adde Mercerum *de Sacrament. quæst. 60. artic. 8. quæritur 3.* vbi sic ait: Sequitur, grauiter peccare ministrum vtentem dubia materia, vel forma, omittendo certam, etiamsi sequatur opinionem de veritate, & sufficientia probabilem, aut etiam speculatiuè probabiliorem. Ratio est, quia in hoc casu, minister exponit se periculo nihil faciendi, quod est Sacrilegium. Vt enim Sacrilegium est ministrare Sacramentum fictum, & falsum, ita quoque sine causa exponere se illi periculo; quia in moralibus perinde est quippiam facere, & exponere se periculo id faciendi. Hæc Mercerus. Vide etiam Iacobum Marchantium *in Resolut. Pastor. de Sacrament. tract. 1. cap. 1. quæst. 3.* Opatouium *de Sacrament. in communi, disp. 1. quæst. 5. num. 43.* Araujum *in 3. part. D. Thomæ, quæst. 60. art. 8. dub. 4. n. 42.* Medinam *in part. 2. q. 19. art. 6.* Fuliensem *in Idea Sacram. cap. 2. Resol. 3.* Dicastillum *de Sacram. tom. 1. tract. 1. disp. 1. dub. 8. n. 113.* Filliucium *tom. 1. tract. 1. cap. 4. n. 69.* P. Lugo *de Sacram. in genere, c. 1. quæst. 4. n. 55.* Bonacinam, *de Sacram. disp. 1. q. 2. p. 2. num. 32.* qui citat Henriquez, Coninch, Valentiam, Nugnum, Reginaldum, & Suarez.

Hoc lege Ref. §. & vers. not.

3. Confirmatur hæc opinio: nam Sacerdos consecrando vinum congelatum, violaret consuetudinem totius Ecclesiæ in vino liquido consecrantis. Hanc autem consuetudinem non obligare ad mortale, est negandum; nam est consuetudo in re graui, quæ versatur circa materiam ipsius Sacramenti, & habet omnes alias Præsumptiones, quæ indicant (vt alibi à nobis probatum) ipsam habere vim legis, vt obseruant vno ore Doctores omnes. Et ideò hanc sententiam ego olim docui, & me citato docet Leandrus *de Sacrament. tom. 2. tract. 7. disp. 8. quæst. 37.* & me citato Martinus de San Ioseph *in Auis. de Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 2. n. 12.* quibus adde Coninch *de Sacram. quæst. 74. art. 5. n. 127.* Ochagauiam *de Sacram. Euchar. tract. 1. quæst. 9. n. 7.* Garciam *in Summa Theol. mor. tract. 3. diffic. 9. dub. 1. punct. 2. n. 14.* Serram *in 3. p. D. Thomæ, quæst. 74. art. 5.* Fagundez *Præcept. lib. 2. c. 3. num. 10.* Mercerum *de Sacram. quæst. 74. art. 3. num. 4.* Villalobos *in Summa tom. 1. tract. 7. difficult. 7. num. 2.* Suarez *tom. 3. disp. 45. sect. 1.* Vviggers *de Sacram. in 3. part. quæst. 74. art. 5. n. 41.* & Castrum Palaum *tom. 4. tract. 21. punct. 4. n. 8.* Et tandem Reuerendiss. Magister Candidus *tom. 3. disquis. 2. dub. 42. n. 55.* concludit, esse immane Sacrilegium in vino congelato consecrare: quod iisdem verbis ante illum docuerat etiam Sotus *in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. in fine.*

4. Sed audiamus verba aliquorum Doctorum, Ioannes Præpositus *in 3. part. quæst. 74. art. 5. n. 49.* sic ait: Aduerte tamen, non posse sine graui peccato vinum congelatum consecrari, tum quia prior sententia non est planè improbabilis, & meritò censeri potest materia dubia, vt docent varij, quam non licet in hoc Sacramento sumere propter aliqualem necessitatem, quæ possit videri excusare; tum quod sit contrà consuetum modum procedendi Ecclesiæ in re graui.

5. Franciscus Araujo *in 3. part. quæst. 74. art. 8. dub. 1. num. 52.* vinum congelatum non potest licitè consecrari propter consuetudinem in contrarium, quæ habet vim legis: necnon quia propter probabilitatem contrariæ opinionis, Consecrans exponeret se periculo non conficiendi Sacramentum, quod semper vitandum est, nisi fortè in casu grauis necessitatis.

6. Raphaël Auersa *de Sacram. Euchar. q. 2. sect. 5.* Fatendum est, illicitum fore consecrare Vinum actu existens congelatum. Quamuis enim Vasquez *n. 18.* dicat, Auctores affirmantes, posse tale vinum validè consecrari, debere etiam concedere, posse licitè; quia nullo præcepto id prohibetur: tamen ob dubium aliquod validitatis ex parte oppositæ, & ob reuerentiam Sacramenti, & consuetudinem Ecclesiæ, dici debet id esse illicitum. Non est igitur, vt dixi admittenda opinio Hurtadi, & Tamburini.

etiam §. vlt. ad medium, vers. nimirùm, supponentes. & in tom. 8. tr. 1. lege doctrinam per totam Ref. 5. & si vacas otio vide alias eius notationum.

7. Nota

Sup. hoc in Resol. præterita, §. Notandum. ad lin. 2.

7. Nota tamen, quod si vinum priùs fuerit congelatum, & posteà liquefiat, non est improbabile licitè consecrari, quamuis minus decenter; quia est verum vinum, & actuali potationi aptum, sed congelatione aliqualiter immutatum. Sic Suarez *disp. 45. sect. 1. in fine.* Ægidius Coninch. *quæst. 74. art. 5. in fine*, & Palaus *vbi suprà*, Dicastillus *de Sacrament. tom. 1. tract. 4. disp. 2. dub. 5. n. 87.* qui citat Henriquez, Valentiam, & Vasquez. Puto tamen, & consultissimum iudico, si vinum in Missa ante Consecrationem etiam post oblationem congeletur, Sacerdotem aliud denuò infundere debere, & oblatum consecrare. Ita ex Suarez Dicastillus.

RESOL. CCIII.

An vinum congelatum sit sufficiens materia consecrationis?

Et an Sacerdos consecrans vinum congelatum peccet mortaliter? Ex part. 11. tr. 1. & Misc. 1. Resol. 17.

Sup. hoc supra in Resol. 201. §. 1. & 2. & in Resol. 202. §. 2. à lin. 2. & in Resol. 199. §. 2. Sed ego. cursim ad lin. 7. vers. Objicies.

§. 1. NEgatiuè videtur respondere nominatim contra me Caramuel *fundam. 67. §. 1. n. 1325.* vbi sic ait; Inquiro an possit consecrari vinum congelatum?

2. Respondet Ausonius Noctinot in summa Dianæ *verb. Eucharistiæ materia n. 2.* his verbis: Vinum si sit congelatum (vt sæpè contingit in Germania, immò etiam in Mediterranea Hispania, nempè in Castella, Legione, &c.) validè consecratur, non tamen licitè, & probat, quia vinum per congelationem non corrumpitur quoad substantiam, potabile enim adhuc manet potentia, qua liquefieri potest, & sumi; sed videtur hæc potentia remota.

3. Sed ego iterum doceo, quod ex me docuit meus Compendiator Pater Antonius Cottonius ex Tertio Ordine D Francisci vir quidem doctus, eruditus, & omni commendatione dignus; Dico igitur probabilius esse, vinum congelatum esse sufficientem materiam consecrationis, & ita hanc sententiam, me citato, tenet Leander *de Sacram. tom. 2. to. 7. disput. 8. quæst. 36.* vbi citat pro hac opinione 23. Doctores, quibus ego addo Caspensem *in cur. Theol. tom. 2. tract. 22. disput. 2. sect. 3. num. 17.* Amicum *in cursu Theol. tom. 7 disput. 16. sect. 3. num. 35.* Præpositum *in 5. part. D. Thomæ q. 74. art. 5. n. 48.* Mercerum *de Sacram. quæst. 74. art. 5. num. 4.* Vviggers *vbi suprà*, Opatouium *de Sacram. tract. de Euchar. disp. 2. q. 3. num. 32.* Franciscum Lugo *de Sacram. lib. 4. cap. 2. q. 5. n. 26.* Martinum de San Ioseph *in mon. confess. tom. 1. lib. 1. tractat. 2. de Euchar. num. 11.* Castrum Palaum *tom. 4. tract. 21. punct. 4. num. 8.* Baucium *in Theol. moral. tom. 1. tract. 5. q. 9. dub. 4.* & me citato Hieronym. Garziam *in summa tract. 3. difficult. 9. dub. 1. punct. 2. num. 14.* Antonium de Escobar *in pract. Confess. p. 2. lib. 3. cap. 5. n. 52.* Ioan. de Soria *in Epilogo summarum part. 2. tr. 1. sect. 1. disp. 7. §. circa materiam*, Petrum à Sancto Ioseph *in idæa Theol. Sacram. cap. 16. resol. 1. observ. 4.* Thomam Tamburinum *vbi infrà num. 11.* Ioannem Pontium *in curs. Theol. disp. 44. q. 3. concl. 1. num. 22.* Pasqualigum *in Theol. tom. 2. disp. 91. sect. 4. num. 16.* Dicastillum *de Sacram. tom. 2. tract. 4. disp. 2. dub. 5. num. 86.*

4. Probatur, quia materia consecrationis est vinum; sed vinum congelatum est simpliciter & absolutè vinum; ergo est sufficiens materia consecrationis. Confirmatur, quia non minor virtus requiritur ad conseruationem, quam ad primam productionem, vt docet probabilior sententia in 2. Physicorum: sed sanguis Christi Domini potest conseruari sub speciebus vini congelati, vt dictum est. Ergo, & potest primò produci, ac proinde in vino congelato reperitur sufficiens materia consecrationis.

5. Sed objicies: Vinum non est materia Eucharistiæ, nisi quatenus est per modum potus: sed eo ipso quod congeletur, non retinet modum potus: Ergo non est materia Eucharistiæ. Confirmatur. Aqua congelata non est materia baptismi, quia non est apta ad abluendum: Ergo vinum congelatum non erit materia Eucharistiæ, quia non est aptum ad potandum. Respondetur, distinguendo maiorem, vinum enim non est materia Eucharistiæ, quando non retinet substantiã vini, aut certè opus esset magna aliqua transmutatione, vt fieret opus, quia verò congelatum retinet substantiam vini, & exiguo calore aut humiditate potest ita liquefieri, vt potari possit, ab aliis censetur esse potus. Et sanè si obiectio esset efficax, probaret nec posse sanguinem Christi Domini sub speciebus congelatis conseruari, quia nunquam et Christus Dominus sub speciebus vini, nisi vt per modum potus animam reficiat. Ad confirmationem, concesso antecedente, negatur consequentia. Ratio verò discriminis est, ablutionem esse materiam proximam baptismi, & ita dum aqua ita est congelata, vt non possit abluere, non sufficere ad conficiendum hoc Sacramentum: potati autem non pertinere ad essentiam, sed ad vsum Eucharistiæ, & ideò ad materiam illius sufficere id, quod est absolutè vinum, & facili transmutatione liquefieri potest, vt bibatur.

6. Deinde, negandum igitur in nostra sententia vinum congelatum non esse per modum potus licet difficilius potetur, & assignanda disparitas inter vinum, & vuam; quia vua, & quidquid in ea est cibus est, & moraliter habetur vt cibus potius, quam potus: Vinum verò congelaciatum adhuc habetur vt potus, nec moraliter censetur in hominum æstimatione vt cibus: multum autem hoc refert ad rem moralem, & institutionem Sacramentorum, quæ moralis entitas est, licet in physicis fundata. Eo quidem in die ieiunij quantumuis prohibitum sit manducare, nemo dixerit vino congelato solui ieiunium, supposita vera sententia quod nullus potus vllus frangat ieiunium Ecclesiasticum: Signum ergo est, illum non esse cibum, ergo erit potus, & est vinum: Ergo potus vini. Nam neque esse cibum, neque potum, nemo dixerit.

7. Ex quibus patet responsio ad argumentum Caramuelis, vt vinum congelatum efficiatur potabile esse in potentia remota; nam hoc nihil officit.

8. Æquè certum est conseruari sanguinem Christi in specie congelatis iuxta communem sententiam, quam approbat Missale Romanum, præcipiens illas species liquefieri, & sumi à Sacerdote vt consecratas; quia reuera vinum per congelationem non amittit formam vini, cum post liquefactionem maneat vinum sicut antea, ex quo fit posse etiam consecrari validè, dum congelatæ sunt: neque obstat, quod vt sic non esse potum liquidum, quia licet non sint potus facilis, est tamen simpliciter potus; possunt enim potari, si prius vel alio medio, vel saltem ipsius oris calore dissoluantur; sicut etiam nuces sunt simpliciter cibus, licet necesse sit eas prius confringere, vt possint manducari. Immò in rigore etiam vinum congelatum, si paulatim deglutiatur, potatur, nec soluit ieiunium siue paulatim, siue simul totum deglutiatur, quia semper habetur vt potus.

9. Concludo igitur, quod vinum congelatum retinet eundem naturæ statum in substantia, ac si congelatum non esset, mutata solum qualitate raritatis in densitatem. Deinde, quia si vinum congelatum retinet Christi Sanguinem, quod ante congelationem

nem consecratum erat ; Ergo etiamsi congelatum sit, erit apta materia ad consecrationem. Consequentia est manifesta, quia vtrobique requiritur eadem veritas, scilicet quod ibi sit sanguis Christi ex vi verborum.

10. Sed an Sacerdos consecrans in vino congelato peccet mortaliter, negatiuè respondent Vasquez, & Hurtadus alibi à me adducti, quibus nunc addo P.Thom.Tamburinum *opusc.de Sacram Missæ lib.2. cap.8.§.8.n.14.* Sed hæc opinio mihi displicet, nec illam prorsus admitto, & ideò Sacerdotem in tali casu peccare mortaliter docet Martinus de San Ioseph, vbi supra, cui adde Leandrum *de Sacram.tom.2. tract.7.disp.8.quæst.37.* Ochagauiam *de Sacr.Euchar. tract.1.q.9.n.7.* Præpositum *in 3.part.quæst.74.art.5. n.49.* Garziam *in summa tom.3.diffic.9.dub.1 punct.2. num.14* Auersam *de Sacram.Euchar.quæst.2.sect.5.* Fagundez *part.3.lib.2.cap.3.n.10.* Serram *in 3.p.quæst... art.5.* Vvigers *num.41.* Mercerum *n.4.* Castr.Palaum *tom.4.tract.21. punct.4.n.8.* Villalobos *tom.1.tract.7. diffic.7.n.2.* Suarez *tom.3.disp.45. sect.2.*

Alibi supra in Ref.201. § Notàdum est. & in Ref. 201. in principio, & in fin.

11. Nota verò, Amice Lector, opinionem charissimi Caramuelis, quam supra impugnauimus non carere probabilitate, & illam præter Alanum, Henriquez, Armillam, Martinum, Ledesmam, Angles, & alios docet nouissimè P.Lessius *in 3.part.q.74.art.5. num.24.* vbi sic ait :

12. De vino solidè gelato dubium est, quidam enim putant esse idoneum, quæ sententia non est improbabilis. Verius tamen videtur, non esse idoneum, siue ibi sit species vini, siue non. Ratio est, quia non est potabile, sicut nec in vuis. Ita ille, sed hæc ratio iam supra satis soluta remansit.

13. Vndè ex solidissimis rationibus magis hanc sententiam probat, & tenet doctissimus Episcopus Araujo *in 3.p. D.Thom.quæst.74.art.5.dub.1.n.52.* firmans vinum congelatum non esse materiam aptam pro consecratione ; Sed tu ne deseras opinionem affirmatiuam, quam supra firmauimus, est enim communior, & magis validis vallata rationibus, ex quibus respondetur facilè ad ea, quæ in contrarium adversarij adducunt.

RESOL. CCIV.

An validè consecrari possit materia cuiusvis paruitatis, dummodo sit sensibilis ?

Et an materia, quæ ob sui paruitatem nullo sensu exteriori percipi potest, consecrari possit ?

Et an materia consecrabilis debeat esse sensibilis ab ipsomet Sacerdote, vel sufficiat, quod sit sensibilis respectu alterius, qui habet sensum magis acutum ?

Ex part.11.tract.6. & Misc.6. Ref.36.

§.1. NEgatiuè respondet nouissimè P. Pasqualigus *in sua Sacra Doctrina, tom.2. disp.92. sect.2. num.9.* vbi sic ait : Dicendum est materiam consecrandam non posse esse minimam, quamuis sit sensibilis, sed debere esse tantæ quantitatis, vt possit applicari per modum cibi, aut potus, alioquin non consecrabitur. Probatur : Hoc Sacramentum est institutum à Christo sub ratione cibi, & potus : ergo nisi materia sit tanta, vt tanquam signum sensibile sit applicabilis ad cibandum, non habet rationem materiæ, quia non est illud signum, quod est institutum à Christo. Confirmatur : Sacramentum nedum debet esse sensibile, sed etiam sensibili modo applicabile : Ergo materia, quæ non est talis, non est sufficiens. Confirmatur secundò : si non esset applicabilis, non haberet significationem Sacramentalem, quia hæc fundatur in ratione cibi ; & ratio cibi non solum dicit substantiam cibatiuam, sed etiam quod possit deseruire ad cibandum, sine autem significatione Sacramentali non habetur Sacramentum. Obijcies : Paruitas materiæ non variat essentialiter materiam : ergo non facit quod non possit consecrari. Respondetur : Non variare materiam quoad substantiam ; variare tamen quoad rationem signi sensibilis, quia facit quod non sit illud signum sensibile, quod est institutum à Christo. Obijcies secundò : Si ab Hostia consecrata separetur aliqua minima particula, manet sub ipsa corpus Christi, sicuti etiam maneret forma panis si Hostia non esset consecrata : Ergo, cùm eadem materia, quæ sufficit ad factum esse, sufficiat etiam ad fieri, poterit minima particula consecrari. Respondetur : Si talis minima particula ita separetur, vt tamen moraliter habeat rationem eiusdem cibi cum hostia, continere corpus Christi : secus autem si non habeat rationem eiusdem cibi, quia tunc desinit esse illud signum sensibile, quod requiritur ad Sacramentum. Et hoc modo intelligendum Concilium Tridentinum *sess.13. & can.3. de Eucharist.* dum definit sub qualibet parte separata manere corpus, & sanguinem Christi, intelligit enim de parte, quæ retinet rationem cibi partialis respectu totius, à quo pars separetur. Hucvsque Pasqualigus.

2. Sed hanc opiuionem refellendam esse puto, cùm sit contra communem sententiam Doctorum, & præcipuè D.Thomæ *in 3.quæst.74.art.2.* Dico igitur omnem materiam cuiuslibet paruitatis, sensibilis tamen, esse consecrabilem, nam illud omne potest consecrari validè quod est verè panis, aut vinum pronomine *hoc*, aut *hic* more humano demonstrabile ; sed huiusmodi est pars quantumuis exigua, si more humano sensibilis sit : Ergo est valide consecrabilis. Minor patet ; quia cùm panis, & vinum non sint substantiæ viuentes, non habent terminum paruitatis, seu minimum naturale, vt vocari solet ; proinde in quantalibet exigua parte, esse, & saltem aliquantisper conseruari possunt, ac proinde sunt verus panis, & verum vinum ; cumque possint naturaliter, siue humano more per aliquem percipi sensum, possunt humano, & ordinario more pronominibus *Hoc*, vel *Hic* designari, & dici.

3. Aduerte, vt materia censeatur apta consecrata ex parte sensibilitatis non requiri, vt visu percipiatur, vel etiam possit percipi à ministro consecrante, sed sufficere si possit percipi tactu, vel gustu, quia per illos sensus potest haberi sufficiens certitudo de præsentia materiæ, quæ ad consecrationem requiritur, & quod ita sentiri potest, potest demonstrari per pronomen *hoc*, vnde particula panis, quæ propter suam paruitatem non potest visu percipi, potest validè consecrari, si tacta vel gustu percipi possit. Dixi si sit sensibilis, quia si substantia panis remaneat sub particula omninò insensibili, ea non poterit consecrari : cum enim Sacramentum sit signum sensibile, saltem dum ipsum conficitur, requirit aliquid sensibile, quod in casu suppositionis nullum est : idem ex forma potest confirmari, nam pronomen *hoc* in forma designat aliquid sensu perceptibile, & proinde si nihil tale sit præsens consecranti, is non poterit dicere, *hoc*. Et ita nostram sententiam docet Lessius *in 3.part.quæst.74. artic.2. dub.1. num.4.* Bernal *de Sacram. disput.29. sect.4. num.24.* Cardinal. Lugo *de Sacram.Eucharist. disput.4. sect.4. num.108. cum seqq.* Præpositus *in 3.p.quæst.74. art.2. dub.1.num.4.* Dicastillus *de Sacr.tom.1.tract 4.disp.2. dub.13.num.230.* Toletus *lib.2.cap.15.n.5.* Henriquez *lib.8.cap.14.num.4.* Reginaldus *tom.1. lib.9.num.17.* Martinon. *de Sacram.Euchar. disp.29. sect.3.num.20.*

Amicus *in curs. Theol. tom. 7. disp. 16. sect. 8. num. 182.* Castrus Palaus *tom. 4. tract. 21. punct. 6. num. 6.* Filliucius *tom. 2. tract. 4. quæst. 5.* Francisc. Lugo *de sacr. l. 4. cap. 1. quæst. 4. n. 33.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 43. sect. 7.* Vasq. *disp. 91. n. 2.* Hurtadus *de Sacr. disp. 11. diffic. 17.* Coninch *de sacr. q. 74. art. 2. dub. 2.* Tannerus, *tom. 4. disput. 5. quæst. 2. dub. 2. n. 52. cum seqq.* Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 2. punct. 2.* Nugnus *in 3. p. quæst. 74. art. 2. diffic. 1. conclus. 2.* Caspensis *in curs. theol. tom. 2. tr. 22. disp. 2. sect. 8. n. 48.* Cornejo *in 3. p. q. 74. art. 2. dub. 2.* Mercerus *de Sacram. q. 74. art. 2. n. 4.* Vvigers *in 3. p. quæst. 74. art. 2.* Auersa *de Sacram. Euchar. sect. 2. q. 2.* Leander *de sacr. tom. 2. tract. 7. disp. 8. q. 81.* Opatouius *de sacr. tract. de Euchar. disp. 2. quæst. 5. n. 51.* Sotus *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 2.* Ochagauia *de Sacr. tract. de Euchar. quæst. 6. n. 6.* Petrus à Sancto Ioseph *in theol. sacram. cap. 16. resol. 3.* Pitigianus *in 4. dist. 51 9. 6 art. 5.* Chamerota *de Euchar. cap. 1. dub. 3.* Angles *q. 1. art. 3. diffic. 3.* Bartholomæus ab Angelo, *dial. 4. §. 330.* Victoria *de Euchar. quæst. 56.* Viualdus *de Euchar. cap. 3. num. 14.* Villalobos *in summa tom. 1. tract. 7. diffic. 8. num. 5.* Ioann. de la Cruz *in direct. quæst. 1. de materia Euchar. dub. 4. concl. 1.* Ludouic. à San Iuan *in 4. sent. de Eucharist. quæst. 1. art. 6. dub. 1. conclus. 3.* Petrus de Ledesma *in summ. tom. 1. cap. 4. de Euchar. concl. 5.* Serra *in 3. part. quæst. 74. art. 2.* Moscosus *in summa tr. 4. cap. 2. n. 4.* Martinus de San Ioseph *in mon. confess. to. 1. l. 1. tract. 2. de Euchar. n. 17.* Fernandez *in medull. Casuum conscientiæ, p. 3. c. 4. §. 5. n. 3.* & alij penes ipsos. Vidisti, amice Lector, aduersus quantam nubem Testium ausus est se opponere P. Pasqualigus, ad cuius argumenta, quibus nixus docuit opinionem singularem, optimè respondet Nugnus *in 3. part. q. 74. art. 2. diffic. 1.* Auersa *de Sacram. Euch. q. 2. sect. 2.* & Amicus *in curs. Theol. tom. 7. disp. 16. sect. 8. n. 134. cum seqq.* Dico igitur cum ipsis quod nõ valet dicere, hoc Sacramentum est institutum vt cibus; sed ad rationem cibi requiritur aliqua determinata sensibilitas. Respondeo; esse institutum vt cibum, non materialem, qui vt corpus reficiat determinatam requirit quantitatem, sed vt spiritualem, qui vt animam reficiat, certam quantitatem non poscit. Vrges. Est institutus vt cibus spiritualis media sumptione corporali, sed vt cibus sit corporaliter sumptibilis certam requirit quãtitatem. Sed contra; nam sumptio corporalis est tantum conditio applicans, qua posita, Sacramentum ipsum propria virtute reficit spiritualiter animam, conditio autem cùm non debeat operari, non requirit certam quantitatem. Nec sufficit asserere quod non quæcumque minima quantitas aquæ sufficit ad Baptismum: ergo neque quæcumque minima quantitas panis ad hoc Sacramentum. Respondeo: disparitatem esse, quoniam materia Sacramenti Baptismi non est aqua, nisi vt abluens: at non quævis minima aqua moraliter abluit: Panis verò est materia Eucharistiæ, vt continens Christum; quælibet autem minima quantitas panis potest continere totum Christum indiuisibiliter existentem.

4. Vnde ex his omnibus corruit fundamentum Pasqualigi; & contra illud insurgit Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 4. disp. 2. dub. 13. n. 240.* notat enim quod Sacramentum Eucharistiæ non consistit primariò in vsu, sed in esse permanenti; duplex enim est finis Sacramenti Eucharistiæ, proximus scilicet, & remotus: Proximus est, vt in ea contineatur Christi Corpus, aut Sanguis sub accidentibus sensibilibus panis & vini; ad hoc autem sufficit quæuis parua materia: Finis verò remotus, & secundarius est vsus & sumptio Eucharistiæ; ad quem finem licèt aliqua parua quantitas materiæ per se sola non sit sufficiens, vt possit sumi præ paruitate, est nihilominus sufficiens ad primarium finem explicatum. Quibus accedit, quod etiamsi illa particula per se sola non possit deseruire, vt sumatur edendo, aut potando; si tamen coniungatur cum aliis poterit, etiamsi aliæ sint æquè paruæ; ex illis enim in acerum, seu cumulum loco coniunctis potest fieri vnus cibus: seu potus sufficiens vt sumatur, sicut potest fieri sufficiens vt sentiatur, & designetur. Ergo, &c. Vide etiam Valentiam *tom. 4. disp. 6. q. 2. punct. 2.* & Cardinalem Lugo *de Sacram. disp. 4. sect. 4. n. 112. & 113.*

5. Sed ex his quæro primò, an materia quæ ob sui paruitatem nullo sensu exteriori percipi potest, consecrari possit? Sotus *in 4. dist. 9. quæst. vnic. a. art. 1.* Valentia *disp. 6. quæst. 2. punct. 2.* Hentiq *lib. 8. cap. 14.* & Adamus *quæst. 2. dub. 2.* partem affirmatiuam tuentur, quia ex vi consecrationis tantùm, fit vt loco substantiæ panis & vini succedat sub accidentibus earum Corpus aut Sanguis Christi: ergo sub quauis quantitate; quantumuis imperceptibili per sensum, sub qua sit substantia panis, aut vini, validè fit consecratio. Maior verò *in 4. dist. 11. 9. 2.* Vasquez *disp. 171. cap. 2.* Suarez *disp. 43. sect. 7.* & Aegidius *dub. 2.* partem negatiuam tradunt; quia tunc materia illa non potest pronomine *hoc* ad sensum exteriorem demonstrari: ergo nequit validè consecrari, quia consecratio fit ex vi demonstrationis, & significationis verborum formæ. Verùm ego ex istis sententiis cum Dicastillo *vbi supr. de Sacr. tom. 1. tract. 4. disp. 2. dub. 13. à num. 236.* vtramque probabilem esse puto.

6. Quæro secundò, an materia consecrationis debeat esse sensibilis ab ipsomet Sacerdote consecrante? Negant Sotus *in 4. dist. 9. quæst. vnic. art. 1.* Aegidius *quæst. 73. art. 3. dub. 2.* Lugo *disp. 4. n. 116.* quia existimant sufficere quod sit sensibilis respectu alterius, qui habet sensum magis acutum. Alij respondent debere esse sensibilem ab ipso consecrante, quia nihil facit ad rem quod materia sit sensibilis ab alio, nisi etiam sit ab eo, qui conficit Sacramentum; neque enim Sacerdos potest demonstrare per pronomen *hoc*, quod ipsi nullo modo est sensibile: ergo Sa. Vasquez, & Hurtado *loc. cit.* Ochagauia *loc. cit.* Cornejo *loc. cit. dub. 2. pag. 328.* & alij, quos refert Leander *de Sacr. tom. 2. tract. 7. disp. 8. q. 81.*

7. Sed ego adhæreo primæ sententiæ, quam tuetur Amicus *in Curs. Theol. tom. 6. disp. 16. sect. 8. n. 134.* vbi docet, ad præsentiam materiæ consecrandæ non esse opus, vt illa cognoscatur ab ipso consecrante, sed sat esse si cognoscatur ab alio, ex cuius relatione certus Sacerdos esse possit. Neque apparet, ex quo capite sit necessarium, vt materia consecranda debeat ab ipso consecrante agnosci, cùm possit illam demonstratiuo pronomine ostendere, etiamsi illam ipse non cognoscat cognitione visiua aut tactiua propria, modo sit certus ex cognitione visiua, aut tactiua alterius.

RESOL. CCV.

An Sacerdos Græcus sub peccato mortali teneatur sequi consuetudinem suæ Ecclesiæ, & conficere in fermentato, ita vt Sacerdos Græcus peccet conficiendo in azymo, & Sacerdos Latinus consecrando in fermentato, etiam secluso scandalo, & cum magna necessitate, vt ob communicandum infirmum, &c.

Et an Sacerdos Latinus possit in Græcia sequi morem Græcorum, & Græcus morem Latinorum existens apud Latinos?

Et docetur non solum posse licitè, sed teneri Sacerdotem Græcum transeuntem per Ecclesias Latinas in azymo consecrare, & peccare mortaliter, si aliter faciat; quia

quia priuilegium illis concessum ad consecrandum in fermentato, intelligendum est, quando celebrant in suis propriis Ecclesiis.

Et notatur non licere Sacerdoti Latino in templo Græcorum, quod in Ecclesia Latina existat, in fermentato consecrare: neque etiam aliis fidelibus Latinis ibidem in eodem fermentato communicare. Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Resl. 99.

Sup. hoc ex Resl. seq. lege 6. Nota et 3. & 5 Non deseram. & seq.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Nugnus *in 3. p. tom. 1. quæst. 74. art. 4. concl. 6.* vbi sic ait: Peccare mortaliter Græcum si consuetudinem suæ Ecclesiæ non seruet, videtur mihi rigorosum dicere, quia cùm nostra consuetudo sit melior, non videtur res grauis, quod ille sequatur, vel non sequatur consuetudinem suæ Ecclesiæ; imò credo, quod si esset apud nos aliquis Sacerdos Græcus, quod melius faceret, si consecraret in azymo. Ita ille.

Sup. hoc in Resl. seq. paulo post initium, à vers. Hoc suppono. & in aliis eius annot.

2. Sed hæc opinio est contra communem, & ideo refellenda, vnde ex ipsamet Dominicanorum familia Ioan. de la Cruz *in director. conscientiæ, part. 2. de Eucharistia, quæst. 1. dub. 2. concl. 2.* ita asserit: Sacerdos tenetur seruare ritum suæ Ecclesiæ; peccabit enim Latinus consecrando in fermentato, & Græcus consecrando in azymo, etiam secluso scandalo, & cum magna necessitate: vt ob communicandum infirmum: nam discedere priuata auctoritate a ratione nabili vsu suæ Ecclesiæ in re grauissima, vt est ista, *est* peccatum mortale. Imò Pius V. in motu incipiente *Prouidentia Romani Pontificis*, 13 Kalend. Septembris ann. 1566. reuocat licentias Græcorum Latino more, & Latinorum Græco ritu Missas, ac alia diuina officia celebrandi hactenus concessas. Ita Ioan. de la Cruz, Layman *in Theolog. mor. lib. 6. tr. 4. cap. 2. n. 4.* Villalobos *in summ. tom. 1 tract. 7. diffic. 6. n. 2.* & alij.

Sup. conecto in hoc §. in Resl. 1. not. præmittæ, §. Nota etiam. & §. Nota secundo. & pro sequentib. in hoc §. ibid. in 3 Non deseram. & in seq. & seq. etiam §. vlt.

3. Verùm, an Sacerdos Latinus possit in Græcia sequi morem Græcorum, & Græcus morem Latinorum existens apud Latinos, sic videtur posse explicari. In monasteriis, vel Ecclesiis, quæ sunt Græcis in Ecclesia Latina destinata, vbi seruatur ritus Græcorum, seruare deberent Græci vsum fermentati; & similiter Latini vsum azymi in Ecclesiis, quas sibi suisque ritibus proprias habent in Græcia: quia perinde est, ac si singuli versarentur in sua Ecclesia. Latinus etiam iter agens per Græciam, aut Græcus per Occidentem, potest (vbi nullum est scandali periculum) retinere suum ritum, quamuis si conformaret se Ecclesiæ in qua versatur, non esset damnandus. Et hæc omnia docent Sylvius *in 3. part. quæst. 64. art. 4.* Coninch *de Sacrament. quæst. 74. art. 4. dub. 3. n. 117.* Filliucius *tom. 1. tract. 4. cap. 3. n. 83.* & alij.

Sup. hoc in Resl. seq. §. vlt.

4. Non est igitur audiendus Ledesma *in 4. p. 1. quæst. 15. art. 4. dub. 2.* vbi docet, non solùm posse licitè, sed etiam teneri Sacerdotem Græcum, transeuntem per Ecclesias Latinas in azymo consecrare, & peccare mortaliter si aliter faciat; quia priuilegium illis concessum ad consecrandum in fermentato, intelligendum est, quando celebrant in suis propriis Ecclesiis. Verùm hanc opinionem Ledesmæ rectè improbat Fagundez *præc. 3. lib. 2. cap. 2. num. 9.* nam vt *supra* dictum est, potest Sacerdos Latinus transiens per Græciam celebrare, vel ritu Græcorum, vel ritu Latinorum, & similiter Græcus transiens per loca Latinorum.

Sup. hoc in Resl. seq. §. Nota secundo. ad medium, à vers. Hoc. & medium in quarto vlt. lin. Resl.

5. Et tandem notandum est hic etiam cum Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 44. sect. 3. & illud verò*, Coninch, & aliis *vbi supra*, non licere Sacerdoti Latino in templo Græcorum, quòd in Ecclesia Latina existat, in fermentato consecrare, neque etiam licere aliis fidelibus Latinis ibidem in eodem fermentato communicare, quia illud est speciale priuilegium Græcis largitum, quo vti non possunt Latini, neque illo gaudent.

RESOL. CCVI.

An Sacerdos Latinus in Ecclesia Latina possit consecrare in fermentato ad communicandum infirmum moribundum, si non habeat alium panem?

Eadem est ratio de Sacerdote Græco in Ecclesia sua.

Et idem est etiam, si populus debeat sacrificio priuari.

Et quid est dicendum ad euitandum mortis periculum, si Sacerdos Latinus non consecret in fermentato.

Et notatur, quod Sacerdotes Græci per Latinam Ecclesiam, & Latini per Græcam peregrinantes, sicubi propriam Ecclesiam propriis institutis viuentes non habeant, in qua sint, possint Græci in azymo, & Latini in fermentato celebrare, conformando se Ecclesiæ, in qua existunt, non tamen ad id tenentur.

Etiamque aduertitur, quod Latini Sacerdotes in Græcia commorantes, si permittantur sib. propriam Ecclesiam habere, tenentur consecrare in azymo, & è contra Græci in terris Latinorum consecrare debent in fermentato.

Sed in Ecclesia Græcis inter Latinos permissa nefas est Latinis consecrare in fermentato, & è contra.

Et an in casu, quo Græcus esset incola apud Latinos, vbi sunt Templa deputata ad seruandos Ritus Græcorum, teneatur seruare Ritus Græcorum, & propriæ Ecclesiæ? Ex part. 10. tract. 16. & Misc. 6. Resl. 40. aliàs 39.

§. 1. SVppono, quod Ecclesiæ Latinæ non est necessarium necessitate præcepti consecrare in pane fermentato, sed in azymo. Et è contra Ecclesiæ Græcæ necessarium præcepti necessitate non est, consecrare in azymo, sed in fermentato. Est assertio totius Ecclesiæ Latinæ, atque adeò verè Catholicæ, & proinde ad fidem pertinens. Vtraque pars quatenus negat, liquet. Quoniam Ecclesiæ Latinæ licitum est consecrare in azymo & Græcæ in fermentato; proinde nec illi necessarium est necessitate præcepti celebrare in fermentato, nec huic in azymo. Pars etiam vtraque quatenus affirmat etiam claret, nam Ecclesiæ Latinæ nefas est celebrare in fermentato, & Græcæ in azymo: Ergo illi necessarium est necessitate præcepti consecrare in azymo, & huic in fermentato. Hoc supposito, quæritur, quid dicendum in casu necessitatis, vt supra, & pro parte affirmatiua plura argumenta adducit amicissimus, & doctissimus Pater Dicastillus *de Sacrament. tom. 1. tractat. 4. disputat. 2. dub. 4. num. 67.* Primò quia non facilè, & absque vrgenti ratione videtur asserendum legis diuinæ obligationem cessare ob fortuitum humanæ obstaculum. Secundò, quia materia huius legis humanæ consecrandi in azymo, aut fermentato secundum se valde indifferens est, & si rectè expendatur, multò magis quàm vsus vestium sacrarum in Missa, cùm in azymo, aut fermentato celebrare soleat Ecclesia pro diuersitate Nationum, nec iudicet irrogari irreuerentiam Sacramento, quamuis in alterutro pane fiat; nunquam tamen celebrare sine vestibus Sacris, non censetur esse irreuerentia Sacramenti, neque vlla est, aut fuit (quod sciam) Regio, aut Natio, quibus permissum sit sine vestibus sacris celebrare

Sup. hoc in Resl. præterita, §. 2. ad medium, & supr. ad medium §. vlt. Resl. 128. & infr. in tr. 2. Resl. 1. §. vlt. prope fin. à vers. Notat etiam.

brare. Tertiò lex hæc non est vniuersalis totius Ecclesiæ,sed partis: ita vt oppositum liceat in alia Ecclesia, nec iudicetur incongruum: ergo in casu necessitatis,& articuli mortis,censeri posset non incongruum id permittere in gratiam,& beneficium moribundi. Quartò non defuerunt Pontificibus rationes, quibus non censeatur indecens, sed maximè congruum, vt Græci figentes domicilium apud Latinos, adhuc in fermentato celebrent: ergo non desunt rationes, quibus id permittatur Latino Sacerdoti in gratiam moribundi. Neque apparere videtur,maiorē esse rationem,aut vrgentiorem causam,vt Græcus in fermentato celebret inter Latinos permanenter degens, quàm vt idipsum faciat Latinus in casu prædictæ necessitatis,cùm ibi simpliciter non cogat necessitas, hic verò maxima. Quintò, non minus est præceptum negatiuum Ecclesiæ vniuersalis nō communicandi non ieiunè, quàm sit præceptum Ecclesiæ Latinæ non celebrandi in fermentato, & tamen propter vrgentem necessitatē moribundi, & propter seruandum præceptum diuinum communicandi permittitur ægroto non ieiuno, saltem semel in ægritudine periculosa communicare,imo sæpius,iuxta multorum sententiam,vt cum illis dicemus *disp.9.dub.17.* Ergo cùm non celebrare in fermentato tantùm sit præceptum quoddam humanum,non videtur obstare quominus, vt hoc seruetur,censeatur, præceptum diuinum non habere locum. Confirmatur,quia magis communis sententia docet (vt videbimus suo loco) licitum esse non ieiuno celebrare,aut communicare ob graue scandalum vitandum. Cur ergo non licebit propter vrgentem maximè causam, secluso scandalo, in fermentato celebrare? Propter aliquas rationes ex his aliqui recentiores, quamuis meritò propter auctoritatem Doctorum, & supradictam rationem, negatiuam partem tutiorem putent; affirmatiuam, secluso scandalo,& perturbatione non audent damnare. Ita Tannerus de *Euchar.disp.5.dub.4.* in quam sententiam, ne eam, sola multitudo in contrarium me retardat. Hucvsque Dicastillus,cuius vltima verba retundunt audaciam aliquorum recentiorem, qui facilè, & sine vlla formidine solent à receptissimis Doctorum sententiis recedere.

2. Itaque circa præsentem difficultatem negatiuæ sententiæ adhærendum est, & præter Doctores à Dicastillo citatos, hanc sententiam tenet etiam nouissimè Augustt. Bernal *de sacram. disp.27 sect.4.§.2. n.37.* & Castrus Palaus *tom.4. tract.21. punct.5. n.5.* Opatouius *de Sacram.tract.de Eucharist.disput.2.q.2. n.26.* Dico igitur, Sacerdoti Latino in Ecclesia Latina licitum non esse vti fermentato, neque Sacerdoti Græco in Ecclesia Græca, etiamsi populus diu debeat Sacrificio priuari, & proximus absque Viatico decedere, quia vtilitas communis priuatis commodis præferri debet. At ad vtilitatem communem Ecclesiæ pertinet ritus præscriptos in Sacramentis conficiendis obseruare. Ergo hæc vtilitas cuilibet alteri vtilitati præferenda est. Adde præceptum communicandi in articulo mortis, & audiendi Sacrum diebus festiuis neminem obligare, nisi quando Sacrificium fieri potest seruatis legibus, & ritu ab Ecclesia præscripto: ergo, &c. Concedo tamen quod posset licitè Sacerdos Græcus in Ecclesia sua panem azymum adhibere, & Latinus in sua fermentatum ad euadendum mortis periculum, dum tamen istud in Ecclesiæ, vel Religionis contemptum non ei inferretur, siue intenderetur. Prior pars est clara:quia lex humana cum tanto periculo non obligat; consecrare autem in azymo determinatè,& in fermentato determinatè, lex humana dumtaxat est. Posterior pars æquè est certa, quia tunc ei periculo succumbere,esset infidelibus, quatenus infidelibus cedere, atque adeò in grauem Religionis iniuriam,quorum vtrumque intrinsecè malum est,& per consequens legi naturali, & diuinæ prohibitum.

Quoad hoc in tom.7.tr. 5. lege ex Resp.76. §. vlt. & etiam §.Secundò. & signanter sup.hoc vide alium vers. eius not.

3. Nota etiam hic obiter primò, quod Græci per Latinam Ecclesiam, & Latini per Græcam peregrinantes, sicubi propriam Ecclesiam propriis institutis, viuentes non habeant,in qua sint,possunt Græci in azymo, & Latini in fermentato celebrare,conformando se Ecclesiæ in qua existunt. Fundamentum est, quod iam significauimus: in legibus scilicet meræ positiuis posse vnumquemque se accommodare consuetudini loci, per quam transit. Non puto tamen improbabilem sententiam Auersæ *de Sacram. Eucharist.q.2.sect.4.* Vasquez *disp.274.cap.3.* & aliorum posse Sacerdotem peregrinantem extra propriā Ecclesiam teneri ad consecrandum iuxta morem suæ Ecclesiæ,Latinum scilicet in azymo,& Græcum in fermentato; quia quamuis admittamus, peregrinos teneri aliis legibus, & consuetudinibus loci in quo existunt, non tamen lege consecrandi in fermentato, aut in azymo, quia lex hæc sic peculiariter recepta à subditis, vt vnusquisque morem suæ Ecclesiæ, in qua habet domicilium, seruet; idque putant constare ex praxi approbata à Sede Apostolica, iuxta Leonem IX. Epistola illa citata: & Eugenium IX. supra.

4. Nihilominus probabilius est quod prius diebamus, posse scilicet se accommodare Ecclesiæ, non tamen ad id teneri,sed vtrumlibet posse facere,vel in azymo, vel in fermentato celebrare. Itaque si Latinus Sacerdos inter Græcos, aut Græcus inter Latinos peregrinetur, aut negotij causa breui tempore commoretur,pro libito licitè poterit siue azymo, siue fermentato ad consecrationem vti.

5. Nota secundò quod Latini Sacerdotes in Græcia commorantes,si permittātur ibi propriam Ecclesiam habere,tenentur consecrare in azymo,& similiter Græci in terris Latinorum propriam habētes Ecclesiam consecrare tenentur in fermentato: est etiam assertum communissimum,& omnino certum,vtpote traditum à Leone IX. *in epist.1.c.29.* & perfruitur vsus, vt Græcorum Romæ, & Latinorum Constantinopoli,vel etiam in Æthyopia.Ratio verò est,quoniam hoc ipso, quod permittantur propriam habere Ecclesiam, perinde se habent Latini ac si inter Latinos, & Græci ac si inter Græcos essent. Porrò in Ecclesia Græcis inter Latinos permissa nefas est Latinis consecrare in fermentato. Sicut etiam in Ecclesia Latinis inter Græcos permissa nefas est Græcis consecrare in azymo.Quia priuilegium iis solis conceditur,quibus Ecclesia. Quocirca Romæ in Ecclesia Græcorum non permitteretur Latinorum quispiam fermentatum adhibere.Sicut neque in reliquis Missæ cæremoniis Græcorum ritum imitari, nisi forte Sacerdos Latinus in Ecclesiæ Græcæ, vel Græcus in Latinæ Parochum,Capellanum,Vicarium,aut Beneficiarium eligeretur: tunc enim non solùm non posset, verùm etiam non deberet eius rei morem in omnibus sequi,quod proxima conclusione clarius constabit. Hæc omnia docent Bernal, & Dicastillus vbi supra, cum aliis communiter.

6. Non deseram tamen hic adnotare Leandrum *de sacram.tom.5.tract.7.disp.8.quæst.22.* docere quod casu quo Græcus esset incola apud Latinos, vbi sunt templa deputata ad seruandos ritus Græcorum,sicuti sunt Romæ, Panormi, & alibi, non teneatur seruare ritum propriæ Ecclesiæ. Nam non est credibile,'displicere Ecclesiæ Latinæ,vt Græci in ipsa commorantes non sequantur ritum suum, imo & ipsius Christi Domini. Ita Leandrus supra, qui pro hac senten

sententia adducit Granadum, Petrum Ledesmam, & Nugnum.

Docuit in 6 not. præteritæ.

7. At ego contrariam teneo sententiam, quam supra, & olim docui cum Vasquez, Suarez, & aliis, quos, me etiam citato, adducit Leandrus *vbi supra*, qui notat Montesinũ in manuscriptis docuisse, quod si Sacerdos Latinus existens in sua Latina Ecclesia (v.g. Romæ) vellet consecrare in Templo illo Græcorum, non posset consecrare in fermentato, & si Græcus vellet Romæ cõsecrare, non in suo Templo, sed in alio, non posset licitè consecrare in azymo.

Sup. hoc in Resol. præcrita. 5. Non est igitur. & lege etiam ibi doctrinam 5. Verùm, à medio, & pro vlt. difficult. huius Resol. ibid. in 5. vit.

8. Ex supradictis non mihi placet opinio Ledesmæ, qui existimat Græcos peregrinos teneri Latinæ Ecclesiæ se conformare, si quando in ea versentur; non autem è contra Latinos, quia hæc differentia absque fundamento est. Deinde obserua, non obstantibus dictis, non licere latinis in Græcorum templis, quæ habent in Ecclesia Latina, consecrare in fermentato. Vide Dicastillum *vbi supra*, & alios.

RESOL. CCVII.

De quibusdam quæstiis circa aquam naturalem necessariam in sacrificio Missæ, & Baptismo.

Et an panis ex aqua rosacea factus sit materia apta Eucharistiæ?

Et an si in sacrificio Missæ infundatur vino parum non aqua naturalis, sed aquæ rosaceæ, vel ex aliis herbis, aut floribus extractæ, conficiatur Sacramentum?

Et an peccet mortaliter Sacerdos, si aquam rosaceam, aut artificiosam misceat in Missa?

Et quid dicendum est, si in casu necessitatis non possit alia aqua haberi?

Et an sit peccatum mortale miscere in Missa aquam calidam vino, etiamsi aqua sit naturalis? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Resol. 18.

§. 1. VT hæc Resolutio Lectoribus non malè oleat, de aqua rosacea, & aliis aquis ex herbis, vel floribus extractis erit non incuriosus sermo.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 1. Resol. 13. & seq. paulò post init. vsum, à vers. Et certè, & seqq. & in tom. 3. tr. 1. Resol. 5. Tertiò poster. & lege etiam plura plus.

2. Quæro igitur primò, an in casu necessitatis Baptismus possit conferri sub conditione cum aqua rosacea, vel ex herbis extracta. Respondeo, nouissimè affirmatiuam sententiam tanquam probabilem admittere Stephanum Bauny *in Theol. Moral. tract. 2. q. 4.* vbi sic asserit. Infertur secundò ob contrariam rationem, in sudore corporis, humoribus expressis ab herbis, floribus, aut oculis conferri non posse, quia non sunt vera aqua simpliciter dicta elementaris, & vsualis secundum communem vsum, & conceptionem hominum. Non desunt tamen, qui pro extrema necessitate contrarium sentiant, quia non constat, an tales humores specie differant ab aqua naturali: ergo vt minimum materia sunt dubia Sacramenti: at materiæ dubiæ semper locus est in necessitate ex Reginaldo *loc. cit. n.* 13. quia sub pœna peccati mortalis est consulendum proximo periclitanti de anima, cùm id fieri possit sine certa Dei offensa: at vtrumque hic concurrit. Primò periclitatio de salute, cùm eius obtinendæ spes nulla sit ordinariè sine Baptismo. Secundò, concurrit etiam culpæ priuatio, cùm in tali casu Authores nullam agnoscant: necessitas enim extrema irreuerentiam excusat, quæ ea cessante in sacramentum admitteretur, Ministro se sua sponte exponente per vsum talis materiæ periculo nihil faciendi. Hæc sententia non est improbabilis, quam qui sequetur in necessitate extrema spirituali pueri, Baptismum non dabit, nisi sub conditione hoc modo. Si aqua qua vtor est materia Baptismi sufficiens, ego te baptizo, si non est, non te baptizo: sic enim admittendi sacrilegij periculum vitatur, vt ante est probatum. Hucusque Bauny. Cui etiam addealiquos viros doctos ex eadem Soc. Iesu de hac re à me consultos: & publicè hanc sententiam in Collegio Panormitano P. Franciscus Bardi tanquam probabilem docuit.

3. Sed aduersus hanc sententiam contra Pureanum, Tannerum, Chamerotam, & alios recognoscet meipsum *in p. 5. tr. 3. resol. 1.* & me citato nostrum P. Lantfranchum *tom. 2. opusc. 1. c. 4. n. 7. vsque ad n. 16.*

Quæ hic est in tom. 1. tr. 1. Resol. 53.

4. Quæro secundò, an panis ex aqua rosacea factus sit materia apta Eucharistiæ. Respondeo negatiuè cum D. Thoma omnium magistro *in 3. p. q. 74. art. 7. ad 3.* & aliis quos citat & sequitur Persicus *de offic. sacerd. lib. 1. cap. 12. dub. 2. num. 19.* & Bonacina *tom. 1. disp. 2. q. 2. punct. 1. n. 4.* cum Ioanne Vviggers *de sacram. in 3. part. quæst. 74. art. 3. n. 17.* Et ratio est, quia tam differt aqua rosacea ab elementari, quam farina triticea ab ea quæ est talis. Ergo vt variatio formæ idoneæ consecrationi officit, ita & variatio substantialis liquoris, quo farina in hoc Sacramento miscebitur. Confirmatur, succus herbarum, aut florum in fornace expressus vi ignis non est aqua nisi similitudine, & cum addito: dicitur enim aqua rosacea, v.g. & non simpliciter aqua. Deinde si aqua rosacea specie physica essentiali non differret à naturali, saltem distinguitur forma artificiali, & vsuali, quod in Sacramentis sufficit.

Sup. hoc supra in Resol. 196. §. Quæro secundò. ad lin. 8. & in Resol. 197. ad lin. 5.

5. Non desinam tamen hic adnotare Caietanum non solùm sacra Purpura, sed etiam litteris Eminentissimum *in 3. part. q. 74. art. 7.* in dubium hanc sententiam posuisse. Et ideò sic asserit. Circa aquam, ex qua fit panis pro Sacramento, vide rationem litteræ in calce articuli, ad probandum, quod oportet esse aquam veram, & naturalem, & suscipe illam vt rationabilem. An autem sit necessaria, cogitatione opus est, & ratio est eadem cum superiùs dicta de diuersis speciebus granorum componentium panem, quia enim ad Sacramentum sufficit, quod sit verus panis, si panis verus potest fieri ex aqua artificiali, puta rosacea, consequens est, quod non est de necessitate Sacramenti aqua naturalis. An autem panis confectus ex farina, & aqua rosacea, esset verus panis, experientia comprobandum esset, videndo in quo differret ab aliis panibus: nam si solo odore rosarum differre appareret, crederem ipsum esse eiusdem speciei cum aliis, cùm aqua non sit pars essentialis panis, sed materia transiens eiusdem; non enim permanet aqua secundum seipsam in pane, sed panis est tertia res resultans in commistione farinæ & aquæ per pastæ decoctionem: non est autem remotum diuersarum specierum res posse esse materiam transeuntem respectu alicuius vnius etiam homogenei, vt patet de his ex quibus generatur sanguis. Hucvsque Caietanus, sed contra illum insurgit nominatim Fagundez *in præcep. Eccles. præcept. 3. lib. 2. cap. 1. n. 14.* Coninch *de Sacram. q. 74. art. 3. n. 46.* Layman *lib. 5. tr. 4. cap. 2. n. 3.* Et ad argumentum Caietani, quod panis ex aqua rosacea confectus non videatur differre essentialiter ab aliis panibus, quidquid sit de differentia essentiali; respondeo differre saltem forma artificiali, & vsuali, quæ in materia sacramentali spectanda est. Nota tamen Valentiam *tom. 4. disp. 6. q. 2. punct. 1.* docere sententiam Caietani non esse improbabilem: sed Sotus *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 7.* dicit non esse tutam: ideò tu iudica.

6. Quæro tertiò, an si in sacrificio Missæ infundatur vino parum non aquæ naturalis, sed aquæ rosaceæ, vel ex aliis herbis, aut floribus extractæ conficiatur Sacramentum. Respondeo cum Ioanne Molano in Compend. Theologiæ practicæ *tr. 4. cap. 7. concl. 4.*

*num.*39. licitum esse non posse aquam rosaceam pro naturali in Missa cum vino miscerì : sed si misceretur, valida esset consecratio ; & ita in terminis docet Angelicus Doctor *in* 3. *part. quæst.* 74. *art.* 7. *ad* 3. vbi sic ait. Quia admistio ad vinum non est de necessitate Sacramenti, non refert quantum ad Sacramenti necessitatem, quæcumque aqua misceatur vino, siue naturalis, siue artificialis, vt rosacea : quamuis quantùm ad conuenientiam Sacramenti peccet, qui aliam aquã miscet, nisi naturalem, & veram : quia de latere Christi pendentis in cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus ; vt quidam dixerunt, ad ostendendum quòd corpus Christi erat verè compositum ex quatuor elementis, sicut per sanguinem fluentem ostendebatur, quòd erat compositum ex quatuor humoribus. Ita D. Thomas. Peccaret igitur mortaliter Sacerdos, si aquam rosaceam, aut artificiosam misceret in Missa : faceret enim contra præceptum, & consuetudinem in re graui.

7. Sed quid dicendum in casu necessitatis, quando non possit alia aqua haberi. Et licere tunc affirmat Paludanus *in* 4. *distinct.* 11. *quæst.* 1. *artic.* 6. *concl.* 3. Verùm aduersùs illum insurgit Persicus *de offic. Sacerdot. lib.* 1. *cap.* 2, *dub.* 7. *n.* 53. vbi *num.* 55. etiam quærit pulchrum dubiolum. An sit peccatum mortale miscere in Missa aquam calidam vino, etiamsi sit naturalis, & affirmatiuè respondet, quia sic faciens faceret contra consuetudinem Ecclesiæ, & nouum ritum introduceret. Et ita hanc sententiam præter Persicum docet etiam Fagundez *in præcept.* 2. *Ecclesiæ lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 14. aliqui verò de hac re à me consulti putant hoc esse nimis durum, quia non est mutatio grauis ritus. Concedo tamen, quòd si in aliqua frigidissima regione esset consuetudo miscere aquam calidam, ne forte vinum congeletur, posse sine vllo peccato id fieri.

RESOL. CCVIII.

Quidam Sacerdos in Calice multas guttulas aquæ infundebat, quæsiuit, an ita faciendo toties peccauerit ?

Et an Sacerdos possit infundere octauam partem aquæ, proportionabilem vino ?

Et an aqua in vinum non conuersa ante consecrationem, immediatè in Christi sanguinem conuertatur ?

Et an si fiat conuersio aquæ in vinum in illo medio tempore, in quo profertur forma, prolatis tamen illis verbis : Hic est Calix. *an tunc illa pars vini, quæ sit ex aqua, conuertatur in sanguinem Christi ?* Ex part. 3. tract. 4. Res. 49.

§. 1. RESpondi minimè, & adduxi Layman *in Theol. mor. lib.* 5. *tract.* 3. *c.* 2. *n.* 9. vbi sic asserit. Non ita sollicitè, ac scrupulosè curandum est Sacerdoti, vt aquam valdè modicam, vel vnam guttulam effundit (quod nescio, an satis conueniens sit, præsertim si fiat cum sollicitudine, ob quam fieri possit, vt phantasia, & sensu deluso nihil omninò effundatur, sed plures guttas effundere potest, imò etiam octauam, vel decimam partem proportionalem. Ita Layman, vbi docet opinionem, quam noster P. D. Paulus Aresius Episcopus Dortononensis, vir doctissimus, & amicissimus, olim ante omnes neotericos publicè in nostris scholis tenuit, & postea typis mandauit, *in disput. de aquæ transmutatione in sacrificio Missæ* ; nempe immediatè Christi sanguinem conuerti. Quam sententiam docet etiam Coninch *de Sacrament. quæst.* 74. *art.* 3. *dub. vnico*, qui testatur Romæ publicè defensam anno 1606. & iterum anno 1608. Pesl. *in* 3. *part. quæst.* 74. *artic.* 8. *disput.* 2. Suort. *de sacrificio Missæ, lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 13. Toletus *lib.* 2. *c.* 25. *num.* 4. Iansenius *in concordia cap.* 131. Petrus Soto *lect.* 4. *de Eucharist.* Alanus *de Sacrament. lib.* 1. *c.* 13. & aliquos affert Layman *vbi supra*, & noster Aresius *sect.* 7. Et hanc sententiam probabilem putant ipsimet aduersarij, vt patet apud Ledesmam *vbi infra*, in illis verbis. [Esto es lo mas probable, y que tiene mas aparencia,] quicquid in contrarium asserat Fernandez Heredia *disp. de Sacram. Baptism. p.* 3. *dub.* 1. *num.* 9. Homobonus *de exam. Eccles. p.* 1. *tract.* 4. *c.* 10. *quæst.* 86. Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. part.* 2. *de Sacram. Eucharist. quæst.* 1. *dub.* 3. *concl.* 2. Sylvius *in* 1. *part. quæst.* 74. *art.* 8. Villalobos *in summa tom.* 1. *tract.* 7. *diffic.* 7. *n.* 5. Sotus *in* 4. *distinct.* 9. *quæst.* 1. *art.* 6. Nugnus *in* 3. *part. quæst.* 74. *art.* 8. Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 45. *sect.* 4. Valentia *tom.* 4. *q.* 2. *disp.* 6. *punct.* 1. Arrorius *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 30. *q.* 3. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 14. *in glossa lit. D.* Ledesma *in sum. tract. de Eucharist. d. concl.* 8. & alij, quos citat, & sequitur Fagund. *præc.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 8. Pitigianus *in* 4. *sent. tom.* 1. *distinct.* 11. *quæst.* 7. *dub.* 5. Graffius *tom.* 1. *lib.* 3. *conf.* 3. *n.* 29. *de celebrat. Miss.* & Hyacinthus Petron. *in opusc. de necessitate præconuersionis aquæ in vinum, cap.* 12. *per totum.* Vide etiam Reginaldum *tom.* 3. *lib.* 29. *cap.* 2. *n.* 27.

Sup. hoc in Res. seq. §. vlt.

2. Sed hîc obiter in gratiam curiosorum ponam pulchrum dubium stando in hac opinione, an si fiat conuersio aquæ in vinum in illo medio tempore, in quo profertur forma, prolatis tamen illis verbis : *Hic est Calix*, si tunc illa pars vini, quæ sit ex aqua, conuertitur in sanguinem Christi : Patet Suarez, vbi *supra in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 45. *sect.* 4. negatiuam sententiam docet, quia illud pronomen *hic*, ostendit materiam præsentem : sed illa pars non est præsens, nec vinum, in illo instanti, in quo profertur illud pronomen. Ergo deinde si alia materia adduceretur de nouo, & fieret præsens in illo medio tempore, non consecraretur. Ergo neque ista, quoniam nimis est præsens res quæ non est.

3. Sed aduersùs illam affirmatiuam sententiam tenetur Nugnus *in* 3. *part. q.* 74. *art.* 8. *in fine*, & docet, quòd talis materia maneret consecrata, quoniam intentio ministri, cùm sit religiosa, refertur ad instans in quo fit consecratio, sed tunc est illa materia præsens, & sufficiens. Ergo. Et ad argumentum Suarez respondet, quòd etiam in illo instanti, in quo profertur illud pronomen, est illa materia moraliter præsens, quoniam suppositis dispositionibus est præsens in minima distinctione temporis, & vt ait Aristoteles, quod parùm distat vt fiat, nihil distare videtur. Ad confirmationem quidquid sit de antecedenti, negat consequentiam, quia ibi est omninò per accidens, quòd fiat præsens materia in brouissimo illo tempore : in nostro autem casu suppositis dispositionibus, quæ ex natura rei ordinant conuertionem ad illud instans, est per se. Et hæc omnia Nugnus. Sed quia Confessariis speculatiua non ita placebunt, idcò ad alia practicabilia deueniamus.

RESOL. CCIX.

An si à Sacerdote gutta aquæ in vino non misceatur propter paruitatem materiæ excusetur à mortali ?

Et notatur, quod si aqua non fuerit in vinum conuersa ante consecrationem, conuertitur tamen immediatè in sanguinem ? Ex part. 5. tract. 5. Res. 56.

§. 1. NOstri temporis hæretici, vt refert Bellarm. *lib.* 4. *de Euch. cap.* 10. censent mixtionem aquæ cum vino pro consecratione Calicis esse indifferentem, & liberam.

2. Sed

ad hoc ne defectas legere doctrinā Ref. 46. in num. 3. tr. 1.

2. Sed contraria sententia prorsus est tenenda, & ideo ad dubium propositum respondeo negatiuè cum Ioanne de Lugo *de sacram. Euch. disp. 15. sect. 2. num. 22.* vbi sic ait: Dato quòd materia parua secundùm se non possit ab Ecclesia prohiberi grauiter, quando tamen est materia magna in ordine ad significationem, potest, vt gutta aquæ in Calicem mittenda propter mysterium & significationem præcipitur ab Ecclesia sub mortali. Ita ille.

Sup. hoc in Ref. præterita §. 1. ad fin. 14. à vers. nempe immediatè, & lege eam vsque in fi. num.

3. Notandum est etiam hîc in gratiam amicissimi & doctissimi viri Pauli Aresij Episcopi Tortonensis, quòd si aqua non fuerit in vinum conuersa ante consecrationem, conuertitur immediatè in sanguinem, & ita docet præter DD. alibi à me relatos nouissimè, me etiam citato, Ioannes de Lugo *de sacr. Eucharist. disp. 4. sect. 4. n. 48.* & Ioannes Præpositus *in 3 p. q. 74. art. 8. dub vnic. num. 58.*

RESOL. CCX.

Quidam Sacerdos post consecrationem Sanguinis inuenit in calice aliquas guttas separatas à vino, & illas cum purificatorio ante sumptionem sanguinis abstersit, quæritur, an illæ guttæ fuerint consecratæ? Ex part. 2. tr. 17. & Misc. 3. Ref. 16.

Sup. hoc in Ref. seq.

§. 1. REferam, quæ de hac quæstione apud authores inuenio. Coninch. *de Sacram. q. 74. art. 2. dub. 3. n. 43.* hæc asserit. Nota legitimam intentionem consecrationis calicis, secundùm communem, & optimam praxim, ferri solùm circa omnem humorem consecrabilem, qui in calice per modum continui, aut quasi continui continetur, vt comprehendat etiam aquam vino permixtam, & guttas vini, quæ proximæ continuo liquori calici intrinsecus adhærent, ita vt parua calicis agitatione reliquo vino misceantur. Tales enim guttas vini, vel priùs abstergi; vel cum reliquo vino consecrari omnino expedit, ne materia non consecrata, misceatur consecratæ. Quare, nisi consecrans aliud expressè intendat, censetur communiter hanc totam materiam, & nullam aliam consecrare, & consequenter, nec guttas remotiores circa extremum labrum calici adhærentes. Quamuis magis expediat, priùs omnes guttas, præsertim remotas, abstergere, & tunc simpliciter omnem materiam consecrabilem, quæ est in calice, consecrare. Hæc Ægidius.

2. Sed Martinus Bonac. *tract. de Sacr. disp. 4. q. 2. punct. 6. n. 7.* absolutè asserit, omnes vini guttas, quæ sunt in calice, licèt separatas à vino manere consecratas, & reddit rationem; nam intentio Sacerdotis ferri videtur circa totam materiam in calice existentem, quæ demonstratur per particulam *hic*, vt patet à simili de consecratione plurium hostiarum in eodem vase existentium.

3. Ex his existimandum erat peccasse mortaliter Sacerdotem illum, qui vini guttas existentes in calice, post consecrationem abstersit, nam erant consecratæ.

4. Attamen illi, pro sua consolatione, contrariam sententiam, apud Reginaldum, demonstraui, sic enim ait *in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 2. n. 19.* Si aliquæ sunt guttæ vini, vel extra calicem, vel in calice separatæ à toto vino, quod in calice ipso continetur eas probabiliter iudicari non consecratas, ob defectum intentionis; namque intentio habenda circa materiam calicis est, vt Sacerdos intendat consecrare illud, quod per modum vnius continui potabile existit intra calicem. Sic ille.

RESOL. CCXI.

An guttæ vini, quæ sunt in Calice separatæ à vino, quod est in fundo Calicis remaneant consecratæ? Ex p. 3. tract. 4. Ref. 32.

Quæ hîc est Ref. antecedens.

§. 1. HIc casus frequenter accidit, & affirmatiuam sententiam docet Bonacina, quem ego adduxi *in tract. 3. miscell. resol. 16.* sed contrarium tenendum est, nam hæc videtur esse communis, & optima Ecclesiæ intentio consecrandi omnem liquorem consecrabilem, qui per modum vnius continui in calice continetur. Et ita præter Reginaldum, & Suarez docet nouissimè Layman *in Theol. moral. lib. 5. tract. 4. cap. 2. n. 14.*

2. Quod autem tenet Coninch. *de Sacrament. quæst. 74. art. 2. dub. ... num. 43.* eas quoque vini guttas consecrari, quæ intra calicem reliquo liquori proximæ adhærent, vt leui calicis commotione admisceantur, difficultatem etiam habet secundùm Layman *loco citato* nam determinari non potest, quanta omnino esse debeat talium guttarum propinquitas; fatetur enim ipsemet Coninch remotiores non consecrari. Neque verò potest consecratio (sicuti neque alterius Sacramenti confectio) pendere à futuro euentu contingente, vt nimirum eæ solum guttæ consecrentur, quas postea continget calicis agitatione reliquo liquori commiscere. Dicendum est igitur illud vinum consecrari, quod per modum vnius continui potabile existit in fundo calicis.

RESOL. CCXII.

An si in campo in aliqua Ecclesia non reperiatur Hostia, sed tantum particula, liceat Sacerdoti eam celebrare? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 80.

Sup. contento in hac Ref. in Ref. seq.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Marchantius *in Candelabr. Sacram. qq. Pastoral. tract. 4. cap. 5. q. 3. cas. 6. fol. 185.* vbi sic asserit. Si haberi maior Hostia non possit, an ex minoribus liceat adhiberi? Respondeo in Missa priuata & secreta id fieri posse, cùm non inueniatur præceptum in contrarium, gratiusque videri Deo sic celebrare, quàm non celebrare, licèt non sit festus dies, maximè si non sit periculum de scandalo, tunc enim id etiam vrgente causa publicè fieri nihil vetaret. Ita ille, & ego.

RESOL. CCXIII.

An si v. g. non inueniatur Hostia magna, possit Sacerdos celebrare, & consecrare particulam paruam? Et an hoc licitum sit, si adsit ad minus iusta causa, & necessitas aliqua? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 55.

Sup. contento in hac Ref. in Ref. præterita.

§. 1. DE hoc casu his diebus interrogatus fui. Et aliqui negatiuè respondebant, quia est de necessitate præcepti, vt Hostia sit rotunda, ac debitæ magnitudinis: nam etsi magnitudo, aut paruitas non obstent, quò minùs per se loquendo validè consecretur materia, non licèt tamen Sacerdoti in quantalibet magna quantitate, aut modica id facere, ob ingentia incommoda, certaque peccandi pericula quibus talis actio exposita patet.

2. Sed hæc omnia admittenda essent, si Sacerdos consecraret Hostiam quantitatis modicæ sine aliqua iusta causa; secus autem si hoc faceret ex aliqua necessitate; & ideò non grauabor hîc apponere verba

instructionis ordinandorum pro Archiepiscopatu Hispalensi, quæ nouissimè anno 1640. iussu Inquisitoris Martini Real viri quidem docti & amicissimi edita fuit: vnde *in part.5. §.8.n.4.* sic habetur. [Es necessario que la ostia de la Missa sea mayor que la forma que se da à los seglares. Respondeo. Que si no ay mas que esta forma se puede dezir en secreto Missa con ella, y si es dia de fiesta paraque cumplan con el precepto otros muchos se puede, y aun se deue, y se los auisera antes si fuere necessario para que no se escandalizen. Assi lo sientan Varones doctos, quibus ego libenter adhæreo.

RESOL. CCXIV.

An oblatione Hostiæ iam factæ, si offeratur Sacerdoti particula pro communicando laico, possit illam consecrare?

Et quid, si Præfatio iam esset incepta?

Et an, quando hoc fit, debeat oblatio eius fieri mente concepta? Ex part.2.tr.14.Resol.71.

Sup. hoc lege magis latam doctrinam in Resol. seq.

§.1. NEgatiuam sententiam videtur docere Bonacina *de Sacram.disp.4. quæst.vlt.punct.2.n.6.* Sed contrariam sententiam probabilem etiam esse puto, quam nouissimè docet Bartholom.Gauantus *in comment.ad Rubricas Missalis, tom.1. p.3.tit.10.n.19.* non tamen hoc fieri debet remotius ab oblatione Hostiæ, puta iam cœpta Præfatione, & quando fit, efficiatur oblatione eiusdem mente concepta; sed magis amplè circa præsentem quæst. loquitur Posseuinus *de off.Curati, cap.2.n.17.* vide illum.

RESOL. CCXV.

An si dentur Sacerdoti particulæ pro communicandis laicis non solum post offertorium, sed etiam post Præfationem ante consecrationem, possit illas adhuc consecrare, facta oblatione dictarum particularum mente concepta? Ex p.6.tr.6. & Misc.1.Resol.7.

Quæ hic est Resol. antecedens.

§.1. POsse oblatione dictarum particularum mente concepta post offertorium ante præfationem vrgente aliqua causa iusta, docui cum Gauanto *in p.2.tr.14. resol.71.* Nunc tamen addam secundum Philibertum Marchinum *de Sacram.Ordinis tr.3.p.2. c.4.n.15.* etiam fieri hoc posse post præfationem; quia ait ille, oblatio particularum, neque de necessitate sacrificij, neque ex vi legis præceptiuæ coniungi debet cum grandioris hostiæ oblatione, sed sufficit vtrasque simul tempore consecrationis in eodē corporali reperiri, vt omnes verba consecratoria æqualiter recipiant. Neque video maiorem rationem, cur ante præfationem id admitti debeat; minimè verò post cœptam Præfationem, cùm in neutro casu nullam oppositam legem habeamus. Ita Marchinus. Cuius sententiā videtur etiam docere Megalius *in Promptuar.tom.2.verb.Eucharistiæ materia, n.7.* vbi asserit facta oblatione ante consecrationem posse Sacerdotem recipere particulas ad aliquos communicandos, & illas vnà cum hostia iam oblata consecrare. Nota quòd non dicit facta oblatione ante præfationem, sed ante consecrationem; ergo etiam post Præfationem.

RESOL. CCXVI.

Quæritur, an illæ particulæ, quas quis inscio Sacerdote, consecrandas apposuit in corporali, remaneant consecratæ? Ex part.2. tractat.17. & Misc.3. Resolut.19.

§.1. EX communi DD. sententia, negatiuè respondendum est: nam materia consecranda debet determinari per intentionem consecrantis, vnde Coninch. *in 3.p.q.74.art.2.dub.3.n.39.* ait: Si sacerdote omnino inscio essent appositæ aliquæ hostiæ consecrandæ, non posset censeri has velle consecrare, etsi essent positæ in corporali, quia voluntas non potest ferri in omnino incognitum. Intentio autem consecrandi, quæ includitur præcisè in voluntate celebrandi sacrum, tantùm necessariò fertur circa materiam, quam manibus tenet tempore consecrationis, vel quæ est in calice: nisi aliquæ circumstantiæ cogant eam ad alia extendi. Ad quod necessarium est, vt hæ sint cognitæ à Sacerdote, quia intentio, vt dictum est, non fertur in omnino incognitū. Ita etiam Summa Angelica *ver.Euchar.1. §.26.* & Tabiena *ver.Eucchar.2. §.4.* cū Barth.ab Angel. *dialog.4. §.30.* & alij.

2. Sed quia aduersùs hanc sententiam, inuenio neotericum quemdam disputantem, in gratiam lectorum non reticeam eius verba. Igitur Didac.Nugnus *tom.1.in 3.p.q.74.art.2.difficult.vlt.* ait, Quòd si hostiæ positæ addatur alia, sacerdote inscio, consecratio vtriusque valida est. Ratio est, quoniam dum sacerdos non habet irreligiosam intentionem, semper intelligitur, & præsumitur habere religiosam intentionem, quam debet habere; quæ talis est: Mea intentio est consecrare istam hostiam, quia credo istam futuram esse præsentem, si tamen fortè alia præsens, mea intentio est illam consecrare. Et licèt hoc non dicat expresè, dicit tamen virtualiter, & includitur totum hoc in eo, quòd est habuisse rectam intentionem; aliud est, si habuit à principio formalem intentionem non consecrandi, nisi illam, quia tunc si fortè apponatur alia, nullum est sacramentum. Hæc Nugnus. Nec valet dicere, quòd materia consecranda debeat esse aliquo modo, vt diximus, determinata per intentionem consecrantis, vt probant Suarez *in 3.part. tom.3. disp.43. sect.6.* Valquez *in 1.part.tom.3.disp.71.cap.1.num.6.* Henriquez *lib.1. cap.14. num.5.* Toletus *lib.2. cap.25. num.6.* & alij. Nam, respondet Nugnus, quòd etiam in isto casu determinatur materia ex intentione Sacerdotis, quoniam quando accedit ad consecrandum, debet habere intentionem consecrandi illam quam habet præsentem, atque adeò non impedit quòd si alia, quam ipse apposuit à principio. An hæc opinio sit sequenda, videant viri docti.

RESOL. CCXVII.

Quidam Sacerdos in Sacristia habuit intentionem consecrandi particulas, quæ quidem in Pixide super Altare in cornu Epistolæ fuerunt ex errore appositæ, non autem super Aram, quæritur, an remanserint consecratæ, si Sacerdos amplius de illis non meminerit?

Et cur sim notatur, quod si Pixis posita super Corporale non aperitur tempore consecrationis, sit tamen consecratio? Ex p.3.tr.6.& Misc.2.Resol.103.

§.1. HIc casus frequenter potest accidere, & ego in facti contingentia negatiuam sententiam docui, quam tuetur P.Suarez *in 3.part.tom.3.disp.44. sect.6.* Et ratio est, quia intentio ministri debet esse rationabilis, non esset autem talis, si ministet intenderet consecrare particulas, positas extra Aram. Ergo in tali casu non est præsumendum Sacerdotem de-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctas particulas consecrare voluisse: & ideò nouissimè hanc sententiam docet Barthol. Gauantus *in rubricas Missal. tom. 1. p. 3. tit. 7. n. 4.* vbi sic ait. Quod hîc dicitur de ordinaria materia consecranda in Missa, intellige etiam quando plures particulæ ponuntur super altare, vt consecrentur, & in actuali consecratione non recordatur illarum Sacerdos, sed eius tantùm quam in manibus habet, tunc enim omnes sunt consecratæ. Debent tamen esse præsentes intra aram, non extra eam, inquit Suarez, aliàs non æstimaret illas consecratas esse. Ita Gauantus.

2. His tamen non obstantibus, contrariam sententiam probabilem esse putat Tanner. *in 3. p. D. Tho. disp. 2. dub. 2. n. 76.* quia etsi primò, & per se non sit hæc voluntas Ecclesiæ, adeóque nec ipsius consecrantis, vt hostiæ extra corporale consecrentur, tamen ex hypothesi facta, quod per inaduertentiam naturalem, hostiæ rationabiliter, & voluntate quidem non retractata sint ad consecrationem destinatæ, & in altari quamuis alieno situ positæ per accidens, & consequenter, idq; meritò ac iure velle tam Ecclesiã, quàm Sacerdotem consecrantem, vt hostiæ etiam cum eiusmodi situm, quẽ diximus, habent, (non verò, si omninò extra altare sint positæ) consecrentur; præsertim cùm ordinariè alioqui, vel scandalum, vel saltem perturbatio grauis oriri soleat, si quãdo tali casu hostiarum propositarum consecratio non valeret. Hæc Tannerus, qui tamen postea cum formidine loquitur, & suadet non esse recedendum à sententia negatiua. Nota tamen obiter, quòd si pyxis posita super corporale, non aperitur tempore consecrationis, fit tamen consecratio. Ita omnes Doctores.

RESOL. CCXVIII.

An si Sacerdos habuit intentionem consecrandi particulas positas in Pixide, quæ non fuit à Sacrista, vel ab ipso posita super corporale, sed in cornu Altaris, an inquam, particulæ illæ habendæ sint tanquam consecratæ?

Et aduertitur, quod si Sacerdos, qui ante se habet duas Hostias, putat se vnicam habere, & intendat vnam consecrare, nihil determinando, vtramque futuram consecratam.

Idem est dicendum de particulis, quod est valdè notandum ad tollendos scrupulos. Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2. Res. 19.

Quæ hic est Ref. an ecclesiæ, & infra in Ref. 231. & Sed in gratiam, in principio.

§. 1. DE hoc casu in praxi frequentissimo ego *in 3. part. tract. 6. resol. 103.* adduxi aliquos Doctores hoc dubium in terminis pertractantes; nunc verò in gratiam studiosorum libet per extensum referre circa præsentem quæstionem verba Philippi Gamachæi *in 3. p. D. Tho. q. 74. c. 4. fol. 343.* vbi sic asserit. Tertiò occurrit difficultas, si Sacerdos, v. g. posuerit supra Altare tres, aut quatuor panes cum animo, & intentione consecrandi, sed per obliuionem, & inaduertentiam duo remanserunt in cornu Altaris, nec sunt in loco debito supra Corporale, vel etiam illic posuerit in loco debito, sed postea Diaconus abstulit duos, quia cognouit non esse necessarios, posuitque ad latus inscio Sacerdote. Causa dubitandi est, quia ex vna parte videntur isti duo panes verè consecrati; cùm Sacerdos ab initio habuerit intentionem, nec reuocauerit, & materia sit pars propinqua satis præsens, & verba generaliter prolata absque restrictione, ergo, &c. E contra verò non placet aliis hæc sententia, quia etiamsi Sacerdos ab initio voluerit talem materiam consecrare, non tamen voluit tali in loco extra Corporale, & sacram pallam, quia hoc non licet, sed includit aliquod peccatum, & Sacerdos pius, ac probus non censetur intendere id, quod malum est.

2. Suarez *disp. 43. sect. 6.* credit tales panes non esse tunc consecratos, quia intentio necessaria ad confectionem Eucharistiæ non est quocumque modo intelligenda, sed solùm si materia habeat præsentiam debitam, & legitimam, quam iuxta morem Ecclesiæ conuenienter, & sine peccato habere debet: atqui illa non est conueniens, sed planè illicita, vt reponatur ad latus Altaris extra sacram pallam. ergo, &c. Confirmatur, si enim interrogatus fuisset Sacerdos ante Missam, vtrùm vellet tali loco panem consecrare, proculdubio dixisset se nolle, imò malle omnino nõ celebrare, quia id esset manifestum peccatum. Hinc ergo apparet nullam prorsus fuisse eius intentionẽ. Tertiò dici nequit suppleri hunc defectum Sacerdotis per intentionem Ecclesiæ, quatenus ipse voluit quod vellet Ecclesia, non enim Ecclesia vult etiam consecrationem hoc modo, & tali loco fieri, sed potiùs absolutè prohibet. ergo. Magis tamen placet opposita sententia: nimirum huiusmodi panes verè tunc consecrari. Probatur, quia etiamsi Sacerdos non proposuerit tali loco consecrare, & apposuit consecrandum, nec mutauit, aut reuocauit sententiam, fuit quoque materia idonea, vtpotè verus panis, & in distantia sufficiente ad veram consecrationem, quia super Altare, & verba consecrationis generaliter absque vlla restrictione prolata fuerunt; & quamuis Sacerdos ex hypothesi noluisset consecrare in tali loco si animaduertisset, tamen reuera non habuit istum nolendi actum, sed potiùs contrariam actionem elicuit, voluítque absolutè consecrare, nec de vlla exceptione cogitauit. ergo, &c. Deinde à simili argumentari possumus, quia nec pius Sacerdos vellet eam celebrare, si putaret se esse in peccato mortali, sed mallet omnino abstinere, nec tamen id impedit, quin sit vera consecratio ab eo facta in tali peccato, quod tunc ignorauit, etiamsi post Missam fortasse recordetur; quamuis enim voluisset, si sciuisset; tamen reuera absolutè voluit, quia impedimentum ignorauit. ergo à pari, &c. Tertiò non etiam obstat, quod dictũ fuit de intentione Ecclesiæ, alia enim intentio circa substantiam Sacramenti, alia circa modum, & conditiones, vel circumstantias morales, & Ecclesia prohibet quoque offerri sacrificium in loco profano sine sacris vestibus in statu peccati, vel excommunicationis, nec tamen ista omnia simpliciter impediunt verã Eucharistiæ confectionem, si fortè hæreticus & impius Sacerdos ex hypothesi eo modo conficere voluerit; concurrunt enim omnia essentialia, vtpotè materia, forma, & Minister simul cum intentione, & potestate characteris. ergo in præsenti quæstione idé etiam dicendum. Vnde sequitur grauiter peccare Sacerdotem, facta iam consecratione, si tales hostias irreuerenter habeat, & contrectet, tanquam verum panem, vel conuertat in profanos vsus, quia etiamsi fateamur nostram hanc sententiam non esse indubitatam, nihilominus valde est probabilis, sufficítque saltem ad timorem incutiendum, vt Sacerdos non se exponat periculo sacrilegij. Neque tamen etiam concludimus hostiam habendam esse tanquam certissimè infallibiliter consecratam; res enim aliqua difficultate non caret, sed dicimus videri consecratam; simúlque in hoc dubio consilium damus vt Sacerdos non sumat, nec distribuat seorsim talem hostiam, sed ponat cum altera hostia, de cuius consecratione sit certus, & ita eam manducet, aut alteri manducandam præbeat. Ita Gamachæus.

3. Sed ego *vbi suprà* cum Suarez & Nauarro, quibus nunc addo Mercerum *de Sacrament. quæst. 74. art. 1.*

*art.*2.*n.*5. absolutè docui supradictas particulas non esse consecratas; licèt adduxerim pro contraria sententia Tannerum, qui tamen cum formidine loquitur. Verùm modò non desinam hîc adnotare Ioann. Præpositum *in* 3.*p.D.Thom.quæst.*74.*art.*2.*dub.*3.*n.*19. affirmatiuam sententiam absolutè tamquam probabilem docere, quia, ait ille, Sacerdos qui aduertit reponi formulam vnam,vel plures, vt eas simul cum principali consecret, habet voluntatem consecrandi; decernens tamen priùs eas decenter collocare supra Corporale, ita vt respectu illarum formularum non tantùm habeat actum qui explicatur, per *volam consecrare*,& sit solùm voluntas volendi,sed habet eum, qui explicatur per *volo*, & est præsens voluntas consecrationis futuræ; ex qua voluntate etiam in futurum procedit in Sacro. Nec eliditur ea voluntas ex eo, quòd ex naturali inaduertentia non reposuerit super Corporale huiusmodi formulas ante consecrationem. Vnde communiter excusatur à peccato, eo quòd inculpatè omittat formulas ante consecrationem super Corporale reponere, & verè consecrat, quia non obstante naturali inaduertentia eius, quod facere debuerat,manet virtualis intentio has formulas consecrandi. Hæc Præpositus *vbi supra*. Cuius sententiam licèt ego, vt dixi, contrariam teneam, non tamen tamquam improbabilem audeo damnare.

4. Aduertendum est etiam hîc obiter cum Præposito *num.*14. Mercero *loco citato*, & aliis communiter, quòd si Sacerdos, qui ante se habet duas hostias, putat se vnicam habere, & intendat vnam consecrare,nihil determinando, vtramque futuram consecratam; idem dicendum de particulis; quod est valde notandum ad tollendos scrupulos.

RESOL. CCXIX.

Quidam Sacerdos post Offertorium reposuit Pixidem in Tabernaculo plenam particulis, & clauso Tabernaculo postea tempore consecrationis habuit actualem intentionem, dictas particulas consecrandi,quæritur, an re vera consecratæ remanserint?

Et deducitur, an Sacerdos cæcus possit consecrare Hostiam ante se positam, quam nullo sensu perciperet?

Et an panis in arca, & vinum in dolio apposita,validè consecrentur,modo existant coram Sacerdote, si ipse omnem materiam consecrabilem sibi moraliter præsentem consecrare intenderet?

Et an validè consecretur à Sacerdote Hostia, quæ sit post parietem?

Et an, si in Altari ponatur Pixis argentea cum particulis tegmine lineo occlusa; vel si in arca claudatur fiscella panis plena, nonne erunt particulæ illæ, vel panis materia consecrabilis?

Et an particulæ appositæ sub Mappa Altaris, vel sub Corporali, vel Missali, validè consecrentur.

*Et quid est faciendum in supradictis casibus, si contigerint facti in praxi?*Ex p.7.tr.10.& Misc.1.Res.7.

Sup. hoc supra in Res. 199. §. vlt. & infra in Res. seq. lege §. Qui etiam.

§.1. HIc casus nouissimè in facti contingentia, accidit, & pro parte affirmatiua posset quis dicere: Primò, pronomen, *hoc*, non semper significat rem aliquam realiter præsentem: nam à Dialecticis sæpè sumitur ad significandam rem,quam solo intellectu fingimus præsentem; ergo ad veritatem formæ non est necessaria realis materiæ præsentia. Secundò, si materia deberet esse præsens celebranti, hoc ideò esset necessarium, vt aliquo sensu perciperetur: sed hoc non est verum; quia Sacerdos cæcus posset consecrare hostiam ante se positam,quam nullo sensu perciperet. Vnde Sotus, *in* 4.*dist.*9. *quæst.*1 *art.*2. testatur se vidisse Episcopum cæcum in Concilio Tridentino cum licentia Pontificis celebrare. Tertiò in nostro casu,vt patet,nec indiget probatione,materia, non videtur satis distans à Sacerdote,nec officit quod sit clausa in Tabernaculo; quia non est necesse, vt validè consecretur, quòd tota distantia inter materiam, & ministrum sit oculis peruia,ita vt nullum corpus interiectum sit: Et ideò vinum, & panis in arca, & in dolio apposita validè consecrarentur, modò existant coram Sacerdote, si ipse omnem materiam consecrabilem sibi moraliter præsentem consecrare intenderet:Nam possunt demonstrari per particulas: *Hoc est corpus meum*,vel *Hic est calix sanguinis mei*; ergo non est necesse, vt validè consecretur,quod tota distantia inter materiam consecrandam, & ministrum consecrantem sit oculis peruia, ita vt nullum corpus interiectum sit. Tum quia corpus interiectum inter materiam consecrandam, & Ministrum consecrantem, non tollit moralem præsentiam, & propriissimè potest per illam vocem, *Hoc est*, vel *Hic est*, designari, seruata eius proprietate & significatione; Ergo. Et ideo Ioan.Maior *in* 4. *sent. dist.*10.*quæst.*1. asseruit, validè consecrari à Sacerdote hostiam, quæ sit post parietem.

2. His tamen non obstantibus, ego existimo, in casu de quo loquimur,Sacerdotem non solùm illicitè,sed etiam inualidè consecrasse. Dico igitur, quod materia consecrationis debet esse præsens Sacerdoti, quia verba illa: *Hoc est corpus meum*, *Hic est calix sanguinis mei*, cùm non dicantur tantùm recitatiuè, seu historicè, sed etiam formaliter, & assertiuè, significant ex se rem aliquam præsentem.Et Christum ipse ea protulit circa materiam præsentem, quod etiam Ecclesia obseruat.

3. Dubium est autem qualis debeat esse eiusmodi præsentia. Nonnulli putant, materiam ita debere esse præsentem, vt verba consecrationis vel realiter, vel intentionaliter ad eam perueniant, Sed communam præterquam quod in nostra sententia, vox Sacerdotis non operatur physicè conuersionem panis: quamuis sic eam perficeret, posset ex communi opinione, agere in materiam distantem, quam per sonum, aut per speciem illius intentionalem realiter non attingeret. Dicendum ergo requiri, vt materia consecranda moraliter sit præsens Sacerdoti. Pronomina quippe demonstratiua *Hoc*, & *Hic*, absolutè prolata, & sine alia designatione rei demonstratæ, non nisi in materiam validè propinquam,& moraliter præsentem cadere solent: quare cùm formæ consecrationis eiusmodi pronomina contineant, necessa est vt materia per illas consecranda moraliter in præsens. Vbi obseruandum est, ad hanc præsentiam moralem, duo requiri: Primò,vt materia consecranda physicè parum distet à consecrante: Secundò, vt consecrans aliquo sensu eiusmodi materiam percipiat, vel ratione sui, vel ratione continentis, quia aliàs per pronomen demonstratiuum non posset eam designare, aut quod sub ea latet.

4. Concedo itaque,vt dixi, quòd non sit necesse, vt materia ipsa in se videatur, aut videri possit, sed sufficit si videatur in re eam continente; ad quod requiritur, vt hæc sit talis,quæ ex communi vsu loquendi destinari ad eiusmodi res continendas: ita vt ea visa in his circumstantiis,facilè concipiam tale quid in ea contineri.Hinc ostendendo marsupium plenum auro,vsitatissimo loquendi modo,& verè dico, Hoc est aurum. Igitur continens, & contentum, quoad præsentiam per modum vnius designantur. Ex his apparet in casu nostro Sacerdotem validè particulas non consecrasse, quia dum erant in Pixide, & clausa in Tabernaculo, materia Sacramenti non erat præ-

sens

sens coram Sacerdote, neque ratione sui, neque ratione continentis: Ergo. Et hanc nostram sententiam in terminis, vt dici solet terminantibus, docet Coninch *de Sacrament. quæst. 74. art. 2. dub. 1. num. 22.* Auersa *de Sacram. Euchar. q. 2. sect. 2.* Filliuc. *tom. 1. tract. 4. cap. 3. n. 99.* Bonacina *de Sacram. Euch. disp. 4. sect. 2. punct. 6. n. 9.* & Marchantius *in quæstione inst. part. 2. tract. 4. cap. 1. q. 1. ras. 2.*

5. Superest modò respondere ad argumenta contraria in principio Resolutionis apposita, & ad primum, Respondeo negando consequentiam, quia, quando particula, *hoc*, vel *hic*, ponitur sine circumstantiis eam ad aliud significandum determinantibus (vt fit in forma consecrationis) semper designat rem realiter præsentem. Ad secundum, respondeo negando maiorem, nec enim est necessarium, vt materia actu aliquo sensu percipiatur, sed vt possit percipi, quantum est ex parte sua, vt patet ex dictis. Dico igitur Sacerdotem cœcum validè consecrare posse materiam præsentem, quam coram se habet, quamuis illam non videat. Quia non est necesse, vt materia consecranda, actu videatur; sed sufficit vt sit præsens moraliter, & designetur per particulam: *Hoc est, Hic est*, quidquid asserat Nugnus *in 3. p. tom. 1. q. 74. artic. 2. dub. 1.* Ad tertium, respondetur, omnia in eo contenta nihil officere, nam concedo materiam in Tabernaculo positam, non esse nimis distantem à Sacerdote; hoc tamen non obstante, non dicitur præsens moraliter, neque potest designari per verba: *Hoc est*: ex superiùs adductis, quia videlicet non est præsens, nec ratione sui, nec ratione continentis.

Sup. hoc ista pra ante medium §. 1. huius Resl. à vers. Vnde, & in alia Resl. eius not.

6. Exempla verò in contrarium adducta toto cœlo differunt à casu nostro; nam in dictis casibus, licèt materia in se ipsa non sit præsens sensibus, est tamen præsens in aliquo ipsam continente, quod sufficit, vt dictum est, quia in eo casu per metonymiam secundum quam sumitur continens pro contento, materia potest demonstrari pronomine *hoc*, vel *hic*. Ad auctoritatem denique Ioannis Maioris, asserentis posse consecrari materiam existentem post parietem, Respondeo cum Valentia *tom. 4. disput. 6. q. 2. punct. 3.* & aliis, eius sententiam esse falsam.

Sup. hoc supra in duabus vlt. lin. §. 1. huius Resl. &c.

7. Verùm, licèt omnia supradicta ego tenoam, & putem in hoc casu particulas occlusas in Arca, non remansisse consecratas, cogitandum tamen Lectoribus relinquo, an contrarium probabiliter possit quis asserere; nam Tabernaculum non interponitur inter ministrum consecrantem, & materiam consecrandam, absque vlla habitudine ad illam, vt interponitur paries; quare rectè sentiunt Doctores citati contra Maiorem, & vt obseruat Ochagauia *de Sacram. Euchar. distin. 1. quæst. 6. num. 13.* hostia existens post parietem, non dicitur contineri in pariete. Ergo. Sed Tabernaculum in nostro casu, verè continet particulas, & interponitur inter Sacerdotem consecrantem, & materiam consecrandam, veluti continens, & conseruans illam: Ergo cùm habeat rationem continentis, & conseruantis materiam, non videtur tollere sufficientem moralem præsentiam; vnde negandum est, quod *supra* tanquam certum admittitur, nempe in nostro casu materiam non esse præsentem coram Sacerdote, neque ratione sui, neque ratione continentis.

Sup. hoc supra ad medium §. 1. huius Resl. & vers. Et ideo, & in alio vers. eius not.

8. Et quidem, ego non video, quare panis in arca clausus, sit materia consecrabilis, & non particulæ in Tabernaculo occlusæ, cùm in vtroque casu sit par ratio, nempe quia continet in se materiam consecrandam, moraliter præsentem, & quæ potest designari à Sacerdote per illam vocem, *Hoc est*.

9. Nec valet dicere hanc doctrinam procedere de immediato, & proximo continente materiam consecrandam, vt dicunt Doctores communiter, de Pixide clausa continente particulas; sed, in casu de quo loquimur, Tabernaculum solum continet Pixidem, pixis verò proximè continet materiam consecrandam: Ergo. Respondeo, quod Tabernaculum communiter dicitur conseruare, & continere Sacramentum non obstante, quòd Sacramentum sit in pixide. Vel posset quis respondere in nostro casu Pixidem, & Tabernaculum à Sacerdote designari per modum vnius: Ergo poterit valida fieri consecratio, quia hîc, & nunc, secundùm morale iudicium, materia censetur præsens. Adde, quod si in Altari ponatur Pixis argentea cum particulis tegmine lineo occlusa, vel si in arca claudatur Fiscella panis plena, nonne erunt particulæ illæ. vel panis materia consecrabilis? & tamen nec arca proximè tangit & continet panem, nec tegmen illud ligneum particulas, sed Pixis & Fiscella: Ergo & in casu nostro erunt materia consecrabilis particulæ in Pixide occlusæ intra Tabernaculum; Dicendum est igitur, quod sicut arca & Fiscella, vel Pixis, & tegmen lineum per modum vnius continent panem, & ideò ille sit materia consecrabilis; nam continens, & contentum idem reputantur; sic & in casu nostro, sint Tabernaculum, & Pixis per modum vnius, continentia particulas; Ergo & illæ erunt materia consecrabilis præsens moraliter, & designabilis per pronomen *Hoc*.

10. Confirmatur hæc opinio; nam si particulæ appositæ in Tabernaculo non remanerent consecratæ, idem dicendum esset de particulis appositis sub mappa Altaris, vel sub Corporali, vel in Missali; & ita in specie tenet Coninch *de Sacramentis quæst. 74. art. 1. dub. 1. num. 22.* Ochagauia *de Sacram. Eucharistiæ, tr. 1. q. 6. n. 13.* & Layman *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 4. cap. 2. n. 10.* asserentes particulas in Tabernaculo, & sup mappa appositas, non esse materiam consecrabilem. Sed Doctores grauissimi, vt Caspensis *in Cursu Theologico, tom. 2. tract. 22. disp. 2. sect. 6. num. 36.* Candidus *tom. 3. disquis. 2. art. 2. dub. 62.* & alij, asserunt particulas sub mappa, vel Missali positas validè consecrari. Ergo etiam secundum ipsos de occlusis in Tabernaculo dicendum videtur. Ideo tu cogita. Et quidem Card. de Lugo perpendens vt reor difficultates ex vtraque parte, *de Sacram. Euchar. disput. 4. sect. 7. n. 123.* dixit, quòd hostia existens in Sacrario valde dubium est, an possit consecrari, ergo per Lugum non est certum hostias in Tabernaculo appositas non esse consecratas. Itaque pro praxi, quando casus acciderit, puto dictas particulas assumendas esse à Sacerdote post assumptum sanguinem, vt in casu simili obseruat Gamachæus *in 3 p. q. 74. cap. 4.*

Sup. hoc in §. vlt. Resl. seq.

RESOL. CCXX.

An Sacerdos possit consecrare Hostiam post tergum, vel parietem existentem?

Et quid, stante Hostia post tergum, si per speculum cerneretur?

Et an panis in Sacrario contentus validè consecretur?

Ex quo cursissime infertur, quod absolutio data moribundo in domo incluso non est valida?

Et quæritur, an Hostia sub linteo sit materia consecrabilis? Ex part. 10. tract. 16. & Misc. 6. Resol. 41. aliàs 40.

§. 1. NOn posse consecrari Hostiam existentem post murum, seu parietem, nec hostiam existentem à tergo, si à Sacerdote manibus non tangatur, ex Suarez, Valentia, & aliis tradit Dicastillus *de Sacrament. tom. 1. tract. 4. disput. 2. dub. 11. numer.*

Sup. hoc pro Hostia existente post parietem, in fine §. 1. Resl. præteritæ, & in alio §. eius not.

*mer.*192. & 203. Sed nouissimè has quæstiones pertractans P.Bernal *de Sacram.disp.*29.*sect.*2.*num.*11. sic ait: Assero tertio. Si materia sit propè, nec tamen queat in se,vel in alio,cum quo moraliter faciat vnũ, sensu aliquo à Sacerdote percipi, necesse est, vt vel aliquo alio signo ab ipso designetur, vel per aliquod artificium actu, & re ipsa ab eo sentiatur; Declaro partes ambas in pane, qui esset trans parietem. Non enim esset sufficienter sensibilis, vt validè consecrari posset, quidquid reclamet Maior: quia nec possit sentiri in se ipso, vt supponimus, nec in pariete, quia cum isto non faceret vnum per se. Cæterum validè consecraretur, si Sacerdos extenso intra parietem brachio, & intento in eum panem digito consecrationis formam proferret: vel si disposito vno, vel altero speculo panem illum actu conspiceret. Similiter non posset panem à tergo positum validè consecrare nuda verborum prolatione:quia non est aptè præsens, vt designetur pronomine *Hic*, aut *Hoc*: si tamen digitum in eum conuerteret,vel ipsum in speculo conspiceret, validè consecraret. Nam & nihil communius, & humano consortio accommodatius, quam rem à tergo existentem intento in eam digito eiusmodi pronominibus afficere. Et rursus id quod per speculum cernitur non est intentionalis species, vt ex Philosophia suppono, sed obiectum ipsum, quod sui speciem emittit: proindè dum per speculũ modo dicto conspicitur, optimè hoc nuncupatur. Imò quamuis species in speculo cerneretur, sufficeret ad validam materiæ consecrationem; quoniam independenter ab ea, vel opposita opinione, quoties speculo vtimur ad rem à tergo, vel trans parietem conspiciendam, intento in speculum digito,dicimus. Hunc esse Petrum, & ipsissimum Petrum indicare censemur. Vnde à fortiori colligo, si panis post parietem positus odoratu Sacerdotis perciperetur, verè consecrandum. Quia rem, quam odore percipimus, pronomine *Hoc*,& *Hic*, aptissimè,& communissimè donamus, Hucusque Bern.

Sup. hoc supra in Resol. 199. §. vlt. & lege etiã Res. not. seq. à principio.

2. Qui etiam *n.*10. quærit, an panis in Sacrario contentus validè consecraretur, & puta distinguendum. Vel enim in Sacrario solum esset panis in tanta quantitate, vt Sacrarium, non iam Sacrarium, sed panis arca videretur, & tunc validè consecrari potest,quoniam aptè diceretur: *Hoc est panis*. Si tamen in Sacrario panis esset modicus, & simul esset alius iam consecratus, inualidè consecraretur, quoniam ineptè diceretur:*Hoc est naturalis panis*. Sicut incluso in supremo Sacrarij annulo, perperam diceremus ostenso pomo, iste est mundus. Rursus si solus esset panis non consecratus in ea quantitate, qua solet consecratus reseruari, non consecraretur validè,quia de illo dici non posset: iste est panis, sicut nunc dicere non possumus,ostenso Sacrario clauso:Hæ sunt hostiæ consecratæ: At possumus dicere: Iste est Christus,velut ostenso Regis tentorio, iste est Rex? Ergo quia Christus in Sacrario non est modo naturali, ac proinde nec sicut Rex in tentorio, sed modo supernaturali factus cibus viatorum; proinde in appellationibus admittendis cibum imitatur. Hæc Bernal. Verum quoad hoc vltimum ego alibi satis probaui, quod pyxis plena particulis in Tabernaculo clauso non consecrarentur validè à Sacerdote habẽte intentionem consecrandi; quam sententiam postea me tamen non citato tenuit P.Pasqualigus *in qq.Cantom.*1.*cent.*1.*q.*30. *per totam*. Verum nouissimè affirmatiuam sententiam, tanquam probabilem admittit Leandrus *Eucharist.tom.*2.*tr.*7.*disp.*8.*q.*63.vbi sic ait: An Hostia existẽs in Sacrario,aut Tabernaculo clauso possit validè consecrari. Probabiliter respõdeo:Posse validè, (quamuis non licitè) si alias id sciret non ex relatione alterius, sed ex semetipso. Quia (vt nuper est habitum) sufficienter demonstratur contentum per proximum continens: at in hoc casu Sacrarium, seu Tabernaculum est proximum continens: ergo illo demonstrato, demonstratur & contentum.

Alibi in Res. præterita, & lege etiam §.not.præterit.æ.

3. Nec contra hanc doctrinam potest desumi argumentum ex dictis à nobis 2.*p.tr.*5.*disp.*2.*q.*31.nempe quod absolutio data moribundo in domo incluso, non sit valida: ergo nec in casu præsenti erit valida consecratio. Quia profecto, est dispar ratio,cum ibi, & absit præsentia sufficiens, cum tantum sit ex relatione alterius, & obstet prohibitio Clementis VIII. Hic vero & adest præsentia sufficiens, vt constat ex dictis,& non obstat prohibitio aliqua. Ita Leandrus. Sed ego non recedo à sententia, quam docui.

4. Sed si aliquis hic incidenter quærat,an hostia sub linteo sit materia consecrabilis. Negat Coninck *de Sacram.q.*74.*art.*2.*dub.*1.*n.*12. Sed mihi placet distinctio Leandri *vbi supra,q.*62. Dico igitur,quod si hostia sit post linteum,ita vt linteũ non se habeat,vt continens, tunc etiamsi alias cognoscatur, negatur consecrari. Si verò sit cooperta, vel inuoluta linteo, aut corporali, & alias notum sit Sacerdoti, optimè potest consecrari. Quia tunc cum corporale illud se habeat tanquam continens,demonstrato continente, demonstratur & contentum. Nam per figuram metonymiam continens pro contento sumitur. Ita ille, qui citat Vasquez,quibus ego addo doctissimum Episcopum Araujo Dominicanum *in* 3.*p.D.Thom.q.*74.*art.*2.*dub.*2.*n.*34. vbi sic ait: De materia à tergo existente, si Sacerdos vertat faciem, vel manum illam teneat, tunc enim existimo consecrabilem esse cum doctissimis Theologis, quia videtur sic constituta coram Sacerdote:peccaret tamen grauiter,quia ita consecraret,propter irreuerentiam, & propter periculum non conficiendi hoc Sacramentum, cui nemo se exponere potest, saltim sine vrgenti necessitate,in qua, vt infra referam,licet vti materia non omnino ora, iuxta aliquos Doctores, nec materia inter quam, & consecrantem interponatur aliquod corpus opacum, quod non se habeat per modum continentis,vel operculi, tunc illis relinquitur talis materia incapax, vt designetur pronomine,*hoc*. Dixi quod si tale corpus non habeat se vt continens, vel cooperculum; nam si hoc munus gerat, non obstabit, continens namque,& coopertum non tollunt quin contentum, & coopertum designentur pronomine,*hoc*, propriissimè enim, & vsitatè pronomen,*hoc*, prolatum super continens,& cooperculum,designat rem contentam, & coopertam. Ita Araujo.

RESOL. CCXXI.

An Sacerdos, quando ante consecrationem, extendit manus super calicem,& Hostiam dicens: Hanc igitur oblationem,*an inquam tunc debeat pollices subtus manus, vel supra in modum crucis tenere?* Ex part.3.tr.6. & Misc.2. Res.104.

§.1. Decisionem huius casus non facilè apud Authores inuenies, & de illo olim ego interrogatus fui ab Excellentissimo Principe D. ANTONIO ARAGONA,ET MONCATA Duce Montis alti, heu quondam Domino meo amantissimo. Pluresque Patres Societ. Iesu,tunc pollices in tali casu subtus manus tenendos esse docuerunt.

2. Sed ego contrariam sententiam mordicus sustinui; & ita tenet, & fuisse decisum Rotæ testatur Petrus de Reyna *in cæremon. de la Missa rezada*, §.8.*num.*4.*litera Q.*& Ioannes Alcocer *Missa cæremon.* tract.

*tract.2. gloss.*8. vbi sic asserunt. [Quando dize el celebrante, *Hanc igitur oblationem*, &c. hà de tener la palma de las manos sobre la Hostia,y calix,no pegadas al calix,sino en el ayre,cerca del, que esso quieren dezir aquellas palabras, *versus, ac supra calicem.* Y los pulgares han de estar en la parte superior cruzados, el derecho sobre el yzquierdo, como se respondio en Roma.] Ita supradicti DD. Et ita obseruatur in tota nostra Religione, & etiam obseruabat supradictus Religiosissimus PRINCEPS,cuius præclaras virtutes,& generis magnitudinem, silendo venerabor, quia vt asserebat de Imperatrice Placidia Cyrill.Alexand. *lib. de fid.* omnis sermo noster eius nobilitate inferior est, & fatetur absque rubore se victum. Verùm pro nunc satis mihi feliciter erit huic mearum Resolutionum Moralium tertiæ parti cum Augusto eius NOMINE finem imposuisse.

RESOL. CCXXII.

Olim allatæ fuerunt mihi duæ dubitationes.

An Sacerdos qui omitteret in consecratione particulam enim,*conficiat Sacramentum,vel saltem peccet mortaliter.*

Secundò, quid si dicat: Hic est enim Calis, *S, pro X, vtendo.*

Et deducitur,an si Sacerdos dicendo tantùm, Te absoluo,*& relinqueret,*in nomine Patris & Filij,& Spiritus Sancti, *secluso scandalo, & contemptu peccet mortaliter?*

Et quid, si in forma Baptismi omitteret Amen, Ego, In,*& diceret:* Baptizo te nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, *an ratione paruitatis materiæ non peccet mortaliter?*

Et an Sacramentum Baptismi ministratum sub hac forma, Ego te Baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta, *sit validum?* Ex part.2. tr.17. & Misc.3.Res.14.

Sup.hoc in Res. seq. in princip.& in Res. 2. post seq. §.vlt. & in Res.1. post seq.in fin. §. Dixi.& in tom.1.tr.1. Ref.4.§.1.& in Resol.57. cursim in principio §. vlt.

§.1. AD primam dubitationem respondet Fernandez *in suo exam.theolog.p.3.c.*4. §.6.*n.*2. & Didac.Nugnus *in 3.p.tom.*1.*q.*78.*art.*2.dictum Sacerdotem conficere Sacramentum, sed peccare mortaliter. Et si arguas,ait ille,contra hoc, quoniam illa particula est res leuissima, & ex alia parte verè sacramentum conficitur sine illa:Ergo licet habeat forma aliquam imperfectionem, sine illa, erit tamen imperfectio leuissima,atque adeo ex paruitate materiæ,erit tantùm peccatum veniale illam omittere.Respondetur, quod licet illa particula secundum se sit leuissima, tamen provt continetur in forma,res grauis est, quoniam maximè conueniebat ad excellentiá istius Sacramenti,vt expresè significaretur certitudo consecrationis, & vniuersa Ecclesia ponit illam particulam, tanquam rem grauem. Hæc Nugnus.

2. Sed ego his non obstantibus, consului talem Sacerdotem conficere sacramentum,& contra Nugnum peccare tantùm venialiter: nam sine illa particula *enim*,adhuc saluatur sensus ipsius formæ. Ergo. Et leuitas materiæ excusat à peccato mortali: & ita sentiunt Henriquez *lib.*8.*cap.*16.*n.*4. Coninch *in* 3.*part.q.*78.*art.*2.*dub.*2.*n.*37. Suarez *in* 3.*part.tom.*3. *disp.*59.*sect.*1. Sed ponam hic pro tollendis scrupulis aurea verba Petri de Cabrera *in* 3. *part.de sacram. q.*60.*art.*8.*disp.*2.*n.*2. Quando mutatio (ait ille) & secundum rei veritatem, & secundum æstimationem ipsius ministri.accidentaliter se habet ad formam sacramenti, nec tollit eius veritatem, tunc minister peccabit tantùm venialiter propter leuitatem materiæ immutatæ, vel additæ. Imò crediderim, quod etiamsi id faciat ex contemptu,non peccabit mortaliter,dummodo contemptus sistat intra limites illius leuis materiæ. Etenim contemptus diuinæ legis, determinatus ad materiam peccati venialis, solùm est culpa venialis. Et Soto existimat hoc esse probabile. Quo fit, vt qui in forma Eucharistiæ prætermitteret illam particulam *enim*,non peccaret mortaliter. Hæc Cabrera. Sicut etiam,vt notat Valent.ex Soto *tom.*4. *disp.*7.*q.*1.*punct.*3.si Sacerdos dicendo tantùm *Te absoluo*,&c. relinqueret,*in nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti*,secluso scandalo & contemptu,non peccaret mortaliter. Et secundum Bonac.& alios *de sacr. disp.*2.*q.*2.*punct.*4.*n.*16. qui in forma Baptismi omitteret, *Amen, Ego, In*, & diceret,*Baptizo te nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti*, ratione paruitatis materiæ,non peccaret mortaliter. Et hæc circa primam dubitationem.

Sup his in tom.1. tr.4. Ref.7 signatur prope finem, &c. & pro dictione *Ego*, contenta in hoc textu in tom 1. tra 1.Ref.4. §.1. in fine, & in Resol.60. §. Tertio. ante medium, à vers. Certum est.& pro dictione *Amen*, in prædicto §.& vers. & pro particula *In*, ibi in Ref.57.

3. Quoad secundam,respondi eodem pacto,nempe Sacerdotem conficere sacramentum, & non peccare nisi tantum venialiter,secluso scandalo, & contemptu.Ita Pitigian.*in* 4.*sent.p.*2.*dist.*3.*q.*2.*art.*14.Ratio est,quia illa littera *s*, communi modo concipiendi,non tollit significationem substantialem.Quamuis enim in rigore vox illa,*calis*, habeat aliam significationem,quàm *calix*,tamen quatenus profertur in ipso actu consecrationis vini, significat calicé ex cómuni modo percipiendi,& per consequens deprauatio, & corruptio illius vocis, non reddit irritum sacramentum, nam talis variatio non censetur substantialis, sed accidentalis. Habeo pro hac opinione omnes illos Authores,qui asserunt sacramentum Baptismi administratum sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine patria,Filia,& Spiritua sancta*,validum esse. Hi sunt D.Thom.*in* 3.*p.q.*60.*art.*7.*ad* 3.Angel.*ver.Baptisma*, 2.*n.*15.Tabiena *eod.verb.*3.*n.*15. D.Anton.3.*p.tit.*14. *cap.*23.§.3. Sotus *in* 4.*dist.*1.*q.*1.*art.*7. Suar. & alij. Excusabitur etiam,vt dixi,à peccato mortali ratione leuitatis materiæ. Salua,&c.

Sup.hac forma in tom.1. tr.4.Ref.5.§. Dico igitur. ante medium, à vers. Maior constat. & in alio §. eius not.

RESOL. CCXXIII.

An si quis in omnibus tribus Missis dici solitis successiuè, & immediatè in die Natiuitatis Domini relinqueret particulam enim, *in consecratione Corporis, vel Sanguinis, peccaret mortaliter?*

Et supponitur omittentem in consecratione particulam enim,*in cæteris diebus,& Missis: non peccare mortaliter, secluso scandalo & contemptu.*

Sed quid est dicendum, si supradictæ tres Missæ in die Natiuitatis Domini non dicantur successiuè, & immediatè vna post alteram, sed prima dicatur post mediam noctem,altera in Aurora,& tertia tempore solito: an in isto casu, si celebrans Sacerdos omitteret in consecratione in prædictis tribus Missis particulam enim, *peccet mortaliter?*

Idem est dicendum in supradictis casibus, si in qualibet Missa diei Natiuitatis Domini Sacerdos omitteret in Canone tria nomina alicuius Sancti. Ex part.10. tr.16. & Misc.6.Res.32. aliàs 31.

Sup. hoc, quod hic supponitur in Res. præterita, & in Ref. seq. in fin.§.Dixi.& in Resol.1. post seq. §. vlt. & in to. 1.tr.1.Ref.4. §.1.& in Resol.57. §.vlt. cursim in principio.

§.1. SVppono contra Reuerendiss.Candidum *to.*3. *disp.*2.*art.*4.*dub.*4. & alios,omittentē in consecratione particulam *Enim*,non peccare mortaliter, secluso scandalo, & contemptu, quia illa omissio videtur materia leuis,& ita tenent Doctores,quos etiam me citato adducit Leandrus *de sacr. tom.*2. *tr. disp.*9. *q.*4. & me citato Dicastillus *de sacram.tom.*1.*tract.*4. *disp.*3.*dub.*5.*n.*63. & me citato Auersa *de Sacr.Euch. q.*6.*sect.*2.& me citato Martin.de San Ioseph *in Mon. Confess.to.*1.*lib.*2.*tr.*3.*de Euch.n.*4. & me citato Garz.

in summ. Theolog. mor. tract. 3. difficult. 9. dub. 2. punct. 2. num. 12. Sed difficultas est, an Sacerdos dicendo tres Missas in die Natiuitatis, si omitteret particulam, *Enim*, peccaret mortaliter. Hunc casum à nemine pertractatum inuenio, nisi nouissimè à Patre Bernal *de sacram. disp. 39. sect. 2. §. 1. n. 42.* vbi asserit: Mediam viam, & me iudice, rectissimam tenent Marsil. & Ledesm. quos sequitur Suarez *disp. 59. sect. 1. §. sed quæres.* Nempe, omissionem voculæ, *Enim*, non esse mortalem, quia materia leuis est; cùm hæc vox non solùm non pertineat ad essentiam formæ, sed nec ad ipsius substantiam, & simul sit vna dumtaxat vocula: nam tria hæc simul sumpta proculdubio materiam leuem efficiunt. Si tamen ex contemptu nascatur omissio, addunt iidem Doctores, non excusandum à mortali: quia grauitas actionis, & Christi exemplum, & totius Ecclesiæ præceptum, & consuetudo, contemptu illo attinguntur; ac proinde grauem illum efficiunt: multoque certius grauis, seu multo grauior esset, si non solùm in consecratione vnius speciei, sed vtriusque, vel non tantùm in vno Sacro, sed in pluribus omitteretur, præsertim in vno die, v.g. in die Natali Domini: nam in omnibus tribus Missis vocem *enim*, omittere, fortassis etiam contemptu secluso, Doctores mortalis damnarent. Hucvsque Bernal.

Sup. his sup. in Res. 192. signanter in fin. & in Res. 193. & in aliis §§. earũ notationum, pro hac quæstione.

2. Et quidem ex eius doctrina sequeretur etiam quod licet Sacerdos omittens nomen, v.g. duo, vel tria alicuius sancti in Canone Missæ, ratione paruitatis materiæ, non peccaret nisi venialiter; tamen si omitteret ex Canone tria nomina alicuius Sancti in omnibus tribus Missis dici solitis in die Natiuitatis, non venialiter, sed fortasse mortaliter peccaret, vt docet Bernal de particula *enim*, cuius opinio an procedere debeat in Missis dici solitis illo die à Superioribus, v.g Religionum, qui dicunt vnam Missam post mediam noctem, alteram in aurora, & tertiam tempore solito, cogitandum relinquo, nam in dictis Missis non videntur illæ paruæ materiæ moraliter coalescere in vnum: & efficere materiam grauem; nam non dicuntur succedere, & immediatè vna post aliam, vt dicuntur tres Missæ priuatæ, si simul recitarentur, & ideò, vt dixi, tu cogita. At aliquis posset dicere, quod paruæ illæ materiæ non videntur coalescere in vnum, si Missæ dicerentur in diuersis diebus, secus autem si dicerentur vnico die, vt in casu nostro.

RESOL. CCXXIV.

An in forma consecrationis Eucharistiæ, si deseratur verbum est, *dicendo:* Hoc corpus meum, *valida sit consecratio?*

Et an grauissimè peccet, qui ipsum verbum est, *non exprimeret?*

Et docetur, in forma consecrationis Corporis, & Sanguinis Christi esse de substantia ipsius formæ, ac de necessitate Sacramenti verbum est, *nec posse substitui aliud verbum, v.g.* fiat, conuertatur, *loco illius.*

Et quid est sentiendum de assertione nouatorum asserentium satis esse ad consecrationem verba illa, Accipite, & manducate hoc Corpus meum, & accipite, & bibite hunc Sanguinem meum. Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Res. 35. aliàs 34.

§. 1. AD hoc dubium sic respondet Augustinus Bernal *de Sacram. disp. 39. sect. 2. n. 26.* vbi sic ait: Non requiritur ad validam panis, aut vini consecrationem, vt verbum, *est*, exprimatur, seu vocaliter pronuncietur. Hæc assertio quamuis à nemine quod sciam, affirmetur, à nemine tamen quod nouerim, negatur, nec existimo, negabitur. Nam virtualiter ab omnibus traditur. Nam etsi Doctores omnes ad validam consecrationem exigunt verba ista: *Hoc est corpus meum: Hic est Sanguis meus*, exigunt tamen, vt apponantur eo modo, quo in tractatu de Sacramentis in genere exigunt, vt adhibeantur verba, quæ Christus instituit. Vnde sic argumentor: Verba sacramentalia tunc sufficienter proferuntur, quando iuxta receptum loquendi morem, & vsum eam habent significationem, quam Christus exigit; atqui memorata verba, licet ore non exprimatur verbum, *est*, tamen iuxta receptum loquendi morem, vsum, & stylum, habent significationem illam, quam Christus exigit: ergo ad validam consecrationẽ non requiritur, vt verbum, *est*, ore proferatur. Maior in confesso est apud omnes, & latè confirmata manet in *disp. 6. sect. 1.* Minor claret, quia iuxta receptum loquendi morem, quamuis in oratione verbum substantiuum non exprimatur, subintelligitur, redditurque idem sensus, qui verbo illo expresso redderetur, idque non solùm apud cultiores, & Laconismi affectatores, sed etiam apud alios, nec solùm apud Latinos, quorum nobis vsus ad probationem sufficeret, sed etiam apud cæteros, non tantùm prophanos, sed etiam sacros. Ex. gr. *Psalm. 1. v. 1. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Psal. 45. v. 1. *Deus noster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, & v. 8. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.* Psal. 111. v. 1. *O Domine, quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ:* & alia plura in Psalmis occurrentia, quæ propterea libentius affero, quia notissima, & quia morem istum probant in tribus linguis Hebræa, qua primum Psalmi conscripti, Græca, in quam ex 72. conuersi, & Latina, in quam ex 72. versione translati. Quaptopter verba ista: *Hic corpus meum, Hic sanguis meus*, eundem habent significatum, & sensum, quem habent dum expresse verbo illo dicimus: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus.*

2. Hinc patet longè distare thesim ab assertione nouatorum asserentium, satis esse ad Consecrationẽ verba ista, *Accipite, & manducate hoc Corpus meum. Accipite, & bibite hunc Sanguinem meum.* Qui enim hoc dicunt, omnino negant necessarium esse verbum *est*, siue expressum, siue subintellectum, imò à consecrationis forma illud penitus amandant, cũ Corpus, & Sanguinem in quarto casu constituant. Nos autem cum omnibus Catholicis in recto dicimus, *Corpus, & Sanguis*, & verbum *est*, saltem subintellectum essentialiter ad consecrationem exigi pronunciamus.

3. Interrogat tamen aliquis, an voluntariè, & citra contemptum omittere expressam prolationem vocalem verbi *est*, ipsum subintelligendo, esset peccatum mortale.

4. Respondeo, affirmando; quia citra substantiam actionis grauissimæ omnium, quæ in Ecclesia exercentur, & quæ à Sacerdote, vt Ecclesiæ Ministro, & in Christi nomine exercetur, discedere ab eo ritu, quem Christus tenuit, & Ecclesiæ commendauit, & ipsa Ecclesia perpetuo sequitur, grauis deordinatio est: proinde graui culpa carere non potest, saltem per se, & nudè spectatum; nam per incogitantiam aliquo modo vincibilem ab illo exprimendo abstinere graui Dei offensione vacaret; graui autem, & leui, si verbum *est*, reticeres ad euadendam necem, quam aliquis tibi, si verbum illud exprimeres, minaretur, non quidem in odium fidei, vel Ecclesiæ contemptum, sed ob aliquem alium finem neutri contrarium. Hucvsque P. Bernal *vbi suprà.*

5. Sed hæc opinio, pace viri docti, mihi displicet, & illam refellit Præpositus *in 3. p. q. 78. art. 2. dub. 1. n. 10.* vbi sic ait: Verbum *est*, significat, Corpus esse sub

sub speciebus, non potest validè fieri consecratio, si dicatur: *Hoc sit Corpus meum*, quia per illam formam non tam designatur esse, quàm fieri. Vide D. Thom. in corpore, & alios. Nec etiam hæc forma est legitima: *Hoc fiat Corpus meum, hic panis conuertatur in Corpus meum*, hic ponatur *Corpus meum*. Immò neque hæc: *Hoc sit corpus meum*: quia non designatur, quod corpus sit sub speciebus, sed dicitur, vt sit. Item apud Latinos non est legitima forma: *Hoc corpus meum*, quia apud illos non videtur in simili forma loquendi vsitatè subaudiri, *est*, & proinde prædicta forma non æquiualet communi.

6. Dixi, apud Latinos, quia apud Græcos forma est legitima, cùm apud illos, sicut apud Hebræos facilè subaudiatur, *est*. Confirmatur ex forma consecrationis Calicis apud Lucam, in qua Græco deest verbum. Ita Præpositus, cui adde Coninch *in Sacram. q.78. art.2. dub.2. n.38.* ita asserentem. Nota, etsi certum sit, esse de essentia vtriusque formæ, vt saltem implicitè ponatur in iis verbum, *est*, aliqui tamen putant, non esse de essentia, vt expressè ponatur, sed sufficere, vt subintelligatur. Primò, quia cum Hebræi semper non soleant illud exprimere, Christus non videtur id expressisse. Secundò, quia non habetur in Syriaco, nec etiam in forma Calicis apud Lucam, vt habetur in Græco. Quidquid autem de hac re sit, grauissimè peccaret, qui ipsum non exprimeret; & vt minimum esset dubia Consecratio. Quia communiter Doctores volunt, essentiale esse, vt exprimatur. Nec argumenta in contrarium allata quidquam concludunt. Nam in illis linguis secundum consuetudinem loquendi facilius verbum, *est*, intelligitur. In lingua autem Latina, secundum communem loquendi modum nullus esset sensus, si quis diceret: *hoc Corpus meum*. Nec solemus ita loqui, quare videtur inualida fore talis consecratio. Ita Coninch. Vide etiam Hurtadum *de sacram. Eucharist. disput.3. difficult.5.* Amicum *in Cur. Theolog. tom.7. d.24. sect.1. num.7.* Dicastillum *de Sacrament. tom.1. tract.4. d.3. dub.5. n.61.* Palaum *tom.4. tract.21. punct.7. n.1.* Vvigers *in 3.p.q.78. art.3. n.3.* Tannerum *tom.4 disput.5. quæst.3. dub.1. num.11.* Leandrum *de Sacram. tom.2. tract.7. disput.9. quæst.2.* Layman *lib.5. tract.4. cap.3. num.1. & 2.* asserentes, verba formæ Corporis, & Sanguinis Christi: *Hoc est enim Corpus meum. Hic est enim Calix Sanguinis*, esse omnia de substantia, ac de necessitate Sacramenti, dempta tantum particula, *enim*.

Sup. hac par. *Hic enim*, *supr.* in Resl. 222. & in princip. Resl. 223. & infra in §. vlt. Resl. 4. §. hinc in Resl. 227. in principio §. vlt.

7. Verùm in fauorem sententiæ P. Bernal ego adducam alium celebrem Auctorem, & is est sapientissimus P. Lessius qui *in 3.part. D. Thomæ, q.78. art.2. n.9.* Vbi sic ait: Verbum, *est*, non videtur necessariò exprimendum; nam apud Lucam non exponitur in forma Sanguinis: & Hebræi nunquam solent exprimere; vnde nec Dominus expressisse credendus est. Necessariò tamen subintelligitur iuxta phrasim Hebræam. Neque sine graui peccato potest omitti. Ita ille. Tenent itaque hanc sententiam duo viri doctissimi, Lessius, & Bernal. Sed ego prorsus puto, non esse recedendum à sententia, quam docui, communi calculo Doctorum approbata.

8. Dico igitur, verbum, *est*, in forma consecrationis Corporis, & Sanguinis Christi esse de substantia ipsius formæ, ac de necessitate Sacramenti, nec posse substitui aliud verbum loco illius: nam vt optimè obseruat Caspensis *in Cur. Theol. tom.2. tract.22. disp.7. sect.8. n.68.* verbum *est*, cum sit substantiuum significat substantialem, & realem præsentiam Corporis Christi: id quòd per verbum, *est*, in aliis rebus significare solemus; sic namque dicimus, hic lapis est substantia; *hoc est corpus viuens*. Vnde per verbum, *est*, affirmamus absolutè, *Corpus Christi esse contentum sub speciebus*; atque ita si quis efficeret orationem imperfectam, & non modi indicatiui, verè non significaret realem præsentiam Corporis Christi, nec consecraret: vt si diceret, *Vtinam hoc esset corpus meum*: vel alias similes orationes, quia oratio consecrationis debet esse absoluta, & efficax, quæ expressè significet id quod efficit, & quæ efficiat id quod significat. Vide etiam Araujo *in 3.p. D. Thomæ, q.78. art.6. dub.1. n.2.* Gesualdum *in Theol. mor. tom.1. tract.9. cap.1. n.6. & 18.* Mercerum *de sacram. Euchar. q.6. sect.2.* Vnde ex dictis patet etiam, non bene dixisse Patrem Bernal suam sententiam à nemine affirmari, nec à nemine negari: nam vt visum est, indiuidualiter, & in terminis affirmatur à Lessio, & negatur à Præposito, & Coninch, quibus post hæc scripta addo Iacobum Granado *in 3.part. D. Thomæ. contr.6. tract.8. d.5. n.3.* vbi firmat, quod materia consecrationis debet constare ex verbo, *est*, & si illud subticeatur, nulla erit consecratio.

RESOL. CCXXV.

An sit valida consecratio, si Sacerdos locorum illorum verborum, Hoc est corpus meum, *dicat*: Hoc corpus est meum, *vel*: Meum est hoc corpus?

Et de aliis variationibus verborum consecrationis agitur.

Et notatur non esse peccatum mortale deserere ex forma consecrationis particulam enim, *dummodo non efficiatur ex contemptu: secus autem si omitteretur aliqua ex particulis essentialibus, in quo casu notatur non solum adesse peccatum mortale contra præceptum Ecclesiæ in materia Religionis, sed etiam contra præceptum naturale in eadem materia Religionis, quia facit irritam formam consecrationis, &c.* Ex p.5. tr.14. & Misc.2. Resl.78.

§.1. NEgatiuè respondet Fagundez *pr.3. lib.2. c.6. num.11.* Granados *in 3. part. de Sacrament. contr.6. tract.8. disput.5. num.2.* & Præpositus *in 3.p. quæst.78. art.2. dub.2. num.19.* quia huiusmodi verba ita transmutata non significant conuersionem panis, ad quam significandam illud pronomen *hoc*, debet poni, ac collocari in loco tali, vt non accipiatur pro Corpore Christi indeterminatè, sed pro substantia singulari contenta sub speciebus panis: in ea autem mutatione verborum significat Corpus Christi indeterminatè. Igitur quando quis dicit, *Hoc corpus est meum*, vel, *Meum est hoc corpus*, mutat sensum verborum, quæ denotabant conuersionem panis in Corpus: particula enim, *hoc*, non denotat corpus, sed rationem substantiæ communem pani, & Corpori Christi Domini; sed qui dicit: *Hoc corpus est meum*, aut *Meum est hoc corpus*, nullam transmutationem indicat, vt ex terminis ipsis manifestum est. Ergo, &c.

2. Sed pro curiosis & speculatiuis non desinam hic adnotare affirmatiuam sententiam docuisse Franciscum Pitigianum *in 4. sentent. tom.1. distinct.8. quæst.2. artic.5.* vbi sic ait: Transpositio verborum aut variat sensum formæ, aut non, si non variat, consecratio fit, & ideo si quis diceret: *Hoc est meum corpus*, verè consecrat; si autem variat, vt si diceretur, *Meum corpus est hoc*, non fieret consecratio secundum aliquos, quia illud pronomen demonstratiuum, *hoc*, dicendo, *Hoc est corpus meum*, in primo instanti prolationis demonstrabat substantiam panis, atque adeo si diceretur, *Meum corpus est hoc*, esset sensus, quod corpus Christi est panis, quod

tamen est falsum. Cæterùm hoc non credo verum; nam falsum est pronomen *hoc* demonstrare substantiam panis, sed demonstrat hoc ens, quod est corpus Christi in vltimo instanti prolationis verborum, atque adeò idem est sensus, dicendo, *Hoc est corpus meum*, & *meum corpus est hoc*. Ita Pitigianus, qui pro hac sententia citat se ipsum *infrà in art.* 9.

3. Verùm circa præsentem quæstionem Gamachæus insignis Theologus inclytæ Sorbonæ Parisiensis *in 3. part. D. Thom. quæst.* 78. *cap.* 2. *verb. iam quod spectat*, sic philosophatur. Quod attinet ad transpositionem verborum, censemus valere adhuc consecrationem, si Sacerdos diceret, *Hoc corpus meum est*, dummodo poneret virgulam statim post pronomen *hoc*, & simul coniungeret tres alias voces, quia esset tunc idem sensus, ac si nihil transponeret, & pronomen *hoc* retineret vagam & indeterminatam significationem, vt posset vtrumque conuersionis terminum demonstrare, à quo, & ad quem, non enim pronomen tunc sumeretur possessiuè, sed propriè substantialiter, quatenus denotaret veritatem Dominici corporis. Idem iudicium si diceres, *est hoc corpus meum*, modò non diceres interrogatiuè, sed absolutè enunciatiuè nec pronomen adiectiuè sumeretur, vt quadraret cum substantiuo *corpus*, sed substantiuè absolutè per se ad denotandam præsentiam corporis Christi. E diametro verò inualida esset forma, dicendo, *meum est hoc corpus*, propter oppositas rationes, quia pronomen demonstratiuum cùm sumeretur adiectiuè, non substantiuè, sumeretur etiam possessiuè, & ad denotandam possessionem, vel dominium, ac si simpliciter diceretur, *Hic panis ad me pertinet. Hic panis est meus.* non autem demonstraret realem præsentiam corporis Dominici, & certè in ista loquendi formula pronomen demonstratiuum indicaret præcisè solum panem, non ipsum Christi corpus, indicaret solum terminum à quo, non terminum ad quem, vt omnes facilè vident, sicque non exprimeret conuersionis substantialis mysterium, sicut hîc necesse est. Huc vsque doctus Gamachæus.

Sup. hoc supra in Resol. 222. & in principio Resol. 223. & in fine §. Dixi. Resol. 224. & in tom. 1. tr. 1. Res. 4 §. 1. & in Resol. 57. §. vltim. in principio.

4. Notandum est etiam hîc obiter contra Fagundez *pr. 3. lib. 2. cap. 6. num.* 17. & Ludouicum de San Iuan *de Sacram. Eucharist. quæst. 2. art. 2. diffic. 2.* non esse peccatum mortale deserere ex forma consecrationis particulam, *enim*, dummodo non efficiatur ex contemptu. Vide me ipsum *in 1. part. tract. 3. Miscell. resol.* 14. cum Granado & Præposito *vbi suprà*, quia hæc particula non est essentialis, & deseruit tantùm ad connexionem verborum; secùs autem si omitteretur aliqua ex particulis essentialibus. in quo casu notat Hurtadus *de Sacram. disput. 3. de Eucharist. difficult.* 7. non solùm adesse peccatum mortale contra præceptum Ecclesiæ in materia Religionis, sed etiam contra præceptum naturale in eadem materia Religionis, quia facit irritam formam consecrationis. Immò credit tunc esse duplex peccatum mortale contra virtutem Religionis, alterum commissionis contra præceptum naturale, quod æquiualenter est negatiuum, quia omissione particulæ essentialis fit positiua irreuerentia Sacramento Eucharistiæ, quia ea omissione irritatur alterum omissionis contra præceptum Ecclesiæ, quod formaliter, & æquiualenter est affirmatiuum, quia contra ipsum omittitur res præcepta, non attenta positiua aliqua irreuerentia in Sacramentum.

* * *

RESOL. CCXXVI.

An si Sacerdos loco verborum consecrationis Hoc est corpus meum, *diceret*, Hæc est enim caro mea, *conficeret Sacramentum?* Ex part. 5. tr. 14. & Misc. 2. Resol. 76.

§. 1. DVbium est curiosum, & ad illud negatiuè respondet Mercerus *de Sacrament. quæst.* 78. *art.* 2. Pitigianus *in 4. sent. tom.* 1. *dist.* 8. *quæst.* 2. *art.* 5. §. *si autem variatio.* Palatius *in 4. sentem. dist.* 8. *disp.* 3. Coninck *de Sacram. quæst.* 78. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 38. & Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst.* 78. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 21. quia vox *caro* ex sua significatione, & vsu communi non æquiualet voci, *corpus*, cùm corpus dicat aliquid constans carne, ossibus, neruis, &c. quod confirmatur. nam in hoc Sacramento ex vi verborum non ponitur sola caro, sed etiam iam mortuata. ergo vox *caro* non adæquat significatum vocis *corpus*, & eius, in quod panis conuertitur, & proinde non potest loco vocis corpus validè substitui. Vide in hanc opinionem inclinat Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 59. sect.* 2.

2. At his non obstantibus non desunt præstantissimi Theologi affirmatiam sententiam docentes, vt Estius *in 4. sentent. dist.* 8. §. 11. *verb.* Porrò, Ioan. de la Cruz *in Direct. p.* 2. *de Euchar. quæst.* 2. *dub.* 2. *concl.* 2. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 16. *num.* 2. *in gloss. lin.* 6. Iacobus Granado *in 3 part. de Sacrament. contro.* 6. *tract.* 8. *disput.* 5. *num.* 5. quia *Ioannis* 6. dum Dominus promitteret institutionem Eucharistiæ, non semel vitur nomine *carnis*. *Caro mea verè est cibus. Qui manducat meam carnem*, &c. Vnde sanctus Cyprianus, seu Auctor serm. *in Cœna Domini*, ait Christum consecrasse, dicendo, *Hæc est caro mea.* Deinde vbertissima phrasis est nomine *carnis* intelligere corpus humanum, immò & ipsum hominem. *Omnis caro corruperat viam suam. Videbit omnis caro salutare Dei. Verbum caro factum est.* In hymno etiam canit Ecclesia, *Verbum caro panem verum, Verbo carnem efficit.* & frequenter inuenitur apud Patres Christum Dominum dedisse nobis in hoc Sacramento carnem, & sanguinem. ergo qui nomine carnis vteretur, nihil substantiale mutaret, ac proinde conficeret Sacramentum. Negandum est igitur auctoribus contrariæ sententiæ, quòd caro non significet idem, quod corpus, quia caro etiam includit ossa, & partes heterogeneas. nam, vt dictum est, & corpus dicitur cum, & homo caro, & caro distinguitur etiam contra sanguinem seorsim consecratum, sicut distinguitur corpus. Et ita hanc posteriorem sententiam præter Doctores citatos tenet etiam Fagundez *pr. 3. lib. 2. cap. 6. num.* 19. Vnde existimo vtramque sententiam probabilem esse, sed mihi affirmatiua magis placet, in quam etiam inclinat Vasquez *in 3. p. tom. 3. disp.* 199. *cap. 4. num.* 30. & 31.

RESOL. CCXXVII.

An si Sacerdos loco illorum verborum: Hoc est corpus meum, *dicat* Hic est corpus meum, *valide consecraret?*

Et de aliis multis mutationibus verborum consecrationis agitur. Ex part. 5. tractat. 14. & Miscel. 2. Resol. 77.

§. 1. NEgatiuè respondet Layman *lib. 5. tr. 4. cap. 3. n.* 2. vbi sic ait. Si aliqua verborum forma vsurpetur

vsurpetur diuersam significationem habens,non erit valida consecratio,v.g. *Illud est corpus meum. Hic est corpus meum. Hic panis est corpus meum. Hoc est corpus Christi.* Ita ille.

2. Sed affirmatiuam sententiam tenet Faustus *de Euchar.lib.1.quæst.*110. quia licèt hæc mutatio sit legibus Grammaticæ contraria, tamen in communi modo loquẽdi retinet & sensum, & significationem, & idem dicendum est, si quis diceret, *Hæc est corpus meum*, & *Hunc est corpus meum*, aut *Hoc est corpus meus*,vel *corpum meum.* Hæc enim mutatio est accidentalis, & in illa retinetur idem sensus,& significatio verborum, licet error committatur contra regulas grammaticales. Ita Faustus.

3. Verùm ego circa præsentem quæstionem assero cum Granado *in 3.p.de Sacram.contr.6. tract.8. disp.5.num.2.* Fagundez *pr.3.lib.1.cas.6.n.14.* & aliis, quòd si particula *hoc*, in consecratione mutetur in particulam *hic*, sumptam pro aduerbio, nulla erit consecratio, quia sensus est longè diuersus,non enim significatur substantialis conuersio panis in Christũ Dominum, sed eius solùm in præsentia; si verò sumeretur pro masculino pronomine, perinde ac si diceretur, *Hic cibus est corpus meum*, mutatio est accidentalis, & non obstat veritati consecrationis, non igitur bene Layman absolutè asserit cum hac forma, *Hic est corpus meum*, non consecrari.

RESOL. CCXXVIII.

An si Sacerdos habeat intentionem consecrandi tantum panem & non vinum, remaneat adhuc panis consecratus?

Et infertur, quod si Sacerdos vellet consecrare, & non tamen efficere Sacrificium, ita vt voluntas non offerendi Sacrificium præualeret & esset magis efficax, an tunc nihil prorsus efficeret?

Et cursim deducitur, quod si Sacerdos prius consecrauit calicem,quam Hostiam, factum tenet? Ex p.10. tr.16. & Misc.6.Ref.62.

§.1. REsolutio hæc composita à me fuit occasione quarundam Conclusionum, de quibus statim,& fore nimis gratam Lectoribus spero. Dico igitur,quod in tali casu,Hostiam non remanere consecratam, senserunt aliqui, quos tacito nomine citat Innocentius; & D.Thomas *vbi infrà:* & hanc sententiam tanquam probabilem nouissimè defensam fuisse in Sorbona Parisiensi die 10.Iulij 1646. patet in quibusdam Thesibus Theologicis propugnatis ab Armando Borbonio, Principe de Conty, & impressis in principio Disputationis Antonij Ricardi, de libero Arbitrio editæ Parisiis anno 1646. Sic enim in dictis Conclusionibus habetur: Tota essentia sacrificij Missæ consistit in consecratione vtriusque speciei: licet earum sumptio ad illius integritatem pertinere dicenda, nequaquam tamen verbalis oblatio, fractio, aut distributio Sacramenti. Ne cum dispensatione quidem Ecclesiæ potest vna species sine alia consecrari; imo probabilitate non caret, eum inualidè tentaturum conficere Corpus Christi, qui id tentaret animo non conficiendi sanguinis; sicut & probabile est non potuisse Apostolos in triduo mortis Christi consecrare. Sic ibi.

2. Probari potest hæc opinio, Primò, quia nulla pars præcipuè essẽtialis alicuius totius,potest habere rationem partis, nisi quando actualiter est in toto, constituens illud simul cum altera parte; ergo cum vtraque species panis, & vini sint partes essentiales huius Sacramenti, vt dictum est, neutra potest sine altera consecrari: Antecedens patet,quia pars abscisa, separata à toto,iam non est pars,sed totum quoddam per se. Et consequentia probatur,quia per consecrationem fit pars essentialis Eucharistiæ.

3. Secundò, in sacramento Extremæ-Vnctionis sunt etiam diuersæ formæ partiales, sicut in Eucharistia, nihilominus nulla eorum seorsum habet effectum, vsquequò ponatur vltima, & tunc omnes simultate morali causant; ergo similiter in Eucharistia forma consecrationis panis non causat vsque dum ponatur forma vini.

4. Et licet Cardinalis Lugo hanc sententiam ita absolutè prolatam non admittat,tamen debito modo explicatam, vt ipse putat, docet non esse absurdam: sic itaque asserit *de Eucharist.disp.19. sect.8.num.103.* Contraria sententia hæc, si debito modo explicetur, provt ab eius Authoribus fortasse intelligebatur,non est absurda, sed verà. Suppono enim id quod communiter nostri Theologi supponũt,& docent,Christum scilicet ita instituisse hoc Sacramentum, vt simul instituerit illud in ratione Sactificij, nec voluerit fieri Sacramentum sine Sacrificio,nec Sacrificium sine Sacramento; nec Sacerdotibus dederit duas potestates disparatas, sed vnicam, ad sacrificandum, & conseruandum; ita vt neque extra Sacrificium consecrare possent, neque absque consecratione possent Sacrificium offerre, vt probat cum aliis Suarez *disp.43.sect.3.§.dico, primò.* Hinc autem fit,vt si Sacerdos vellet consecrare, non tamen offerre Sacrificium, ita vt voluntas non offerendi Sacrificium præualeret,& esset magis efficax,tunc nihil prorsus efficeret:sicuti dici solet iuxta communem sententiam multorum de homine baptizato, qui vellet matrimonium contrahere, non tamen recipere Sacramentum; aut de eo qui vellet emittere professionem Religiosam, non tamen obligare se in perpetuum,& aliis casibus similibus,in quibus dantur intentiones cõtrariæ,& ideò actio fit irrita,nisi secunda intentio sit minus efficax, vt explicuimus *supr.in tr. de Sacram. in comm.disp.8. sect.8.*Si ergo Christus voluit,hæc duo esse connexa, nec posse separari consecrationẽ Sacramenti ab oblatione sacrificij, consequens est, vt qui vellet consecrare Eucharistiam,nullo tamen modo offerre Sacrificium,nihil faceret,quia vellet aliquid,ad quod non accepit potestatem à Christo. Vnde si consecratio vtriusque speciei sit de essentia huius Sacrificij, vt mox dicemus, & admittunt recentiores Theologi communiter, consequens est, vt qui vult consecrare hostiam solam, & non offerre Sacrificium, sed excludendo oblationem Sacrificij, nihil faceret, quia non habet potestatem ad consecrandum,nisi per modum Sacrificij. De facto tamen omnes Sacerdotes consecrantes, siue per errorem, siue ex industria, vnam speciem sine alia,validè consecrant; quia non excludunt omnino efficaciter intẽtionem sacrificandi,sed volunt consecrare meliori modo, quo possunt, atque ideo volunt,saltem implicitè per consecrationem hostiæ, v. g. inchoare Sacrificium taliter, vt quantum est ex se, possit impleri per consecrationem Calicis,si apponatur:vnde iam habent tunc aliquam intentionem offerendi partialiter in consecratione Hostiæ. Cæterùm si Sacerdos aduertens, non posse offerri Sacrificium absque consecratione vtriusque speciei,& prævidens non posse consecrari vtramque, vellet consecrare vnam,excludens omnino intentionem offerendi etiam partialiter,vel inchoandi Sacrificium per illam consecrationem,per voluntatẽ omnino efficacẽ,modo explicato,tũc dicimus,quòd non consecraret, quia voluntas consecrandi debet esse ad minus voluntas implicita offerendi partialiter seu inchoandi oblationem Sacrificij: & in hoc sensu prædicta sententia vera esset. Hucusque Card.Lugo.

Sup. hac dispensatione, magis lirè, stare in Ref. seq. §.2. ad medium, Ref. Tum dicit, & in num.8. tr.1. et tota doctrina Ref. seq. §. Vnde colligis. & seq.

5. Sed ego circa præsentem quæstionem affirmatiuam sententiam sustinendam esse puto, nec aliter sentiendum existimo. Et ita docet D.Thom. *in 3.p. q.78.art.6.* & ibi Araujo, Vvigers, Nugnus, Durandus *in 4.dub.8.q.3.* D.Bernardus *Epist.69. ad Guidonem.* Innocentius *lib.4.de officio Missæ, cap.23.* & ex neotericis Raphaël Auersa *de Sacram.Euchar.q.11 sect.5. §.hinc factum est*, quibus adde latè, & doctè, vt semper solet Magistrum Cornejo Carmelitam Professorem S.Theologiæ celeberrimæ Academiæ Salmaticensis *in 3.part.D.Thom.tract.4.quæst.74.art.2.disp.1.dub.1. per totum*, vbi affert rationem, quia Christus prius consecrauit panem, quàm Calicem; ergo toto illo tempore fuit consecrata vna species sine altera: patet consequentia, quia prius dixit, *Hoc est corpus meum*, & verum dixit; ergo factum tenuit.

6. Et confirmatur, quia ex communi vsu Ecclesiæ, statim vt Hostia consecratur, proponitur populo adoranda ante consecrationem Calicis; ergo vna species validè consecratur, altera non consecrata. Dices, hoc ideo esse, quia altera species, scilicet vini, est statim immediatè consecranda. Sed contra, quia forma consecrationis panis, nec quantum ad significationem, neque quantum ad efficaciam, pendet à forma consecrationis vini; ergo si quis eam proferat supra panem, cum intentione consecrandi, manebit consecratus, quamuis siue per ignorantiam, siue per obliuionem, siue per malitiam, siue quia morte præuentus, non consecret deinde vinum. Consequentia patet, & antecedens probatur, & quidem de significatione certior res est, quam probatione indigeat, quia significatio formæ panis totaliter, & adæquatè completur his verbis, *Hoc est corpus meum*, quæ independentem significationem habent à forma vini, & è conuerso: de efficacia verò probatur, tum quia causalitas istarum formarum commensuratur significationi: cum igitur significatio earum sit mutuo independens, ita & efficacia. Tum etiam, quia præsentia Corporis Christi, sub speciebus panis, non pendet ex futura præsentia sanguinis, sub speciebus vini, quia statim ac proferuntur verba, illicò Christus est præsens sub speciebus, ergo efficacia formæ Corporis, independens est à forma sanguinis: probatur antecedens, quia ad veritatem locutionis de præsenti, requiritur, quod res significata sit simul tempore, cum ipsa significatione locutionis. Vnde ex his puto, quod si Sacerdos prius consecrauerit Calicem, quàm Hostiam, factum teneret, neque ex facto Christi colligitur dependentia essentialis vnius consecrationis ab altera, sed tantum, quod ille ordo consecrandi sit in præcepto.

Sup. hoc infra, in Resol. 230. §. Sed si. & in tom. 4. tr. 8. ex doctrina Resol. 69. signanter ad lin. 6. & vers. Probatur.

7. Et ita hanc nostram sententiam veram esse existimant aliqui, vt negatiuam superius positam plusquam falsam esse putent, neque admittendam esse interpretationem Cardinalis de Lugo docet nouissimè nominatim contra ipsum P.Dicastillus *de Sacram.tom.1.tract.5.disp.1.dub.12.num.236.* vbi sic asserit: Statuendum in primis est, tamquam certum, consecrationem vtriusque materiæ Eucharistiæ non esse de necessitate Sacramenti, esse tamen de necessitate præcepti, non consecrare vnam sine altera. Primum patet ratione, quia panis consecratur ante vinum, & à populo adoratur tamquam sacramentum Eucharistiæ prius tempore, quam vinum consecretur; & verba ipsa consecrationis satis indicant; debent enim esse vera, saltem cum primum finiuntur, & eorum significatio completur. Illa autem verba, *Hoc est corpus meum*, completam iam habent suam significationem antequam vinum consecretur: Ergo tunc habebunt suum effectum. Non me latet Innocentium retulisse quorundam sententiam, qui dixerunt, consecrationem vnius tantum speciei fore inualidam: quos tamen in aliquem bonum sensum conatur explicare, vbi latè contendit, quod qui vellet consecrare, & non offerre Sacrificium, nihil faceret, si ea voluntas non sacrificandi prævaleret supposito, quod Christus voluerit hoc Sacramentum non fieri sine Sacrificio, vt latè ibi probat, & rectè, si loquamur de vtriusque speciei consecratione; implicat enim esse vtriusque consecrationem, & non esse Sacrificium (saltem id satis est probabile) sed non video quorsum id asseratur, & latè declaretur. Nam, licet id totum concedatur, non est ad rem præsentem: hic enim agimus de consecratione vnius speciei; hæc autem non est Sactificium. Vnde si quis per ignorantiam, aut malitiam vellet non sacrificare, sed alterutram speciē solam consecrare, id validè efficeret, quia verè consecraret, & non sacrificaret. Quidquid sit de alia quæstione, an posset, si quis vellet non sacrificare, sed vtramque cōsecrare, quamuis enim hoc non validè possit, casu, quo voluntas non sacrificandi prævaleat, non est cur non possit illud prius; cum vtraque voluntas possit impleri, nempe, & consecrare vnam partem, & non sacrificare, reiicienda est, nec admittit explicationem Lugonis, imo ab omnibus explodituer, vt ipse quoque Lugo prius concesserat *n.102.* nec video quo fundamento possit dicere hic auctor, quod qui vult consecrare hostiam solam, & non offerre Sacrificiū, nihil faceret, neque enim hæc pugnant; quia consecrare hostiam solam non est institutum à Christo, vt sit Sacrificium; quod adeò verum est, vt secluſa ignorantia, quæ vellet consecrare solam hostiam, non posset velle sacrificare, quia sola hostiæ consecratio non sacrificatio. Vel ergo concedat hic auctor, quod non possit validè consecrare hostiā, volendo illam tantum consecrare (quod non puto concederet) vel concedat, quod licet velle vtramque speciem consecrare, fieri non possit validè cum voluntate prævalente non sacrificandi; consecrare tamen vnam speciem non sit impossibile, etiam cum voluntate non sacrificandi. Quod enim adèo debeat tunc habere voluntatem inchoandi sacrificii, & offerendi Sacrificium partialiter, non video quid iuuat. Nam illa consecratio non potest esse partialis Sacrificij intenti, quia non intenditur. Si verò dicat habere debere intentionem faciendi id, quod re vera est aptum esse partem Sacrificij, verum est, sed id non est habere voluntatem inchoandi Sacrificium, quod non intendit, sed faciendi id, per quod si vellet, posset inchoare Sacrificium. Sed quis quæso credet illos Auctores voluisse in hoc sensu loqui? Et hæc omnia docet Dicastillus in fauorem nostræ sententiæ, qui plura alia adducit contra Cardinalem Lugo.

Sup. hoc & doctrina sequent. in hac Resol. in Resol. seq. à §. Verum & seqq. & latè in tom. 3. tr. 1. Resol. 47.

8. Restat modo respondere ad argumenta contraria superius adducta: & ad primum respondeo cum Cornejo *loc. cit.* negando eius consequentiam, quia eodem argumento probaretur, species panis consecratas, conseruari non posse, in facto esse, non manentibus speciebus vini consecratis; quod hæreticum est, & contra communem vsum Ecclesiæ retinentis in sacrario species corporis, non seruatis speciebus vini: ad probationem autem respondetur, quod quando vna species consecratur sine alia, quamuis non fiat pars actualis Eucharistiæ, hoc est, quæ simul cum altera parte constituat actualiter Eucharistiam satis est, si fiat pars in potentia proxima, ad quod sufficit quod per talem consecrationem fiat verus cibus, aut verus potus spiritualis; nam sicut in corporalibus, solus cibus seorsum à potu, & independenter ab illo, & è conuerso habet virtutem nutriendi distinctam à virtute, quam habet potus, ita in proposito cuius est in potentia proxima pars vnius in-

gri-

gri conuiuij, ita in hoc Sacramento solæ species panis seorsum habent virtutem reficiendi animam, & ita sunt in potentia partes conuiuij spiritualis, quod est Eucharistia, quam constituet de facto, & in exercitio, eo ipso, quod altera pars existat sine aliquo alio superaddito, quia vt species panis consecratæ sint actu pars huius Sacramenti, & in exercitio componant, & integrent Eucharistiam, nihil eis deficit in se ipsis, sed solum deficit coëxistentia alterius partis.

9. Ad secundum argumentum respondetur admittendo minorem, & negando consequentiam: cuius disparitatis ratio esse potest, quod in Sacramento Extremæ-Vnctionis singulæ formæ partiales non præstant singulis vnctionibus hunc effectum, quando realiter existunt; sed postea, quando fit vltima Vnctio; nam tunc moraliter vniuntur, & omnes simul tribuunt suos effectus propriis materiis partialibus, & solum pro tunc fiunt partes integrales illius Sacramenti, & non antea; secus verò in Sacramento Eucharistiæ: cuius discriminis ratio desumitur ex diuersitate formæ vtriusque Sacramenti, adducenda in solutione sequenti. Cæteras responsiones videbis penes Cornejum *vbi suprà*.

RESOL. CCXXIX.

An Missa, in qua Sacerdos consecrauit panem, absque vino, sit verè, & propriè Sacrificium?

Et an ex dicta Missa possit Sacerdos accipere consuetum stipendium?

Et an præceptum consecrandi in vtraque specie sit Diuinum, vel tantum Ecclesiasticum?

Et cursim deducitur posse Papam dispensare, & de facto dispensasse, vt Sacrificium Missæ in sola specie panis absque vino fieret? Ex part. 10. tract. 16. & Misc. 6. Resol. 63.

§. 1. DIximus in superiori resolutione, Sacerdotem consecrantem Hostiam sine Calice vtè consecrare, sed difficultas est, an Missa ita celebrata posset dici verè sacrificium. Et affirmatiuè respondet D. Antoninus, Turrecremata, Adrianus, Maior, Gabriel, & alij, quos refert & sequitur Fagundez *in quinque præcepta Ecclesiæ, præcept. 2. lib. 3. cap. 5. n. 2.* & nouissimè *in Decalogum, præcept. 2. lib. 2. cap. 40. num. 11.* Bonacina *disput. 4. de Eucharist. quæst. vlt. punct. 2. num. 5.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disput. 6. num. 6.* Castro Palao *tom. 2. tract. 3. disput. 6. punct. 3. in fine*, Marchinum *tract. 5. part. 2. cap. 2. n. 16. & 17.* quibus adde Cassalium *de Sacrificio, lib. 2. cap. 25.* Pitigianum *in 4. dist. 13. q. 2. art. 3.* Ruardum *artic. 16. contra Lutherum*, Nugnum *in 3. part. quæst. 3. art. 1. concl. 4.* & alios.

Sup. hac difficult. infra in tract. Resl. 15. §. 2. ad medium, cursim à verl. Y assi no es de esteneis. & infra in §. Vemos. huius Resl. & legeetiam aliam latam doctrinam Resl. 230 nos.

2. Ratio est; tum, quia Sacrificium Christi cruentum essentialiter repræsentatur per consecrationem vnius speciei, nam eo ipso, quod ex vi verborum sub speciebus vini constituitur solus Sanguis, & sub speciebus panis solum Corpus eo ipso repræsentatur Christi corpus exangue, & consequenter mortuum. Tum quia sicut ratio Sacramenti permanet essentialiter in vnica sola specie Eucharistiæ: ita similiter ratio Sacrificij. Tum, quia Sacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid sacrum in Dei honorem, ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 85. art. 3. ad 3.* At per actionem solam consecrandi panem in corpus Christi, fit aliquid sacrum in Diuinum cultum, nec consecratio vnius speciei pendet ex consecratione alterius: ergo. Tum, quia, si de essentia huius Sacrificij esset expressa repræsentatio mortis Christi, vt aduersarij dicunt; etiam fractio Hostiæ, quæ significat fractionem ossium Christi; & sumptio quæ significat sepulturam, essent de essentia huius Sacrificij; at consequens negant aduersarij, cum quibus disputamus: ergo. Tum, quia graues Theologi probabile censent, posse Papam dispensare: & de facto dispensasse, vt sacrificium Missæ in sola specie panis absque vino fieret. Tum, quia dantur multi casus, in quibus licet sacrificare absque consecratione vini, quod post Maiorem *in 4. dist. 9. q. 3.* Adrianum *eadem dist. quæst. 6.* enumerant Azorius *Moral. instit. tom. 1. lib. 10. cap. 19. quæst. 2.* & Stephanus Fagundez *de 5. Ecclesiæ præceptis, part. 1. lib. 3. cap. 5. à num. 10. ad 15.* Primus, ab omnibus concessus est, vbi Sacerdos per inaduertentiam, aut errorem, panem solummodo consecrasset; nec posset absque scandalo, & offensione adstantium monere, vt deferreretur vinum consecrandum? nam tunc præceptum de sacrificando sub vtraque specie non obligaret cum tanto periculo Sacerdotis, qui facilè de incuria accusari posset, & deponi; necnon cum tanto adstantium scandalo, quod iure naturali euitandum est: fortius enim est præceptum iuris naturalis præcepto diuino sacrificandi sub vtraque specie. Secundus, si post consecrationem sub specie panis appareret vinum, aut in specie vini consecrati appareret caro: tunc licebit Sacerdoti sacrificium perficere in vna specie, ex S. Thoma 3. *part. quæst. 8. art. 4. ad 3.* Tertius casus est, vbi consecrato pane ob subitum hostium incursum, Sacrificium perfici non posset imminente mortis periculo. In his ergo, & similibus casibus Sacrificium in sola specie panis peractum, & consummatum, esset verum Sacrificium quoad substantiam; & tamen consecratio sub specie vini deficeret: ergo ad essentiam huius Sacrificij, vtriusque speciei consecratio non prærequiritur.

Sup. hac dispensatione cursim in Resl. præterita in fine §. 1. vers. Neque cum dispensatione, & magis latè in tom. 3. tr. 1. Resl. 47. §. Vnde ex his. & seqq. & in §. 1. not. præteritæ, ante medium, vers. Y vemos que el Pontifice.

Sup. hoc tertio casu in Resl. seq. §. vlt.

3. Verum his non obstantibus ego negatiuæ sententiæ adhæreo asserenti consecrationem vtriusque speciei esse de essentia sacrificij, & hanc sententiam tuetur D. Thomas *in 3. part. q. 76. art. 2. ad 1. & quæst. 80. art. 12. ad 3.* & ex neotericis Vasquez, & Suarez, Hurtadus, Cardinalis de Lugo, Granadus, Filliucius, Azorius, & alij, quos citat, & sequitur Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 1. q. 27.* quibus ego addo Garciam *in summ. tract. 3. difficult. 1. dub. 4. punct. 3. n. 11.* Araujum *in 3. part. D. Thomæ, quæst. 74. art. 1. dub. vlt.* Cornejum *ibid. tr. 4. de Euchar. disp. 1. dub. 2.* Baunium *in Theol. moral. tom. 1. tract. 5. quæst. 9. dub. 6.* Trullench *de Sacrament. lib. 3. cap. 7. dub. 5. n. 9.*

Sup. hoc in Resl. præterita signanter in §. Et ita. & seqq. & latè in tom. 3. tr. 1. Resol. 47. à fin. 2.

4. Probatur hæc opinio, quia sacrificium Missæ institutum est, vt ad viuum exprimeret sacrificium cruentum Crucis: sed ad hoc maximè necessaria est consecratio vtriusque speciei; ergo ea absolutè pertinet ad essentiam sacrificij Missæ. Minor probatur, quia in eo maximè elucet repræsentatio sacrificij cruenti, quod ex vi verborum solum Corpus constituitur sub speciebus panis, & solus Sanguis sub speciebus vini, ac proinde mystice loquendo tractatur ea victima pretiosa, & Sanguinis effusio in memoriam reuocatur: & quamuis in sola consecratione vnius speciei exprimeretur aliquo modo passio Christi Domini, quatenus solum Corpus, aut solus Sanguis constitueretur ex vi verborum, & propterea quæuis species sufficeret ad Sacrificium; adhuc tamen illa repræsentatio non esset perfecta, & adæquata. Ex quo consequenter infertur, multò magis propriè dici, ad sacramentum Eucharistiæ sufficere quamlibet speciem sine altera, quam ad rationem sacrificij. Etenim Eucharistia, vt sacramentum est, consistit in speciebus continentibus Christum Dominum ad sanctificandam animam suscipientis,

pientis,& id absolutè continetur in sola specie panis, aut vini: & propterea Sacerdos cum primum sumit speciem panis,percipit gratiam, quæ ex hoc sacramento prouenit, vt *tr.*11. *disp.*2. in fine dictum est: at verò Eucharistia provt est sacrificium consistit in viua quadam expressione Sacrificij cruenti, ac proinde non censetur omnino absolutè peractum, donec ad viuum exprimatur Passio Christi Domini,& effusio Sanguinis eius: vnde non obtinetur fructus Sacrificij, aut saltem non totus, licet hostia mysticè mactata sit per consecrationem panis, & vini, modo explicato, & propterea quoties consecratur panis, obligat strictè præceptum consecrandi Calicem.

5. Sed licet ego ex dictis huic sententiæ negatiuæ, vt dixi, adhæream, existimo tamen opinionem affirmatiuam probabilem esse; sicut etiam existimo probabilem esse sententiam asserentium, præceptum consecrandi in vtraque specie esse Ecclesiasticum, licet sententia asserens esse diuinum sit probabilior,& cui ego adhæreo, & cui adhæret nouissimè Dicastillus *de Sacram.tom.*1. *tract.*5. *disp.*1. *dub.*13.*n.*238. & recentiores communiter.

6. His suppositis,ad secundum dubium propositum in titulo resolutionis respondeo negatiuè,nempe Sacerdotem in Missa consecrantem Hostiam sine Calice non posse accipere stipendium pro illa Missa; & ratio est, quia vt alibi firmauimus, dantes stipendium, volunt applicationem, & fructum sacrificij Missæ certum, & non posstum sub opinione: ergo Sacerdos non potest licitè accipere stipendium certum pro fructu incerto; nam si dantes stipendium hoc scirent, vtique illud non probarent.

Alibi supra in Resol.42. §.Et ideo. & in Resol.53. à §.His suppositis. & in aliis Res. & §§. eorum annotationum.

RESOL. CCXXX.

Quidam Sacerdos consecrauit Sanguinem, non consecratâ Hostia, postea pœnitentia ductus vult illam consecrare; quæritur, an etiam debeat consecrare aliud vinum?

Et quid, si Sacerdos post consecrationem vtriusque speciei aduertat Hostiam non esse ex legitima materia, sed ex hordeo, vel corrupta materia, an inquam, in tali casu sit repetenda consecratio vtriusque speciei?

Et an si ante consecrationem Hostiæ, & Vini Sacerdos agnoscat Hostiam non esse triticeam, vel esse corruptam, quid est faciendum?

Et cursim docetur, quod si Sacerdos existens in Altari recordetur se non esse ieiunum,possit pergere,licet id aduertat ante consecrationem.

Et an, quando defectus in vtriusque consecratione accidisset, & panis,aut vinum sumptum iam esset, non debeat alia materia consecratio suppleri ex eo, quod iam Sacerdos ieiunus non esset; & quia tunc,re vera non fuit factum, nec perfectum, nec imperfectum Sacrificium, sed totum fuit fictum.

Sed aduerte, obsecro, quid est faciendum, quando nondum fractum est ieiunium, si tunc fortasse ex defectu intentionis,vel formæ neutram speciem Sacerdos non consecrauit; tenebitur ne Sacerdos secretè iterare, & consecrare, antequam sumat species non consecratas, ne perseueret in inchoata fictione, nec sumendi potum, & cibum per modum Sacramenti, quod verum Sacramentum non est?

Et an detur ratio veri Sacrificij, si prius consecretur vinum, deinde panis?

Et vtrum, si post consecrationem panis Sacerdoti immineret periculum vitæ, teneatur vinum consecrare, inchoatum, & imperfectum remaneat Sacrificium?

Ex part.10.tract.12.Misc.2.Res.13.

§.1. QVæstio procedit,etiam si Sacerdos v.g. post consecrationem vtriusque speciei aduertat Hostiam non esse ex legitima materia,sed ex hordeo, an inquam in tali casu sit repetenda consecratio vtriusque speciei? Sapientissimus P.Suarez, *disp.*&c. *sect.*1.§.*Atque ex his:* magis propendet,vt fiat consecratio vtriusque speciei, eò quòd ordo Consecrationum videatur Sacrificio essentialis, qui non seruatur, si in eo casu non consecraretur vinum de nouo.Et hanc sententiam tenet Nugnus *in* 3.*part.to.*1. *q.*83.*art.*6.*dub.*2.*post concl.*1. & Villalob.*in Summa, tom.*1.*tr.*8.*difficult.*32.*n.*3. vbi sic ait: [Si el Sacerdote antes de la cõsagracion aduierte que la hostia estuua corrupta,ò no era de trigo,quitada aquella,tome otra, y la ponga en su lugar,y la ofrezca por los mysticos mentalmente, y prosigua del lugar donde dexò segun el Missal Romano,mas si lo aduirtiesse despues de consagrada, ò auiendola recebido, tome otra,y haga la ofrenda, como queda dicho, y comience la consagracion desde las palabras,*Qui pridie quam pateretur*; y tome la primera despues de auer recebido la sangre, ò de la à otro que la reciba, ò la guarde con reuerencia. Y no haze al caso si tomò ya la primera, que no està ayuno, para recebir la segunda, porque es de mayor importancia la perfecion del Sacrificio, que recebide ayuno. Mas si aduirtio en ello, despues de auer recebido la sangre, ha de poner de nueuo pan, y vino con agua, y ofrecello, y consagrar,començando desde las palabras *Qui pridie*,y luego tomar ambas las especies, y proseguir la Missa: loqual se haze,porque el Sacrificio no quede imperfeto, y se guarde el orden deuido.]

2. Verùm ego magis adhæreo contrariæ sententiæ, quam tuetur Dicastillus, *de Sacram.tom.*1.*tr.*5. *disp.*4.*dub.*95.*n.*293. Gaspar Hurtadus, *de Sacrificio Missæ,disp.*4.*diffic.*13. vbi sic ait: Si fortè,aut malitia Sacerdotis; aut quia panis non fuit triticeus, & tempore Consecrationis non fuit agnitus, non consecretur Hostia, sed tantùm vinum; posteà consecranda est hostia, vt essentialiter perficiatur sacrificium, & non est necessarium posteà iterùm aliud vinum post Hostiam consecrare,quia ad perfectionem essentialem Sacrificij non est necessarium,quòd prius consecretur Hostia, quàm vinum, nam consecratione vtriusque, quocumque ordine facta, mactant mysticè homo Christus separatione mystica Corporis, & Sanguinis inter se vi verborum consecrationis facta. Ita ille; cui adde ex eadem Societate Ioannem Præpositum *in* 3.*part.quæst.*83.*art.*6.*n.*192. & Moscosum, *in Summa,tract.*5.*cap.*6.*n.*4. sic asserentem: [Si ante de la consagracion del Caliz,se conociesse, que la Hostia es de ceuada, ò està corrompida, aunque sea de trigo,ha se de poner otra de pan de trigo, y no la auiendo,ha de cessar la Missa; y si esto se entendiesse despues de la consagracion del vino, que se ponga otra Hostia, y se consagre sola, sin boluer à consagrar otro vino, porque el orden no es de essencia, ni tan necessario, que en semejante caso no se cumple sin el. Idem etiam docet Garcias *in Summa, tract.*3.*difficult.*9.*dub.*2.*punct.*4.*num.*38. Vide etiam Ludouicum à San Iuan, *de Sacram.Euchar. quæst.*7. *art.*16.*diffic.*8.

3. Nec obstat dicere, quòd ex hac opinione sequeretur, quòd, quo casu defectus fuerit in vtraque materia, & vsque post consecrationem aduertatur; non sit necessariò supplendus: respondet Præpositus ità esse, si rationem Sacrificij spectemus, & obligationem ortam ex iure diuino ad perficiendum Sacrificium,quia nullum fuit Sacrificium etiam inchoatum: ergo nulla est obligatio ex iure diuino illud perficiendi: immò, si sumpta sit Hostia non consecrata;

consecrata; videri possit Sacerdotem non posse consecrare, & sumere; quia non est ieiunus, & proindè communicare non potest. Aliquorum tamen sententia poterit, quia si, Sacerdos existens in Altari recordetur, se non esse ieiunum; potest pergere, licet id aduertat ante consecrationē. Quòd si nec Hostiā nec Vinum sumpserit; debebit aliam materiam accipere, consecrare & consecratam sumere; quia saltem lege Ecclesiastica Sacerdos existens in Altari, non debet communiter discedere, nisi sacrificauerit, & per consequens tenetur adhibere ea, quæ sunt necessaria ad sacrificandum. Vnde in his circumstantiis potest accipere nouam materiam, consecrare, & sumere; potestque preces, & ritus anteà adhibitos omittere, si sit periculum scandali.

Sup. hoc supra in Resol. 115. §. vlt. & lege alium §. & vers. illius not. pro hac quæst.

4. Notandum est etiam hic cum Suarez *vbi sup. disp.* 83. *sect.* 1. §. *Secundò etiam*, quòd doctrina superiùs adducta procedit quando defectus accidit in consecratione vnius tantùm speciei, & altera fuit ritè consecrata: nàm si defectus in vtriusque consecratione accidisset, & panis, aut vinum sumptum iam esset; non deberet in alia materia consecratio suppleri: quia tunc reuera non fuit factum, nec perfectum, nec imperfectum Sacrificium, sed totum fuit fictum; & ideò tunc non obligat præceptum de integrando, seu perficiendo Sacrificio, & alioqui obligat præceptum non conficiendi, vel sumendi hoc Sacramentum post cibum & potum: ergo tunc hoc præceptum seruandum est, & ideò aliter iudicandum est de tempore ante sumptionem, quando nondum fractum est ieiunium: nam tunc, si forsasse ex defectu intentionis, vel formæ neutram speciem consecrauit; tenebitur secretè iterare, & consecrare antequam sumat, & quàm primùm possit, non ex vi præcepti perficiendi Sacrificium substantialiter inchoatum; quia hoc reuera nondum obligat, sed ex vi præcepti non fingendi aliquid falsum in hoc ministerio, & consequenter non perseuerandi in inchoata fictione, nec sumendi potum, & cibum per modum Sacramenti, quod verum Sacramentum non est, nec dandi aliis occasionem adorandi merum panem, & vinum.

Sup. hac quæst. supra in Resol. 8. §. Et constituitur, & melius in tom. 4. tr. 8. Resol. 69. fig. nauter à fin. 6. & vers. Probatur.

5. Sed si aliquis Curiosus inquirat, An iuxtà sententiam horum Auctorum inueniatur ratio Sacrificij, si priùs consecretur vinum, deinde panis? Suppono graui committi Sacrilegium, si consecratio hoc modo fiat. Respondetur tamen, eo casu Sacrificium videri perfectum, quia nostrum Sacrificium inchoatum solùm requirit, vt mysticè repræsentetur victima sine sanguine; seu vt repræsentetur corpus & sanguinem separari; quod fit in fine totius consecrationis, quæcumque partialis consecratio prior ponatur.

Sup. hoc in Resol. præcedenti, circa finem, §. vers. Tertius casus.

6. Petes secundò, Vtrùm si post consecratum panem Sacerdoti immineret vitæ periculum; teneretur vinum consecrare? Respondetur, Casum ægrè poni posse, quia vini consecratio, citissimè potest perfici, & citissimè species consecratæ sumi possunt: si tamen casus ponatur, probabile est non teneri: neque eo casu tàm censebitur voluntariè offerre iam imperfectum Sacrificium, quàm relinquere inchoatum imperfectum, quod ob apertum vitæ discrimen videtur licitum; in ea circumstantia nulla censetur Deo irrogari iniuria à Sacerdote. Nec obstat, quod Sacrificium remaneat imperfectum; quia Sacerdos ad illam imperfectionem solùm permissiuè se habet. Et hæc omnia docet idem Præpositus *vbi sup. art.* 1. *dub.* 8. *num.* 57.

RESOL. CCXXXI.

An si in Pixide continente plures particulas consecratas misceatur aliqua non consecrata, possit validè Sacerdos illam consecrare, si non dignoscitur?

Et quid, si misceatur vna gutta vini non consecrati cum vino iam consecrato?

Vel an Sacerdos licitè, & validè possit consecrare sub conditione omnes particulas, vt non remaneat missa consecratio illa alia non consecrata?

Idem dicendum est de gutta vini infusa in calice iam consecrato?

Et an Sacerdos possit consecrare dimidiam partem Hostiæ designans quam partem vellet consecrare?

Et an si Sacerdos in Sacristia dixit velle consecrare Pixidem cum particulis, & postea Sacrista, ipso non vidente, dum legeret Euangelium, apposuit Pixidem in Altari in cornu Epistolæ, an inquam, illæ particulæ dicendæ sint consecratæ, licet Sacerdos de illis in consecratione Hostiæ non meminerit? Ex part. 9. tr. 8. & Misc. 3. Ref. 65. alias 64.

§. 1. NEgatiuam sententiam mordicus sustinet Eminentissimus Dominus Card. Lugo *de Sacr. Euchar. disp.* 4. *sect.* 7. *n.* 136. vbi sic ait: Infero secundo probabiliter sequi, si multis Hostiis consecratis misceatur vna non consecrata, non posse postea illam consecrari, dum non dignoscitur, quæ sit, quod ex dictis videtur colligi; quia illa Hostia secundum talem statum non potest determinatè ostendi, & designari. Adde, quòd sæpè contingeret illam Hostiam esse infra alias consecratas, & per consequens non haberet præsentiam sufficientem: sicut si tegeretur Tabula, vel Lapide superpositò; nam licet cum aliis simul posset consecrari; quia omnes illæ per modum vnius habent præsentiam; tamen ipsa seorsim ab aliis non habet prædictam præsentiam expeditam secundum se. Nemo enim in communi sermone loquens de vno nummo aureo posito in profundo loco sub mille aliis argenteis, & omnino latente, dicet: hæc moneta aurea; illæ enim voces, quando ad vnam solam ex multis applicantur, intelliguntur de illa, quæ est in prospectu, non de illa, quæ omnino latet, Ita ille; qui posteà, vt semper solet, acutè, & solidè respondet ad plura argumenta, quæ in contrarium adduci poterant. Hanc etiam sententiam tenet Garcias *in Theol. mor. tract.* 3. *difficult.* 9. *punct.* 2. *num.* 16. & 17. vbi sic ait: [Infero de lo dicho, que si hecha la consegracion se mezclase vna gota de vino con las species Sacramentales, no podria consegrarse, porque no podra verificarse el pro nombre, Hoc, pues, no puede señalar en particular la materia; lo mismo es si mezclasen vna Hostia no consagrada con otras consagradas, y no se conociese. Ni vale dezir, que si aquella Hostia estuuiera debaxo de las demas quando se consagrauan todas, quedara consagrada; luego aora tambien lo ha de estar, que a esto respondo concediendo el antecedente, y negando la consequencia; porque en aquel caso todas quedauan consagradas, pues estauan todas presentes, per modum vnius, pero acà, no pueden señalarse las ocho que se han de consagrar, y no se han de consagrar mas, que alla todo se consagra, Ni tampoco vale dezir, que si vno quiere consagrar la mitad de la Hostia, podra señalando qual, y sera valida la consagracion: como la tienen Suarez, Vasquez, y con otros, ser verdad, que no podra señalar distintamente la linea, que diuide lo consagrado de lo que no lo es, luego lo mismo hemos de dezir en nuestro caso; que a esto respondo, que para que valga la consagracion

consagracion de la media Hostia, basta que humano modo se pueda distinguir, aunque no pueda señalarse metafisicamente el vltimo termino, y por lo menos ya se puede señalar la vna parte distinta de la otra quando se hà de consagrar; però en el caso que arriba pusimos de mezclar la Hostia non cõsagrada, o gota de vino con lo demas consagrada, no se puede señalar ni a vn humano modo, lo que se ha de consagrar, y assi no corre la misma razon.] Ita ille.

2. Sed affirmatiuam sententiam tenet nominatim contra Lugo, Amicissimus P. Auersa *de Sacr. Euchar. q. 2. sect. 2.* vbi ita asserit: Dubitatur quoque num hæc determinatio debeat fieri modo accõmodato ad humanam notitiam, ac designationem eiusdem Sacerdotis consecrantis, id est si admisceantur aliquæ Hostiæ non consecratæ aliis consecratis, quæ discerni non possint; vel vinum non consecratum vino consecrato, & Sacerdos determinet cõsecrare illud quod consecratum non est, an talis determinatio valeat, & sufficiat ad conficiendum Sacramentum. Non valere, & non sufficere censet Lugus, eò quòd non benè adaptetur Pronomen *Hoc*, absque determinata notitia, ac designatione certæ materiæ. Videtur tamen valere, & sufficere. Nam certè in sententia asserente, aquã in Calice non conuerti immediatè in sanguinem, quando adest aqua mista vino, humana notitia, ac designatione discerni non potest vtrumque, & tamen Sacerdos intendens consecrare, verè conficit Sacramentum sanguinis Domini. Ita Pronomen *Hoc*, satis adaptatur super illam materiam, quæ re ipsa determinata est, licet humano modo non discernatur. Hucvsque Auersa.

3. Verùm, hoc non obstante, posset quis in fauorem Card. de Lugo asserere, quòd in casu apposito à P. Auersa, Pronomen, *Hoc*, non solùm adaptatur super materiam determinatam, sed etiam illa humano modo discernitur: nam maior pars quæ est in Calice, est vinum: quòd à Sacerdote non solùm designatur, sed videtur; quod quidem non accidit in casu particulæ non consecratæ inter alias non consecratas, admixtæ, & ideò super illam non potest adaptari Pronomen, *Hoc*, sicut nõ adaptaretur si Eques inter decem viros plebeios permixtus diceretur, Hic est Eques. At sententiam P. Auersæ docet Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 4. cap. 2. n. 12.* vbi sic ait: Simile est si contingat, formulas non consecratas Hostiis confundi, seu misceri; potest ac debet totus cumulus ad Altare deferri, vt Sacerdos intendat consecrare illas tantùm, quæ consecrationem non acceperunt. Etenim necesse haud est, vt Sacerdos omnes partes materiæ consecrandæ distinctè, ac sigillatim cognoscat, & intendat. Ita ille.

4. Verùm, quid Ego sentiam dicam breuiter. Assero itaque cum Lugo non posse absolutè illam solam particulam consecrari; puto tamen posse consecrari sub conditione: nam optimè potest Sacerdos in eo casu intendere consecrare quicquid ibi est panis non consecratus, aut totum quod in Pyxide est sub conditione si non est consecratum; & hoc fatetur, & concedit ipsemet Lugus. Difficultas tamen est, an in tali casu Sacerdos debeat ita consecrare. Lugus negat, vbi supra *num. 139.* sic enim asserit: An verò possit licitè consecrare sub conditione omnes vt non maneret mixta illa alia non consecrata, non video necessitatem sufficientem ad reiterandam formam sub conditione super illas omnes Hostias consecratas; omnia enim inconuenientia possent alia via facile vitari, dando, v. g. singulis in Communione duas ex illis particulis; sic enim certum est, singulos accipere aliquam Hostiam consecratam. Alioquin liceret etiam iterum sub conditione consecrare Calicem, in quem post consecrationem casu infusa fuisset gutta vini non consecrati: quod tamen non admittet, quia nulla est necessitas reiterandi formam, cum non sequatur inconueniens ex eo, quod totum sumatur per modum vnius. Ita ille. Sed Ego contrariæ sententiæ adhæreo, quam docet Paulus Layman vbi supra, *lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 12.* cui adde Leandrum *de Sacram. tom. 2. tract. 7. disp. 8. quæst. 79.* vbi nominatim contra Eminentissimum Cardinalem de Lugo firmat in tali casu, posse, & debere Sacerdotem consecrare sub conditione omnes illas formas, vt non maneret mixta consecratis illà alia non consecrata, quia sufficiens ad reiterandam formam, adest necessitas, cùm non possint facilè inconuenientia futura vitari (quicquid Lugo dicat) etiam dando singulis in commune duas particulas. Primò: quis licet tunc esset certum, singulos accipere aliquam Hostiam consecratam, etiam esset certum, aliquem eorum adorare, & sumere aliquam Hostiam non consecratam, pro consecrata. Secundò, quia si non vna solùm, sed tres, aut plures Formæ non consecratæ, mixtæ essent pluribus consecratis; tunc saltem non esset certum singulos accipere aliquam Hostiam consecratam. Ergo sufficiens esset necessitas, vt omnes illæ Formulæ sub conditione consecrarentur. Hæc omnia Leandrus.

5. Et post hæc scripta inuenio hanc sententiam docere etiam nominatim contra Cardinalem Lugum, in suis eruditissimis Disputationibus Scholasticis, & Moralibus de Sacramentis Doctissimum Patrem Ioannem Dicastillum, qui in editione Antuerpiana apud Cæsarem Ioachin Trognæsium anno 1646. *tom. 1. tract. 8. disput. 2. dub. 12. num. 127.* sic asserit: Quæres, an, & quomodo possit valide consecrari vna Hostia non consecrata admixta aliis consecratis, ita vt dignosci non possit? Respondeo (quidquid aliqui dicant) posse consecrari intentione conditionali, qua quis totam materiam, & singulas Hostias velit consecrare, si non sint consecratæ; tunc enim Pronomine, *Hoc*, omnes, & singulas Hostias designat, esto inutiliter iam consecratas designaret: quod admittit Lugo, *disput. 4. num. 139.* & satis per se patet. Deinde posset singillatim repetita consecratione super vnamquamque, licet enim male faceret sic absolutè proferendo verba super singulas, tamen, si faciat, certò consecrabit illam, quæ non erat consecrata, etiamsi consecrans ignoret, quæ sit ex illis: quod etiam videtur satis clarum. Addit Lugo non videri necessarium ad euitanda inconuenientia illam Hostiam consecrare, quia ea inconuenientia possunt facilè vitari alia via, dando scilicet in Communione duas ex illis particulis, sic enim certum esset singulos accipere Hostiam consecratam. Verùm neque sic video omnia inconuenientia vitari; nam tunc aliquis illorum vel communicaret non ieiunus, vel exponeretur periculo sic faciendi, vel saltem (vtcumque melius succedat) simul comederet panem vsualem, & Euchatistiam: quod si non est necessarium ad perfectionem Communionis (vt loquitur) esse necessarium in ablutione post acceptam Hostiam) aliquid apparet inconueniens, & in consecratione conditionali non ita apparet. Accedit, quod communiter solet doceri, non licere dare Hostiam non consecratam peccatori (etiam id scienti) quamuis sit ad vitandum graue damnum; & licet non ignorem paucos esse, qui putent licere simul apponere adoranda Hostia consecrata cæteris præsentibus, quos refert Diana 4. *part. tract. 4. resol. 47.* nemo tamen, quem viderim, docet id absque vrgente necessitate. Ergo non ita vitantur inconuenientia, vt Lugo putat: ideo tunc satius esse puto sub conditione consecrare

medium, f. Quarto ere, & in ep.

consecrare (in quo non video inconueniens) totam materiam modo prædicto. Quid autem faciendum sit de gutta vini infusa Calici iam consecrato, quæ non potest assignari per Pronomen, *Hic?* Ego dixerim verè posse consecrari etiam per modum vnius dicta forma sub conditione super totam materiam, sicut diximus de Hostiis, vel potius sic sumendum totum; sicut quando musca, vel aliqua alia res (quæ faciliùs posset extrahi, & siccari, & comburi, & mitti cineres in Piscinam; iuxta Missalis præscriptum) sumenda est simul cum sanguine: nam in nostro casu non est separabilis illa particula. Hucvsque Dicastillus contra Lugo.

Sup. hoc in fin. in Ref. 217. § Sed pro paulo post initij, vers. Respon-deo.

6. Sed in eius fauorem potest adduci Rubrica Missalis, *tit. de Defectibus, &c. n.* 8. vbi sic habetur: Si sumendo Sanguinem particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, & sumat ante purificationem, vel infundat Vinum & sumat. In quo vltimo modo à Rubrica appositio quis bibit Vinum vsuale, & simul Panem Eucharisticum comedit, imò in hoc casu, etiam potest accidere vt sumat Eucharistiam non ieiunus: nam potest prius Vinum non consecratum bibere, quàm illam particulam deglutire. Ergo modus ille distribuendi particulas binas à Cardinali Lugo appositus, non videtur continere absurda, quæ in ipso notauit Dicastillus. Respondere tamen quis posset, esse disparé rationem inter vtrumque casum: nam in casu Missalis, particula illa consecrata necessariò debet sumi à Sacerdote, nec alius *modus* inuenitur, nisi appositus in illa Rubrica: sed *in* nostro casu, particula illa non consecrata potest sumi alio modo, videlicèt illam validè consecrando, vt concedit ipsemet Lugus: Ergo debet consecrari, & non ministrari, vt ipse vult, cum illis inconuenientibus notatis à Leandro, & Dicastillo, quæ tamen ratione necessitatis non possunt euitari in casu appositio in Missali, & ideò ex necessitate permittuntur. Secundò dicendum videtur, quod casus appositus ab Eminentiss. Lugo, posset saltem practicari, si illæ particulæ consecratæ, in qua mixta fuit particula non consecrata, conseruarentur in Tabernaculo & sumerentur à singulis Sacerdotibus in Missa post sumptum Sanguinem, non binæ, vt ipse vult, sed vna post vnam, tunc quidem non sequerentur absurda, quæ notauit Dicastillus, & Leandrus, vt de se patet. Ergo, &c. Sed nec talis modus videtur admittendus: nam Sacerdos in Missa non potest sumere particulas præconsecratas post sumptam Hostiam, & Calicem, nisi ex aliqua necessitate, vt patet ex consuetudine Ecclesiæ. At in nostro casu Sacerdos celebrans non habet necessitatem sumendi illas particulas, eo modo, vt præscribit Cardinalis Lugo: nam potest illas consecrare sub conditione, vt ipsemet concedit, & relinquere, vt alij modo consueto illas sumant. Ergo, &c. Cùm itaque modus appositus ab Eminentiss. D. meo Cardinali de Lugo, in ordine ad distribuendas illas particulas non consecratas, non careat maximis difficultatibus, vt visum est, & satis probatum; existimo in casu contingenti, Sacerdotem posse dictas particulas sub conditione consecrare, eo pacto quo supra ex Leandro, & Dicastillo notauimus. Si quis autem sequi vellet opinionem Eminentiss. Cardinalis, habebit etiam Auctorem ex nostra Religione, nempe D. Syluestrum de Afflicto nunc Episcopum Noceræ, qui hîc Romæ in sua Lectura sententiæ Cardinalis adhæsit, qui quidem Eminentissimus quantæ sit auctoritatis, nemo nescit, si literas scit. Et hæc satis dicta sint in difficili, & curiosa Quæstione, non satis apud plures Auctores obuia.

7. Sed in gratiam curiosorum, ponam hîc etiam aliud dubium difficile, & practicabile, videlicet, Quid dicendum sit, si Sacerdos in Sacristia dixit velle consecrare Pyxidem cum particulis, & postea Sacrista ipso non vidente, dum legeret Euangelium, apposuit Pyxidem in Altari in cornu Epistolæ; an inquam illæ particulæ dicendæ sint consecratæ, licet Sacerdos de illis in consecratione Hostiæ non meminerit? Hic casus fuit alibi à me pertractatus, nunc addam Auctores præter ibi citatos. Dico igitur, quod negatiuam sententiam tenet Magister Candidus *in Disquisit. Moral. tom.* 3. *disquis.* 2. *art.* 2. *dub.* 72. *n.* 87. Ioannes Vviggers *de Sacram. in* 3. *p. q.* 74. *art.* 2. *n.* 3. & Castrus Palaus *tom.* 4. *tract.* 21. *disp. vnica, punct.* 6. *n.* 3. vbi docet, quod formulæ, si inscio Sacerdote in Altari essent depositæ, ipseque Sacerdos illarum ignarus esset, nullatenus consecrarentur, quia nullam intentionem, etiam virtualem habuit illas consecrandi. Secus verò esset, si ipse Sacerdos, vel alius ex eius beneplacito eas formulas consecrandas ante Offertorium deferret: nam eo ipso voluntatem habet eas consecrandi, ex qua voluntate consecrantur, tametsi tempore consecrationis illarum obliuiscatur. Quod intelligendum est, dummodo sint super Altare sacrificij, hoc est super Aram; nam si iuxta existant, & illarum oblitus fuerit, nequaquam sunt consecratæ, quia non est præsumendum Sacerdotem indebitè, & illicitè consecrationem facere voluisse. Et ita etiam me citato tenet Auersa *de Sacrament. Eucharist. q.* 2. *sect.* 2.

Alibi supra in Ref. 217. & 218.

Sup. hoc, quod hic docetur magis latè supra in Ref. 216.

8. Confirmatur supradicta opinio ex alia simili, quam adducit Garcias *in Theol. mor. tract.* 3. *difficult.* 9. *dub.* 3. *punct.* 2. *num.* 18. vbi sic ait: [Difficultad tiene este caso: Saco vn vaso deformas para consagras, ò quando salgo à dezir Missa lleuo en la patena diez, ò doze formas para dar la comunion antes de offrecerlas, con las acciones de la Missa y viento, se cae vna dellas sin verlo yo, y se pone debaxo el corporal, ò palia; ofrezco, y consagro las que tengo sobre la patena, ò vaso: Pregunto, la que se cayò quedarà consagrada? Parece que si, porque para consagrarla la saquè yo, y tuue entonces intencion actual de consagrarla, luego aora tendrè yo virtual, luego eso bastarà: Con todo eso lo contrario tengo por mas cierto; porque aunque es verdad que al principio se incluyò en la intencion actual, para despues quando ofreci, y consagrè la exclui, pues mi intento no fue consagrar mas de lo que tenia delante, y, la que estaua debaxo del corporal no lo estaua.] Ita ille.

9. Sed hoc non obstante affirmatiuæ sententiæ adhæret Leandrus *de Sacrament. tom.* 2. *tractat.* 7. *disputat.* 8. *quæst.* 83. & Ioannes Præpositus *in* 3. *part. D. Thomæ, quæst.* 74. *artic.* 2. *dub.* 3. *num.* 19. sic asserens: Difficultas est de sequenti casu: Contingit aliquando Sacerdoti existenti in Altari afferri à ministro formulas consecrandas, & poni quidem super Altare, sed extra corporale, ibique relinqui à Sacerdote id aduertente: Difficultas, inquam, est, num eo casu sint consecratæ? non videntur consecratæ, quia Sacerdos non videtur habere intentionem consecrandi eas extra corporale positas, cùm id absque peccato facere non possit, non est autem præsumendum velle peccare. Respondetur, moraliter loquendo, censendas consecratas; Sacerdos enim, qui inter celebrandum aduertit reponi formulam vnam, vel plures, vt eas simul cum principali consecret, habet voluntatem consecrandi, decernens tamen prius eas decenter collocare super corporale, ita vt respectu illarum formularum non tantum habeat actum, qui explicatur per, volam consecrare, sit solum voluntas volendi, sed habet eum, qui explicatur per volo,

volo,& est præsens voluntas consecrationis futuræ, ex qua voluntate etiam in futurum procedit in sacro, nec eliditur ea voluntas ex eo quod ex naturali inaduertentia non reposuerit super corporale huiusmodi formulas ante consecrationem ; vnde communiter excusatur à peccato, eo quod inculpatè omittat formulas ante consecrationem super corporale reponere, & verè consecrat, quia non obstante naturali inaduertentia eius quod facere debuerat, manet virtualis intentio has formulas consecrandi. Hucvsque Præpositus ; & ego probabilem vtramque sententiam esse puto; licet priori adhæream.

RESOL. CCXXXII.

An Sacerdos post consecrationem particularum possit illas ponere in Tabernaculo, vel extra Aram, aut dare alteri Sacerdoti Pyxidem, vt illas in alio Altari populo distribuat ?

Et an possit admitti, quod ante sumptionem Calicis detur aliis communio ? Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Resol. 72.

Sup. hoc in Resol. seq. & supr. in Resol. 179. §. Nec obstat. ad medium, vers. & ideo pyxis.

§. 1. CAsus est curiosus, & potest in praxi accidere, & ad illum ita respondet Ioan. de Lugo *de sacram. Eucharist. disp. 30. sect. 2. n. 69.* vbi sic ait : Quæsitum est, an super ara consecrata debeant poni etiam particulæ consecratæ, an sufficiat, quod ibi sint tempore consecrationis ; postea verò propter loci angustias ponantur extra in alia parte Altaris supra aliud Corporale. Respondi, debere esse super aram, sicut & Hostiam illam, quam Sacerdos sumit : nam licet Sacerdos intendat hanc Hostiam maiorem sibi sumere, & illas minores aliis dare, hoc parum referri, cùm ex institutione huius sacrificij nulla sit differentia, quare posset Sacerdos ex ipsa hostia maiori dare partem aliquam ei, qui vult communicare, & rursus ex minoribus sibi sumere, quia tota est vnica victima, & per modum vnius offertur absque vllo discrimine. Vnde in Rubricis Missalis præcipitur, quod particulæ illæ ponantur super Corporale, vel ante Calicem, aut in aliquo Calice, vel vase mundo consecrato retro post Calicem. Quod autem non sufficiat solùm quando consecrantur esse supra aram, constat clarè, quia ara non tam requiritur ad sustentandam Hostiam tempore consecrationis, quàm tempore præcedenti & sequenti ; quando enim consecratur, non est Hostia super aram, sed in manibus Sacerdotis : ergo magis requiritur ara ad tempus præcedens, & subsequens. Vnde obiter infero, minus ritè facere aliquos, quos vidi statim post consecrationem dare vas cum particulis consecratis alteri Sacerdoti, vt eas in alio Altari populo distribuat. Hoc, inquam non ritè fit ; nam sicut ex Hostia sua Sacerdos non debet dare partem vsque ad finem sacrificij, sic nec de illis particulis, quæ sunt etiam victima illius sacrificij, non minus offeruntur quàm Hostia maior, & ideo omnes orationes, oblationes, & benedictiones sequentes æquè spectant ad illas, nec ante sumptionem à Sacerdote est victima perfectè, & integrè sacrificata, minus etiam congruit, vt alius participet prius de sacrificio, quàm ipse Sacerdos, qui est principaliter offerens, & sacrificans respectu aliorum, vnde in omnibus Liturgiis, & ritualibus, ac Regulis antiquis semper primo loco ponitur communio Sacerdotis celebrantis, & postea communio Cleri & populi, nec videtur ille ordo facilè peruertendus. Faciliùs posset admitti, quod ante sumptionem Calicis daretur aliis communio, quia Christus non solùm ante sumptionem, sed etiam ante consecrationem Calicis videtur dedisse Apostolis Corpus, vt ex contextu Euangelij colligi potest. Et hæc omnia docet Lugo *vbi sup.* licet aliqui viri docti ex eadem Societate mecum de hac opinione disserendo à Lugo dissentiant.

Sup. hoc in Resol. 1. not. præteritæ. sed lege inf. doctrinã Resol. 141. & aliarum eius not.

RESOL. CCXXXIII.

An toto tempore Missæ debeant particulæ consecratæ, manere super Altare, ad Aram ?

Et cursim docetur, an sufficiat, vt prædictæ particulæ sint super Aram, quando consecrantur, vel debeant esse in manibus Sacerdotis consecrantis ?

Et breuissimè asseritur posse Sacerdotem ex ipsa Hostia maiori dare partem aliquam volenti communicare, & ex minoribus sibi sumere. Ex part. 10. tract. 15. & Misc. 5. Resol. 41.

§. 1. CAsus est practicabilis, & ideò sæpius in pro- scenium deducendus est, & illum pertractans sæpè insisto P. Dicastillo *tom. 1. de sacr. tr. 5. d. 4. dub. 8. n. 148.* vbi sic ait : Dubitabit aliquis, an super ara particulæ consecratæ debeant esse toto tempore Sacrificij, vel sufficiat ibi esse tempore consecrationis, vel ponere in alia parte Altaris super aliud Corporale ? respondet Lugo *disp. 20. n. 69.* debere esse super aram sicut illam Hostiam quam Sacerdos sumit. Nam licet Sacerdos intendat hanc Hostiam maiorem sibi sumere, & maiores aliis dare, hoc parum referri (inquit Lugo) cum ex institutione huius Sacrificij nulla sit differentia ; quare posset ex ipsa Hostia maiori dare partem aliquam volenti communicare, & ex minoribus sibi sumere, quia tota est vnica victima, & per modum vnius offertur sine discrimine. Vnde in Rubricis Missalis præcipitur vt particulæ illæ ponantur super Corporale, vel ante Calicem, aut in aliquo Calice, vel mundo consecrato retro post Calicem : nec sufficit esse super aram, quando consecrantur, quia non tam requiritur ad sustentandam Hostiam tempore consecrationis, quàm tempore præcedente, & subsequente : quando enim consecratur, est in manibus Sacerdotis, & non super aram. Hæc omnia probabilia, & decentissima sunt, sed nó cogunt Logicis rationes. Nam ad sacrificandum requiritur ara, non postea præcisè ex vi sacrificij, ita vt quando fit sacrificium, fiat super aram, & non extra illam : supra aram verò censetur fieri, etiamsi Hostia sit in manibus Sacerdotis, dummodo Sacerdos manus habeat elevatas, licet aliquantulum, respondentes tamen spatio, in quo est ara. Vnde, si tunc poneret se ad alterutrum cornu Altaris, quando non est fixum, & totum consecratum, non diceretur celebrare supra aram, sed extra ; intra aram verò celebrare dicitur, non quia ipsi aræ, aut corporali, aut mappis tegentibus aram, sed quia manus Sacerdotis tenent Hostiam elevatam supra aram. Cumque Hostiæ paruulæ, si multæ sint, non sint, nec moraliter esse possint in manibus Sacerdotis, necesse est, vt tempore consecrationis fiat in corporali tegente aram, ita vt subtus ara ipsa sit ; alioquin consecratio, illarumque transubstantiatio extra aram fieret. Frustra ergo contendit Lugo, aram non requiri, vt Hostia sit super illam tempore consecrationis, & cùm Hostia maior modo explicato, & paruæ particulæ supra aram esse debeant : quod verò postea perseuerent super aram, nullo iure probatur, quin possint statim in ipsa pyxide, & in ipso quoque hierophylacio condi, cuius oppositum nullo iure efficaciter probatur. Quod enim Lugo ait illas quoque particulas ibi esse per modum vnius victimæ, verissimum est ; hoc tamen non cogit vt dicamus non posse illam Hostiam post consecrationem extra

extra aram poni, aut etiam deferri ad aliud Altare, & ibi ab alio Sacerdote distribui: quod negat Lugo. Sicut enim etiamsi sint per modum vnius victimæ, possunt non consumi à Sacerdote, dummodo aliam partem materiæ tunc consecratæ sumat; ita poterit pro vsu fidelium aliqua pars materiæ ad alium locum deferri, dummodo remaneat quantum sufficit ad integritatem Sacrificij. Quod autem tunc contingat vt in alio Altari, aut loco fortè aliqui priùs participent de illo pane, hoc per accidens est, & nihil refert: sicut neque quod omnes orationes, oblationes, & benedictiones sequentes etiam spectent ad illas, sicut ad Hostiam maiorem, eo quod sint vna victima; imò propterea possunt indeaccipi relicta alia Hostia, quia cum sint victima, & manente illa parte maneat eadem victima, satis est hoc ad integritatem sacrificij, & sacrificium non erat consummandum in illis per illarum sumptionem: consummatio etiam sufficiens sit per consumptionem alterius materiæ, non illius, atque hoc sufficit. Itaque decentius fit, vt Lugo præscribit: sed, si aliud pro commoditate populi aliter fiat, nihil video in hoc esse peccati. Hucvsque Dicastillus.

2. Sed ego alibi sententiæ Cardinalis de Lugo adhæsi, & me citato, adhæret etiam Pater Leandrus *de Sacrament. tom. 2. tract. 8. disput. 7. quæst 9.* vbi firmat particulas debere apponi, & esse supra aram non solùm dum consecrantur, verùm etiam post eatum consecrationem vsque ad communionẽ Sacerdotis (nisi fortè grauis contingat alicuius infirmi communicandi necessitas.) Ratio est primò, quia ara non tam requiritur ad sustentandam Hostiam tempore consecrationis, quàm tempore præcedenti, & sequenti. Secundò quia non solùm Hostia magna, sed etiam aliæ particulæ sunt victima illius sacrificij, cum non minùs offerantur, quàm Hostia maior: ergo omnes oblationes, & benedictiones sequentes æquè spectant ad illas. Tertiò, quia non congruit, nec decet vt alius particeps priùs de sacrificio, quàm ipse Sacerdos, qui est principaliter offerens. Sed vt visum est, hæc non vrgent apud Dicastillum; vnde ego puto vtramque sententiam esse probabilem, sed affirmatiuam probabiliorem.

RESOL. CCXXXIV.

An Sacerdos celebrans possit in aliquo casu Hostiam à se consecratam reponere in Sacrario, & ex illo particulam, ex præconsecratis ab alio assumere?

Et quidam Parochus nullam habens maiorem Hostiam, veritus populi scandalum aliquod, aut murmur, dum minorem Hostiam consecrasset, in eleuationem Hostiæ ostentauit alteram quandam maiorem Hostiam, quæ asseruabatur in Pyxide, vt exponeretur in die solemni populo: quæritur, an ille prudenter hoc fecerit, vel quid facere debuerit? Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Res. 96.

§. 1. POrrige aures, amice Lector, casus enim est curiosus, & de illo ego olim interrogatus fui. Nam quidam Sacerdos in vltima Missa oblitus est consecrare Hostiam exponendam post prandium in Oratione quadragesimarum horarum. Quæsierunt tunc à me, an potuisset dictus Sacerdos sumere particulam à Sacrario ex præconsecratis ab alio Sacerdote, & Hostiam ab ipso consecratam conseruare ad effectum publicè illam exponendi postea, supposito quod non esset vltra tempus celebrandi aliam Missam. Et licitè hoc posse fieri ex Henriquez defendit Stephanus Fagundez *pr. 1. lib. 3. cap. 4. n. 26.* vbi sic ait: Si autem vnus Sacerdos post consecrationem statim moriatur, & alter perficiat Missam illius, ex vtroque celebrante fiet vnus Minister, & vnum sacrificium essentiale, cui qui astiterit, satisfaciet præcepto audiendi Sacri, vt docet Henriquez *libr. 9. de Missa, cap. 9. n. 2.* Dices, essentia sacrificij consistit in consecratione, & consumptione vnius Sacerdotis sacrificantis, hic autem sunt duo, non vnus Sacerdos. Ergo non potest dici vnum sacrificium. Respondeo essentiam sacrificij consistere in noua consecratione, & consumptione Hostiæ, & vini in eodem sacrificio facta, non tamen ab eodem Sacerdote. Vnde multi Parochi dum renouant Eucharistiam, consumunt Hostiam ab alio consecratam: eam verò, quam consecrant, reponunt in Sacrario, & fit integrum & perfectum sacrificium Missæ, & licitè id faciunt, vt optimè docet idem Henriquez *loco allegato*, quia non est opus, vt consecratio, & consumptio fiat ab vno Sacerdote, opus est tamen, vt in eodem sacrificio detur noua consecratio, & noua consumptio, quamuis noua Hostia consecretur, & alia præconsecratio consumatur. Ita ille, quod etiam iterum docet infra *in cap. 5. n. 20.*

2. Sed hanc sententiam nullo modo probabilem esse putat Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thomæ, quæst. 83. art. 1. dub. 7. num. 50.* vbi probat Sacerdotem celebrantem necessariò debere sumere Hostiam, quam in eo sacro consecrauit, siue etiam aliam sumat, siue non, quia sumptione sola Hostiæ in eo Sacro consecratæ ostendit se illi sacrificio consentire; nullo verò modo sumendo Hostiam præconsecratam, quæ impertinenter se habet ad hoc sacrificium. Adde quod cum iuxta Henriquez sit pars essentialis sacrificij sumptio, talis nullo modo dici potest sacrificare, quia, vt dictum est, non cuiusvis Hostiæ sumptio pertinet ad quodlibet sacrificium, sed sumptio Hostiæ in eodem Sacro consecratæ, hæc enim sola ab illo sacrificio respicitur: ad id quod dicit de quorumdam Pastorum praxi, dico inde non posse sumi argumentum, cùm procedat ex ignorantia, sitque omnino corrigenda; vnde si quando Pastores velint renouare Hostiam, quæ est in remonstrantia, debent duas Hostias consecrare, & vnam illarum sumere, similiter Sanguinem, deinde sumere antiquam ante ablutionem.

3. Hanc etiam sententiam tenet Bartholomæus à Sancto Fausto *de Sacrament. Eucharist. lib. 2. q. 29.* & Phil. Gamachæus Regius Professor in inclyto Museo Sorbonico, *tom. 3. summæ Theologiæ in 3. part. D. Thom. post quæst. 79. in tractat. de Sacrificio Missæ, cap. 5.* in quo probat, quod licet essentia sacrificij Missæ consistat in consecratione, & non in sumptione: tamen docet Sacerdotem debere Hostiam eamdem manducare, quam in Missa confecit, & non alteram ab alio Sacerdote præconsecratam, & praxim aliquorum Parochorum sic facientium in renouatione Eucharistiæ non approbat, & hoc etiam supponit Syluius *in tertia parte, quæst. 82. artic. 4. & quæst. 83. artic. 1. Quæritur secundo, conclus. 4. ad septimum argumentum*, & Bartol. ab Angelo *in exam. confess. dialogo 5. §. 558.* Post hæc scripta inueni nostrum charissimum Patrem Lugo *de Sacramento Eucharist. disp. 19. sect. 5. n. 76.* subtiliter more suo, & neruosè hanc sententiam docere, asserentem Henriquez, & Fagundez in hac quæstione parum Theologicè loquutos fuisse.

4. Sed non desinam etiam hic adnotare, & apponere aliud pulchrum dubium positum à Iacobo Marchantio *in resolut. Pastoral. ad Candelabrum de Sacrament. tract. 4. cap. 5. quæst 3. in fine*, vbi sic ait: Quidam Parochus nullam habens maiorem Hostiam

stiam, veritus populi scandalum aliquod, aut murmur, dum minorem Hostiam consecrasset, in eleuatione Sacramenti ostentauit alteram quamdam maiorem Hostiam, quæ asseruabatur in Pyxide, vt exoneretur in die solemni populo. Quæritur, an ille prudenter hoc fecerit? Respondetur cum in Missa debeat exhiberi populo adoranda Hostia in illo sacrificio consecrata, & oblata, talem cautelam non esse approbandam; meliùs tamen, meo iudicio, fecisset, si & maiori isti Hostiæ alteram paruam consecratam per illud sacrificium simul adiunxisset, quod facilè fieri poterat, exhibendo vtramque adorandam. Sic enim satisfaceret cæremoniæ huic sacræ, quia Hostia sacrificij huius populo ad adorandum exhibenda præcipitur. Ita Marchantius.

4. Notandum est verò, quod aliqui asserunt, opinionem D.Thomæ practicandam esse casu, quo Sacerdos celebraret secretò, non autem publicè; nam in primo casu si Hostiam iterum consecraret, non adesset scandalum, secus autem si publicè Missam diceret. Ita explicant mentem D.Thomæ Nugnus *in 3.part.tom.1.quæst.82.art.6. dub.2. concl.1.* & Ioannes de la Cruz *in direct.conf.part.2.de Sacrificio Miss.quæst.5.dub.1. concl.1.* qui citat Ledesmam, & Syluius *in 3.part. quæst.80. art.8. cas.2.* Vide etiam Henriquez *in summa lib.9. cap.37.n.3.* quæ quidem omnia probabiliter dicta sunt.

5. Notandum est etiam cum Nauarro, & Syluio *vbi suprà*, quod Sacerdos non peccaret mortaliter, si cui hæc fortasse acciderint, si inopinato casu perturbatus, non susciperet, nec consecraret vinum, vt supra ex diuersis sententiis, necessariò consecrandum.

RESOL. CCXXXV.

An Sacerdos, sumpto iam Corpore, si videt consecrasse Calicem per inconsiderationem cum sola aqua, debeat non solùm vinum apponere, sed de nouo consecrare aliam Hostiam incipiendo ab illis verbis, Qui pridie quàm paterentur?

Vel an sufficiat in tali casu statim vinum apponere, & incipere ab illis verbis, Simili modo?

Et an hoc intelligatur casu, quo Sacerdos celebraret publicè, non autem secretò?

Et an Sacerdos peccet mortaliter, si cui fortè hoc acciderit, inopinato casu turbatus non susciperet, nec consecraret vinum?

Et docetur Rubricas Missalis esse doctrinales, & non inducere præceptum. Ex part.2.tr.14.Res.70.

Sup hoc in Res.seq.§.At his. ante medium, à vers. Si verò lege eius doctrinam, etiã à principio dicti §.

§.1. Affirmatiuam sententiam docuit D.Thomas *in 3.part q.83.art.6. ad quartum.* Paludanus *in 4.dist.11.q.1.art.2.* & Sylueſter *verb. Eucharist.2. q.10.num.14.* Ratio est, quia aliter faciendo, non seruaretur debitus ordo consecrandi, & ideo Pius V. in suo Missali ordinauit, vt hic defectus tali pacto suppleatur.

2. Sed cum omni reuerentia D.Thomæ, Doctori maximo debita, puto contrariam sententiam esse probabilem. Sufficit igitur, vt Sacerdos in tali casu statim vinum apponat, & incipiat ab illis, *Simili modo, &c.* consecrando Calicem, quia talis modus sufficiens ad supplendum defectum, & aptior, vt sine scandalo efficiatur, & populus non intelligat inaduertentiam, & defectum Sacerdotis. Et contrarium facere, vt D.Thom. putat, non esset sacrificium perficere, sed potius nouum, & integrum facere imperfecto relicto. Et licet Hostia fuerit à Sacerdote consumpta, quamdiu non consumitur Calix, adhuc actio sacrificandi, & substantia sacrificij moraliter durat, quamuis consumpto Corpore, solus Calix postea consecretur, non censetur vna species confici sine altera. Nam subsequens consecratio sanguinis moraliter cum priori consecratione Hostiæ coniungitur, & sic ex vtraque conficitur vna actio moralis, & vnum morale sacrificium. Et sic patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ.

3. Ad Rubricas Missalis respondeo, vt sæpè dictum est, esse doctrinale, & non inducere præceptum, sed tantum instruere, & consilium præbere. Authores verò qui docent nostram sententiam aduersus D. Thom. sunt Scotus *in 4.distinct.8. quæst.3.* ipsemet D.Thomas *in 4.distinct.11.* Nauarrus *in manuali cap.25.num.91.* Angelus *ver.Missa,n.17.* Villalobos *in sum part.1.tract.8.dub.32.n.5.* & omnes ferè neoterici. Hæc opinio fuit postea approbata in Missali iussu Clement.VIII. edito.

RESOL. CCXXXVI.

An Sacerdos, qui per errorem consecrauit solam panem, si non possit postea sine sui nota, & populi turbatione consecrare Sanguinem, si ei licitum in Sacrificium pergere, sine vini consecratione?

Et an Sacerdos excusetur à mortali peccato, si per inconsiderationem naturalem, vel turbationem Sacrificium in simili euentu non perficere: quod & de similibus euentibus dicendum est?

Et est diligenter notandum, quia eiusmodi perturbationes etiam viris doctis accidit. Ex p.10.tr.11.& Milic. Resol.14.

§.1. Negatiuam sententiam docet Cornejo *in 3. part. tractat.4. quæst.74. dissputat.2. dub.2. num.1. & 2.* vbi ait, quod etiamsi scandalum sequatur, adhuc non licet relinquere Sacramentum imperfectum: tum, quia illud scandalum non est datum, sed acceptum; neque esset scandalum pusillorum, sed Pharisæorum: proinde non debet Sacerdos propter illud vitandum, à consecratione Calicis abstinere. Et ideò optimè aduertit Ioannes Præpositus *in 3. part. quæst.83. artic.1. dub.8.n.56.* in his casibus posse facilè occurri astantium, & populi scandalo, si de veritate doceantur: quia præmissa monitione, si perseueret offensio, potest censeri scandalum acceptum, non datum. Adde, quod si huiusmodi licentia concedatur, Sacerdos plurimis euentibus poterit iudicare, se posse consecrare panem sine vino: quod cedet in grauem huius Sacramenti irreuerentiam. Sacerdos tamen excusabitur à peccato, si propter inconsiderationem naturalem, vel perturbationem, sacrificium in simili euentu non perficiat; quod & de similibus euentibus dicendum, & est diligenter notandum, quia huiusmodi perturbatio etiam viris doctis accidit, qui non statim accusandi sunt peccati mortalis, si sumpta hostia aduerterint vinum non fuisse in Calice, neque tamen vino accepto de nouo consecrarint. Vide D.Thomam *in 3.part. quæst.83. artic.5. ad 5.* & ibi Nugnum *dub.2. §. Respondetur, quod fortè.*

2. At his non obstantibus, ad dubium proposotum Hurtadus *de sacrific.Missæ,disp.4.diff.11.sic* ait: Si Sacerdos post consecrationem antequam finiatur Officium, cognoscat defectum consecrationis vini, quia loco vini fuit apposita aqua, aut acetum, aut alia materia insufficiens; si nequeat absque [illegible] more prudenti grauis moræ sui, aut grauis perturbationis

bationis adstantium, consecrare Sanguinem; non tenetur eum consecrare, sed potest absque illius consecratione Missam finire: quia præceptum affirmatiuum perficiendi essentialiter sacrificium, quamuis sit diuinum non obligat eum timore prudente tanti damni. Si verò non sit prædictus timor, perficiendum est essentialiter sacrificium, consecrando Sanguinem, vt patet, & non consecrando aliam Hostiam, quando agnoscitur defectus consecrationis vini ante sumptionem Hostiæ consecratæ: in quo Doctores conueniunt. Ita ille. Et ideò Adrianus *in 4. quæst. 6. de Eucharist.* quæ incipit, *Viso de impedimento*, §. *Pro responsione*, & Maior *in 4. distinct. 9. quæst. 3. §. Tertiò arguitur*, asserunt, si Sacerdos per errorem solum panem consecrauit, qui vinum sine magna offensione adstantis populi consecrare nequeat, vt quia mittendus est per mediam plebem aliquis, qui vinum ferat, posse eum in sacrificio pergere sine vini consecratione. Quod etiam censet probabile Azorius *tom. 1. lib. 10. cap. 19. quæst. 3. §. Maior.* Et hanc sententiam docet etiam Fagundez *præcept. 1. lib. 3. cap. 5. num. 10.* Marchinus *de Sacram. Ordinis, tract. 3. part. 2. cap. 1. num. 16.* & alij quos citat, & sequitur Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 7. disp. 5. q. 24.*

Sup. hoc in Ref. noc. præcit. à principio, & significanter in §. 2.

RESOL. CCXXXVII.

Quid facere debeat Sacerdos, qui perficit sacrificium ab alio inceptum, si dubitetur Hostiam fuisse consecratam?

Et an in tali casu debeat solùm incipere à consecratione, cæteris omissis? Ex part. 10. tract. 12. & Misc. 2. Ref. 12.

Sup. hoc lege doctrinã vlt. Ref. sequent.

§. 1. VIdetur vnum de duobus posse facere; nimirum aliam Hostiam sumere, eamque consecrare simul consecrando sub conditione aliam relictam à Sacerdote, de qua dubium est, an sit consecrata, & vtramque postea sumere: Vel posse nouam Hostiam consecrare, illam verò de qua dubitatur, an sit consecrata, sumere post sumptionem vtriusque speciei à se consecratæ, antequam sumat purificationem. Ita Sylvester *verb. Eucharistia, n. 12.* Tabiena *verb. Missa* 30. Henriquez *lib. 9. cap. 4. n. 4.* Bartholomæus ab Angelis *dial. 5. §. 561. 562. & 569.* cum aliis.

2. Sed doctus Pater Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 5. disput. 4. dub. 16. num. 311.* docet in tali casu Sacerdotem frustra adhibere aliam Hostiam, nec posse. Probatur primò, quod frustra: nam ille secundus Sacerdos solùm debet tunc celebrare, vt sacrificium de quo dubium est, an sit inceptum, non maneat inceptum, sed perficiatur: ad hoc autem sufficit, quod nulla alia hostia adhibita, illam ipsam hostiam præcedentis Sacerdotis sub conditione consecret. Nam vel ille alius Sacerdos consecrauit illam, vel non. Si consecrauit, iste secundus sub conditione proferens verba, illam non consecrat, sed perficit sacrificium inceptum ab alio: ratione cuius perficiendi (si fortè inceptum fuit) iste alius suscipit hoc munus. Si verò ille prior non consecrauit, iste secundus consecrat; vult enim consecrare sub conditione, si alter non consecrauit. Quo casu nullo modo manet sacrificium aliquo non integrum; iam enim ab hoc posteriori vtriusque specie consecratio fit. Ad quid ergo est necessaria illa Hostia? Probatur secundò, quod non possit adhiberi Hostia illa alia. Nam ius, & potestas, quam habet secundus Sacerdos incipiens, non à principio Missæ, sed à consecratione, solùm est ius perficiendi sacrificium alterius, ne scilicet imperfectum maneat, quod fortè inceptum fuit. Si autem ipse per se totam materiam necessariã sacrificij addat, addendo vnam Hostiam certo non consecratam, & vinum etiam non consecratum; sanè censetur integrè absolutè sacrificare, potius quàm alienum sacrificium perficere. Ad sacrificandum autem integro illo modo, incipiendo à consecratione, cæteris omissis non habet ius, nec potest sic certò, & indubitatò facere: solùm enim debet in dubio quidem integrè sacrificare; nempe, si ille alius non incepit sacrificium: certò autem sacrificare integrè illo modo nullo iure licet; nam ad euitandum periculum manendi sacrificium alterius imperfectum, sufficit consecrare sub conditione illam ipsam Hostiam, vt iam probauimus. Quare à principio intrinseco, & ratione ex natura rei petita magis placet hæc opinio, quàm opposita sententia, cui solùm defero propter Doctorum illius auctoritatem. Et hæc omnia docet Dicastillus *loco citato.* Vide etiam Præpositum *in p. quæst. 83. art. 6. n. 192.* qui docet in tali casu, Sacerdotem debere tantùm consecrare Hostiam sub conditione: quod etiam tenet Villalobos *in summa tom. 1. tract. 8. difficult. 32. n. 15.*

RESOL. CCXXXVIII.

An si Sacerdos moriatur post consecrationem, si adsit alius Sacerdos, teneatur sub peccato mortali perficere sacrificium?

Et in tali casu, an hoc facere debeat Sacerdos, etiamsi non sit ieiunus, aut sit excommunicatus, aut irregularis?

Et quid in tali casu est faciendum, si quando Sacerdos moritur, vel infirmatur, iam consecrauerat vtramque speciem: & quid quando tantum consecrauerat vnam speciem?

Et quid est agendum, si constet Sacerdotem esse mortuum in Missa, & non constet in qua parte Missæ mortuus fuerit?

Et aduertitur in prædictis casibus, quod si nullus inueniri potest Sacerdos, non esse licitum laico Sanguinẽ, aut Hostiam sumere; vnde Hostia conseruanda est in Pyxide, & Calix in Sacrario.

Et si vini species corrumpantur, antequam inueniatur Sacerdos, qui eas sumat, in piscinam proiiciendæ sunt. Ex p. 9. tr. 6. & Misc. 1. Ref. 18.

§. 1. AFfirmatiuè respondent communiter Doctores: quia integritas sacrificij est de iure diuino. Ergo necessarium est, quod sacrificium inceptum perficiatur, atque adeò quando non est possibile hoc fieri ab eodem Sacerdote, debet fieri ab altero. Et in tali casu debet hoc facere Sacerdos, etiamsi non ieiunus, vel sit excommunicatus, aut irregularis. Hæc sententia, vt dixi, est communis, & probabilior. Negatiuam verò sententiam puto etiam probabilem; & vt talem, illam admittit Ludouicus de San Iuan *in summa quæst. 7. art. 17. difficult. 11.* Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 8. difficult. 32. num. 15.* Sotus *in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 6.* Pellizarius *in Man. Reg. tom. 1. tract. 5. cap. 9. sect. 1. n. 15.* Siquidem in Concil. Tolet VII. relato in cap. *Nihil. 7. quæst. 1.* dicitur: *Censuimus conuenire, vt in eo casu sit liberum alteri Episcopo, vel Presbytero, consecrationem exequi officij cœpti.* Loquitur autem Concilium de præsenti casu, sicque videtur indicare, Sacerdotem quidem posse, si velit, explere sacrificium modo supradicto relictum imperfectum; non tamen teneri: quod sentit Sot. *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 6. §. 4.* hinc colliges, Sacerdotem non teneri explere sacrificium ab alio

Sup. hoc in Ref. seq. cursim in §. Cõcludo. ad lin. 3. & in §. vlt. ad lin. 6. & pro Sacerdote ieiuno, ib. in fin. & inf. in tr. 2. Ref. 101. cursim in §. Nota. post medium, vers. vlterius si Sacerdos. & supra in Resol. 130. §. vlt. à lin. 2.

inchoatum, nisi ex accidēte ad vitandum scandalum.

2. Sed casus de quo est quæstio, potest contingere dupliciter. Primò, quando Sacerdos qui moritur, vel infirmatur, iam consecrauerat vtramque speciem. Secundò quando tantùm consecrauerat vnam speciē. Si primo modo contingat, res facilis est: omnes enim Doctores conueniunt in hoc, quod debet secundus Sacerdos incipere ab illa parte Missæ, in qua alius finiuit: itaque debet perficere sacrificium, nihil repetendo, atque adeo si Sacerdos mortuus est in ipsa sumptione Sacramenti, debet secundus Sacerdos tantùm sumere species Sacramentales remanentes. Si verò secundo modo contingat, tunc est dubium, & diuersitas inter Doctores: Aliqui enim dicunt, quod debet secundus Sacerdos, non solùm consecrare Sanguinem, sed etiam priùs alteram Hostiam, & postea suo tempore sumere vtramque, & Sanguinem. Ita docet Innocentius *in lib.4. de Myster. Missæ, cap.22.* Quam sententiam D.Thom. *in 4.dist.8.q.1.art.4.* dicit esse probabilem: ipse tamen docet oppositam, tanquam probabiliorem. Aliqui dicunt, quod licet vtroque modo fieri possit, consultius tamen est non consecrare alteram Hostiam. Et hæc omnia docet Nugnus *in 3.part.tom.1.q.84.art.6.*

Sup. hoc dubio lege doctrinam Resol. not. seq. & ex illa infer es, quid potest fieri in hoc dubio, & in Resol. seq. §. vlt. cursim post mediū vers. Si reperis.

3. Sed si constet, Sacerdotem esse mortuum in Missa, sed non constat in qua parte Missæ mortuus fuerit. Respondet Serra *in cit.q.83.art.6.D.To.* quod quidam dicunt debere ponere aliam hostiam, & aliud vinum in Calice, & vtramque hostiam, ac vtrumque Calicem consecrare, alterum simpliciter, alterum sub conditione. Mihi probabilius videtur, satis esse, hostiam, & calicem, quæ inuenit in Altari, sub conditione consecrare, & non debere aliam hostiam, & vinū apponere: sicut, etsi certum esset primum Sacerdotem consecrasse Hostiam, & nesciretur consecrasse vinum, sufficeret quod in Altari inuenit consecrare secundum Sacerdotem. Ita Serra, qui optimè aduertit, quod in tali casu, si nullus inueniri posset Sacerdos, non esset licitum laïco Sanguinem, aut Hostiā sumere: quia laïco non licet sacrificium perficere. Vnde Hostia reseruanda esset in Pyxide, & Calix in Sacrario. Et si species vini corrumperentur, antequā inueniretur qui eas sumeret Sacerdos, in piscinam proijciendæ essent. Alij dicunt, licere laïco species consecratas, etiam vini sumere, non ad perficiendum sacrificiū, sed ob reuerentiā Sacramenti. Quæ omnia confirmat etiam Ludou. à San Ioan, *vbi sup. diffic.12.*

Sup. hoc lege doctrinā Resol. præteritæ.

Sup. hoc inf. in tr.2. Resol. 98. §. vlt. & in tom.3 tr. 1. Resol. 49. §. Sed si, post medium, & seqq.

RESOL. CCXXXIX.

An si Sacerdos moriatur post consecrationem Corporis Christi, possit alius Sacerdos sequenti die sacrificium perficere?

Et an, deficiente Sacerdote post consecrationem Hostiæ, alius, qui prædictum sacrificium perficere potest, debeat esse ieiunus, & nulla censura ligatus, & possit celebrare contritus, si desit copia Confessarij, & si reperiat Hostiam ab alio consecratam, satis sit, vt consecret Calicis vinum, & prosequens sumat vtramque speciem?

Et aduertitur de Officio Veneris Sancti, quod in illo die non integratur, nec perficitur sacrificium, cùm vtraque species fuerit die externo iam consecrata, & sumpta, sed sumitur à Sacerdote tantum Hostia præcedentis sacrificij, & ideò illud Officium non vocatur, nec est Missa, nec sacrificium. Ex p.10.tract.11. & Misc.1. Resol.4.

§.1. AFfirmatiuam sententiam nouissimè docet Tamburinus *opusc. de Sacrific. Missa lib.2. cap.8.§.1.num.6.* vbi sic ait: Quid fiet, si nullus adsit, qui Missam perficere eodem die possit; adsit tamen qui à loco distanti vocatus, die sequenti possit? Emanuel Sà in genuina impressione sic de hac re differit. Quod si desit qui Missam perficiat, sequenti die perficiatur, aut sumatur ab alio Sacerdote in alia Missa Sacramentum. Non placuit hoc dictum ei, qui illud expurgauit, quare sic reposuit. Quod si desit qui perficiat, sequenti die sumatur ab alio in alia Missa Sacramentum. Citatque Suarium, D.Thomam, Azorium, Sotum, & Toletum. Hinc ergo oritur quæstio, an opinio genuina Auctoris dicentis posse perfici die sequenti prædictam imperfectam Missam, sit probabilis, ac propterea immeritò expuncta? Certè non video, cur possit eodem die perfici, vt omnes concedimus, immo iniungimus etiam post sex, vel septem horas; vt contingeret, si defectus occurreret summo mane, & Sacerdos suppleturus inueniretur circa meridiem; non possit autem die immediatè sequenti. Illa enim mora in tali defectu non debet iudicari longa, ita vt continuari eadem Missa non possit die sequenti. Sicut enim die Veneris Sancti consumpto tunc exhibita continuat Missam diei præcedentis; nam propterea dicitur complementum sacrificij præteriti: ita in casu nostro, &c. Hucvsque Tamburinus.

2. Sed ego existimo, non esse recedendum à correctione Reuerendissimi Magistri Sacri Palatij, & ideo constanter assero, sacrificium illud non posse perfici die sequenti; sed illa Hostia conseruanda, vt postea à Sacerdote vel laïco communicato sumatur. Hanc nostram sententiam apertè docet ductus, & amicissimus Pater Auersa, *de sacram. Eucharist.q.11. sect.2.* vbi loquens de officio feriæ sic ait: respondetur communi sententia, illa die in Ecclesia non offerri sacrificium; vt etiam patet ex eo, quod Sacerdos solum corpus, & non Sanguinem sumit. Et ratio redditur, quia ea propriè die celebratur sacrificium ipsum cruentum mortis Christi. Dum verò in Offertorio nominatur sacrificium; non sumitur hoc nomen pro actione sacrificandi, sed pro re, quæ per se apta est sacrificio, nempe ipsum sacramentum. Sæpe enim sacrificium sic sumi solet, non pro actione, sed pro re, seu materia sacrificij. Quare nullatenus admittendum est quod ait Nugnus *hic art.1.* ex peculiari dispensatione Christi Ecclesiam eo die Parasceues ita celebrare. Certè enim nec apparet talis dispensatio, nec est necessaria. Similiter nec approbandum est, quod aliqui dicunt, ea die compleri sacrificium inchoatum die præcedenti. Tum quia iam illud sacrificium erat completum: & vna consecratio non nisi per vnam sumptionem debet compleri, & consummari in ratione sacrificij. Tum quia sacrificium vna die inchoatum, non potest compleri alia die, nec post notabilem interruptionem. Vnde si deficiente Sacerdote post consecrationem, non inueniatur alius, nisi die sequenti, non poterit iam compleri illud sacrificium. Ita in terminis contra Tamburinum Auersa. Vide etiam ipsum *sect. vlt. §.10.*

3. Probatur hoc etiam ex Rubrica Missalis, *cap. de defectibus vini, num.8.* vbi notatur, quod si expectando aliquamdiu haberi possit materia apta ad pectius speciei, cuius defectus deprehenditur, expectandum esse, ne sacrificium remaneat imperfectum. Vbi dicitur, *aliquandiu*, quia si esset nimis expectandum, adhuc non esset vna moraliter actio. Iudicet modo Lector, si verbum Rubricæ, videlicet, *aliquandiu* possit verificari, & adaptari, vt vult Tamburinus, si Sacerdos suppleat defectum Missæ hodiernæ sequenti die; & quo pacto in tali casu posset aliquis dicere, sacrificium illud moraliter esse vnam actionem.

nem. Vnde aduersus Patrem Tamburinum obiiciam doctissimum Theologum suæ Societatis, Patrem Azorium *tom.1.lib.10.cap.33.quæst.1.* sic asserentem: Si Sacrificium non compleatur; tunc species consecratæ seruari debent in Pixide, vel in alio Vasculo, vt in die proximè sequenti insumantur. Deinde, quamuis Glossa in eo capite doceat, Sacrificium perfici non posse, quia Missa post meridiem inchoari quidem nequit; at si ante meridiem inchoata fuerit; iure continuatur, atque finitur. Ita Azorius; qui, vt vides, negat expresè Missam, de qua est quæstio, esse perficiendam sequenti die; & solùm concedit posse in eadem die Sacrificium illud perfici. Sed Ego, vt verum fatear, non discedo à sententia Glossæ *in cap. nihil.7. quæst.1.* docentis Sacrificium illud non esse perficiendum post meridiem. Et quidem Doctores, loquentes de hoc casu, asserunt, Sacrificium esse perficiendum ab alio Sacerdote, si sit ad manus, si illico inueniri potest, si præsto adsit, &c. Et ideo hanc sententiam tenet etiam ex Societate P. Tannerus, *tom.4. disput.5. quæst.10. dub.7. num.110.* vbi sic ait: Si quis substantialis in Missa defectus accidit; semper quoad fieri potest, supplendus est. Dixi vero quoad fieri potest; quia si defectus multo post tempore, verbi gratia post prandium, vel horam à consummato ministerio, animaduersus fuerit, aut alioqui impedimentum intercedat, quo minus per quandam moralem continuationem suppleri possit; *ipsa* impossibilitas ab eius defectus suppletione excusat. Ita ille. Ergo si Tannero non videtur esse moralem continuationem paucas horas, imo vnam, ad supplendum defectum substantialem Missæ; quid quæso diceret in casu nostro; in quo vult Tamburinus Sacrificium hodie incœptum, posse perfici die sequenti? Non est igitur recedendum à sententia negatiua. Ad id verò, quod asserit de Officio Veneris Sancti, patet responsio ex his, quæ dixit Auersa *vbi supra*; quia in illo die non integratur nec perficitur Sacrificium, cùm vtraque species fuerit die externo iam consecrata; sed tunc sumitur à Sacerdote tantùm Hostia præcedentis Sacrificij, & ideo illud Officium non vocatur, nec est Missa, nec Sacrificium. Et concedendo P. Tamburino, vt illud Officium sit complementum Sacrificij præteriti; negamus tamen, in illo perfici, seu integrari Sacrificium alterius diei; vt est in casu, de quo est quæstio: sed tantum assumitur Hostia præconsecrata in Missa præcedentis diei: Ergo est dispar ratio inter vtrumque casum.

4. Concludo igitur, quod si inter celebrandum penitus deficiat ipse Sacerdos celebrans, ita vt prosequi, & Missam complere non possit: debebit alius Sacerdos, si adsit, supplere defectum, & complere Missam. Ita docet S. Thomas, aliique communiter, & habetur in Rubrica Missalis: & ex Concilio Toletano *7.c nihil 7.q.1.* vbi & redditur ratio: Cum enim simus omnes vnum in Christo; nihil contrarium diuersitas personarum firmat, vbi efficaciam prosperitatis vnitas fidei repræsentat. Si tamen cito inueniatur alius Sacerdos, qui defectum suppleat: alioqui post nimiam dilationem iam non esset vna moraliter actio per continuationem moralem. Itaque Missa heri cœpta non potest hodie perfici; quia hac distantia temporis dicendum est, omnino tolli vnitatem moralem Sacrificij.

5. Non deseram tamen hîc adnotare, potuisse P. Tamburinum in fauorem sententiæ Emanuel. Sà, quam defendit, adducere Henriquez *lib.9. cap.40. num.1.* vbi sic ait: si Sacerdos post consecrationem Hostiæ deficiat; potest alter Sacerdos, & interdum tenetur, si nullum habeat impedimentum (vt quia nulla censura ligatus est, & manet ieiunus) perficere illam Missam ex generali præcepto Ecclesiæ: potestque celebrare contritus, si desit copia Confessarij; quia grauior res est de integritate Sacrificij, quam de præmittenda tunc Confessione. Si reperit Hostiã consecratam ab alio; satis est, vt consecret Calicis vinum, & prosequens consumat vtramque speciem. Si non reperiatur Sacerdos ieiunus, differre licet perfectionem Missæ in alterum diem. Ita ille; qui, vt vides, apertè docet sententiam Emanuelis Sà: & opinionem Henriquez non esse improbabilem putat Fagundez *de Præcept. Eccles. præc.1. lib.3. cap.18. n.24.* Sed ego non discedo à contraria, quam docui.

Sup. hoc magis latè in tom.1.tr.3. Res.116.

Sup. hoc in Res. præterita, §. Sed casus. ad medium, vers. Si vero. & pro Sacerdote ieiuno, &c. ibidem ad lin.6. & in aliis eius primæ not. pro Sacerdote ieiuno, vel non ieiuno.

RESOL. CCXL.

An si Sacerdos moriatur post sumptam speciem panis, debeat alius perficere Sacrificium, & sumere tantum species sanguinis, vel quid est faciendum? Ex p.10. tract.12. & Misc.2. Res.15.

§.1. PRima opinio affirmat, in tali casu non esse Sacrificium absoluendum. Et ideò Henriquez, *lib.9. cap.40. num.3.* sic ait: Si Sacerdos post consumptam Hostiam deficiat relicto Sanguine iam perfecta videtur substantia Sacrificij, & eum effectu etiam in his, pro quibus offertur: sumptio enim Sanguinis non confert nouum gratiæ gradum: Calix verò relictus debet ab altero Sacerdote, integrè sub vtraque specie celebrante, consumi: & perindè est sumere Sanguinem vtriusque Calicis, ac sumere plures Hostias. Asserunt itaque doctores in tali casu non esse necessarium perfici Sacrificium ab alio, quia in vna sola specie saluatur essentia Sacrificij maximè in sumptione vnius tantùm, quidquid sit de Consecratione vtriusque: cumque iam vtriusque speciei consecratio præcesserit, videtur iam essentialiter perfectum Sacrificium. Quod autem superest sumendus Sanguis, non obest; potest enim ille sumi ab alio Sacerdote in alia Missa, sicuti solet sumi materia panis consecrati in alia Missa. Et hanc opinionem tenet Bonacina.

2. Secunda opinio ait: Quòd perficiendum est Sacrificium, & Sacerdos in tali casu, qui Sacrum morientis post sumptionem Hostiæ absoluit, potest absque noua consecratione panis, & vini, solum Sanguinem iam consecratum accipere. Et hanc opinionem adducit Franciscus Nigro *in Addit. ad Cerem.* Ruyz, *part.7. §.9. num.8.* & ait esse tutam in Praxi.

3. Tertia opinio est D. Thomæ, *in 3. part. q.83. art.6. ad 4.* qui tenet, quòd Sacerdos in tali casu debet panem nouum, & nouum vinum consecrare, & sumere vnà cum Sanguine, qui non fuit sumptus à defuncto celebrante. Et hanc opinionem veriorem putat Nigrus *vbi supra.*

4. Quarta opinio putat, in tali casu Sacerdotem non posse sumere solas species Sanguinis, vt vult secunda opinio, nec debere consecrare nouum vinum, vt vult Tertia opinio; sed tantùm consecrare nouum Corpus, & sumere illud cum speciebus vini iam consecrati à primo Sacerdote. Ita obseruat Henriquez, qui semper paucis verbis sapientissimè multa complectitur: nam postquàm dixit et verba à nobis vbi suprà allata; statim subdit: Quòd si malit perficere eam Missam, non licet ei sumere solum Sanguinem relictum; & perficere Missam cum sequentibus Orationibus: nam sic celebrans, quamuis suppleat vicem alterius deficientis; debet sumere vtramque speciem, vt patet in aliis casibus. Quidam eo casu (si haberi possit vinum) putant

Sup. hoc magis latè in Res. præterita, & in alio §. eius primæ not.

Sup hoc in Resol. not. præcitatæ.

præceptum esse, vt qui in Sacrificio sumit, conficeret vtramque speciem, propter mysterium significationis. At satis est, vt primo deficiente post vnam speciem consecratam, alter Missam perfecturus, consecret alteram, & sumat vtramque, vt dictum est; quia vterque se habet, vt vnus Minister partialiter concurrens ad vnum Sacrificium. Ita Henriquez.

5. Verùm ego ex his opinionibus secundam approbo, & illi adhæreo, quam nouissimè docet sapientissimus, & amicissimus P. Dicastillus, *de Sacrament. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 16. n. 109.* Dico itaque quòd quamuis concedam substantiam Sacrificij esse, quantùm ad essentiam, perfectam in Consecratione; adhuc ad consummationem Sacrificij pertinet sumptio; adestque præceptum sumendi id, quod in Sacrificio oblatum est. Ideò probabilius puto, Missam illam esse perficiendam ab alio Sacerdote, sumendo solùm Sanguinem.

RESOL. CCXLI.

An deficientibus particulis, possit Sacerdos partem Hostiæ alteri præbere? Ex part. 2. tr. 14. Resol. 37.

Sup. hoc in tribus Resol. seqq. & attende quod notatur in textu sup. §. 2. huius Resol. in Resol. seq. in eius §. 1. prope finem, à vers. Vnde. & lege alium vers. notationum prædictarum Resol.

§. 1. PRo infirmo moribundo ne sine viatico decedat, posse affirmant DD. Difficultas constitit, an ratione deuotionis alicuius sumendæ Eucharistiæ, liceat hoc facere.

2. Multi negant, vt Zambranus *dec. cap. 3. dub. 6. num. 7.* & alij. At ego probabiliter contrarium sentio, cum Syluestro *verb. Euchar. 3. n. 15.* Angelo *ver. Missa, n. 27.* Graffio *decis. p. 1. lib. 2. cap. 38. n. 31.* Scorzia *de sacr. Miss. lib. 4. c. 29. n. 12.* Zanardo *in direct. Theol. p. 1. de sacr. Euchar. cap. 9. n. 15. & cap. 10. num. 31.* & Homobono de bonis *exam. Eccles. p. 1. tract. 4. c. 11. quæst. 110.* Emanuele Sà *ver. Euchar. num. 15.* Ratio est, quia Sacerdos sic faciens vtilitati fidelium consulit, nec vllam iniuriam facit Sacramento, cùm in singulis particulis, quamuis exiguis, Christus contineatur.

RESOL. CCXLII.

An ad communicandum fidelem ob solam deuotionem Sacerdos possit frangere Hostiam? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 34.

§. 1. NEgatiuè respondent Zanardus *in director. Confessar. part. 1. de sacram. Eucharist. cap. 9. q. 15.* & Graffius *par.... lib. 2. cap. 38. n. 31.* vbi asserit non modica pœna dignum esse Sacerdotem frangentem Hostiam, vt laicum communicet, cùm ipse debeat recipere totam hostiam, *ex cap. relatum, de consecrat. dist. 2.* vnde ex incuria impressorum non bene supradicti auctores fuerunt adducti pro affirmatiua sententia *in mea resolut. 37. tract. de celebrat. Missarum.*

Quæ hic est Resol. antecedens, & in duabus Resol. seqq. & supra ex Resol. 131. paulo post initium, lege vers. Quare posset. & alium vers. eius not.

2. His tamen non obstantibus contrarium docui in dicta resolutione, nempe posse Sacerdotem frangere Hostiam pro communicando fideli, ob solam deuotionem, & multos DD. adduxi, quibus nunc addo Antonium de Literatis *in summa, part. 2. cap. 22. n. 10.* & alios, quos citat, & sequitur Ioannes Sancius *in selectis, disp. 22. n. 21.* vbi sic asserit: Aliquoties accidere potest, non fuisse consecratas paruas hostias, Hispanè *formas*, quas suscipiant communicaturi, sciat Sacerdos ei non esse veritum partem Hostiæ diuidere ad communicandum fidelem quolibet die velit ob solam deuotionem; nec in hoc efficitur iniuria, vel irreuerentia sacrificio, quia sicut participes fiunt adstantes fructuum spiritualium illius, sic meritò & fiunt fructus reales realiter Hostiæ susci piendo partem. Ita Sancius, qui etiam respondet ad canonem, quem adducit Graffius, nam ibi solùm decernitur detestabilem esse consuetudinem quorundam Sacerdotum plurimas eodem die celebrantium Missas, non tamen in omnibus sectam Hostiam sumentium, sed tantùm in postrema sacrificatione; sed hoc diuersum est ab assertione nostra. Ergo, &c.

RESOL. CCXLIII.

De casibus particularibus, in quibus Sacerdos possit dare partem suæ Hostiæ communicaturo.

Et an Sacerdos peccet mortaliter, si sine causa partem suæ Hostiæ laicis communicaturis præbeat? Ex p. 10. tract. 11. & Misc. 1. Resol. 70.

§. 1. QVæstionem, an Sacerdos possit aliquando dare partem suæ Hostiæ laicis communicaturis præbere, ego sæpiùs pertractaui; & me citato, posteà pertractat Tamburinus *Opusc. de Communione, cap. 6. §. 6. n. 30.* & me citato, Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 7. disput. 4. quæst. 17.* & me citato Martinus de San Ioseph *in monita Confessar. tom. 1. lib. 1. tract. 9. de Euchar. num. 16.* Sed nemo ex nobis adhuc plures casus particulares deuenit, quomodo deuenisse nunc obseruo accuratissimum Patrem Dicastillum *tom. 1. de Sacrament. tract. 4. disput. 11. dub. 8. num. 115.* vbi me citato, sic ait: Si post oblationem superueniat aliquis communicaturus, & non sit aliud Sacrum, aut si sit, non est commodum expectare alium Sacerdotem; non mihi videtur à ratione alienum, illi personæ, cui gratiam hanc velit Sacerdos impendere, dare particulam propriæ Hostiæ, seclusa aliqua prohibitione. Et in hoc sensu etiam intelligetem conditionem, quam requirunt Auctores, dum dicunt licere, si non sit alia formula; nempe, si nec ibi, aut in alio Altari tunc facilè reperiatur alia particula, & aliquis qui illam administret: vt sit necessarium expectare. Ratio huius assertionis est, quia nec ex natura rei, institutionis scilicet Sacramenti, nec ex iure Canonico communi, aut ex alio capite constat, id esse prohibitum. Atque in primis id non esse prohibitum ex institutione Sacramenti, aut Sacrificij, satis videtur constare. Primò ex eo, quod ad integritatem Sacrificij id non est necessarium, vt patet; cùm in qualibet parte specierum panis, & vini tantundem sit. Secundò, quia hoc ipsum fuit in vsu in Ecclesia Dei, vt distributor Sacramenti frangeret illud, sicut & Christus fecit, qui benedixit, ac fregit, deditque Discipulis: quem etiam duo Discipuli cognouerunt in fractione panis. Ita Paulus 1. *ad Corinthios 10. vers. 16. Panis* (inquit) *quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* vt notant Expositores ad eum locum, & ad alios textus, vbi de fractione fit mentio. Legatur ibi Cornelius à Lapide. Itaque frangere hunc panem, & fragmenta distribuere, satis fuit vsu receptum, præsertim apud Orientales, qui solebant panem facere non eleuatum, sicut nos, sed latum, & subtilem, qui erat buccellatus, id est, delineatis buccellis; vnde Græcè appellabatur βλωμὸς ἄρτος Buccellatus panis, qui frangi solebat per lineas designatas, atque adeo non habet aliquid, quod non congruat institutioni. Tertiò, quando erat vsus dandi Fidelibus etiam Laicis sanguinem, ex eodem vasculo consecrato accipiebantur pro aliis, & ex vi Sacrificij non reuebatur Sacerdos separatam

separatam pro se materiam consecrare, & nihil ex illa distribuere, aut quasi educillare, nã & Christus de vno & eodem calice dixit: *Bibite ex eo omnes.* Cur ergo in pane tenebitur separatam quandam partem non frangendam sibi seruare, & nihil de illa aliis conferre: Iam vero videndum est, an sit aliqua iuris prohibitio. Hanc ego in iure aliquo communi non inuenio. Nam quæ dicuntur ab aliquibus de *capite Relatum de Consecratione, distinct. 2. & cap. Comperimus eadem distinct.* indigna sunt quæ audiantur. Nam in priori Textu ex Concilio Toletano, 12. solum mandatur (contra quosdam aliter facientes) vt, qui sæpius in die celebrat, in singulis Missis communicet. In posteriori verò contra aliquos aliter facientes statuitur à Gelasio Papa, vt non alterutram, sed vtramque speciem Sacerdos celebrans sumat. Quæ hic est Ref. antecedens. Vnde frustra Graffius ob talem legem, & sine fundamento dixit, teste Diana *in illa ref. 34. p. 3.* non modica pœna dignum esse Sacerdotem frangentem hostiam vt Laicum communicet. Vtrum autem sit prohibitum, per specialem aliquam legem Synodalem in Diœcesi aliqua, mihi non satis constat; nisi forte in Toletana, non solum in Synodalibus anni 1622. sub Serenissimo Ferdinando Infante Cardinali, sed longe ante illud tempus. Vbi tamen id prohibitum fuerit, standum erit prohibitioni. Nec probo sententiam Ioannis Sanchez *in selectis, disputat. 22. num. 21.* qui ait nullam esse culpam, etiam ea prohibitione posita: si enim fieret sine causa rationabili, non video cur, qui sciens & volens faceret, non peccaret: De mortali verò præcepto, non ausim affirmare esse mortale sine causa facere, quia non videtur materia grauis irreuerentiæ, idque à fortiori docet Ioannes Sanchez, *supra* citatus. Quæ autem causa sufficiat prudentis iudicio videtur relinquendum. Ego non putarem requiri grauissimam. Vnde putarem sufficere, quod sic communicaturus non habeat aliam Missam, vel cogatur diu expectare, donec aliud Sacrum celebretur, aut in sequentem diem differre. Quin etiam sufficientem existimarem causam, quod aliqua persona grauis, aut nobilis velit communicare tunc, vt postea maturè se expediat ad negotia, imo & famuli, qui vt tempestiuè sint expediti ad exhibenda seruitia, velint communicare, nec facile possint sine officiorum dispẽdio expectare. Addiderim satis esse, si fiat, ne diu expectet ipse Sacerdos pro afferenda particula; potest enim pergere in Missa ad Offertorium, & Consecrationem, daturus partem suæ Hostiæ. Auctores, qui ex rationabili causa licere putant, innumeri sunt, & præter alios relatos apud Dianam. Hucusque Dicastillo.

2. Itaque, vt vidisti amice Lector, hîc vir doctissimus putat, Sacerdotem dantem partem Hostiæ Laico communicaturo absque causa, non peccare mortaliter; & causam iustam putat, quod sic communicaturus non habeat aliam Missam, vel cogatur diu expectare, donec aliud Sacrum celebretur, aut in sequentem diem differre. Item, si aliqua persona grauis, vel nobilis velit communicare tunc, vt postea maturè se expediat ad negotia; imò si famuli, vt tempestiue sint expediti ad exhibenda seruitia, velint communicare; nec facile possint, sine officiorum dispendio, expectare. Et satis esse, si fiat ne diu expectet ipse Sacerdos pro afferenda particula.

RESOL. CCXLIV.

An si in campo particula non inueniatur, possit Sacerdos dare partem suæ Hostiæ moribundo?

Et an hoc etiam in aliis casibus extra periculũ mortis liceat, dummodo rationabilis causa subsit; vt si quispiam magna deuotione ad Eucharistiam accederet; & non esset formula, quæ illi porrigi posset, &c.

Et docetur Sacerdotẽ non peccare mortaliter, qui cum particulam communicaturo porrigere facilè posset, dat partem paruam ex sua Hostia consecrata Ex p. 5. tract. 3. Ref. 54.

§. 1. REspondeo affirmatiuè cum Paludano *in 4. distinct. 12. quæst. 1. art. 5. cõclus. 2.* Syluestro *Euchar. 2. quæst* 10. §. 7. Antonino *part. 3. cap. 6. § 3.* Henriquez *lib. 9. cap. 30. num. vlt.* Chapeauilla *de sacram Euchar. quæst. 28.* & Iacobo Granado *de Sacrament. in 3. part. contr. 6. tract. 13. disp. 3 num. 3.* vbi sic ait. Et quidem si infirmus esset in mortis articulo, nec formula inueniretur, posset sine dubio Sacerdos partem Hostiæ reseruare, & infirmo porrigere. Illa ille. vbi *num. 4.* rectè docet, quod etiam ego docui *in 2. part. tract. 14. de celebratione Missarum, resol. 37.* cum multis Doctoribus, hoc etiam in aliis casibus extra periculum mortis licere, dummodo rationabilis causa subsit; vt si quispiam magna deuotione ad Eucharistiam accederet, & non esset formula, quæ illi porrigi posset, quia hoc non obstat integritati sacrificij, ad quam solùm pertinet consumere illud sub vtraque specie; quòd verò aliqua pars vnius speciei alteri tribuatur, licet sine causa malum sit, quia est contra Ecclesiæ morem, & minus perfectam consumptionem hostiæ immolatæ, potest tamen cohonestari aliquo rationabili fine. Quæ hic est supra Ref. 241. & etiam pro aliis casibus extra periculum mortis & in Ref. 242. & 243. & in aliis vers. earum annotat. Neque contra hanc doctrinam vrget vllo modo, quod legitur in Missali *titulo de defectibus in ministerio occurrentibus, vers. si Sacerdos.* Nam ibi solum dicitur. Si Sacerdos, qui iam consecrauerat saltem vnam speciem, in morbum incidat, perficiendam esse ab altero Sacerdote Missam, qui illum priorem, si adhuc viuat, efficiet participem Hostiæ, ab ipso consecratæ, porrigendo illi partem, & sumendo sibi aliam, quamuis sit alia formula consecrata, hæc potiùs infirmo porrigenda sit. Vbi planè loquitur de Sacerdote, qui dum celebrat in morbum incidit, nec negat in aliis casibus posse dari partem Hostiæ volentibus Eucharistiam suscipere.

2 Nec valet dicere quòd Gelasius Papa *de consecr. dist. 2. c. comperimus*, scribens Maiorino & Ioanni Episcopis, arguit quosdam in sacrificio Missæ integra Sacramenta non sumentes, & mandat vt vel integra Sacramenta percipiant, vel ab integris arceãtur; ergo non debet hic modus dispensandi tolerari. Respondetur ibi Pontificem arguere quosdã, & meritò, qui in sacrificio alteram tantùm partem, videlicet corporis Christi, accipiebãt, & ab altera, videlicet cruoris sacri, abstinebant, qui longè diuersi sint ab illis, qui vtrãque partẽ sub vtraque specie sumunt, sed vnam particulam alterius speciei pro ægro reseruãt, vt ex antè dictis facilè colligi potest.

3. Non desinam tamen hîc admotare aliquos docere Sacerdotem non peccare mortaliter, qui cùm particulam communicaturo porrigere facilè possit, dat partem paruam ex sua Hostia consecrata. Cuius sententiæ est nouissimè Ioannes Sancius *in selectis, disp. 22. num. 21.* vbi sic ait. Quapropter constitutio synodalis edita *anno* 622. à Serenissimo Infante Cardinali, prohibens ex Hostia diuidi particulam ad laici communionem, intelligi ad summum debet, quando facilè aliæ formulæ apponi possent. Imò nec in hoc casu inuenio culpam, cùm nullo præcepto sit prohibitum ex Hostia diuidi particulam, nec quidquam interest, quòd possit vitari diuisio ex eo quòd aliæ supereffent formulæ. Sic ille.

4. Verùm contrarium ego teneo cum Granado *vbi suprà*, & Emanuele Sà *ver. Eucharistia, num. 15.*

vbi sic ait: Potest Sacerdos communicaturo dare partem suæ Hostiæ, si alia non est. Ita ille. Vide etiam Ochagauiam *de Sacram. tract. de Euchar. quæst. 4. n. 12.* & Posseuinum *de officio Curati, cap. 8. n. 13.*

RESOL. CCXLV.

An Sacerdos, finita Missa, si in Sacristia inueniat aliquod fragmentum in Patena, vel Calice, possit illud sumere?

Et an ex accidenti, quando reliquiæ non possunt conseruari sine maiori irreuerentia, in ea enim circumstantia non solùm Reliquiæ præsentis sacrificij, sed etiam præteritorum assumi possunt ab ipso Sacerdote non ieiuno, etiam postquam à multo tempore ab Altari recessit? Ex p. 3. tr. 4. Resol. 45.

Sup. hoc infra in Resol. 246. 247. & in fine Resol. 249. & in Resol 250. & supra in Resol. 130. §. penult. & infra in tr. 2. lege §. vlt. Resol. 101.

§. 1. HIc casus frequenter potest accidere, & ideo negatiuam sententiam sustinendam esse puto: nam hoc licitum erit dum Sacerdos in Altari persistit, quia tunc eiusmodi reliquiarum assumptio refertur ad vnum, idemque conuiuium, & sacrificium, quod planè absolutum non censetur, dum Sacerdos in altari manet: secus autem si ab illo decesserit, vt est in casu proposito. Et ita docent Layman. *Theolog. mor. lib. 5. tr. 4. cap. 6. n. 22.* Coninch *de sacram. q. 80. art. 8. n. 64.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 68. sect. 6.* Villalob. *in sum. tom. 1. tr. 7. diffic. 39. n. 16.* Ioan. de la Cruz *in direct. confient. part. de sacram. Euchar. q. 5. dub. 4. concl. 3.* Fagundez *pr. 3. lib. 3. c. 5. n. 3.* vbi sic ait: Existimo non posse Sacerdotem per se loquendo prædictas reliquias sumere, postquam ab altari recessit, quia iam expleuit, perfecitq; ministerium suum: secus tamen esset ex accidenti, quando illæ non possunt conseruari sine maiori irreuerentia; in ea enim circumstantia non solùm reliquiæ præsentis sacrificij, sed etiam præteritorum absumi possunt ab ipso Sacerdote non ieiuno, etiam postquam à multo tempore ab Altari recessit. Ita ille, & ego. Igitur pro praxi dicendum est, quod si in Ecclesiis, vbi plures successiuè celebrantur Missæ, aliquis Sacerdos in sacristia inueniat in Calice, verbi gratia, aliquod fragmentum, tunc alius Sacerdos ieiunus existens ad dicendā Missam celebret in illo Calice, vt fragmentum illud ieiunus accipiat; sin verò id accidat in aliqua Ecclesia, vbi vna Missa tantùm celebratur, & ibi non reseruatur Sacramentum, tunc Sacerdos non ieiunus potest tale fragmentum accipere, quia illud reseruari sine maiori irreuerentia non potest. Notentur hæc pro praxi, quia forsitan apud neminem inuenies.

RESOL. CCXLVI.

An Sacerdos finita Missa, si in Sacristia sacris Vestibus adhuc non spoliatus inueniat aliquod fragmentum in Patena, vel in Calice, possit illud sumere? Ex part. 5. tr. 14. & Misc. 2. Resol. 43.

Quæ hic est Resol. antecedens, & in Resol. seq. & infra in Resol. 249. in fine, & in Resol. 250 & supra in Resol. 130. § Secundus casus. & in-

§. 1. HIc casus est frequentissimus, & negatiuam sententiam cum multis Doctoribus ego docui *in 3. part. tract. 4. resol. 45.* secluso tamen vno casu, de quo etiam vide Ioan. de Lugo *de Sacram. Euchar. disp. 15. sect. 4. n. 82.* & Ioan. Præpositum *in 3. p. q. 80. art. 8. dub. 2. n. 46.* Non reticeam tamen in gratiam curiosorum hic adnotare, affirmatiuam sententiam admittere, & tenere nouissimè Iacobum Granad. *in 3. p. D. Thom. de Sacrament. controu. 6. tract. 10. disp. 8. n. 11.* vbi sic ait: Si post bibitum Sanguinem, & post ablutionem inueniat reliquias in Patena, potest Sacerdos illas sumere, dum est in Altari. Imò aliqui extendunt, vt non solùm liceat, dum Sacerdos est in Altari, sed etiam si ad Sacristiam redierit, dummodo vestibus sacris indutus adhuc sit, quia sumptio illarum particularum pertinet ad integritatem sacrificij, quæ diuino iure præcepta est Sacerdoti: aliunde verò cùm non sit absolutè noua communio, sed perfectio præcedentis, videtur posse peragi ab eo, qui initio communionis fuit ieiunus, & nondum deposuit vestes sacerdotales. Ita ille. Quod est valde notandum, licet ergo contrariæ sententiæ tanquam communiori, & probabiliori adhæream, non damnarem tamen de peccato supradictam sententiam Granadi sequentem.

RESOL. CCXLVII.

An liceat Sacerdoti in Sacristia, dum adhuc sacris vestibus est indutus sumere Reliquias Hostiæ inuentas in Calice?

Et cuius quantitatis oporteat esse huiusmodi Reliquias?

Et an si celebrans, sumpto Sanguine, videat particulam Hostiæ in fundo Calicis, possit digito deducere particulam ad labium Calicis, & sumere ante purificationem, vel remoto scrupulo possit vna cum purificatione illam deglutire? Ex part. 5. tr. 6. & Misc. 1. Resol. 17.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Machinus de Sacramento Ordinis *tr. 3. part. 3. cap. 1. n. 20.* vbi sic ait: Hæc doctrina temperanda est, vt non procedat in Sacerdote, qui iam in Sacellum se recepisset, etiamsi tunc incipiat videre reliquias, quas in Altari non discernebat. Nam postquam ab Altari Sacerdos discessit, iam compleuit totum suum Ministerium, propterea post sumptionem ablutionis, & in sacellum reuersus reliquias Sacramenti, in quibus totus Christus asseruatur, iterum manducet, sequitur, quod nefas est, eum bis eadem die sacram Communionem recepisse. Ita ille. Et hanc sententiam cum multis DD. ego docui *in 3. p. tr. 5. resol. 45.* quibus etiam adde Persicum *de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 12. n. 111.*

2. Sed pro affirmatiua sententia *in 5. part. n. 14. resol. 43.* adduxi Iacobum Granado, qui licet videtur loqui ex aliorum sententia, tamen illam non improbat; sed clarè hanc opinionem affirmatiuam tenet Ioannes Baptista de Fabris *in Manual. Ordinandorum cap. 11. num. 142.* vbi sic asserit: Si celebrans sumpto Sanguine videt particulam Hostiæ in fundo Calicis, vel sumpta purificatione reperiat super Patena, vel Corporali aliquod fragmentum eiusdem hostiæ præassumptæ, quid faciet? respondeo in primo casu, vel digito deducat particulam ad labium Calicis, & sumat ante purificationem, vel remoto scrupulo vna cum purificatione deglutiat. In secundo casu fragmenta potest sumere etiam non ieiunus, & extra Altare in Sacristia. Hæc ille. Cui adde ex nostris Patrem Megalium *in Promptuario tom. verb. Eucharistiæ Sacramentum suscipiens, n. 24.* vbi sic asserit: Ego probabilem etiam censeo sententiam, quam in praxi seruant aliqui Sacerdotes docti, & timoratæ conscientiæ, vt scilicet prædictas reliquias sumant etiam post recessum ab Altari, & priusquam Missæ paramenta dimittant, si illas in Calice, vel in Patena inueniant. Et ratio huius praxis est, quia sumptio harum reliquiarum post Missam relictarum est complementum eiusdem actionis, & sacrificij: & consequenter tota hæc actio censetur vna, & fiet à ieiuno, quando fiat ab eo, qui eam ieiunus inchoauit, & interim nihil sumpsit, quod ex institu-

tione

tione Ecclesiæ sumere non teneatur ; & sic nihil nisi ablutionem, quæ fit ad perfectam consummationem eiusdem sacrificij ad quam perfectam consummationem cùm pertineat prædicta sumptio reliquiarum, nulla est ratio, cur liceat eas sumere priusquam Sacerdos recedat ab Altari, & non liceat statim postquam recessit, cùm non obstante recessu adhuc non sit perfectè consummatum sacrificium ob prædictas inaduertenter relictas reliquias. Et præterea magis reueretur Sacramentum, si statim sumantur etiam post recessum ab Altari, quàm si relinquantur in patena, aut in Calice, & maximè sine lumine; & facile possunt interim decurrere & perire. Huc vsque Megalius.

3. Sed si quæras hîc obiter, cuius quantitatis esse oporteat huiusmodi reliquias, vt licitè post absolutionem sumi possint. Respondet Sotus *in 4. dist. 12. quæst. 5. art. 8. ad 8.* sic asserens. Si magnam hostiæ portionem in linteolis post lotionem Sacerdos inueniret, consilium esse, illam in pyxide seruare in crastinum, & in hanc sententiam inclinat Henriquez *lib. 8. cap. 50. n. 2. & in glossa litera G.* Sed ego puto nullam inter magnas & paruas particulas differentiam assignandam esse : nam est eadem omninò ratio omnium, cùm pertineant ad eamdem actionem sacrificandi per modum vnius, & integra dictione sumuntur : quare non est quantitas attendenda. Ita Suarez *tom. 3. disp. 68. sect. 6. cas. 2.* Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 29. cap. 6. num. 123.* Fagundez *part. 3. lib. 3. cap. 5. num. 24.* & aliis.

RESOL. CCXLVIII.

An liceat Sacerdoti post ablutionem sumptam consumere particularum fragmenta, si in alia Missa fuerunt ab alio Sacerdote præconsecratæ?

Ex quo infertur, quod si pars aliqua Eucharistiæ quæ in Pixide seruatur, inter communicandum populum in linteū, vel corporale Altaris ceciderit, etiamsi sit minimæ quantitatis, non potest à Sacerdote sumi post ablutionē, sed in Sacrario reponi debet, & cōseruari?

Et an laicis infirmis post assumptam hostiolam simul cū ablutione, vel paulo post liceat Reliquias Sacramenti tradere inuentas in Calice, vel Pixide?

Et aduertitur, quod cæteris laicis post finitam cōmunionem dandæ non sunt prædictæ Reliquiæ, etiā si ablutionem non sumpserint, nisi simul dentur cum priori formula? Ex part. 6. tr. 6. & Misc. 1. Res. 23.

§. 1. Dictum est suprà posse Sacerdotem consumere reliquias particularū à se consecratarum inuentas post ablutionem : sed difficultas est, si fuerunt præconsecratæ ab alio in alio Sacrificio: & nouissimè sententiam affirmatiuam docet Philibertus Marchinus *de sacram. Ordinis tr. 3. p. 3. c. 3. n. 19.* vbi sic asserit. Ampliatur, vt non minus liceat Sacerdoti post sumptam ablutionē consumere præconsecratas reliquias ab alio, quàm à se ipso, si in Patena vel Calice reperiantur. Primò quia diuersitas Ministri non videtur ad rem facere, cum sit circunstātia accidentalis. Secundò sic audiui practicari in multis Religionibus eximiæ doctrinæ & sanctitatis. Tertiò difficile est rectè scire, an illæ reliquiæ inuentæ post ablutionem sint ex præconsecratis ab alio, vel à se ipso ; cùm sæpissimè in patena vel calice reperiantur etiam particulæ præconsecratæ ab alio. Quartò in die Parasceues post sumptionem ablutionis Sacerdos consumit reliquias præconsecratas die præcedenti, si quæ in patena, vel in calice remaneant : ergo idem licebit omni tempore. Ita Marchinus.

Sup. hac dist. Res. seq. & supra in Ref. 130. cursum in fine §. Secundus casus. & breuiter etiā infra in tr. 2. in fine Ref. 30.

2. Sed contrariam sententiam tenent communiter Doctores, vt Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 211. cap. 5. num. 55.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 68. sect. 6. casu 2.* Reginal. *in praxi tom. 2. lib. 29. cap. 6. num. 123.* Fagundez *part. 3. lib. 3. cap. 5. num. 29.* Persicus *de offic. Sacerd. lib. 1. dub. 12. n. 118.* Bonacina *de Sacrament. disp. 4. q. 6. punct. 2. n. 15.* Megalius *in promptuario, tom. 2. verb. Eucharistiæ Sacramentum suscipiēs, n. 23.* Coninch *de Sacram. q. 80. art. 8. n. 67.* & alij Filliucius *tom. 1. tract. 4. c. 8 n. 239.* Sotus *in 4. dist. 12. q. 1. ar. 8.* Victoria *in summa n. 83.* cum aliis. Et ratio est, quia absumptio harum reliquiarum in alia Missa præconsecratarum non est completio conuiuij : celebrante parati.

3. Dicendum est igitur reliquias Eucharistiæ non in illo sacrificio, sed in alio præcedente consecratas, vel in sacrario repositas ad communicandum populum regulariter loquendo consumendas esse ante ablutionem, nec posse post ablutionem consumi, quia non pertinent ad idem sacrificium, ac proinde nec ad eamdem actionem sactificandi, & ideò non possunt per modum vnius cum Sacramento tunc consecrato post ablutionem à Sacerdote sumi. Quare infertur, quòd si pars aliqua Eucharistiæ, quæ in pyxide seruatur inter communicandum populum, in linteum vel corporale altaris ceciderit, etiamsi sit minimæ quantitatis, non potest à Sacerdote post ablutionē sumi, sed in sactario reponi debet ac seruari.

4 Non desinam hic admotare citatum Marchinū etiam in Ordine ad Laicos suam sententiam extēdere: sic enim asserit, *vbi suprà n. 16.* Ampliatur in laicis infirmis, quibus post sumptam hostiolam simul cum ablutione, vel paulò post licebit reliquias Sacramenti tradere inuentas in calice, vel in pyxide; sicut moris est in Religione Sanctæ Mariæ Fulensis Ordinis Cistercensis, & passim vidi in praxi apud multos in multis ciuitatibus, & oppidis. Et ratio esse potest, quia sūptio illa reliquiarū ob minimam temporis moram censetur vna & eadem actio moralis cū manducatione hostiolæ, quam ieiunus accepit, vt diximus de Sacerdote ; & ideò erit licita. Ita ille.

Sup. contenta to in hoc & seq. §. infra in tr. 2. Res. 101. §. 1. & 2.

5. Sed contrarium docet Fagundez *part. 3. lib. 3 cap. 5. n. 31.* vbi sic ait : Rogabis an possint huiusmodi reliquiæ inuentæ dari alicui ex his, qui communionem Eucharistiæ acceperunt, præsertim post sumptam aquam. Respondeo huiusmodi reliquias dari per se loquendo non posse laicis post sumptam ablutionem, quia hoc non pertinet ad eorum ministerium, censetur enim eorum actio perfectè consummata in ipsa prima sumptione ipsius Sacramēti ; quare nec illis etiam dandæ sunt post finitam communionem, etiamsi ablutionem non sumpserint, nisi simul dentur cum priori formula, quia tunc censetur vna moralis communio : post hanc verò primam communionem non possunt laici iterum communicare per se loquendo, illa autem sumptio reliquiarum est vera communio, si per se ac separatim fiat. Ergo, &c. Hæc Fagundez. Cui adde etiam persicum. Vasquez, Reginaldum, Suarez Bonacinam locis citatis : vide etiam Caietanum *tom. 2. opusc. tr. 3. de celeb. Missar. q. 1. ad 3.* Tabienam *verb. Missa q. 42. n. 43. in fine.* Armilla *eod. verb. n. 26. in fin.* Et Henriquez. *lib. 8. c. 50. n. 2. in gloss. litera H. & P.* Vnde ex his, vt verum fateat, non possum his duabus Marchini opinionibus adhærere, quæ tamen an sint probabiles, remitto aliorum iudicio.

RESOL. CCXLIX.

An Sacerdos inueniens fragmentum Hostiæ ex Sacrificio

alterius Sacerdotis teneatur reponere illud in Sacrario, vel possit illud assumere?

Et quid, si Sacerdos, finita iam Missa, & reuersus ad Sacristiam inueniat aliquas Reliquias ex his, quas consecrauerat possitne illas adhuc sumere? Ex p.9. tr.6. & Misc.1. Res.36. aliàs 37.

§.1. NEgatiuam sententiam cum plurib⁹ Doctoribus olim asserui, cum Vasquez, Coninch. Layman, & aliis: nam, licèt Sacerdos possit absumere reliquias sui Sacrificij, non tamen alterius. Verùm nouissimè Castrus Palaus *tom.4. tract.21. disp.vnica, punct.13. n.20.* in contrariam sententiam inclinat. Nam reliquiarum consecratio, & consumptio pertinet ad rationem Sacrificij accidentariam, cùm sine formarum consecratione, & consumptione, perfectio Sacrificij consistat: sola vnica Hostia, & calice consecratis, & sumptis. Ergo, si ob Sacrificij complementum potest Sacerdos post sumptam ablutionem reliquias à se consecratas sumere; poterit similiter, quæ ab aliis consecratæ fuerint: siquidem earum sumptio æquè pertinet ad Sacrificium. Item, ad Sacerdotem pertinet consumere posse, non solùm formulas à se consecratas; sed etiam quæ ab aliis sunt consecratæ. Ergo vtrasque consumere poterit, dum ab Altari non recedit: quia, dum est in Altari, non censetur moraliter finita consumptio, nec conuiuium peractum. Sed circa præsentem quæstionem vide Leandrum *de Sacram.tom.2. tract.7. disp.5. quæst.32.* qui etiam *q.31.* docet, quòd si Sacerdos finita Missa, & reuersus ad Sacristiam inueniat aliquas particulas ex his, quas consecrauerat, remanentes in Patena, vel Calice, possit adhuc illas consumere. Sed pro contraria sententia citat meipsum, & alios.

Asseruit in Res. præterita, & supra in fine §. Secundus casus Res.130. & infra in tr.2. cursim in fine Res. 101.

Sup. hoc supra in Res. 245. 246. & 247. & infra in Resol. seq. & in aliis earum annot.

RESOL. CCL.

Subduntur alia practicabilia circa Eucharistiam.

Primò, an si Sacerdos, finita iam Missa, & reuersus ad Sacristiam, adhuc sacris vestibus indutus inueniat aliquas Reliquias, & particulas ex his, quas consecrauerat, remanentes in Patena, vel Calice, possit adhuc illas consumere?

Secundo, an qui edens, vel bibens in dubio, an sit audita hora duodecima noctis, possit sequenti die Missam dicere, vel communicare?

Idem est dicendum de illo, qui assumens aquam ad os abluendum dubitat, an aliquam guttam trajecerit.

Necnon de illo, qui dentibus quidpiam masticans dubitat, an aliquid deglutierit, & de illo, qui adhæreret dicto aliquorum dicentium sibi horam noctis duodecimam non sonuisse, aliis sonuisse affirmantibus.

Tertio docetur, quod vbi est tantum vnum horologium. si duodecima hora noctis sonare incipiat, non tenetur aliquis statim in prima pulsatione desistere à cibo, vel potu, si crastino Missam dicere velit, vel sacram Eucharistiam sumere.

Quarto probatur, quod quantumcumque horologium reputetur regulatum, licitum esse post omnes pulsus per quadrantem comedere, & sequenti die celebrare, vel communionem recipere.

Quinto firmatur, quod quando in vrbe plurima audiuntur horologia, possumus nos confirmari vltimo, & tunc post omnes pulsus comedentes per moram salutationis Angelicæ, possumus sequenti die Missam celebrare, vel communionem sumere.

Sexto notatur, quod non potest Episcopus cogere Parochum, vt ministret necessaria Presbyteris volentibus celebrare in sua Parochia. Ex part.10. tract.13. & Misc.3. Resol.54.

§.1. AT quid dicendum si Sacerdos finita iam Missa, & reuersus ad Sacristiam, inueniat aliquas particulas (ex his quas consecrauerat) remanentes in patena, vel calice, possit adhuc illas consumere. Et negatiuè ego olim cum communi Doctorum sententia respondi, nisi dictæ particulæ, seu fragmenta commodè, reuerenter seruari non possint; sed obseruaui posteà aliquos Doctores, paucos tamen, affirmatiuam sententiam docere; quibus nunc addo Patrem Leandrum *vbi suprà, quæst.31.* quia ait ipse huiusmodi reliquiæ sunt eiusdemmet Sacrificij; ergo earum sumptio erit completio eiusdem Sacrificij: ergo optimè poterit eas in Sacristia Sacerdos, præcipuè si adhuc Sacris vestibus indutus maneat, consumere. Secundò, quia Sacerdos licitè potest accipere dicta fragmenta, post iam finitam Missam, & absolutum totaliter Sacrificium, dummodò ipse in Altari permaneat: ergo etiam poterit in casu posito, si in incontinenti id faciat, quia quod fit, fieri simul dicitur. Et hanc sententiam ex Neotericis tenet etiam nouissimè Martinus de San Ioseph *in Monit. Confess.tom.1.lib.1. tract.8. de Euchar.n.7.* vbi sic ait: [Lo mismo es el que despues de tomada la ablucion, ya dichas las oraciones postreras, halla algunas Reliquias en la patena que podrà recebillas, porque toda es vna occision, y vn combite, *no importa sea* grande la particula: porque consagrada por vn mismo Sacerdote, pertenece à vn mismo Sacrificio, y à su consumpcion. Item, si el Sacerdote se detuuo mucho tiempo en dar la comunion, y despues hallas las particulas, y Reliquias, podra tomarlas por la misma razon, que toda es vna accion moral; mas si ya se apartò del Altar, y despues hallò las Reliquias, no podrà tomarlas, porque no se reputa por vna accion moral. Però tengo por bien probable, que aunque se aya ido à la Sacristia el Sacerdote, como no aya desnudado las vestiduras sagradas, podra recibir las particulas pequeñas que hallare en la patena, porque pertenecen a un mismo Sacrificio, y se haze assi totalmente completo, y porque por mas diligẽcia que se ponga, ay peligro de que se pierdan: y porque recebiendose, luego que se llega a la Sacristia, iuzga el Derecho, que se haze la accion en el altar, pues, ea quæ continuò fiunt inesse videntur, *leg. lecta, de rebus creditis*, porque aunque la diccion, *continuò* tollit omnem moram, *cap.caterum*, vbi Abbas, *num.4. de rescriptis leg. Qui vxorem, ff. de iniuria rapto*, mas debet intelligi ciuiliter, id est horis, & temporibus competentibus, apostilla ad Abbatem *proœmio decretalium, vers. rex pacificus num.3.* Calderinus, *cons.88. vers. Item illud verbum, quod est 8. de offic. legat.* Augustinus Barbosa *de Axiomatib. iur. axiom.68. n.2.* Cardinal. Tuschus *pract. conc. tom.1. lit.C. conc.977.n.3.* Surdus *cons.313.n.24.* demas de que interuallum modicum temporis non inducit diuersitatem actuum, *leg. plerique, 33. ff. de ritu nupt.* A que añado, que si cessa el peligro de perderse las reliquias grandes, que se hallan despues que el Sacerdote llega à la Sacristia, y se pueden poner en el Sagrario, es mucho mayor medio.] Ita ille.

2. Nota etiam hîc contra Eminentissim. Dominum meum Cardinalem Lugo, *de Sacram. Euchar. disput.15. num.4.* & alios, quod edens, vel bibens in dubio, an sit audita hora duodecima noctis, possit sequenti die communicare: quia melior est conditio possidentis: sed sic est, quod in hoc casu potius possessio stat pro libertate volentis communicare, quàm pro præcepto communicandi, seruato ieiunio. Et ita me citato tenet Leandrus, *quæst.4.* & omnino videndus Ioannes Dicastillus *de Sacram. tom.1. tract.4. disput.9. dub.17. num.197. cum segq.* qui nostram sententiam

sententiam contra Cardinalem Lugo doctè, & subtiliter, vt semper solet, defendit. Et idem me citato contra Cardinalem Lugum, tenet nouissimè Pater Verricelli *in QQ. moral. tractat. 1. quæst. 7. num. 15.* Quod etiam nominatim contra Lugum firmat nouissimè ex Societate doctus Pater Bardi *de Conscientia, disceptat. 6. cap. 11. p. 3. §. 2. per totum.* Idem à fortiori dicendum est de illo, qui assumens aquam ad os abluendum, dubitat, an aliquam guttam traiecerit; necnon de illo, qui dentibus quidpiam masticans aliquid deglutierit: nam hi optimè poterunt crastino communicare; sicut demum poterit ille, qui adhæret dicto aliquorum dicentium sibi horam noctis duodecimam non sonuisse, aliis sonuisse affirmantibus. Quia præceptum, de non nisi ieiunè ad Eucharistiam accedendo, non est impositum dubitanti, sed certo scienti non esse ieiunum. Quam vltimam sequelam, etiam concedit Lugo *loco citato num. 43.*

Sup. his sequentibus in Resol. 1. not. præteritæ §. 2. ad fin. §. & in §. vlt. prope finem, vers. Simili modo, & in Ref. 2. §. sed lege eamper totum.

3. Et tandem obseruandum est Leandrum *vbi supra, quæst. 7.* firmiter docere, quod vbi est tantùm vnum horologium, si duodecima hora noctis sonare incipiat, non teneri aliquem statim in prima pulsatione desistere à cibo, vel potu, si crastino Eucharistiam sumpturus est. Quod probat variis rationibus, & testatur, quod sic senserunt aliqui Doctores Complutenses à se consulti. Qui postèa me citat adducentem Bresserum; & poterat etiam in fauorem suæ sententiæ adducere Caramuelem, & nostrum Patrem Pasqualigum quos ego alibi adduxi, qui latè probat, quod quantumcunque horologium reputetur regulatum, licitum esse, post omnes pulsus, per quadrantem comedere, & sequenti die communicare. Et P. Verricelli *in QQ. Moral. tr. 1. quæst. 7. n. 13.* de quo firmat, si vnicum sit horologium, quod censeatur regulatum, & designet duodecimam noctis, comedens deinde per semiquadrantem, poterit sequenti die communicare. Et posteà *num. 16.* firmat quod quando in Vrbe plurima audiuntur horologia, possum conformari vltimo, & tunc post omnes pulsus comedens, per moram saluationis Angelicæ, possum sequenti die communicare.

Sup. hoc supra in Ref. 111. §. Sed hæc, ad medium, & in Ref. 112. §. vlt. & in Ref. 113. in fine, & in Ref. 114.

1. not. præteritæ, & in eodem §. sed. lege etiam eius §. 1. tr. 2. & latè infra in tr. 2. Ref. 57 à principio vsque ad finem §. Quod autē, & pro vlt. difficultate huius §. in Ref. 2. & 3. not. primæ huius §.

4. Sed ego non discedo à contraria sententia, quam docui: nam vt optimè obseruat Castrus Palaus *tom. 1. tract. 1. disput. 2. punct. 7. num. 2.* in nostro casu, grauitas, vel paruitas materiæ desumenda est, à communi sensu Ecclesiæ, & fidelium; sed communiter fideles Sacrilegium putant, etiam breuissima mora post mediam noctem manducare: ergo, &c. Et tandem nota hîc obiter; quod non potest Episcopus cogere Parochum vt subministret necessaria Presbyteris volentibus celebrare in Parochiali, vt declarauit Sacra Congregatio Rituum, 10. Iunij 1602. & obseruat Gauantus *in Manuali Episcoporum, verb. Parochorum munera in Additionib. num. 6.* & Barbosa *de Officio Parochi, part. 1. cap. 11. n. 51.* & sic ego consultus his diebus, respondi contra quendam Episcopum.

TRACTATVS SECVNDVS

DE PRÆCEPTO DIVINO, ET ECCLESIASTICO Sacræ Communionis: atque de cæteris aliis quotidianis Communionibus, etiam pro articulo mortis.

RESOLVTIO PRIMA.

An Sacramentum Eucharistiæ sit necessarium necessitate medij ad salutem, ita vt detur præceptum diuinum positiuum sumendi Sacramentum?

Ex quo infertur primo præceptum diuinum Eucharistiæ sumendæ obligare in articulo mortis, etiam si mors sit violenta & authoritate iudicis inflicta?

Secundo in reliqua vita toties, quoties tali remedio opus est ad perseuerandum in statu gratiæ?

Tertio, quando quis prudenter putat se non amplius habiturum commoditatem in tota vita sumendi Eucharistiam?

Et obiter notatur non esse licitum consecrare in materia dubia? Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 95.

Sup. hoc in Ref. seq. & infra in Ref. 70. §. Dicendum, & figuræcer ad medium. Et pro istis tribus casibus conferis in hoc §. signanter ibidem, §. Alibi in ref.

§. 1. AFfirmatiuè respondent Becan. *de Sacram. cap. 23. quæst. 4. n. 2.* Layman *in Theol. moral. lib. 5. tr. 4. c. 5. n. 2. & seq.* Syluius *in 3. p. q. 70. a. 11. quæritur 1. concl. 1. & 2.* Henriq. *lib 8. c. 3. n. 2.* Emanuel Sà *verb. Eucharistia, n. 1.* & alij, quos citat, & sequitur Fagund. *de præcept. Eccl. præcept. 3. lib. 1. cap. 3. num. 4.* vnde ex hac opinione inferunt. Primò præceptum diuinum Eucharistiæ sumendæ obligare in articulo mortis, etiamsi mors sit violenta, & authoritate iudicis inflicta. Secundò in reliqua vita quoties tali remedio opus est ad perseuerandum in statu gratiæ. Et tertiò aliqui addunt quando quis prudenter putat se non ampliùs habiturum commoditatē communicandi in tota vita; tunc enim meritò debet se munire contra tentationes postea euenturas. Probatur hæc opinio ex verbis Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis,* & ex Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, non intrabitis in regnum cœlorum*; in quibus locis eodem tenore, & forma verborum proponit Christus sumendum sacramentum Pœnitentiæ, & sacramentum Eucharistiæ, ergo, &c. Hæc opinio est probabilis.

Quādonam, & in tom. 3. tr. 1. Ref. 53. §. Sed dices, à lin. 5. & seq. & in Ref. 57. §. Probatur primo, & seq.

2. Sed contrariam etiam probabilem esse existimo, quam tuetur Coninch *de Sacram. quæst. 73. art. 3. num. 36 & 44.* Ferrariensis *contra gentes lib. 4 cap. 61.* Alexander de Ales *in 4. part. quæst. 51. memb 14.* Syluester *verb. Eucharistia 3. num. 1.* Fernandez de Heredia *de Eucharistia, dist. 2. part. 2. dub. 2. per totum*, & Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 8. diffic. 34. num. 4.* vbi sic ait: [El Sacramento de la Eucharistia, no es medio necessario in voto para alcançar la bienauenturança. Queremos dezir, que si no huniera precepto de comulgar, se pudiera vno saluar sin tener proposito de recebirle. Esta conclusion es de San Thomas, Caietano, Rodriguez, Ledesma. Suarez, Hosio, y Pedro de Nauarra; y parece que se colige del Concilio Tridentino *sess. 7. can. 4.* que como dize del Baptismo,

Baptismo,que es necessario para la salud,y lo mismo de la Penitencia *sess.14. can.3.* tambien lo dixera de la Eucharistia. El fundamento de la conclusion, es, porque para alcançar la bienauenturança,solo es necessario estar en gracia, y perseuerar en ella hasta el fin de la vida, y la gracia cierto es que se da por la penitencia, y los demas Sacramentos y no solo per este. La perseuerancia en gracia es fauor specialissimo de Dios, y no es efeto proprio deste Sacramento, aunque ayuda mucho para ello y assi no es medio necessario este Sacramento.] Ita ille. Igitur secundùm hanc sententiam,negandum est sacramentum Eucharistiæ esse medium necessarium necessitate salutis pro omnibus qui saluandi sunt; sed tantùm medium vtile, ac morali necessitate necessarium ad conseruandam vitam spiritualem gratiæ. Notat etiam ex his Villalobos *in summa, tom.1.tract.7.diffic.5. num.5.* [que no es licito consagrar en materia dudosa, porque como recebir este Sacramento no es medio necessario para saluacion; no ay moral necessidad,para que se consagre en materia dudosa.]Et ita etiam docet Fagundez *præcept.3. lib.2.cap.1.num.17.* etiam stando in prima opinione, quia tale præceptũ diuinum necessarium necessitate salutis, non obligat nisi quando decenter & reuerenter sumi potest.

Sup. hoc supra in tr. 1. Resol.205.§.2 ad medium, à vers. vt ob communicandum: & in Resol.206. paulo post initium à vers. Hoc supposito. & in Resol.128. cursim ad medium §. vlt.

RESOL. II.

An si non adesset præceptum sumendi Eucharistiam, potuisset quis saluari, si non haberet propositum illam recipiendi? Ex part.5.tr.13. & Misc. 1. Resol.28.

Sup. hoc in Resol.præterita, & infra in Resol.70.§. Dicendum. & signanter ad medium à vers. Probatur. & in tom.3. tr.1. Resol.53.§. Sed dices. à lin.5 & seqq & in Resol.57. §. probatur primo. & seq.

§. 1. QVod est quærere, an Eucharistia sit peculiariter necessaria ad vitam æternam necessitate distincta à puta necessitate præcepti, & non orta ex illa. Aliqui asserunt sacramentum Eucharistiæ in re, vel in voto sub disiunctione esse peculiariter necessarium adultis necessitate medij ad vitam æternam. Vide Becanum *de Sacram. cap.15. quæst.7.* & probatur ex Ioan. 7. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.*

2. Verùm contrariæ sententiæ adhæreo, quam communiter tuentur recentiores, vt Suarez, Vasquez, Coninck, Layman, & Tannerus, quos citat & sequitur Hurtadus Complutensis *de Euch. disp.1. diffic.6.* quibus adde Villalobos *in summa tom.1.tract. 7.diffic.34.n.2.& 3.* vbi sic ait. [El Sacramento de la Eucharistia recido in re,no es medio necessario para la bienauenturança,ne in voto,queremos dezir,que si no vuiera preceto de comulgar,se pudiera vno saluar sin tener proposito de recebirle.El fundamento desta conclusion es, porque para alcançar la bienauenturança solo es necessario estar en gracia, y perseuerar en ella hasta el fin de la vida,y la gracia cierto es,que se da por la penitencia, y los demas Sacramentos, y no solo por este la perseuerancia en gracia es fauor especialissimo de Dios, y no es efeto proprio deste Sacramento,aunque ayuda mucho para ello;y assi no es medio necessario este Sacramento. Confirma se, porque si Dios reuocara aora la institucion deste Sacramento, con todo esso se pudieran los hombres saluar sin intento de recebirle: y si fuera necessario necessitate medij,no lo negara la Iglesia à los paruulos,mayormente en el articulo de la muerte.]Ita ille, & alij, qui respondent ad testimonium Ioannis.

RESOL. III.

An Heretici teneantur præcepto communicandi singulis annis contento in cap. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.?

Et cursim docetur omnes fideles baptisatos comprehensos esse in præcepto dicti cap. & tantum excludi ab ipso Infideles? Ex part.10.tract.16.& Misc.6.Resol. 33.alias 32.

§. 1. NEgatiuam sententiam tenet Pater Bemal *de Sacram. disp.44. sect.3.§.1. num.70.* vbi sic ait: Nomen Fidelis in præsenti propriè est accipiendum, nam regula, quæ docet,verba *onerosa* qualia sunt omnia præceptiua, propriè, & strictè capi debere, cùm adeò generalis sit, sine vrgente ratione non debet exceptionem pati: Sed nulla est ratio, quæ exceptionem adhibere cogat; Ergo nomen, Fidelis propriè capiendum est. Maior,& consequentia probatione non indigent. Minotem astruo destructione rationum in contrarium.Prima est:Si Fidelis propriè sumeretur, comprehenderet Catechumenum. Contra,quia non potest comprehendere non subditum Ecclesiæ; sed Catechumenus est Ecclesiæ non subditus: ergo nomen Fidelis in hac lege, licèt propriè capiatur, Catechumenum non comprehendit. Sic Ecclesia iubet,adultum 21. annorum ieiunare: non tamen comprehendit Mahometanum id ætatis apud Christianos degentem.

2. Altera contrariorum ratio est. Si nomen Fidelis,propriè sumeretur,ab hac lege liber esset baptizatus,hoc ipso quod in hæresim occultam incideret. Contra verò;tum quia sicut dum quis non probatur malus præsumitur bonus: hic dum baptizatus non probatur infidelis præsumitur, & censetur fidelis, ac proinde per legem hoc nomine comprehenditur. Tùm etiam quia qui semel aliqua lege, vel præcepto constringitur,ab eius obligatione non liberatur, nisi per voluntatem superioris, qui in ea lege dispensare potest: At baptizatus, qui in hæresim siue occultam, siue manifestam incurrit, cum iam communionis lege conuentus fuerit,non liberatur ab eius obligatione; quia non est vnde colligamus, Ecclesiam velle,vt obligationem illam exuat: ergo, &c.

3. Postrema fuit ratio, quia iuxta Tridentinum *sess.14.cap.5.* Sacerdotes à Christo fuerunt constituti Iudices, ad quos deferrentur crimina omnia, in quæ fideles incidissent: Si autem nomen fidelis, stricte caperetur, non teneretur quis ea confiteri crimina, quæ post baptismum in hæresi commisisset.Sed contra: Nam ipsummet Concilium in eodem *cap.* quidd antea statuit, integram peccatorum confessionem omnibus post baptismum lapsis iure Diuino necessariam existere: Ergo licet fidelis apud Tridentinum pro omni baptizato capi debeat,non tamen in capite *omnis vtriusque.* Primò, quia Trident. iam præmittit, quid significare velit nomine, fidelis, nempe baptizatum lapsum: quod non præstat cap. *Omnis,* &c. Secundò, quia Tridentinum non potuit eo nomine comprehendere solùm fidelem propriè sumptum: caput autem, *Omnis vtriusque,* potuit; Cum liberum Ecclesiæ sit legem suam ac hæreticos extendere, vel non extendere.

4. Deinde compellor: quia solos illos comprehendit lex, quorum respectu, pœna, quam transgressoribus minatur, & imponit, vera pœna est, & grauis; siue acerba, & ipsos à legis violatione deterrere potest: Atqui pœna, quam lex ista minatur, est, vt transgressor viuens careat ingressu Ecclesiæ, & mortuus Ecclesiastica sepultura: quæ quidem respectu hæretici non est pœna, nec acerba, nec mala, proinde nec illos legis violatione deterrens: Ergo, credibile non est, hanc legem ad illos dirigi ipsosque comprehendere.

5. Postremò,

5. Postremò, quia non parum videtur decere Ecclesiam, quod hac lege Communionis annuæ vellet hæreticos astringere. Primò, quia eam faceret superuacaneam: Nam hoc ipso, quod velit astringere Catholicos, iam declarat, præcepto diuino teneri ipsos etiam Gentiles ad annuam communionem; vt supra docuimus: ac proinde iam hac posita declaratione, tenentur hæretici præcepto Diuino ad Communionem annuam: ergo non est cur Ecclesia illos suo præcepto comprehendat, tanquam præcepto, sed solùm tanquam explicatione, sicut comprehendit Gentiles. Nam neq; suo præcepto magis illos astringet, quàm astringantur diuino: nec magis nos adducet ad Communionem annuam. Quorsum igitur eos præcepto isto liget? Secundò quia pœna, quam Ecclesia transgressoribus minatur est, vt viuentes arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & morientes careant Ecclesiastica sepultura. At eiusmodi pœnam ridebunt hæretici: adeò non adducentur ad legis obseruationem. Hucvsque Bernal.

6. Sed licet hæc omnia ingeniosè excogitata sint, vt verum fatear, opinio contraria est communis, vt ipsemet Bernal fatetur: nam vt optimè obseruat Amicus *in Cur. Theol. tom.7.disp.29.sect.6.n.59.* cum aliis, sub nomine fidelium omnes Adulti baptizati intelliguntur: sed hæretici sunt adulti baptizati. Ergo ligantur hoc præcepto. Et Pontifex in cap. *Omnu vtriusque sexus*, tulit legem generalem pro suis subditis in Ecclesiæ gremio existentibus. Sed hæretici sunt eius subditi, neque sunt extra Ecclesiam: ergo comprehenduntur in illo præcepto generaliter, & absolutè prolato, & lex generaliter loquens generaliter intelligenda est, & vbi absolutè loquitur, absolutè, & sine vlla distinctione sumi debet, ex iuribus vulgatis.

7. Vnde rectè Trullench. *in Decal. tom.1. lib.3. cap.5.dub.2.n.2.* docuit absolutè omnes fideles baptizatos comprehensos esse in præcepto dicti cap. *Omnis*. Et ideò excusit ab ipso tantùm infideles: Ergo, &c. Vide etiam Rocaful. *in Praxi Theol. Mor. tom.2. lib.5.de præcept.Eccles.cap.3.n.19.* Tamburinum *opus. de Euchar.cap.4.§.1.n.2.*

Sup hoc pro Infidelibus in Res. seq.

RESOL. IV.

An præceptum sumendi Eucharistiã obliget Infideles? Et quid de præcepto Confessionis?

Et an verò Hæretici obligentur præcepto confitendi singulis annis? Ex part.8.tr.7. & Misc.Resol.81.

Sup hoc cursim ex doctrina Resol. antecedentis in §.eius vlt.

§.1. AFfirmatiuè respondet Suarez *in 3.p.tom.3. quæst.80. disput.69. sect.2. dub.1.* & nouissimè Stephanus Baunius *in Theol.mor.part.1.tract.5. de suscipientibus Eucharistiam, quæst.1.* Ratio est, quod verba Christi imponentis præceptũ sunt generalia, Ioan.6. *Nisi manducaueritis carnem Filij*, &c. nec ad Apostolos solos restricta, vt patet ex contextu capitis citati, vbi Iudæi eum de multis interrogant, rogantibusque, vt sibi panem daret de cœlo verum, subiecit: *Ego sum panis vitæ*, & cætera quæ ad futuri Sacramenti cæremoniam, institutionem, & vsum spectant: quare cùm inter eos, infideles multi essent, qui tamen Christi legem ferentis potestati suberant, quin ad eos quoque præceptum pertineat sumendæ Eucharistiæ, mihi non est dubium: itaque eos duplicis peccati reos esse sub vitæ finem, narrat *loc. cit.* Suarez, quorum peccatorum primum sit omissi Baptismi, alterum non susceptæ Sacramenti, contra præceptum Christi, *Nisi manducaueritis*, &c. Hucvsque Baunius, cui adde Vasquez *in 3.p.tom.4. q.90. art.2. dub.1.* & Petrum à S. Ioseph *in idea Theol.mor.lib.1. cap.8. resol.2.*

2. Sed ego negatiuæ sententiæ adhæreo, quam tuetur Sotus *in 4.dist.18.q.1.art.3.* Sanchez *in summ. tom.1.lib.1.cap.12.num.15.* Candidus *tom.3.disquis.2. art.26. dub.6.* Quia, ait ipse, qui fecit votum ingrediendi aliquam Religionẽ, solùm tenetur ad ingressum Religionis: non tamen ad leges, & præcepta illius Religionis, antequam ingrediatur, sed Baptismus est ingressus in Ecclesiam: ergo quamuis omnes teneantur ad Baptismum, & ad ingressum in Ecclesiã, non tamen tenentur ad leges, & præcepta, quæ ponuntur pro his, qui sunt iam in Ecclesia. Ad argumentum verò Suarez, & Baunij, respondeo distinguendo, quod lex diuina communicandi ponitur pro omnibus iuxta naturam rei, vt scilicet obliget omnes existentes in vnitate Ecclesiæ per Baptismum, concedo; quod verò ponitur vniuersaliter pro non existentibus in Ecclesia, quales sunt infideles, nego.

3. Verùm concedo sententiam Suarez esse probabilem, sed nota non procedere etiam quoad præceptum confessionis, nam est dispar ratio; præceptum enim Eucharistiæ obligat per se, & propter se, confessionis non item, sed tantùm supposito peccato, quod deleri potest virtute clauium, ob quam causam Sacerdotis absolutio, dicitur esse iurisdictionalis actio, in Trident. *sess.14.cap.de absolut.& can.9.* Ergo est ab eo exercenda tantùm in subditos, tam quoad se, quàm quoad peccata, cuiusmodi nemo Infideles esse dixerit, respectu admissorum ab iis ante Baptismum, à quo sic obliterantur omnia, nulla vt eorum supersit memoria. Vide Vasquez *vbi suprà.*

4. An verò Hæretici obligentur præcepto confitendi singulis annis, negarunt aliqui recẽtiores, quia *in cap.omnis vtriusque sexus*, sermo est de solis fidelibus, & in Concil. Trid. quoties de hac obligatione sermo habetur, semper repetitur illa particula *fideles*, vt patet *in sess.14.cap.5.& can.8.* sed hoc argumentum optimè refellit, & partem affirmatiuam tuetur P. Lugo *de Sacram.Pœnit.disp.15.sect.7.n.145.*

RESOL. V.

An pueri tempore, quo sunt capaces recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, sint etiam capaces recipiendi Sacramentum Eucharistiæ?

Et cursim docetur, quod pueri non obligantur ad Communionem vsque ad 12.annum.

Sed infertur peccare parentes puerorum, & Confessarios non sinentes illos communicare statim ac peccare norunt.

Et docetur, quod pueri non communicantes in Paschate, nec excommunicatione, nec pœnis Canonis ligantur vsque ad 14.annum. Ex p.3.tr.6.& Misc.2.Res.70.

Sup. hoc in Res. seq. & in tom.1. tr. 3.& Res.45. §.vlt. ad medium, à vers. Dicendum. & in aliis eius primæ not. & cursim infra in Res.96. §.2. prope finẽ, vers. Tertio, & in tom.4. tr.4 Res.54. §.vlt. ad me-

§.1. NEgatiuè respondet Vasquez *in 3.part.tom.3. disput.214. cap.4. num.38.* Henriquez *lib.8. cap.5.* Fagundez *part.3.lib.1.cap.5.n.20.& 21.* Comitolus *in respons.lib.1. quæst.17.* Suarez *tom.4. disp.36. sect.2.* Nauarrus *in Man.cap.21.n.5.* Azorius *tom.1. lib.7.cap.41.quæs.10.* Tolet. *lib.6.cap.15.n.3.* Coninch. *de Sacram.q.80.art.12.dub.4. n.102.* Filliucius *tom.1. tract.c.7.n.192.* Salas *de legib. disp.14. sect.13. n.127.* Martinus Funes *in speculo morali p.3.cap.2.n.8.* Tannerus *in 3.part.D.Thom.disp.5.q.8.dub.5.n.11.* Zambranus *de cas.tempore mortis, cap.3.dub.2.n.7.* Villalobos *in sum.tom.1.tract.7.diffic.42.n.6.* & aliis communiter asserentibus, prius aduenire pueris tempus obligationis præcepti confessionis, quàm communio-

dium,à vers. Quæ alios nños. & ibi in tr.6. Res. 68. Signanter in §. Et tandem. per totum. & ne deseras legere dictã Res. per totam, & si placet etiam alias eius annotationum, vt facilius dissoluas hanc quæst. & vide etiam §. vltim. huius Res.& alium eius nor.

nis; nam minor rationis vsus, & discretio requiritur ad confitendum, quàm ad communicandum. Et Conradus *in respons.part.1.q.54.in fine*, docet, quod pueri non obligantur ad communionem vsque ad 12.annum.

2. Sed his non obstantibus, nouissimè Ioannes Sancius, vir quidem doctus, *in selectis disp.26. per totam*,mordicus contendit,& probat absolutè pueris ministrandam Eucharistiam, postquam ad annos discretionis peruenerint, neque distinguendum esse inter tempora confessionis, & communionis: nam vtriusque rei præceptum imponitur sine vlla distinctione *in cap.omnis vtriusque sexus. de pœn.* Nec minor discursus requiritur ad præceptum confessionis, quàm communionis; imò si rectè perpendantur præcepta, maior ad confessionis, quàm ad communionis: quæ omnia per partes, & accuratè probat, & pro hac sententia adducit Tabienam *ver. excommunicare, num.3.* D.Antoninum *3.part. tit.9. cap.8. § 2.& part.3.tit.14.cap.12.§.5.*& Paludanum, qui in rebus moralibus est instar omnium,*in 4.sent. dist.12. q.1.n.25.* vbi sic asserit:Et dicitur annus discretionis, non pubertatis, qui sunt anni nubiles in fœmina 12. & 14. in masculis, sed postquam est doli capax, cùm scilicet potest mortaliter peccare, tunc obligatur ad præceptum de confessione, & per consequens de communione quæ simul dantur; quia ex quo potest peccare, debet remedium confessionis, & communionis adhibere. Ita Paludanus, & D. Antoninus.

Sup. his in tom.1. tr.3. Resol.50. § vlt.per totũ, & in aliis eius duarum annotationum.

3. Ex quibus omnibus infert, secundum se loquendo, peccare parentes puerorum, & Confessarios non sinentes illos communicare statim ac peccare norunt,cùm causa sint transgressionis præcepti. Excusantur tamen à peccato,quia sequuntur opinionem contrariam,quam supra retulimus.Notat tamen dictus Sancius, quod etiam stando in sua opinione, pueri non communicantes in Paschate, nec excommunicatione, nec pœnis Canonicis ligantur vsque ad annum decimumquartum,& probat hoc ex multis Authoribus. Et hæc omnia Sancius multum conducentia ad conducendos scrupulos Confessariorũ, si dedissent, vel dare vellent pueris communionem; in quo casu multos anxios, & indeterminatos cognoui, sed secundum Sanctium à perplexitate liberi erunt: nam statim ac notum erit eis, pueros vsum rationis habere,poterunt illi sacram Communionem exhibere.

Sup. hoc, quod hic docetur magis latè cum eodem Granado hic citato,& aliis infra in Resol. 89 §.2.à medio vsque in finem, & in tom.4.tr.6. Res.68. §.Et tandem.propesin.& seq.

4. Verùm primam opinionem ego teneo, quam etiam ex neotericis tenet Iacob. Granado *in part.2. contr.7. tractat.3. part.1. disput.6.num.37.* vbi docet præceptum annuæ communionis non obligare ante decennium, quia doctores ita intellexerunt hoc præceptum. Sed his non obstantibus puto opinionem Sancij esse probabilem, quam nouissimè tenet etiam doctus Castrus Palaus *in Opere morali tom.1 tract.3. disp.1. punct.24.§.2.n.7.* lege illum,& non pigebit.

RESOL. VI.

An pueri tempore, quo sunt capaces recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, sint etiam capaces recipiendi Eucharistiam?

Et obiter docetur ad lucrandum Iubilæum pueros, qui possunt confiteri, esse etiam ad Sacramentum Eucharistiæ admittendos. Ex p.3.tr.addit.Res.19.

Quæ hic est Res. antecedens,& reci-

§.1. NEgatiuam sententiam ego docui *in part.3. tractat.6. resol.70.* cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Præpositum *in 3.part. quæst.80. art.11.dub.2.num.58.* Ludouicum de San Iuan *in luce Sacerdotum q.7. de Euch.art.11. dub.1. concl.1.* Grassium *in decis.aur. part.1.lib.2.cap.38. n.15.* Scortiam *de sacrif.Missæ.lib.4.cap.29.n.5.* Cordubam *in summ. q.60.ver.11.* Bonacinam *de sacram.disp.4.q.7 punct.2. num.3.* & alios penes ipsos. Sed ibi pro contraria opinione,quam probabilem existimaui,adduxi Ioannem Sancium: verùm aduersus illum acriter insurgit nouissimè Ioan.Merlinus Societ. Iesv, *tract. de frequent.Euchar.dict.1.cap.1.& seq.*

2. At his non obstantibus opinionem Sancij tenet ex eadem Societ. Iesv, vt ibi notaui, Caltrus Palaus *in Opere morali,tom.1.tract.3 disp.1.punct.24. §.2.num.7.* cui nunc addo Philippum de la Cruz *in Thesaur.Eccles.tract.1. §.1. num.3.* vbi docet ad lucrandum Iubilæum pueros qui possunt confiteri,esse etiam ad Sacramentum Eucharistiæ admittendos,sic ait. [Esta es dotrina de San Antonin. *3.part,tit.14. cap.12 §.4.& 5.* y Paludano *in 4.dist.12.quæst.1.n.25.* que se comprehende en estas breues palabras. *Et dicitur annus discretionis, non pubertatis, qui sunt anni nubiles in fœmina 12. & 14. in masculo, sed postquam est doli capax, cùm scilicet potest mortaliter peccare, tunc obligatur ad præceptum de confessione, & per consequens de communione, quæ simul dantur; quia ex quo potest peccare, debet remedium confessionis, & communionis adhibere.* Y assi estos Dotores enseñan que ygualmente el que tiene vso de razon, tiene obligacion à la confession,y à la comunion,laqual dotrina mas que ningun dotor la trahe y defiende con grande agudeza Iuan Sanchez, en quien toda ella disputase puede ver,laqual concluy con estas palabras. *Cuilibet puero statim ac peccare nouerit distinguendo inter bonum, & malum, ministrari debet Eucharistia, licet sexto,aut septimo anno: nam præceptum de annua confessione,& suscipienda Eucharistia eodem tempore obligat fideles, statim verò ac quis scit peccare, obligatur præcepto confessionis annuæ*, guidandose por esta dotrina los confessores, pueden amonestar que comiguen à los tales para ganar las indulgencias.]Itaille. Sed ne discedas à prima opinione,tanquam communiori, & probabiliori.

RESOL. VII.

An si ex incuria Sacerdotis, dum alios communicat, porrigeret Eucharistiam infanti genuflexo non habenti vsum rationis, reciperet gratiam?

Et resolutio huius quæstionis pendet ex illa, an infantes ante vsum rationis sint capaces fructus spiritualis, quem Eucharistia ex opere operato confert?

Et an antiquitus fuerit consuetudo in Ecclesia in variis prouinciis conferendi Eucharistiam infantibus?

Et an si puer, & amens nunquam dolo capaces imminant casu Eucharistiam, & comedant, accipiant gratiam, licet non sint capaces manducationis sacramentalis? Ex part.10.tract.11. & Miscel.Resolut.18.

§.1. REsolutio huius dubij pendet ex illa quæstione, An infantes ante vsum rationis sint capaces fructus spiritualis, quem Eucharistia ex opere operato confert? Et negatiuè respondet Alexander de Ales *4.part.quæst.11.n.2.art.3* §.1. Paludanus *in q. dist.9.quæst.4. art.3.* Maior *q.1.§.Prima est, dans part. 4.ad.* Conulo Corpus Christi. Gabriel *quæst.2. art.3. dub.4.* Cajetanus *3.part. quæst.80. art.12. in q.sua 1.§.Quod Tertium.* Syluester *verb. Eucharistia 3. q.5.* Petrus Sotus *sect 8.de Eucharist.* inclinat Dominicus Sotus *in 4.distinct.12.quæst 1.art.9.sub finem.* Et quod caput est, illam docere videtur Catechismus Romanus, ita

Sacra

Sacram. Euchar. §. *Sed ne fortè*; vbi ait, infantes idoneos non esse, vt hoc Sacramentum accipiant, & comedant. Vnicum fundamentum huius sententiæ est, quoniam ad percipiendum fructum huius Sacramenti requiritur Sacramentalis manducatio: hæc autem requirit actualem notitiam huius Sacramenti, quæ in infantibus, & perpetuò amentibus esse non potest. Maior probatur: nam hoc Sacramentum datur per modum cibi nutrientis; qui necessario requirit actum vitalem ipsius viuentis, sine quo cibus non nutrit.

2. Sed his non obstantibus, ego sententiæ affirmatiuæ adhæreo, quam tuetur Coninch. *in 3. part. quæst. 80. art. 9. num. 77.* Præpositus *in 3. q. 80. artic. 9. n. 50.* Cardinalis de Lugo, *de Eucharist. disput. 13. n. 8.* Serra *in 3. part. q. 80. art. 9.* Suarez *disp. 62. sect. 4.* & Ledesma *1. part. 4. quæst. 21. art. 9. dub. 5.* Quia, ait iste, ad hoc aliquando dabatur illis, vt augeretur gratia. Secundo, quia si Episcopus ordinaret puerum; reciperet puer gratiam, licèt Episcopus malè ageret, ordinando illum ante tempus. Tertiò, puer baptizatus est in gratia: ergo est probatus. Probatur consequentia: quia ad hoc solùm præcipiebat Paulus, quòd probarentur homines ante sumptionem Eucharistiæ, ad sciendum, scilicet, si erant in gratia, sic ad minus per coniecturas, & signa. Confirmatur, nam non minus paruuli sunt capaces gratiæ nutritiuæ, quæ datur per Sacramentum Eucharistiæ; quàm roboratiuæ, quæ datur per Sacramentum Confirmationis; cùm vtraque ordinetur ad spiritualem vitam augendam: atqui paruuli sunt capaces gratiæ roboratiuæ per Sacramentum Confirmationis, vt constat ex vsu Ecclesiæ, quæ illos etiam ante rationis vsum confirmare solet: ergo etiam erunt capaces gratiæ nutritiuæ per Sacramentum Eucharistiæ. Vide Syluium *in 3. part. q. 80. art. 9.*

3. Sed præcipua ratio nostræ sententiæ desumitur ex consuetudine, quæ antiquitus fuit in Ecclesia in variis Prouinciis, conferendi Eucharistiam infantibus, constat ex Dionysio *cap. 7. de Ecclesiastica Hierarchia*, & ex Cypriano, *lib. de Lapsis*, & ex Gregorio Magno *in suo Missali veteri, quod Romæ extat*: & id maximè iudicat Tridentinum, *sess. 21. cap. 4.* & id fuisse in Hispania consuetum, supponit Concilium Toletanum II. *Can. 11.* At si Eucharistia non posset infantibus prodesse quoad fructum augmenti gratiæ, ad quem primariò, & principaliter instituta est; dicta consuetudo fuisset illicita: quia contra reuerentiam cuiuscumque Sacramenti est, illud administrare, quando frustrandum est suo primario, & principali fructu. Id autem nequit Ecclesiæ attribui, præsertim quia Tridentinum, *sess. 11. cap. 4.* affirmat, dictam consuetudinem, si fuit, non esse damnandam. Vnde ex Arcudio testatur Lugo in Ecclesia Græca vigere talem consuetudinem: sed in Ecclesia Latina, consuetudine introducta est prohibitio conferendi Eucharistiam infantibus ante vsum rationis, adhuc in articulo mortis, & satis conuenienter: quia ex vna parte nullum est præceptum diuinum, quo teneamur infantibus Eucharistiam conferre, quia de eo non constat: & ex altera parte, in collatione Eucharistiæ infantibus multa contra reuerentiam Eucharistiæ possunt accidere, præsertim postquam ex præcepto Ecclesiæ sola species panis laicis confertur; quia hæc ab infantibus pro ætate infantili difficilè deglutiretur. Vide Lessium *in 3. part. q. 80. art. 9. n. 24.*

4. Ex his ego olim interrogatus respondi, perpetuò amentem, qui ad Tabernaculum Sacramenti accessit, dum Ecclesia erat clausa, & particulas consecratas sumpsit, recepisse gratiam, & fructum spiritualem huius Sacramenti. Et ita ex Cardinali Lugo Pater Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 4. disput. 9. dub. 11. n. 204.* notat, quòd si puer, aut amens ex natiuitate, nunquam doli capax, inueniât casu Eucharistiam, & comedat: accipiet gratiam. Et ita sensisse Theologos in Hispania ipsi testantur.

5. Nota hîc obiter, Amicum *in Cur. Theol. tom. 7. disp. 28. sect. 2. n. 10.* docere contra Vasquez, paruulos, & perpetuò amentes non esse capaces manducationis Sacramentalis; licèt, vt diximus, sint capaces fructus, & nutritionis huius Sacramenti: tamen sententiam Vasquez defendit Hurtadus *de Sacram. Euch. disp. 9. difficult. 19.* & probat, infantes esse capaces Sacramentalis sumptionis Eucharistiæ, non minus quàm Baptismi, confirmationis, & Ordinis, & id supponunt communiter Doctores, & meritò, quia Eucharistia est infantibus Sacramentum, non minus quàm Baptismus, Confirmatio, & Ordo; quia vt diximus ex opere operato confert illis augmentum gratiæ, quod non efficeret, si non esset illis Sacramentum.

Sup. hoc, & contento in hoc §. in Resol. non præteritæ. Sed his non obstantibus.

Sup. hoc in §. nor. præteritæ.

Sup. contento in hoc §. nor. doctrinam Res. & tenor. principiis huius Sect.

RESOL. VIII.

An qui præuidet impedimentum futurum, vt in tempore Paschatis Eucharistiam accipere non possit, teneatur præuenire tempus, & illam sumere?

Et an ita præueniens tempus, non sequuto impedimento tempore ab Ecclesia constituto, teneatur iterum communicare?

Et asseritur, quod qui præuidet se in Paschate à communione impeditum iri, non tenetur tempus præscriptum præuenire, dummodo intra eum annum semel communicauerit? Ex part. 3. tractat. 4. Resolut. 42.

§. 1. AFfirmatiuè respondent Syluius *in 3. part. q. 80. art. 11. quæritur* 3. Nugnus etiam *3. p. quæst. 80. art. 11. diff. 2.* Fagund. *præc. 3. lib. 1. cap. 6. n. 3.* & alij. Ratio est, quia præceptum communionis non limitatur ad tempus Paschæ ad tollendam obligationem ante istud, præuiso impedimento impediente illam.

Sup. hoc infra in Resol. 13. recitanter in §. Ex his. à lin. 6. & in tom. 1. tr. 3. ex doctrina Res. 65. Signâter in fine, & in tom. 5. tr. 9. Res. 21. §. 3. ante medium.

2. Non reticebo tamen contrariam sententiam docere Pitigianum *in 4. sentent. tom. 1. dist. 9. quæst. 3. art. 9.* Azorium *tom. 1. lib. 17. cap. 41. quæst. 13.* & alios quia nec vsus Ecclesiæ id habet, nec ille qui ieiunare tenetur & audire sacrum, tenetur anticipare tempus, si præuideat futurum impedimentum, quo die proprio non possit. Ergo, &c.

3. Sed si quis stare vellet in prima opinione; quæritur, an ita præueniens, non sequuto impedimento tempore ab Ecclesia constituto, teneatur iterum communicare. Negatiuè respondeo cum Fernandez de Heredia *in disp. de Sacram. tract. de Eucharistia, p. 8. dub. 1. num. 10.* Ratio est, quia ex *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* licitum est de consilio proprij Sacerdotis extra Ecclesiæ tempus communionem differre; quo casu communione extra tempus facta simpliciter satisfit Ecclesiæ. Ergo ex præsumpta voluntate eiusdem Ecclesiæ, etiam anticipatio propter præuisum futurum impedimentum admittenda est. Quo casu satisfactum simpliciter esse præcepto Ecclesiæ dicendum erit. Probatur consequentia: fieret enim anticipatio in hoc casu de consilio cuiuslibet viri docti, & pij; at hoc præceptum Ecclesiæ substantialiter terminatur ad communionem intra annum faciendam, accidentaliter verò ratione congruentiarum ad tales, seu intra tales dies; quod ex textu conuincitur *in dict. cap. omnis*, vbi, *Hi saltem in anno*, & ibi, *ad minus in Pascha*. Quis enim illa verba ad substantiam præcepti, hoc verò ad

Sup. hoc in Res. 1. not. præteritæ, & in eodem §. ad medium à vers. Alias.

præcepti circumstantiam non retulerit? Ergo hac anticipata communione, facta quidem ex voluntate adimplendi præceptum Ecclesiæ, quidquid sit postmodum de secuto accidentaliter impedimento, præcepto Ecclesiæ satisfiet, cessante dierum Ecclesiæ congruentia, propter congruentem etiam eorumdem dierum anticipationē, quæ sanè faciliùs debet, quàm dilatio admitti. Ita Fernandez, & ante illum Suarez *in 3.p.tom.3.disp.70. sect.2.circa finem.*

4. Sed plus addit Layman *in Theol.mor.lib.5.tr.4. cap.5.num.9.* vbi asserit, quod qui præuidit se in Paschate à sacra communione impeditum iri, non tenetur tempus præscriptum præuenire, dummodo intra eum annum semel communicauerit. Ita ille, quod est valde notandum: vide Coninch *de Sacrament. quæst.80.art.11.dub.4.concl.2.*

RESOL. IX.

An qui in Paschate sumpsit indignè Eucharistiam, incurrat excommunicationem latam ab Ordinario, contra transgressores præcepti communionis? Ex p.3. tract. addit. Resol.14.

§.1. QVidam Theologus affirmatiuam sententiam docuit, sed contrarium dicendum est per ea quæ adduxi *in part.3.tract.4.resol.43.* vbi contra Nugnum, & Syluium docui, sumentem indignè Eucharistiam in Paschate satisfacere præcepto Ecclesiæ, & præter Doctores ibi citatos, tenent etiam hanc opinionem Vasquez *in 3.p.tom.3.disp.214.c.4.* cui etiam adde Petr. Ochagauiam *de sacram.tr.2. de Euch.q.15. n.6.* qui indiuidualiter respondet ad casum huius resolutionis, sic enim ait. [Implet præceptum sumendi Eucharistiam in Paschate, qui indignè, & cum conscientia peccati mortalis illam sumit. Probatur, nam alia præcepta impleri possunt per actum continentē in se peccatum lethale, vt ille, qui die ieiunij nimis replet stomachum cibis in eo vnico prandio, quod licitum est ieiunantibus, posset quidem peccare lethaliter, & tamen sine dubio satisfaceret præcepto ieiunij. Item is, qui in peccato mortali susciperet Sacramentum Baptismi, satisfaceret præcepto diuino suscipiendi Baptismum. Secundò probatur idem responsum ratione D.Thom.1.2. *q.100. art.9.* quia lex quæ præcepit aliquem actum, præcipit substantiam eius, non verò modum, nisi modus sit de essentia actus secundum se, vel provt cadit sub lege (qua ratione attentio est de essentia orationis.) At verò suscipere Eucharistiam cum dispensatione debita, non est modus essentialis Sacramēti Communionis, nam si quis indignè communicat, sacramentaliter communicat. Vnde ad primum argumentum respondetur, dignum cultum, seu reuerētiam huius Sacramenti esse finem huius præcepti, non materiam eius. Ad secundum respondetur, illud verbum, *reuerenter*, vel denotare reuerentiam extrinsecam, vel intrinsecam, quam petit hoc Sacramentum ex natura sua & iure diuino, non humano. Inde ille qui cum reuerentia intrinseca, sine extrinseca tamen communicaret, non violaret præceptum Ecclesiasticum de suscipienda Eucharistia, sed diuinum. Vnde qui indignè communicaret, non incurreret pœnas, vel censuras Ecclesiasticas, quæ contra transgressores huius legis imponerentur, quia in rigore seruaret præceptum, & legem Ecclesiæ.] Ita ille, & ego.

Quæ hic est infra Resol.2. post seq. & in aliis eius not.

Cum eodem Ochagauia hic citato infra Resol.13. §.Ex his,

RESOL. X.

An si quis in Paschate Eucharistiam non sumpsit, teneatur postea quamprimùm *communicare?* Ex p.3. tract.4. Resol.41.

§.1. AFfirmatiuam sententiam docet Nugnus *in 3.part.tom.1.q.80. art.11. diffic.2. concl.3.* Pitigianus *in 4.sent.tom.1.dist.9.q.3. art.9.* Fagundez *præc.3.lib.1.cap.6.n.2.* Azorius *tom.1 lib.7.cap.40.q.1.* Coninch. *de Sacrament.q.80.art.11.dub.4.* Suarez *in 3 part.tom.3.disput.70. sect.2.* Layman *in Theol. mor. lib.5.tract.4.cap.5.num.8.* Grassius *part.1.lib.2.cap.38. num.25.* Syluius *in 3.part. q.80. art.11. quæritur 4.* & alij asserentes, quod qui in Paschate seu iusta, seu iniusta causa Eucharistiam non sumpserit, postea cum primùm commodè potest, communicare debeat, vt quantò diutius differat, tantò magis peccatum augeat. Et ratio est, quia non conceditur terminus annuus, vt tunc cesset obligatio, sed vt adimpletio non possit vlterius differri, sicut in contractibus, quando statuitur tempus vltra quod non potest differri solutio, si tunc non fiat, obligatio non extinguitur, sed perseuerat.

2. Sed contrariam opinionem puto etiam probabilem esse, quam docent Sotus *in 4 dist.18.quæst.1. art.4.* Sylueſter *ver.Eucharist.q.15.* Tabiena *ver.communicare, quæst.7.* D.Antoninus *part.3.tit.9.c.9.§.3.* Valentia *tom.3.disp.6.q.8.punct.4.* Armilla *verb.communio,n.6.* Medina *in instruct. confessar.lib.1.c.14.n.42.* Valentia *in summa,quæst.148.* Ledesma *1.4.q.1.art.5. dub.2.* Ioan. de la Cruz *in direct.conscient.part.2. de Sacram.Eucharist.q.5. dub.7.concluſ.4.* Toletus *lib.6. cap.18.* & Emanuel Sà *verb.Eucharist.n.7.* vbi sic ait. Qui in Paschate transgressus præceptum non communicauit, non peccat iterum mortaliter, si postea non communicet: semel enim tantùm id præceptum obligat, scilicet in Paschate, vt præceptum de confessione, semel solùm quolibet anno. Ita ille.

RESOL. XI.

An qui in Paschate non communicauit, teneatur statim, initio sequentis anni Eucharistiam sumere? Exp.3. tr.13.& Misc.1.Resol.3.

§.1. VTinam hic casus frequenter non accideret, & affirmatiuam sententiam tenent communiter Doctores, quos citaui *in 3.cap. tractat.4.resolutione 130.* quibus nunc addo Ochagauiam *de Sacram.tract.2.de Eucharist.q.15.n.4.* Hurtadum *de Sacrament.disput.10. de Eucharist. difficult.3. & disput. de Pœnitent. difficultat.12.* Verùm ibi cum aliquibus negatiuam sententiam probabilem esse potuit. Sed scio contra me quemdam Theologastrum multa ibi fictasse, immeritò tamen: nam præter Doctores ibi citatos, non solùm hanc sententiam probabilem esse, sed probabiliorem putat ex Societate Iesv Iacobus Granado *in 3.part. de Sacrament. contr.6. tractatu 10. disputat.4. numer.4. & sequent.* vbi sic ait: Oritur difficultas, an qui intra Paschatis tempus non sumpsit Eucharistiam, teneatur ex vi præcepti Ecclesiastici sumere, cùm primùm postea possit, an non, sed sine nouo peccato differri liceat vsque ad aliud Pascha. Aliqui asserunt, huiusmodi hominem teneri ad Eucharistiam accedere, cùm primùm possit; nihilominus contraria sententia probabilior est, quia quando aliquod præceptum est pro tempore aliquo determinato, elapso illo tempore cessat obligatio, nisi adsint circumstantiæ aliud suadentes; sed sumptio Eucharistiæ præcepta est pro tempore Paschali, nec sunt circumstantiæ suadentes, obligationem post illud tempus perseuerare. Ergo

Ergo elapso Paschate cessat prædicta obligatio. Maior patet in præcepto audiendi Sacrum die festo, aut ieiunandi in peruigilio, aut in Quadragesima, elapso enim eo determinato die, vel tempore, cessat obligatio. Minor quoad priorem partem certa est ex Decreto Innocentij supra adducto. Quoad posteriorem verò probatur, quia nulla circumstantia specialis est quæ suadeat hanc obligationem ex vi Ecclesiastici præcepti durare, vt patebit respondendo ad argumenta. Nunc solùm aduerto gratis asseri ab aduersariis, Ecclesiam præcepisse duo, scilicet & suscipi Eucharistiam in Paschate, & non vlterius differri: nam eodem modo dici posset, cùm Ecclesia præcipit auditionem Sacri singulis diebus Dominicis, præcipere auditionem eo die, & non vlteriùs differri illud opus diuini cultus, quod ab ipsa præscriptum est, vt fideles satisfaciant diuino præcepto communionis. Hucusque Iacobus Granadus *loco citato*, cuius quidem opinio, vt diximus, probabilis est, non tamen probabilior, vt ipse putat, & ita nostram sententiam docet etiam Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst* 80. *art.* 11. *dub.* 2. *num.* 63. *in fine*, vbi sic ait: Aduerte primùm sententiam dicentem, eum qui non communicauit in die Paschatis, non teneri elapso tempore communicare, non esse omnino improbabilem, si absit scandalum, & statuta particularia propter multitudinem Doctorum in id conspirantium. Sic ille.

2. Non desinam tamen hic admonere Ioannem de Lugo *de Sacram. Eucharist. disp.* 16. *sect.* 4. *n.* 66. circa præsentem quæstionem viam mediam tenere, docet enim non extingui obligationem communicandi elapso termino Paschatis, sed negat, quod ipsa vlterior obligatio nouam semper culpam afferat. Vide illum, & non pigebit.

RESOL. XII.

An qui in Paschate communicauit indignè, satisfaciat præcepto Ecclesiæ?

Et an teneatur statim *agere pœnitentiam, & iterum communicare?* Ex p. 3. tr. 4. Res. 43.

Sup. hoc in Res. seq. & supra cursim in primis lineis Res. 9. circa finem tr. 3 Res. 15. ante medium §. 1. vers. Quamuis.

§. 1. NEgatiuè respondent Syluius *in 3. p. q.* 80. *art.* 11. *quæritur* 2. & alij; quia cùm præceptum Ecclesiæ sit quædam explicatio, & determinatio præcepti diuini, non est dubitandum, quod intendat præcipere communionem talem, qualem Christus præcepit, id est, piam, & religiosam. Et ita hanc sententiam docet Nugnus etiam *in 3. p. q.* 80. *art.* 1. *diffic.* 2. *dub. vlt.*

2. Sed ego affirmatiuam sententiam probabiliorem esse iudico, quia Ecclesia nihil aliud præcipit, quàm vt in Paschate Corpus Domini sumatur. Ergo licet communicans indignè sacrilegium faciat, tamen quoad substantiam implet præceptum Ecclesiæ. Et ita docent Fagundez *pr. 3. lib. 1. c. 6. n. 4.* Pitigianus *in 4. tom. 1. dist. 9. q. 3. art.* 10. Azorius *tom. 1. lib. 7. c. 41. q.* 12. Lopez *in instruct. part. 1. cap.* 11. § *reuocari.* Sotus *de iustit. lib. 2. q. 3. art.* 10. Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 70. sect.* 2. & alij, quos citat, & sequitur Villalobos *in summ. tom. 1. tr. 7. diffic. 42. num. 6.* vbi sic asserit. [Aunque vno comulgue estando en pecado mortal, y peque en ello, cumple con este preceto. La razon es, porque la ley que manda hazer alguna cosa, manda la substancia, y no el modo, y assi el preceto del Baptismo se cumple, aunque sea en pecado mortal, y fauorece esto el estilo de la Iglesia, que no obligar à boluer à comulgar al que desta manera comulgo.] Igitur qui indignè in Paschate Eucharistiam sumpsit, satisfecit præcepto Ecclesiæ, nec tenetur statim agere pœnitentiam, & iterum communicare, vt Doctores contrarij sentiunt.

RESOL. XIII.

An præceptum annuæ communionis adimpleatur per sumptionem indignam Eucharistiæ?

Ex quo infertur, quod qui indignè communicaret, non incurreret in pœnas, vel censuras Ecclesiasticas, quas contra transgressores huius legis imponerentur.

Et an præuidens impediendum esse à communione tempore Paschali, teneatis communionem præuenire?

Et quid, si post Dominicam Resurrectionis credis impediendum esse à communione, an obligeris Hebdomada Sancta communicare?

Et an si alicubi (vt est in Hispania,) adsit priuilegium implendi præceptum annuæ communionis per totam Quadragesimam, teneatur quis in illo tempore sumere Eucharistiam, si præuidet non posse illum sumere tempore Paschali? Ex part. 11. tract. 7. & Misc. 7. Res. 29.

Sup. hoc in Res. præterito, & in aliis eius not.

§. 1. AFfirmatiuæ sententiæ olim adhæsi, & me citato nouissimè tenet Leander *de Sacrament. tom. 2. tract. 7. disp. 3. q. 26.* & me citato Bassæus *verb. Communio sacra, num.* 14. & me citato Caspensis *in Curs. Theol. tom. 2. tract. 22. disp. 9. sect. 7. num.* 74. & me citato Gesualdus *in Theol. Mor. tom. 1. tract.* 12. *cap. 4. num.* 21. & me citato Dicastillus *de Sacrament. tom. 1. tract. 4. disp.* 10. *dub. 9. num.* 175. & me citato Cardinalis Lugo *de Euchar. disp.* 16. *sect. 4. num.* 83. & me citato Martinus de San Ioseph *in monit. confess. tom. 1. tract. 9. de Euchar. num.* 14. & me citato Franciscus Lugo *de Sacrament. lib. 4. cap.* 10. *quæst. 3. numer.* 29. quibus adde Castrum Palaum *tom. 4. tract. 21. punct. 15. num.* 12. Trullench *de Sacram. tom. 1. lib. 3. cap. 5. num.* 13.

2. Verùm nouissimè Pater Pasqualigus *in Theolog. tom. 2. disput.* 118. *sect.* 13. *num.* 66. negatiuam sententiam tenet, quia præceptum Paschalis communionis quoad substantiam est diuinum. Ergo non impletur per indignam communionem. Antecedens probatur. Præceptum diuinum communionis extra articulum mortis est indeterminatum, & ab Ecclesia determinatum est, vt executioni mandetur in Paschate, ita vt Præceptum Paschalis communionis de Eucharistico non habeat nisi determinationem temporis pro exequendo diuino: Ergo quoad substantiam est diuinum. Consequentia probatur. Præceptum diuinum de communione obligat ad communionem dignam, quia cadit etiam super actum internum. Ergo.

3. Dices, Ecclesiam determinasse præceptum diuinum quoad substantiam communionis, non quoad modum dignitatis, atque adeò determinasse extra, & vltra præceptum diuinum, contra. Determinauit præceptum diuinum quoad obligationem ipsius; ita vt obligatio imposita à Christo, & relicta, vt determinaretur ad tempus Paschatis: ergo cùm obligatio diuina sit non solùm de substantia communionis, sed etiam de modo sumendi dignè, includitur obligatio ista in præcepto Ecclesiæ, & determinatio Ecclesiæ non est vltra, & extra præceptum diuinum. Ita ille. Sed ego non recedo à sententia, quam docui, & quam esse communem nemo negabit, & ad argumentum Pasqualigi, & aliorum asserentium, quod Ecclesia determinat præceptum diuinum. Sed diuinum non solùm obligat ad suscipiendum, sed ad dignè suscipiendum: ergo etiam Ecclesia.

4. Respondet vterque Lugo, Dicastillus, & alij-

Dico igitur data maiori propositione argumenti, distinguo minorem, præceptum diuinum affirmatiuum quo præcipimur accipere, nego minorem; præceptum diuinum negatiuum quo præcipimur non accipere indignè, concedo minorem; hoc autem præceptum non determinatur ab Ecclesia, quin semper, & omnes obliget; solùm determinat præceptum affirmatiuum communicandi, determinando tempus, hoc autem etiam, vt diuinum, solùm ipsam susceptionem mandat, quæ potest benè fieri; quod autem non fiat malè, per aliud præceptum negatiuum naturale diuinum prohibetur. Quapropter si quis in articulo mortis indignè communicauit, & postea conficeatur, & doleat, non tenetur iterum communicare, quia præceptum affirmatiuum iam impleuit, quod tantum erat suscipiendi Eucharistiam. Responsiones ad alia argumenta videbis apud citatos auctores.

5. Ex his infert rectè Ochagauia *de Sacrament. tract. 2. de Euchar. q. 15. n. 6.* cum aliis, qui indignè communicaret non incurreret pœnas, vel censuras Ecclesiasticas, quæ contra transgressores huius legis imponerentur, quia in rigore seruaret præceptum, & legem Ecclesiasticam. Sed hic oritur difficultas, an prævidens te impediendum esse à communione tempore Paschali, tenearis communionem præuenire? videris teneri, ne contingat vltra annum communionem differri. E contra est, quia per illam anticipatam communionem non videris satisfacere posse præcepto communicandi in Paschate. Aliàs si impedimentum non eueniret, vt consideratum est, non esses obligatus tempore Paschali communicare, cùm iam præcepto communicandi in Paschate satisfeceris. Verùm de hac quæstione alibi à nobis actum, nunc assero tanquam omnino veram, si post Dominicam Resurrectionis credis te impediendum esse à communione, obligari hebdomada sancta communicare, quia eo tempore opus præceptum plenè exequeris, sicuti si hora decima cognoscis impediendum esse ab auditione Missæ, teneris ante eam horam Missam audire, quia præcepto audiendi Missam eo tempore teneris.

Sup. hoc cũ eodẽ Ochagauia hic citato supra in Ref. 9 & sup. his seqq. in Ref. not. primæ not. seq. & in aliis eius primæ annot.

Sup. hoc magis latè in Ref. not. seq. §. Sed si Alibi supra in Ref. 8. & in aliis eius primæ annot.

6. Verùm ex his oritur dubium curiosum, an si alicubi (vt teste Remigio *in pract. confess. tractat. 3. cap. 3. §. 1. num. 3.* & aliis est in tota Hispania) adsit priuilegium implendi præceptum annuæ communionis per totam quadragesimam, teneatur quis in illo tempore sumere Eucharistiam, si præuideat non posse illam sumere tempore Paschali? Affirmatiuè respondent aliqui, sed P. Dicastillo *de Sacram. tom. 1. tr. 4. disp. 10. dub. 6. n. 161.* hoc non videtur certum, & clarum, maximè si propriè loquendo non sit latum præceptum communicandi inter omnes illos dies, sed concessum priuilegium (vt fieri potest) quo quis eo ipso quod communicet intra quadragesimam, non tenetur in illis quindecim diebus communicare: aliud enim est, habere priuilegium vt præceptum, quod nondum incipit vrgere, censeatur impletũ pro illo tempore, in quo vrget per actum exhibitum ante illud tempus; aliud verò, extendere præceptum, vt vrgeat non solùm in illo tempore, quo ante vrgebat, sed etiam in tempore antecedenti: quando enim solũ priuilegium est, vt possit antecedenter impleri per actum exhibitũ in tempore, quo nondum vrget non tenetur quis anticipare actum, etiamsi præuideat per totum tempus in quo vrget præceptum fore impeditum ad exhibendum talem actum. Quapropter si quis habeat (vt habent nonnulli) priuilegium anticipandi Horas Canon. ante tempus, in quo obligant, etiamsi videat se fore legitimè impediendum à recitatione Horarum toto tempore in quo vrget præceptũ, non tenetur anticipare vtendo suo priuilegio, quia nondum est tempus in quo vrget lex, & præceptum.

7. Hac ratione vsus, qui iam percrebruit, recitandi Horas Matutinas sequentis diei quasi ex priuilegio tacitè concesso hora quinta, ideſt audita quarta sub vesperum præcedentis diei; non censetur habere vim cogendi eum, qui videt se impediendum toto sequenti die, vt legat antecedenter Horas Matutinas. Hæc Dicastillus, quæ quidem satis probabiliter dicta esse mihi videntur.

RESOL. XIV.

An excommunicati, suspensi, & interdicti excusentur à præcepto annuæ Communionis?

Et an si possent absolui, & nollent absolui eo fine vt non communicent in Paschate, peccarent contra præceptum?

Et an, qui sumeret Eucharistiam vno, vel altero die ante, vel post quindecim dies Paschales designatos pro adimpletione præcepti, adhuc satisfaciat præcepto?

Et an, qui non communicauit intra illos quindecim dies assignatos ab Ecclesia pro adimplendo præcepto annuæ Communionis, teneatur amplius communicare? vel an elapso anno, teneatur etiam sub præcepto communicare?

Et an si quis communicauit ex deuotione in Natali Domini, & postea transgressus est præceptum in Paschate, an possit expectare vsque ad sequens Natale, in quo annum complet?

Et quid, si non communicauit à Ianuario vsque ad Paschа?

Et quid, si communicauit post Ianuarium ante Paschа?

Ex part. 11. tr. 7. & Misc. 7. Ref. 14.

§. 1. PVtat Pater Auersa *de Sacram. Euchar. q. 3. sect. 3. vers. 3.* quòd si quis inueniatur contra aliqua impeditus, tenebitur præter aliam omnem obligationem, hoc speciali titulo absolutionem procurare quantùm in ipso fuerit, ad hoc vt communicare valeat.

Sup. hoc Ref. 4. n. 2. & 3. & Ref. 6. n. 1. & 2. & Ref. 7. n. 1. & 2. & Ref. 8. n. 1. & 2. & Ref. 9. n. 1. & 2. & Ref. 10. n. 1. & 2. & Ref. 11. n. 1. & 2. & Ref. 12. n. 1. & 2. & Ref. 13. n. 1. & 2. & Ref. 14. n. 1. & 2. & Ref. 15. n. 1. & 2. & Ref. 16. n. 1. & 2. & Ref. 17. n. 1. & 2. & Ref. 18. n. 1. & 2. & Ref. 19. n. 1. & 2. & Ref. 20. n. 1. & 2. & Ref. 21. n. 1. & 2. & Ref. 22. n. 1. & 2. & Ref. 23. n. 1. & 2. & Ref. 24. n. 1. & 2. & Ref. 25. n. 1. & 2. & Ref. 26. n. 1. & 2. & Ref. 27. n. 1. & 2. & Ref. 28. n. 1. & 2. & Ref. 29. n. 1. & 2. & Ref. 30. n. 1. & 2. & Ref. 31. n. 1. & 2. & Ref. 32. n. 1. & 2. & Ref. 33. n. 1. & 2. & Ref. 34. n. 1. & 2. & Ref. 35. n. 1. & 2. & Ref. 36. n. 1. & 2. & Ref. 37. n. 1. & 2. & Ref. 38. n. 1. & 2. & Ref. 39. n. 1. & 2. & Ref. 40. n. 1. & 2. & Ref. 41. n. 1. & 2. & Ref. 42. n. 1. & 2. & Ref. 43. n. 1. & 2. & Ref. 44. n. 1. & 2. & Ref. 45. n. 1. & 2. & Ref. 46. n. 1. & 2. & Ref. 47. n. 1. & 2. & Ref. 48. n. 1. & 2. & Ref. 49. n. 1. & 2. & Ref. 50. n. 1. & 2. & Ref. 51. n. 1. & 2. & Ref. 52. n. 1. & 2. & Ref. 53. n. 1. & 2. & Ref. 54. n. 1. & 2. & Ref. 55. n. 1. & 2. & Ref. 56. n. 1. & 2. & Ref. 57. n. 1. & 2. & Ref. 58. n. 1. & 2. & Ref. 59. n. 1. & 2. & Ref. 60. n. 1. & 2. & Ref. 61. n. 1. & 2. & Ref. 62. n. 1. & 2. & Ref. 63. n. 1. & 2. & Ref. 64. n. 1. & 2. & Ref. 65. n. 1. & 2. & Ref. 66. n. 1. & 2. & Ref. 67. n. 1. & 2. & Ref. 68. n. 1. & 2. & Ref. 69. n. 1. & 2. & Ref. 70. n. 1. & 2. & Ref. 71. n. 1. & 2. & Ref. 72. n. 1. & 2. & Ref. 73. n. 1. & 2. & Ref. 74. n. 1. & 2. & Ref. 75. n. 1. & 2. & Ref. 76. n. 1. & 2. & Ref. 77. n. 1. & 2. & Ref. 78. n. 1. & 2. & Ref. 79. n. 1. & 2. & Ref. 80. n. 1. & 2. & Ref. 81. n. 1. & 2. & Ref. 82. n. 1. & 2. & Ref. 83. n. 1. & 2. & Ref. 84. n. 1. & 2. & Ref. 85. n. 1. & 2. & Ref. 86. n. 1. & 2. & Ref. 87. n. 1. & 2. & Ref. 88. n. 1. & 2. & Ref. 89. n. 1. & 2. & Ref. 90. n. 1. & 2. & Ref. 91. n. 1. & 2. & Ref. 92. n. 1. & 2. & Ref. 93. n. 1. & 2. & Ref. 94. n. 1. & 2. & Ref. 95. n. 1. & 2. & Ref. 96. n. 1. & 2. & Ref. 97. n. 1. & 2. & Ref. 98. n. 1. & 2. & Ref. 99. n. 1. & 2. & Ref. 100. n. 1. & 2.

2. Sed ego puto cum Leandro *de Sacram. tom. 1. tract. 7. disp. 3. quæst. 33.* Isambert. *in 3. part. D. Thom. quæst. 80. disput. 6. art. 2. ver. & aliis tertio notandum*, quod supradicti excusantur ab obseruantia huius præcepti, & proinde non teneantur etiam ex hoc capite procurare absolutionem, vt satisfaciant huic præcepto. Quia ratione excommunicationis & interdicti, prohibiti sunt ab Ecclesia Sacramentorum esse participes. Ergo excusantur si per eos non stet vt absolutio detur.

3. Sed plus addit Pater Pasqualigus *in cursu theol. tom. 2. disp. 118. sect. 9. n. 42.* quod si prædicti possent absolui, & nollent absolui eo fine vt non communicarent in Paschate, peccarent contra præceptum, quia vellent in causam illius transgressionis secundum citatos Doctores. Quod tamen haber difficultatem; Quia quamdiu sunt impediti, non obligantur præcepto, & proinde non habet locum præcepti, transgressio, cum ibi tantùm sit vbi viget obligatio. Quòd autem velint differre absolutionem in hunc finem ne communicent in Paschate, non est velle transgredi præceptum, sed velle impedire ne superueniat obligatio præcepti. Et faciunt ea, quæ dixi in praxi ieiunij *dec. 320. n. 3. & seq.* de iis, qui assumunt laboriosum ieiunium non necessarium in eum finem, vt postea fatigari non teneantur ieiunare. Ita Pasqualigus.

4. Sed si quæras hîc obiter, an qui sumeret Eucharistiam vno aut altero die ante, vel post illos quindecim

quindecim dies Paschales designatos pro adimpletione præcepti, adhuc satisfaceret præcepto. Et affirmatiuè respondet Pasqualig. *vbi sup. sect. 6. n.* 30. quia ait ille, sumus in iis, in quibus terminus præfixus tempori non est indiuisibilis, sed habet latitudinem: & proinde moraliter tempus designatum accipiendum est. Nam cùm parum & nihil æquiparentur, *l. quamuis, ff. de condit. & demonst. & cap. coram dilecto, de offic. de leg.* dum parum abest tempus à præscripto, censetur non abesse, & proinde quæ fiunt in ipso, censentur fieri in tempore præscripto.

5. Sed ego magis adhæreo negatiuæ opinioni, quam tuetur Ioan. Præpositus *in 3. part. D. Thomæ quæst.* 80. *art.* 11. *dub.* 2. *n.* 58. quia in præceptis affixis tempori, tempus debet commensurari indiuisibiliter & non moraliter, vt vult Pasqualigus; & ideò Præpositus *vbi suprà*, sic asserit. Porrò ita necesse est hoc tempore communicare; vt etiam is, qui pridie Palmarum quacumque ex causa communicauit, teneatur rursum intra illos dies communicare; quod etiam existimo dicendum de eo, qui communicasset per modum Viatici, quia qui propter instans mortis periculum sumpsit Viaticum ante illos dies, non eximitur ab obligatione communionis in Paschate, & præcedentes dies etiam proximi non sunt tempus aptum executioni præcepti communionis Paschalis, cùm in illis nondum vrgeat præceptum, vnde per sumptionem Eucharistiæ proximis diebus Dominicæ Palmarum non satisfacit præcepto de Eucharistia sumenda in Paschate, ergo cum obligetur communicare in Paschate, tenetur rursus inter illos dies Eucharistiam sumere. Ita Præpositus.

Sup. hoc infra in Resol. 14. §. vlt. Inter medios, & finem, à vers. §. Secus si non.

6. Et quidem communiores Doctores loquentes de præcepto annuæ Communionis, asserunt adimplendum esse intra illos quindecim dies, qui incipiunt à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè. Ergo inclusiuè contra Pasqualigum sentiunt, aliquem paulò ante vel post dictos quindecim dies Sacram Eucharistiam sumentem, non adimplere præceptum Ecclesiasticum; sicuti si quis statim post mediam noctem recitaret horas canonicas præsertim diei, non satisfaceret præcepto, sicuti non satisfaceret, si paulò ante mediam noctem recitaret officium subsequentis diei.

7. Rectè itaque dixit Eminentiss. Lugo *de Sacram. Euchar. disp.* 16. *sect.* 5. *n.* 62. Nomine Paschatis non intelligitur solus dies Resurrectionis, sed quindecim dies à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè, iuxta communem vsum & declarationem Eugenij IV. Imo in aliquibus locis extenditur tempus ad totam Quadragesimam, ita vt qualibet eius die satisfieri possit præcepto.

8. Dices, ex hac opinione sequeretur, quod qui non communicauit intra illos quindecim dies, non teneretur amplius communicare.

Docuit supra in Res. 10. & 11. leges doctrinâ alterius Res. positæ in anno. Res. 1. huius not.

Respondeo, hanc sententiam cum multis Doctoribus satis probabiliter me olim docuisse, & esse verè probabilem etiam Aduersarij admittunt, & me citato Dicastillus *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 10. *dub.* 6. *n.* 136. & me citato Leander *de Sacram. tom.* 2. *tr* 7. *disp.* 3. *q.* 29. Præpositus *in* 3. *part. q.* 80. *art.* 11. *dub.* 2. *num.* 63. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 8. *punct.* 4.

9. Vel respondeo secundò, si quis non adimpleuerit præceptum intra tempus Paschale, tenetur eo elapso etiam sub præcepto communicare, nam quando tempus præscribitur à lege vt terminus, quousque differri possit obseruantia præcepti, eo elapso non extinguitur obligatio. Ratio est, quia quod principaliter tunc intenditur, est substantia ipsa actus præcepti, & tempus solum præscribitur vt terminus, vltra quem non liceat differre obseruantiam actus præcepti; tum quia hoc præceptum de semel communicando in Paschate est determinatio præcepti diuini, ne vlterius differatur quam pars sit; Tum quia hoc ipsum iudicat lex per illa verba. Ad minus in Paschа Eucharistiæ Sacramentum suscipiens: & clarius Tridentinum *sess.* 13. *can.* 9. *Si quis*, inquit, *negauerit omnes & singulos Christi fideles teneri saltem in Paschate ad communicandum, &c.* quibus verbis Concilium declarat principalem intentionem Ecclesiæ esse ne vltra annum huius Sacramenti susceptio differatur.

10. Ex hac verò opinione non sequitur quòd præceptum de communicando tempore Paschali adimpleri possit post vnum, vel alterum diem, sed facto præcepto, & non adimpleto suo tempore elapsis quindecim diebus remanet adhuc præceptum communicandi. Itaque licet hoc præceptum affirmatiuum, est tamen simul virtualiter negatiuum, quatenus includit prohibitionem de non differendo vltra annum hoc Sacramentum.

11. Ex dictis sequitur stando in hac opinione, continuò peccare eum, qui cùm possit communicare non communicat: sicut continuò peccat ille, qui cum possit restituere non restituit. Quid si quis, inquies, ex deuotione communicauit in Natali, & postea transgressus est præceptum in Paschate, an possit expectare vsque ad sequens natale, in quo annum complet? Negat Suarez: quia hoc inquit est per accidens, per se autem seruandum est Ecclesiasticum præceptum de annua communione. Quod probabile est, inquit Amicus *in cur. theol. tom.* 7. *disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 49.

12. Nota Lector aliam mediam opinionem circa discussam difficultatem, & est Patris Ioannis Pontij *in cur. theol. disp.* 44. *quæst.* 9. *concl.* 6. *num.* 101. videlicet, eum qui communicauit à Ianuario vsque ad Pascha, si omittat communicare in Paschа, teneri adhuc ad communicandum, vi præcepti de communicando semel in anno aliquando ante Ianuarium sequentem. Si verò communicauit post Ianuarium ante Paschа, & omisit communicare in Paschate, non teneri vi huius præcepti ad communicandum postea vsque ad sequens Paschа: quia satisfecit præcepto de communicando semel in anno, & transiuit tempus limitatum per alteram partem præcepti de communicando in Paschate.

RESOL. XV.

An si quis in Paschate sumit Eucharistiam in Ecclesia Cathedrali, satisfaciat præcepto? Ex part. 9. tr. 9. & Misc. 4. Res. 65. aliàs 64.

§. 1. AFfirmatiuè respondent Doctores, quos citat, Sanchez *de Matrim. tom.* 1. *lib.* 3. *disp.* 27. *num.* 1. asserentes, Archipresbyterum Ecclesiæ Cathedralis esse Parochum totius Diœcesis, & posse quæcumque Sacramenta in tota illa ministrare. Et ita indiuidualiter in casu nostro tenet Genuensis *in Praxi cap.* 76. *num.* 22. Posseuinus *de Officio Curati, cap.* 7. *num.* 57. Sà *verb. Sacramentum num.* 4. Barbosa *de Officio Parochi, part.* 2. *cap.* 20. *num.* 12. Piasecius *in Praxi, part.* 2. *cap.* 3. *art.* 3. *num.* 26. & Gesualdus *in Theol. mor. tom.* 1. *tract.* 12. *cap.* 4. *num.* 20. vbi sic ait: Quæritur, an quilibet fidelis possit Eucharistiam aliaque Sacramenta in sua Cathedrali Ecclesia recipere, relinquendo Parochiam propriam? Respondetur affirmatiuè, nam Cathedralis Ecclesia in qualibet Ciuitate est Parochia communis, & vniuersalis

Supi hoc in Res. seq. §. Sed difficultas.

totius Ciuitatis, & Archipresbyter potest appellari proprius Pastor totius Ciuitatis, sicut Episcopus totius Diœcesis, vt habetur *in cap. quicumque* 20. *q.*1. *& ex cap.præcipimus* 12. *quæst.*1. Ita Gesualdus.

2. Sed ego puto, quòd qui communionem sumeret in Ecclesia Cathedrali, sine licentia proprij Parochi, vel Episcopi, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ de Eucharistia sumenda, nam nullo iure probatur Ecclesiam Cathedralem esse communem totius Diœcesis: vnde Archipresbyter, & Parochus Ecclesiæ Cathedralis possunt tantùm ministrare Sacramenta in sua Parochia. Tamen quando Archypresbyteratus est quædam præbenda, cui ex officio esset annexum audire Confessiones omnium Diœcesis illius, tunc esset proprius Sacerdos, & ordinarius in tota illa, & proinde posset ministrare Eucharistiam in Paschate omnibus ad Cathedralem confluentibus. Et in hoc sensu est vera opinio affirmatiua; sin aliter illam non approbo. Et ita tenet Eligius Bassæus *in floribus Theol.verb.Communio Sacra n.*13. & Sanchez vbi suprà, cum Trullench *tract. de iure Parochi,c.*5.*n.*10. vbi sic ait: Obserua quosdam existimare Parochianos satisfacere præcepto Ecclesiæ, si Eucharistiam sumant in Ecclesia Cathedrali suæ Diœcesis à Parocho, seu Archipresbytero illius: nam putant Archipresbyterum, seu Parochum prædictum posse audire Confessiones, & consequenter administrare omnia Sacramenta, etiam Eucharistiam omnibus fidelibus illius Diœcesis absque licentia proprij. Verius tamen, & tenendum est, vt Praxis confirmat, talem Parochum non posse alienis ouibus absque proprij licentia Eucharistiam, aut alia Sacramenta ministrare: nisi esset alicubi Presbyter deputatus, ad quam possent omnes de Diœcesi gratia recipiendi Sacramenta confluere, quòd rarò contingit: nam in consuetudine positum est, solùm habere potestatem in sua Parochia. Ita Trullench. verum Panormi vel ex licentia ab Archiepiscopis largita, vel ex consuetudine, omnes confluentes ad Ecclesiam Cathedralē pro sumenda Eucharistia tempore Paschatis, adimplent præceptum, & accipiunt schedulam signatam, vt illam possint demonstrare proprio Parocho.

RESOL. XVI.

Quidam Conuersus, seu laicus Religiosus sumpsit tempore Paschali Eucharistiam à Sacerdote suæ Religionis simul cum ipso commorante in viridario eiusdem Religionis, quæsierunt, an satisfaceret præcepto annuæ communionis?

Quod est quærere, an Regulares, qui communicant more laico, teneantur, vt impleant præceptum Paschale communionis, illam sumere de manu proprij Prælati, cum ipse sit proprius Sacerdos ipsorum?

Et docetur Regulares posse ministrare Eucharistiam pro præcepto Ecclesiæ, aduenis, & peregrinis, qui nullum domicilium habent.

Item operariis, qui conuentionem faciunt per aliquod tempus ad laborandum in Conuentu, & Parochia carent.

Item seruis, & famulis, & famulo non soluto possunt ministrare Eucharistiam tempore Paschali pro adimpletione præcepti, & in articulo mortis Viaticum, Extremam-Vnctionem, & sepulturam.

Sed difficultas est, an sæculares communicantes tempore Paschatis in Ecclesia Cathedrali satisfaciant præcepto?

Et notatur, quod Religiosi possunt ex priuilegiis ministrare Eucharistiam extra tempus Paschale, & sumere Viaticum: & possunt dare Viaticum, quando non potest expectari Parochus, aut consensu eius, & in dicto casu datur Regula ad hoc magis secure faciendum.

Et tandem firmatur, quod tacita licentia, & ratihabitio Parochi, etiam si sit de futuro, sufficit ad validè, & licitè ministrandam sacram Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem, secus de matrimonio, & confessione. Ex p.11.tr.7. & Misc.7.Res.28.

§.1. REspondi negatiuè, si ex probabilibus rationibus non scirent Prælatum in hoc consentire, & hanc opinionem nouissimè inuenio docere nostrum P. Pasqualigum *in theol.tom.*2.*disp.*118.*sect.*7. *n.*31. vbi asserit: Colligitur, Regulares qui communicant more Laico teneri, vt adimpleant præceptum Paschalis communionis, illam sumere de manu proprij Prælati, cùm ipse sit proprius Sacerdos ipsorum, & quamuis iuxta Constitutionem Clem.VIII. deputet plures Confessarios, qui audiant confessiones suorum subditorum, non tamen ipsis censetur concessa facultas administrandi Eucharistiam, cùm hæc sit diuersa ab ipsa; nec adsit illa necessitas, quod talis facultas aliis deputetur, sicut adest de facultate audiendi confessiones. Nec facultas quam habent ex priuilegio administrandi Eucharistiam suffragatur, quia est concessa solùm in ordine ad sæculares. Ita ille.

2. Nota hîc obiter, quod etiam alibi admonuimus, stantibus priuilegiis posse hodie laicos seruientes intra monasterium Religiosis, satisfacere præcepto annuæ communionis, si sumant Eucharistiam ab illis. Imò absolutè desunt qui doceant eam obligationem adeundi Parochum, restringendam esse ad eos, qui non degunt intra Monasterium. Nam decentes in loco exempto à cura Parochorum, videntur licitè posse communionem sumere in iis locis in quibus degunt; tum quia sicut ibi possunt fideliter inconsultis Parochis, ita etiam videntur ibi posse Sacramenta sumere, vt colligit Bonacina supra ex iis, quæ docet Sanchez *lib.*3 *de matrim. disp.*23.*num.*12. & docet Dicastillus *de Sacram.tom.*1.*tract.*4.*disp.*2. *dub.*7.*num.*173. Vnde Remigius *in pract.confess.tr.*3. *cap.*3.§.1.*num.*5. sic ait, [Los peregrinos, que passan de camino sin tener domicilio: y los jornaleros que se alquilan por algun tiempo, y no han tomado vezindad en el lugar en que se hallan, ni tienen intento de morae alli la mayor parte del año, cumplen con el precepto comulgando en las Iglesias de los Religiosos: tambien los criados de la Religion, que viuen dentro della con sugecion à los Prelados, porque en esto no se haze iniuria à los Parrocos, en cuyo fauor se hizo aquella limitacion del dia de Pascua.] Ita ille; cui adde Ioannem de Soria *in Epilog.summ.part.*2.*tr.*2.*sect.*1.*disp.*7.§.*circa ministrum*, vbi sic asserit: Regulares possunt Eucharistiam administrare illis, qui nullum domicilium habent. Item operariis, qui conuentionem faciunt per aliquod tempus ad laborandum in conuentu, & parochia carent. Item possunt administrare hoc Sacramentum cum Sacramento Extremæ-Vnctionis seruis, & famulis conuentus: & idem est dicendum de seruo, & famulo non soluto, qui extra clausuram de nocte cum muliere sua pernoctat, si infirmitatem patiatur in ipso cœnobio, quos in suis Ecclesiis possunt sepelire, quando sepulturam non elegerint.

3. Sed difficultas est an sæculares communicantes tempore Paschatis in Ecclesia Cathedrali, satisfaciant præcepto? Et negatiuè respondet Dicastill. *vbi supra num.*170. & alij, quos alibi adduxi, & nuper adhæret Paschal. *vbi supra num.*3. Cùm enim Episcopus residеat in Ecclesia Cathedrali, & sit vniuersalis pastor totius Diœcesis, potens omnibus immediate

diatè ministrare Sacramenta, Cathedralis quoque est Ecclesia vniuersalis propria omnium, & ideo possunt omnes ad ipsam concurrere pro recipienda Paschali communione, nam censetur recipere à proprio pastore, cùm nomine Episcopi Sacramenta in ipsa ministrentur. Idem etiam docet Martinus de San Ioseph *in mon. confess. tom. 1. lib. 1. tr. 9. de Euchar. n. 11.* Et ideò supposita consuetudine, vt mihi constanter aliqui asserunt adesse, dicendum est, Magistrum Capellanum Cathedralis Ecclesiæ Ciuitatis Panormi (dulcis patria mea) posse administrare omnia Sacramenta, etiã matrimonium aliis Parochianis alterius parochiæ, & hæc, vt dixi, stante consuetudine, quæ iurisdictionem præbet non habenti. Et ita in fauorem dicti Magistri Capellani latè probauit doctissimus, & amicissimus Pater Vincentius Tancredi Societ. Iesv in quodam voto, quod subscripserunt ex eadem Societate Pater Francisc. Bardi, & P. Francisc. Tamburinus, P. Auersa ex Clericis Minoribus, P. Magister Lezana Carmelitanus, & ego ipse.

4. Nota tamen hic obiter, quod Religiosi possunt ministrare Eucharistiam extra tempus, quo satisfaciendum sit præcepto de communione in Paschate, & tempus sumendi viatici est extra controuersiam, quia habent ad hoc à summis Pontificibus priuilegia, quod etiam possint dare viaticum, quando non potest expectari Parochus, aut consensus, eius est sententia communis, quia tum potest bene præsumi consensus Parochi. Si talis præsumptio consensus ipsius non sufficit, vt detur communio Paschalis, quia facilè potest differri illa communio donec habeatur consensus expressus eius; & interea potest quis tum ex deuotione communicare, & recipere fructum Sacramenti, cum animo communicandi ad satisfaciendum illi præcepto, quando aderit Parochus, & dederit consensum. Ita Ioannes Pontius *in curs. Theolog. disp. 44. quæst. 12. concl. 2. num. 107.* Putat tamen Leander *de Sacram. tom. 2. tract. 7. disp. 3. q. 18.* & alij penes ipsum, quod pro communicandis Laicis tempore Paschali ad implendum præceptum sufficiat probabilis spes, aut præsumptio, quod Parochus approbabit postea id quod gestum fuerit.

Sup. hoc infra in Resol. 21. & in aliis eius primæ not.

Sup. hoc infra in §. vlt. Res. 21. & legetiam §. seq.

Sup. hoc, & contento in hoc §. infra in Res. 61. §. vlt. & legeetiam sup. not. præterea, & infra in tr. 4. lege à fin. 4. Res. 19. Et pro confessione in tom. 1. tr. 5. Res. 14. §. Vnde. & in tr. 5. Res. 5. §. vlt. & in tom. 7. tr. 1. Res. 120. §. 2. a in fine, &c. Sed lege eam doctrinam per totum.

5. Vide Fagundez *de præcepto Eccles. part. 3. lib. 1. cap. 5. num. 11.* & Trullench *in decal. tom. 1. lib. 3. c. 5. dub. 2. num. 10.* vbi firmat, quod tacita licentia, & ratihabitio Parochi, etiamsi sit de futuro, sufficit ad validè, & licitè ministrandam Sacram Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem quæ non requirunt ad sui validitatem iurisdictionem; secus dicendum de confessione, & matrimonio. Idem etiam docet Martinus de San Ioseph *in mon. confess. tom. 1. lib. 1. tract. 9. de Eucharist. num. 10.*

Alibi in suis Res. supp. & in summa §. Assertio secunda & seqq. & infra in Resol. 23. §. vltra.

RESOL. XVII.

An Regulares ex priuilegio possint ministrare laicis Eucharistiam pro adimplendo præcepto annuæ communionis?

Et quid pro aduenis, & peregrinis? Ex part. 11. tr. 7. & Misc. 7. Res. 4.

§. 1. ALibi pro affirmatiua sententia adduxi Ioannem de la Cruz, Bejam, Rodriguez, Baunium, & alios, quibus nunc plures addam, quorum verba per extensum apponam, & inter illos primus agmen ducat Ioannes Henriquez *in qq. moralibus sect. 15.* vbi sic ait: [Traen à cerca de la comunion en la Parroquia en tiempo de Pasqua vn priuilegio Iuan de la Cruz, y Manuel Rodriguez concedido por Nicolas V. y Iulio II. à los Padres de Guadalupe paraque todos los fieles que comulgaren en su Iglesia ocho dias antes de Pasqua, ò ocho dias despues satisfagan y cumplan con el precepto de la comunion, como si comulgassen en la Parroquia, à este priuilegio no le han dado tanto credito algunos, como à otros por ser en disfauor de las Parroquias: y assi infiere Fagundez citado por Diana, que en vna ciudad de Portugal quiriendo los Padres de San Francisco gozar de la participation deste priuilegio, y praticarlo en su Iglesia, lo contradixeron los Curas de vna Parroquia, y despues de auerse pleiteado fuertemente, fue sentenciado en fauor de los Padres de San Francisco, verdad sea que aqui no auia necessidad de mucho pleito, pues la comunion de los priuilegios concedidos à qualquier Conuento de Religiosos, es tan cierta à todas las Religiones.]

2. Remigius *in pract. confess. tract. 3. cap. 3. §. 1. n. 6.* [Es tambien probable que cumplen los fieles con el precepto de la comunion, comulgando en las Iglesias de qualquiera Religion aprobada, por vn priuilegio de Iulio II. y Nicolao V. concedido à los Padres de Guadalupe de que todas comunican: y por vna sentencia dada en fauor de los Padres de San Francisco, en confirmacion deste priuilegio contra los Curas, como refiere Fagundez apud Dianam: mas no conuiene que esto se haga sino raras vezes con mucha prudencia y cautela por euitar escandalos, y discordias.]

3. Ioannes de Soria *in Epilogo summ. p. 2. tract. 1. sect. 1. disp. 7. §. circa ministrum.* Item possunt Regulares virtute suorum priuilegiorum in die Paschatis ad implendum præceptum annuæ communionis peregrinis, & aduenis Eucharistiam ministrare: quia in hoc nulla fit parochis iniuria, imo P. Rodriguez tenet quoslibet, & alios sæculares cõmunicando apud Regulares satisfacere Ecclesiæ præcepto.

Sup. his latè infra in Res. 21. & in aliis §§. & vers. eius primæ not.

4. Martinus de San Ioseph *in mon. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 5. de Euchar. num. 14.* [En rigor pueden los Religiosos en sus Conuentos dar à los seglares la comunion Pasqual, por vn priuilegio de Nicolao V. concedido al Monasterio de nuestra Señora de Guadalupe, y estendido por Pio IV. à todos los Conuentos de la Orden de S. Gieronymo, de que participan todos los Mendicantes, y yo juzgo tambien que es probable, aunque à consejo, que en el tiempo Pasqual se abstengan los Religiosos deste priuilegio. Algunos Authores niegan con ansia, que se pueda vsar deste priuilegio, Granados *tract. 12. disp. 2. n. 3.* Fagundez *præcept. 2. lib. 1. cap. 3. num. 16.* Portel *verb. Sacramentorum administ. n. 6.* Henriquez *lib. 8. c. 55. lit. B.* Nauarr. *cap. 21. num. 52.* dan por razon que es contra el Derecho comun, y que assi se ha de interpretar estrechissimamente. Diana *6. part. tr. 7. res. 58.* trae cierta declaracion de los señores Cardenales en contrario. Todo esto no quita la probabilidad de nuestra opinion, no lo primero, porque todos los priuilegios son extra ius commune, que son leyes priuadas, *l. 1. in lege quod fauore 6. C. de leg.* y siempre han de obrar algo de nueuo los priuilegios, *cap. si Papa vers. si autem de priu. in 6. l. 3. in princip. ff. de iur. iuran. l. si quando 109. ff. de leg. 1. leg. fin. ff. nequid in loco publico*, y hasta el priuilegio de Pio IV. no podian dar los Religiosos à los fieles la comunion Pasqual. Concedio esto Pio IV. luego pueden darle, y queriendo interpretar este priuilegio estrechamente, sera quitarla del todo, porque no tiene mas lances, ni admite otras interpretaciones estrechas, ni largas, que poder dar, ò no dar la comunion Pasqual, y ya queda probado, que el priuilegio ha de obrar algo de nueuo, y este de que tratamos lo que obra, es poder dar los Religiosos la comunion Pasqual: Ni

Quæ hic est infra Resol. 20. & in aliis eius primæ annot.

Ni se deue dar credito al Padre Diana, quando trae declaracion de los señores Cardenales en contrario, pues como prouare abaxo, paraque hagan fee estas declaraciones, han de parecer autenticas, y firmadas del Señor Cardenal Presidente de la Sacrada Congregacion, y ligalizadas del Secretario della, y de mas desto han de ser promulgadas con los requisitos, que las demas leyes, y muchos de los Autores citados por la opinion contraria, no disputan la questiõ de Pio IV. porque no tuuieron notitia del.]

5. Ludou. de San Iuan *in sum. q. 8. de Eucharist. art. 3. diffic. 3.* hanc etiam sententiam absolutè, & sine formidine tenet, & Leander *de Sacram. tom. 2. tr. 7. disp. 3. q. 19.* putat etiam hanc sententiam esse probabilem.

6. Idem etiam existimat Tamburinus *opusc. de communione cap. 4. § 4. à n. 51. vsque ad n. 55.* Quod si aduersus hoc priuilegium objicias verisimile non esse Pontificem voluisse parochorum iurisdictioni derogare, & ab eorum cura, & sollicitudine oues proprias eximere; facilè satisfacies negando hoc priuilegio iurisdictioni parochorum derogari, & ab eorum iurisdictione oues extrahi. Tum quia Pontifex est potissimus parochus, ex cuius licentia, & facultate hæc administratio fit. Tum quia parochis specialibus non admittitur facultas administrandi Eucharistiam suis ouibus, sed retenta eorum facultate alij in eorum leuamen, & adiutorium designantur. Quæ omnia manifestè patent in facultate concessa pro administratione pœnitentiæ, quam Religiosi quolibet ante tempore præstant, nec tamen obinde iurisdictioni parochorum derogatur, nec ab eorum cura oues eximuntur. Quod si iterum objicias per non vsum priuilegium prædictum amissum esse; obstat, quia per non vsum non amittitur priuilegium; quod in grauamen aliorum non cedit, sicuti prædictum est priuilegium. Neque priuilegium cedens in aliorũ grauamen amittitur per non vsum, nisi grauati præscribant aduersus priuilegiatum. At nulla est parochorum præscriptio aduersus Religiosos prædicto priuilegio gaudentes, cùm à tempore Pij IV. & V. omnes Pontifices successores priuilegia à Pio IV. & V. concessa Religiosis confirmauerint. Adde hoc priuilegium Religiosis concessum esse, nõ vt ex obligatione illo vtantur, sed vt vtantur eo pro suo arbitratu. Quoties autem sic est priuilegium concessum, non amittitur per non vsum.

7. Adde, priuilegium hoc, etsi non fuisset acceptatum à Religiosis Sancti Hieronymi (quibus primò concessum est) potuisse, & posse acceptari à Religiosis aliorum Ordinum participantibus de priuilegiis dictorum Religiosorum S. Hieronymi: præter quàm quòd non potest dici amissum hoc priuilegiũ per renunciationem factam à Regularibus: cum non constet talem renunciationem fuisse acceptatam à Papa: & alioqui renunciatio priuilegij debeat perfici acceptatione eius, qui priuilegium concessit, possitque renuntians mutata voluntate velle vti priuilegio sibi concesso, vsque dum sit acceptata eius renunciatio (vt benè ostendit Bordonus *tom. 2. ref. 52. num. 112.* in simili.) Accedit, quòd difficile est Religiosos amittere sua priuilegia per præscriptionem, sicque iuxta paulò ante dicta possent Regulares in præsentia velle vti præfato priuilegio, etsi antea vsi non fuissent.

Vide etiam circa præsentem quæstionem præter Doctores citatos, Samuellium *de sepulturis tract. 1. contr. 15. concl. 2. num. 20. cum seq.*

Alibi in Resolutionibus nor. primæ. præteritæ huius Res.

8. Sed vt alibi obseruaui, Eminentiss. Cardinalis Lugo, *de Euchar. disp. 18. n. 49.* circa priuilegium Nicolai V. videtur dubitare, primò, quia dicitur concessum à Nicolao V. anno 1458. quod constat esse manifestè falsum, quia illo anno erat Papa Pius Secundus, qui Calixto III. successit, qui successerat anno 1455. Nicolao V. Ex alio *cap. dubitat*, secundò, quia Rodriguez in Bullario Regular. vbi alias bullas eiusdem Papæ congerit, illius Bullæ non meminit. Sed hæc non admodum mouent Patrem Dicastillo *de Sacrament. tom. 1. tractat. 4. disput. 11. dub. 4. n. 67.* nam in primo potuit esse error in scriptura in vna littera seu nota numeri, quem errorem aliqui alij secuti sint, maximè cum alioquin constet in eo conuentu sic seruari, & haberi tale priuilegium. In secundo vero capite argumentum est negatiuum, quod omiserit illud Rodriguez fortè, vel obliuiscendo, vel quia cum illud fuisset collatum prius pro illo Conuentu, non notauit, nec sola illa Bulla omittitur ab eo Auctore, sed aliæ, quis vult hominem cogere, vt omnia colligat priuilegia, cum nec Seraphinus, nec Barbosa, nec alij qui hæc postea ex instituto collegerunt potuerint omnia congerere? Addit Lugo si illud fuit solum viuæ vocis oraculum, iam cessasse, & reuocatum fuisse per Vrbini VIII. generalem reuocationem, quod verum esset, si non fuissent à Pio IV. & Pio V. extensa per Bullas eiusmodi priuilegia, & concessa aliis Monasteriis, & per alios Pontifices, aut etiam illos aliis Religiosis per Bullas omnia priuilegia antea quouis modo collata.

9. Verùm his omnibus non obstantibus, ego prorsus puto supradictam sententiam non esse à Regularibus practicandam, etiam sectuso scandalo, & rixis cum Parochis stante clara declaratione Eminentissimorum Cardinalium facto verbo cum Sanctissimo à me adducta *in part. 6. tractat. 7. resol. 8.* & licet ad hanc declarationem teneatur respondere (quia Tamburinus, & Martinus de San Ioseph *vbi supra* hic tamen me citato illam tuetur Dicastillus *vbi supra disput. 11. dub. 5. num. 96. & 97.* Vnde merito sententiam superius expressam in fauorem Regularium non ausus est docere nouissimè Pater Vbanus ab Ascensione *in Theolog. moral. tractat. 2. distinct. 1. cap. 2. Regula 4.* Castro Palaus *tom. 4. tract. 21. punct. 19. n. 3.* Suarez *de Religion. tom. 4. tract. 10. lib. 6. cap. 5. num. 6.* Pellizar. *tom. 2. tractat. 8. cap. 3. sect. 3. numero 253.* & alij.

RESOL. XVIII.

Referuntur aliquæ opiniones circa Regulares in ordine ad ministrandam Eucharistiam sæcularibus tempore Paschatis, & in articulo mortis, & etiam familiaribus, & seruitoribus actualiter sibi seruientibus, & intra Monasterium commorantibus, & etiam extra Monasterium degentibus? Ex part. 11. tract. 2. & Misc. 2. Res. 16.

§. 1. POsse circa hoc plura Regulares vigore priuilegiorum docet P. Chassaing *de priuilegiis Regular. part. 2. tract. 8. cap. 2. per totum*, & ideo affirmat. Primò, quod Regulares possunt Eucharistiam ministrare in Paschate, & in articulo mortis suis familiaribus, & seruitoribus actualiter sibi seruientibus, & intra Monasteria, aut loca eorundem commorantibus, & sub eorum obedientia viuentibus, ac similiter eisdem extra Monasteria degentibus, qui hac sumptione præcepto de recipienda Eucharistia satisfaciunt.

2. Nec obstat Concilium Tridentinum *sessione 24. cap. 11. de reformat.* non concedere hanc facultatem; nisi familiaribus commorantibus intra Monasteriorum septa, non autem familiaribus commorantibus extra septa Monasteriorum, quod similiter

liter declarauit Congregatio Cardinalium sub Gregorio XIV. ergo non possunt Eucharistiam ministrare omni tempore famulis extra septa Monasteriorum morantibus, cum clausula reuocatoria priuilegiorum sit iuncta decreto Tridentini.

3. Respondetur primo, ex Roder. *tom. 1. quæst. 56. art. 14.* Tridentinum esse quoad hoc, & cætera priuilegia reuocatum à Pio V. vt diximus *in tract. de priuilegiis in communi*, ita vt dicto priuilegio ficuti aliis in foro conscientiæ vti possint.

4. Respondetur Secundò, Priuilegia Regularium fuisse absolutè in vtroque foro, non obstante Tridentino confirmata, *vt in dicto tract.* 10. ac propterea illam declarationem Cardinalium interpretũ Tridentini, sicut & alias, nihil officere illi priuilegio, sicut nec aliis priuilegiis, cum non sint declaratiuæ nisi sensus Tridentini: Deinde non esse tanti ponderis, vt sæpius diximus, quod possint priuilegia authentica, & authenticè confirmata eneruare. Ac sic tenent citatus Rodericus, Marcel à Sancto Benedicto *in Scholio in Compend priuileg Fulien. verb. Familiares, §. 1. & 2. & aly.*

5. Respondetur Tertiò, sub clausula reuocatoria illius capitis non comprehendi priuilegia Mendicantium, cum non exprimantur, quod fieri debet, vt alibi dimus ex Pio V. & Doctoribus.

Sup. hoc in duobus Ref. seq. & in Ref. præteri. & infra in Ref. 23. §. Nota quod.

6. Asserit Secundò, Quod Regulares possunt Eucharistiam ministrare fidelibus, & die eo quo præcepto Ecclesiæ satisfacere volunt, & sic satisfacere præcepto. Probatur primò, ex concessione Pij V. in n. & præcedenti propositione allegata, qua vetatur Episcopis, & Rectoribus, vt non possint cogere Parochianos ad iterum sumendam Eucharistiam, si semel illam tempore Paschali sumpserint de manibus Regularium. Et ex Concessione Nicolai V. facta Religiosis de Guadalupe anno 1458.

7. Nec obiicias, Tridentinum reuocasse hoc priuilegium, cum aliàs probauerimus non reuocasse; *Nec item opponas non vsum illius priuilegij*; quoniam etiam demonstrauimus alibi, non solum non abrogare priuilegia Regularium, quin & si abrogaret, quæ in vsu non confirmata fuerunt,

Sup. hoc in Ref. nor. seq. & præteritæ.

8. Asserit Tertiò, quod licet Regularibus Eucharistiam in die Resurrectionis Dominicæ sæcularibus porrigere, etiam vt Ecclesiæ præcepto satisfaciant.

Sup. hoc infra in Ref. 23. §. Hoc supposito. & seqq. & in alia Ref. eius not.

9. Nec obstat sententia Sacræ Congregationis, inserta Breui Innocentij X. in causa Regularium Ciuitatis Burdigalensis contra Illustrissimum Archiepiscopum illius Ciuitatis illam confirmantis, nouissimè emanata, in qua sic pronunciatur Instantibus Regularibus, &c. Sacra Congregatio asserit, Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere Regularibus habentibus priuilegia Apostolica, vt à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè administrare non valeant personis sæcularibus Sacramentum Confessionis. Posse tamen eisdem prohibere, vt personis sæcularibus in die Paschatis non administrent Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, etsi dictæ personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto Ecclesiæ hac de re edito. In qua duo notanda sunt, Primùm Congregationem, prædictam respondendo querelæ Regularium, decernere Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere, quin Regulares in quindena Paschali non audiant sæcularium confessiones. Secundùm quod notandum est, dictam Congregationem motam à semetipsa, absque vlla querela ipsi oblata decernere, dictum Archiepiscopum posse prohibere, ne die Resurrectionis Dominicæ sæcularibus Eucharistiam ministrent. Ex quibus concluditur, posse Regulares ex priuilegio die Resurrectionis Eucharistiam sæcularibus porrigere, quia sine illo non posset, cùm iure prohibeantur; non posse tamen si ab Archiepiscopo prohibeantur; ergo propositio nostra, quæ asserit absolutè posse illam ministrare die Resurrectionis, etiam satisfaciendo Ecclesiæ præcepto, non subsistit.

10. Responderi posset, primò. Hanc Constitutionem esse Decreti Cogregationis Cardinalium dumtaxat confirmantium, ac propterea nihil aliud operari, præter id quod tale decretum operatur, quod cum nullum alium effectum habeat, nisi illum quem habet sententia Doctorum sicut *in 1. de priu.* in comm. probatum est. Nec similiter prædicta Constitutio, seu confirmatio alium effectum habebit, vt de confirmatione in genere, in proximè citato tractatu etiam probatum fuit: cumque alij DD. non mediocris litteraturæ, & famæ in priuilegio euidenti fundati, existiment posse Regularem dare Eucharistiam die Resurrectionis Dominicæ ad præcepto Ecclesiæ satisfaciendum, etiam Episcopo prohibente, cum sit Pontificia concessio; ac ex consequenti independens à voluntate Episcopi, sicque Regularis in illius Priuilegij possessione, ideò illius iuri standum est, cum melior sit pars possidentis.

11. Respondetur Secundò, quòd supponendo dictam Costitutionem habere vim legis, & sententiæ, non propterea per illam derogari huic priuilegio, quoniam licet quoad confessionem in quindena Paschæ sit sententia, non tamen talis est, quoad Eucharistiæ administrationem, circa quam non fuerat ad Sedem Apostolicam prouocatum, quoad illam Congregatio pronuntia nemine audito, & conquerente; & sic pronunciatum Papa confirmat, vt ex dicta Constitutione, seu sententia constat, cumque inauditum possidentem, nec Congregatio, nec Papa, nec quilibet alius iudex à possessione velle deiicere præsumatur, maximè cum hoc ius Regularium sit ius quæsitum, quod non facilè tollitur, nisi partibus super hoc contradictoriè auditis, iuxta Regulam ab Vrbano VIII. positam, vt alibi diximus; Nullatenus credibile est dictam Congregationem, & Papam, illa sententia velle huic priuilegio verè iuri quæsito, sibique ignoto, cum extra corpus iuris vagetur, derogare.

12. Et tandem asserit Quartò, Quod licet Regularibus, inuitis Parochis, Eucharistiam pro viatico ministrare sæcularibus in mortis articulo existentibus. Ita renet in sententia nostra de ministranda Eucharistia in Paschate Ioannes de la Cruz *de stat. Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 5. concl. 2.* Sic etiam absolutè cẽset Portel. *in addit. ad verbum, Sacramentorum administratio.* Probatur ex eo quod Nicolaus IV. Bulla inchoata, *Sicimus populos*, & Sixtus IV. Bulla, *Vestris in hac.* Minoribus facultatem ministandi Eucharistiam fidelibus concedentes, diem vnicum resurrectionis Dominicæ exceperunt; ergo cum exceptio firmet Regulam in contrarium, possunt iisdem in vi illarum concessionum (solo illo die excepto) Eucharistiam ministrare; ac consequenter in mortis articulo.

Sup. hoc, & seq. quamuis non tam plenè, lege tamen infra doctrinam Ref. 62. & aliarum eius primæ not.

13. Nec obstat Clementina Religiosi, *de priuil. & Dudum, de sepult.* prohibentes Regularibus administrare Eucharistiam sæcularibus in articulo mortis absque licentia Parochi, quoniam tunc habetur licentia Papæ, qui summus est Parochus, & sicut inuito, & contradicente Parocho, posset quis de licentia Episcopi illam administrare sæcularibus, sic à fortiori de licentia Papæ. Accedit, quod illæ duæ Clementinæ reuocatæ sunt à Pontificibus priuilegia confirmantibus, non tamen consulerem Regularibus hoc vti priuilegio, nisi vrgente aliqua rationabili causa.

Sup. hoc in Ref. nor præteritæ §. Notandum. in principio. & in aliis eius not.

14. Et

Alibi in Resolutionibus præteritarũ annotationũ huius Resl.

14. Et hæc omnia asserit Pater Bruno, *vbi suprà*, quæ quidem alibi à nobis in pluribus reiecta sunt in variis locis nostrorum operum, & ideò caueant Regulares illa ad praxim reducere. Vide præter alios P. Amicum *in Curs. Theolog. tom. 7. disp. 31. sect. 3. n. 57. cum seq.* qui negat Regulares posse ministrare Sacramentum Eucharistiæ, in articulo mortis, vel pro præcepto annuo adimplendo absque licentia Parochi. Vide etiam Cardinalem Lugo *de pœnitent. disput. 18. sect. 2. n. 52. & 53.* prorsus negantem posse Regulares ministrare Viaticum absque licentia Parochi, vt nouissimè docet Andreas Mendo *in Bull. Cruc. disput. 15. cap. 4. num. 40.*

RESOL. XIX.

An Sacerdos Regularis tempore Paschali possit ministrare Eucharistiam sæcularibus, vt adimpleant præceptum Ecclesiasticum annuæ Communionis? Ex part. 2. tr. 14. Resl. 73.

Sup. hoc in Resol. seq. & supra in Resl. 17. & in Resl. 18. §. Assero secundo. & seqq. & infra in Resl. 23. §. Nota quod.

§. 1. NEgatiuè respondet Suarez *de Relig. tom. 4. tractat. 10. lib. 9. cap. 3. num. 8.* Portel. *in dubiis regular. tom. 1. verb. Sacramentorum administratio, n. 5.* Villalobos *in summa, part. 1. tract. 7. dub. 47. num. 4.* Nugnus *tom. 1. in 3. parte, quæst. 83. art. 4. concl. 5.* Et in hanc negatiuam sententiam videtur inclinare Fagundez *de præcept. Eccles. tract. 3. lib. 1. cap. 5. n. 16.*

2. Sed affirmatiuam sententiam non ignobiles authores docuisse constat: hi sunt Ioan. de la Cruz *de stat. Religios. lib. 2. cap. 5. dub. 4. concl. 3.* Beia *in resp. part. 4. cas. 4.* Rodriguez *tom. 1. reg. q. 56. art. 3.* Sorbo *in compend. priuil. ver. communicare,* & alij. Et hoc ex priuilegio Nicolai V. concesso Monasterio B. Mariæ de Guadalupe Ordinis Diui Hieronymi anno 1458. Quod priuilegium confirmauit viuæ vocis oraculo Paulus III. deinde Pius IV. facultates concessas particulariter huic Monasterio, fecit communes omnibus Monasteriis eiusdem Ordinis, vt probat Rodrig. *tom. 1. q. 55. artic. 9.* Qua concessione, & extensione posita, id est, quod tale priuilegium sit commune omnibus alijs Monasteriis supradicti Ordinis D. Hieronymi, sequitur euidenter posse per communicationem eo frui, & vti omnes alios Mendicantes, ac proinde sequitur, posse Sacerdotem regularem ministrare Eucharistiam laicis tempore Paschali, & fideles satisfacere præcepto annuæ Communionis in Ecclesiis Regularium, & in Lusitania ita fuisse iudicatum in causa Fratrum Minorum, cum quodam Parocho, testatur Fagundez.

3. Nec supradictum priuilegium videtur per non vsum reuocatum. Nam priuilegia Minorum, & per consequens aliorum Ordinum, sunt à Pio IV. confirmata ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, quæ verba, vt notat Rodriguez *tom. 1. quæst. 8. art. 3.* confirmat priuilegia, per non vsum reuocata. Adde etiam, quia idem Pontifex non solùm confirmauit, sed de nouo concessit dicta priuilegia, & sic de nouo concessit Minoribus per communicationem dicta priuilegia Nicolai V. & Pauli III. Deinde nouissimè Paulus V. confirmauit, & de nouo roborauit priuilegia Minorum & Prædicatorum, etiam per non vsum reuocata. Alia verò argumenta in contrarium inuenies soluta apud Beiam. Vnde ex dictis remanet satis probabilis ista sententia. Sed ego consulerem, vt Regulares in tali casu faueant Parochis, & talem sententiam in praxim non deducant.

RESOL. XX.

An sæculares satisfaciant præcepto Communionis Paschalis, si sumant Eucharistiam in Ecclesiis Regularium?

Et explanatur priuilegia Regularium non interire per non vsum nisi post centum annos? Ex part. 6. tr. 7. & Misc. 2. Resl. 58.

§. 1. ALibi hanc quæstionem tetigi, & pro affirmatiua sententia adduxi aliquos Doctores; quibus nunc addo Stephanum Bauny *in Theol. Mor. tom. 2. p. 1. tr. 5. q. 19.* vbi firmat Religiosum mendicantem idoneum ministrum esse dandæ Eucharistiæ eum postulanti alio die quàm Paschæ, quia Leo X. omnibus in Franciscana familia regularibus, aliisque religiosum institutum profitentibus in aliquo Ordine mendicantium facultatem ministrandi sæcularibus Christi corpus concessit, omnibus diebus præterquàm Paschæ, & articuli mortis, vel eius periculi: quam à Pio V. renouatam in constitutione 38. declarant hæc eius verba. *Ipsique fideles Sacramentum Eucharistiæ (resurrectionis Dominicæ festiuitate excepta) sumere, eisque illud per fratres huiusmodi, scilicet mendicantes administrari valeat: nec ad illud faciendum per locarum Ordinarios, aut Ecclesiarum Rectores, seu alios quoscumque, illorum licentia minimè requisita, etiam sub censuris Ecclesiasticis, aut aliis pœnis coniq; vel compelli possint.* Quod & à Paulo eius nominis V. eisdem Regularibus concessum esse anno 1557. patet ex eius bulla cuius est hoc initium, *Ex Clementis Sedis Apostolicæ prouisione:* ergo cùm exceptio in non exceptis firmet regulam, *ff. de milit. testam. §. final.* Sequitur præfatos Pontifices excludendo solum diem Paschæ in ea opinione fuisse, vt crederent, alios omnes eiusmodi esse, quibus Eucharistiam fidelibus porrigi à Regularibus nihil repugnet.

2. Et tunc satisfieri præcepto Ecclesiastico, de Communione quotannis recipienda circa Pascha probatur. Per communionem factam aliquo die deiis, qui continentur hebdoma antecedente Paschæ; aut altera, quæ illud subsequitur, impletur præceptum communionis annuæ: non possunt ergo honestè, ac licitè cogi sæculares, qui die Cœnæ communicarunt in aliqua mendicantium Ecclesia, vt iterum id faciant in sua parochia, ipso die Paschæ.

3. Obiicitur. Cùm dies Paschatis in citato priuilegio intelligi debeat non materialiter pro solo resurrectionis die: sed formaliter pro toto tempore, quo lex Ecclesiastica de communione percipienda impleri potest, hoc est, à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè, vt declarauit Eugenius IV. tenétque Suarez *in 3. p. disp. 82. sect. 2.* malè à nobis est dictum, quolibet die, excepto Paschæ, posse fideles intra duas hebdomadas citatas ad effectum satisfaciendi præcepto de Communione annua communicare in Ecclesiis Mendicantium. Respondendum est primò falsum esse Paschæ nomen in Bullis Pontificũ extendi ad totum tempus, quo lege Ecclesiæ satisfieri debet præcepto de communione: ita Beia *part. 4. casu 4.* & sic non sequi fideles posse communicare die Paschæ in Ecclesiis mendicantium, etsi possint die Cœnæ. Dici etiam posset nullum ab hac obiectione fieri doctrinæ nostræ præiudicium: cùm concessione Nicolai V. facta religiosis B. Mariæ de Guadalupe anno 1458. Pontificatus eius quarto, liceat omnibus Christi fidelibus de eorum manu, & in illorum Ecclesia sacro pane refici, die Paschæ, absque Episcopi aut Parochi licentia.

4. Additum à Paulo III. huic priuilegio & aliis, quo

quo Cœnobitis prædicti Monasterij fas esse volunt, admittere ipso die Paschæ ad Eucharisticum epulũ, quotquot ad eos commearent, tam intra, quàm extra septa Monasterij; modò ne hi sacrum alibi, quàm in Templis, aut Oratoriis facerent, quæ ipsis subessent. *Compend. Ordin. D. Hieronymi* §. 2. & 6. Rodrig. *in quæstionib. regular. tom. 1. quæst. 56. art. 3.* Quare cùm quæ licent vni Ordini Pontificis Indulgentia, censeantur hoc ipso indulta atque concessa Mendicantibus, vt habetur in compendio priuilegiorum eorumdem Ordinum *verb. Communicatio*, ob quam causam Peregrinus *in compend. priu. Ordin. Cleric. S. Sylvestri de Vrbe, p. 2. tit. Confirmatio priuilegiorum*, §. 4. dictos Clericos asserit gaudere priuilegiis omnibus, & singulis, quæ concessa sunt, & conceduntur postmodum Societ. Iesu, & non solùm ad instar, sed æquè principaliter, non videtur negari posse fideles satisfacturos præcepto de Cõmunione annua, cùm eam quocumque die è Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis in Ecclesiis Mendicantium accipient: sed id ego illis vt faciant non sum Author, ob scandalum.

5. Objcitur secundò. Sublatum esse hoc priuilegium Mendicantium, tam per Concilium, quàm non vsum, cùm nunquam reperiantur, qui sacro die Paschæ communionem dent fidelibus in suis, hoc est Mendicantiũ Ecclesiis: & inter Catholicos pauci sũt, aut nulli, qui existiment se conscientiæ suæ facturos satis, si tali communione contenti forent, factaque in eo loco. Sed respondendum est primò, supponi falsum in antecedenti, nempe Religiosorum priuilegia abrogata esse per Concilium, quia priuilegium in cuius reuocatione certa forma exigitur, non censetur reuocatum ea non seruata. Anton. Diana *tr. 2. de dub. regul resol. 68.* Sed Societ. Iesu concessum est à Gregorio XIII. summi beneficij loco, & consequenter omnibus Regularibus, qui communicant eius priuilegiis, vt hæc antiquata, imminuta, aut sublata per Pontificem censeri nunquam possint, nisi dictæ Societatis Patribus auctoritate eiusdem Pontificis ea reuocatio iuridicè innotuerit: ita Flauius Cherubinus *in compend. Bullar. tom. 2. constit. 1. Gregor. XIII. scholio 2.* & ante illum M. Anton. de Amatis *decis. 17.* At de hac reuocatione quando, quid, & per quem Religiosis dicti Ordinis, voluntate S. Sedis vnquam innotuit? Nihil ergo eis per Concilium est ablatum, quo ante illud gauderent indulgentia Pontificis.

Quæ nũc incenetur in tom. 7. tr. 1. Ref. 261. & in aliis eius nor. & signãter ibi in §. vlt. Ref. 262. & in aliis eius annot.

6. Ad non vsum quod attinet. Respondeo primò Benedictinis concessum esse per quandam Bullam, ne indulta eorum Ordini priuilegia per non vsum interirent ante centum annos. Respondendum secundò, de iure communi quadraginta annorum spatium exigi, vt contra priuilegia præscribatur per non vsum, aut contrarium. Cordub. *in compend. verb. absolutio quoad sæculares* 2. §. 19. Dico amplius Benedictinis priuilegia sua non perire per non vsum, aut contrarium, nisi post centum annos. Ioan. de la Cruz *lib. 2. cap. 3. dub. 2. concl. 2.* Rodrig *tom. 1. q. 8. art. 2. & tom. 3. q. 51. a. 5.* imo ne interirent vnquam per aliquẽ, aut plures actus oppositos, vllo etiam longissimo tempore: sed vt iis arbitrio suo vti semper possent, licet obsita longo situ, penéque emortua viderentur per non vsum, iisdem S. Benedicti discipulis è Congregatione S. Iustinæ in Italia indulsit Eugenius PP. IV. Testimonio Ludouici Portellij *in addit. ad dub. Regul. verb. priuilegium.* Diana *tract. 2. de dub. ref. 88.*

Sup. hoc in §. vlt. not. seq. & in multis aliis eius annot. primæ, & secundæ.

Respondeo tertiò, vt non vsus sit indicium renunciationis priuilegij, quæ voluntaria esse debet, tria sunt necessaria secundum Panormitanum *in cap. cum accessissent, de constit.* Ludouic. de Beia, & Portellium *locis* paulò ante *citatis.*

Quæ nũc est in tom. 7. tr. 2. Ref. 256.

7. Primum, vt qui non vtuntur priuilegio, sciant se eo gaudere, illo tamen vti nolint; quia renunciatio est expressa voluntas abdicandi à se totum ius & facultatem priuilegij: id autem esse qui possit sine eius notitia, cùm voluntas, vtpote facultas cæca, non feratur in incognitum, explicari facilè non potest: nam consensus non fertur ad ignorata: ergo nec desitio iuris voluntaria ad non cognita.

8. Secundò. Ad iacturam priuilegij voluntariam requiritur, vt aliquoties sese obtulerit occasio eo vtendi, quæ tamen fuerit neglecta. Tertiò vt fuerit in non vtente facultas, eaque non impedita. At contendo nihil istorum contra Religiosos facere: non primum quia cùm Romani Pontifices simul ac sederunt in clauo Ecclesiæ, gratias, priuilegia, immunitates, cæteraque illis à suis prædecessoribus concessa renouent ac confirment, & priuilegium de Paschali Communione in monasteriis Ordinis B. Mariæ de Guadalupe sæcularibus administranda, sit per communicationem, & nouam concessionem, ita eisdem Mendicantibus attributum, ac si speciatim fuisset illis concessum, dici sanè nec potest, nec debet eius vim iniisse omnem decursu totius illius interualli, quod ad præscriptionem centenariam contra ea priuilegia Papæ postulant.

9. Deficit item secunda conditio, quæ est voluntas renunciandi tali priuilegio: nam contendo id Religiosis nunquam venisse in mentem: plurimos autem, ac verè ferè omnes nescisse se Papæ benignitate, potuisse die ipso Paschæ ad communionem in suis Ecclesiis sæculares admittere: quod cùm ipsos in præsenti non lateat, poterunt, si volent in suum, ac fidelium commodum, vti Papæ beneficentia, & ita singulos domi suæ in Paschate sic impartiri Eucharistiam, vt eam hi iterum non teneantur suscipere in Parochia: quod tamen si me audient, non facient.

10. De occasione vtendi hac facultate, hoc habeo, quod dicam, eam non defuisse Regularibus, in praxim tamen reuocatam non esse: quod se posse nescirent, aut si sciebant, expedire non credebant: quod ego quoque censeo. Hucvsque Steph. Bauny, & ante illum Bartholomæus à S. Fausto *de Euchar. lib. 2. quæst. 80.*

11. Sed omnibus supradictis latè discussis à viro docto, & erudito libenter adhærerem, nisi obstaret de directo declaratio in Epistola Sacræ Congregationis ad Eminentissimum Principem, & Dominum meum Cardinalem Boncompagnum Archiepiscopum Neapolitanum tenoris sequentis.

Conquesti sunt coram Sanctissimo Domino Rectores Ecclesiarum Parochialium istius ciuitatis de Patribus Theatinis, & Societatis Iesu, *quod asserere audent, personas Laicas assumentes in eorum Oratoriis, seu Congregationibus Eucharistiæ Sacramentum in die Paschatis Ecclesiæ præcepto satisfacere: cumque id minimè sit permissum, sed fideles sacram communionem tempore Paschali à proprio, vel ab alio de ipsius Sacerdotis licentia suscipere teneantur, Sanctitas sua iussit Eminentiæ suæ significandum, & sub pœna suspensionis à diuinis, & aliis sibi bene visis id prohibeat præfatis Religiosis: moneatque ipsos Laicos Sacramentum Eucharistiæ, vt de manu propry Parochi teneri suscipere, vt Ecclesiæ præcepto satisfaciant: ita igitur pro sua pastorali pietate omnino curabit Eminentia vestra, cui me humillimè commendo. Romæ die 20. Martij 1638.*

Sup. hoc pro PP. Societatis Iesu in tom. 7. tr. 1. lege §. vltim. Ref. 262. & si placet vide alias Ref. & not. primæ dictæ Ref.

Eminentiæ vestræ Reverendissimæ

Humillimus seruus

Cardinalis Verospivs.

RESOL. XXI.

An Regulares virtute suorum priuilegiorum possint ministrare Eucharistiam vagis, aduenis, & peregrinis in die Paschatis, ad implendum præceptum annuæ Communionis?

Vel an teneantur supradicti confluere ad Ecclesiam Cathedralem, & Matricem pro adimplendo præcepto Communionis?

Et notatur, quod seruis, & domesticis intra Conuentum degentibus in morte, & in die Paschatis possunt Religiosi ministrare Eucharistiam, Extremam-Vnctionem, & Confessionem.

Et idem dicendum est de famulo coniugato, qui noctu dormit extra Conuentum, & si intra Conuentum sit in articulo mortis, possit illi dari Extrema-Vnctio, secus verò si moritur extra Conuentum.

Etiamque aduertitur, quod Religiosus, qui cum licentia certò præsumpta, & moraliter certa Parochi alieni ministrat Eucharistiam in articulo mortis, & in die Paschatis, non peccat, nec incurrit censuram?

Ex p.3.tr.2.Resol.12.

Sup. hoc supra in Resol. 17. §. Ioannes. & infra in Resol. seq. §. Nota tamen. cursim post medium, vers. Tertius est. & in to. 6. tr.1. Resol. 45. §.2. ad medium, à vers. Vnde Regulares.

§.1. NEgatiuè respondet Peregrinus *in scholiis ad nostra priuilegia, part.2. tit.communicare.* § 2. quia ex Decreto Eugenij IV. apparet supradictos adipisci incolatum quoad Sacramenta Confessionis, & Communionis tempore Paschatis, licet ibi modico tempore steterint. Præterea dici potest hos teneri confluere ad Ecclesiam Cathedralem, & Matricem, quia videtur esse Parochia vniuersalis totius Diœcesis. Ita ille.

2. Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto, quam præter Sanch. *de matr.tom.1.lib.3.disp. 73.n.17.* tuetur nouissimè Ascanius Tamburinus *de iure Abbat.tom.2.disput.5.quæst.3.num.6.* Laurentius Portel, *in dubiis Reg.ver.Sacrament.administratio,n.6.* qui citat Rodriguez. Et hanc sententiam docet etiam Fagundez *præcep.1.lib.1.cap.8.num.5.* quia exceptio diei Paschatis apposita *in Clement.1. de priuileg.* fuit introducta in fauorem Parochorum, & vt saltem eo tempore, & die omnes Parochi ad suam Parochiam confluerent: sed in nostro casu nulla fit Parochis iniuria, nam dicti non sunt Parochi; ergo, &c. Adde, quod in tali casu Regulares ministrant Eucharistiam ex tacita licentia proprij Parochi: nam cum ipse illis in alias regiones proficiscentibus hanc licentiam non restrinxerit, videtur illam virtualiter concessisse, videlicet vt possint Eucharistiam sumere in die Paschatis vbicumque voluerint.

Restat modo respondere ad argumenta Peregrini. Et,

3. Ad primum dico, quod non obstat Decretum Eugenij IV. quia fuit concessum in fauorem peregrinorum ad tollendos eorum scrupulos, non tamen eos obligauit, vt alienis Parochis subijcerentur, sed reliquit eos iuris communis dispositioni. Ita Sanchez, Rodriguez, & Henriquez, quos citat, & sequitur Fagundez *vbi supr.* Vel dic cum Portel, quod in illo Decreto Summus Pontifex intellexit, vt ibi vagi v. g. tunc etiam pro paruo tempore communicent, id est, à potente Eucharistiam ministrare, non autem limitat, quod sit Parochus, vel hic, aut ille, sed mens eius est, quod satisfaciant communicando ibi in illo incolatu.

4. Ad secundum respondeo cum Portel, & Sanchez *vbi suprà*, quod nullo iure probatur, vt Cathetralis sit communis omnium Diœcesis, neque vllo textu probatur, vagos, & peregrinos ad illam debere confluere.

5. Notandum est etiam hic obiter cum Portel, *loco citato num.9.* quod seruis, & domesticis intra Conuentum degentibus in morte, & in die Paschatis possunt Religiosi ministrare Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem, & Confessionem. Et idem dicendum est de famulo coniugato, qui nocte dormit extra Conuentum, huic enim poterunt eadem Sacramenta ministrari: est enim commensalis continuus, ac de isto, si intra conuentum sit in articulo mortis, cum semper ferè vixerit intra Conuentum, ac de stipendio illius, puto illi dandam esse à Fratribus Extremam-Vnctionem: secus autem si sit extra Conuentum. Ita Portel, qui citat priuilegia Pontificum, quæ an sint hodie reuocata per Bullam Vrbani VIII. vide Leonem *de offic.confess. tom.2. recollect.10. num.50.*

6. Nota etiam quod Religiosus, qui cum licentia certò præsumpta, & moraliter certa Parochi alieni ministrat Eucharistiam in articulo mortis, & in die Paschatis, sciens certò moraliter, quod Parochus amicus id velit, non peccat, neque incurrit censuram, quia habens talem certitudinem moralem de Parochi voluntate, de eius licentia facere censetur. Ita Suarez *in 3.part.tom.3.disp.72.sect.2.ver.hinc*, quem citat, & sequitur Portel, *vbi suprà n.7.*

RESOL. XXII.

An Regulares sine incursione censurarum possint ministrare Eucharistiam in die Paschatis ad implendum præceptum Equitibus Hierosolymitanis, D.Iacobi, Alcantaræ, Calatranæ, &c.

Et cursim infertur idem esse de Sacramento Extrema-Vnctionis.

Et supponitur non licere, sub pœna excommunicationis Papalis Regularibus iure communi administrare Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem sine licentia Parochi.

Possunt tamen ministrare Eucharistiam extraneis Religiosis, etiam tempore Paschali ad impletionem præcepti Communionis, quando absunt à loco vbi sunt eorum Prælati.

Et docetur Equites Hierosolymitanos esse verè Religiosos, & posse confiteri cum Confessario non approbato ab Episcopo.

Et quid de aliis Equitibus D.Iacobi, Alcantaræ, Calatranæ, &c.

Et notatur Regulares sine incursione censuræ posse in multis casibus præbere secularibus Eucharistiam pro adimplendo præcepto tempore Paschali. Et in corpore huius Resolutionis assignantur quinque pro praxi huius quæstionis.

Et etiam quæritur, an Parocho deficiente, aut nolente per se Eucharistiam ministrare, nec licentiam concedere, possint Religiosi etiam secularibus illam porrigere, ad implendum annuæ communionis præceptum?

Et aduertitur posse Regulares ministrare Eucharistiam tempore Paschatis suis familiaribus.

Et an hoc priuilegium extendendum sit ad famulos coniugatos dormientes noctu extra monasterium?

Et notatur Regulares posse hospitibus secularibus, si in eorum monasteriis infirmentur ad mortem ministrare Sacrum Viaticum, Extremam Vnctionem, & sepulturam in suis Ecclesiis absque licentia Parochi, & hoc ex pluribus Pontificiis priuilegiis. Ex p.10. tr.11. & Misc.1.Resol.31.

§.1. SVppono non licere sub pœna excommunicationis Papalis Regularibus iure communi

Inf. in Res. 41. à lin. 2. & in aliis eius hoc. & in to. 3. tr. 1. Resol. 40. §. Nota. dum est. & pro parte infra in Res. 1. huius not. §. 2. à lin. 4.

administrare Eucharistiam sine licentia Parochi, præter Clement. *Religiosi de priuilegio.* vbi id statuitur. Possunt tamen, hoc non obstante, extraneis Religiosis ministrare Eucharistiam, etiam tempore Paschatis, & ad impletionem præcepti Communionis, quando absunt à loco, vbi sunt eorum Prælati. Ratio est, quia nec in hoc fit iniuria Parochis, cùm illi Religiosi Parochis non subdantur: & præsumatur licentia Prælatorum istorum, nec contradicat Clement. *Religiosi de priuileg.* qui solum est in fauorem Parochorum, & quoad ipsorum subditos.

Sup. hoc lege doctrinã a lin. 4. §. Resol. 1. not. præcedit. & alterius §. eius not.

2. His suppositis intrat quæstio in titulo resolutionis apposita, & ad illam affirmatiuè respondet Franciscus Nigrus *in Addit. ad Caremon.* Ruiz *part.* 2. *regul.* 7. *num.* 21. vbi sic ait: An comprehendat hæc censura Regulares, qui ministrant Eucharistiam in die Paschatis Equitibus Hierosolymitanis; Negat P. Trimarchi, quia Equites Hierosolymitani sunt verè Religiosi, siquidem in professione emittunt Vota essentialia Religionis, Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis. Confirmatur, quia vt docent Sanchez *in selectis disput.* 49. *num.* 10. Diana *part.* 3. *resol. mor. tr.* 2. *de Dubijs regul.* 30. Chilinus *in verb. Equites Hierosolymitani* possunt confiteri cum Confessario non approbato ab Episcopo, sicut cæteri Religiosi: siquidem Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 15. *de Reform.* nihil innouauit circa approbationem Confessariorum Regularium: & ideò Regulares, qui Sæcularium non audiunt confessiones, non egent Episcopi licentia: ergo & à quibuscumque Regularibus possunt recipere Eucharistiam in die Paschatis. An hoc idem dicendum sit de Equitibus Sancti Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, Montesæ, &c. Affirmant qui tenent esse veros Religiosos: negant qui docent non esse veros Religiosos. Hucusque Nigrus.

Quæ nunc inuenietur in tom. 7. tr. 1. Res. 99. & ibi in Resol. 100. & in Res. 96. §. 1. & in fin. Res. 87. & in to. 1. tr. 3. Resol. 22. §. Quoad secundum. & in tom. 3. tr. 1. Res. 39. §. vlt. & in Res. 79. §. Ex quibus ante medium, vers. Et tandem, & in tom. 9. tr. 2. Res. 262. prope fin.

3. Sed hæc opinio mihi non placet, quia si esset admittenda, sequeretur, quod etiam Religiosi non incurrerent in censuram, si administrarent Sacramentum Extremæ-Vnctionis Equitibus Hierosolymitanis, Diui Iacobi, &c. quia est eadem ratio, & prohibitio quoad administrationem Extremæ-Vnctionis, ac Eucharistiæ, pro adimplendo præcepto annuæ communionis, vt rectè docet Palaus *tom.* 4. *tract.* 21. *punct.* 15. *num.* 5. & Pater Lezana *in Summa tom.* 3. *verb. Extrema-Vnct. n.* 4. Adde, quod malè Nigrus pro sua sententia me adducit vbi supra: nam vt legentibus patet, ibi ego refero tantum illam sententiam, & aliis iudicandum relinquo: imo assero, esse contra praxim, & consuetudinem receptam. Vnde Leandrus *de Sacrament. tom.* 1. *tract.* 5. *disput.* 11. *quæst.* 47. pro negatiua sententia me adducit: licet ipse adhæreat sententiæ asserenti probabiliter, vt ipse putat, Equites Diui Ioannis, Diui Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, &c. posse confiteri cuilibet simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo: quod etiam nouissimè docet Pater Martinus de Sancto Ioseph *en los Auisos de Confessores, tom.* 1. *lib.* 1. *tractat.* 24. *num.* 4. quia dicti milites sunt verè Religiosi. Sed non est recedendum à negatiua sententia, quam tuetur Pellizzarius *in Man. Regul. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *sect.* 1. *subsect.* 1. *num.* 26. licet malè, vt fecit Nigrus, pro affirmatiua sententia me adducat.

4. Nota tamen hic obiter, Regulares sine incursione censuræ posse in multis casibus præbere sæcularibus Eucharistiam pro adimplendo præcepto tempore Paschatis, quos enumerat Nigrus *vbi sup. n.* 22. Primus est, si accedat communicandus, asserens habere se facultatem communicandi vbicumque voluerit à suo Parocho, vel ab Ordinario, licet licentiam non habeat in scriptis: in hoc casu potest Regularis illi credere, & eum communicare: nam non est præsumendus qui tã immemor sit suæ salutis, vt tantum scelus velit, sine necessitate præsertim committere. Secundus est, si communicatur quis in propria Parochia in die verbi gratia Iouis Sancti, vt satisfaciat præcepto Ecclesiæ; & postea in die Paschæ, ob deuotionem tanti Festi vult communicare in Ecclesia Regularium; tunc sine aliquo scrupulo potest communicari à Regularibus. Tertius est si accedentes ad recipiendam Eucharistiam à Regularibus, sint peregrini, transeuntes, Curiales, & Mercatores. Quartus est, si accedit persona impotens Parochiam adire. & licentiam petere; si tempus implendi præceptum Paschale cogeret, & in hoc casu obligabitur, qui communicauit, deinde cùm primum poterit Parocho satisfacere: qui Parochus non poterit eum cõgere ad iterum communicandum in Parochia. Quintus est, quando Parochus in aliqua villa, vel pago, vel rure non adesset; vel non posset, vel nollet suum Officium exequi, & tempus præceptum Ecclesiasticum adimplendi vrgeret, tunc Regulares Eucharistiam ministrare possunt Fidelibus in suis Ecclesiis ob Communionem Paschalem.

Sup. hoc magis latè in Res. seq. & in aliis §§. eius not.

Sup. hoc supra latè in Res. 21. & in Res. 17. §. Ioannes & in tom. 6. tr. 1. Res. 45. §. 2. ad medium, à vers. Vnde Regulares.

5. Scio Eminentissimum Dominum meum Cardinalem Lugo *de Euchar. disput.* 18. *n.* 53. docere, Parocho deficiente, aut nolente per se Eucharistiam ministrare, nec licentiam concedere, non posse Religiosos illam sæcularibus porrigere ad implendum annuæ Communionis præceptum. Sed nouissimè contrariæ sententiæ adhæret Leandrus *de Sacramento tom.* 2. *tractat.* 7. *disput.* 3. *quæst.* 24. putat enim in tali casu posse Regulares Eucharistiam ministrare, saltem de licentia præsumptiua Papæ, vel Episcopi, quam etiam in hac necessitate rationabiliter censentur concedere absente Parocho, aut præsente, sed nolente id efficere per se, aut licentiam dare: quia licet hæc necessitas non tantum vrgeat, quantum necessitas mortis articuli; vrget tamen sufficienter ad licitè Eucharistiam in prædictis casibus ministrandam. Et ideo vtramque sententiam probabilem esse existimo.

Sup. hoc in Res. præterita. §. Notandum est. & in aliis eius not. pro hac quæst.

6. Nota etiam hic, posse Regulares ministrare Eucharistiam tempore Paschatis suis familiaribus sæcularibus. Sed an hoc priuilegium sit extendendum ad famulos coniugatos, dormientes noctu extra Monasterium, dubitat Lezana *in sum. tom.* 3. *verb. Eucharistia. n.* 9. Sed præter Leandrum alibi à me adductum concedit nouissimè Tamburinus *Opus. de Commun. cap.* 4. §. 4. *n.* 48.

Sup. hoc inf. lege doctrinam Res. 63. & infr. in tr. 4. Res. 13. signanter §. penult. & lege etiam §. vlt. & in tom. 7. tr. 1. Res. 88. §. vlt. in princip. & in supradictis pro ministratione Viatici, & Extremæ-Vnctionis. Sed pro sepultura in dicto tom. 7. & tr. 1. ex Res. 238. §. 1. & vlt.

7. Et tandem non desinam etiam hic remissiuè adnotare, Regulares posse hospitibus sæcularibus, si in eorum monasteriis infirmentur ad mortem, ministrare sacrum Viaticum, Extremam-Vnctionem, & sepulturam in suis Ecclesiis absque licentia Parochi, & hoc ex pluribus Pontificum priuilegiis, quæ adducit Peyrinus *de priuileg. Minim. tom.* 1. *Const.* 1. *Iulij II.* §. 37. *n.* 92. 93. & 94. Lezana *in sum. tom.* 3. *verb. Eucharist. n.* 10. & *verb. Extrema-Vnct. n.* 3. cum Tamburino *Opus. de Commun. cap.* 5. §. 5. *n.* 9.

RESOL. XXIII.

An Episcopus possit prohibere Regularibus, ne ministrent Sacramentum Eucharistiæ in die Paschatis?

Et notatur per diem Festum Paschatis Resurrectionis Dominicæ non intelligi solum diem Paschatis, sed totum tempus, quo currit præceptum Ecclesiasticum annuæ Communionis.

Et an fuerit vsu receptum priuilegium Regularibus concessum, vt possint ministrare sæcularibus Eucharistiam vt impleant præceptum Communionis?

Et notatur, quod Iesuitæ habent amplissima priuile-

nilegia circa confessionem, & prædicationem, sed cursim aduertitur stylum Curiæ esse contrarium. Ex part. 9. tract. 9. & Misc. 4. Res. 27.

§. 1. SVppono Paulum III. in Bulla anno 1549. Societatis Iesu concessa, asserere, Regulares excepto Resurrectionis die, omnibus Christi fidelibus Eucharistiam ministrare posse.

Sup. hac dif. fic. in tom. 3. tr. 1. Res. 40. §. penult. & vlt. & hic in Res. præterita, §. Nota tamen, ante medium, cursim in vers. Secundus, & in tom. 4. tr. 2. Res. 57. §. 2. ante medium à, vers. si sumant Eucharistiã, & in Res. 58. §. Sed cõtra. cursim ad 2. & Vide doctrinam Res. hanc sequentis.

2. Difficultas est, an dicta verba intelligenda sint de die Paschatis materiali, an de die Paschatis formali, videlicet quo præceptum Paschalis Sacræ communionis impletur, & de hoc vltimo, verba Sanctorum Pontificum intelligenda esse tradunt Suarez, Vasq. Coninch, Layman, Sanchez, Fagund, Miranda, & Bonacin. quos citat, & sequitur Castrus Palaus *tom. 4. tract. 21. disp. vnic. punct. 19. n. 3.* Quibus adde Lessium *in 3 part. D. Thomæ q. 82. art. 3. dub. vnico, n. 12.* Persicum, *de officio Sacerdotis, lib. 3. cap. 6. dub. 3. n. 51.* Lezana in Summ. *tom. 3. verb. Eucharistia, n. 2.* Et Amicum *in curs. Theol. tom. 7. disp. 31. sect. 3. n. 58.* vbi sic ait. Notandum per diem festum Paschatis Resurrectionis Dominicæ, non intelligi solum diem Paschatis, vt intellexerunt compilatores nostrorum priuilegiorũ præcitato loco, sed totum tempus, quo currit præceptum Ecclesiasticum annuæ communionis, vt nostræ Constitutiones exponunt. *part. 7. cap. 4.* in explicatione litt. D, modo enim vno die intra hoc tempus Paschale quis in sua Parochia præceptum annuæ communionis adimpleuerit, poterit reliquis diebus, etiam ipso Paschatis die in nostris Templis communicare, Parochi licentia minimè requisita: alioqui sequeretur, quod nulla alia die, præter quam ipsa die Paschatis, fideles præceptum annuæ communionis in suis Parochiis adimplerent. Nam ideò hæc excipitur, vt in ea, suis in Parochiis, præceptum adimpleant: ergo si sola dies Paschatis excipitur, in qua nostris in Templis communicare non possint, sola ea die poterunt in propriis Parochiis præceptum adimplere, cum nequeat illud adimplere in nostris Templis absque Parochi licentia. Sic ille. Itaque dicendum est, non diem Dominicum Resurrectionis materialem, sed formalem, id est, quo præceptũ Paschalis communionis adimpletur, supradictis priuilegiis intelligi. Quia intentio Pontificis in excipiendo Resurrectionis die à priuilegio Religiosis concesso Eucharistiam ministrandi fuit intactum, & illæsum conseruare præceptum latum in cap. *Omnis vtriusque sexus, de pœnitent. & remissionib.* quo cauetur omnes obligatos esse de manu proprij Parochi tempore Paschali communionem accipere, vt eo facto proprium pastorem recognoscant. At hic finis nullatenus obtinetur, si omnes à Religiosis accipere communionem præceptam possint, tametsi non possint eam in die Dominico Resurrectionis accipere. Atque ita posse Religiosos communionem concedere eo die Resurrectionis omnibus illis, qui præcepto communionis Paschalis satisfecerunt, vel intentionem habent sequentibus diebus satisfaciendi. Vide omninò Remigium Scropha *in qq. Moral. q. 35.* per totam, in qua me citato, hanc sententiam latè firmat, & tuetur.

Sup. contento in hoc, & duobus §§. seqq. lege supra in Res. 18. doctrinã §. Nec obstat sententia. & seqq. & in fin. Res. 1. not. præteritæ.

3. Hoc supposito, videtur negatiuè ad difficultatem propositam respondendum; quia Pontifex non prohibet Regularibus ministrare Eucharistiam Sæcularibus in die Paschatis, qui ex deuotione illam sumunt: ergo non possunt Episcopi hoc illis prohibere; non enim possunt tollere priuilegia, quæ Papa Regularibus concessit.

4. Sed his non obstantibus, non desunt Doctores asserentes, in verbis Pontificum superius positis, excipi ipsum primum diem Paschæ, itavt in eo non liceat Regularibus sacram Eucharistiam ministrare, etiam ex deuotione sumentibus, etiamsi iam præcepto satisfecerint. Quod probatur ex illis verbis concessionis Xysti IV. & Leonis X. præterquam in die Resurrectionis Dominicæ, & Nicolai V. præterquam in Festo Paschæ Resurrectionis Dominicæ, vbi Pontifices expresè excipiunt ab illa concessione ipsum diem Resurrectionis Dominicæ, videlicet primum diem Paschæ: nam in eo Dominus resurrexit. Ratio exceptionis est, quia hoc priuilegium est contra ius commune. Et hanc sententiam tenet Trullench *in Praxi sacrament. lib. 3. cap. 7. dub. 1. num. 9.* Nauarrus *in man. cap. 21. n. 52.* Henriquez *lib. 8. c. 55. n. 1. & in Glossa lit. D.* Azor. *tom. 1. lib. 7. c. 13. quæst. 7.* & alij. Vnde ex his sacra Congregatio Concilij declarauit, posse Episcopos hoc regularibus prohibere; quæ declaratio emanauit cum subscriptione Sanctissimi D. N. Innocentij X. & est tenoris sequentis.

5. *Die 9. Iulij 1644. Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini interpretum post maturã discussionem censuit Archiepiscopum Burdegalensem non posse Regularibus habentibus priuilegia Apostolica, vt a Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè, administrare non valentibus sæcularibus Sacramentũ Confessionis, posse tamen eisdẽ prohibere, vt personis sæcularibus in die Paschatis ea administrent Sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum, etiamsi dictæ personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto Ecclesiæ hac de re edito, Iohannes Baptista Cardinalis Phamphilius.* Et hæc declaratio habetur impressa in *Allegatione Ioannis Naldi pro Patribus Societatis Iesu contra Episcopum Angelopolitanũ in summario, n. 11.*

6. Nota, quòd *in part 1. tract. 14. resol. 73.* additi xi quoddam priuilegium Pij IV. ex quo Ioan. de la Cruz, & alij existimauerunt posse Regulares ministrare sæcularibus Eucharistiam, vt impleant præceptum Communionis, sed modò puto tale priuilegium nullo pacto admittendum esse, ex his, quæ adducit Castrus Palaus, vbi supra *num. 5.* & hæc cum Trullench *num. 8.* non enim tale priuilegium fuit à Regularibus vsu receptum: priuilegium autem vt vim habeat, acceptationem illius requirit.

7. Nota etiam hic obiter, in supracitata allegatione §. 49. hæc haberi: Iesuitæ habent priuilegia propria Gregorij XIII. & aliorum Pontificum, quæ longum esset recensere, quæ circa confessionem, & prædicationem amplissima sunt, nec videntur reuocata, per Concilium Tridentinum, vel saltem, quæ reuocata essent, videntur reconcessa à Paulo V. de anno 1606. in citata Bulla, quæ incipit: *Quantum Religio*, in qua confirmantur priuilegia Societatis cum clausulis amplissimis, vt diximus; & quia consonant viuæ vocis oraculo Pij V. in quo eisdem Patribus confirmantur priuilegia reuocata per Concilium Tridentinum, quod viuæ vocis oraculum pretendi etiam potest dici debere Bullam, per illam Bullam Pauli V. ac per consequens non comprehensam in reuocatione generali huiusmodi oraculorum factã per Gregorium XV. & Vrbanum VIII. *ita ibi*, & §. 71. asserit quod per quamcumque derogationem non intelligatur derogatum priuilegiis concessis Societati, nisi tribus distinctis vicibus ipsis Patribus derogatio fuerit intimata, & insinuata. Sed licet hæc omnia satis plausibilia erunt Regularibus & præsertim nostræ religioni, quæ gaudet omnibus priuilegiis concessis Societati, tamen circa supradicta maximam habeo difficultatem; & præter alias rationes, video stylum Curiæ esse contrarium, de cuius vi etiam in conscientia agit Pellicionius in quinquagena Quæstionum vtriusque iuris, *quæst. 25. cap. 5.* & alij. Sed de his alibi etiam à nobis actum est.

RESOL.

RESOL. XXIV.

An si quis sumpserit Viaticum, v.g. Feria secunda Hebdomadæ Sanctæ, si postea non moriatur extra tempus Paschale, vel convalescat, teneatur iterum Eucharistiam sumere ad satisfaciendum præcepto annuæ Communionis.

Et quid, si in prædicto casu vna die ante Dominicam Palmarum talis infirmus sumpserit viaticum: an detur paruitas materiæ in isto casu, ita vt illa Communione satisfaciat etiam præcepto Paschalis communionis?

Et infertur, quod si Petro in pœnitentiam iniungeretur, vt intra quindecim dies communicaret, & alias vouisset, ac simul præcepisset Prælatus intra eosdem dies communicationem facere, & si cum eisdem occurrerit dies Paschalis Communionis, tenebitur ad quadruplicem Communionem faciendam, intra illos quindecim dies; nam cum vnica communione illis obligationibus satisfacere non potest.

Sed contrà docetur, quod vno, atque eodem actu potest quis satisfacere pluribus præceptis. Ex p. 10. tr. 11. & Misc. 1. Res. 39.

§. 1. CAsus est curiosus, & practicabilis; & ad illum affirmatiuè respondet doctissimus, & amicissimus Quintanaduenas *in Theol. moral. tom. 1. tract. 4 singul. 11. n. 4. & sequentibus.* Et supponit primò, duo esse distincta præcepta hæc; aliud Diuinum communicandi in mortis articulo, aliud humanum, seu Ecclesiasticum communicandi quotannis in Paschate. Secundò supponit, hæc duo præcepta dici posse in præsenti casu absolutè concurrere in diuerso tempore: cùm primum tunc obliget, illo tantum die Dominicæ Palmarum, & secundum illis quindecim diebus, scilicet ab ea Dominica ad Dominicam in Albis inclusiue.

2. His suppositis, sic in fauorem suæ sententiæ argumentatur. Quoties præcepta distincta, etiamsi eorum merita sint eiusdem speciei, sub diuersis temporibus permanent, & obligant; non potest illis satisfieri vnico actu: ergo nec his duobus præceptis, cum distincta omnino sint, & in diuerso tempore concurrant, & obligent: diuersum enim tempus est vna dies, scilicet Dominica Palmarū, ac quindecim dies ab illa numerati, etiamsi in illis Dominica contineatur; quia continens, & contentum distincta sunt absolutè, licet simul secundum quid, id est, secundum exiguam partem eius dici, quam continent quindecim dies, sint idem. Confirmatur, quia si Petro in pœnitentiam iniungeretur, vt intra quindecim dies communicaret, & alias vouisset, ac simul præcepisset Prælatos intra eosdem dies Communionem facere, tenebitur ad triplicem Communionem faciendam intra illos dies, immo ad quadruplicem, si cum eisdem concurrerent dies Paschalis Communionis: nam vt quadruplici illi obligationi vnica Communione satisfaceret, necessarium erat, vt vel certo, vel probabiliter saltem cognouisset Petrus diuersam non esse Communionem impositam à Confessore, vel Superiore præter illam, ad quam ex voto, & præcepto Ecclesiæ adstringebatur: ergo cùm nec obstet, nec prudenter præsumatur, quod Christus, & Ecclesia præcipientes intra illos quindecim dies Communionem Viatici, & Paschalem, vna pro vtriusque obseruantia contenti sint? duas omnino exigunt.

3. Verùm his non obstantibus, negatiuam sententiam tuetur Pellizzarius *in manuali Regular. tom. 1. tractatu 5. capite 3. sectione 2. numero 87.* vbi sic asserit: Quærere hic etiam posset quis, an Religiosus communicans per modum Viatici Feria secunda Hebdomadæ Sanctæ, si iudicio Medicorum sit moriturus intra tempus præscriptum ad Communionem Paschalem, sed superuiuat pluribus diebus post sumptum Viaticum; teneatur iterum communicare ad implendum præceptū Communionis Paschalis? Respondeo, non teneri, & probatur, tum quia vno, ac eodem actu satisfieri potest pluribus præceptis, vt bene ostendit Sanchez *libro primo Moralium, capite decimo quarto, numero quinto.* Tum quia hæc videtur esse mens interpretatiua Ecclesiæ, quatenus hoc ipso, quod supponit Communionem factam per modum Viatici esse vltimam; non censetur velle in isto casu obligare ad aliam Communionem, nempe ad Paschalem: idque procedit etiam in casu, quo præfatus Religiosus esset perfectè conualiturus; dummodo communicauerit intra tempus præscriptum ad Paschalem Communionem. Secus; si non communicasset intra tale tempus: tunc quippe iterum debere communicare: idque, etsi Viaticum sumpsisset vna die tantum ante præfatum tempus: in hoc enim non videtur admittenda paruitas materiæ; cùm ab instanti indiuisibili incipiat dictum tempus, & in instans indiuisibile terminetur. Hucusque Pellizzarius. Et licet Quintanaduenas *vbi suprà* acutè conetur respondere ad argumentum Pellizzarij; tamen ego existimo huius sententiam satis probabilem; & ita etiam sentiunt multi Viri docti à me consulti. Et sententiam Pellizzarij videtur etiam apertè docere Tamburinus *Opuscul. de Communione, cap. 5. §. 3. numero 7.* vbi admittit, per vnam sumptionem posse quis satisfacere præcepto annuæ Communionis, & præcepto sumendi Eucharistiam in articulo mortis.

Sup. hoc fusè prà in Res. 14. § Sed ego signanter ad medium, & lege etiam §. sed si.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 6. Res. 50. per totam, signanter in §. Sed difficultas & in aliis eius not.

RESOL. XXV.

An Sacerdos, qui ministrat aliis cum peccato mortali in Missa, vel extra Missam Sacram Eucharistiam, peccet mortaliter? Ex p. 2. tr. 14. Res. 23.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Valentia *tom. 4. disput. 9. punct. 1.* Suarez *in 3. part. tom. 3. sect. 16.* Coninch *de Sacrament. quæst. 64. artic. 6. dub. 1. num. 35.* Villalobos *in sum. part. 1. tract. 4. dub. 14. num. 2.* Filliucius *tom. 1. tract. 4. cap. 9. quæst. 9. n. 271.* & alij communiter.

2. At contrariam opinionem probabilem puto cum Syluio, & Cabrera *in 3. part. quæst. 64. artic. 6.* & illam docet Vasquez *in 3. p. tom. 2. disp. 136. cap. 3. n. 38.* Petrus de Reyna *in summula sacram. tract. 4. n. 6.* Ioan. de la Cruz *in direct. consc. p. 2. q. 4. dub. 3. concl. 1.* Ledesma *in sum. tom. 1. cap. 6. concl. 8. diffic. 5.* Nugnus *in 3. part. 1. quæst. 64. art. 6. diffic. 1. concl. 2.* & alij. Nempe talem Sacerdotem in peccato mortali ministrantem, non peccare mortaliter. Ratio est, quia qui ministrat Eucharistiam consecratam, non est ministet Dei, ad iustificationem proximè, sicut in aliis Sacramentis, sed tantum est veluti applicans actiua passiuis; in aliis autem Sacramentis, Sacerdos simul conficit, & ministrat Sacramentum, non autem in hoc, non enim est idem conficere, & aliis ministrare. Cætera verò Sacramenta in actione, & vsu consistunt, Sacramentum verò Eucharistiæ post consecrationem permanet. Ergo, &c.

Sup. hoc in duabus Res. seqq. & in tom. 1. tr. 1. ex latissima doctrina Resol. 10 signāter in fine & in Res. 11. & ibi in tr. 2. ex Res 5. §. 2. à lin. 3. & iterum ibi in tr. 7. in Res. 15. §. Item Henriquez. & in Res. 40. §. Imo. & in fine Res. 41. & in Resol. 163. §. Nota tamen. & in tom. 4. tr. 8. in Res. 126. §. vlt. ad medium, & cursim hic infrà in fine Res. 67.

RESOL. XXVI.

An qui ministrat Eucharistiam in peccato mortali peccet mortaliter ? Ex part.3.tr.addit.Res.5.

Quæ hic est Res. antecedens, & in omnibus aliis eius not.

§.1. PRo negatiua sententia plures Doctores adduxi *in part.2.tract. de celebrat. Missarum,resol.23.*sed cuidam Theologastro nimis laxa visa est hæc opinio, immeritò tamen nam est probabilissima.Et ita præter Vasquez, Ledesmam, Nugnum & alios,quos *ibi* citaui, tenet nouissimè hanc sententiam,me citato, amicus noster doctus Barbosa.*tr. de officio Parochi,c.20.n.17.*vbi sic ait. Priusquam Parochus Eucharistiam administret, si habeat conscientiam peccati mortalis, debet præparare se ad gratiam pèr confessionem, vel saltem per contritionem; non peccabit tamen mortaliter, si sit in peccato mortali ministrans, quia qui ministrat Eucharistiam consecratam, non est minister Dei ad iustificationem proximè, sicut in aliis Sacramentis, sed tantùm est veluti applicans actiua passiuis, in aliis namque Sacramentis sacerdos simul conficit, & ministrat Sacramentum, non autem in hoc,non enim est idem conficere, & ministrare. Ita mecum Barbosa.

RESOL. XXVII.

Quidam Sacerdos Capellanus cuiusdam Parochiæ existens in peccato mortali ministrauit per multos menses agrotis sacram Eucharistiam, quæritur,an toties in tali administratione peccauerit mortaliter ? Ex part.2.tr.17.& Misc.3.Resp.13.

Sup. hoc in duabus præcedentibus Res. & in omnibus aliis not. Res. 25. præcedentis.

§.1. VIdetur omnino affirmatiuè respondendum. Nam istud ministerium est actus per se pertinens ad Ordinis Sacramentum, & ideo minister concurrit per characterem ad talem actum, vt minister religionis & ex officio. Item, quia hoc ministerium immediatè versatur circa Sacramentum omnium sanctissimum, atque adeò exigit sanctitatem in ministro, qui si in peccato ministrat,peccat mortaliter. Et tandem cùm hoc sacramentum sit cæteris excellentius, propter realem Christi præsentiam, si peccat mortaliter, alia sacramenta in mortali conferens, multo magis conferendo hoc sacramentum, quod nisi à ministro consecrato, & ex officio conferri non potest. Et sic hanc opinionem sequuntur D.Thomas *in.4.dist.5.quæst.2.art.2.qu.4. ad.2.* Paludanus *di.13.quæst.1.art.4. concl.1.* Richardus *dist.13. art.1. quæst.3.* Sotus *quæst.1. art.4.* Suarez. *disp. 16. sect.4.& disp.72.sect.4.*Valentia *tom.4.disp.6. quæst.10. punct.1.* Bonacina *de Sacram. disp.4. quæst.5. punct.2. num.3.* & alij.

2. Verùm oppositam sententiam docuerunt Henricus *quodlibet.6.quæst.30.* Martinus de Ledesma *in 4.part.1.quæst.5.art.6. dub.3.* & Petr. de Ledesma *in summa,tom.1.de Sacram.in communi,cap.6.concl.8. diffic.5.fol. mihi* 13.nempe non esse peccatum mortale,sed tantùm veniale, aliis extra Missam Eucharistiam ministrare. Ratio est, quia licèt hoc ministerium per se spectet ad potestatem characteris, & ad ministrum tantùm ex officio, non tamen est actio causatiua gratiæ, per se loquendo, quia minister in casu non est per se causa gratiæ, sed tantùm conditio sine qua non; nempe causa applicans. Nec tangit nisi species materiales,quæ sanctitatem in se non habent, nisi sicut signa.Item, quia id olim fecerunt laici, & posset minister digitos panniculo circumuoluere, ne species consecratas immediatè tangat. Et tandem, quia si quis corpus Christi tetigisset, cùm super terram ambulauit existens in peccato mortali, non peccasset mortaliter.Ergo, neque modò aliis Eucharistiam in peccato administrans. Hæc sententia videtur mihi probabilis, sicut etiam visa est Pet.de Cabre.*in 3.p.D.Thom.de Sacram.q.64.ar.6. disp.1.§.5.n.17.*ex quo sūpta est ista decisio.Et sic respondendum est ad superius quæsitum, dictum sacerdotem administrantem ægrotis Eucharistiam in peccato mortali, non peccasse nisi venialiter, Salus,&c.

RESOL. XXVIII.

An qui ministrat Eucharistiam peccatori,peccet duplici peccato ? Ex part.4.tr.4.& Misc.Res.103.

§.1. DVo peccata committere docent aliqui, vnum contra proprium officium, alterum cooperationis peccati proximi. Sed alij vt notat Ioan.Præpositus *in 3.part.D.Thomæ quæst.80.art.5. dub.6. num.23.* non improbabiliter putant, vnum numero peccatum committere, in hoc consistens, quòd Sacramentum conferatur indigno, quod necessariò inuoluit peccatum recipientis, & proinde ex eo capite non multiplicetur peccatum ministri.

RESOL. XXIX.

An in dubio, vtrum peccator sit publicus, vel occultus, danda sit ei Eucharistia ? Ex part.4.tr.3.Res.54.

§.1. AFfirmatiuè respondet Petrus de Ochagauia *tract.2. de Euchar. effect. quæst.10. num.4.* vbi sic ait. In casu dubio quo dubitatur,an peccatum sit publicum, vel non, vel an factum quod publicum est, sit peccaminosum, vel non, conferendum est Eucharistiæ sacramentum, quia in pati causa & delicto melior est conditio possidentis suam libertatem; sed iste homo in eo casu possidet suam libertatem accedendi ad hoc Sacramentum, ergo non ei denegandum. Ita ille, qui citat etiam Ledesmam.

RESOL. XXX.

An si Sacerdos sciat ex cõfessione aliquod delictum alicuius non emendatum, si occultè petat Eucharistiam, sit illi deneganda ?

Et deducitur, quod Sigillum confessionis ita obligat, vt finita ea neque cũ ipso pœnitente possumus amplius de illa loqui, nisi de speciali licentia illius, & non solum loqui, sed neque etiam vultu, aut factis exprobrare peccata illius possumus? Ex part.3.tract.4.Res.46.

§.1. SI absit periculum infamiæ, esse in tali casu denegandam Eucharistiam docent Pitigianus *in 4.sen.tom.1.disp.9. quæst.1.art.15.* Fernandez de Heredia *de Euchar. part.8. dub.1. num.3.* Vasquez *in 3.part.tom.3.disp.290.cap.5. num.51.* qui citat Alexandrum, D. Thomam, Durandum, & Ledesmam. Idem docent Suarez *in 3. p. tom.4.disp.33.sect.6. n.2.* Victoria *in summ. num.80.* Tabiena *verb. communio* §.3. Angelus *ver.Eucharistia 3.§.20.* Ratio est, quia sic consulitur & sigillo, & sacramento; sigillo, quia non reuelatur, cùm occultè negetur; sacramento verò, quia non datur indigno.

2. Sed tu omnino contrariam sententiam tene, quam tuentur Valentia *tom.4.disp.6.quæst.8. punct.3.*

Nauarrus

Nauarrus *cap.* 21. *num.* 55. Paludanus *in* 4. *dist.* 9. *art.* 1. *concl.* 3. Coninch. *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 6. Layman *in Theol. mor. lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 9. Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 3. *disp.* 36. *num.* 14. D. Antoninus *part.* 3. *tit.* 14. *cap.* 12. §. 2. Adrianus *col.* 2. *quæst.* 3. Nugnus *in* 3. *part. tom... quæst.* 80. *art.* 6. *diffic.* 2. Syluester *verbo Eucharistia* 3. *num.* 7. Armilla *ver. confessor, n.* 7. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 59. *num.* 3. & Fagundez *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 23. vbi has adducit rationes; quia illa negatio quæ fit occultè, per accidens est quòd sit occulta, cùm de se sit publica, sit enim in occulto foro pœnitentiæ, ad dirigendum actum humanum extremæ administrationis ipsius Sacramenti. Notitia autem confessionis vti non potest homo ad dirigendos actus externos aliorum. Secundò finita confessione finitur Sacramentum, cuius sigillum ita obligat, ea finita, vt neque cum ipso pœnitente possimus ampliùs de illa loqui, nisi de speciali licentia illius; nec solùm loqui, sed nec etiam vltu, aut factis exprobrare peccata illius possumus, quantumuis occultissimè id faciamus, nihil enim minùs scimus, quàm quod per confessionem scimus. Ergo nec etiam negare Eucharistiam, tantumuis occultissimè petat, cùm ea negatio sit quædam exprobratio. Et tandem notitia confessionis nullum commercium habeat cum actionibus publicis; quæ enim Confessarius via Confessionis scit, scit vt Deus: & quando Eucharistiam negat, negat vt homo; quare vna notitia iuuare alteram non potest. Hęc omnia Fagundez. Vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ; negandum est enim, quòd in tali casu non frãgatur sigillum confessionis, si non potest ostendi alia rationabilis causa.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 8. Res. 13. & in alio §. citus not.

RESOL. XXXI.

An liceat ministrare peccatori scienti, & petenti sibi dari Hostiam non consecratam ad sacrilegium ipsius, & graue damnum vitandum?

Et an debeat Sacerdos in tali casu proponere Hostiam consecratam adorãdam, & à tergo post illam non consecratam, ita vt Hostia non consecrata non videatur, nec adoretur, vel possit Sacerdos saltem simulare se Eucharistiam in os illius immittere, licet ad hoc facere non teneatur? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Res. 47.

Sup. hoc in. §. 1. tra in tr. 6. Res. 136. §. Notandum. ad medit., à verf. Quarto licere. & in §. seq. & sup. in tr. 1. ref. 131. §. Ex post. post medium.

NEgatiuam sententiam docet D. Thom. *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 6. *ad* 2. Caietanus Richardus, Durandus, Paludanus, Gabriel, Maior, & Sotus, quos citat & sequitur Gabriel Vasquez *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 209. *cap.* 4. *num.* 40. quibus adde Suarez *tom.* 3. *disp.* 67. *sect.* 4. §. *circa tertiam obiectionem.* Valentiam *tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 8. *punct.* 4. §. *denique hic notetur.* Reginaldum *tom.* 2. *lib.* 29. *cap.* 4. *num.* 49. Henriquez *lib.* 6. *capit.* 22. *num.* 4. Ledesmam *in summ. tom.* 1. *de sacram. Eucharist. cap.* 12. *dub.* 7. §. *toda via quedan dos difficultades.* Didacum Nugnum *in* 3. *part. tom.* 1. *quæst.* 80. *art.* 6. *diffic.* 2. *in fine*, & alios penes ipsos. Ratio est, quia pernicioſa & execrabilis est simulatio in Sacramentis, & in tali casu ministrans quantum est se alios ad idololattriam inducit, cùm exponat ad adorandam hostiam non consecratam pro consecrata.

2. Verùm his non obstantibus opinio negatiua suaderi potest, quia Sacerdos in tali casu iam proponit adorandas hostias consecratas, nec obstat quòd inter illas apponit non consecratam, nam intentio adorantis non tendit expressè & formaliter ad quamlibet hostiam à Sacerdote propositam adorandam, sed ad Christum, qui cùm sub aliis hostiis contineatur, ministratur iam verum obiectum adorationis, ea ratione, qua non adorant fideles pilum, v. g. conglutinatum hostiæ consecratæ, sed solum Christum. Nec obstat quòd fictio & simulatio in Sacramentis sit pernicioſa, quia adest in tali casu iusta causa illam efficiendi, & ideo potest Sacerdos fingens absoluere pœnitentem ad vitandam infamiam non absoluti, vt quotidie efficitur quando inuenitur pœnitens indispositus, & circumstantes vident illum confiteri; quapropter Sacerdos minimè peccare videtur vbi grandi occulto peccatori abstinenti à communione periculum immineret, si ministraret hostiam non consecratam pro consecrata, hoc modo, videlicet proponendo Hostiam consecratam adorandam, & à tergo post illam non consecratam, vel alio modo, ita vt Hostia non consecrata, nec videatur, nec adoretur. Vnde hanc sententiam ex veteribus tenet Altisiodorensis *in summ. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. Albertus Magnus *in* 4. *dist.* 13. *ar.* 20. quos refert Suarez *vbi supra*, tenet etiam Bonauentura *in* 4. *dist.* 9. *art.* 2. *quæst. vlt. in fine*, & ex neotericis hanc sententiam docuere nostris temporibus Henricus Villalobos, & Ludouicus de San Iuan, & quia eorum codices non ita facilè inueniuntur, ponam hîc verba per extensum. Villalobos *in sum. tom.* 1. *tract.* 7. *diffic.* 38. *num.* 7. sic ait. [No es licito dar la hostia no consagrada por el peligro que ay de la idolatria, mas si la forma que le ha de dar la tuuiesse secreta, de manera que los fieles no la pudiessen adorar con consentimiento del pecador, seria licito darsela para euitar algun gran escandalos, pues alli no auia peligro de idolatria.] Ita ille. Ludouicus verò de San Iuan *in sum. tom.* 1. *quæst.* 7. *de Euchar. art.* 8. *diffic.* 3. sic asserit. [Sera licito dar al pecador oculto, vna hostia no consagrada con su contentimiento, para que no se infame con quien viere, que no comulga, porque no se comete sacrilegio en la comunion, ni se infama al proximo y como es licito dar la absolucion cautelosa, tambien lo es dar la communion, pero se ha de aduertir que esta conclusion no se ha de practicar, si no en casos raros con sabiduria del pecador, y proponiendole delante otra hostia consagrada que el y el pueblo adoren.] Ita ille. Sed ego puto non esse discedendum à prima sententia negatiua, quam præter Doctores citatos fusè pertractat Ioannes Sancius *in selectis disp.* 35. *per totam*, & respondet ad argumenta contraria quæ suprà adduximus, & ipse adducit; non tamen audeo posteriorem sententiam affirmatiuam nota improbabilitatis inurere.

3. Notandum est tamen hîc, quòd esto Hostiam non consecratam loco consecratæ porrigere accedenti communicare minimè Sacerdoti liceret, potest tamen saltem simulare se Eucharistiam in os illius immittere, licèt ad hoc facere non teneatur; & ita hanc sententiam docet Henriquez *lib.* 6. *cap.* 22. *num.* 4.

RESOL. XXXII.

An possit aliquis ita accedere ad Eucharistiam, vt non accipiat gratiam, neque peccatum committat?

Et infertur, quod quamuis hoc Sacramentum per se primo non sit institutum à Christo ad conferendam primam gratiam, sed ad conferendum augmentum illius, tamen in duobus casibus illam conferre, & peccatum mortale remittere, ac delere potest. Ex part. 3. tract. 6. & Misc. 2. Res. 98.

Quamuis non plenè sup. hoc. lege tamen in tom. 1. tr. 1

§. 1. NEgatiuè respondet Sotus *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1. *artic.* 4. cui videtur accedere Richardus *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 2. *artic.* 2. Adrianus *de Eucharistia, quæst. vnica*, & Maior *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1.

ex Res. 12. doctrinam §. Non desinam. à principio vsque ad medium, vers. In quibus casibus. & vide etiã aliam Res. not. primæ præcitati §. & pro contento in fine huius §. 1. à vers. Item. in vers. not. seq.

quia, vel accedens discussit sufficienter conscientiam suam, vel non discussit : si primum, cùm nullum obicem ponat, gratiam recipiet ; si secundum, indignè accedit, & per consequens nouum sacrilegium committit. Item, vel accedit, cum attritione, quæ putetur contritio, & sine dubio recipiet ; vel cum attritione quæ sit cognita, & putata attritio, & ita indignè accedit, & peccatum committit. Ergo, &c.

2. Sed his non obstantibus ex Caietano, Alense, Bonauentura, contrariam sententiam docent Suarez *tom.3.disp.63.sect.2.§.ex his infero*, & Fagundez *præcep.3.lib.4.cap.2.num.14.* quia potest quis diligenter discutere conscientiam, & non recordari de peccato aliquo mortali, cùm tamen reuera illud habeat, & potest accedere tunc ad communionem sine vllo prorsus dolore, merè negatiuè se habens, cùm conscientiam peccati mortalis non habeat, is quidem non peccabit sic accedendo, eo quòd arbitrio suo fecerit sufficientem diligentiam à culpa excusantem, non tamen consequitur gratiam, quia habet obicem peccati obliti, & nullum Sacramentum habet vim delendi, remittendique peccata mortalia absque dolore illorum. Hæc omnia Fagundez, qui alias rationes etiam adducit pro hac firmanda opinione, vnde quia hic casus frequenter potest accidere, ideo accedentes ad Eucharistiam habeant dolorem generalem suorum peccatorum.

3. Ex his infertur, quòd quamuis hoc Sacramentum per se primò non sit institutum à Christo ad conferendam primam gratiam, sed ad conferendum augmentum illius ; tamen in duobus casibus illam conferre, & peccatum mortale remittere, ac delere potest. Primò cùm quis diligenter discussit conscientiam suam, & nullius culpæ conscius fuit, tunc si cum dolore accedat ad communionem, ex attrito per Eucharistiam fiet contritus, & recipiet primam gratiam. Secundus casus est, cùm quis memor est peccati mortalis, & de illo habet attritionem, quam putat esse contritionem, si vrgeat necessitas communicandi, & Sacerdos non adsit ; tunc quidem iste virtute sacramenti Eucharistiæ accedens ad illud, ex attrito fiet contritus, & primam gratiam acquiret.

Sup. hoc in tom.1. tr.1. ex doctrina Res.23. in fine, à vers. Ex illa. Sed lege eam per totam.

qui Hostiam præ infirmitate non possunt transmittere, non acciperent gratiam, quod videtur absurdum. Ita Becanus.

2. Nòn desinam hîc apponere sententiam Nogni *in 3.part.quæst. 79. art.1.* sic asserentis ; Eucharistia habet totum suum effectum in instanti, quod tamen instans potest esse à principio sumptionis specierum, ab illo scilicet instanti, in quo primum verum est dicere, nunc sumptum est Sacramentum, & receptum in stomacho, vsque ad instans, in quo verum est dicere, totum Sacramentum, hoc est, species sacramentales sunt conuersæ in substantiam hominis. Itaque si homo accedat cum sufficienti dispositione, statim in illo primo instanti habet effectum : si verò accedat sine illa, & postea habet dispositionem durantibus speciebus, recipiet effectum sacramentalem in primo instanti, in quo habuerit dispositionem. Vnde hæc sententia concedit Sacramentum habere suum effectum in instanti, & est magis pia, & extollit excellentiam specierum sacramentalium, quòd scilicet possint causare gratiam toto tempore quo permanent. Hæc omnia Nugnus. Ex his infertur cum Henriquez *vbi supra lib.8.cap.43. n.2.* & aliis, quòd consequitur effectum gratiæ sacramentalis, qui postquam hoc Sacramentum deglutiuit, statim illud euomuit, & si sumpta vna parte Hostiæ moriatur homo, non sumpta alia parte illius, etiam in tali casu consequitur effectum Sacramenti.

3. Notandum est etiam ex dictis cum Ioan. de la Cruz *in dictorio conscientiæ part.2. de Eucharistia, quæst.4. dub.1. concluf.2.* & aliis. Eucharistiam non causare gratiam toto tempore, quo est in stomacho, sicut nec toto tempore manducationis, alias esset melioris conditionis communicando te sub multis hostiis ; quod falsum est, & puniuntur vt superstitiosi per Inquisitores, qui sunt multum soliciti se communicare sub multis hostiis, vt diutiùs duret corpus Christi in stomacho ; nec est idem de cibo corporeo, cùm iste operetur per conuersionem sui in substantiam aliti, & sic successiuè. Ita Ioan. de la Cruz.

4. Et licèt secundùm Coninch *de Sacram. quæst.79. art.1. dub.2. num.42. concluf.5.* & alios, probabile sit, si dum interim species integræ manent in stomacho, melioretur dispositio communicantis etiam gratiam sacramentalem augeri ; tamen ipsemet Coninch adnotat, ex hoc nullo modo, per se loquendo, aliquem recipere maiorem gratiam, quia sumit maiores, aut plures hostias, aut, quia diutius hæret in iis sumendis, aut digerendis eth per accidens hæc longior mora posset esse occasio, vt quis maiorem gratiam accipiat, quatenus interim plures, ac perfectiores actus charitatis elicit ; qua etiam ratione si vnus diutius expectet antequam communicet, quàm alius, hæc mora potest ei esse occasio maioris gratiæ percipiendæ, quatenus potest interim melius se disponere plures actus charitatis eliciendo. Quare hæc sententia non debet dare occasionem aliquibus, qui id satis superstitiosè curant, vt inter communicandum plures hostias suscipiant, quo diutius in stomacho hæreant, atque ita maiorem gratiam suscipiant. Ita Coninch. Vide etiam aduersus plures hostias, vel maiores sumentes Fagundez *præc.3. lib.4. cap.1. num.11.* Syluium *in 3. part. quæst.79. art.1.* & alios.

RESOL. XXXIII.

Quando nam communicanti conferatur gratia sacramentalis ?

Et pro praxi huius quæstionis proponuntur aduersi casus in textu huius Resolutionis ?

Et notatur Eucharistiam non causare gratiam toto tempore, quo est in stomacho, sicut nec toto tempore manducationis ?

Etiamque aduertitur nullo modo aliquem recipere maiorem gratiam, quia sumit maiores, aut plures Hostias ? Ex part.3. tr.6. & Misc.2. Res.96.

§. 1. REspondeo cum Syluio *in 3. part. quæst. 79. art.2.* Fagundez *pr.3. lib.4. c.1. n.3.* Henriquez *lib.8.c.43.n.1.* & aliis penes ipsos, hoc Sacramentum gratiam conferre in eo instanti, in quo verum est dicere, nunc facta est sumptio, & immediatè antea non erat ; licèt hoc instans notum nobis non sit, sed Deo ; quòd quidem non est quamdiu hoc Sacramentum est in ore ; nam si quis illud sumeret in ore, & postea aliqua de causa non deglutiret, non acciperet gratiam sacramentalem. Sumptio ergo perfecta est, quando deglutitur, & transit per guttur, tunc enim dicitur iam perfecta manducatio, & comestio, licèt Becanus *de Sacram. cap.22. quæs.6. n.2.* teneat gratiam sacramentalem dari cùm Hostia sumpta est, etiamsi non sit transmissa ; alioquin ægroti

RESOL. XXXIV.

An detur maior gratia sumenti duas species, quam sumenti vnam ? Ex part.3. tract.6. & Misc.2. Res.97. §.1. Suppo

Sup. hoc in Res. seq. & in tom. 3. tr. 1. Res. 102. §. Verum mihi. post medium.

§. 1. SVppono tanquam certum, quòd excepto Sacerdote celebrante nemo iure diuino tenetur communicare se sub vtraque specie; & quòd Ecclesia habuit iustissimas rationes præcipiendi laicis communionem sub vna sola specie. Hoc supposito, quæritur, an celebrans, qui sumit duas species, recipiat per se maiorem gratiam quàm laicus qui recipit vnam.

2. Respondeo negatiuè cum Syluio *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 12. *quæritur* 2. Coninch. *de Sacram. quæst.* 80. *art.* 12. *dub. vnico, num.* 119. & aliis communiter; quia vel reciperet maiorem gratiam ex parte symboli, vel ex parte rei contentæ, non prius, nam secluſa re contenta, symbolum non causat gratiam: non posterius, quia eadem res continetur sub singulis speciebus; ergo, &c.

3. Non desinam tamen adnotare contrariam sententiam docuisse Alensem *part.* 4. *quæst.* 53. *mem.* 1. & Gaſparum Cussal *lib.* 2. *de cœna, & calice cap.* 25. & nouissimè hanc sententiam probabilem putat Fagundez *part.* 3. *lib.* 4 *cap.* 4. *num.* 2 *in fine.* & Becanus *de Sacram. cap.* 22. *quæst.* 7. *num.* 4. vbi sic ait. Probabile est maiorem gratiam dari per sumptionem duarum specierum, quàm vnius tantùm. Primò, quia vnaquæque species per se confert suum effectum, & vna non dependet ab altera; ergo si ambæ simul sumantur, vnaquæque confert suum peculiarem effectum; ergo duæ plus conferent quàm vna sola. Secundò, quia probabile est Sacramenta physicè operari; ergo necesse est vnam speciem non minus physicè concurrere, quàm alteram. Ergo si vna physicè confert vnum gradum gratiæ, altera confert alterum gradum, & sic plus conferent duæ species, quàm vna. Ita Becanus, & Fagundez, qui tamen his non obstantibus, negatiuam sententiam tenent, & respondent ad supradicta argumenta, & ita omninò tenendum est.

RESOL. XXXV.

An Sacerdotes sumentes species Corporis, & Sanguinis Christi recipiant maiorem gratiam, quam laici sumentes tantum Corpus Christi?

Et an, si accidit, quod Sacerdos ponat obicem in sumptione Corporis Christi, si ante sumptionem sanguinis redditur in gratia, ex sumptione sanguinis recipiat gratiam? Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Res. 29.

Sup. hoc in Res. præcedenti & in tomo 3. tract. 1. Res. 102. §. Verum mihi ad medium.

§. 1. PRima opinio negat. Ita Caietanus *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 12. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 12. Ledesma *in* 1. *part.* 4. *q.* 21. *art.* 12. *dub.* 2. Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 63. *sect.* 2. Coninck *de Sacrament. quæst.* 79. *art.* 1. *num.* 34. & Villalobos *in summ. tom.* 1. *tract.* 7. *difficul.* 31. *n.* 2. & alij quod probatur, quia sumenti Eucharistiam confertur ex opere operato gratia, quia sumit sacramentaliter Christum, eiusque corpus & sanguinem; sed qui sumit vnam tantùm speciem, non minus perfectè sumit sacramentaliter Christum, eiusque corpus & sanguinem, quàm qui sumit vtramque, vt patet, ergo non minus gratiæ confertur sumenti vnam tantùm speciem, quàm sumenti vtramque, si aliàs sint æqualiter dispositi.

2. Secunda opinio affirmat, quam ex Alensi, Casalio, Arboreo, Vasquez, tenet nouissimè Hurtadus Complutensis *de Eucharistia disp.* 10. *difficult.* 6. quod etiam sensit Clemens VI. *in Bulla ad Regem Angliæ anno* 1341. in qua illi concessit vt ad gratiæ augmentum sub vtraque specie communicaret; & ratione probatur, quia quælibet species ratione sui diuerso modo specifico significat, & confert gratiam, ergo quælibet ratione sui confert diuersum & peculiarem gradum gratiæ, quia quodlibet ratione sui diuerso modo specifico, quam species vini significant, & conferunt gratiam, quia species panis significant, & conferunt gratiam, vt satiantem, quia illam significant, & conferunt tamquam cibus; species verò vini significant, & conferunt illam vt refrigerantem, quia illam significant, & conferunt vt potus: ergo, &c. Vnde ego puto vtramque sententiam probabilem esse.

3. Notandum est tamen hîc cum Villalobos *vbi supra, n.* 3. quòd stando etiam in prima opinione. [Si sucedieſſe que el Sacerdote vuieſſo pueſto eſtorno para la gracia, quando recibio la Hoſtia antes que recibieſſe el Caliz, tuuiſſe contricion, ya en tal caſo era otra ſumcion moralmente hablando, y recibiria gracia, como fuera tanbien ſi recibiera dos formas, y antes de recebir la ſegunda, tuuiera contricion.] Sicille.

Sup. hoc supra in tr. 1. ex Res. 151. lege doctrinam à §. verum. vsque ad §. Sed hic.

RESOL. XXXVI.

De communione quotidiana?

Et notatur non esse definitum iure diuino positiuo, an sæpius vno die liceat communicare, sed tantum Ecclesia prohibet communionem iterare eodem die? Ex p. 11. tr. 7. & Misc. 1. Res. 15.

§. 1. ALiqui Authores Hispani annis elapsis opinati sunt, dum qui lethali culpa minimè teneatur, præstat eum diebus singulis communicare quàm abstinere, quæcumque illius sit dispositio, velit nolit Confessarius, qui malè aget si postulanti laico pœnitenti ad communicandum, facultatem concedere hanc noluerit.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 1. Res. 52. ex eius lata doctrina cursim in fine.

2. Hanc sententiam nouissimè tuetur Magister Antonius Bernaldus de Braoios in quodam libello impresso Compluti per Franciscum Boxepem, in quo ex pluribus fundamentis firmat hanc conclusionem; [Esto supueſte, la concluſion ſegura, cierta, y verdadera es, que à qualquier Chriſtiano, quando ſe halla ſin conciencia de pecado mortal, ò ſe la tiene, ſe confieſſa como deue (como no falte à las obligaciones del precepto) aunque ſe vea con tibiezas, ò imperfectiones; ſera licito, ſanto, y loable el comulgar cada dia: y eſto ſera mejor, que dejar de comulgar, aunque ſea por temor, reuerencia, ò humildad. Veaſe al Dotor Geronimo Perez en ſu ſuma Theologica en el tratado de eſta materia; Al Dotor Iuan Sanchez en la diſputa 22. de ſus ſelectas; Al Padre Marſilla en el memorial Compoſtelano y ſus adiciones; Al Dotor Don Antonio de Rojas en la preparacion Euchariſtia; Al Padre Molina en ſu inſtruccion de Sacerdotes en el tratado 7. cap. 4 § 1.

3. Et tandem his omnibus ego etiam addo nouissimè Martinum de San Ioseph. *in mon. Confess. tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 8. *de Euchar. num.* 2. vbi sic asserit; [Por ninguna ley diuina ni humana eſta prohibido à los ſeglares comulgar cada dia vna vez, auiendoſene primiero examinado, y no teniendo conciencia de pecado mortal; ni los Concil os piden otra diſpoſition, por lo qual el Concil. Trident *seſſ* 12. *cap.* 6. dize, que de ſea que todos los Fieles comulguen cada dia: à la verdad, delatar de ordinario la communion, no es nueua diſpoſicion ſino tentacion, porque comunmente por dexar de comulgar, no ſe conſigue mas deuocion, reſpecto, y amor de Dios: antes le ama, y reſpecta mas el que por ſu amor, y paraque remedie ſus flaquezas le recibe con frequencia, aunque ſe halle con pecados veniales, y tibieza de eſpiritu con diſtraciones, y falta de deuocion

cion sensibile al fin el que llegare sin pecado mortal recipir à gracia ex opere operato. Y no me atrecciera à consejar à na die, que se aparte de la cómunion cotidiana, aunque viua vida ordinaria, proque de llegarse à Dios con conocimiento de sus misterios y de seo de emendarlos, se siegue major gloria de Dios, que à todos cõbida à que le reciban por flacos, y miserables que sean. Muy saludable consejo es, que los que comulgan cada dia, se desembracen de los cuydados y ocupaciones del mundo, y traten de oracion y recogimiento, y anhelen por la perfecion de vida, y procuren deuocion actual con santas consideraciones; pero estas preparaciones, y disposicion son para alcancar mar gracia, y mas fruto espiritual. Ita ille.

4. Sed ego prorsus existimo hanc sententiam ita absolutè prolatam, non esse admittendam, vtpotè contra communem opinionem Doctorum, & contra Praxim Ecclesiæ, & vsum omnium Confessariorum, & ideò Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 49. sect. 4. ver. dico tertio*, sic ait: Videtur sanè ratio esse alicui consulendum, vt ordinaria consuetudine frequentius, quam octauo quoque die communicet. Ita significant Doctores, citati, & ita sentiunt prudentes & experti viri in hac materia; & communis Ecclesiæ vsus non parum fauet. Doctores quos retulerat, sunt D. Thomas, Bonauentura, Richardus, Paludanus, Gabriel, Adrianus & Petrus Soto; Vasquez verò *tom. 3. in eamdem 3. part. tom. 3. disp. 214. cap. 3. num. 27.* sic asserit: In Ecclesia maximè vsitatum video, vt frequentius, quam octauo quoque die, rarò & non nisi hominibus probatæ virtutis, singulis autem diebus rarissimè & paucissimis hoc Sacramentum concedatur. Huius tamen rei iudicium certius piis, & doctis Confessariis relinquitur. Lege Nugnium Capitonem *in 3. part. quæst. 80. art. 10. conclus. 10.* cuius est, rarissimè, & ferè nunquam est concedendum non Sacerdotibus, præcipuè sæcularibus quotidie communicare. Ochagauia *tract. 2. de Euchar. quæst. 16. num. 4.* Generaliter non est fidelibus consulendum, vt frequentius quàm octauo quoque die Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum suscipiant. Probatur primò ex consuetudine Ecclesiæ, secundùm quam communiter non recipitur hoc Sacramentum frequentius. Et post alias probationes subiicit: Paucissimis ac non nisi maximos in virtute profectus consecutis concedenda est Eucharistia quotidiana. Verumtamen huius negotij perfectum iudicium reseruandum est piis & doctis Confessariis, qui iuxta qualitatem pœnitentium maiorem, aut minorem frequentiam suadere poterunt.

5. Idem docet Filliucius *tom. 1. tract. 4. de Euchar. cap. 7. quæst. 6. concl. 3. num. 199.* vbi de hoc agit scribens: Non potest esse eadem ratio omnium, sed prudentia iudicioque opus est. Nam qui continent, & religiosi frequentius communicare possunt, quam laici & coniugati per se loquendo. Idem etiam Dionysius Richelius sentit *in 4. dist. 12. quæst. 5. vers. si autem quæratur*, vt & Durandus *eadem dist. quæst. 5. num. 6.* Antonius *3. part. tit. 14. cap. 12. §. 5.* Sotus *in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 10. vers. tertia nihilominus*, Nicolaus de Orbellis *in 4. dist. 12. quæst. 1.* Vega *1. part summæ cap. 61. cas. 23.*

6. Eiusdem sententiæ Ledesma *est in summa de Eucharistiæ Sacramento diffic. 27. per totam*, & Emanuel Rodriguez *1. tom. summæ cap. 65. conclus. 2. §. Auiso à los Confessores*, Ioannes à Cruce *directorij conscientiæ de Eucharistia quæst. 5. dub. 5. concl. 2.* Idem etiam docet Astensis *lib. 4. tit. 17. art. 3. quæst. 1.* Syluester *Eucharistia 3. quæst. 15. vers. septimum*; Reynerius *1. part. summæ verb. Eucharistia cap. 26. ad initiũ*, Corradus *responsorum casuum conscientiæ part. 1. quæstione 57.* Ludouicum Granatensem in eandem sententiam referens; & iure, quoniam ita hic piissimus author docet, Ludouicus à Sancto Ioanne Euangelista lucis Sacerdotum *1. par. quæst. 7. de Eucharistia art. 13. dub. 1. concl. 2. appendice 1.* Ludouicus Lopez *instructorij conscientiæ 2. p. c. 66.* ferè per totum, maximè *vers. Præterea descendendo*, Toletus *in summ. l. 6. c. 19. n. 3.* vbi ait: Non eadem frequentia omnibus consulenda est præsertim laicis; & accedens ad designandum cuique hominum generi, quàm ei expedire putat, subdit: Rusticis, mancipiis, & similibus menstruam sufficere, aliis maioris iudicij, sed negotiis implicitis, aut curis familiæ decimo quinto quoque die, reliquis negotiis etiam debitis, sed non magis eis immersis quam Scholastici sint, coniugatis item minus distractis octauo. Statimque subiungit, sic quentior communio non est in vniuersali consulenda, sed remittendum hoc est ad iudicium Confessariorum, qui in his, & aliis considerabunt diligenter, quid in particulari cuique sit magis expediens. Villalobos his accedit *manualis 4. cap. num. 18.* Coton Confessorum *4. par. de sacram. Euchar. & de frequentia huius Sacramenti, ver. sed melius cum aliis*, Henriques *l. 8. summæ c. 54. n. 3. & 4.* Ægidius Coninch *de Sacrã. quæ. 80. art. 10. num. 81.* Tannerus *tom. 4. disput. 5. de Eucharist. quæst. 8. dub. 9. n. 128. & 129.* Valentia *tr. 4. disp. 6. qu. 8. punct. 4. vers. sextò cum hæ ita se habeant*, Richardus *in 4. distinct. 22. art. 6. qu. 1. in corpore*, Syluius *3. part. quæst. 80. art. 10.* Sebastianus Episcopus Oxonienſis *3. part. quæst. 80. post. artic. 2. quæst. 1. num. 38.* Alensis *4. part. qu. 11. art. 4. §. 1.* Lotichius *tr. 2. Thesauri Theologici, verbo Sacramentum Eucharistiæ num. 16. vers. Duodecimo quotidie*; Lucius *in summa de quartum præceptum Ecclesiæ nota 1. vers. Ni le es la bien*, & alij, quos adducit & sequitur Pater Franciscus Lugo *de Sacram. lib. 4. cap. 9. quæst. 6. num. 57.* Pater Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 4. disput. 9. dub. 18. num. 414. cum seq.* Pater Ioannes Perlinus *de frequentia & vsu Sacræ Eucharistiæ distin. 5. cap. 2.* quibus adde Eminentissimum Cardinalem Lugo *de Sacram. Eucha. disp. 17. per tot.* in qua latè & doctè, vt semper solet, has duas propositiones variis rationibus firmat.

7. Prima est, non expedire omnibus istis indifferenter cuiusque status & vitæ sint, quotidianam communionem, neque eis esse vtiliorem, licet aliquin non sit illicita. Secunda est, eum, qui in re tanti ponderis errare noluerit, non se suo arbitrio debere ducere, sed standum sibi iudicio prudentis Confessarij, vel Patris Spiritualis, cuius erit hanc frequentiam plus, minusue extendere pro maiori, vel minori ipsius aptitudine.

8. Hinc Sapientissimus Lessius *in 3. part. Diui Thomæ quæst. 80. art. 10.* sic ait; Aduerte tamen, quia varia sunt hominum negotia, & animarum occupationes, satis esse vt sæculares octauo quoque die accedant: id enim sufficit ad fructum animorum, & habetur ratio reuerentiæ huius Sacramenti: difficilis enim est sæcularibus crebrius conueniens tempus huic sacratissimæ actioni impendere, & sese debitè præparare. Qui autem planè à mundo sunt segregati, & toti rebus spiritualibus dediti (quales debent esse Religiosi & hiscè similes) ij sæpius possunt communicare, habita tamen ratione ædificationis proximorum, & consuetudinis locorum. Ita Lessius.

9. Dico itaque cum Mereero *de Sacram. q. 80. art. 10.* quòd considerando actum communicandi ex suo genere, consultius esse frequenter communicare, quam rarò.

10. Secundò considerando hunc actum in particulari; quia ordinariè tot sunt vitæ humanæ impedimenta animum distrahentia, vt sæcularibus difficile

cile sit sæpius se debitè præparare, non esse consulendum vt frequentius communicent, quam semel octauo quoque die. Sic enim humanæ infirmitati sufficienter fructu huius Sacramenti subuenietur, & habebitur ratio reuerentiæ huic Sacramento debitæ.

11. Tamen non est hîc vna omnium regula. Nam continentibus frequentius quàm coniugatis conuenit communicare; & Religiosis ac Sacerdotibus, aliisque Clericis qui à mundo abstracti se totos spiritualibus dedunt quàm laicis. Et ita in hoc pœnitentes debent stare prudenti arbitrio Confessarij.

12. Nota etiam cum Ioanne Vvigers *in 3. part. q.80. art.10. n.44. & aliis vbi suprà*, Confessarios in hoc magis cautè debere procedere cum fœminis, quæ facilius subducuntur illusionibus Dæmonum, & vt ait Ioannes Pontius *in Curs. Theolog. disp.44. quæst.11. concl.4. num.104.* propter vanam gloriam, quæ multùm prævalere solet apud mulieres. Claudam hanc resolutionem cum verbis D. Bonauenturæ *in 4. dist.12. punct.2. quæst.1.* Si ergo quæritur vtrum expediat frequentare alicui? Dicendum, quòd si videat se esse in statu primitiuæ Ecclesiæ, laudandum est quotidie communicare: si autem in statu Ecclesiæ finalis, vtpotè frigidum & tardum, laudandum est quòd rarò: Si autem medio modo, se debet habere; & aliquando debet cessare, vt addiscat reuereri, aliquãdo accedere, vt inflammetur amore. Quia tali hospiti debetur honor, debetur & amor, & tunc secundùm illam partem, secundum quam viderit se melius proficere, ad illam magis declinet; quod homo solùm experientia discit. Omnes ergo rationes ad primam partem pro frequentia, intelligantur salua debita præparatione, quæ in paucissimis est, vt semper. Ita Seraphicus Doctor, qui etiam *lib.2. de Profectu Religiosorum cap.77.* hæc asserit: Vix aliis ita Religiosus esse videtur, & Sanctus (exceptis Sacerdotibus) quin semel in septimana sufficiat eum ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque vel ratio plus suadeat, infirmitas superueniens, vel singulariter festiuitas solemnis.

Sup. hoc in Res. & not. primæ huius Res.

13. Quid ad hæc respondebit Bernaldus, Sancius, & alij superius adducti, ad quorum rationes, & auctoritates Sanctorum Patrum, quas pro firmanda eorum sententia adducunt, solidè, & latè respondent Cardinalis Lugo, & Ioannes Perlinus *locis citatis?*

14. Notandum est hîc obiter non esse definitum iure diuino positiuo, an sæpius vno die liceat communicare (hinc S. Leo III. celebrauit interdum septies, interdum nouies eodem die apud Bar. *tom.9. anno* 816.) sed id relictum est prudentiæ quam ius naturale dictat, scilicet cauendam esse frequentiam, quæ Sacramenti contemptum parere posset. Idcircò Ecclesia prohibet communionem iterari eodem die, *cap. Consuluisti de celebratione Missarum, & cap. sufficit de consecratione dist.1.* in quibus de celebrantibus sermo est, sed hinc desumitur argumentum ad laïcos communicantes etiam in Natali Christi, quo alioqui Sacerdos potest ter celebrare ex priuilegio; quã collectionem vsus Ecclesiæ approbauit, & præcepto confirmauit, ne Sacramentum vilescat per nimiam frequentiam. Non modica res est (inquit Alexan. *cap. sufficit*) vnam Missam facere, & valde felix est qui vnam dignè celebrare potest. Et ita docet Ioannes Præpositus *in 3. part. quæst.80. art.10. num.51. in fine*, cum Mercero ibidem, & aliis.

Sup. contenta in hoc §. in tom.3. tr.2. Res.54. §.1. & 2.

RESOL. XXXVII.

An Eucharistia possit sumi quacumque hora diei? Ex part.11. tr.7. & Misc.7. Res.22.

§.1. Affirmatiuè respondeo cum Auersa *de Sacrament. Eucharist. quæst.8. sect.3.* Bonac. *de Euchar. quæst.7. num.14.* & 16. Præposito *in 3.p.q.80. art.10. n.3.* Sed de hoc habet magnam difficultatem P. Pasqualigus *in Theol. tom.2 disp.109. sect.3. num.17.* quia prohibitio sumendi Eucharistiam sequitur prohibitionem celebrandi, vnde cùm sub mortali adsit prohibitio non celebrandi, neque ante Auroram, neque post meridiem, & in Rubrica Missalis, & ex communi interpretatione, videtur adesse etiam prohibitio non sumendi Eucharistiam extra dictum tempus. Ita ille.

Sup. hoc infra in Resol. 41. & signãter in Res. 47. per totã, & in tom.3. tr.1. Res.56. §. penult. Et tãdem post.

2. Verùm hoc non obstante, quicquid asserat Pasqualigus, puto non esse recedendum à communi sententia Doctorum. Dico igitur, communionem esse licitam qualibet hora diei, modo communicaturus sit ieiunus, & absit scandalum, quia nulla obstat lex, aut consuetudo habens vim præcepti. Ad argumentum verò adductum à P. Pasqualigo, neganda est consequentia, & ideò licet interdictum sit Sacerdotibus celebrare ante Auroram, tamen ex hoc non sequitur esse interdictum laïcis communicare ante Auroram, vt patet, & asserunt Doctores, quos ego alibi adduxi, ergo. Et si argumentum Pasqualigi procederet, sequeretur; quòd sicut Sacerdotibus est concessum in die Natiuitatis ter celebrare, ita concessum esset laïcis ter communicare, non enim video rationem, quare laïci debeant sequi sacerdotes in prohibitionibus, & non in concessionibus; tamen Doctores clamant odia esse restringenda, & fauores ampliandos. Itaque dicendum est, non valere argumenta de Missa ad communicationem, vel de prohibitione celebrandi ad prohibitionem cõmunicandi, & ideo in feria sexta Parasceue prohibetur Sacerdotibus celebrare ab Innocentio I. *epist.1. ad decen.c.4.* vt patet *in cap. Sabbatho, de consecrat. test.13.* & tamen hoc non obstante P. Pasqualigus, me etiam citato, adducit Suarez, Vasquez; & alios Doctores asserentes in illa die laïcos posse communicare.

Alibi in Resol. not. præteritæ.

3. Sed quia nunc existimo contrariam sententiam tenendam esse, stante declaratione Congregationis Sacrorum rituum, puto hoc non officere contra nos, nam hoc non procedit ex prohibitione facta Sacerdotibus, ne possint celebrare in Parasceue, sed procedit ex prohibitione Pij V. in Rubrica Missalis.

Sup. hoc infra in Resol. 45. & 46. & in tom.8. tr.4. Res.46.

4. Dicendum est itaque, posse in quacumque hora diei Eucharistiam sumi, & ita hanc sententiam præter Doctores citatos tenet Mercerus *de Sacram. quæst.8. art.10. num.6.* Suarez *in part. tom.3. disput.69. sect.4.* Emanuel Sà *ver. Eucharist. num.19.* doctus P. Tamburinus *opusc. de commun. §.1. num.5.* Et Ioannes de Soria *in epilogo summarum part.2. tr.1. sect.1. dist.1. §. circa præceptum*, vbi sic ait: Non datur tempus determinatum ad communionem, nec præceptum circa hoc inuenitur, itaque nihil interest, quod sit communio ante, vel post meridiem, nisi scandalum aliquod, seu irreuerentia Sacramenti sequatur.

RESOL. XXXVIII.

An Sacerdos existens in peccato mortali possit sine peccato mortali sumere Eucharistiam, ne perueniat in manus Hæreticorum, non tamen sumendo illam sicut sumunt fideles, nempe communicando, sed solummodo abscondendo, ac si in aliquo foramine reconderet?

Et notatur, quod si periculum sit, vt Eucharistia perueniat, vel malè tractetur ab Hæreticis, vel Infidelibus,

bus, possit sumi à non ieiuno, etiam laico, si Sacerdos desit.

Et an etiam, præsente Sacerdote, possit laicus in tali casu illam accipere? Ex part. 11. tr. 6. & Mis. 6. Res. 2.

Quoad hoc in tom. 1. tr. 1. Res. 12. §. vltim. post medium, à vers. Ita Lugo. sed legeam per totã

§. 1. OLim ex Hispania de hoc casu interrogatus fui, & ad me miserunt quandam scripturam in qua pro opinione affirmatiua plura argumenta adducebantur sub nomine Doctoris D. Francisci Palomini, & Ledesma, Qualificatoris Sancti Officij Inquisitionis Cordubensis; quæ quidem scriptura erat tenoris sequentis: Vtrum peccaret mortaliter Sacerdos, qui consumeret Eucharistiæ Sacramentum cum animaduersione statu peccati lethalis sine præuia confessione, vel contritione in extrema necessitate, v.g. hostium incursus infidelium à quibus iniuriosè tractaretur tantum Sacramentum. Explico difficultates duplici conclusione proprio discursui innixus, & nullius authoritate fretus; sub censura tamen cuiuslibet melius sentientis, & Sanctæ Mattis Ecclesiæ: atque adeò sit prima conclusio:

2. Si talis Sacerdos in tali casu consumeret Eucharistiæ Sacramentum eo modo quo alij fideles communicant extrà hunc casum peccaret mortaliter. Hæc cõclusio adeò certa est, vt non indigeat probatione, cùm non sit maior ratio cur alij fideles communicantes in statu peccati mortalis extrà hunc casũ peccent mortaliter, & non iste. Sit secunda cõclusio.

3. Si talis Sacerdos in tali casu consumeret Eucharistiæ Sacramentum non vt alij fideles communicant extra hunc casum, sed materialiter, vt si absconderet in foramine parietis, non peccaret mortaliter: Hoc autem dicere nullius authoris authoritate fretus, sed non contemnendis rationibus innixus. Probatur primò conclusio paritate, & doctrina probabili Thomæ Sanchez, qui *tom. 3. lib. 9. disput. 26. nu. 4.* asserit: Patrem, qui susciperet infantem qui domi baptizarit, non vt susceptor, & intendens exercere cæremoniam Ecclesiæ, sed materialiter, vt si reciperetur humi videlicet, in lecto non contracturum cognationem spiritualem, nec arceri à petitione debiti: ergo cùm in nostro casu similem distinctionem faciamus, non peccabit mortaliter Sacerdos si non se disponat. Probatur secundò conclusio, quia in hoc casu Sacerdos solum est materialiter abscondens, materialiter manducans, ad abscondendum autem non requiritur status gratiæ, si enim absconderet in foramine parietis non peccaret mortaliter, ergo ad abscondendum corpus Christi Domini non requiritur status gratiæ. Sed agè, iam rationem efficacissimam proponamus, & quæ multorum videri omnino probabilem reddit meam assertionem, & cum duplici titulo competere possit Sacerdoti in tali casu obligatio se disponendi, & quia minister est, & quia recipiens est; si probauero non competere illi obligationem se disponendi, quia recipiens est, arctior enim est obligatio in recipiente quam in ministrante, cùm nullus quem ego viderim, dixit præter me, posse vnquam Sacerdotem recipere Sacramentum Eucharistiæ cum aduertẽtia peccati mortalis sine nouo peccato, nullus renuet concedere non competere illi obligationem se disponendi, quia minister est. Probo igitur non competere illi obligationem se disponendi, quia recipiens est, quia cùm in hoc casu Sacerdos non se habeat vt subiectum rationale, sed sicut recipere posset paries in foramine, non est attendenda in eo dispositio moralis, seu spiritualis; sicut in opinione probabili quando Sacerdos non solemniter baptizat, etiamsi existat in peccato mortali, non tenetur se disponere, eo quod in hoc casu se habeat quasi laicus: ergo cùm in nostro casu Sacerdos se habeat quasi subiectum non rationale, non peccabit mortaliter si non se disponat. Ex quo infero talem debere esse dispositionem ad hoc Sacramentum recipiendum, qualis est receptio eius, si haec sit materialis physica, & realis tantum requiritur dispositio in eadem linea, scilicet materialis physica, & realis tantum: Si sacramentalis sit requiritur dispositio moralis, seu spiritualis, & quia receptio Sacramenti Eucharitiæ in nostro casu est physica realis, & materialis tantum, non requiritur dispositio moralis seu spiritualis. Probatur quartò non minus efficaciter, quia Sacerdos in hoc casu per se tantum obligatur ad abscondendum Eucharistiæ Sacramentum, si enim absconderet in loco loto & decenti, satisfaceret suæ obligationi, sed ad abscondendum corpus Christi Domini sufficit, satis superque est receptio, seu manducatio materialis; ergo non tenetur Sacramentaliter recipere, ac per consequens non tenetur se disponere. Maior, & consequentia constant, & probatur minor, quia non minus absconditum maneret Eucharistiæ Sacramentum receptione physica materiali, & reali, quam Sacramentali: ergo ad abscondendum corpus Christi Domini satis superque est receptio, seu mãducatio materialis physica, & realis. Ex dictis infero locum Pauli, qui de dispositione requisita ad hoc Sacramentum recipiendum loquitur, scilicet: *Probet autem seipsum homo, &c. Qui manducat & bibit indigne, &c.* intelligendum esse de manducatione Sacramentali, non de materiali physica & reali tantum. Infero secundò Sacerdotem in tali casu si post aliquam actionem factam iudicaret iudicio erroneo fuisse peccatum mortale, cum tamen sit in gratia, recepturum argumentum gratiæ non ex opere operato, sed ex opere operantis: non ex opere operato, cum hoc argumentum annexum sit manducationi Sacramentali, & ex opere operantis, cùm vt suppono sit in gratia, & aliàs bonum actum exerceat. Idemque dictum existimo si talis Sacerdos in tali extrema necessitate reciperet Eucharistiam receptione materiali physica & reali, existimans esse in gratia, cùm verè esset. Infero tertiò, nostram conclusionem non solum habere locum in casu in quo vrgeat necessitas non sineret Sacerdotem se disponere meliu confessione, videlicet contritione, imò posset nolentem se disponere, cùm non habeat obligationem. Hæc dicta sint sub censura Ecclesiæ.

4. Verùm his non obstantibus, tunc ego pressus negatiuæ sententiæ adhæsi ex rationibus quas nouissimè inuenio apud doctum Patrem Thomam Hurtado *t. 2. tr. 11. cap. 9. resol. 9. num. 321. cum seqq.* vbi sic ait: Casum singularem hûc affertam, de quo rogatus sum in hac Vniuersitate Hispalensi anno praterito 1639. & in hoc anno 1641. & est, an Sacerdos degens in præsidio contra Infideles, si audiat campanã ad strepitum, vulgò *Rebato*, pulsari, vertuque putadenter ne Hæretici Ciuitatem capiant, & Eucharistiam sacrilegè rapiant, & deludant, vt in Terminine, & alibi fecerunt, aduertatque talis Sacerdos se in mortali peccato existere, sicque species sumpsit Sacramentales sine contritionis, vel Sacramentali confessionis præmissione; an inquam, talis Sacerdos mortaliter peccauerit, cùm ita Sacramentum consumpserit, ac si in Arca reconderet, vel in foramine absconderet, vt infideles non inuenirent, & ita non sicut ceteris fideles recipit, nempè communicãdo, sed solum modo abscondendo. Ita Hurtadus, qui postea probat hanc sententiam; nam si huiusmodi Sacerdos posset actum contritionis elicere ad id obligatus fuit ad mortali, & contrariũ asserere temeritatem est, & communem improbabile. Ita tenent omnes Doctores Co-

tholici

tholici, neque est qui contrarium insinuet, & ratio est euidens, quam tradidit S. Thomas 3. *part. quæst.* 80. *art.* 3. 4 & 5. quia extat præceptum diuinum de non recipiendo Sacramentum cum conscientia peccati mortalis, vt constat ex Apostolo 1. *Corinth. cap.* 11. *Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat.* Quem locum in hoc sensu intelligunt omnes ferè Patres Ecclesiæ, & Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 13. Videri *potest* Cardinalis Bellarminus, *lib.* 4. *de Sacr. Euchar. cap.* 17. & 18. Diende in hoc casu solum est necessarium adscondere Sacramentum, ne ad manus infidelium deueniat, qui irreuerenter in illud insurgant, & ad hoc solum in omni Christiano viget obligatio: ergo si in pectore possit abscondere, qua debetur reuerentia, contritionem eliciendo, ad hoc tenetur. Probatur euidentur consequentia, quia si quis in loco decenti valeret Sacramentum reponere, ad id tenebitur, & etiam si in luto non collocare potest, tenetur ad non collocandum; quod autem spurcitius lutum? quis locus obscænior anima in mortali existente? ergo si possit hanc culpæ tollere fœditatem per contritionem, tenebitur omnino ad tollendum. Iterum dico de hoc non posse esse hæsitationem inter fideles, & Catholicos. Alias etiam rationes inuenies apud dictum Hurtadum, & responsiones ad argumenta contrariorum, & ad ea quæ superius adducta sunt.

Sup. hoc infra in Resol. 101. §. Nota, in principio, & cursim in Res. 5. & vers. nor. primæ huius Res. & in to. 3. tr. 1. lege 4. Sed quid Res. 54.

5. Nota hic obiter, quod si periculum sit ne Eucharistia pereat, vel malè tractetur, potest sumi à non ieiuno, etiam à Laico si alius desit: imò probabiliter potest etiam præsente Sacerdote laicus accipere. Ita ex Cardinali Lugo docet nouissimè Pater Hermannus Busembaum Societatis Iesv *in Medulla Theol. mor. l.* 3. *tr.* 3. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 2.

RESOL. XXXIX.

An Sacerdos extra casum necessitatis possit pro deuotione tantum, si non adsit alius Sacerdos, administrare sibi Eucharistiam, secluso scandalo.

Idem est dicendum de Diacono, si non adsit Sacerdos vel alius Diaconus, qui illi ministrent Eucharistiam ex deuotione.

Et in supradicto primo casu, præsente Diacono, an debeat Sacerdos potius Eucharistiam sumere ex manibus Diaconi, quàm ex propriis? Ex part. 11. tr. 7. & Misc. 7. Res. 42.

Sup. hoc in Res. seq. §. 1. & 2. & infra Res. 66. §. vltim. & in to. 3. tr. 1. cur. sim §. penultim. Et tandem Res. 56.

§. 1. NEgatiuè respondet Pater Pasqualig. *in Theolog. tom.* 2. *disp.* 108. *sect.* 7. *n.* 36. vbi sic ait: Dicendum Sacerdotes extra necessitatem, etiamsi scandalum absit, non posse per se ipsos Eucharistiam sumere, desumitur ex Concilio Trident. *sess.* 13. *c.* 8. vbi ponit tantùm duos modos sumendi Eucharistiam, alterum de manu Sacerdotis, & per seipsum, & hunc coarctat ad Sacerdotes celebrantes. Probatur. Saeerdos non celebrans, & sumens Eucharistiam, sumit tanquam ouis pascenda cibo illo spirituali, & non vt Sacerdos; ergo non potest per se ipsum sumere. Antecedens patet. Quia vt Sacerdos habet tantùm duos actus proprios confectionem Eucharistiæ, & ministrationem. Ministratio autem non potest exerceri, nisi sit adiuncta iurisdictio saltem ex priuilegio, aut ex commissione, & proinde dicit exercitium Pastoris in ordine ad oues. Ergo cùm Sacerdos sit ouis quando non sumit, vt Sacerdos celebrando, debet sumere vt ouis. Consequens probatur; quia vt ouis dicit ordinem, & subiectionem ad pastorem, à quo pascendus est. Ita ille.

2. Sed ego non recedo ab affirmatiua sententia, quam olim docui, & me citato tenet nouissimè Leandrus *de Sacr. tom.* 2. *tr.* 7. *disp.* 4. *q.* 14. & me citato sapientissimus Dicastillus *de Sacram. tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 11. *dub.* 6. *n.* 103. *cum seqq.* Dico igitur non solùm in casu necessitatis, verùm etiam deuotionis causa, veluti si magna occurrat festiuitas, & Sacerdos sacrificare nequeat: tunc enim optimè poterit ex sacrario Eucharistiam accipere, & seipsum communicare. Quia non est necessarium, quod minister huius Sacramenti sit (sicut in aliis) distincta persona à suscipiente: ergo cùm ipsemet Sacerdos sit proprius huius Sacramenti Minister, optimè poterit se ipsum cómunicare.

Sup. hac deuotione signanter in Res. 2. not. præteritæ, in eodem §. vlt.

3. Deinde in Cõcilio Nicæno 1. *Can.* 14. conceditur, vt Diaconi etiam extra necessitatis articulum, possint absente Sacerdote cõmunicare Sacerdos autem est ordinarius minister huius Sacramenti, & simul est Diaconus, atque adeo potiori ratione hoc facere poterit, nec apparet aliquod ius contrarium, vt probat Dicastillus, penes quem etiam inuenies responsionem ad argumenta, quæ supra in sui fauorem adduxit Pasqualigus: & ideò præter Doctores supra, & à me alibi citatos hanc sententiam tenet Martin. de San-Ioseph. *in mon. conf. tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 5. *de pœnit. n.* 7. vbi sic ait: [Quando los Sacerdotes, que no celebran, quisieren comulgar por deuotion, se podran dar simismos el Santissimo Sacramento, sino ay otro Sacerdote quo se le de, ni aya peligro de escandalo.] Idem tenet Castius Palaus *tom.* 4. *tract.* 21 *punct.* 18. *num.* 10. sic asserens: Dixi legem consuetudine introductam, ne quis extra Missæ sacrificium sibi Eucharistiam ministret. At hæc lex non est eo rigore recepta, quin vrgente aliqua rationabili causa, tametsi non extrema omitti possit. Quocirca Sacerdos infirmus, qui celebrare commode non potest, poterit cessante scandalo è Sacrario Hostiam consecratam sumere, cùm non adsit alius, qui ministret, quia non in alienam personam, sed in propriam iurisdictionem à Christo datam administrandi Eucharistiam exercet. Neque in hoc Sacramento opus est, ministrum à suscipiente distingui, patet in die Parasceue in quo Sacerdos seipsum communicat, tametsi non consecret. Ita Palaus.

Sup. contento in hoc, & seq. §. infra in Res. 65. & lege doctrinam alterius §. eius primæ not.

4. Cui etiam adde doctissimum Amicum *in curs. theol. tom.* 7. *disp.* 31. *sect.* 2. *num.* 39. cuius hæc sunt verba; Extrà verò articulum mortis, vel ad præceptum Ecclesiasticum adimplendum, vel sola deuotionis causa, probabilior opinio fert, posse Sacerdotem & Diaconum absente Sacerdote, si nullum sit scandalum, seipsos communicare. Et colligitur ex Concilio Nicæno 1. *Cam.* 14. vbi conceditur Diacono, absente Presbytero, facultas seipsum communicandi ex præconsecratis, nulla mentione facta de mortis articulo, vel periculo. Idem à fortiori licebit Sacerdoti, si vel celebrare non possit, vel non habeat omnia ad celebrandum requisita, nullusque alius Sacerdos adsit. Hæc Amicus, vt remaneat satis firmata contra Pasqualigum nostra sententia.

5. Et hanc opinionem contra Fagundez, & Præpositum putat Leand. *vbi supra q.* 15, etiã procedere si in prædicto casu adesset Diaconus, posset enim Sacerdos se ipsum propriis manibus communicare.

Sup. hoc in Res. & §. not. seq.

6. Primò, quia Sacerdos est minister ex officio. Secundò, quia Sacerdos debet seipsum communicare, quando Diaconus tempore mortis illi Eucharistiam defert. Ergo etiam poterit in nostro casu sepsum propriis manibus communicare. Ita ille.

7. Sed quidem dubium est, an præsente Diacono debeat Sacerdos potius Eucharistiam sumere ex manibus Diaconi, quàm ex propriis? Ex doctrina Vasquez videtur sequi, quod tunc potiùs deberet ex manibus Diaconi; docet enim, quòd deferente

Sup. hoc in Res. seq. §. Obseruat. & infra in Res. 66. §. vl.

Diacono Eucharistiam Sacerdoti infirmo, etiamsi Sacerdos possit propriis manibus, deberet tamen potiùs ex manibus Diaconi communicare: Vnde idem diceret, si Sacerdos non posset celebrare, & vellet nommunicare, vel ad præceptum implendum, vel deuotionis causa, & non adesset nisi Diaconus.

Sup, hoc in Resl. 1. not. præteritæ, & magis latè infra in Resol. 64.

8. Oppositum autem colligitur ex Durando *in 4. distinct. 13. quæst. 4. num. 7.* & Suarez *disput. 72. sectione 3.* affirmantibus, in eo casu debere Sacerdotem infirmum propriis manibus, si posset Eucharistiam sumere. Quod mihi probalius est. Etenim decentius est, vt Sacerdos propriis manibus consecratis Christi Corpus sumat, quàm permittat illud sibi ministrari manibus Diaconi non consecratis. Cùm enim nulla sit indecentia seipsum communicare: nam licet in reliquis Sacramentis requiratur distinctio personarum, ministrantis, & suscipientis, in hoc tamen nulla requiritur inter ministranem, & suscipientem distinctio; & cùm ex alia parte maior sit reuerentia huic Sacramento debita, vt illud non nisi consecratis manibus Sacerdotis contrectetur, congruentius erit in eo casu potius suis, quàm Diaconi manibus Sacerdotem cnmmunicare.

RESOL. XL.

An Sacerdos possit communicare seipsum extra Missam?

Et an hoc non solùm in casu necessitatis, sed etiam deuotionis causa?

Et in talibus si adsit Diaconus, an possit Sacerdos communicare se ex eo, quod Sacerdos debet propriis manibus seipsum communicare, quando Diaconus illi Sacramentum defert tempore mortis? Ex part. 2. tr. 14. Resl. 53.

Sup. contento in hoc & seq. §. in Resl. præterita, à principio vsque ad §. Et hanc. & infra in Resl. 66. 5. vlt. & in to. 3. tr. 1. Resl. 56. §. penult. Et tandem post.

§. 1. NOn posse, nisi in casu necessitatis, docet Filliucius *tom. 1. tract. 4. cap. 9. n. 285.* Armilla *ver. communio. num. 8.* Caietanus *eodem ver.* Villalobos *in summa tom. 1. tract. 7. cap. 48. num. 1.*

2. Sed ego contrariam sententiam probabiliorem esse iudico, nempe posse Sacerdotem, non solùm in casu necessitatis, sed etiam deuotionis causa, seipsum communicare extra Missam ex præconsecratis, vbi tamen non esset, nisi ipse tantùm Sacerdos; quia in hoc Sacramento non requiritur, vt in aliis, vt minister sit persona distincta à suscipiente, & sic in die Parasceues communicat se ipsum, non consecrando. Et hanc sententiam docet Syluius *in 3. part. quæst. 82. artic. 4.* Homobonus *de exam. Eccles. part. 1. tractat. 4. cap. 11. num. 106.* Fagundez *tract. 3. lib. 3. cap. 3. num. 7.* cum Suarez *in 3. part. 3. disput. 72. sect. 3.* Sed supradicta doctrina in praxi tenenda est: secluso scandalo, quod quidem scandalum facilè ipse Sacerdos vitare poterit, monendo astantes, ne scandalum patiantur: nam ita facere in illo casu sibi licet.

Sup. contento in hoc §. in Resl. 1. not. præteritæ, à §. Et hanc, & in Resl. 2. in eodem §. & pro parte & articulo mortis contento in hoc textu, infra in Resl. 64.

3. Obseruat tamen Fagundez, quod si in tali casu adesset Diaconus, non posse tunc Sacerdos se ipsum communicare, quia adest minister ex priuilegio competens. Sed hæc limitatio mihi non placet. Nam ex ipso Fagundez *ibid.* Filliucio, & Villalobos *vbi sup.* Sacerdos debet propriis manibus se ipsum communicare, quando Diaconus illi Sacramentum defert tempore mortis, vt docet Durandus *in 4. dist. 13. q. 4.* Ergo etiam poterit se ipsum propriis manibus in nostro casu communicare. etiam si adsit Diaconus: nam etiam Diaconus tempore mortis est minister competens. Et tamen (vt diximus) tunc Sacerdos non ex manibus Diaconi, sed suis debet sacratissimam Eucharistiam accipere. Ergo idem facere debet in casu nostro.

RESOL. XLI.

An dictus Sacerdos in tali casu possit se communicare qualibet hora diei post meridiem? Ex part. 2. tr. 14. Resl. 54.

§. 1. REspondeo affirmatiuè, cum Azotio *part. 1. lib. 10. cap. 25. quæst. 7.* Syluio *in 3. part. q. 80. artic. 10.* Henriquez *lib. 8. cap. 54. num. 5.* Emmanuel Sà *verb. Eucharist. num. 19.* & aliis, quia nullo iure prohibetur, qualibet hora communicare, dummodo absit scandalum, & qui se communicare petit, ieiunus sit: nam prohibitio in hoc casu cadit super consecrationem non faciendam post meridiem à nullo tempore, non autem contra sacram Communionem tunc suscipiendam. Et ita etiam docet hanc opinionem Zanardus *in direct. Theol. part. 1. de Eucharist. cap. 9 quæst. 17.* licet Coninch. *de Sacram quæst. 80. art. 10. num. 85.* & alij asserant, ex reuerentia tanti Sacramenti debita, non esse extra necessitatem permittendum, vt aliquis sub vesperam, & qualibet hora diei communicet.

RESOL. XLII.

An Sacerdos corpus Christi ab alio Ministro pro deuotione, seu in die Parasceues sumens, debeat stolam ex Ecclesiastico præcepto adhibere cap. *Eccles. dist. 23.*

Et an huiusmodi Decretum sit contrario vsu abrogatum? Ex part. 2. tract. 14. Resl. 20.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Naldus *in summ. verb. Missa, num. 6. & verb. Sacerdos, num. 6.* Homobonus *de exam Eccles. tract. 4. Part. 1. cap. 11. qual. 106.* si Sacerdos sit in his partibus Italiæ, cùm possim in hac prouincia hoc obseruetur.

2. Sed Azorius *part. 1. lib. 1. cap. 27. quæst. 11.* contrarium asserit: putat enim, huiusmodi decretum esse vsu abrogatum. Et hanc sententiam docet etiam Petigianus *in 4. tom. 1. distinct. 13. quæst. 2. artic. 5. in fine, fol 610.* & nouissimè Gauantus *in comment. ad Ritr. Miss. tom. 1. par. 4. tit. 8. num. 7.*

RESOL. XLIII.

An recipiens Eucharistiam contra præceptum alicuius humanum committat duo peccata, vnum contra prohibitionem illam; alterum, quia communicat indignè?

Et an hæc circunstantia sit explicanda in confessione?

Et deducitur, an dupliciter peccet, qui se ingurgitat, quo tempore erat indictum ieiunium, nam & temperantiam, & Ecclesiasticam ieiunij legem violat? Ex p. 5. tract. 13. & Misc. 1. Resl. 62.

§. 1. CAsus est practicabilis, maximè in excommunicatis, & nouissimè contra affirmatiuam sententiam docet Theophilus Raynaudus *de monitor. part. 2. cap. num. 17.* vbi sic ait, Quamvis non sit duplex peccatum communicare absque confessione, eo quod tunc non præcipiatur per se, sed tantum ratione Communionis, vt rectè statuunt Vasquez *1. part. distinct. 208. num. 24.* & Sanrez *num. 4. 3. part. distinct. 35. sect. 4.* contra Canum relicti.

velect. de pœnit. part. 4. tamen si peccatum tale sit, vt non modò inuehat defectum gratiæ, sed etiam specialiter sit annexa ex præcepto Ecclesiæ repulsa à communione, (quale est peccatum propter quod quis excommunicatione perculsus est) non dubito quin excommunicatus superstite ea labe ad Eucharistiam accedens duplici mortali peccato contaminetur, altero contra legem de perceptione Eucharistiæ in gratia, altero contra legem de abstinendo ab Eucharistia per tempus excommunicationis; sicut dupliciter peccat, qui se ingurgitat, quo tempore indictum erat ieiunium: nam & temperantiam, & Ecclesiasticam ieiunij legem violat, & ita rectè in præsenti negotio Bonacina *quæst. 6. de Eucharist. part.* 1. *num.* 34 contra Vasquez 3. *part. dist.* 207. *n.* 5. cui suffragatus videtur Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 22. Huc vsque Raynaudus.

Quæ hic est supra in tr. 2. Ref. 152.

2. His tamen non obstantibus ego cum Vasquez iterum negatiuam sententiam docco, quia vtrumque præceptum est ex eodem motiuo Religionis, cuius intuitu legislatore humano remouetur ille indignus ne recipiat Eucharistiam? sed plura præcepta non multiplicant peccata, quando oriuntur ex eodem motiuo. Ergo talis circumstantia non est explicanda in confessione, quia non variat speciem. Et ita nouissime hanc sententiam docet etiam Ioannes de Lugo *de sacrament. Eucharist. disput.* 14. *sect.* 1. *num.* 20. vbi quo ad praxim existimat hanc doctrinam esse veram, nec oportere explicare vtrumque illud præceptum, quia licet præceptum humanum non habeat fortasse totum motiuum quod habet præceptum diuinum, hæc tamen habet totum motiuum, quod habet præceptum humanum, nempe remouere ab hoc Sacramento indignos, ex quo motiuo remouentur ab Ecclesia excommunicati, etiam quando sunt in statu gratiæ, propter indignitatem aliquam præcedentem, licet non sint nunc peccatores; sicut & remouentur non ieiuni, propter eamdem reuerentiam Sacramenti, licet sint in gratia. Ille ergo qui explicat se accepisse Eucharistiam indignè, seu in statu peccati, iam explicat sufficienter malitiam, quæ sumitur etiam ex prohibitione Ecclesiæ, scilicet se peccasse contra præceptum remouens indignos ab hoc Sacramento, in quo motiuo conuenit vtrumque præceptum. Ergo, &c.

RESOL. XLIV.

An qui accedit ad Communionẽ cum distractione voluntaria, aut cum affectu alicuius peccati venialis, communicando peccet venialiter? Ex part. 3. tract. 4. Res. 31.

Sup. hoc est eodem Sancio in §. sep. citato, infra in Res. 50. §. 2 post medium, cursim in vers. Quarto sanum.

§. 1. AFfirmatiuè respondit Filliucins *tom.* 1. *tractatu* 4. *cap.* 7. *num.* 206. vbi sic ait: Potest euenire, vt peccatum veniale sit circumstantia actus communicandi, vt si fiat ob vanam gloriam, vel quia cum distractione voluntaria, & sic proculdubio erit peccatum veniale, quia ille actus non habet circumstantias debitas, quarum vna est, vt fiat ob bonum finem, & sine actuali euagatione, saltem voluntaria. Ita ille, & Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 29. *cap.* 6. *q.* 2. *n.* 100. cum aliis.

2. Contrariam sententiam docet Sancius *in selectis disputationibus, disput.* 23. *num.* 32. vbi asserit. Secundò respondetur in nostra opinione nullum peccatum committi ob communionem cum distractione. Nec obstat, quod qui erat distractus, peccet venialiter præter peccatum in quo est, quia attentio est de substantia orationis, cum enim sit loquutio ad Deum; attentè loqui debemus, aliàs irreuerentia fieret ei, cum quo loquimur. At suscipere Eucharistiam, cùm non sit loquutio, sed manducatio, non requirit sub præcepto attentionem, bene tamen sub consilio, nec iniuria fit cibo si distractè sumatur, quapropter qui consulit, vt quis distracta mente non accedat ad Eucharistiam, non consulit id ob reuerentiam; cùm nulla irreuerentia fiat, sed vt à peccato cesset, qui est in illo. At supposito, quod consilium attentionis sequi nolit, non ob id retrahendus est à communione, cùm melius bonum sit adhuc sine attentione communicare, quàm à sacra mensa recedere ob defectum attentionis. Sic Sancius.

3. Pro qua sententia faciunt Sà *ver. Eucharistia, num.* 22. Petrus de Ledesma *in summa, tom.* 1. *de Sacrament. Eucharist. cap.* 11. *conclus.* 5. vbi ita ait. [No peca venialmente, el que llega à este Sacramento con conciencia y affecto de pecado venial, porque llegar con pecado venial à este sacramento no es contra precepto alguno, ni importa irreuerencia ninguna, luego, no es pecado venial. Verdad es que puede acontecer que la misma obra de comulgar sea pecado venial particular, por hazerse con pecado venial. Lo primero, si la tal obra de comulgar se ordena al fin del pecado venial, como si vno comulgasse por vana gloria, de suerte que la vanidad fuesse el motiuo para comulgar. Lo segundo, si el pecado venial consistiesse en alguna irreuerencia exterior en el recebir del sacramento. como si al tiempo del comulgar estuuiesse vno hablanda palabras ociosas, ò de burla, ò hizesse otra cosa semejante.] Sic Ledesma. Sed aliqui absolutè asserunt, qui cum affectu, vel actuali peccato veniali sacramentum Eucharistiæ sumit, committere aliud veniale cuiusdam irreuerentiæ, ac sacrilegij? ita Doctores, quos citat, & sequitur Layman *in Theol. mor. lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 3.

RESOL. XLV.

An quis possit in die Veneris Sancto communicare? Et notatur obiter, licere indiscriminatim omnibus Sacerdotibus in die Sabbathi Sancti priuatim celebrare, & qui voluerit in dicta die Missam celebrare, & ante solemnem poterit Missam Sancti in die contingentis, aut votiuam aliquam celebrare. Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Res. 237.

§. 1. NEgatiuè respondet Francolinus *de Horis canonicis cap.* 30. *num.* 12. & videtur docere Innocentius I. *in epistol.* 2. *ad Decentium, capit.* 4. & refert *in canon. Sabbati, de consecr. distinct.* 3. dum ait, traditionem Ecclesiæ habere in isto biduo (id est, in Feria sexta, & in Sabbato Sancto) Sacramenta penitus non celebrari; & Missale Romanum ita asserit: Hodie (id est, Feria quinta) Sacerdos consecrat duas Hostias; quarum vnam sumit, alteram reseruat pro die sequenti, in qua non conficitur Sacramentum: reseruat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit pro infirmis; ergo solum infirmis licet in ea Feria sexta communicare.

Sup. hoc fit Res. seq. & supra in Res. 37. cursim in fine. §. Verum. & in tom. 8. tr. 4. Res. 46.

2. His tamen non obstantibus affirmatiua sententia vera est, quam docent Vasquez, Suarez, Layman, & Tannerus, quos citat, & sequitur Gaspar Hurtado *de Sacrament. disput.* 4. *de sacrificio Missæ difficult.* 3. quia id in nullo iure prohibitum inuenitur. nam Innocentius *in dicta Epistola* loquitur de celebratione, non de communione, dicit enim in illa die non celebrari, id est non con-

secrati : prohibet igitur celebrationem in consecrando, non verò in ministrando. Ad auctoritatem verò Missalis Romani respondetur, quòd dum ordinat, vt reseruetur Eucharista pro infirmis, non prohibet quòd reservetur pro sanis, & ipsis non liceat, sed tantùm infirmis. Nec valet dicere, quòd licèt hoc non sit prohibitum de iure, est tamen prohibitum de consuetudine, cùm in illa die fideles sacram Communionem non accipiant; nam respondeo, quòd etiamsi regulariter ea die fideles non communicent, id tamen non omittitur regulariter, quasi ex consuetudine id prohibente, & quasi necessarium si ea die non cõmunicare, sed quia est congruens, cùm sit dies maximi mœroris.

Sup contento in hoc §. in Resˡ seq. in §. Notandum est. à lin. 5. & in aliis eius primæ, & secundæ annot.

In Resˡ quæ hic est supra Resˡ.74. & in aliis eius secundæ not. & etiam primæ.

3. Notandum est etiam hîc obiter cum Mercedo *de Sacram in 3. pat. D. Thomæ quæst. 83. art. 2. proposit. 2. num. 2.* contra Franc olinum *vbi suprà num. 8. &. 9.* licere indiscriminatim omnibus Sacerdotibus. in die Sabbati sancti priuatim celebrare, vnde ait Hurtado *vbi suprà*; qui voluerit Missam in dicta die celebrare, & ante solemnem, poterit Missam Sancti in ea die contingentis, aut votiuam aliquam celebrare. Vide me ipsum *in tract. de celebratione Missarum.*

RESOL. XLVI.

Quidam Episcopus volebat punire Parochum, qui ministrauit Eucharistiam aliquibus in die Veneris Sancta, quæsiuit à me Antistes ille, quid sentirem ?

Et quæritur, an sit licita administratio Eucharistiæ in die Parasceues, secluso scandalo ?

Et notatur non posse Episcopum punire Sacerdotem, qui secluso scandalo, & secretò, Missam priuatam dixit in Sabbatho Sancto.

Et an sit licitum in illa die celebrare, & in tali casu non sit necessaria licentia Episcopi, & quanam hora dicenda sit ?

Et an nemini licitum sit Feria quinta in Cœna Domini post finitum Sacrificium solemne illius diei, & Sacramentum reconditum priuatim celebrare, tametsi antea licitum sit.

Et infertur, quod si in Sabbatho Sancto acciderit Festum Annunciationis B. Virginis, possit Episcopus ordinare, vt in singulis Ecclesiis Missæ celebrentur. Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Resˡ. 24.

Sup. hoc in Resˡ præterita, & supra cursim in fine §. Verum Resˡ.37. & in tom. 8. tr. 4. Resˡ.46.

§. 1. REspondi, non debere illum punire: quia, licèt Sacra Congregatio die 9. Maij, 1606. declarauerit, seruandam esse vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem non ministrandi, nisi infirmis in die Parasceue Sacramentum, vt testatur Gauantus *in Rubrica Missalis, part. 4. titul. 9. num. 25.* & licèt Barbosa *de potest. Parochi, cap. 20.* asserat aliam declarationem eiusdem Congregationis datam sub die 19. Februarij, 1622. & probet hanc sententiam Francolinus *tractat de Hor. canon. cap. 30. numero 10.* ex Innocentio I. *in Epistol. 1. ad Decent. cap. 4.* & refertur in Can. *Sabbatho. de consecrat. distinct. 3.* Et Missale Romanum dicat: *Hodie* (id est, Feria quinta) *Sacerdos consecrat duas Hostias, quarum vnam sumit, alteram reseruat pro die sequenti, in quo non conficitur Sacramentum: reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit pro infirmis.* Ergo solùm infirmis licèt in ea Feria sexta communicare.

2. Tamen, his non obstantibus, non desunt Doctores asserentes, in die Parasceue licitam esse administrationem Sacramenti Eucharistiæ, per se, & secluso scandalo. Et ita, præter Suarez, & Vasquez, quos citat, & sequitur Quintanaduenas *tom. 1. tract. 4. singul. 6. num. 4.* tenet, me citato, Leander *de Sacrament. tom. 2. tract. 8. disp. 5. quæst. 14.* Tragosus *de Rep. tom. 2. lib. 10. disp. 21. §. 7. num. 19.* Ex Dominicanorum Familia Reuerentissimus Cantidus, Magister Sacri Palatij, *tom. 3. disquis. 2. art. 28. dub. 12. fol. 324.* Ioan. de la Cruz *in Direct. de Sacrific. Missæ, quæst. 2. dub. 2. conclus. 1.* & ante omnes Magister Ledesma *in Summa, tom. 1. de Sacram. Eucharist. cap. 19. conclus. 5. fol. mihi 123.* Idem docet Castrus Palaus *tom. 4. tractat. 22. punct. 7. num. 3.* Tannerus *tom. 4. disput. 5. quæst. 10. dub. 4. num. 57.* Balsæus *in Flor. Theolog. verb. Missa, 3. num. 7.* Fagundez *de Præcept. Eccles. 1. lib. 3. cap. 16. num. 14.* Syluius *in. 3. part, quæst. 83. art. 2. Quæritur 3.* Layman *lib 5. tractat. 5. cap. 1. assert. 7.* Hurtadus *de Sacrificio Missæ, disput. 4. difficult. 2.* & me citato, Pellizzarius *tractat. de Mon. capit. 6. quæst. 3. num. 5.* & alij. Vnde Machadus *lib. 4. parte 1. tract. 11. de cum. 11. num. 2.* obseruat, ita Matriti in Parochia S. Martini obseruari in praxi. Et ratio est: quia Innocentius in dicto testimonio tantùm loquitur de celebratione, non de Communione; & Missale Romanum, dum ordinat, vt reseruetur Eucharistia pro infirmis, non prohibet, quòd reseruetur pro sanis, & ipsis non liceat, sed tantùm infirmis, sed id ordinat, & præcipit pro infirmis, quia ipsis in periculo existentibus est sub præcepto necessaria, & non sanis. Nec id prohibitum est iure consuetudine introducto: quia, etiamsi regulariter ea die fideles non communicent; id tamen non omittitur regulariter, quasi necessarium sit ea die non communicare; sed quia est congruens, quia est dies maximi mœroris. Cùm itaque in casu nostro, stante affirmatiua opinione supradictorum Doctorum Parochus communicando Parochianos, culpam non commisit: ergo non erat puniendus ab Episcopo, quia pœna supponit culpam. Deinde dici potest in fauorem Parochi, quòd ei non constabat authenticè de dictis declarationibus Sacræ Congregationis: vnde stante Decreto Vrbani VIII. illæ non obligabant. Verum, suppositis dictis declarationibus, ego nunc existimo in Feria sexta Parasceue non esse administrandam Eucharistiam, nisi infirmis. Purpuratorum Patrum oracula venerari oportet, nec sapere plusquam oportet sapere.

3. Notandum est etiam hic obiter, non posse Episcopum punire Sacerdorem, qui secluso scandalo, & secreto Missam priuatam dixit in Sabbatho sancto: quia hoc fecit sine culpa, stante opinione Doctorum; ergo pœna plectendus non est. Quod autem licitum sit in illa die celebrare, contra Nauarrum, Francolinum, & Vasquez, docent Suarez, Figuredez, Guttierez, Sotus, & Cardinalis de Lugo, quos citat, & sequitur Quintanaduenas *loco citato, numero 8.* quibus ego addo, me citato, Caspensem *in Cursu Theolog. tom. 1 tract. 23. disput. 3. sect. 2. numer. 5.* Mercedum *de Sacrament. quæst. 83. art. 2. propos. 2.*, & me citato, Leandrum *de Sacram, tom. 1. tractat. 8. disput. 5. quæst. 26.* Granadum *in. 3. part. contr. 6. tract. 14. disp. 10. num. 3.* Marchinum *de Sacram. Ordin. tract. 3. part. 3. cap. 8. num. 5.* Lessium *in. 3. part. D. Thomæ, quæst. 83. art. 2. num. 72.* Amicum *in Cursu Theolog. tom. 7 disp. 33 sect. 10. num. 312.* Syluium *in. 3. part. D. Thomæ, 9 83. art. 2.* Quòd verò in tali casu non sit necessaria licentia Episcopi, tenet Eminentissimus Dominus meus de Lugo, & Fagund. citat, & sequitur Quintanaduenas *vbi sup.* Difficultas est, supposito, quod sit licitum dicere Missam priuatam, secluso scandalo, in die Sabbati sancti, quanam hora dicenda sit ? Ad hoc dubium sic respondet Castr. Pal. *tom. 4. tr. 23. disp. vnic. punct. 7. n. 5.* Illud vero

verò certum existimo, stante probabilitate contrariæ sententiæ affirmantis, quemlibet Sacerdotem celebrare priuatim posse; nemini id esse licitum, antequam Missa solemnis incepta sit: quia vsque ad illud tempus memoria realis Passionis ab Ecclesia colitur: quo durante cultu, nullum est sacrificium celebrandum, ex d. cap. *Sabbatho*, *de consecr. dist.* 3. Ob hanc enim rationem diximus, nemini licitum esse Feria quinta in Cœna Domini post finitum sacrificium solemne illius diei, & Sacramentum reconditum, priuatim celebrare, tametsi antea licitũ esset.] Ita ille.

§. Non est verò, & in Res. 4. §. Vnde ex his omnibus ante medium.

Sup. his post finitum Sacrificium late sup. in tr. 1. Res. 73. à §. Hoc supposito, & seqq. & pro antea, in dicta Res. §. 1. à fin. 2. & §§. seqq. & in alio §. eius primæ annot.

4. Verùm Eminentissimus Lugo hoc non admittit. Et nouissime Doctus Pater Hieronymus Garzia *in sum. moral. tr. 2. disp. 2. dub. 4. punct. 3. n. 17.* sic ait. [Tambien aduierten muchos que dado que se diga alguna Missa priuada, que no se comience sino algo tarde, quando ya estan dichas las Profecias, y demas Oficio en las Iglesias principales, y se comiẽça la Missa solemne con *Alleluya*, se tocan las campanas, y se toman ornamentos blancos. Però Lugo *n.* 16. dize, que no ay que forman desto escrupulo, porque ya que la Iglesia anticipa esto Oficio, tambien se puede dezir Missa anticipamente la Missa solemne, y Nona, tambien con alguna causa en este dia se puede dezir Missa por la mañana, y vemos à muchos Obispos doctos, y pios, que lo hazen assi, quando en sus Capillas, y Oratorios, dan en esta dia Ordenes.] Ita ille.

5. Sed cum Castro Palao contra Cardinalem de Lugo consentit ex eadem Societate P. Persicus *de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 4. dub. 8. n. 53.* Azorius *tom. 1. lib. 10. cap. 24 § Si quæras.* Suar. *in 3. part. tom. 3. disp. 80. sect. 2.* Fagund. *part. 1. lib. 3. cap. 15. n. 17.* Pellizzar. *tr. Man. Regul. tom. 2. tr. 8. cap. 2. sect. 1. n. 198.* Amicus *tom. 7. disp. 32. sect. 10. n. 312. in fin.* non est tamen negandum, sententiam Eminentissimi Cardinalis esse probabilem: & illam etiam tenet Hurtad. *de Sacr. Missæ, disp. 4. diffic. 2.*

Sup. hoc supra in tr. 1. Res. 73. §. El Cardenal, cum ad nũs. Sed legẽtiã alias Resol. & §§. annot. prima, & Notãdum, huius Res. & signãter in ipso. met §. ad medium, vers. Quod verò.

6. Ex hic sequitur, quod si in Sabbatho Sancto acciderit Festum Annunciationis B. Virgini, posset Espicopus ordinare, vt in singulis Ecclesiis Missæ celebrentur. Et ita P. Garzia *vbi sup. n. 16.* testatur factum fuisse in Diœcesi Cæsaraugustana anno 1639 quod etiam factum fuisse in ciuitate Neapolitana testatur noster Pater Leone *de Capel. sect. 17. n. 178.* sed de his omnibus *alibi in tract. de celebr. Miss. tr.* Scio aduersus sententiam supradictam de Missa priuata in Sabbatho Sancto licitè dicenda, contrarium docere nouissimè Castrum Palaum *vbi sup. n. 4.* Sed ipse fatetur, nostram sententiam esse probabilem, & à viris timoratæ conscientiæ in praxi reductam, quod etiam concedit Pater Persicus *vbi sup. n. 51.* An verò contra nostram sententiam adsit aliqua declaratio Cardinalium, nescio: si adest, amplius huic opinioni non adhæreo; si non adest, illam iterum teneo.

RESOL. XLVII.

An laici in Missa Natiuitatis Domini quæ post mediam noctem canitur, vel in aliis, quæ statim postea dicuntur, possint sacram Eucharistiam sumere?

Et cursim docetur, sacram Communionem posse recipi qualibet hora diei, etiam post meridiem.

Et aduertitur Regulares ex priuilegio cebrando fermè tribus horis ante auroram, posse tunc in suis Missis, si velint licitè laicis sacram Eucharistiam ministrare. Ex p. 9. tr. 7. & Misc. 2. Res. 43.

Sup. hoc supra in Res. 37. per totã

§. 1. NEgatiuè respondet Pater Bordonus *tom. 2. res. 56. n. 61.* vbi sic ait: Tertium, quod in

ei nocte laici non possint recipere sacram Communionem suadetur. Tum quia illud priuilegium sumendi Corpus Christi ea nocte, concessum fuit solis Sacerdotibus in actu celebrationis: ergo non est extendendum ad laicos, & non celebrantes; priuilegium enim vni personæ concessum, non extenditur ad aliã, etiam propter identitatem rationis, cap. *sanè, de priuil.* Tum quia, ea nocte excepta, Sacerdos non celebrat nisi intra Auroram, & Nonam, hoc est meridiem, ex communi Doctorum apud Bonacinam *q. fin de Missa, p. 9. n. 2.* Dianam *p. 1. tr. 14. res. 33.* ergo neque laicus Sacramenta recipere potest extra illud tempus, quia tempus laici regulatur in hoc à tempore Presbyteri volentis celebrare, cum eædem rationes militent in vtroque. Tum quia ita vsus inoleuit, vt sacra Communio recipiatur solùm intra huiusmodi tempus à sanis; & cùm huiusmodi consuetudo rationabilis, & legitima sit, & loco legis non extantis succedat, vt lex seruanda ea. cap. *In rebus 7. dist. 1.* Bonacina *q. 7. de Eucharist. p. 1. n. 14.* cum Syluestro, Sà, & Angelo *ver. Eucharistia.* Tabiena *Missa 6.* Henriq. Suar. Posseuino, *cap. 8. n. 8.* docet sacram Communionem posse recipi qualibet hora diei, etiam post meridiem, quia nulla extat prohibitio, & sic videntur excludere ab hac sacra refectione nocturnum tempus. Hucvsque Bordonus.

Quæ hic est supt. in tr. 1. Res. 101. & in aliis eius secundę not. & etiam tertiæ.

Sup. hoc in Res. not. primæ huius Res. & in alio §. ibi annotato.

2. Sed hæc opinio pace viri docti mihi non placet, & praxis, atque consuetudo est in contrarium: nam fere in omnibus Ecclesiis Soc. IESV, nostræ Religionis, & aliarum, in supradictis Missis ministratur laicis Sacramentum Eucharistiæ. Dicere autem hoc fieri ignoranter, & illicitè à viris tam piis, & doctis, absurdum manifestum apparet. Deinde ego non inuenio iura prohibentia laicis sumptionem Eucharistiæ in illa hora. Et si dicas, quod iura prohibent Missas dicere ante Auroram Sacerdotibus: ergo & laicis communicare. Respondeo retorquendo argumentum: si laici non possunt sumere Eucharistiam ante Auroram quia Sacerdotes neque possunt celebrare: ergo quãdo Sacerdotes, vt est in casu de quo loquimur, possũt dicere Missas, licebit etiam & laicis cõmunicare. Vnde ego puto, Regulares ex priuilegio, celebrando fere me tribus horis ante Auroram, vt ex Rodriquez, Filliucio, & Bonacina tenet Castrus Palaus *tom. 4. tr. 22. disp. vnic. punct. 7. n. 13.* posse tunc in suis Missis, si velint, licitè laicis sacram Eucharistiam ministrare: nullam enim video prohibitionem in contrariam extare. Itaque dicendum est, laicos in nocte Natiuitatis posse sacram Sinaxim sumere in Missis, quæ post mediam noctem in illa solemnitate celebrantur.

Sup. hoc supra in tr. 1. Res. 100. §. vlt. & in Resol. 101. §. Ex his, & late in Res. 103. & in to 9, tr. 7. Res. 49. §. Et si.

RESOL. XLVIII.

An si quis post pollutionẽ voluntariã, vel fornicationem, postea confiteatur, peccet tamen venialiter, sumendo Eucharistiam intra vnũ diẽ sine aliqua iusta causa?

Et an sit peccatum accedere ad recipiendum Sacramentum Eucharistiæ ante diem integrũ post quodcumque peccatum mortale, etiamsi homo sit de illo contritus, & confessus? Ex p. 3. tr. 4. Res. 30.

Supr. hoc in Res. seq. & in prima post sep. §. 2. ante mediũ, vers. Imò, & in Res. 2. post seq. §. 2 paulo post init. à vers. Hucvsq; Bernal.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Villalobos *in sum. tom. 1. tractat. 7. diffic. 37. n. 11.* Didacus Nugnus *in 3. par tom. 1. quæst. 80. art. 8. concl. 10. & 11.* cum Ioanne de la Cruz *in directorio conscientiæ. part. 2. de Sacrament. Eucharisti. quæst. 5. dub. 3. concl. 2.* vbi sic asserit: Pollutio procedens ex peccato mortali, cuius non præcessit confessio, impedit communionem, secus si præcessit: cùm nullum peccatum mortale per confessionem dimissum communionem impediat sub mortali. Erit tamen peccatum

veniale illam sumere ratione cuiusdam corporalis immunditiæ, nisi aliàs instet præceptum, aut necessitas defendendi honorem, aut specialis deuotio tunc communicandi. Ita ille.

Alibi infra in Res. 96. §. 12. inter medium & finem. vers. Secundo.

2. Sed hæc sententia (vt alibi notauimus) displicet Sancio *in selectis, disput. 23. nu. 30.* vbi ita ait. Qui in pollutionem, seu coitum incidit post talis facti confessionem, non est à communione excludendus, licèt peccatum veniale esse concedant Nugnus, & Ochagauia ratione corporalis immunditiæ, quibus tamen non credo? imò quanam ratione Concilio Tridentino aduersari non videatur, percipietur haud difficile; ait enim *sess. 13. c. 7.* illum dignè, & sanctè Eucharistiam suscipere, qui nullius criminis mortalis est sibi conscius, aut si sit conscius, dignè accedet se per confessionem probando. Igitur asserere deleto iam peccato per confessionem, adhuc fidelem non esse dignum Eucharistiæ susciendæ, quia si suscipiat, peccatum veniale sit commissurus, aduersari Concilio videtur manifestè, cum sequatur eum non accedere tunc sanctè, ac dignè, cum actionem exerceat ex mente horum auctorum intrinsecè malam, & culpabilem. Nec obstabit distractio, licèt habeatur, cum per pœnitentiam sit causa, à qua ortum habuit, interrupta, & distractio peccatum non erit, dum faciat quis quantum in se est ad expellendam illam. Hæc omnia Sancius.

3. Vnde à fortiori apparet refellendum esse Nauar. *de pœnitentia, dist. 6. cap. 1.* cui adhæret Marsilius *in 4. quæst. 6. art. 6.* asserentem esse peccatum mortale, accedere ad recipiendum sacramentum Eucharistiæ ante diem integrum post quodcumque peccatum mortale, etiamsi homo sit de illo contritus & confessus.

RESOL. XLIX.

An post pollutionem voluntariam, si eodem die pœnitens confiteatur faciat contra Consilium Rubricæ Missalis sumendo Eucharistiam, & peccet venialiter? Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Res. 65.

Sup. hoc in Res. præterita, & in aliis eius primæ, & secundæ annot.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet mordicus Ioannes Sancius *in selectis, disp. 23. n. 30.* vbi negat in tali casu contra aliquos Doctores peccatum veniale adesse, quia, ait ille, in Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 7.* statuitur illum sanctè & dignè Eucharistiam suscipere, qui nullius criminis mortalis est sibi conscius, aut si sit conscius, dignè accedere, se per confessionem probando. Igitur asserere deleto iam peccato per confessionem adhuc fidelem non esse dignum Eucharistiæ susciendæ, quia si suscipiat, peccatum veniale sit commissurus, aduersari Concilio videtur manifestum, cùm sequatur eum non accedere tunc sanctè & dignè, cum actionem exerceat ex mente horum auctorum intrinsecè malam culpabilem. Nec obstat in rubrica Missalis consuli, habentem pollutionem nocturnam à celebratione abstinere, (quòd herclè non consulit Pontifex vt particularis Doctor, sed vt caput Ecclesiæ, in quo video aliquos deceptos, nam vt particularis Doctor non potest Ecclesiæ vniuersali regulas præscribere,) non, inquam, obstat, nam esto vt caput rubricam illam tradat, id efficit intra sphæram probabilitatis, sicut dum beatificat aliquem Sanctum, vt Ecclesiæ caput munere beatificandi fungitur, & tamen per beatificationem solùm consequitur quòd probabilius sit talem Sanctum in gloria esse collocatum. At dicet quis se non experiri carnis tentationes à se auferri; imò nec minui, quamuis quotidie Eucharistiam sumat. Quanam ergo ratione Sancti inquiunt aduersùs carnis tentationes Eucharistiam maximè proficere? Animaduertat ille non Eucharistiam dari, vt tentationes auferat, sed vt fortitudinē præstet ad illas vincendas; hocque maius donum est in habentibus fomitis peccatum. Huc vsque Sancius.

2. Sed in tali casu culpam venialem adesse docet Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. p. 2. de Eucharistia, quæst. 5. dub. 3.* Nugnus *in 3. part. quæst. 80. art. 8. conclus. 10. 11.* Ochagauia *de sacrament. Eucharist. tract. 2. quæst. 11. n. 5.* & nominatim aduersùs Sancium insurgit nouissimè Ioannes de Lugo *de Sacram. Eucharist. disp. 15 sect. 1. n. 4.* omnino videndus.

3. Cauendum est etiam ab illis verbis à Sancio enunciatis, v. g. Summum Pontificem per beatificationem declarare, quòd probabilius sit talem Sanctum in gloria esse collocatum, quæ quidem verba non demonstrant certitudinem gloriæ Sanctorum, & in prima editione non inueniuntur, sed apposita sunt in Additionibus secundæ editionis post mortem Authoris. Vnde credi potest (debeo enim excusare amicissimum virum) ex aliquo errore irrepsisse.

RESOL. L.

Vtrum sit licitum coniugatis die habitæ copulæ Eucharistiam sumere, vel sit minus, vel magis expedient?

Et docetur ex Sancio, quod habenti pollutionem nocturnam, non est consulendum abstinendi ab Eucharistia suscipienda, præsertim si causa non fuisset voluntaria, imo etiam si fuisset voluntaria, vel fornicationem aliquis noctu commisisset, & ab ea confiteretur?

Etiamque infertur inualidum esse votum de non communicando die habitæ copulæ?

Et an supposito, quod quis nollet curare distractionem expellere, non est sanum consilium non communicare? Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. Res. 71.

§. 1. ESse coniugibus consulendum post habitam copulam nocte saltem antecedente non recipere Eucharistiam, docent 20. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. to. 1. lib. 9. disp. 13. n. 4. & 5.* quibus ego addo Salazar, inlignem Theologum Societatis *in tract. de freq. comm. c. 9.* §. 1. *& seq.* & non pauci asserunt esse peccatum veniale accedere ad Eucharistiam suscipiendam ipso die habitæ copulæ.

2. Non reticeam tamen contrariam sententiam docere Sancium *in suis selectis, disp. 23.* per totam, vbi ait primò, etsi consulendum sit coniugatis à copula abstinere, vt Eucharistiā suscipiant, dato tamen quod à copula nō abstinuerint, non est illis cōsulendum, quòd non communicent. sed potiùs è contra, quia ex communione maxima bona nascuntur. Et hoc procedit, etiamsi coniugati copulam habuissent, causa voluptatis, non enim sunt dissuadendi à communione, quamuis meliùs egissent, si à copula abstinuissent, nec ex hoc datur illis occasio à copula non abstinendi, nam semper consulendum est ab illa abstinere ob reuerentiam Sacramenti. Secundò docet quòd habenti pollutionem nocturnam, non est consulendum abstinere ab Eucharistia suscipienda, præsertim si causa non fuisset voluntaria, imò etiam si fuisset voluntaria, vel fornicationem aliquis noctu commisisset, & ab ea confiteretur vero dolore sui criminis pœnitendo, consultius aget communicando, quàm non, cùm ex communione gratiæ sacramentalis, auxilia ad præcauenda peccata, remissionem venialium, & alia nobis occulta bona comparet ille, ex abstinentia verò solum meritum reuerentiæ. Tertiò infert Sancius inualidum esse votum de

de non communicando die habitæ copulæ, quia est de minori bono. Quartò sanum consilium esse distractionem mentis expellere curare ad deuotiùs sacram Eucharistiam suscipiendam; at supposito quòd quis nolit curare distractionem expellere, non est sanum consilium non communicare, quia tunc gratia sacramentali, & aliis fructibus priuaretur, & alias distractiones perseueraret, & quia cum illa communicare non est peccatum, nec veniale irreligiositatis. Ex his omnibus apparet, quòd siue coniuges petierint, siue reddiderint debitum, consultius agent communicando quàm abstinendo, supposito, quòd à copula non se retraxerunt; quamuis meliùs egissent, si à copula abstinuissent in ordine ad suscipiendam Eucharistiam. Et hæc omnia asserit Sancius *vbi supra*, sed an probabiliter, remitto me iudicio aliorum, ego enim primam sententiam sequor.

Sup. hoc quarto magis latè supra in Res. 44.

RESOL. LI.

An sit culpa venialis eodem die communionis ad vxorem accedere voluptatis causa?

Et an sit culpa venialis accedere ad Eucharistiam post pollutionem, aut copulam carnalem, quam aliquis absque peccato mortali passus fuerit, vel habuerit?

Et an saltem sit peccatum veniale accipere Eucharistiam absque alia iusta causa post pollutionem voluntariam, aut fornicationem noctis præcedentis, etiam confessione præmissa?

Et quid, si adest menstruum, aut lepra? Ex part. 10. tr. 16. & Misc. 6. Res. 34. alias 33.

Sup. hoc in Res. seq.

§. 1. NEgatiuam sententiam, & bene docet ex Sanchez Pater Tamburinus *opusc. de Eucharist. cap.* 3. § 6. *n.* 8. Nec obstat dicere, esse regulariter veniale accedere ad Eucharistiam post copulam exactam ob delectationem: ergo per ipsum debet esse etiam veniale accedere ex voluptate ad vxorem, post accessum ad Eucharistiam: par enim irreuerentia apparet vtrobique, vel certè vtrobique nulla. Respondeo negando adesse parem rationem: nam copula habita ex delectatione solet afferre, vt ibidem diximus ex eodem Sanchez, mentis hebetudinem, magnamque distractionem, quæ voluntaria distractio in bona sententia superius allata, ab eo qui communicat propter reuerentiam fugienda est; at, peracta iam communione, mentem ad alia negotia sponte distrahere non prohibemur. Ita Tamburinus.

Sup. hoc in Res. præterita & in aliis eius primæ not. & infra in hac ipsa not. Res. in diuersis aliis vers. & cum aliis DD.

2. Sed nouissimè Bernal *de Sacram. disp.* 43. *sect.* 1. *n.* 1. plus docet, nempe nullam esse culpam etiam venialem accedere ad Eucharistiam post pollutionem, vel copulam carnalem, quam aliquis absque peccato mortali passus fuerit, vel habuerit. Quāuis enim aliqui cum Suarez *disp.* 68 *sect.* 2. censeāt regulariter, esse culpam venialem post actum cūiugalem ex nimia concupiscentia habitum, eadem die communicare. Rectius tamen alij, cum Vasquez *quæst.* 77. *art.* 7. in commentario, id negant, propter adductam rationem, & addere possumus, quia alioquin etiam peccati venialis damnandus esset, qui post cibum, aut potum per nimiam venialem concupiscentiam nocte præcedente sumptum, Eucharistiam sumeret. Hucusque Bernal; qui etiam addit, quod nec est grauis obligatio abstinendi à communione post maculam corporalem peccato mortali contractam, v.g. pollutionem voluntariam, aut fornicationem, nisi Confessarius communionis dilationem iniungat. Ratio prioris partis est, quia simpliciter accedit ad Eucharistiam dignè, seu non indignè, qui accedit in gratia. Ratio alterius partis est; quia iustæ possunt subesse causæ, propter quas Confessarius eam dilationem prudenter præcipiat, vt in pœnam præteritæ culpæ, vel in præseruationem ab imminenti, &c. Cui etiam adde Angelum Possentium *in Summula de sacramen. Euchar. tit. Eucharistiæ sumptio à coniugatis, & fornicariis n.* 2. & Leandrum, *de Sacrament. tom.* 2. *tract.* 7. *disp.* 6. *quæst.* 3. 4. & 5. vbi quærit, An saltem sit peccatum veniale accipere Eucharistiam absque aliqua iusta causa, post pollutionem mortalem, etiam confessione præmissa. Et respondet negatiuè cum Coninch, Hurtado, & aliis, addens non bene dixisse Lugum, hanc sententiam grauissimis Doctoribus fulcitam, esse singularem, & falsam. Deinde quærit, an sit peccatum veniale accedere ad Eucharistiā ipso die habitæ coniugalis copulæ, causa voluptatis exercitæ: & respondet negatiuè. Et tandem quærit, an saltem sit consulendum coniugatis vt ipso die habita copula Eucharistiam non recipiant. Et respondet: quòd licèt consulendum sit coniugatis, vt nocte præcedente communionem à copula abstineant, (vt in hoc bene omnes DD.) dato tamen, quod non abstinuerint, non est consulendum illis, quod non communicent, si alia non adsit causa. Quia suscipere Eucharistiam eo die, quo habita est copula, nullum est peccatum, vt *quæst.* 4. est habitum: ergo. Sic Sancius *disput.* 23 *per totam*, Medina, & Marcilla apud ipsum. Sic etiam ex parte D. Gregor. *respons.* 10. *ad interrog. D. Augustini*, & refertur in cap. *vir cum propria* 33. *quæst.* 4. vbi sic dicitur: Si quis sua coniuge, non cupidine voluptatis captus, sed solum liberorum creandorum gratia vtitur de sumendo Corporis Dominici, Sanguinisque mysterio, suo est relinquendus iudicio: Quia à nobis non debet prohiberi accipere. Vbi Gloss. *vers. prohiberi*, ait, id est, *dissuaderi*: & cum hac limitatione hanc nostram sententiam docet Sanchez cum aliis, plusquam viginti Doctoribus pro opposita sententia Dianæ citatis. Et in hanc sententiam inclinat Ægidius *loco cit.* Hæc Leandrus.

Sup. in Res. not. præteritæ.

Sup. hoc in Res. præterita & in aliis eius primæ not.

3. Sed de his omnibus quæstionibus remitto me adea, quæ alicubi docui: non deseram tamen hìc apponere quæ post hæc scripta inueni apud Dicastillum *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 8. *disp.* 9. *dub.* 14. *n.* 245. vbi me citato, sic ait: Non me latet, Auctores non paucos sentire, eum, qui peccatum carnale commisit, vt fornicationis, aut pollutionis, debere per aliquod temporis spatium, vt per diem abstinere sub veniali à communione, etiam præmissa confessione, nisi adsit iusta causa communicandi. Probant, tum quia, qui per aliquod temporis spatium non abstinet, videtur aliquam irreuerentiam Christo, puritatis, & castitatis auctori, facere; tum, quia, sicut indecens est, vt pollutus accedat ad conuiuium Principis, ita indecens est, vt carnali peccato pollutus ad tantum Sacramentum accedat; tum, quia huiusmodi non mediocriter solent abstrahere mentem à Diuinis, atque adeò impedire deuotionem, cum qua sumi debet hoc Sacramentum: hæ tamen omnes rationes ad summum probant, congruum quiddam esse, non verò obligatorium: nam qui iam confessus, & purificatus accedit, iustus, & amicus Dei, nullam facit irreuerentiam accedendo, nec censetur ad mensam tanti Principis venire pollutus. Idque multo potiori ratione locum habet in pollutione, quæ contingit absque vlla culpa, vt si contingit ex dæmonis suggestione contra voluntatem patientis, vt auertatur à communione: & in omnibus prædictis locum etiam habet hæc doctrina, quando adest iusta causa eodem die communicandi. Quod etiam, vt dixi, seruandum est pro coniugatis. Aliquos refert Vazquez expressè docens, nullum esse peccatum, etiam veniale, qui post nocturnam pollutionem cum pec-

Docuit in Resol. & §§. positis in tribus primis annotationibus huius Res.

Et pro omni contento in hoc §. ibidem, & signanter supra in Res. 48. &c.

Sup. hoc supra in Ref. 41. & in aliis eius primæ, & secundæ not.

cato, vel sine peccato, vel post quodcumque aliud peccatum accedit ad celebrandum: delete peccato per confessionem. Eamque sententiam probabilem putat Bonacina *disput. 4. quæst. 6.* quamuis absolutè doceat, esse peccatum veniale celebrare, quoties non adest iusta causa cum Suario, Valenza, Reginaldo, & aliis quos refert, asserentes vnica die saltem abstinendum esse ex decentia, nisi adsit iusta causa iudicio prudentis Confessarij. Quod sanè optimum consilium est: non tamen (vt dicebam cum aliis Auctoribus) video præcisam obligationem sub peccato adhuc veniali, siue quando adest menstruum, aut lepra, secluso horrore, quem causaret leprosus celebrans in publico, siue post pollutionem etiam mortalem, siue post actum coniugalem redditum mortalem ex fine, aut aliter, dummodo præcedat ritè Confessio. Ita Dicastillus.

Sup. his mẽstruo, aut lepra supra in tr. 1. Res. 165. §. 1. ante medium, à vers. Et in primis.

RESOL. LII.

An post sumptam Eucharistiam eodem die, sit peccatũ veniale petere debitum causa captandæ voluptatis?

Et an sit eadem ratio de copula habita ante sumptionem Eucharistiæ? Ex part. 6. tract. 6. & Misc. 1. Resol. 14.

Sup. hoc in Res. præterita.

§. 1. DE hoc casu fuit olim mihi magna altercatio cum quodam viro Religioso, qui affirmatiuam sententiam mordicus sustinebat, quam tuetur Beja *part. 1. cas. 8.* qui citat Syluestrum, Caietanum, & Albertum Magnum, quibus addo Paludanum *in 4. distinct. 9. q. 3. art. 2. concluf. 3.* D. Antoninum *in 3. part. tit. 13. cap. 6. §. 10.* Angelum *verb. Eucharistia 3. num. 44.* asserentes coniugatos petentes copulam eodem die, quo susceperunt sacram Synaxim, peccare venialiter; & hoc propter irreuerentiam, quæ infertur Sacramento.

2. Verùm mihi tunc, & etiam nunc negatiua sententia placet, quia nullibi reperitur talis prohibitio; nec videtur tanta indecentia, quæ culpam constituat: nec debemus laqueos coniugatis iniicere. Et quia non est eadem ratio de copula habita ante sumptionem Eucharistiæ & post; nam ante desiderabatur abstinentia à copula, vt congrua dispositio ad receptionem corporis Christi: at post sumptionem corruptis speciebus Sacramentalibus talis abstinentia à copula licita non videtur necessaria ad finem vllum per se intentum ab Ecclesia. Et ideò hanc sententiam sustinet Tabiena *ver. communicare quæst. 37. n. 43. in fin.* vbi dicit hoc tantùm esse consilium. Victoria *in summa quæst 87.* Sanchez *de matr. lib. 9 disp. 13. n. 17.* Reginaldus *tom. 2. lib. 29. cap. 6. quæst. 7. n. 117.* Magalius *in Prompt. tom. 2. ver. debitum coniugale num. 6.* Marchinus *de Sacramento Ordinis tract. 3. part. 3. cap. 2. num. 17.* & alij.

RESOL. LIII.

An Sacerdos chiragra impeditus possit ministrare Eucharistiam non pollice, & indice, sed aliis digitis?

Et de aliis dubiis circa ministrationem Eucharistiæ agitur. Primo, an Sacerdos ministrans Eucharistiam extra Missam omittendo cæremonias vt luminis accensi, confessionis generalis, absolutionis venialium, &c. peccet mortaliter, si absque vlla causa illas cæremonias omittat?

Secundo, an Sacerdos possit deferre Eucharistiam moribundo valde festinanter, currendo?

Tertiò, an Sacerdos possit vehi equo ad præbendũ Viaticum moribundo longe distanti, & in hoc casu aliqua aduertuntur, quæ contingere possunt in praxi?

Et infertur, an Sacerdos non ieiunus possit Missam celebrare ad communicandum alium, vel se ipsum in articulo mortis?

Quarto an laicus in articulo mortis, si non adsit alius Minister, possit non solum ipse cum suis manibus sumere Viaticum, sed etiam illud aliis ministrare?

Quinto, an cum infirmus particulam deglutire non possit, possit Sacerdos illam ponere in cochleari argenteo cum paruo iure etiam calido, vt ita infirmus facilius in stomachum transmittat, vel saltem hoc possit fieri intra parum aquæ, vel vini, si aliter non possit infirmus particulam deglutire? Ex part. 10. tract. 16. & Misc. 6. Res. 80.

§. 1. AFfirmatiuè respondet P. Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 7. disp. 4. quæst. 19.* Et ratio est, quia tota manus Sacerdotis est consecrata; imò & in casu necessitatis putat, talem Sacerdotem ita debere Eucharistiam ministrare.

2. Sed mihi magis placet opinio negatiua, quam præter Posseuinum, & Bonacinam à Leandro adductos tenet etiam P. Franciscus Lugo *de Sacrã. lib. 4. cap. 12. quæst. 4. n. 18.* Dico igitur Sacerdotem, qui propter chiragram, vel aliam infirmitatem non potest Eucharistiam indice, ac pollice ministrare, non posse licitè illam aliis digitis conferre; licet enim tota manus sit consecrata; consuetudo fert vt Sacramenta, quæ non sunt absolutè necessaria, quodlibet digitis Eucharistiam ministrare, conferantur indice, ac pollice, nec ab vsu communi recedendum est. Concedo tamen in extrema, vel grauissima necessitate posse quibuslibet digitis Eucharistiam ministrare.

3. Nota hic etiam obiter Leandrum *vbi supra, quæst. 28.* docere, Sacerdotem administrantẽ Eucharistiã extra Missam, omittendo cæremonias, vt luminis accensi, confessionis generalis, absolutionis venialium, &c. peccare mortaliter, si absque causa vlla rationabili, eas cæremonias omittat. Quia quod accendatur lumen, quando extra Missam sacra Eucharistia dispensatur, expressè habetur *in cap. sanè, de celebratione Missarum.* Ergo omissio huius, saltem, cæremoniæ non est censenda leuis irreuerentia.

4. Verùm ego puto, quod quamuis soleat lumen accendi, & confessio generalis præmitti cum quibusdam precibus, quæ non possunt omitti sine rationabili causa, nam aliqualem irreuerentiam contineret omissio voluntaria talium rituum, quos Ecclesia præscribit: hæc non ita rigorosè præcipi, vt iplorum omissio secluso tum scandalo, tum contemptu, sit mortale peccatum, sed solum veniale. Et ita præter Suarez, & alios à Leandro adductos tenet nouissimè Pater Lugo *loco citato num. 23. ad cap. vero, sanè*, respondeo, quod loquitur quando Eucharistia defertur ad infirmos, & tunc quia grauiter puniuntur transgressores, grauis culpa supponi videtur, & rituale quoque Romanum, præcipit Eucharistiam deferri cum lumine.

5. An verò Sacerdos possit deferre Eucharistiam moribundo valdè festinanter currendo, discrepant Doctores: Bonacina *vbi suprà, num. 9.* & Barbosa *de potest. Parochi cap. 10. num. 46.* negant propter irreuerentiam Sacramenti, indecentiam, & irrisionem Ministri, quæ ex illa festinatione oritur cum quibus Ecclesiasticum, & diuinum præceptum sumendi Eucharistiam in mortis articulo obligat non videtur. Et ideò Martinus de San Ioseph *in Mon. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 5. de Euchar. num. 17.* sic ait: [Ni està obligado à lleuar el Sanctissimo Sacramento al enfermo, si ha de ir corriendo; porque repugna a la reuerencia deuida a tan alto Sacramẽto, ni el precepto de lleuarle à los enfermos, obliga con

con peligro de que tengan al Parroco por necio; puede, y deue darse priessa: pero no ha de perder la deuida modestia, ni decencia que se perderia con ir corriendo.] Ita ille. Affirmatiuam sententiam sustinet Quintanaduenas *Theol. Mor. tom.1. tract.4. singul 8. num.1.* nisi eam magnam irreuerentiam festinatio afferat, quæ periculum gignat decidenti in terram Sacramentum, aut Parochum cum illo, vel verum aliquod (non puerile, aut pharisaicum) sequatur populi scandalum. Hæc autem rarissimè euenient; nam qui veloci cursu Eucharistiam deferri videat, existimare debet, periculum esse in mora. Et si Parochus propterea ab insipientibus irrideatur, non ideo administrationis obligatione excusabitur. Si enim iuxta Theologos in 2.2. *quæst.*185. quilibet tenetur honorem, famam, & vitam prodigere, vt proximo in extrema necessitate spirituali succurrat, cur Parochus illam leuem irrisionem sustinere non tenebitur cùm ex charitate, & iustitia obligatus sit oui suæ in mortis articulo subuenire Sacramentorum administratione? Nec irreuerentia ex festinatione orta ea est, vt excuset ad hoc præcepto, eique vtilitas suscipientis, ob quam instituta est Eucharistia, præponderat, & ob eam cedit quasi iuri suo Sacramentum. Quemadmodum aliquid irreuerentiæ est, quod à Sacerdote non ieiuno Missa celebretur, & tamen potest, ad communicandum alium, vel se ipsum in mortis articulo, vt docent Zambranus *de Euchar. cap.3. dub.6. num.1.* Laymann. *lib.5. tract.4. cap.6. num.20.* & alij. Sicut & si quid irreuerentiæ sit, vt Laicus propriis manibus Hostiam consecratam tangat; potest tamen & eam sibi in mortis naturalis, vel violētæ discrimine ministrare, si non adsit aliquis Sacerdos, vel Diaconus, vt sentiunt Filliucius, Suarius, Coninch, Chapeauilla, Reginaldus, Granadus, & alij apud Dianam 3 *part.tract.4.resol.47.& 5.part. tract.3 resol.47.* contra Hurtadum, Præpositum, Faustum, Tannerum, Fagund. & Ochagauiam, Hinc patet de ratione Barbosæ. Hucusque Quintanaduenas.

Sup. hoc cũ authoribus hic citatis supra in tr.1. Res. 131. & in aliis eius nor.

Quæ hic sũt in Res.66. & 67. & etiã in Res.65. à §. Sed quod & seqq. & in Res.67. à lin. 3. vsque ad §. His suppositis, & infra in hac ipsa met Res. §. sed si ad medium, à vers. Si verò, & in tom.3. tr.1. Res.56. signanter §. Sed & in tom.1. tr.2. Res.5. §. Ex his, in principio, & ibi in tr.3. Res.148. §.1. ante mediũ, à vers. Respondeo.

6. Vnde ex his rectè circa præsentem difficultatem discurrit Pater Lugo *vbi suprà num.* 16. & ideò cum ipso assero, quod in hac re prudenter conferendæ sunt irreuerentia Sacramenti, & irrisio Sacerdotis cum necessitate, vel vtilitate recipientis, vt appareat quid rationabilius sit. Certe quoties Parochus ministraturus Basprimum, vel pœnitentiam, vel Extremam Vnctionem, probabiliter timet, proximum in peccato mortali decessurum, nisi festinet, & curat; fatentur Doctores, illum debere currere festinanter, etsi nondum integrè sit indutus, aut ingruat pluuia, vel pruina, vel æstus, aut Sacerdos sit irridendus, vt fatuus; Tenetur enim non solum honorem, & famam, sed etiam vitam exponere pro salute suarum ouium, quando versantur in extrema necessitate spirituali. Vnde colligo 1. quoties infirmus nequit aliud Sacramentum præter Eucharistiam recipere, prudentérque timetur eius damnatio, nisi recipiat Viaticum; hoc esse ministrandum, etsi Sacerdos debeat currere festinanter, & omittere ritus accidentales Communionis; quia tunc necessitas morientis præponderat reuerentiæ Sacramenti. Secus verò si non vrgeat talis necessitas; quippe sola Communionis vtilitas non præponderat Eucharistiæ veneration

7. Sed si aliquis curiosus inquirat, an Sacerdos possit vehi equo ad præbendum Viaticum moribundo longè distanti, Posseuinus, & Barbosa *vbi suprà* asserunt non posse, nisi loci consuetudo id permitteret, & equus esset mansuetus, addentes, quod quantumuis sit defatigatus, debet non tradere Eucharistiæ pixidem ferendam Laico, sed hinc inde à Laicis ipse humeris sustententur, vel bursa collo appensa portet Eucharistiam. Verum Quintanaduenas *loco citato singul.8. num.2.* ad hoc dubium sic respondet: nisi prudenter timeatur, pixidem Eucharistiæ, vel Sacerdotem cum ea in terram casurum, potest ille equitans eam deferre. Quod periculum non aderit, cum in mansueto equo, vel in mula, aut asino iter ageret. Quod si contingat, quod nimis distet ægroti domus, & equus non inueniatur, Parochusque ob debilitatem non possit totius itineris cursu solus deferre, adhibeat sibi alium Sacerdotem, vel Diaconum in Sacerdotis absentia, socium, qui eam etiam deferat, vel, quod facilius est, collo appendat in bursa. Si verò contingeret, quod nec Sacerdos, nec Diaconus adsint qui possint in hoc casu iuuare deferentem; nec hic queat absque iuuamine: Laicus iuuet, ac deferat, iuxta sententiam Laiman. *lib.5. tract.4. cap.7. num.4.* Coninch. *quæst.2. art.3. num.23.* & Dianæ 3 *part.4. sect.4. resol.* 47. docentium, posse Laicum Eucharistiam ministrare moridundo, si absint Sacerdos, & Diaconus. Quod probabile reputat Valentia *tom.4. disp.6. quæst.10. part.* 1. licet intolerabilis opinio vocetur à Soto: Sed immeritò: nam id nec naturali, nec diuino præcepto repugnat: immo nec Ecclesiastico; quia *c. perueniat. dist.2. de consecr.* loquitur extra casum necessitatis. Nec cõsuetudo obstat; nam hæc adesse in præsenti nequit: quia cùm illa sit actuum repetitio, & hic casus rarissimè, aut nunquã euenerit, non potest circa eum esse propriè consuetudo. Per quod patet responsio ad secundam dubij partem. Et hæc omnia docet Quintanad. *vbi suprà*; Et quidem contra Cardinalem de Lugo nominatim contra me asserentem, non posse Laicum ministrare Eucharistiam moribundo; oppono eius Fratrem Germanum Patrem Franciscum de Lugo, qui nouissimè, me citato *de Sacram. lib.4. c.11. q.1. num* 11. & alios penes ipsum nostram sententiam tenentes, nempe Laicum in articulo mortis, si non adsit alius minister posse non solùm ipsum cum suis manibus sumere sacrum Viaticum sed etiam illud aliis ministrare.

Quæ hic et infra Res. 66. & in aliis eius annot.

8. Nota hîc obiter, Marcum Serium *tom.1. de officio & potestate Parochi disp.5. difficul. vnica quæst. 21. num.15.* obseruare Patrem Iosephum de Augustino virum quidem doctissimum ex Societate IESV, & Conciuem nostrum amantissimum, cum infirmus particulam deglutire non posset, illam posuisse in cochleari argenteo cum paruo iure, vt in stomachum facilius transmitteret, sed vt verum fatear, hæc praxis mihi non placet, ob reuerentiã debitã tanto Sacramento: non enim decet ponere illud in iure, propter carnis pinguedinem in ipso admixtam: sed potius intra parum aquæ, vel vini; quæ quidem ordinantur, & sunt instituta ad confectionem huius Sacramenti. Sed si forsan Medici existimarent hæc infirmo detrimentum allatura; tunc particulam in iure calido apponi concederem, & forsan in hoc casu ita practicauit Pater Augustinus, *vbi suprà.*

Sup. hoc supra in tr.1. Res. 125. §. Nota etiam & infra in Res.98. §.1. in fine.

RESOL. LIV.

An si cadat super barbam alicuius Hostia, vel fragmentum, si ipsa barba lauanda?

Et quid, si sanguis cadat super barbam Sacerdotis? Ex part.10. tr.12. & Mis.2 Res.10.

Sup. hoc lege doctrinã Resol. seq. & signanter prope finem, à vers. quid est faciendũ.

§.1. AD primum negatiuè respondet Tamburinus *Opusc. de Sacrif. Missæ, lib.2. cap.8. § 8. num.3.* vbi sic ait: Simile quid de illius viri barba dicendum est; si enim fragmentum capere Sacerdos modestè potest, & sine viri offensione, accipiat; secùs,

cùs, Deo commendet. Quòd si potuit accipere, ne deinde sit sollicitus tentare, vel præcipere prædictæ barbæ lotionem; meliùs enim est vitare turbationem fidelium, quàm Rubricarum apicem, eiusmodi cautelas præcipientem obseruare. Ita ille. Sed hæc opinio mihi non placet, nec enim Ecclesiæ Rubricæ præcipiunt turbationem Fidelium, sed reuerentiam. quam ipsi debent diuinissimo Sacramento; ideò puto in tali casu lotione barbam esse purgandam, & aquam reponendam in piscinam. Sic Doctores citandi.

Sup. hoc in vers. not. præteritæ.

2. Sed quid dicendum, si sanguis caderet super barbam Sacerdotis? Pater Tamburinus *vbi suprà* fuit nimis indulgens in barbas sæcularium; sed Bartholomæus ad Angelis *Dial.§.713.* est nimis rigidus in Sacerdotum barbas; putat enim in tali Casu barbam Sacerdotis post trinam lotionem esse abradendam, & comburendam. Mihi placet opinio, quam refert & sequitur Trullench *de Sacram. lib.3. c.8. dub.23. n.16.* asserens, in isto casu sufficere, si repetita lotione Sacerdos barbam purget. Et hanc sententiam tenet etiã Dicastillus *de Sacram. tom.1. tract. 5. disp. 4. dub 15. num.301.* vbi sic ait: Addit Bartholomæus ab Angelis, barbam Sacerdotis post trinam lotionem abradendam. & conburendam esse, quoties Christi Sanguis super barbam Sacerdotis ceciderit. Quod tamen facilè ferent Monachi, quibus plerisque familiare est, barbam ad cutem rasitare; quod & multi alij Clerici Regulares. & sæculares etiam faciunt. Italis verò, & Germanis Sacerdotibus Sæcularibus, & non paucis etiam Regularibus, qui more gentis barbicolæ sunt, durum satis in praxi videbitur, quorũ causam tuendè suscepit Bonacina *suprà*: tum quia (inquit ille) non est vsu receptum (quasi verò res esset tam frequens, vt ex vsu, & frequentia possemus sumere argumentum;) tum quia Sacerdotes aut obligandi essent ad non deferendam barbam (quidni) obligentur? imò ad non nutriendam cæsariem more fœminarum, (quod non pauci faciunt:) aut saltem (inquit ille) aliquando cogerentur lubibrij notam subire abrasa, & conbusta barba. Quamobrem putat Bonacina sufficere, si repetita lotione barbam purgent, iuxta receptam consuetudinem. Hucusque Dicastillus.

RESOL. LV.

An si particula cadat super manum v.g. communicantis, sint virtute Rubricæ Missalis manus lauandæ, & aqua in Sacrarium infundenda?

Et quid si labatur super vestes Monialis, vel in terra, tabula, panno prophano, vel aliqua alia re, vel super barba communicantis, vel si laicus sustulerit è terra, &c.

Et quid faciendum, si in supradictis locis, & partibus ceciderit aliquid è sanguine?

Et quid, si ex Hostia, vel Sanguine aliquid ceciderit in panno sacro, videlicet super manicam, Albæ, Mappam, linteum seu pallam, &c. Ex part. 10. tract.13. & Misc.3.Res.49.

§.1. NEgatiuam sententiam tenet Pellizzarius, *tract. de Monialibus, c. 10. sect.3. subsect.1. num.241.* vbi sic ait: Quod si hic obiter quæras, an casu, quod particula consecrata labatur super veste Monialis communicantis, aut super aliqua alia re, vel etiam super manibus ipsiusmet Monialis, obseruari debeat rubrica Missalis, quæ ita habet: Si ceciderit (hostia scilicet consecrata) extrà corporale in mappam, seu alio quouis modo in aliquod linteum, mappa, vel linteum huiusmodi diligenter lauetur, & lotio ipsa in Sacrarium effundatur. Respondetur, quòd cùm ista Rubrica loquatur expressè de mappis, seu linteis, non videtur extendenda ad alios similes casus; & consequenter neque ad eos, qui hic proponuntur; idque iuxtà communem regulam, quod vbi agitur de obligatione imponenda, stricta inter prætio facienda est; præter quam quod obseruentia istius rubricæ esset valdè onerosa in casibus hic propositis, vt facilè considerãti constabit; verum tamen est, quod in simili diligenter iuspiciendum est, num in loco, super quo cadit hostia consecrata, adsit aliquod illius fragmentum; &, si quod est, aliquo ex modis indicatis attollendum est reuerenter, quin etiam esse valdè decens, vt Moniales ipsæ abluerent rem illam, super qua cadit particula consecrata; idque ad maiorem reuerentiam Sacramenti. Quæ omnia confirmari maximè possunt ex doctrina, quam tradit Suarez *disp 84. de Euchar. sect.1.* nimirum ea, quæ in Missali proponuntur sub titulo, de Defectibus, solùm esse instructiones quasdam doctrinales (non verò speciales constitutiones inducentes nouam obligationem) & quidem daras iuxta doctrinam probabilem; non tamen magis obligare, quam res ipsas, aut doctrinam in qua eæ fundantur. Ita docti viri à me consulti, & præsertim P. Zanettus alibi citatus. Hucusque Pellizzarius, quem sequitur Baucius *in Miscellan. Casuum Conscien. tom. 2. post Opuscul. 4. in appendice, quæst.7.*

Sup. hoc & aliquibus aliis casibus contentis in hac Res. lege doctrinam Res. præteritæ, & signãter §.1.

2. Sed ego contrariæ sententiæ adhæreo, & puto Rubricam Missalis non apponere illa exempla, & casus taxatiuè, sed demonstratiue; respexit enim ad casus, qui ordinariè contingere poterunt: vnde non ex hoc sequitur minimè extendendam esse ad alios, & similes casus, in quibus militat eadem ratio; Et ita Rubricam illam intellexerunt omnes fere Doctores, vt apparet exemplis adiiciendis, quæ ponit Franciscus Nigro *in Additionibus ad Petrum Roys de ord. celebrandi Missam, part.2. regul.7. num.5.* vbi sic ait: Quæres quid præstare teneatur celebrans, si particula Communionis ceciderit in terra. Respondetur, quod locus radi debet, quantùm sufficit; hoc est, quanta est superficies terræ tactæ, & rasum reiici debet in Sacrarium: Si vero ceciderit in tabula, eadem ratione fiat: quòd si in panno profano, tunc lauari debet per tres vices, & ablutio reponi debet in Sacrarium. vt aliqui dicunt, quos sequitur P. Trimarchus, licèt nonnulli dicant, quod pannum totum scindi debet, & comburi; verùm hoc fit, si ceciderit de sanguine, vt ait Posseuinus *de Officio curati, cap.8. num.4.* lauari ergo solùm debet ob reuerentiam Sacramenti etiamsi fragmentum non possit discerni, & tunc pannum pluries lauari debet, non verò comburi vt docent Henriquez *lib.8. cap.28. num.4.* Sotus *in 4. dist.10. quæst.2. art.8.* Gauantus *in Comment. rub. Missal. part.3. tit.10. num.15.* & alij; si autem ceciderit in panno Sacro, videlicet super manicam Albæ satis erit si lauetur, & fiat vt supra fine seissione; Posseuinus *loco citat.* Et hæc omnia sunt conformia *Rub. Missal. de defectib. in Minist. occurentib.* Quod est faciendum, si cadat Sacramentum super barbam communicandi; quod satis est si barba pluries lauetur, si quidem barbæ magis parcendum est, quam tapetibus, & aliis pannis. Quid si Laicus, præueniens Sacerdotem, particulam sustulerit è terra? Posseuinus *loc. cit.* docet, quod lauari debent manus Laici, & ablutio reponenda est in Sacrarium propter eandem rationem. Et hæc omnia docet Nigrus *vbi suprà*, & communiter Doctores. Dicendum ergo itaque in prædicta Rubrica comprehendi casus similes; nam vt ego alibi probaui, casus in quo militat eadem ratio, dicitur comprehensus in casu expresso vt nota Glossa communiter recepta, *cap.1. verb. Italia, de tempor. Ordinan. in 6.*

RESOL.

RESOL. LVI.

Ad dubius si sit duodecima hora, noctis comedat, possit mane communicare, vel si sit dubius si comederit post mediam noctem?

Et infertur non solum in materia strictæ, & propriæ iustitiæ, sed etiam in aliis materiis esse meliorem conditionem possidentis, quando superuenit dubium? Ex part. 10. tr. 12. & Misc. 2. Res. 17.

§. 1. RESolutio hæc erit, vt reor, Lectoribus satis curiosa. Et negatiuam sententiam tenet cum multis Pater Franciscus Lugo *in Discursu Prævio ad Theologiam moralem*; *part.* 1. *cap.* 2. *quæst.* 30. *num.* 176. cui adde Doctissimum Quiedum *in pract.* 2. *D. Thomæ*, *tract.* 5. *contr.* 4. *punct.* 7. *num.* 44 & 45. Probatur Primò; quia præceptum communicandi ieiunè semper obligat. Ergo cum accedis ad Eucharistiam dubitans an sis ieiunus, dubitas an violes præceptum communicandi ieiunè. Cumque nulla sit pro tua libertate possessio, quæ tale præceptum antecedat, sequitur in dubio pro præcepto iudicandum esse. Probatur Secundo: nam qui dubitat an sit ieiunus, dubitat an sit dignus. Ergo ne manducet indignè, probare debet se ieiunum esse. Probatur Tertiò, nam vnusquisque probare debet fundamentum suæ intentionis, alias succumberet, *leg. Et qui dicit. ff. de Probationibus leg. Actor*, *quod asseuerat. Cod. eodem*, *leg. Qui accusare. Cod. de edendis*, traditque Decius *consil.* 564. *num.* 1. & multis relatis Mascardus *de Probationibus*, *verb. Qualis. conclus.* 1253. *num.* 3. & 4. Sed fundamentum exigentis Eucharistiam est esse ieiunum; Ergo dum non probat hoc fundamentum certus de ieiunio, petit immerito Communionem.

Sup. hoc supra in tr. 1. Res. 123. à lin. 5. & in Res. 130. §. Nota & infra in Res. infra in Res. 90. in fine §. Sed cursim cum Dicastillo hic infra citato.

2. Sed Eminentissimus Cardinalis, Lugo *de Euchar disp.* 15. *sect.* 2. *num.* 42. circa dubia supradicta, sic ait: Ego media via procederem; inuenio enim magnum discrimen inter illa duo Dubia: & sicut non est restringendum hoc ieiunium, & præceptum, quando dubitamus, an aliquid traiecimus, vel non, sic non est danda nimia licentia comedendi & bibendi, quoties nocte aliquis euigilat, & posteà manè communicandi hoc prætextu, quod nunquam scierit quota esse hora, atque ideo dubius sit an post mediam noctem cibum, vel potum sumpserit quod certè contrà praxim, & mentem Fidelium aperte est: fateri ergo debemus, eum qui mane communicare vult, debere positiuè scire saltem probabiliter, se non post, sed omninò ante mediam noctem comedisse, aut bibisse. Ità Cardinalis Lugo.

Sup. hoc in fine Res. 1. nor. præteriit, & in Res. 2. in eodem §. cursim ad medium.

3. Verùm (ô varia hominum iudicia) totum contrarium tenet doctissimus Arriaga *in Cursu Theol. tom.* 3. *disp.* 25. *sect.* 5. *num.* 34. ità enim asserit: Si quis vesperi dubitans an sit audita duodecima comedat, vtrum possit die sequenti communicare? Negat benè Pater Sanchez, *supra*, *num.* 40. quia tunc nulla possessio stat pro libertate; non enim fuerat anteà in potestate communicandi; quin potiùs possessio est ex parte præcepti, quia certum est esse præceptum de non communicando, nisi sim ieiunus, per dubium autem ieiunium non liberor ab eo præcepto certo. Aliud tamen video ego circà eundem casum dubium, an si quis vesperi, reputans vt omninò certum esse ante duodecimam noctis, comedat, postea vero mane incipiat dubitare; an post mediam noctem comederit, eo quod videatur sibi nimis exiguum tempus elapsum à comestione vsque ad eam horam, quodque sufficere non possit ad explendas eas sex, aut quinque horas à media nocte ad tempus quo dubium incipit; an, inquam, in tali casu possit communicare? Respondeo consequenter ad doctrinam traditam omninò posse; nàm ille fuit in possessione ieiunij vsque ad dubium subortum, per dubium autem nemo extrahitur à possessione bonæ fidei; hinc constat differentia inter istum & præcedentem casum: nam in præcedenti nunquam fuit homo in possessione ieiunij, cùm dum comedit incœperit dubitare, an esset post duodecimam, & consequenter an violaret illius diei ieiunium: at in secundo casu incœpit à possessione ieiunij, & posteà primò dubitauit. Hucusque Arriaga.

4. His tamen non obstantibus, ego non recedo à sententia, quam olim docui. Puto igitur in supradictis casibus, non solùm quando dubium est de tempore, sed etiam quando dubium est de comestione, licitum esse mane sactam Eucharistiam sumere. Et ita nostram sententiam me citato defendit latè Pater Dicastillus, *de Sacrament. tom.* 1. *tract.* 4. *disput.* 9. *dub.* 17. *quæst.* 4. *num.* 297. cuius verba accipe, Concludo non non esse locum sententiæ Lugonis, quæ media est inter cæterorum Auctorum sententias, inter quas prima mihi placet, quæ in casu dubij putat licere, siue dubium sit comestionis, & potationis, siue temporis modo prædicto; & præter dicta impugnando hanc mediam sententiam, alia suppetunt in illius primæ probationem, & dictorum confirmationem: quæ iam subiicio.

5. Nota primò ius ad aliquid certo tempore agendum, vel recipiendum, &c. posse acquiri, & haberi multo tempore ante illud, ità vt quamuis ego non habeam hodie sv.g. ius agendi, vel recipiendi hodie, sed agendi, vel recipiendi cras; hodie nihilominus possum habere illud ius pro crastina die. Sic Beneficiarius, v.g. hodie habet ius percipiendi in posterum statis temporibus fructus annuos. Hinc est, vt censeatur possidere ius. Hac ergo ratione potest intelligi, quod hodie quis habet acquisitum ius petendi, & accipiendi cras Sacramentum communionis, aut celebrandi. Sic Parochianus hodie ius habet petendi, & accipiendi Sacramentum cras à suo parocho, si non sit legitimum impedimentum: sic Sacerdos legitime promotus habet hodie ius celebrandi singulis diebus, si non sit legitimum impedimentum.

6. Nota Secundò cum meliori sententia, non solùm in materia strictæ, & propriæ iustitiæ, sed in aliis materiis esse meliorem conditionem possidentis, quandò superuenit dubium, vt in variis locis, explico, & videri potest Sauchez, *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 42. *n.* 32. *& lib.* 1, *in Decalogum*, *cap.* 10 *num.* 11. *in fine*. Ioannes Sanchez *in Selectis*, cum pluribus aliis apud ipsos, atque in vniuersum quotquot generaliter docent in dubio legis, aut voti nullam esse obligationem, tenentur id ipsum sentire. Quæ doctrina satis communis est. Hinc est, si semel supponamus possessionem iuris, de quo proximè dicebamus in præcedenti notatione, etiamsi superueniat dubium, quod facta diligentia pelli non possit; possidentem posse pergere, & vti iure suo, perindè atque si non superuenisset dubium. Alioquin inter cætera inconuenientia sequeretur, quòd tantum posset dubia causa, atque causa certa; nam certa causa quid quæso ampliùs efficeret, quàm impedire effectum; hoc autem etiam dubia causa facit in sententia prædicta, nostræ contraria.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 2. Res. 2. & in aliis eius annot.

7. Ex his facilè est probare nostram sententiam, quia in nostro casu ex parte communicaturi supponitur ius acquisitum communicandi singulis diebus, in quibus non sit impedimentum iuxtà dicta in prima notatione. Hoc autem ius hodie possidet pro omnibus sequentibus diebus, quæ possessio est, & durat

durat tota vita: Ergo, vt hoc iure, quod possidet, non possit vti, necesse est superueniat aliquod impedimentum certum; nàm iuxtà dicta in secunda notatione solùm impedimentum dubium non est satis. Atqui in nostro casu, siue dubium sit de comestione, siue de hora comestionis, est impedimentum dubium; possessio vero iuris ad communicandum præsupponitur certa. Ergo non potest illi obstare impedimentum illud dubium. Hoc totum ampliùs declaratur ex solutione argumentorum secundæ sententiæ. Et hæc omnia asserit Dicastillus, *loco citato*, qui posteà respondet ad argumenta, quæ adducuntur contrà nostram sententiam; quam præter ipsum, Layman, & Sancium à me alibi abductos, amplexi sunt me nominatim citato, doctissimus, & amicissimus Ioannes Caramuel nunc meritò Episcopus Misiensis, & Suffraganeus Moguntinus *in Theol. moral. lib. 3. cap. 1. disp. 1. num. 1353.* & me citato Bossius *in Mor. tom. 1. part. 2. tit. 1. §. 46. num. 1712.* & me citato Leandrus, *de Sacram. tom. 2. tract. 7. disp. 5. quæst. 5.* & me citato Pasqualigus *in Praxi de Ieiun. decis. 445.* & 446. & me citato tanquam probabilem nostram sententiam admittit Trullench, *de Sacram. lib. 3. cap. 6. dub. 5. n. 24.* & me etiam citato Tamburinus *Opusc. de Comm. c. 2. §. 7. num. 29.* Dicendum est itaque (siue dubium sit supra tempus, siue sit supra comestionem) posse quemlibet manè sumere Eucharistiam. Sed circà dubia proposita, præter Doctores citatos vide Spinolam *Opusc. de Electione, disp. vlt. sect. 6.* & me citato Auersam *de Sacram. Euchar quæst. 8. sect. 8.*

Alibi in Resolutionibus & §§. not. primæ, huius Resol.

RESOL. LVII.

An detur paruitas materiæ respectu temporis excusans à mortali, si quis comedat post mediam noctem, & postea sumat Eucharistiam?

Et dubitatur quantum temporis in tali casu possit haberi pro minimo?

Et aduertitur, quod cum media nox sit tunc, & completus antecedens dies, quando sol incipit ascendere ad nostrum hemisphærium, si quis noctu ex aspectu stellarum, vel aliunde sciret cognoscere eamdem mediam noctem, & tempus paruum illud, in quo sol ad nostrum hemisphærium accedere incipit, licet ante illud tempus sonuissent omnia horologia loci, potest absque fractione ieiunij naturalis sequentis diei comedere, & bibere vsque ad illud tempus, in quo nouit solis ascensum, incepisse?

Et an detur paruitas materiæ quoad cibum, & potum in ordine ad sumptionem Eucharistiæ?

Et vtrum cadens in flumen, & demersus casu & violenter deglutiat, & traiiciat in stomachum aquam, siue in parua, siue in magna quantitate, & siue totaliter statim eiiciat, siue non, censeri debeat ieiunus, ac possit recipere Eucharistiam?

Et deducitur deglutientem casu & violenter & præter intentionem globulum ex saccharo vel alium cibum & potum sibi dormienti, vel non aduertenti in os apertum, & in guttur ab altero immissum censeri ieiunum, & posse communicare, vel celebrare eodem die, sicut cum attrahitur ad stomachum muscæ, aut aliud animal ex improuiso intrans in os apertum?

Idem est, si aliquid descenderet ab extra in stomachum, etiam alicuius quantitatis, ita quod homo non perciperet, vel intenderet illud deglutire, sed sicut saliua descenderet in stomachum, non impediat communionem?

Et tandem notatur, quod qui credens esse mediam noctem communicauit, poterit post mediam noctem iterum communicare, etiam si post priorem Communionem cibum sumpserit, dummodo sit ante mediam noctem? Ex part. 10. tractat. 16. & Misc. 6. Ref. 49. alias. 48.

§. 1. Affirmatiuam sententiam tenet Pater Pasqualigus *in praxi de ieiunio, decis. 158.* & 443. *vbi num. 10.* sic asserit: Cùm igitur non possit tempus mediæ noctis exactè obseruari, nec etiam quatenus bene, vel malè indicatur ab horologiis, vt constat ex dictis: remanet, quod præceptum non obligat ad exactè obseruandam mediam noctem, quocumque modo nobis innotescat: sed quod sufficiat quod moraliter ieiunium incipiat à media nocte seu ab illo tempore, quod moraliter habetur pro media nocte, atque adeò quod exigua pars temporis post medium noctis mathematicum computetur pro ipsa media nocte, ita vt etiam si medium noctis mathematicum, aut vt indicatum per horologia, comedatur; aut bibatur, dummodo per exiguum tempus id fiat, possit adhuc censeri ieiunium incipere à media nocte.

2. Præterea, si continuetur comestio post exiguum tempus post mediam noctem etiam indicatam per horologia, sicut comestio est diei præcedenti, ita etiam paruum illud tempus, quod continuatur, tenditur ab ipsa comestione, vt ab operatione diei præcedenti, vt moraliter censeatur tempus diei præcedentis: quia cùm non sit dies præcedens separandus mathematicè à die subsequenti, sed tantum moraliter, potest operatio diei præcedentis vltrà se ad aliquid modicum de die subsequenti; & facere quod fiat separatio completa operatione.

3. Deinque hìc habet locum etiam paruitas materiæ: ratione cuius censeri potest non solùm ieiunium naturale illius diei, quia ad modicum initium ipsius protrahitur comestio præcedentis diei. Tunc enim datur paruitas materiæ excusans saltem à mortali, quando materia quæ est obiectum præcepti est diuisibilis; quia tunc exigua portio huius materiæ non fundat grauem dissonantiam ad rectam rationem, & præceptum: nec tollitur substantia rei præceptæ, sed ad summum secundum quid. Sic exigua comestio carnium in die ieiunij, exercitium operis seruilis per exiguum tempus in die festo, anticipatio comestionis in exiguo tempore ante meridiem in die ieiunij, & alia huiusmodi, ratione paruitatis materiæ excusant à mortali, & etiam à veniali, si adsit aliqua causa. Vnde cum præcipiatur ieiunium naturale pro toto tempore illius diei, quod antecedit Eucharistiam, si aliquod exiguum de hoc tempore detrahatur, ita vt non incipiat statim à media nocte, erit paruitas materiæ detracta de tempore illius diei, quæ non erit computanda. Ita ille: & posteà *num. 14.* hæc subdit: Dubitari tamen potest, quantum temporis in tali casu possit haberi pro minimo. Resp. debere esse solum tantum, quantum detrahi potest à subsequenti die, ita tamen, vt adhuc dies censeatur moraliter integer; alioquin si non censeretur integer, neque etiam censeri posset, quod esset seruatum ieiunium pro illa die. Hoc autem non debet esse aliqua integra hora, quia cum quælibet hora sit pars integralis diei, si vna deficiat, non erit dies integer. Hucusque Pasqualigus.

4. Sed hæc omnia licèt ingeniosè excogitata sint, sunt tamen contra communem praxim Ecclesiæ: vnde prorsus videntur reiicienda, & ideo recte Pater Bossius contra Pasqualigum inuehitur *in Mor. tom. 1. part. 2. tit. 1. §. 46. num. 1732.* sic asserit. Ad hanc autem moralitatem explicandam plures congerit Pasqualigus, vbi etiam asserit dari posse paruitatem materiæ respectu temporis excusantè à mortali, ità vt etiam si quis post exiguum tempus post me-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

diam noctem etiam indicatam per omnia horologia, quæ dederint omnes pulsus horæ duodecimæ, seu designantes, mediam noctem esse completam, comedat, ista comestio non soluat ieiunium naturale illius diei sequentis; nec fundet grauem dissonantiam ad rectam rationem, & præceptum, nec tollatur substantia rei præceptæ, sed ad summum secundum quid. Quæ tamen quoad ieiunium naturale pro communione facienda videntur contra communem praxim Ecclesiæ, & vsum fidelium, qui semper putarunt violari ieiunium naturale, & impediri sumptionem Eucharistiæ, si post designatam mediam noctem per omnia horologia non errantia, datis omnibus pulsibus mediæ horæ diei antecedentis cibus, vel potus de nouo sumatur: & sicut non datur paruitas materiæ quoad cibum, vel potum (vt supra ostensum est) ita iuxta consuetudinem Ecclesiæ, & fidelium vsum non datur paruitas materiæ, quoad tempus (licet in cæteris, de quibus Pasqualigus, detur iuxta eiusdem Ecclesiæ consuetudinem, & communem doctorum sententiam) & si post vltimum pulsum omnium horologiorum, quæ assumuntur ad indicandam mediam noctem, liceret comedere, & bibere post exiguum tempus sequens, non haberemus certam regulam mediæ noctis, & seruandi ieiunium naturale pro communione, cum diuersimodè à diuersis posset tempus exiguũ intelligi. Supposito igitur, quod moraliter loquendo, & iuxta communiorem existimationem, & loci consuetudinem media nox censeatur completa, vltra non poterit de nouo sumi cibus, vel potus absque ieiunij naturalis sequentis diei violatione: & moralitas illa, iuxta quam attendendum est mediæ noctis complementum, in eo consistere videtur, vt excludatur punctum, & indiuisibile mathematicum, sed admittatur aliqua parua latitudo, & extensio, saltem iuxta extensionem pulsuum indicantium vltimam horam diei antecedentis, & vt non teneatur quis buccellam panis, vel alterius cibi præsumptam expuere statim ac percipitur signum mediam noctem indicans. Ita Bossius, & DD. communiter. Nota tamen quod cum media nox tunc sit, & completus antecedens dies quando Sol incipit ascendere ad nostrum hemisphærium; si quis noctu ex aspectu stellarum, vel aliunde scitet agnoscere eamdem mediam noctem, & tempus paruum illud, in quo Sol nostro hemisphærio accedere incipit, licet ante illud tempus sonuissent omnia horologia loci, posset absque fractione ieiunij naturalis sequentis diei comedere, & bibere vsque ad illud tempus, in quo nouit Solis ascensum incepisse; nam Ecclesia obligat nos, vt nos conformemus horologiis solum in supplementum, scilicet, quia ordinariè, & communiter aliter mediæ noctis cognitio non potest haberi.

5. Quod autem non detur paruitas materiæ quo ad cibum, & potum in ordine ad sumptionem Eucharistiæ contra eumdem Pasqualigum, ego satis alibi probaui, & probant communiter Doctores, & nouissimè Bernal. *de Sacramentis, disp. 44. sect. 1. n. 8.* vbi docet, non esse mirum, si in hoc præcepto non detur materia leuis: nam licet modicissimus esus, aut potus in seipso spectatus, leuis sit in ordine tamen ad finem intentum, qui est reuerentia tanto Sacramento debita, & forsan etiam significatio Christi, vt nostri præcipui cibi, non est leuis, sed grauis. Sicut etiam appositio modicissimæ aquæ in vino conferendo in se quidem leuis est; in ordine tamen ad significationem, grauis, ideoque grauiter obligat: & ita me citato hanc sententiam tenet Bossius *in moral. tom. 3, tit. 22. §. 1. n. 13.* asserens opinionem Pasqualigi esse improbabilem.

Alibi in tr. 1. Ref. 126. & 127. & in alio vers. earum annot. & infra in §. sequ. huius Ref.

Sup. hoc sup. in tr. 1. Ref. 209. & quoad hoc in tom. 3. tr. 3. lege doctrinam Ref. 66.

6. Dicendum est itaque, materiam huius præcepti, non esse comestionem, aut potationem leuem, sed esse ipsam sumptionem Eucharistiæ, quæ sumptio prohibetur, si præcessit comestio: neque enim peccat tunc quis, quia comedit, sed quia communicat postquam comedit: quæ materia magni momenti est. Et ita docet Dicastillus *de sacram. tom. 1. tract. 4. disp. 9. dub. 17. 9. 2. n. 68.* & ideò me citato hanc sententiam nominatim contra Pasqualigum tenet Leandrus *de sacram. tom. 2. tract. 7. disp. 5. quæst. 3.* & me citato nouissimè Bossius *tom. 3. tit. 22. tract. 10. §. 1. n. 15.* asserentes contrariam sententiam esse improbabilem. Vide etiam Martinum de San Ioseph *in mon. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. de Euchariſt. n. 5.* Caspensem *in Cur. Theolog. tom. 2. tract. 22. disp. 9. sect. 4. n. 44.*

7. Notandum est hic obiter, quod Bossius *vbi supra n. 19.* quærit, vtrum si quis cadens in flumen, & demersus casu, violenter deglutiat, & traiiciat ad stomachum aquam siue in parua, siue in magna quantitate, & siue statim totaliter eiiciat, siue non; censeri debeat ieiunus, vt possit recipere Eucharistiam. Et affirmatiuè contra Pasqualigum *decis. 320.* respondet. Probatur hæc opinio auctoritate Tabienæ Magistri sacri Palatij *ver. communicare n. 51.* vbi inter alias conditiones, quas ait requiri ad fractionem ieiunij prærequisiti ad sumptionem Eucharistiæ, ponit hanc, nempe, vt deglutiatur quid per modum cibi, id est ex intentione, si enim aliquid descenderet ab extra etiam alicuius quantitatis, ita quod homo non perciperet, vel non intenderet, illud deglutire, sed sicut saliva descenderet, non impediret. Ita Tabiena. Ad Doctores autem quos Pasqualigus adducit, respondet Bossius, solùm asserere frangi hoc ieiunium, quando aliquid sumitur per modum cibi, vel potus, quod in hoc casu non contingit, quia per modum respirationis aqua violenter traiicitur, seu potius attrahitur ad stomachum violenter, & præter intentionem attrahentis, qui non solum nõ vult comedere, aut bibere, sed nec vellet aquam intrare in os. Neque ex magna quantitate aquæ traiectæ infertur, aut inferri potest, actionem traiiciendi fuisse potationem, quia fuerit motus, quo per se primò aqua traiecta sit ad stomachum: nam aqua in hoc casu per respirationem solùm attrahitur ad stomachum cõsequutiuè, dum respirando attrahitur aër, sicut cùm aqua attrahitur ad os per fistulam in aqua immersam, & licet in progressu, durante submersione post attractum aërem continuatione respirationis attrahatur successiuè multum aquæ immediatè in stomachum, nihilominus semper sola respiratione, seu per modum respirationis traiicitur, non verò per veram potationem. Vnde non magis frangitur hoc ieiunium ad Communionem requisitum, quàm si per vim media fistula violenter alicui in os immissa, & penetrante guttur, aqua, aut alius liquos transmitteretur ab extrinseco in illius stomachum præter illius intentionem, & voluntatem, seu quocumque alio modo per vim in stomachum Sacerdotis, vel Laici infunderetur aqua, vel vinum, aut alius liquor, hoc enim casu non censebitur vllo modo solutum ieiunium, & impediri celebrationem, aut S. Communionem: nec præsumi debet, aut potest, Ecclesiam velle excludere à celebratione, vel Eucharistiæ sumptione eum, qui talem passus est vim. Itaque non videtur credibile, Ecclesiam ob talem deglutitionem aquæ casualem, & respectu deglutientis merè materialem actionem, & inuoluntariam, & violentam velle addere afflictionem afflicto, & priuare Sacerdotem iure celebrandi, aut communicandi; & etiam in hoc casu nulla possit cogitari irreuerentia erga Sacramentum, cùm talis deglutitio non fuerit

Sup. hoc lege doctrinã Ref. & §§. not. seq.

actus moralis, nec vllo modo volita in se, vel in aliquo actu antecedente, & fuerit traiectio merè materialis, & deglutiens ad summum tantum dici possit non ieiunus materialiter, & physicè, non verò moraliter, & humano modo. Vnde ex his infert Bossius *n.* 21. deglutientem casu, & violenter, & præter intentionem globulum ex saccharo, vel alium cibum, aut potum sibi dormienti, vel non aduertenti in os apertum, & guttur ab altero immissum censeri ieiunum, vt possit celebrare, vel communicare eo die: quia in his casibus traiectio illius cibi, vel potus ad stomachum, non est per modum cibi, & potus, scilicet non est vera comestio, vel potatio, seu potius est per modum respirationis, scilicet respirando, & attrahendo aërem, & consequenter, seu consequutiuè illum cibum, vel potum aëri annexum, & coniunctum, seu immixtum, sicut quando attrahitur ad stomachum musca, aut aliud animal ex improuiso intrans in os apertum; ipsemet enim traiiciens, seu deglutiens, & natura ipsa intendit tantum refrigerium per respirationem, ipsumque respirationis motum elicere, & aërem attrahere, cui attractioni postea per accidens, & consequenter propter intimam illius coniunctionem cum aëre, & organo ipso respirationis sequitur attractio illius cibi, vel potius non soluitur hoc ieiunium, nec impeditur receptio Eucharistiæ.

Sup. hoc supra in tr. 1. Res. 126. §. vlt. & in Resol. 131. §. Sed iste, cursim, ad medium.

8. Sed hæc omnia ex mente Bossij dicta esse volo; nam Cardinalis Lugo, & Pasqualigus ab eius doctrina recedunt, licèt Bossius ad argumenta, & instantias Cardinalis de Lugo, & Pasqualigi conetur respondere; sed ego propter reuerentiam debitam tanto Sacramento, quidquid sit de probabilitate speculatiua horum dubiorum, si in facti contingentia acciderent, puto in tali casu abstinendum esse à sumptione sacræ Eucharistiæ.

9. Noto hîc obiter cum Bernal *vbi suprà n.* 11. quòd si credens iam esse mediam noctem, communicet; & postea deprehendat, se communicasse ante mediam noctem, poterit post mediam noctem iterum communicare, etiamsi post priorem communionem cibum sumpserit, dummodo sit ante mediam noctem, quia suo iure vtetur.

RESOL. LVIII.

An in articulo mortis tempore pestis teneatur Parochus Eucharistiam infirmis ministrare. Ex part. 5. tr. 3. Res. 53.

Sup. hoc infra in tr. 4. Res. 26. §. 2. cursim ad medium, & in §. vlt. ad lin. 6.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam tenet Mancinus *in practica visitandi infirmos, pract.* 8. *dub.* 18. vbi docet quòd quamuis non sit necessarium simpliciter hoc sacramentum, tamen est necessarium moraliter, quia auxilium, quod per hoc sacramentum, datur, moraliter necessarium censetur ad perseuerandum in iustitia per pœnitentiam recuperata, & vincendas tentationes illo tempore occurrentes. Vel etiam, quia potest conferre gratiam primam, quam imperfecta pœnitentia prius non contulit. Et hanc sententiam docet etiam Iacobus Marchantius *in candelabr. Sacram. tract.* 6. *de Extrema-Vnctione, lect.* 3. *fol.* 387. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *n.* 99. & 100. & alij quos ego alibi adduxi, & adducit Philibertus Marchinus *de bello diuino, part.* 3. *cap.* 2. *n.* 2.

nlibi in Res. Act. præteritæ.

2. Sed ipse ibi *n.* 4. *& seq.* & meritò contrariam sententiam docet cum Philiarcho *de officio Sacerdotis, lib.* 4. *cap.* 3. Maiolo *de irregular. lib.* 2. *c.* 20. *n.* 3. Benzonio *in speculo Episc. lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *conclus.* 6. Tabiena *verb. Episcopus, n.* 5. & aliis. Et ita definiuit Gregor. XIII. *anno* 1572. *die* 10. *Decembr.* in quadam Epistola ad Cardinalem sanctæ Praxedis Carolum Borromæum, nunc inter Diuos enocatum, auditis Cardinalium votis sequentis tenoris *die* 10. *Decembris* 1577. Facta Sanctissimo relatione in Consistorio, Sanctissimus decreuit scribendas esse simpliciter literas ad Cardinalem sanctæ Praxedis, die 13. eiusdem mensis, Congregatio censuit scribendas esse literas in hanc formam. Parochi tempore pestis teneantur omnino residere in suis Ecclesiis parochialibus, & si non resideant, agendum contra eos ex decreto *c.* 1. *sess.* 25. & seruata forma ibi prescripta; ministrent verò Parochianis peste infectis sacramenta Pœnitentiæ & Baptismi per alios, licet Alciatus diceret quòd ex duobus vltimis verbis videatur prohiberi, ne Parochi etiam volentes per se ipsos, hæc duo sacramenta ministrent, tamen tota Congregatio dixit, quòd ista erat mens Sanctissimi in prohibendo hæc Parochis ad commodum Parochianorum, qui sani essent. Hi enim verisimiliter nollent conuersari cum Parochis euntibus ad infirmos peste. Ita sacra Congregatio, & hæc opinio intelligenda est, vbi Parochus pestilentum confessiones audiuit & absoluit; secus autem si infirmus non valuit confiteri, quia amisit loquelam, vel est surdus, vel si adsit tantùm Diaconus pro administratione huius Sacramenti.

Sup. hic §. 1. n. 2. Res. 26. §. 2. n. 2. & §. vlt.

RESOL. LIX.

An Sacerdos mutus possit tempore necessitatis Eucharistiam aliis ministrare? Ex part. 5. tractat. 6. Resol. 18.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Gratianus *in dissept. tom.* 3. *cap.* 407. *num.* 6. vbi sic ait. Quamuis Eucharistia non debeat deferri ad infirmos, nisi per Presbyterum, *cap. peruenit, de consec. distinct.* 2. tamen stante necessitate, aut absentia, vel impedimento Sacerdotis, cùm de hoc quæreretur, dixi posse concedi, vt Diaconus deferat, solus enim Sacerdos consecrare potest verbis à Christo institutis, sed consecratam administrare potest etiam mutus Sacerdos. Ita ille.

RESOL. LX.

An in articulo mortis, si alius non adsit, possit simplex Eucharistia à Sacerdote excommunicato nominatim, vel publico Clerici percussore? Ex part. 5. tractat. 3. Res. 49.

§. 1. VIdetur negatiuè respondendum ex Kellisonio *in 3. part. quæst.* 82. *art.* 3. *in fine*, vbi sic ait. Quando periculum esset, ne aliquis moreretur sine viatico, eo quòd Pastor non adsit, nec ab eo possit peti venia, tunc quilibet Sacerdos censura non impeditus posset ministrare. Ita ille, quia licet Eucharistia sit necessaria, non tamen est ita necessaria sicut Baptismus, & pœnitentia, & ita non debet concedi administratio Eucharistiæ cum indecentia Ministri prohibiti ab Ecclesia.

Sup. §. 1. n. 1. Res. 1. n. 1. & §. 2. n. 1. Res. 2. n. 1. & §. 3. n. 1. Res. 3. n. 1. & §. 4. n. 1. Res. 4. n. 1. & §. 5. n. 1. Res. 5. n. 1. & §. 6. n. 1. Res. 6. n. 1. & §. 7. n. 1. Res. 7. n. 1. & §. 8. n. 1. Res. 8. n. 1. & §. 9. n. 1. Res. 9. n. 1. & §. 10. n. 1. Res. 10. n. 1. & §. 11. n. 1. Res. 11. n. 1. & §. 12. n. 1. Res. 12. n. 1. & §. 13. n. 1. Res. 13. n. 1. & §. 14. n. 1. Res. 14. n. 1. & §. 15. n. 1. Res. 15. n. 1. & §. 16. n. 1. Res. 16. n. 1. & §. 17. n. 1. Res. 17. n. 1. & §. 18. n. 1. Res. 18. n. 1. & §. 19. n. 1. Res. 19. n. 1. & §. 20. n. 1. Res. 20. n. 1. & §. 21. n. 1. Res. 21. n. 1. & §. 22. n. 1. Res. 22. n. 1. & §. 23. n. 1. Res. 23. n. 1. & §. 24. n. 1. Res. 24. n. 1. & §. 25. n. 1. Res. 25. n. 1. & §. 26. n. 1. Res. 26. n. 1. & §. 27. n. 1. Res. 27. n. 1. & §. 28. n. 1. Res. 28. n. 1. & §. 29. n. 1. Res. 29. n. 1. & §. 30. n. 1. Res. 30. n. 1. & §. 31. n. 1. Res. 31. n. 1. & §. 32. n. 1. Res. 32. n. 1. & §. 33. n. 1. Res. 33. n. 1. & §. 34. n. 1. Res. 34. n. 1. & §. 35. n. 1. Res. 35. n. 1. & §. 36. n. 1. Res. 36. n. 1. & §. 37. n. 1. Res. 37. n. 1. & §. 38. n. 1. Res. 38. n. 1. & §. 39. n. 1. Res. 39. n. 1. & §. 40. n. 1. Res. 40. n. 1. & §. 41. n. 1. Res. 41. n. 1. & §. 42. n. 1. Res. 42. n. 1. & §. 43. n. 1. Res. 43. n. 1. & §. 44. n. 1. Res. 44. n. 1. & §. 45. n. 1. Res. 45. n. 1. & §. 46. n. 1. Res. 46. n. 1. & §. 47. n. 1. Res. 47. n. 1. & §. 48. n. 1. Res. 48. n. 1. & §. 49. n. 1. Res. 49. n. 1. & §. 50. n. 1. Res. 50. n. 1. & §. 51. n. 1. Res. 51. n. 1. & §. 52. n. 1. Res. 52. n. 1. & §. 53. n. 1. Res. 53. n. 1. & §. 54. n. 1. Res. 54. n. 1. & §. 55. n. 1. Res. 55. n. 1. & §. 56. n. 1. Res. 56. n. 1. & §. 57. n. 1. Res. 57. n. 1. & §. 58. n. 1. Res. 58. n. 1. & §. 59. n. 1. Res. 59. n. 1. & §. 60. n. 1. Res. 60. n. 1.

2. Sed his non obstantibus, putat Zambranus *de Sacram. Euchar. cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 2. quòd si infirmus periclitans posit recipere Eucharistiam, & non pœnitentiam, nec aliud sacramentum, vt si Sacerdos esset mutus, tunc posset licitè Eucharistiam recipere, etiam ab excommunicato nominatim, & ab alio quocumque, à quo posset recipere in tali articulo absolutionem sacramentalem. Et ita hoc

hoc tantum casu admitto sententiam Suarez 3. *part. tom.3.quæst.82.art.3.disput.72.sect.4.in fine*, & Ledesmæ *de Extrema-Vnctione.cap.5.dub.vlt.* asserentium absolutè posse recipi Eucharistiam à quocumque ministro à quo posset recipi absolutio (quæ quidem sententia sic generaliter proposita non est improbabilis, etiamsi possit recipere aliud Sacramentum.) Probatur, quia necessitas caret lege, *cap. sicut, de consecrat. dist.*1. Sed in dicto casu, in quo non potest recipi aliud Sacramentum, est summa necessitas, quia non ita facilè haberi solet vera contritio sine sacramento, ab iis maximè, qui spiritualibus exercitiis non sunt dediti; ergo in tali casu danda est Eucharistia etiam à Ministris aliàs prohibitis. Hac enim ratione verior, & communior sententia, magisque Tridentino conformis id admittit de Sacramento Pœnitentiæ pro articulo mortis. Et hæc omnia docet Zambranus *vbi suprà* Cui adde Chapeauillam *de sacram. Euchr.quæst.*4. vbi sic ita. Sicut pro Sacramento pœnitentiæ in necessitate vocantur quicumque Sacerdotes, quantumuis præcisi, & hæretici, ita etiam vocari poterunt pro Sacramento Eucharistiæ. Neque hoc in fauorem hæreticorum, & huiusmodi malorum Ministrorum, sed solùm ipsorum fidelium in necessitate existentium, sic enim censuræ latæ sunt in odium iniquorum, vt non cedant in grauissimum ditrimentum bonorum fidelium. Ita ille, quæ intelligenda sunt secluso scandalo, aut infamia Religionis.

RESOL. LXI.

An in articulo mortis absente Parocho, si periculum est in mora, licitũ sit Religiosis ministrare Viaticũ?

Et in tali casu adueniente Parocho, an teneatur infirmus iterum Eucharistiam ab illo recipere?

Et supponitur, quod Religiosi contrahunt Papalem excommunicationem, qui Clericis, aut laicis Sacramẽtum Extremæ-Vnctionis, vel Eucharistiæ ministrant, vel matrimonium eorum solemnizant, non habita priùs Parochi licentia speciali.

Sed notatur primò hoc non procedere in Religioso ministrante Eucharistiam alteri Religioso, quantumuis in eo peccaret.

Secundò Religiosum bona fide procedentem, vel etiam cum ignorantia crassa, & præbentem hoc Sacramentum Eucharistiæ laico ex præsumpto consensu Pastoris non incurrere hanc censuram.

Tertiò non incurrere censuram Religiosum qui in necessitate ministrat hoc Sacramentum infirmo, quia videlicet abest Pastor, vel quamuis adsit, si iniustè negat infirmo Viaticum. Ex p.5.tr.3.Resol.51.

Sup. hoc in Resol. sed & in aliis eius primæ not.

§.1. NEgatiuam sententiam docet Toletus *in sum. lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 2. vbi sic ait: Secunda excommunicatio habetur *in Clement. Religiosi, de priuil.* vbi Religiosi contrahunt Papalem excommunicationem, qui Clericis, aut laicis Sacramentum extremæ Vnctionis, vel Eucharistiæ ministrant, vel matrimonia eorum solemnizant, non habita priùs parochialis Presbyteri licentia speciali; & hoc procedit etiamsi administratio fieret in articulo mortis, secundùm Cardinal. *in d. Clement. q.* 1. etiam in defectu Parochi, vt notat Sylvest. *ver. excommun,7.cas.* 14. Ita Toletus & alij apud Rodriguez *in qq. regul. tom.1.quæst.56.art.5.* & apud Fagundez *lib.3.p.3.c.2. num.*19.

Sup. his in Resol. nor. præterita. §. Notandum est hic in principio & sup. in Resol. 18. §. penultim. & in Resol. 22. §. 1. & pro parte infra in tr.4. Resol. 29. propè finẽ. & in alio §. posito in not. §. 3.

2. Sed affirmatiuam sententiam tenendam esse puto, quam tuetur Ioannes Præpositus *in 3.pat.q.82. art. 3. dub. 2. num.* 17. vbi explanans dictam Clement. à Toleto adductam, sic ait. Notandum primò eam non habere locum in Religioso ministrante Eucharistiam alteri Religioso, quantumuis in eo peccaret, quia per Clericos passim intelliguntur Clerici sæculares parochis subiecti. Notandum secundò Religiosum bona fide procedentem, & ex præsumpto consensu Pastoris præbentem hoc sacramentum laico, &c. non incidere in Canonem, quantumuis fortè Pastor non consentiat, quia canon requirit præsumptionem, quæ eo casu non intervenit. Imò ne quidem incidere, si procedat, ex ignorantia crassa, quia talis ignorantia non sufficit ad præsumptionem, ad quam requiritur notitia, vel saltem ignorantia affectata ipsius legis, per quam fertur censura. Notandum tertiò, neque incurrere censuram eum, qui in necessitate ministrat infirmo sacramentum, quia videlicet abest Pastor, vel alius ab eo delegatus, vel quamuis adsit, iniustè negat Viaticum; quia in eo casu minister non peccat; nec potest dici præsumere, cùm facultatem tacitam ad Ecclesia habeat. Hucvsque Præpositus. Et ita hanc sententiam docet etiam Ioannes de Lugo *de sacram. Euchar. disp.* 18. *sect.2. num.* 53. Fagundez *lib.3.pr.3. cap.2. num.* 20. Hurtardus *de sacram. Euchar. disp.*11. *diffi.ul.*6. Tannerus *tom.4. disp.5.q.8. dub.8. num.* 185. Pereynus *in priuil. Minim. tom.1.constit.26.Leonis X.§.9.num.*15. Suarez *de Religione tom.4. tract.3. lib.9. cap.3. n.2.* Ochagauia *de Sacram.tract 3. quæst.4.num.*14. qui asserit in tali casu adueniente Parocho non teneri infirmum iterum Eucharistiam ad illo recipere. Vnde rectè infert Zambranus *de sacram. Euchar. cap.3. dub.7. num.*7. Regulares & alios etiam Sacerdotes teneri se conformare nostræ sententiæ, quando infirmus non posset recipere aliud sacramentum, quam Eucharistiam, ne exponat morientem in periculo æternæ damnationis.

huius notationis.

Et pro notato primo posito ad lin.4. huius §.2. in Res. seq. §. Notandũ est hic in fin. & sup. in Res. 22. §. 1. & pro notato posito ad lin. 8. huius textus in Res. seq. §. Notãdum, à lin.6. & pro notato tertio huius textus in Res. seq. & in aliis eius primæ not. & si adsit Parochus, sed iniustè negat Viaticũ, infr. in Res. 68.§. Hinc.

RESOL. LXII.

An liceat Regularibus in articulo mortis præbere sæcularibus Viaticum, si absit proprius Parochus?

Et an tibi ægrotanti, & ex deuotione communicanti possit Religiosus Eucharistiam ministrare, sed non possit per vicos, & plateas solemniter deferre Eucharistiam?

Et notatur, quod solis Religiosis Clericos, aut laicos communicare præsumentibus est statuta excommunicatio ipso facto incurrenda, & soli Sedi Apostolicæ reseruata, ab quam non incurrendam sufficit quæcumque ignorantia, vel causa probabilis: nec hæc excommunicatio contrahitur, si vel Religiosi aliis Religiosis etiam sine licentia suorum Prælatorum, vel Clerici sæculares aliis laicis, vel Religiosis hoc Sacramentum administrent.

Etiamque aduertitur, quod huius Eucharistiæ administratio non requirit antecedentem iurisdictionem, sed sufficit quæcumque probabilis spes futuræ ratihabitionis: Vnde Sacerdos, qui sine iurisdictione hunc actum exerceret, non incurreret irregularitatem. Ex p. 9. tr.9. & Misc.4. Res.64. alis 63.

§.1. NEgatiuè respondet Trullench *in tract. de iure Parochi cap.5.num*11. vbi sic ait: Si laicis infirmis vrgeat necessitas, & adest periculum moriendi absque Viatico, existimat Coninch.*3.part. quæst.82.ar.1.3. num.*32. posse tunc Religiosos ministrare laicis Eucharistiam ex priuilegio, quod (inquit) Paulus III. concessit Societati Iesv. Attamen verius censeo, id non posse etiam in hoc casu, quamuis non adsit copia proprij Parochi, qui eam ministraret;

Sup. hoc in Res. præterita, & lege illam per totam, & sup. in Res. 16. §. Nota tamen & in Res. 18. lege singulatem.

doctrinam à § Et tandè, & inf. in Ref.63. post medium, & à vers. Et in casu, & in Ref. 68. signanter §. Hinc infertur.

nistraret, vt cum Sylvestro, & aliis docet Sayrus *in Thesauro, lib.3. cap.29.n.30.* quia hoc Sacramentum non est necessitatis. Nec obstat (inquit Sayrus (*cap. pœnitentes, dist.50.* quia intelligitur, vt in morte detur Viaticum, per illos scilicet, qui possunt: & sic intelligitur *cap. quod in te de pœnit.& remiss.* vbi consecutiuè conceditur Viaticum ad pœnitentiam: quod verum est, vt cui exhiberi potest vnum, possit & aliud, non tamen à quocumque, cum & illa non sit paris necessitatis. Ita Trullench.

2. Sed contra ipsum, & Sayrum affirmatiua sententia Coninch tenenda est, quam tuetur etiam Fagundez *de præcept. Eccles. lib.3. cap.2.n.20.* Vasquez *disp.219.cap.4.in fin.* Henriquez *lib 8. cap.55.n.1.* Castrus Palaus *tom.4.tract.21. disp. vnica, punct.20.n 8.* vbi ait: In articulo mortis, si velis sæpius communicare, cum ea repetita Communio non ex obligatione, sed ex deuotione fiat, sine dubio possunt tibi Religiosi Eucharistiam ministrare, quia illa Communio esto fiat in mortis articulo, id per accidens est, cùm iam obligationi feceris satis, vt bene notauit Suar.*tom.4. de Relig. tract.10 lib.9 cap.3.n.13.* Nec tamen obinde infertur, tibi ægrotanti, & ex deuotione communicanti, posse religiosum per vicos, & plateas deferre Eucharistiam, quia illa solemnis ministratio Parochorum est propria. Suar. *dict.c.3.n.12.* Quare exceptio solùm intelligitur de communione in articulo mortis ex obligatione, quam Religiosi, & Sacerdotes sæculares facere non possunt, nisi periculum adsit decedendi sine Viatico, nisi administrent. Nam stante ea necessitate omnibus Sacerdotibus tam Religiosis, quàm sæcularibus concessa est à iure in *c. Quod in te. de pœnit. & Remiss.* facultas Eucharistiam ministrandi. Nam esto prædictum caput solùm loquatur de Pœnitentiæ Sacramento, omnes Doctores ad Eucharistiam per Viaticum sumendam ob grauem illius necessitatem extendunt. Adde, si ob periculum mortis absente Sacerdote est concessa facultas Diacono ministrandi Eucharistiam, à fortiori Sacerdoti concessa erit. Hæc Palaus. Vnde prorsus negatiuam sententiam respuendam esse puto. Et ideo rectè dixit Amicus *in curs. Theol.tom.7.disp.31.sect.3.num.61.* Vrgente necessitate, posse Religiosos Viaticum ægroto ministrare. Et hanc sententiam tenet Pellizzarius *in Manual. Regular. tom.2.tract.8.c.3.section.3.n.199.*

Sup. hoc inf. in Ref.68. §. Sed hic breuiter.

3. Nec obstat quod Paul.III. concessit Religiosis Societatis IESV, vt possint Eucharistiam in articulo mortis ministrare, si necessitas vrgeat: nam necessitate vrgente iure communi omnibus Sacerdotibus ea facultas concessa est: vt quid ergo Pontifex eam exceptionem fecit, cùm nihil videantur ea verba operari? Respondeo, id sanctum esse ob maiorem securitatem. Etenim cùm sint plures, grauesque Doctores negantes Eucharistiam à Religiosis administrari posse in articulo mortis absque Parochi speciali licentia, tametsi ægrotus esset sine Viatico decessurus, vt docuerunt Sylvester *verb. excommunicatio, 7. excommunicatio, 14. num.32. dub.3.* Nauarrus *cap.21. num.52.* congruum fuit eam exceptionem necessitatis vrgentis exprimere, vt ea expressa omnis occasio dubitandi tolleretur. Sic Suarez *tom.4.de Relig.tr.10. lib.9 cap.3.n.15.* Palaus, & alij.

* Sup. hoc in Ref. præterita, à lin.2. & in aliis not. positæ ad lin. 5. dictæ Resol.

4.* Notandum est hic obiter primò, quod solis Religiosis, Clericos, aut Laicos communicare præsumentibus, est statuta excommunicatio ipso facto incurrenda, soli Sedi Apostolicæ reseruata, vt habetur *in Clement. Religiosi, de Priuileg.& excessibus Priuileg.* ad quam non incurrendam sufficit quæcunque ignorantia, vel causa probabilis, vt colligitur ex verbo *præsumpserint*, quo prædicta Clementina vtitur, quod expressam scientiam latæ excommunicationis requirit: nec vllam habet rationabilem causam excusationis. Præterea notanda est limitatio ad Clericos, & Laicos: non enim hæc excommunicatio contrahitur, si vel Religiosi aliis Religiosis, etiam sine licentia suorum Prælatorum, vel Clerici sæculares aliis laicis, aut Religiosis hoc Sacramentum administrent. Nec valet argumentum à simili in pœnalibus, quia hæ non contrahuntur nisi sint in lege expressæ.

Sup. hac ignorãtia ibidem à lin.8. §.vers. Notandum secundò.

5.* Nota secundò, quod huius Eucharistiæ administratio non requirit antecedentem iurisdictionem, sed sufficit quæcumque probabilis spes futuræ ratihabitionis: quia cùm non sit actus iudicialis, non necessariò requirit antecedentem iurisdictionem ex qua procedat, sed sufficit tantùm futura, in cuius præsumptione fundetur. Cæterum etsi hoc Sacramentum ministrare absque iurisdictionis potestate, ex natura sua sit mortale (quod tamen variis modis excusari potest) nullam tamen habet annexam censuram, aut pœnam. Neque Sacerdos, qui sine iurisdictione hunc actum exerceret, incurreret irregularitatem; quia hæc non incurritur, nisi exercendo actum ordinis nondum suscepti: hic autem non exerceret actum ordinis nondum suscepti, cùm proprius ordo huius actus sit Presbyteratus, sed tantùm actum iurisdictionis, quam non haberet, propter quem non incurritur irregularitas. Et hæc omnia docet Amicus *vbi supra, num.52. & sequentibus.*

RESOL. LXIII.

An in articulo mortis Regulares possint ministrare Viaticum suis familiaribus sine licentia Parochi?
Idem est de Sacramento Extremæ Vnctionis.
Et quid est dicendum de aliis quibuscumque infirmis etiamsi in mortis articulo constitutis vbique, an in casu necessitatis possint Regulares illis Sacramenta supradicta ministrare? Ex p.5.tract.3.Ref.52.

§.1. AFfirmatiuè respondeo, & ita docet Iacobus Mancinus *in pract. visitandi infirmos, pract. 8. dub. 2.* Vnde *in compendio nostrorum priuilegiorum, verb. communicare*, §. 3. sit habetur. Presbyteri nostræ Congregationis Sacramentum Eucharistiæ etiam pro viatico constitutis in articulo mortis, & sacramentum Extremæ-Vnctionis ministrare possunt cæteris Clericis Fratribus nostræ Congregationis, item mercenariis, famulis, operariis, & seruis nostræ Congregationis quos tunc reperiri contigerit, & in mortis articulo, & quoties de illo dubitari contigerit, etiam Diœcesanorum locorum, & Sacerdotum curatorum quorumcumque, etiam in quorum ciuitatibus & Diœcesibus ac Ecclesiarum parochialium respectiuè Ecclesiæ, & loca ipsius Congregationis tunc & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcumque licentia minimè obtenta, nec petita, & in casu, quo non daretur licentia petendi spatium propter repentinam necessitatem, possunt Sacramenta supradicta ministrare etiam aliis quibuscunque personis infirmis, etiam in mortis articulo constitutis vbique in casu necessitatis supradicto, etiam nulla ad hoc per nos petita, nec nobis concessa licentia, Pius IV. nostræ Congregationi. Et confirmatum à Pio V. *anno Domini 1567. Idibus Februarij*, vt patet in nostris priuilegiis *n.5.* & in Bullario Romano *tom.2. Bulla 31. sub Pio V. §.17. fol.216.* quæ incipit, *Ad immarcescibilem*, &c.

RESOL.

RESOL. LXIV.

An Sacerdos in articulo mortis debeat sibiipsi ministrare Eucharistiam, si Diaconus adsit, vel an Diaconus possit propriis manibus in os Presbyteri Eucharistiam immittere? Ex p. 5. tr. 3. Res. 48.

Sup. hoc supra in Res. 48. ex cius doctrina, à fin. §. post. & vlt. & in Res. 40. §. vlt.

§. 1. AD hunc casum ita respondet Præpositus *in 3. part. q. 82. art... dub. 1. num. 11.* Petes an si Sacerdos ægroter, nec adsit alius Sacerdos, qui ei ministret Eucharistiam, possit Diaconus illi ministrare? Aliqui negant. Sed respondetur posse, quia est magis congruum, vt Diaconus ministret quam vt ægrotus propriis manibus sumat. Ita ille. Sed Durandus *in 4. dist. 13. quæst. 4.* & Chapeauilla *de Sacrament. Eucharist. quæst. 17.* putant in tali casu Sacerdotem propriis manibus debere accipere Eucharistiam. At mihi magis placet prima opinio: vnde Ochagauia *de sacram. tract. 3. de Euchar. q. 4. n. 6.* sic ait: Si Diaconus Sacramentum Eucharistiæ alicui Presbytero in casu necessitatis dispensaret, posset illud propriis manibus in os Presbyteri immittere, quia in casu necessitatis (quo nomine comprehendimus eum casum, in quo desit Presbyter, qui possit dispensare Eucharistiam, & adsit ægrotus, qui ratione articuli mortis tenetur Eucharistiam recipere) absolutè conceditur Diacono dispensatio Eucharistiæ, & ex vi suæ ordinationis aliquid habet, quo redditur capax huius potestatis delegatæ: ergo suis propriis manibus potest sacramentum in os Presbyteri immittere.

RESOL. LXV.

An si non extet Sacerdos, sed tãtum Diaconus, possit iste in magno Festo Eucharistiam sibi, & aliis ministrare?

Non est dubitandum in extrema necessitate, seu in articulo mortis posse Diaconum Viaticum ministrare.

Et docetur, quod si Parochus, vel Episcopus, imo Summus Pontifex ex iniquitate nollet concedere facultatem Diacono, vt in articulo mortis communicet ægrotum, posset in tali casu Diaconus deferre Sacramentum infirmo moribundo ex voluntate, & commissione Christi.

Sed quid dicendum est de laico, potestne in articulo mortis, absente Sacerdote seipsum, vel alios communicare?

Et infertur, quod in casu necessitatis potest laicus, & debet Corpus Christi tangere, vt si in aliquo loco immundo iaceret.

Et cursim docetur, quod si laicus existens in peccato mortali deferat ad infirmum in articulo mortis Eucharistiam, non peccat mortaliter. Ex p. 9. tr. 6. & Misc. 1. Res. 38. aliàs 39.

Sup. hoc supra in Res. 39. §. Deinde & seq. & ex Res. nor. seq. lege §. Sed quæro hic.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Quintanaduenas *in Theolog. mor. tom. 1. tract. 4. singul. 8. n. 4.* vbi sic ait: [Imò & in casu non adeò ingentis necessitatis, leges communes aliquando transgredi licet administraturo Sacramenta. Sic Diaconus (non alius ipso dignitate inferior) non solùm in mortis articulo, sed in magno Festo, v.g. Natiuitatis Domini, aut Conceptionis B. Virginis, vel simili, si Sacerdos absit, poterit ex Sacrario Eucharistiam educere, & seipsum, ac alios communicare.]

Quamvis restanter sup.

2. Sed vt verum fatear, Doctores communiter, quando concedunt facultatem Diacono ministrandi Eucharistiam sine licentia Sacerdotis, loquuntur de extrema necessitate, seu articulo mortis pro dando Viatico. Dixi, *sine licentia Sacerdotis*: nam quanta requiratur necessitas, vt Diaconus ex cõmissione Presbyteri possit Eucharistiam ministrare; respondent Doctores, sufficere causam quæ prudenti indicio videatur iusta, vt quòd Saecrdos aliis grauibus fuctionibus sit occupatus; v.g. studiis, Concioni, Confessionibus excipiendis, Infidelium conuersioni: his & similibus casibus, si non posset alius Sacerdos facilè haberi, administratio huius Sacramenti posset Diacono committi: non enim videtur mens Ecclesiæ, vt functiones Ecclesiæ, & animarum saluti tam vtiles retardentur, vel omittantur: quo casu adsit solus Diaconus, cui administratio Sacramenti possit committi. Non videtur ergo requiri extrema necessitas, seu impotentia ex parte Sacerdotis, imò nec videtur requiri extrema necessitas ex parte communicantium, sed sufficit iusta causa, vt adimpletio præcepti Communionis annuæ, Iubileum promerendum, &c. Et ita docet Præpositus *in 3. p. q. 82. art 3. dub. 1. n. 10.* hoc, lege tamen in tom. 5. tract. 5 ex Res. 23. doctrinã §. Difficultas, & §. Sed quæro hic.

3. Nota etiam hic obiter, Nugnum *in 3. p. to. 2. q 82. art. 3. cõl. 2.* docere, quod si Parochus, vel Episcopus, imò sũmus Põtifex ex iniquitate nollet concedere facultatẽ Diacono, vt in articulo mortis cõmunicet ægrotũ, posset in tali casu Diaconus deferre sacramẽtũ infirmo moribũdo, ex volũtate, & cõmissione Christi. Sup. hoc inf. in Res 68. §. Cõfirmatur ex simili, & seq. in §. 1. not præterita, recitanter in fine. Et pro primo contento in hoc §. Sed quid, in duabus Resol. seqq. & in tertia à lin. 5. vsque ad §. His suppositis, & supra in Res. 53. §. An vero, & in tom. 3. tr. 1. Res. 56. §. Sed, in to. 1. tr. 2. Res. 5. circa principio, §. Ex his, & ibi in tr. 3. Res. 148. §. 1, ad medium, à vers. Respondeo.

4. Sed quid dicendum de laico, potestne in articulo mortis, absente Sacerdote seipsum, vel alios cõmunicare? Negatiuam sententiam docet nouissimè Marcus Serra *in 3. p. D. Th. qu. 82. art. 3.* vbi sic ait: [De Subdiacono, & aliis inferioribus, etiã laicis, probabile videtur recẽtioribus nõnullis si nõ adsit Sacerdos idoneus, aut Diaconus, posse infirmo in extremis cõstituto Corpus Christi ministrare, nã id nec naturali, nec diuino, nec Ecclesiastico iure prohibitũ est. Sed hæc opinio, quam tenuisse quendã Henricum refert Syluester *ver. Euchar. 3. q. 4.* intolerabilis appellatur à Magistro Soto *in 4. dist. 13. q. 2. art. 3. ad fin.* & meritò. Tum quia hoc nunquã est auditũ fuisse factum, cùm tamen casus ex se rarissimus nõ sit, sed sæpe cõtingat, præsertim in locis exiguis, non adesse Sacerdotẽ, aut Diaconum, qui infirmũ in extremis constitutum cõmunicare possit. Tum etiã, quia si Diaconus potest de mãdato Presbyteri, aut in eius absentia hoc sacramẽtũ ministrare, hoc ideo est, quia, vt dicitur in can. *Diaconum, d. 23* Diaconus, dum ordinatur, ad ministerium cõsecratur, Subdiaconus verò non est minister Sacerdotis, sed Diaconi, sicque nõ participat ex officio Sacerdotis posse ministrare hoc Sacramentum. Tum denique, quia quãuis laico in necessitate Corpus Christi tangere licitum esse concedat D. Thom. *in 3. part. q. 83.* in nullo tamen casu admittit licere ei illud aliis ministrare. Sed *in 4. dist. 1. q. 13. art. 3. quæstiunc. 1. ad tertiũ*, dicit: In casu necessitatis potest, & debet Corpus Christi tãgere, etiãsi sit peccator, vt si in aliquo loco immundo iaceret: sed non est simile de dispẽsatione Sacramenti, quia receptio huius Sacramẽti nõ est necessitas. Vnde ei, qui non potest sacramentaliter manducare, dicendum est: *Crede, & manducasti.* Sup. hoc inf. in Res 67. §. Sed ego, post medium, vers. Confirmatur secundo, & supra in tr. 1. Res. 195. circa in §. Notat. paulo post initiũ.

5. Quod diximus de ministratione huius Sacramenti respectu aliorum, dicendum videtur de ministratione illius respectu suiipsius. Vnde in necessitatis articulo, vt si Sacerdos sit peste laborans, vbi alij timẽt ei appropinquare, inquit Caiet. *in sum. ver. Cõmunio*, potest extra sacrificiũ Missæ per seipsum sumere Eucharistiam. Et idem videtur dicẽdum de Diacono, quãdo alias sine Viatico deberet mori. De laico quãuis nonnulli Recentiores id asserant, nullatenus est concedendum: nam cui non licet aliis ministrare hoc Sacramentum, nec sibi ministrare licet. Nec obstat exemplum Reginæ Scotiæ, quæ in Anglia martyrium subitura, Eucharistiam quam apud se seruabat, sumpsit propriis manibus Nam Eucharistiã non tam sumpsit, vt seipsam communicare, quàm vt eam Sup. hoc pro laico in duabus Resol. seqq. & in tertia à lin. 5. & supra in Res. 53. §. An vero, in fine, & in tom. 3. tr. 1.

Resol. 56. Sed. & in tom. 1. tr. 2. Res. 5. §. Ex his, in principio, & in tr. 3. Resol. 148. §. 1. ad medium, à vers. Respõdeo.

ab Hæteticorum iniuriis etiperet. Et quamuis eam solùm sumpsisset, vt seipsam communicaret, dici de illa posset, quod de S. Apollonia ait Mag. Soto *lib. 5. de iustit. quæst. 1. art. 5. ad finem*: Quòd cùm esset fœmina, acumini sque adeò iuris inscia, per inuincibilem ignorantiam sit excusanda.] Huc vsque Serra, valide suam sententiam confirmans; quam etiam nominatim contra me firmauit Eminentissimus Dominus meus de Lugo *alibi* à me adductus.

6. Sed, his non obstantibus, sententiam affirmatiuam, cui adhæsi, nõ dubito esse ad minùs probabilẽ, quam nouissimè tuetur sapientissimus Lessius *in 3. part. quæst. 82. art. 3. num. 8.* Mercerus *de Sacramentis, quæst. 82. art. 3. n. 3.* Præpositus *in 3. part. quæst. 82. art. 3. dub. 1. n. 12.* quibus adde Castrum Palaum *tom. 4. tract. 21. disp. vnica, punct. 17. n. 8.* qui illam satis probat, quia nec iure diuino laïcis interdicta est Eucharistiæ ministratio, nec iure Ecclesiastico, in necessitate extrema. Nam textus in cap. *Peruenit.* loquitur extra casum necessitatis: expressè enim dicit, *Horrendum, & detestabile facinus esse, absque vlla necessitate per laïcos, vel fœminas deferri agris Eucharistiam.* Ergo, stante necessitate, maximè extrema, nullum erit facinus. Quod non leuiter confirmat Eusebius *lib. 6. Historiar. cap. 36.* asserens, olim viros sanctos misisse Viaticum per laïcos necessitate vrgente. Neque obstat, solis Diaconis inueniri concessum, vrgente necessitate. Nam inde non infertur, laïcis denegatum esse; sed solùm infertur non esse illis expressè concessum; benè tamen potest esse concessum virtute, & interpretatiuè, spectata Ecclesiæ pietate. Neque item obstat, quòd præsenti tempore non videamus vnquam à laïcis Eucharistiam ministrari; id enim prouenire potest ex eo, quòd casus necessitatis non occurrerit, vel non occurrerit publicè, sed occultè, & ministratio Eucharistiæ occulta fuerit.

Sup. hoc in Res. & §§. not. præteritæ.

7. Adde in prædicto casu, non solùm alteri, sed sibimet ipsi ministrare Eucharistiam posse. Nam, licet consuetudine Ecclesiæ statutum sit, teste Trident. *sess. 13. cap. 8.* vt laïci à Sacerdotibus Communionem accipiant, itemque ne extra Missæ Sacrificium aliquis sibimet Eucharistiam ministret; lex hæc cessare præsumitur in casu extremæ necessitatis, ne tanto bono, & fortè sibi necessario motiturus priuetur. In cuius testimonium adduci solet factum illud Matiæ Reginæ Scotiæ, quæ proxima martyrio sacram Eucharistiam, quam apud se retinebat, sumpsit. Quòd si dicas, id fecisse, vel ex dispensatione speciali Pontificis; vnde constat sic à Pontifice specialiter dispensatum?

8. Itaque nostra sententia in Schola Patrum Societatis Iesu est communior: nam illam tenent Suarez, Layman, Filliucius, Reginaldus, Præpositus, Palaus, Granadus, Valentia, Coninch, quibus adde nouissimè Escobar *in Theolog. moral. tract. 7. exam. 6. cap. 4. n. 62.* &, me citato Quintanaduenas *in Theol. moral. tom. 1. tract. 4. sing 8. n. 3.* omnes ex Societate; &, me etiam citato, Leander *de Sacrament. tom. 1. tract. 7. disp. 4. quæst. 13.* &, me citato, Magister Lezzana *in Summa qq. Regul. tom. 3. verb. Eucharistia, n. 15.* Vide modò, quàm immeritò dixerit Sotus, nostram sententiam esse intolerabilem. Est enim satis probabilis, ne dicam, probabilior, quàm contraria. Obseruandum est etiam cum Lessio, *vbi suprà, n. 16.* quòd laïcus existens in peccato mortali, si deferat ad infirmum in articulo mortis, vt diximus *suprà*, Eucharistiam, non peccat mortaliter, quia non est minister consecratus ad hoc.

Sup. hoc infra in Res. 67. §. vlt. & in tom. 3. tr. 1 Res. 56. §. vlt. & in o. m. 1. tr. 2. Res. 5. cursim in prin-

9. Nota etiam, quòd stando in contraria sententia, affirmatiuam tamen admittit in vno casu doctissimus Pater Amicus *in Cur. Theol. tom. 7. disp. 31. sect. 2. n. 26.* sic enim asserit: [Vnum duntaxat excipio casum, in quo existimo licitè posse moribundum è manibus laïci communicare. Si, nimirum, moribundus conscius peccati mortalis, non habens copiam Confessarij, haberet copiam Eucharistiæ, licitè posset tunc illam per manus laïci sumere. Quia cum hoc Sacramentum, iuxta probabilem sententiam, interdum faciat de attrito contritum, conferendo primam gratiam; posset tunc moribundus cùm sola contritione tantùm putata hoc Sacramentum sumens, iustificari; sine quo in tali casu decederet ex hac vita cum peccato æternùm damnandus. In hoc igitur casu omninò cèseo locum habere epiciheiam, quæ Authore Aristotele 5. *Eth.* 10. est correctio, siue emendatio legis, iuxta legislatoris mentem, qui si talem casum præuidisset, illum in sua lege non comprehendisset. Etenim tandiu seruanda est lex, quamdiu seruari potest absque iniustitia: vbi autem absque iniustitia seruari non potest, mens legislatoris non est, vt ea seruetur, sed potius per epiciheiam corrigenda erit. Atqui iniquum foret in tali casu legem seruare, non communicando per manus laïci infirmum in tali periculo constitutum; cùm esset, illum probabili periculo æternæ mortis exponere. Confirmatur: nam in eo euentu, respectu talis infirmi, Eucharistia non esset tantùm medium vile, sed etiam saltem probabiliter necessarium ad salutem ergo, sicut nulla lex humana priuare potest hominem in extremo vitæ, medio ad salutem necessario; ita nec in tali casu poterit lex humana priuare moribundum Communione per manus laïci.

10. Nec refert primò, quòd sit certum, in tali casu Eucharistiam collaturam primam gratiam: nam sufficit, vt sit tantùm probabile, cum in extremo vitæ licitum sit, & interdum tentemur adhibere media etiam probabiliter ad salutem necessaria. Nec refert secundò quòd talis infirmus possit conari ad contritionem eliciendam; quia, cum hæc difficilè eliciatur, poterit ad maiorem salutis securitatem, vti medio faciliori, ac tutiori.] Ita Amicus Vide etiam Lezzana *vbi suprà*, & Ioannem Vvigers *in 3. part. quæst. 82. art. 3. conclus. 3.*

RESOL. LXVI.

An in casu extremæ necessitatis, si Minister idoneus non adsit, possit laicus seipsum communicare?

Et in articulo mortis & in dicto casu, an possit laicus aliis viaticum ministrare?

Et notatur, quod si magnum Festum adsit, & Sacerdos sacrificare non posset, possit quidem in tali casu scandalo cessante, ex Sacrario Eucharistiam accipere, & seipsum communicare, si alius Sacerdos non adsit, & hoc etiam præsente Diacono? Ex part. 3. tract. 4. Res. 47.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Bonacina *de Sacram. disp. 4. quæst. 5. punct. 1. n. 6.* Zambranus *de cas. tempore mortis, cap. 3. dub. 6. n. 6.* & alij penes ipsos; quia non est ita necessarium sumere Eucharistiam tempore mortis, vt laïcus possit propria auctoritate sibi illam ministrare.

2. At ego contrariam sententiam teneo cum Filliucio *tom. 1. tract. 4. cap. 9. n. 285.* Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 72. sect. 3.* Coninch. *de Sacram. quæst. 80. art. 3. num. 23.* & Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 4. cap. 7. num. 4.* vbi sic ait. Si aliquis seu clericus, seu laïcus in mortis art. constitutus, ministrum idoneum non habeat, à quo Eucharistiam sumat, nihil obstare videtur, quo minùs se ipsum communicare possit, (scandalo cessante) exemplo Reginæ Scotiæ,

Scotiæ, quæ in Anglia martyrium subitura, sacramentum Eucharistiæ quod secum habebat, propriis manibus sumpsit.

Sup. contento in hoc §. in Res. 1. not. præteritæ §. Sed quid, & in Res. 2. & 3. latè, & in tom. 3. tr. 1. Res. 56. §. Sed, & in tom. 1. tr. 3. res. 148. §. 1. ante medium, à vers. Respondeo.

3. Imò contra Fagundez *præcept. 3. lib. 3. cap. 1. n. 10.* Sylvestrum *ver. Eucharistia quæst. 4.* & alios, putant aliqui non solùm laicum posse in periculo mortis, si non adsit Sacerdos idoneus, se ipsum, sed etiam alios communicare. Et licèt hæc opinio intolerabilis vocetur à Soto *in 4 sent. dist. 23. quæst. 1. art. 3.* tamen mihi probabilis videtur cum Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 10. punct. 1. in fine*, & illam docet nouissimè Layman *vbi suprà*, & Coninch; nam id nec naturali, nec diuino Christi præcepto repugnat; neque vllus canon Ecclesiasticus reperitur, qui id prohibeat; quia *cap. pervenit. dist. 2. de consecrat.* loquitur extra casum necessitatis. Nec valet Ecclesiæ consuetudo in contrarium. Nam respondeo, quòd fieri potest longissimo tempore, licet hoc factum numquam fuerit, saltem, vt aliis innotesceret: non quòd hoc facere illicitum sit, sed quia casus ex se ipso rarissimus sit.

Sup. hoc supra in Res. 39. §. 1. & 2. & fi. in fine, & seqq. & in Res. 40. per totam, & in tom. 3. tr. 1. Res. 56. circa fin. in §. Et tandem post.

4. Notandum est tamen hîc obiter, quòd si magnum festum adsit, & Sacerdos sacrificare non possit, posse quidem eum tali casu, scandalo cessante, ex sacrario Eucharistiam accipere, & se ipsum communicare, si alius sacerdos non adsit, & hoc etiam præsente diacono. Ita Suarez, Layman, Coninch, & nos alibi.

RESOL. LXVII.

An laicus in articulo mortis, si Sacerdos non adsit, possit se ipsum communicare, & alios?

Et deducitur, quod propter periculum irreuerentiæ potest laicus Eucharistiam tangere, ne Eucharistia veniat in manus Infidelium, &c.

Et docetur laicum ministrantem in tali casu Eucharistiam in peccato mortali, non peccare mortaliter?

Et cursissimè infertur, an Sacerdos posset sine veste sacra, & extra officium Missa Sacramentum Eucharistiæ conficere, vt ægrotus moribundus impleat præceptum diuinum sumendi in dicto articulo Viaticum?

Ex part. 3. tr. 3. Res. 47.

Sup. contento in hoc & seq. §. demptis difficult. nov. seq. supra in Res. præteritæ, §. 1. & 3. & in aliis eius primæ & secundæ not.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Hurtadus *de sacram. Euchar. disp. 11. diffic. 3.* Præpositus *in 3. part. quæst. 82. art. 3. dub. 1. n. 11.* Faustus *de sacra Euchar. lib. 1. quæst. 112.* Tannerus *tom. 4. disp. 5. quæst. 8. dub. 8. n. 182.* Fagundez *part. 3. lib. 3. cap. 1. n. 10.* & Ochagauia *de Sacram. tract. 3. de Euchar. quæst. 4. n. 7.* Probatur ex *canone 38. Concilij Carthag.* vbi cùm solùm in casu necessitatis concedatur facultas ministrandi sacramentum Diacono, expressè videtur etiam in casu necessitatis denegatam fuisse facultatem Subdiaconis & aliis inferioribus ministrandi hoc sacramentum aliis. Huius autem conclusionis ea est ratio, quia cùm hoc sacramentum non sit medium necessarium ad salutem, potius seruandum est ius humanum constituens ministrum legitimum huius sacramenti, quàm ministrando illud in articulo mortis ad augendam gratiam ægroti, quia præceptum Eucharistiæ in eo casu non obligat. Quod ex eo apparet satis esse probabile, quia aliàs ne ægrotus isto augmento gratiæ priuaretur, & vt impleret præceptum Eucharistiæ, posset Sacerdos sine veste sacra, & extra officium Missæ sacramentum Eucharistiæ conficere, quia hæc tantùm sunt constituta de iure humano, quod nullus audebit affirmare. Aliqui recentiores aduersantur huic conclusioni, & opponunt nobis Reginam Scotiæ, quæ cùm ad martyrium duceretur, Eucharistiam, quam seruauerat, deuotè sumpsit. Verumtamen propter hæc nostram resolutionem deserere non debemus, huiusmodi enim Regina potuit sibi Eucharistiam dispensare, vel bona fide credens id sibi licere, vel media dispensatione ad id concessa. Huc vsque Ochagauia.

Sup. his pro veste sacra supra in tr. 1. Res. 178. §. vlcim. & in aliis eius primæ not. & pro extra Officium Missæ consecrare, in dicto tr. Res. 132. §. 2. ad medium, à vers. consulit tamen.

2. Sed ego cum multis Doctoribus *in 3. part. tract. 4. resol. 47.* affirmatiuam sententiam tenui, quam probabilem esse fatentur ipsimet aduersarij, vt Faustus, Tannerus, & Præpositus *vbi suprà*, & hanc sententiam tenet etiam Mercerus *de Sacram. quæst. 82. art. 3. num. 3.* Chapeauilla *de sacram. Eucharistiæ quæst. 6.* Reginald. *tom. 2. lib. 29. cap. 5. quæst. 5. n. 93.* &, qui apud me instar multorum est, Iacobus Granado *de Sacram. in 3. part. contr. 6. tract. 12. disp. 1. n. 4.* vbi contra Sotum, Henriquez, Sylvestrum, & alios docet probabile esse non solùm Subdiaconum, sed etiam laicum infirmo morienti posse dispensare Eucharistiam, quia licèt ministrare Eucharistiam ex officio conueniat soli Sacerdoti, non constat ex diuino iure prohibitum laico in casu necessitatis, & sine solemnitate. Ius verò Canonicum id non prohibuit in simili necessitate, nam licèt administratio Eucharistiæ absolutè prohibeatur laicis in illo canone *Peruenit*, eodem modo prohibetur omnibus qui non sunt Sacerdotes: ergo sicut Diaconi excipiuntur in necessitate, excipi poterunt laici, vt succurratur infirmo morienti. Confirmatur primò, quia olim Eucharistia per laicos deferebatur ad infirmos, vt testatur Eusebius *lib. 6. hist. cap. 34.* ergo eodem modo liceret in extrema necessitate, etiamsi Sacerdos eam non mitteret. Confirmatur secundò, quia propter periculum irreuerentiæ potest laicus Eucharistiam tangere, imò & se ipsum communicare, ne Eucharistia veniat in manus infidelium, à quibus indignè tractetur: ergo etiam ad succurrendum infirmo morituro licebit laico tangere, & dispensare sacram Eucharistiam, Ex quo sequitur, posse laicum in mortis articulo sibi ipsi porrigere Eucharistiam. Et hæc omnia docet Iacobus Granado *vbi suprà*. Vnde satis remanet probabilis sententia affirmatiua, quam ego olim docui, licèt contra me insurgat nouissimè Pater Ioannes de Lugo *de sacramento Eucharistiæ, disp. 18. sect. 1. n. 22.* Sed, vt dixi, nostra sententia est satis probabilis.

Quæ hic est Res. antecedens.

Sup. hoc in Res. 1. not. seq. §. Sed quid, prope finem, à vers. Tum denique, & in aliis eius annot.

3. Nota etiam laicum in tali casu ministrantem Eucharistiam moribundo in statu peccati mortalis, non peccare mortaliter. Ita Suarez, vt obseruat Tannerus *vbi suprà*, & docet etiam Chapeauilla, & apud me certum est, qui teneo etiam Sacerdotes Eucharistiam ministrantes in peccato mortali, non peccare mortaliter. Vide Ochagauiam *de Sacramentis, tract. de Eucharistia, quæst. vlt. n. 2.*

Sup. hoc supra in Res. 65 §. Itaque, & in aliis eius not. & pro vltima difficult. cõtenta à vers. qui teneo, huius §. supra in Res. 25. & in aliis eius annot.

RESOL. LXVIII.

An si sit præsens Parochus, vel alius Sacerdos, & nollent communicare infirmum existentem in periculo mortis, possit laicus supradictis renuentibus, & prohibentibus, infirmo sacram communionem porrigere?

Et an in hoc casu Diacono tantum, & non aliis hoc permissum sit?

Et docetur non posse fieri legem, qua statuatur, quod neque in casu necessitatis extremæ possit laicus Eucharistiam ministrare?

Et infertur, quod Regularis, vel alius Sacerdos possit ministrare infirmo Viaticum, si Parochus præsès nollet ei ministrare, nec ad hoc licentiam concedere?

Etiamque aduertitur infirmum, qui satisfacit præcepto sumendi Viaticũ è manibus sui Parochi, posse ab illo, vel aliis post aliquos dies in eadem infirmitate reci-

pere Eucharistiam etiam non ieiunum.
Et notatur non esse mortale, si laicus existens in mortali, reuerentiæ, & honoris causa Eucharistiam deosculetur? Ex part. 11. tr. 7. & Misc. 7. Res. 43.

§. 1. CAsum non inuenio à nemine in terminis pertractatum; Et sine vlla difficultate negatiuè respondent Doctores, quos citat, & sequitur Pasqualigus *in Theol. tom. 2. contr. 108. sect. 7. n. 41.* vbi sic ait; Dicendum est non posse laicum sibi Eucharistiam sumere, aut aliis ministrare, vrgente quacunque necessitate, etiam ex commissione. Habetur *ex cap. peruenit de consecrat. dist. 2.* vbi dicitur horribile, & detestabile, quòd laici Eucharistiam deferant ad alium. Quod autem est horribile, & detestabile, nec vrgente necessitate fieri potest. Probatur, ministratio Eucharistiæ fundatur in Sacerdotio; itavt ratione ipsius conueniat, & in tantùm Diaconis potest committi, in quantùm sunt ex vi Ordinis speciales ministri Sacerdotis: Laici autem neque sunt Sacerdotes, neque communicant in officio Sacerdotis, vt communicat Diaconus; Quando autem aliquis actus conuenit ratione Ordinis, non potest exerceri à non habente ordinem, vt inductione constat, & censetur prohibitus cæteris omnibus. Confirmatur. Distributio corporis Christi est quædam potestas supra ipsum, quia est actus consequens ex potestate ipsum conficiendi: Laici autem nullam habent potestatem supra corpus Christi. Ita ille.

Sup. his supra in Res. 65. à §. Sed quid, vsque ad §. Nota etiam, & in Res. 66, & 67. & supra in Res. 53. §. An vero, in fine, & in to. 3. tr. 1. Res. 56. §. Sed, & in tom. 1. tr. 2. Res. 5. Ex his, & ibi in tr. 3. Res. 148. §. 1. ante medium, à vers. Respondeo.

2. Sed ego sæpius alibi cum multis Doctoribus satis probabiliter affirmatiuam sententiam docui, & nunc iterum doceo, & illam, me citato, latè & doctè, vt semper solet defendit Pater Thomas Hurtadus *tom. 1. tract. 5. cap. 6. resol. 63. §. 2. n. 1483. cum seq.* & hanc sententiam probabilem putat Pater Hermannus Busembaum *in medulla Theol. moral. lib. 3. tract. 3. cap. 2. dub. 1. n. 3.* Martinus de San Ioseph *in mon confess. tract. 5. cap. 4. §. 9. n. 1.* Dicastill. *de Sacram. tom. 1. tract. 4. disp. 11. dub. 3. n. 92. in fine*, vnde sapientissimus Lessius *in 3. part. D. Thom. quæst. 82. art. 3. n 8.* sit ait; Dispensatio Eucharistiæ inferioribus Diacono committi non posse, nisi fortè in illo casu, quo infirmus sine viatico esset moriturus: tunc enim videtur etiam laico permitti posse, modo scandalum absit. Probatur; quia non est contra ius diuinum, aut contra vllum Canonem, aut contra aliquam Ecclesiæ consuetudinem, quæ vim legis habeat præsertim, cùm exempla antiquitatis non desint. Nam olim Eucharistia solebat dari in manus deferenda domum, & etiam aliquando per pueros mitti ad infirmos. Ita ille, & alij à me alibi adducti.

Sæpius, & alibi in Resolutionibus, & §§. not. præteritæ.

3. Et ratio est, tum quia iure solum humano prohibitum est laico attingere Eucharistiam *cap. peruenit, de consecr. dist. 2.* ius autem humanum non videtur in tali euentu obligare, sed potius cædere grauiori præcepto diuino quo fideles tenentur in articulo mortis communicare; tum quia olim permissum fuit fidelibus secum deferre Eucharistiam sequenti die sumendam, immò etiam permissum fuit laicis deferre Eucharistiam ad infirmos tempore necessitatis teste Eusebio *lib. 6. histor. Ecclesiast. cap. 36.* vt diximus. Ergo etiam hoc tempore videtur permittendum vt laici in articulo mortis sibi Eucharistiam administrare possint, & aliis.

4. Deinde concedunt doctores in periculo irreuerentiæ, quam hoc Sacramentum pati posset, vt laicus possit illud propriis manibus contrectare, sumere, & si necesse fuerit, etiam alteri tribuere, vt si nimirum eo tempore esset aliquis infirmus viatico egens, cui per Sacerdotem, vel Diaconum ministrari non posset: Ergo hoc ipsum facere poterit in casu necessitatis, si desinit legitimus minister: Confirmatur: nam iura concedunt, si fortè particula consecrata ceciderit intra pectus, & vbera fœminæ, vt ipsa possit propriis manibus illam sumere. Cur illam in casu necessitatis sumere non possit ex ipsa pixide, vt propriæ consulat saluti?

5. Vnde ex his patet responsio ad argumenta adducta in contrarium à Patre Pasqualigo. Dico igitur iure optimo Patres Concilij appellasse detestabile, & horribile crimen, & temerariam præsumptionem, quod Laici sine vrgente necessitate porrigerent Eucharistiam, & illam suis manibus tangerent, quibus sacrarium ingredi est prohibitum.

6. Et quando Laicus in casu necessitatis Eucharistiam porrigeret, non esset actus auctoritatius quasi laicus auctoritate vel ordinaria, vel delegata Sacramentum dispensaret, nullam enim ad hoc habet auctoritatem, sed vt succurreret proximo extremè indigenti in articulo mortis de viatico, quod de iure diuino tenetur accipere, si potest. Quare Laicus id præstaret ex licentia præsumpta Summi Pontificis, qui prudenter censetur dispensare in sua lege humana, vt diuina obseruetur, nec enim, vt illa obseruetur, hæc omittenda est.

7. Et quidem Pontifex potest in hoc dispensare, vt fatentur contrarij, nec negari potest: *ergo* sempèr per quod occurrat necessitas articuli mortis, & non adsit copia ministri Ecclesiastici, censetur adesse præsumpta Papæ voluntas, vt Laicus possit ministrare. Consequentia est euidens, quia Epieheia, quæ est legis emẽdatio, vt ait D. Th. 2. 2. q. 120. *art.* 1. dictat sequid, quod poscit iustitiæ ratio, & communis vtilitas.

Sup. hic supra in Res. 65. à §. Sed quid, vsque ad §. Nota etiam, & in Res. 66, & 67. & supra in Res. 53. §. An vero, in fine, & in to. 3. tr. 1. Res. 56. §. Sed, & in tom. 1. tr. 2. Res. 5. Ex his, & ibi in tr. 3. Res. 148. §. 1. ante medium, à vers. Respondeo.

8. Itaque *textus in dicto cap. peruenit*, loquitur extra casum necessitatis, expresè enim dixit horribile, & detestabile facinus esse absque vlla necessitate per Laicos, vel fœminas deferri ægris Eucharistiam. Ergo stante necessitate maximè extrema, nullum erit facinus.

9. Neque obstat solis Diaconis inueniri concessum vrgente necessitate, nam, vt optimè obseruat Castrus Palaus *tom. 4. tract. 21. punct. 17. n. 8.* & alij, Inde non infertur Laicis denegatum esse, sed solum infertur non esse illis expresè concessum, bene tamen potest esse concessum virtute, & interpretatiuè, spectata Ecclesiæ pietate, vt supra diximus.

10. Neque enim obstat, quod præsenti tempore non videamus vnquam à laicis Eucharistiam ministrari: id enim prouenire potest ex eo quod casus necessitatis non occurrerit, vel non occurrerit publicè, sed occultè, & ministratio Eucharistiæ occulta fuerit.

11. His suppositis, difficultas est, an procedant si Parochus, vel alius Sacerdos præsens adesset, & nollet moribundum communicare, & prohiberet laicis, ne ipsi hoc facerent, an non obstante tali prohibitione, possent ipsi adhuc infirmo Sacram Eucharistiam ministrare? Et affirmatiuè respondeo, imo vt optimè obseruat Dicastill. *de sacram. tom. 1. tract. 4. disp. 11. dub. 5. n. 91.* & alij. Perinde omnino casus necessitatis censetur, quando in articulo mortis noluit Sacerdos per seipsum facere, aut committere, atque si non esset Sacerdos.

12. Sed supra fundauimus probabiliter absente Sacerdote posse laicum communicare in articulo mortis infirmum. Ergo poterit hoc etiam facere, eo præsente, & moribundum communicare nolente, quia tunc haberetur tanquam absens.

13. Confirmatur ex simili dubio, quod ponunt Doctores, an quando in extrema necessitate Sacerdos nec vult dare, nec Diacono permittere, liceat nihilominus.

14. Ex

14. Et licet Sylvester, & Petrus Sotus, aliique nonnulli, negent posse Diaconum ministrare Eucharistiam etiam in necessitate extremè indigenti, quando Sacerdos negat, etiam iniquè, facultatem. Probant aliqui, quia ex Concilio Carthaginensi non debet Diaconus in præsentia Presbyteri, nisi iussus Eucharistiam ministrare. Præterea sumptio huius Sacramenti non est necessaria tanquam medium; sed solùm ex præcepto, quod in eo casu, sicut in aliis similibus non obligat; quia in eo casu non potest Diaconus contra voluntatem Presbyteri ministrare. Tandem quia quando adest immediatus superior, & hic repugnat, nō licet recurrere ad voluntatem interpretatiuam alterius superioris; alias Episcopo iniuste, & inique negante iurisdictionem, vel approbationem ad audiendas confessiones alicui sacerdoti digno, liceret huic ex interpretatiua voluntate Pontificis, aut Christi Domini Confessoris munus exercere, quod falsum est, & nemo audebit concedere. Nihil ergo refert quod Sacerdos ille sua abutatur potestate, quia licet iniustè id faciat, tamen denegat licentiam, sine qua Diaconus non potest tale munus obire.

15. His tamen non obstantibus contraria sententia est tuta in praxi, posse scilicet Diaconum in eo casu necessitatis, iniustè renuente Presbytero ministrare, & docent graues Authores Sotus *in 4. dist. 13. q. 1. art. 3.* Henriquez *l. 8. c. 54. n. 2.* Suarius *disp. 72. sect. 1.* Valentia *disp. 6. quæst. 10. punct. 1.* Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 56. artic. 8* & alij multi; Nam quando non est præsens Episcopus, aut presbyter, qui id possit Diacono committere, poterit ille facere ex præsumpta interpretatiua voluntate id potentis committere: Immo iure ipso communi Canonis 24. Concilij Nicæni 1. est illis in eo casu concessum.

16. Ergo & in casu nostro, quando Sacerdos nollet ministrare Eucharistiam infirmo existente in articulo mortis, & prohiberet laico, ne id faceret, dicendum est, laicum, hoc non obstante posse ei Eucharistiam ministrare, ex præsumpta, & interpretatiua voluntate Ecclesiæ & Summi Pontificis, qui in tali casu ex rationibus adductis ab Hurtado *vbi supra* censetur dispensare in præcepto, & licentiam laicis concedere.

17. Confirmatur secundò nostra sententia ex opinione Patris Hurtadi *num.* 1491. vbi putat valdè probabile non posse fieri legem, qua statuatur, quod neque in casu extremæ necessitatis possit laicus porrigere Eucharistiam, quia sumptio Eucharistiæ in hoc casu est de iure diuino, contra quod non potest ius humanum, quod sicut non potest prohibere, quod laicus non leuet Eucharistiam de terra, vbi indecenter iacet, quia hæc indecentia, est contra ius reuerentiæ debitæ Sacramento; ita non potest prohibere, quod laicus non porrigat Eucharistiam infirmo in extremis posito: cui incumbit obligatio iuris diuini sumere viaticum. Ita ille.

18. Quæ omnia maximè, & à fortiori procedunt in casu nostro ad firmandum, non posse Parochum, neque alium Sacerdotem, nolentem communicare infirmum, prohibere laico, ne Eucharistiam infirmo ministret.

19. Hinc infertur, quod Regularis, vel alius Sacerdos possit ministrare infirmo viaticum, si Parochus præsens nollet ei illud ministrare, nec licentiam ministrandi illis præbere, & hoc ex tacita, & interpretatiua licentia, & authoritate Summi Pontificis; Ita Pater Hermannus *in medulla Theologiæ mor. lib. 6. tract. 3. cap. 2. dub. 1.* & Martinus de San Ioseph *in mon. confess. tom. 1. lib. 1. tract. 5. de pœnit. num. 15.* vbi sic ait; [Tambien podrà dar el Viatico el Religioso, aunque el Cura este presente, si iniustamente noquiere darsele el à su Parroquiano, porque puede el Religioso en este caso tener la presumpta del Obispo, ò del Summo Pontifice; Et voluntas ex coniecturis declaratur. Ita ille: sic & in casu nostro. Ergo, &c.

20. Sed hìc breuiter notanda sunt duo; Primo, infirmum qui satisfecit præcepto sumendi Viaticum è manibus sui Parochi, posse post aliquot dies in eadem infirmitate illud sumere è manibus cuiuscumque Regularis, si haberet priuilegium, vt in Oratorio Domus suæ possit dicere Missam; nam in illo Regularis posset celebrare, & postea infirmum etiam non ieiunum communicare; Ita Pater Hermanus loco citato.

21. Secundò nota, non esse mortale, si laicus existens in peccato mortali, reverentiæ, & honoris causa deosculetur Eucharistiam, licet Sotus dicat fortasse esse mortale, sed certè ait Suarez, non videtur esse tale; & ita docet Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 4. disp. 21. dub. 5. num. 101.*

RESOL. LXIX.

An qui sumpsit Eucharistiam tempore Paschatis, teneatur sub mortali illam sumere in articulo mortis?

Et notatur, quod adest præceptum diuinum, quod obligat sumendi Eucharistiam tempore mortis, etiam si tempore Paschatis fuerit sumpta? Ex part. 5. tr. 3. Res. 42.

§. 1. Sed Excluso contemptu negatiue respondet Cajetanus, Armilla, & Sà quos citaui *in 3. part. tract. 4. resol. 40.* quibus nunc addo Martinum Ledesmam *in 1. part. quæst. 21. art. 2. dub. 11.* Victoriam *in sum. num. 86.* & hanc sententiam probabilem esse docet ex Suarez Adamus Tannerus *tom. 4 disp. 5. quæst. 8. dub. 5. num. 109.*

2. Verùm ego contrariam sententiam teneo cum Granado *de Sacram. in 3. part. contr. 6. tract. 10. disp. 3. num. 9.* Præposito *in 3. part. quæst. 80. artic. 11. dub. 1. num. 54.* Hurtado *de sacram. Eucharist. disp. 10. diffic. 2.* & aliis. Dico igitur quòd si quis in Paschate communicauit, qui post mensem incidat in mortis periculum, per similem communionem non satisfacit obligationi communicandi in articulo mortis, quia ea communio morali iudicio non potest dici habere rationem Viatici; vnde si quis data copia communicandi negligat, mortaliter peccat, & qui ita se gereret, malè audiret.

3. Et pro supradictorum confirmatione, nota, quòd adest præceptum diuinum, quod obligat sumendi Eucharistiam tempore mortis, etiamsi tempore Paschatis fuerit sumpta. Ita contra Caietanum, Sylvestrum, Armillam & alios docent Hurtadus *vbi supra*, & communiter DD. Ita vt Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Eucharistia, quæst. 14. num. 4.* asserat hanc sententiã neminem sine temeritate negare posse. Probatur hæc opinio ex Concilio Carthag. IV. *can. 77.* quod à Leone IV. approbatum fuit, dum absolutè, & absque vlla limitatione præcipitur eis, qui in infirmitate, (subintellige periculosa) sint, vt viaticum accipiant, & non leuiter deducitur ex Concilio Nicæno I. *can. 12.* qui refertur *can. de his 26. quæst. 6.* dum Eucharistia sumenda in fine vitæ dicitur viaticum necessarium, & consuetudine Ecclesiæ, in qua Eucharistia in articulo mortis sumitur, tanquam quid ex obligatione necessarium, etiamsi tempore Paschatis sumpta fuerit. Consuetudo autem, qua aliquid fit tamquam ex obligatione necessarium, vel supponit præceptum antea latum, vel si non supponit, ipsa consuetudine introducitur.

RESOL.

Sup. hoc in fra in Res. 70. § Ad cõfirmationẽ. & §. Verum ad lin. 5. & in Res. 72. §. 2. ad lin. 4. & in Res. 74. §. Restat modo, post medium. à vers. eum, qui tẽpore. sed lege eam per totã, & alias eius primæ not & ex Res. 2 huius not. Vide §. 1. & alias Res. eius primæ not.

Sup. hoc in Res. 1 not. præteritæ, à principio vsque ad §. Nec obstat. & infra in Res. 75. §. Restat à lin. 10. à vers. Nec valet. Sed sæpe eã per totam, & alias eius primæ not.

Sup. hoc supra in Res. 61. §. Sed. ad medium, à vers. Notandum ter-tio & quamuis non ple- Res. 65, hoc doctri- §. Nota

Sup. hoc sum, & recitatiue in a- lio §. eius not. & lege doctrinam Res. & §§. annot. seq. huius Res.

RESOL. LXX.

Infirmus in articulo mortis quoñ tempore teneatur viaticum sumere, & si illud non sumat, an peccet tantum venialiter?

Et an infirmus, qui semel Eucharistiã sumpsit in anno, si illam in mortis articulo omittat ex negligentia, peccet?

Et quæritur, quando ergo lex diuina suscipiendi Eucharistiam, si non in mortis articulo, obliget?

Et pro praxi huius vltimæ difficultatis alij casus adducuntur in §. Quandonam, huius Resolutionis?

Et notatur, etiam secluſa aliqua Ecclesiæ determinatione, omittentem per tres, vel quatuor annos Communionem, præcepti diuini reum esse, & illum constringere, quamuis alij aiant secluſa determinatione Ecclesiæ, nullius peccati reum esse, qui toto vitæ tempore vsque ad mortis articulum, vel periculum omitteret communionem?

Et an Eucharistia sit medium necessarium ad salutem?

Ex part. 9. tr. 9. & Misc. 4. Res. 47. alias 46.

Sup. hoc lege §. vltim. Res. præteritæ, & infra in Res. 74. §. Restat. à lin. 10 à vers. Nec valet. sed vide eã per totam, & alias eius primæ annot.

§. 1. AD hoc dubium sic respondet ex Societate IESV P. Baunyus *in Theolog. moral. tract. 5. de Euchar. quæst.* 14. vbi sic ait: Contendunt alij, sumptionem hanc non ad diuinam, sed Ecclesiasticam institutionem referendam esse, quibus ego calculum meum adiungo, hac maximè ratione inductus, quod quæ sunt iuris diuini, his priuari nemo possit, cum ad ea potestatem, Dei voluntate habeat. Sed apud multas gentes mos hic inualuit, vt vltimo supplicio afficiendis negetur Eucharistiæ perceptio. quas culpæ mortiferæ, ob eam rem affines omnes esse, nemo prudenter asserat: non est ergo diuino iure sub finem vitæ frequentanda Communio.

2 Confirmatur, legibus Ecclesiæ, non admittuntur ad Cœlestem hunc cibum excommunicati, quamuis eorũ valetudo sit desperata, nisi sit eidem persuasum illos resipuisse, vitamque Christiano dignam agere, quia Eucharistia cibus est viuentis animæ, ac Deo gratæ, qualis non est excommunicati, qui publico Ecclesiæ iudicio ob lethale flagitium est mortuus: non est ergo moribundis iure diuino præcepta Eucharistiæ perceptio, quia lege, ac statuto Ecclesiæ, diuinum non potest euerti, & tamen eius auctoritate tam præcisis, de quorum pœnitentia certa non habet argumenta, quàm facinorosis, morituris cum infamia in publico foro, non est impartienda Eucharistia.

3. Obiicies. Tunc maximè res est in præcepto, cum eius vsus est necessarius ad assequendum finem præcepti, sed si quando vniri oportet hominem Deo, maximè sub finem vitæ, quam in rem maxime Communio est vtilis, & à Deo instituta: est ergo tunc vsurpanda. Confirmatur: quia hoc Ecclesiæ semper curæ fuit, ne quis decederet sine Viatico, quod est argumento, credidisse illam, cuique eo tempore, quo periclitatur, iure diuino sumendum esse.

4. Respondendum est argumento, negando vsum Sacramenti Eucharistici absolutè esse necessarium ad vnionem animæ cum Deo, quod tamen supponi videtur in maiore: hominis enim reconciliatio cum Deo, effectus est gratiæ, eiusdemque cum eo vnio per amorem, quæ duo assequi potest quilibet aliis meliùs quàm Eucharistia.

5. Ad confirmationem dicendum, in id Ecclesiam incubuisse ab omni æuo, vt fideles refecti sacro pane è vita excederent, non quod ea opinione esset vt crederet ad hanc religionem teneri eos lege diuina, sed quod sciret, in eo Sacramento, magna ac verè præcipua salutis, gratiæque consequendæ præsidia esse. Quando ergo inquies, si non in mortis periculo, lex diuina de suscipienda Eucharistia obliget. Non sæpius quàm semel in vita, inquit Maior, Victoria *in summa de Sacram. quæst* 86. *de Eucharistia.* Non credit eum peccare, qui semel Eucharistiam sumpsit in anno, si illam in mortis articulo omittat ex negligentia. Eodem inclinat Nauarrus *in consil. lib. 16. de pœnitentiis, & remissionibus.* Mihi probatur eorum opinio qui dicunt, ea de re statui nihil posse ex scripturis, cum de tempore, ac sedulitate frequentandæ Eucharistiæ, ne verbum quidem habeant, possintque hæc verba. *Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c.* intelligi dicta esse de Communione vnica. Hucvsque Baunyus.

6. Verùm, vt Iesuitæ Dominicanum consocietatem mus, audi, quid asserat Martinus Ledesma *in 4. tom. 1. quæst. 21. art. 11. dub. 2. folio mihi* 415. Dubitatur, ait, an sit de præcepto, quòd ægrotantes iumant Eucharistiam? Ad hoc dicit Paludanus, quòd si tales parum post Pascha morerentur, & fuerant communicati in Paschate, non peccarent, licet non sumerent Eucharistiam. Aliter autem peccarent. Tamen Syluester dicit, quòd nullum est peccatum, tale mortale. Et ita est tenendum, quia non est aliud quod præceptum in contrarium. Sed esset venialis peccatum ex negligentia illud dimittere.

7. Et est antiqua consuetudo in Ecclesia, quod detur Eucharistia ægrotantibus: vt habetur *de pœnitent. & remissionib. cap. Quod in te.* Et Eusebius in Ecclesiastica historia refert de quodam ægroto, qui clamabat, vt deferretur ei Eucharistia, & statim conuolauit in cælum allata Eucharistia. Præterea quòd si quis ægrotans ob negligentiam non sumeret Eucharistiam propter Ecclesiæ antiquam consuetudinem, grauiter peccaret, venialiter tamen citra contemptum. Vnde stando in solo iure diuino, sufficeret solùm semel in vita communicare. Hæc Ledesma.

8. Sed quid tibi videtur amice Lector, sãne rendum ne erit nobis his opinionibus? Apagẽ. Et ideò recte Salmanticensis Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Eucharist. effectibus, & vsu quæst. 14. num. 1.* sic ait: Antiquitus fuit in Ecclesia, & nunc etiam est præceptum de sumenda Eucharistia in articulo mortis, quod nullus sine temeritate negare potest. Ita statutum est in Concilio Ancyrano, *can. 21.* circa homicidas voluntarios, & in Concilio Nicæno, *can. 13.* & idem statuitur circa publicos pœnitentes in Concilio Carthaginensi IV. *can. 77.* Neque valet dicere, quòd in Concilio Nicæno, & Ancyrano, solùm fiat sermo de Sacerdotibus, & Episcopis, quibus imponitur hoc præceptum ministrandi; nam contrà est, quòd si hoc Sacramentum non esset necessarium ex præcepto, populo, non ita strictè administrando præciperetur Sacerdotibus. Tum quia Concilium Nicænum Eucharistiam vocat Viaticum necessarium, quod si non esset impositum sub præcepto populo, non diceretur necessarium Viaticum, nam hæc necessitas non est, nisi respectu populi, cui dicitur Viaticum. Vnde meritò contra supradictos Doctores inuehitur sapientissimus Granadus *in 3. part. controuers. 6. tract. 10. disp. 3. num. 8. & 9.* Vide etiam Cardinalem Lugo *de Sacrament. Eucharist. disp. 16. sect. 1. num. 33.* Coninch. *de Sacram. quæst. 80. art. 11. dub. 3. num. 94* Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 5. num. 2.* Palaus *tom. 4. disp. vnica, punct. 14. num. 4.* Amicum *in Cursu Theol. tom. 7. disp. 29. sect. 2. num. 12.* & communiter Doctores.

9. Dicendum est itaque contra sententiam, quæ est Alensis *4. part. quæst. 11. membr. 2. art. 4. §. 1.* Bonauenturæ *in 4. dist. 12. part. 2. art. 2. quæst. 1.* & Thomæ, *dist. 9.*

dist. 9. quæst. vnica, art. 1. ad quæst. 2. & dist. 12. quæst. 3. art. 2. ad 1. quæst. Argentinæ *quæst. 3. art. 4.* Ferrariensis 4. *contra Gentes, cap. 61.* Syluestri *verb. Eucharistia 3. quæst. 1.* Gabrielis *in Can. Missæ leg. 87. in fine,* Palatij *in 4. dist. 9. disp. 2. concl. 4.* Dicendum inquam contra sententiam supradictorum Doctorum, præceptum de sumenda Eucharistia esse diuinum : & ita docet D. Thomas Magister omnium *in 2. part. qu. 80. art. 11.* Manifestum, inquit, est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere non solùm ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini. Et præter Doctores citatos idem docet Vazquez *disp. 213. cap. 2.* Suarez *disp. 69. sect. 1.* Henriquez *lib. 8. de Euch. cap. 4.* & alij penes ipsos, ita vt Valentia *tom. 4. disput. 6. quæst. 8. punct. 4.* dixerit, nullum Catholicum hoc tempore oppositum docere. Probatur, quia Eucharistia saltem in voto implicito est medium necessarium ad salutem : ergo diuino præcepto tenentur homines aliquando illam suscipere. Patet consequentia ; quia cùm ex ipsa Dei institutione teneatur homo prospicere saluti suæ, tenetur consequenter ea efficere quæ Deus ipse instituit, vt media ad salutem, si ea sint eiusmodi, quæ ab homine effici possint. Sic enim diuino præcepto tenetur homo recipere Baptismum, elicere actum fidei, & similia, quia sunt media necessaria ad salutem, & ab ipso homine recipi, aut effici possunt : ergo cùm Eucharistia sit instituta à Domino, vt medium ad salutem, & illius vsus, seu receptio sit opus, quod ab homine fieri potest, tenetur diuino præcepto ad illius vsum.

Sup. hoc in Res. & §§. seq. 1. huius Res. & legetiam Res. annotationis hanc sequentis.

Sup. hoc legeipsa Res. 1. n. 2. & vide etiam alias §§. ea. num annot.

10. Nec obstat Eucharistiam solùm esse medium in voto implicito : nam id solùm conuincit posse hominem adipisci salutem æternam absque reali susceptione Eucharistiæ, absque expresso illius desiderio : non tamen probat, nunquam teneri diuino præcepto ad illam accedere; potius enim oppositum planè colligitur : nam Eucharistia dicitur medium necessarium, quia nulli confertur iustificatio ex diuina institutione, nisi intuitu Eucharistiæ tanquam finis Sacramentorum, ad cuius susceptionem, statis & opportunis temporibus accessurus est : ergo ex ipsa diuina institutione oritur obligatio accedendi ad illam opportunis temporibus; alioqui frustra conferretur prima iustificatio intuitu Communionis.

Sup contenta in hoc §. supra in Resol. 1. §. 1.

11. Quandonam verò obligat hoc præceptum? Aliqui asserunt quoties magna aliqua necessitas vrget ad consequendum finem, propter quem hoc Sacramentum est institutum, nempè ad roborandam vitam spiritualem contra graues tentationes. Quæ sententia probabilior est : difficultas tamen non modica est in assignanda huiusmodi necessitate. Durandus *in 4. dist. 2. quæst. 9.* & Gabriel *quæst. 1. art. 2. post concl. 3.* assignant articulum mortis, in quo vnusquisque fidelis tenetur se præmunire hoc necessario Viatico; de quo non est dubitandum, vt supra probauimus. Alij, præter hunc articulum, quoties necessitas vrget superandi grauem aliquam tentationem. Alij, quoties fidelis putat, nunquam amplius huius Sacramenti opportunitatem se in hac vita habiturum, Suarez *disp. 69. sect. 3. concl. 3.* tertio, quartovè quoque anno. Alij hanc obligationem vltra articulum mortis relinquunt prudenti iudicio Confessoris ; nec posse, aiunt, dari tempus quo quis certò obligetur ad hoc Sacramentum recipiendum, sed ad illud necessariam fuisse Ecclesiæ determinationem. Sed hac in re duo videntur mihi certa : vnum est eum qui singulis annis ad Eucharistiam accederet, satisfacturum huic obligationi : quia Ecclesia ita sentit, cùm hoc tempus præscripserit fidelibus, & nemo dubitet maiorem frequentiam non esse præceptam. Alterum quod notauit Victoria, & Valentiæ non displicuit, scilicet diuino præcepto teneri sumere Eucharistiam eum, qui prudenter crederet, se iam vsque ad finem vitæ non habiturum vlterius opportunitatem accedendi ad hoc Sacramentum : etenim si tunc non accederet, differret postea Communionem per plures annos, & fortè per totam vitam, intra quam aliquoties communicare tenetur, vt dictum est : quare, vt quoquo modo potest, prospiciat spirituali saluti, tenebitur præuenire tempus, & præ assumere cælestem panem, quem postea accipere non licebit.

Sup. hoc in Res. & §. nor. præcitæ.

Sup. his sententiis ibidem.

12. Nota tamen, quòd licèt Suarez *disp. 69. sect. 3.* Bonacina *de Sacrament. disp. 4. quæst. 7. punct. 1. n. 8.* & alij asserant, etiam secluso aliqua Ecclesiæ determinatione, omittentem per tres, vel quatuor annos Communionem præcepto diuino reum esse, & illud constringere; tamen Palaus *tom. 4. disp. vnica, punct. 14. num. 9.* & Vazquez *disp. 214. cap. 3. a n. 20.* cui ex parte consentit Ægidius Coninch *quæst. 80. art. 11. dub. 3. in fine*, aiunt secluso determinatione Ecclesiæ nullius peccati reum esse qui toto vitæ tempore vsque ad mortis periculum omitteret Communionem. Nam præcepta affirmatiua determinatum tempus & cognitum habere debent, in quo executioni mandentur. At secluso determinatione Ecclesiæ, nemini constat ; nec constare potest, quod tempus Christus huius præcepti executioni signauerit præter mortis articulum. Ergo extra illud, nemo præcepto Diuino obligari potest. Et confirmo. Ponamus Christum Dominum instituisse hoc Sacramentum, præcepisseque in vita sumendum, quoties Ecclesia sua lege determinauerit. Sanè ex hac Constitutione, & Decreto quòd rationi maximè consentaneum est, infertur manifestè, neminem obligatum esse ex Diuino præcepto Eucharistiam sumere, antequam Ecclesia tempus sumptionis determinauerit, quia obligatio diuini præcepti ab ea determinatione pendet, & sub ea determinatione profertur.

13. Sed hoc dictum esse volo in sententia horum Doctorum. Et ex illa sequeretur, quod præceptum diuinum de sumenda Eucharistia semel adimpleri possit, quod ex Neotericis docuit Ledesma vbi supra, & ante illum Palud. *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 1.* & alij quos refert Suar. *disp. 69 sect. 3.* Sed huic sententiæ, & meritò, non assentit Granados vbi supra, quia cùm Eucharistia instituta sit in cibum spiritualem, & ad enutriendam animi vitam, valde negligens iudicaretur propriæ salutis, qui in tantis huius vitæ periculis, tamque frequentibus, semel tantùm per 40. annorum spatium, v.g. se ipsum hoc cibo muniret, & vires spirituales reficeret. Meritò igitur dicendum est, præter articulum mortis, præceptum diuinum de sumenda Eucharistia, obligare, aliquoties in vita. Sed quantum temporis vnam, & alteram Communionem, sumptam per modum Viatici, in articulo mortis debeat intercedere, in sequenti Resolutione explanabimus.

Sup. hoc ibidem ad medium præcitat. §. 1. vers. Et tertio.

Quæ hic est infra Res. 87.

RESOL. LXXI.

An qui paulo ante, v.g. 8. vel 15. dies communicauerit, teneatur iterum in articulo mortis communicare?
Ex part. 5. tr. 3. Res. 41.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Marchantius *de Sactam. in resol qq. pastoral. de Eucharist. tract. 4. cap. 1. quæst. 2. & tract. 6. sect. 3. fol. 387.* Paludan. *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 2.* Angelus *ver. Euchar. 3.* Tannerus *tom. 4. disp. 5. quæst. 8. dub. 5. num. 110.* Reginaldus *tom. 2. lib. 29. num. 65.* Iacobus Granado *de Sacram.*

Sup. hoc in Res. seq. & infra in Res. 73. in principio, & post medium, & in Res. 74. §. Verum, & §.

penult. post medium, à vers. patet igitur, & in Resol. 81. §. Sed quia, à lin. 9. & infra in tr. 3. Res. 5. §. 1. à lin. 10. & vers. Et ita, & si placet, lege Res. 3. huius not. à principio, & alias eius primæ not. signãter pro aduerbio *supra* contento in lin. 1. & 6. §. 2. huius Res. & pro aduerbio *alibi* cõtento in lin. 3. dicti §. in aliis Res. huius not. & in tom. 3. tr. 1. Res. 54. ex doctrina §. Secundus casus, & seqq.

Sacram. in 3. *part. contr.* 6. *tract.* 10. *disp.* 3. *n.* 9. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 5. *n.* 3. Mercerus *de Sacram. in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 11. Chapeauilla *de sacram. Euchar. quæst.* 10. & alij & ratio est, quia tunc præceptum sumendi Eucharistiam tempore mortis, videtur moraliter impletum; & hanc sententiam nouissimè, me citato, docet Ioannes de Lugo *de sacram. Euchar. disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 37.

2. Sed licèt suprà cum Vasquez & aliis contrariam docuerim sententiam, non audeo tamen hanc, tamquam improbabilem, damnare, quam ego alibi tamquam probabilem etiam docui, propter Doctorum multitudinem in eam conspirantem, & quia rationibus Vasquez à me suprà adductis aliquo modo potest satisfieri; quamuis enim ante morbum non vrgeat præceptum, si tamen tam paruo intercedente interuallo sumpta sit Eucharistia, potest dici sumptum re ipsa viaticum, & quòd est vtile pro vnione, & confortatione in morbo, & proinde cessare obligationem vlteriotis communionis. Quemadmodum si quis creditori obligetur tantùm post annum centum reddere, si reddat ante tempus obligationis, omninò liberatur à debito, aliter se res habet in aliis præceptis, in quibus omnium iudicio est onus tempori annexum. Et ita hanc sententiam probabilem esse admittit Præpositus *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 11. *dub.* 1. *num.* 54.

RESOL. LXXII.

Quidam infirmus antequam in mortis periculum incidit, sacram Eucharistiam ex deuotione sumpsit, quæritur, an teneatur iterum communicare?

Et an qui in Paschate communicauit, si in articulo mortis non communicet ex negligentia quadam sine contemptu, peccet mortaliter?

Et cursim docetur non esse mortale omittere Eucharistiam in articulo mortis, nisi adsit contemptus? Ex part. 3. tr. 4. Res. 40.

Sup. hoc in Res. 69. & in aliis eius annot.

§. 1. REspondeo negatiuè cum Layman, *in Theol. moral. lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 4. vbi sic asserit. Si infirmus vno, duobus, tribus, vel etiam octo diebus antequam in mortis periculum incidit, communicauerit, consulendum quidem ei est, vt iterum Eucharistiam per modum viatici accipiat, tamen ad id non obligatur, cùm præceptum de Eucharistia ante mortem instantem sumenda secundùm substantiam impleuerit. Ita Layman, & alij.

Sup. hoc supra in Res. præterita, & in aliis eius annot.

2. Sed plus addunt Caietanus *verb. Communio*, Armilla *eodem verbo*, *n.* 4. & Emanuel Sa correctus à magistro Sacri Palatij *verbo Eucharistia*, *n.* 1. vbi sic asserit. Qui in Paschate communicauit, si in articulo mortis non communicet ex negligentia quadam sine contemptu, non peccat mortaliter. Ita, ille licèt contrarium asserant Zambranus *de cas. tempore mor. cap.* 3. *dub.* 1. Syluius *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 11. *quæritur* 1. *concl.* 1. Layman, *vbi suprà*, & Fagundez *præc.* 3. *lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 8. qui malè pro sua sententia citat Emanuelem Sà, vt *suprà* visum est.

3. Notandum est tamen hîc obiter, D. Bonauenturam *in* 4. *dist.* 10. *art.* 3. *q.* 1. Paludanum *dist.* 9. *q.* 1. Caietanum *in summa verb. communio*, Armillam *eodem verbo*, *num.* 4. Victoriam *in summa*, *n.* 83. Ledesmam, & alios docere non esse mortale omittere Eucharistiam in mortis articulo, nisi adsit contemptus; licèt contrarium doceat Richardus, Durandus, Gabriel, Sotus, & alij, quos citat, & sequitur Pitigianus *in* 4. *sent. tom.* 1. *dist.* 19. *q.* 3. *art.* 7. & alij recentiores, quos ego sequor.

Sup. hoc suprà in Res. 70. §. Verũ. in fine, & in alio vers. eius not.

RESOL. LXXIII.

An qui sumpsit Eucharistiam mane, & post prandium incidit in periculum mortis, possit iterum Eucharistiam sumere?

Et an qui paulo ante articulum mortis sumpsit Eucharistiam, maneat liber ab obligatione præcepti sumendi Eucharistiam pro eo articulo? Ex part. 4. tr. 4. Misc. Res. 197.

§. 1. DEcisio huius casus pendet ex illa quæstione, an qui paulo ante articulum mortis sumpsit Eucharistiam, maneat liber ab obligatione præcepti sumendi Eucharistiam pro eo articulo? Ex parte affirmatiuam alibi probabilem esse docui, quam nouissimè tuetur Homobonus de Bonis *in sum. sultat. casuum conscient. vol.* 2. *part.* 5. *resp.* 47. Sed pro consolatione alicuius infirmi, in tali casu posset iterum, etiam non ieiunum Eucharistiam sumere, probabilissimum esse existimo, tenens opinionem eorum, qui asserunt non satisfieri dicto præcepto per communionem factam ante articulum mortis, quamuis paulò antea factam. Et ideo Gaspar Hurtado *de Eucha. disp.* 10. *diffic.* 2. sic ait. Existimauerunt eum, qui sanus, aut si infirmus, extra periculum tamen mortis, communicauit, si in eodem die post eam communionem incidat in periculum mortis, siue violentæ, siue naturalis, & adeò vrgens, vt prudenter timeatur eodem die moriturus, aut quòd eo tempore facto non sit futurus potens communicare, teneri pro Viatico iterum in eodem die communicare post incidentiam in dictum periculum, quia præceptum communicandi in articulo mortis, cuinon est satisfactum communione ante periculum facta, est diuinum, & maioris ponderis, quàm prohibitio ecclesiastica non communicandi in eodem die, nisi semel (& tu adde, ieiunus) quod expressit Vasquez *in manuscriptis*, & ei subscripserunt nostræ Societatis, & plures alij grauissimi viri Academiæ Complutensis, & Salmanticensis, & id fecerunt Madriti P. Vega Rector illius Collegij, & P. Auolos in eodem Collegio. Ita Hurtado *vbi supra*.

RESOL. LXXIV.

An qui mane communicauit, vel Missam dixit, & postea eodem die incidit in periculum mortis, possit non ieiunus adhuc sacrum Viaticum sumere?

Et an in tali casu non solum possit, sed teneatur talis iterum Eucharistiam sumere, siue mors sit naturalis, siue violenta?

Et an sit præceptum diuinum de sumenda Eucharistia in articulo mortis, vel an hoc præceptum non sit diuinum?

Et asseritur, quod quando concurrunt duo præcepta, maius præponderat, & est anteponendum, vt est in præsenti casu, in quo concurrunt præceptum diuinum de sumenda Eucharistia, & præceptum Ecclesiasticum de ieiunio, & non sumenda Eucharistia bis in die?

Et docetur eum, qui tempore Paschatis communicauit, amplius non teneri sæculo scandalo, in articulo mortis communicare. Ex part. 5. tr. 3. Res. 33.

§. 1. HIc casus in facti contingentia accidit bis in diebus, & negatiuam sententiam mordicus hic sustinent Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *disput.* 69. *sect.* 1. Ex. gundez *de præcept. Eccles. part. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 7. Rainius *in praxi Confessar. num.* 32. *fol.* 189. Fagundez *in* 3. *part. D. Thom.* 3. *Euchar. lib.* 1. *quæst.* 247. Granadus *in* 3. *part. D. Thom.* 3. *disp.*

Ref 81. §. Sed quia, & sup. in tr. 1. Ref. 133. §. Sed si. & tom. 3. tr. 1. Ref. 54. §. Secundus ca-sus.

controu. 6. tract. 10. disput. 3. num. 9. Mæratius *in D. Th. tom. 3. disp. 35. sect. 2. num. 4.* Michaël Zambranus *de Sacram. ministrant. tempore mortis, cap 3. dub. 1. num. 1. & 6.* Pitigianus *in 4. sentent. tom. 1. distinct. 9. quæst. 3. artic. 7.* Mercerus *in 3. part. quæst. 80. artic. 11. quæritur tertiò.* Coninck *de Sacram. quæst. 80. art. 11. dub. 3. num. 100.* & alij communiter; quia primò ex prohibitione Ecclesiæ non licet bis in die communicare, ex *c. consuluisti, de celebratione Missarum, ex cap. sufficit, de consecrat. distinct. 1* & docet D Thom. *in 3. p. quæst. 80. art. 11.* Alensis *in 4 part. quæst. 52. mem. 3.* & alij. Secundò, quia talis in substantia satisfecit præcepto communicandi in articulo mortis per modum Viatici, est enim sensus huius præcepti, hominem teneri paulò ante mortem communicare: nam finis præcepti videtur esse, vt per Communionem homo se ad transitum ex hac vita præparet, quod satis assequitur paulò ante mortem communicando, sicut qui audisset Sacrum in die festo, ignorans tunc esse Festum, talis non teneretur eodem die iterum aliud Sacrum audire, postquam cognouit esse diem festum. Tertiò, quia cùm tempus fuerit breue à morbo moraliter talis, quando mane sumpsit Eucharistiam, sumpsit illam in periculo mortis; vnde mors moraliter tunc imminebat, licet ignorabatur, & ideò iam aderat obligatio præcepti, quamuis, vt dictum est, ob ignorantiam hoc non erat cognitum: quod tamen non obstat, quominus per Communionem eo tempore factam, aliquis illi obligationi satisfaciat, quia vnusquisque in suis actibus censetur habere intentionem virtualem, vel implicitam implendi omnem obligationem, quam potest, & debet, licet fortè illam ignoret. Hæc opinio est probabilis, & ego à fortiori illam docui *in part. 3. tract. 4. resol. 40.*

Quæ hic est Ref. 1. post præterita, & in aliis eius par.

2. Verùm quia maximam consolationem, vt patet, ægrotus haberet, si in tali casu posset iterum communicare, ego puto contrariam sententiam etiam probabilem esse. Dico igitur non solùm posse sed etiam teneri, quia in articulo mortis tenentur omnes communicare per modum Viatici, vt ex hac vita securiùs migrent: sed qui modo ante dicto communicauit, non sumpsit Eucharistiam vt Viaticum, eo quod ille, qui nihil cogitans de morte sumit hoc Sacramentum, non sumit illud vt Viaticum, hoc enim tantùm datur proficiscentibus ex hac vita, ille autem qui bene valet, non dicitur proficisci ex hac vita, siquidem nullus satisfacit alicui præcepto antequam obligatio illius incipiat: ergo morbo adueniente, & periculo mortis instante, tenetur iterum Eucharistiam, & Viaticum sumere. Confirmatur, quia hæc obligatio est propria illius temporis, quo adest tale præceptum, nec orta fuerat quamdiu periculum non imminebat: ergo illi satisfacere non potuit per communionem priùs factam, sicut è contra si existente periculo mortis homo peccaret communionem omittendo, & postea periculum euaderet, non teneretur priorem obligationem implere, quia iam cessauit: & ita hanc sententiam in terminis vt dici solet terminantibus docet nouissimè ex Societate Iesv doctus Hurtadus de Mendoza *de Sacrament. disputat. 10. de Eucharist. difficult. 2.* cuius verba ego adduxi *in. 4. part. tractat. 4. resolut. 197.* & etiam pro hac firmanda sententia facit ex Theologis Complutensibus, qui typis scripta sua mandarunt, Turrianus *in summa part. 2. cap. 58. dub. 2. num. 3.* & ex Theologis Salmanticensibus, Petrus de Ochagauia *de Sacrament. tractat. de Eucharistia, quæst. 14. num. 7.* vbi docent, quod præcepto Eucharistiæ non satisfecit, ille qui proximè ante articulum mortis recipit communionem, siue tunc valeret, siue ægrotus esset, dummodo non esset constitutus in articulo mortis, & hanc sententiam præter Doctores citatos docent etiam Kellisonius *in 3. p. tom. 2. q. 80. art. 11. notab. 2.*

Quæ hic est Ref. antecedens, & in aliis eius. primæ not.

3. Restat modò respondere ad argumenta contrariæ sententiæ, & ad primum assero, quod quando concurrunt duo præcepta, maius præponderat, & est anteponendum, sed cùm in nostro casu concurrat præceptum Ecclesiasticum de non sumenda Eucharistia bis in die, & præceptum diuinum de communicando tempore mortis, hoc posterius præualere debet tanquam maioris ponderis, vt rectè obseruat Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 17.* vide etiam Gamachæum *in 3. part. D. Thom. post quæst. 79. de sacrific. Missæ, cap. vlt* & alios. Nec valet dicere, quod hoc præceptum non sit diuinum, teste Alexandro *4. part. q. 11. memb. 2. art. 4.* Bonauentura *in 4. dist. 12. part. 2. dist. art. 1. q.* Ferrariense *lib. 4. contra. Gent. cap. 61.* Syluestro *ver. Eucharistia 3.* D. Th. *in 4 dist. 6. q. vlt. art. 1.* Gabriele *in Canone Missæ*, & aliis. Non inquam, hoc valet dicere, nam contrariam sententiam tenet D. Thom. *in suo vlt. testam* quod est *3. part. q. 80. art. 11.* & ibi Tannerus, Syluius, Nugnus, Valentia, Coninch, Kellisonius, Suarez, & alij expositores, quibus adde Durandum, Paludanum, Gabrielem, Sotum, & Victoriam, quos citat, & sequitur Præpositus *in 3. part. q. 80. art. 21. dub. 1. num. 51.* & probat ex Ioan. 6. *Nisi manducauer. tis*, &c. ex Luc. 22. *Hoc facite in meam commorationem.* ex 1. ad Corinth. 11. *Dominus* Iesvs *in qua nocte*, &c. & ex Concilio Trid. *sess. 13. cap. 2.* dicente, & in illius (scilicet Sacramenti Eucharistiæ sumptione) colere nos sui memoriam præcepit. Nec etiam valet dicere cum Bizzozero *de Sacram part. 4. cap. 8. num. 5.* Naldo *in sum ver. Eucharistia num. 5.* Caietan. *in sum ver. Communio sacramentalis* Ledesma *tom. 1. part. 4. quæst. 21. art. 2. dub. 11.* Syluestro *ver. Eucharistia 3. in princip.* Armilla *ver. Communio, num. 4.* Emanuele Sà *ver. Eucharistia, num. 1.* Victoria *in summa num. 86.* Rodriguez *in summa tom. 1. cap. 64. num. 3.* & Ioannes Franc Suarez *in Enchirid. cas. consc. lib. 5. ver Eucharistia*, eum qui tempore Paschatis communicavit, ampliùs non teneri, secluso scandalo, in articlo mortis communicare, quia Christus non præcipit frequentiam Sacramenti Communionis, sed communionem, qui autem in Paschate communicauit, verè dicitur communicasse: ergo, &c. sed hæc opinio non est admittenda, & ideo contrariam docet Durandus *in 4. dist. 9 quæst. 2.* Gabriel *quæst. 2. art. 2. concl. 3.* Sotus *dist. 12. quæst. 1. art. 11.* Valentia *tom. 4. disput. 6. p. 8. punct. 4.* Slyuius *in 3. part. quæst. 80. art. 1. quæritur 1. conclus. 1.* Molfesius *in summ. tom. 1. tract. 3. cap. 8. n. 95.* Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 29. num. 64.* Vasquez, Suarez, Coninch, Præpositus *locis citatis*, quod aptè probatur ex praxi Ecclesiæ, & ex Concil. Carthag IV. *Can. 77.* quod à Leone IV. approbatū fuit, dū absolutè, & absque vlla limitatione præcipitur eis, qui in infirmitate (subintelligo periculosa) sint, vt Viaticum accipiant, Dicendum est igitur extare præceptum diuinum de sumenda Eucharistia pro articulo mortis; vnde cùm in nostro casu concurrat eodem tempore cum præcepto Ecclesiastico de non sumenda Eucharistia, nisi semel in die, apparet obligare magis præceptum diuinum, quàm Ecclesiasticum.

Sup. hoc sup. pra in tr. 1. Ref. 134. § 1. prope fin. & in tom. 1. tr. 3. Ref. 154. §. 1. ad medium à vers. Vnde.

Sup hoc præcepto sup. in Ref. 69. §. vlt & latè in Ref. 70 à §. 1. vsque ad §. Nec obstat.

Sup. hoc supra in Ref. 69. & in Ref. 70. §. Verum, ad medium, & in §. Ad. & in Ref 72. §. 2. ad fin. 4.

4. Ad secundum argumentum respondetur, quod licet finis præcepti ieiunij sit maceratio carnis, tamen quis non adimpleret substantiam talis præcepti, si non ieiunaret die statuto; sic est in nostro casu, licet finis huius præcepti sit, vt per sumptionem huius Sacramenti contra diaboli insultus Christianus roboretur, tamen huic præcepto non satisfaceret, si extra periculum mortis communicaret

nam, vt optimè notat Vasquez *in 3.p. vbi infra.n.15.* ille adimplet præceptum, qui non solùm efficit id, quod præcipitur, sed etiam in tempore, quando præcipitur. Nec valet argumenti confirmatio de audiente Sacrum in die festo, & ignorante esse diem festum, qui tamen non tenetur audire aliud Sacrum, nam in tali casu quis adimplet substantiam præcepti in tempore stabili, & statuto ad audiendum Sacrum, quod non accidit in casu nostro, in quo quis non sumit Eucharistiam tempore à præcepto statuto. Adde quod Lopez *lib.1. de contract.lib.cap.53.* Petrus Ledesma *in summa, tract at . de Eucharist.cap.27.post.10. concl.* & alij asserunt, aliquē qui ignorantia præcepti id impleuit, non satisfacere, nisi antea intentionem aliquam generalem habuisset volendi quocumque opere ignoranter facto satisfacere præceptis.

Sup. contēcto in hoc vers. Adde. inf. in tr.3.Res.1 §. 1. ad mediū, à vers. Et ideo. & ibi lege doctrinam Res. 5. per totam, & signanter §. Verum. paulo post initium, vers. ex his & signāter in tom.8. tr. 4. ex doctrina Res. 49.§.Notandum est. & recitanter in fine alterius Res. eius not.

5. Ad tertium argumentum, quòd cum tempus valde proximum est periculo mortis, iam periculum mortis imminet, & ita eo tempore videtur impleri posse præceptum obligans in periculo mortis. Resp. cum Ochagauia, & Kellisonio *locis citatis*, quòd cùm præceptum recipiendi Eucharistiam in articulo mortis impositum sit tanquam onus illius temporis, apertè sequitur, tempore proximo antecedenti neque impleri posse, neque habere vim obligandi. Vnde licet tempore proximo antecedenti articulus mortis dicatur moraliter periculum mortis imminere, hoc tamen non sufficit, vt eo tempore obliget præceptum Eucharistiæ: quia hoc præceptum tantùm obligat præcis è in periculo mortis physicè confiderato, & non moraliter; quemadmodum præceptum recitandi horas Canonicas, præcisè, & physicè loquendo, obligat à media nocte vnius diei vsque ad aliam mediam noctem eiusdem diei, & hæc omnia docet etiam Vasquez *in 3. part. tom.3. quæst.80. artic.11. disput.214. cap.2. num.13. & 14.* vbi etiam respondet ad intentionem virtualem, quam censetur habere adimplendi præceptum, qui paulò ante ægritudinem sumpsit Eucharistiam: nam vt quis impleat præceptum, non ad intentionem implendi illud, sed ad substantiam operis, quod præcipitur, & tempus in quo obligat, attendendum est. Adde vt idem obseruat Vasquez, quod si hoc præceptum sumendi Eucharistiam obligat in articulo mortis, nemo etiam expressa intentione posset illud implere anticipando tempus, sicut nec præcepto audiendi Missam in die festo satisfaceret quis, si pridie illam audiret, & per eam tali præcepto satisfacere expresè vellet, quanto magis per voluntatem solam implicitam, quam virtualem vocant, vt minùs probabiliter putauit Suarez, & alij DD. in principio huius resolutionis citati. Patet igitur ex omnibus supradictis satis probabiliter posse, imò teneri aliquem secundum hanc posteriorem sententiam in eodem die sumere iterum Eucharistiam, si incidat in periculum mortis, siue violentæ, siue naturalis, dummodo tamen prudenter timeatur eodem die moriturus, vel quod alio die non sit futurus potens communicare. Itaque cùm hæc opinio probabilissima sit, puto in casibus contingentibus, in praxi deducendam esse, cùm sit multum fauorabilis, & consolatoria animarum, dum ægroti secundum hanc sententiam possint in illis angustiis, & horroribus mortis aduersùs diabolicas suggestiones iterum se sacra munire communione, quam scimus in illa hora maiori cum reuerentia, humilitate, & præparatione ab omnibus sumi, & ita ego sentio aduersùs Suarez, & alios DD. negatiuæ sententiæ.

Sup. hac violenta morte latè inf:a in Res. 78. 79. & 80. & pro morte naturali in Res. præterita. & in aliis eius primæ not.

6. Nec valet dicere, quod hæc opinio imponit onus morientibus: nam respondeo illos lætanter hoc onus suscipere, & si contraria opinio esset vera, & tenenda, magnam eis, & meritò afflictionem afferret: igitur me consulente, & impellente, ne desinant Parochi nostram sententiam in praxim deducere. Nota tamen, quod post hæc scripta inueni Ioannem de Lugo *de Sacrament. Eucharist. disput.16. sect. 3.n.52.* negatiuam sententiam docentē, quam, vt dixi, probabilem esse puto: sed tu ne desinas etiam nostram tanquam probabilem, in consolationem infirmorum sectari, quam etiam sequuntur multi viri docti ex Societate Iesv, de hac re à me consulti.

RESOL. LXXV.

An qui mane Missam dixit, vel sacram Eucharistiam sumpsit, si post prandium incidat in articulum mortis, possit eodem die iterum communicari?

Et notatur in articulo mortis toties ex præcepto Eucharistiam esse sumendam, quoties post sumptionem amissa est gratia per peccatum mortale. Ex p.6. tr.6. & Misc.1. Res. 18.

§. 1. HAnc quæstionem fusè pertractaui *in 3. part.tract.3.resol.33.* † & affirmatiuam sententiam docui, quam scio multum placuisse viris doctis: & ideo illam modo etiam ex auctoritate aliquorum stabilire conabor.

2. Dico igitur nostram sententiam præter Gasparem Hurtado, & alios tenere in terminis, vt dici solet, terminantibus Marcellum Megalium *in Promptuario tom.2. verb. Eucharistiæ Sacramenti præceptum, num.6. & verb. Eucharistiæ Sacramenti Minister, num.20.* vbi sic ait: Quando Sacerdos, qui manè celebrauit, aut laicus qui manè communicauit sanus ob suam deuotionem, tempore vespertino in morbum incideret ita periculosum, vt iudicio probabili Medicorum superuiuere non posset vsque ad sequentem diem: tunc enim, quia vnusquisque in articulo mortis constitutus tenetur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum recipere, tenetur & nunc illud recipere, non obstante, quod eadem die Missam celebrauerit, aut communionem receperit: nam per talem communionem non satisfecit præcepto, quod nunc imminet de communicando in mortis articulo. Ita ille. Cui etiam adde ex Societate Iesv Martinum Bresserum *lib.3. de conscientia probabili, cap.8. num.100.* vbi sic asserit. Infertur subito morbo, aut periculo mortis correptum debere communicare per modum Viatici, quamuis alio fine præcedenti, vel eodem die communicasset: quod etsi Doctores non exprimant, necessariò sequitur ex eorum sententia saltem valde probabili, quam tradit nominatim Vasquez, quod nisi in morbo præcepto diuino tunc communicandi satisfieri non possit. Ita Bresserus. Et hanc sententiam re maturius considerata, & inter illos discussa anno 1638. deduxerunt in praxi Patres Societatis Iesv Domus professæ Panormitanæ in persona Patris Gascoue, qui cùm manè Missam celebrasset, & post prandium lethali morbo correptus fuisset, iterum in eodem met die sacram Communionem per modum Viatici ei præbuerunt.

3. Notandum tamen est hic obiter, fuisse aliquam esse opinionem Soti *in 4. distinct.12. q.1. art.1.* Tabienæ *verb. communicare, num.16.* Armillæ *verb. communio, num.12.* asserentium in articulo mortis toties ex præcepto Eucharistiam esse sumendam, quoties post sumptionem amissa est gratia per peccatum mortale.

RESOL.

RESOL LXXVI.

An qui in articulo mortis sumpsit Viaticum, teneatur iterum illud sumere, si peccauit mortaliter? Ex p. 5. tract. 3. Resol. 43.

Sup. hoc in Resol. præcepta §. vlt. & in resol. seq.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Sotus *in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 11.* Tabiena *ver. communio, num. 16.* Armilla *eodem ver. num. 11.* Sed ego negatiuè respondeo cum Hurtado *de sacram. Euchar. disp. 10. diffic. 2.* Kellisonio *tom. 2. in 3. part. quæst. 80. art. 11. not. 2.* Ioanne de Lugo *de sacram. Euchar. disp. 16. sect. 3. num. 46.* & Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Euchar. quæst. 14. n. 8.* quia est maxima differentia inter sacramentum Eucharistiæ, & sacramentum Pœnitentiæ. Nam si quis in articulo mortis semel susceperit absolutionem sacramentalem, vt satisfaciat præcepto illius temporis, & postea peccet mortaliter in eodem articulo, tenetur iterum recipere absolutionem sacramentalem, quia talis absolutio est medium necessarium ad salutem pro omni tempore, quo quis lapsus sit in peccatum mortale. At verò si quis in articulo mortis receperit Eucharistiam, non tenetur eam iterum in eodem articulo recipere, licèt postea inciderit in graue peccatum, quia Eucharistia non est necessaria necessitate medij ad salutem, sed solùm necessitate præcepti, quod præceptum imponitur in articulo mortis, vt Eucharistia sumatur tamquam Viaticum, & in memoriam passionis Christi, quod cùm iam semel præstitum sit præceptum, iam deinceps non obligat pro illo articulo, sed pro alio.

RESOL. LXXVII.

An si quis in articulo mortis recipiat à suo Parocho Viaticum, & postea lapsus est in peccatum, si iterum illud peteret, deberet Parochus ministrare?

Et explanatur, quando in eadem infirmitate possit infirmo non ieiuno, qui recepit Viaticum, iterum atque iterum sacrum Viaticum ministrari. Ex part. 11. tract 6. & Misc. 6. Resol. 17.

Sup. hoc supra in §. vlt. Resol 75. & in Resol. 76.

§. 1. AD hoc dubium respondet Ioannes Pontius *in Cur. Theol. disp. 44. quæst. 16. concl. 4. num. 98.* sic enim ait: Quæres, an qui postquam in morbo, vt satisfaciat huic præcepto, communicauit, peccauit mortaliter, teneatur iterum communicare? Sotus existimat, quod sic, quam doctrinam existimat Cardinalis de Lugo esse contra praxim Ecclesiæ quia, inquit, nullus Parochus daret hodie Viaticum non ieiuno, cui heri dederat illud non ieiuno, licet diceret se peccasse postea mortaliter. Credo tamen eum non consuluisse omnes Parochos, sed solum id coniecisse ex principiis, quibus videbatur sibi colligere, quod præceptum id non exigeret; quæ principia propterea potius proponenda essent, quàm illud aliàs incertum, quod nemo id faceret. Et certè ex illa praxi non solùm colligeretur, quod non obligaret ad id præceptum, sed etiam, quod non posset iterum communicare; quod tamen vix potest bene probari. Ego existimo praxim illam in hoc fundari potissimum, quod si iterum daretur Viaticum, deueniretur in cognitionem, quòd infirmus post primum Viaticum peccasset mortaliter; quia omnes concedunt non debere dari iterum, præsertim si infirmitas post primum Viaticum valde diu non protraheretur, nisi quis peccaret postea mortaliter, non est autem verisimile, quod cum tali famæ dispendio obliget præceptum: Vnde putarem sententiam Soti non solùm tutiorem, sed probabiliorem, quando infirmus peccaret mortaliter publicè; nec facilè poterit Cardinalis doctissimus probare id nullo modo esse contra praxim Ecclesiæ. Huc vsque Pontius.

2. Sed scilicet ego teneam, infirmum post sumptum Viaticum, si peccat mortaliter, non obligari ad iterum illud sumendum, quia iam satisfecit præcepto diuino de sumendo Viatico tempore mortis, & de peccato commisso post sumptum Viaticum potest confiteri, quod me citato tenet, & probat Pater Franciscus Lugo *de Sacrament. lib. 5. cap. 9. quæst. 5. num. 36.* tamen ea quæ supra dicit Pontius mihi non placent. Primò, quia non est verum, quod sumpto semel Viatico non possit dari, vt patet ex communi praxi Ecclesiæ, & docent contra Vasquez, & paucos alios communiter Doctores, quos me etiam citato adducit, & sequitur Leander *de Sacram. tom. 2. tract. 7. disp. 5. quæst. 39.* sed nescio vnde potest oriri scandalum quod timet Pontius, si infirmus denuo petat Viaticum, quia potest hoc facere ex deuotione, vt communiter efficitur, etiam si infirmus non fuerit lapsus in aliquod peccatum. Deinde neque est verum quod non sit dandum Viaticum, vt vult Pontius, nisi infirmitas valdè diu protrahere-† tur: nam post sex, imò vt ego teneo; post tres dies iterum Viaticum infirmo porrigendum esse existimo Et aliqui plus addunt singulis quibusque diebus, vt ex Layman, & Hurtado probat, & tenet Leander *vbi supra quæst. 40.* cui adde Dicastillum *de Sacram. tom. 1. tractat. 4. disp. 9. dub. 16. num. 334.* & ideò *num. 342.* firmat, ægrotum pro sumendo Viatico posse se gerere pro exempto, & non comprehenso in lege ieiunij, & adeo ad illud nõ teneri. Vide alios quos alibi citaui. Vnde ex his apparet quàm parum modestè protulit aliqua verba Pater Hurtado de Chocolata, & Tabaco, *tract. 2. cap. 10. §. 3. num. 175.* vbi sic ait: [Lo segundo limito, quando el enfermo pecò mortalmente despues de auer recibido el Viatico, puede, aunque no estè ayuno, tornar à comulgar; porque con el pecado mortal se quitò la vnion que tenia con Christo, que es proprio effecto deste Sacramento, la qual vnion mediante la caridad, y la Eucharistia, quieren Christo, y la Iglesia que la tanganlos fieles quando salen desta vida, y por esto los Concilios, y Sagrados Canones la llaman, Viaticum necessarium. Y assi parece que tiene aqui lugar la epiicheia, de que no se guarde al ayuno natural, para comulgar; pero por sola deuocion, y mayor aumento de gratia, y adquirir mayores auxilios, lo tengo por falso; porque se abre gran puerta con no pequeña irreuerencia de este Sacramento. *Propter cuius honorem placuit Spiritui sancto quod prius in nos Christianos Corpus Dominicum intraret, quam reliqui cibi, nam ideo per vniuersum Orbem mos iste seruatur.* Come dixe S. Agustin. *cap. 2.* Y verdaderamente esta es la costumbre de la Iglesia, que à ningun infermo, in vna infirmitad, sele da mas de vna vez el Viatico y à esto deuen estar muy atentos los Parochos, y Obispos, porque si se abre la puerta à las opiniones referidas, que dan rienda en esta matetia, se seguiran no pequeños inconuenientes. Ita ille, & miror quomodo ausus sit vocare opinionem falsam, quam communiter docent Doctores præter ipsum, & paucos alios, & quam docet apertè Rituale Romanum iussu Pauli V. editum, & quod voluit ab omnibus Episcopis obseruari: sic itaque habet Pontifex: Quod si æger, sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis euaserit, & communicare voluerit, eius pio desiderio Parochus non deerit Cùm igitur Pontifex decernat, si post Viaticum velit infirmus

† Sup. hoc infr. in Resol. 83. & 86. & 87. & in Resol. 78. §. vlt ad medũ, vers. Hæc sententia, & in to. 1. tr. 7. Resol. 37. §. vlt. & lege doctrinam Resolutionũ not. præteritæ.

† Sup. hoc in Resolutionibus not. primæ huius §.

iterùm communicare, non esse illi communionem denegandam; non est cur hæc Pontificis facultas limitanda sit ad solam communionem ante cibum: tum quia ad hanc necessaria non erat noua Pontificis declaratio, & facultas, cùm etiam Concilia hanc facultatem infirmo concedant de communicando sæpius in eadem infirmitate, vt aperte illam concedit Concilium Mediolanense V. sub titulo, *Quæ ad Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum pertinent, Canone penultimo*: ergo aliquid amplius concedit hîc Pontifex infirmo, quod non concedunt Concilia: hæc autem est facultas, in eadem infirmitate communicandi etiam per modum Viatici: tum quia illa verba. *Et si dies aliquot vixerit*, consulto sunt posita, vt nimirum non statim semel sumpto Viatico, concedenda sit illi iterum communio per modum Viatici iuxta communem sententiam Doctorum, quia saltem requirunt vnam hebdomadam inter vnam & alteram communionem per modum Viatici: tum quia, cùm Pontifex duas apponat conditiones, vt æger licitè possit iterum in eadem infirmitate communicare, si aliquot dies vixerit, vel mortis periculum euaserit; cumque posterior intelligenda sit de pura communione, cùm per modum Viatici non liceat, nisi in mortis periculo illud accipere, prior conditio intelligenda erit de communione etiam per modum Viatici; nam per particulam disiunctiuam, vel, Pontifex satis declarat, aliud intendere in vno, atque in alio membro. Et hæc omnia docet Amicus *in Curs. Theol. tom.7. disp.47.sect.2.num.11.* Pasqualigus *in Theol.tom.2.contr.111.sect.4.num.21. cum seqq.* Videat modo P. Hurtadus, si hanc sententiam nota falsitatis inurere debebat: ergo falsam opinionem Paulus V. in Rituali docuit. Apage hoc dicere, excessit igitur doctissimus Vir in supra citatis verbis, & censura; sicuti etiam non bene testatur esse praxim Ecclesiæ semel tantùm præbere Viaticum infirmis non ieiunis, nam consuetudo Ecclesiæ est in contrarium, vt omnibus patet.

RESOL. LXXVIII.

An reus ad mortem damnatus, si pridie Eucharistiam sumpsit, possit in illo die supplicij denuo illam sumere, si cibum ex inaduertentia sumpsit?

Et quid, si forsan cibum aduertens sumpsit, si postea pœnitens facti vellet communicare?

Et docetur sanum damnatum ad mortem, si iudex nolit expectare, posse, imò debere Eucharistiam non ieiunum accipere eodem die supplicij, si ieiunus non possit?

Sed aduertitur eodem die plectendum capite teneri ieiunare donec sumpserit Eucharistiam, modo ieiunare possit absque notabili in commodo, sicut etiam ægrotus, si commodè potest, tenetur accedere ieiunus ad Eucharistiam sumendam.

Et asseritur duobus, aut tribus, diebus imo & pluribus sequentibus, si adhuc perseuerat mortis articulus, vel periculum, posse infirmum non ieiunum communicare. Ex part. 9. tr. 6. Misc. 1. Res. 41. alis 42.

Sup. hoc in duabus Res. seqq. & supra in Res. 74. §. penult. prope finē, vers. siue violentæ, sed lege eam per totam, & alias eius ptimæ not.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Quintanaduenas *in Theolog. moral. tom.1.tr.4.singul.14.num.5.* vbi sit ait: [Difficultas est, an si morti damnatus pridie ante supplicium ex deuotione, non pro Viatico, Eucharistiam sumpsit, (nam hoc reseruauit ad ipsum supplicij diem,) velit communicare in ipso: at cibum iam vel ex obliuione, aut inaduertentia, vel ex aliquali corporis infirmitate sumpsit; vtrùm possit tunc non ieiunus communicare? Respondeo, posse: quia tunc certè est in mortis periculo, imò & in articulo, iuxta Rodriguez *quæst. 62. tom.1. artic. 7.* præsertim cùm ille iam cibum sumpserit, & differendum non sit supplicium, ac proinde non valet ieiunus communicare. Huic sententiæ maximè fauent Nauarrus *lib.5. tit. de pœnitenz. consil 40.* Suarez *sup.* Layman *lib.5 tract.4.c.6.num.20.* Reginaldus *tom.2. lib.29. cap.6.* Coninch *quæst.80. art.8.num.50.* Zambranus *sup.num.3.* Henriquez *lib.8.cap.50.num.2.* Bonacina *de Euchar. disp.4 part.2.n.22.* Bartholomæus ab Angelo *dial.4.§....* Villalobos *tom.1.tract.7. difficult.39. tit.11.* Syluius *in 3.part.quæst.80.art.8.* & alij docentes, sanum damnatum morte, si Iudex nolit expectare, posse, imò debere Eucharistiam non ieiunum accipere eodem supplicij die, si ieiunus non possit. Et ita fecisse cū quodam reo plectendo Guererum Archiepiscopum Granatensem, testantur Zambranus, & Henriquez *vbi suprà.*

2. Præterea adderem, quòd si non ieiunus propter aliquam causam accipit pro Viatico, die ante mortem, Eucharistiam; & in ipso supplicij die non solùm ex necessitate, sed etiam ex ignorantia, vel inaduertentia cibum sumpsit, si vellet iterum Eucharistiam suscipere post cibi sumptionem, posset; imò etiam forsan posset, si aduertens sumpsisse, sed postea pœnitens facti vellet communicare: quia vtitur iure suo, & adhuc est in mortis periculo, & incapax recipiendi Eucharistiam non ieiunus. Hæc sententia videtur esse, quam Doctores *num.1.* affirmant, dicentes duobus, aut tribus diebus, imò & pluribus sequentibus, si adhuc perseuerat mortis periculum, posse infirmum non ieiunum communicare. Quæ sententiam magis vrget in hoc reo, quem certò scitur alio die amplius non communicaturum. Sed addecum Coninch, & Bonacina *supra*, eum, qui aduertit, esse eo die plectendum capite, teneri ieiunare, donec sumpserit Eucharistiam, modò ieiunare possit absque notabili incōmodo; sicut etiam ægrotus; si commodè potest, tenetur accedere ieiunus ad Eucharistiam sumendam.] Et hæc omnia docet Quintanaduenas *loc.citato*, cui adde Hurtadum *de Sacr.Euchar. disp.5.diffic.16.* Eligium Bassæum *in Flor.Theol.mor. verb.Communio sacra, num.25.* & Escobar *Theol.mor. tr.3.exam.6.cap.5.n.62.*

Sup. Res. 74. ante n. confirm. vers. ego.

RESOL. LXXIX.

An ille, cui Princeps iubet mortem inferri eadem die absque dilatione, sit communicandus etiam non ieiunus?

Et notatur non esse necessarium tempus viginti horarum inter sumptionem Eucharistiæ, & suscipiendi mortem intercurrere.

Imo docetur posse Sacramentum Eucharistiæ ministrari damnatis ad patibulum ante vnam horam mortis.

Et an quamuis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia a damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterum se comunicare, esset magis pium illi Eucharistiam dare, quam Communionem impedire. Ex part.3.tr.6.& Misc.2.4. Res.59.

Sup. Res. 74. §. 1. n. 1. Zambrano *de cas. tempore mortis, c.3. dub. 5. n. 6.* Henriquez *lib. 8. cap. 5. n. 1.* Suar. *in 3.p.tom.3.q.80. disp.68. sect. 7.* Layman *in Theol.moral. lib.6. tract.4. cap.6. num. 20.* Syluio *in 3. p. q.80. art. 8.* Reginaldo *in præx tom. 2. lib. 29. cap.6. q.vlt. sect.2. n. 20.* & Coninch *de Sacr.q.90, at.7.num.50.* vbi sic asserit. Quādo quis est in præsenti periculo mortis, siue id fiat ratione morbi, siue quod supplicio afficiendus sit; tunc enim

potest

potest communicari non ieiunus, & quocumque diei tempore, si sit ante sequentem diem moriturus, quia saltem valde probabile est, talem tunc teneri ex præcepto diuino communicare, quod maioris momenti est, quàm præceptum Ecclesiæ prohibentis non ieiunum communicari. Secundò, quia cùm communio tali homini sit tunc valdè vtilis, & quodammodo necessaria, vt in extrema illa luctа, tanto præsidio confortetur, & roboretur, noluit eum Ecclesia tanto bono priuare. Ita ille, & alij.

2. Notandum est etiam hic obiter, pro damnatis ad mortem, non esse necessarium tempus viginti quatuor horarum inter sumptionem Eucharistiæ, & suscipientis mortem intercurrere, & licet hic Panormi; & in Regno Castellæ, & alibi, vt opinor, interuallum vnius diei faciant intercurrere, attamen hoc non est necessarium. Vnde ego puto cum Sancio *in select. disput.* 40. *n.*4. quod quamuis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterum se communicare, minus pium esset Communionem impedire, imò pij Iudices ad suscipiendam hortari debent, vt puniendi tolerabilius mortem patiantur, & dæmoni, tentationes illa hora maximè turbantes faciliùs superent. Nec ex hoc reuerentia Sacramenti minuitur, cùm Christus istud instituerit ad nostrā vtilitatem, & non cohærent irreuerenter suscipi, & ob nostram vtilitatem, si aliàs communicans debitam dispositionem habeat: vnde vellem hæc à Principibus, & Iudicibus prænotari. Ita Sancius.

Sup. hoc eũ eodē Sancio hic citato in Res seq. §.2. ad lin.7.

3. Scio Iulium Clarum §. *fin. quæst.* 99. *num.* 3. Corsettum *singul.* 16. Vegam *part.* 1. *cap.* 61. *cas.* 21. Cucchum *instit. lib.* 5. *tit.* 5. *num.* 107. Ant. Scap. *de iur. non scrip. lib.* 5. *cap.* 210. *n.*7. & Zerolam *in praxi Episc. p.* 2. *ver. damnati ad mortem, & ver. Eucharistia*, reputare, indecenter recipi Eucharistia ipso die mortis, & ob id à Iudicibus non esse permittendum ministrari, & imputandum damnato, quod pridie mortis renuerit recipere.

4. Sed contrariam sententiam tenet Maiolus *de irregul. lib.* 3. *cap.* 24. *n.* 15. vbi ita ait: Ego nonnullis in locis, quibus pro Episcopis magistratum gessi, validiore authoritate qua potui, induxi, vt damnatis ad mortem ea ipsa die Cõmunio concederetur. Sic ille, & ita Romæ obseruari testatur Sancius, Corsettus, & Antonius Scap. *vbi suprà.*

Sup. hoc in Res. seq §.2. ante mediũ, circũ in vers. Vnde ego.

5. Vnde asserunt multi, posse Sacramentum Eucharistiæ ministrari damnatis ad patibulum, ante vnā horam mortis. Et ita docent Emanuel Sà *verb. Eucharistia, num.* 2. quem sequitur Fagundez *de præc. Eccles. part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. & Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 12. *non longè à fine*, ait, quòd apparet non nihil irreuerentiæ irrogari Sacramento, si quis Eucharistiam susciperet, & illicò ad patibulum, & mortem raperetur; ergo dum dicit illicò, non sentit fore irreuerentiam ante vnam horam ministrari. Et hæc omnia à fortiori procederent, quando Princeps eo die vellet omninò reum patibulo suspendi; vt docent Petrus de Cenedo *in qq. can. q.* 3. *n.* 4. *in fine*, & Doctores in principio resolutionis citati.

RESOL. LXXX.

An damnato ad mortem sit danda Eucharistia etiam si non sit ieiunus?

Et quid si post horam ad patibulum esset ducendus?

Et notatur, quod quamuis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterum communicare, minus pium esset Communionem impedire, quam Eucharistiam illi dare.

Etiamque aduertitur, reo expetenti, vel non recusanti confessionem, & Eucharistiam, Iudex ad confitenda peccata, & Eucharistiam recipiendam tenetur dare tempus sufficiens? Ex part. 5. tract. 3. Resol. 38.

§. 1. REspondeo affirmatiuè cum Zambrano *de Sacrament. Euchar. cap.* 3. *dub* 8. *num.* 6. vbi citat Nauarrum, Suarez, Henriquez, Sà, & alios, quibus ego addo Ioannem de Lugo *de Sacram. Euchar. disp.* 15. *sect.* 4. *num.* 72. Fagundez *præc.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 21. Præpositum *in* 3. *part quæst.* 80. *art.* 8. *dub.* 2. *num.* 42. Granadum *de sacram. in* 3. *part. controuers.* 6. *tractat. disput. num.* 9. Tannerum *tom.* 4. *disput.* 5. *q.* 8. *dub.* 4. *num.* 84. & Hurtadum *de Sacrament. Eucharist. disput.* 9. *difficult.* 16. quia supradicti tenentur ex præcepto, cum sint in articulo mortis, sumere Communionem, neque violenta mors tollit eis hanc obligationem, si Iudex alium diem pro executione expectare nolit.

Sup. hoc in duabus præcedentibus & supra in Res. 74. § penult. prope finem, vers. siue violētæ. sed lege eam per totam, & alias eius primæ not.

2. Nec valet dicere, indecenter recipi Eucharistiam in die ipso, quo reus iustificandus est: nam ego hanc sententiam *in* 3. *part. tract.* 6. *resol.* 59. satis probaui, & probat Sancius *in select. disp.* 40. *n.*4. & alij penes ipsum, qui quidem notat, quod quamuis pridie ad morte esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterum communicare, minus pium esset Communionem impedire: imò pij Iudices ad suscipiendam hortari debent, vt puniendi tolerabilius mortem patiantur, & dæmonis tẽtationes illa hora maximè turbantes faciliùs superent. Et quamuis lex Castellæ conuenientiùs iudicet ipso die mortis Eucharistiam non ministrari damnatis, ob reuerentiam Sacramenti, contrarium fortè decerneret modò ad vtilitatem damnati animaduertens. Nec ex eo reuerentia Sacramenti minuitur, cùm Christus illud instituerit ad nostram vtilitatem, & non cohærent irreuerenter suscipi, & ob nostram vtilitatem sumi, si aliàs communicans debitam dispositionem habeat. Vellem hæc à Principibus, Iudicibus, & Magistratibus prænotari. Ita Sanc. Vnde ego in praxi, si iustitia rei differri non posset, illum communicarem, etiamsi post horam ad patibulum esset ducendus. Ita Sancius *loco cit.* & ego ipse *vbi supra*, omnino videndus. Notandum est etiam hic obiter, quod reo expetenti, vel non recusanti confessionem, & Eucharistiam, Iudex ad confitenda peccata, & ad Eucharistiam recipiendam tenetur dare sufficiens tempus. Patet, nam *in Clement. cùm secundum, de pœnit. & remiss.* præcipitur Episcopis, vt suadeant, Iudicibus, & si necesse sit, compellant eos ad concedendum tempus sufficiens ad confessionem sacramentalem efficiendam. Eadem autem est ratio de Eucharistia, quia quando dicitur non denegandam pœnitentiam, aut concedendam pœnitentiam, hoc est, Pœnitentiæ Sacramentum, consequenter intelligitur neque etiam Eucharistiam esse denegandam, vt patet ex *cap. quod in te, de pœnit. & remiss.* ibi in illo verbo, *per quod pœnitentiam morientibus non denegamus*, Viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus. Imò reo non est denegandum prædictum tempus, etiamsi timeatur inde fore, vt eripiatur è carcere. Ita docet Syluester *ver. iudex primo, q.* 11. *dict.* 6. & Petrus Nauarr. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *n.* 226. Tum quia dicta Clement. absolutè præcipit Iudices esse compellendos, tum quia minùs inconueniens videtur dicta ereptio, quæ reparari potest, quàm æterna damnatio, quæ non potest reparari. Quod si ex tali ereptione non timeatur damnum Reipublicæ, & sit spes, quod recipiet Eucharistiam differendo suspendium, & confitebitur in-

Quæ hic est Res. antecedens.

Sup. hoc notato cum eodem Sancio hic citato in §. 2. Res. not. præteritæ.

Sup. hac hora ibid. §. vlt.

tra tres dies, vel quatuor, differendum est supplicium ex lege charitatis, vt succurratur ruinæ spirituali proximi. Et hæc omnia docet Ochagauia *de Sacram. tract. de Euchar. p. 14 num. 10.*

RESOL. LXXXI.

An aliquando licitum, sit deferre Viaticum moribundo absque stola, superpelliceo, & lumine?

Et notatur, quod minores Ordines, Extrema Vnctio, Confirmatio, & Matrimonium possunt sine lumine administrari sine lethali culpa.

Et docetur Sacerdotem chiragra laborantem, & pollice, ac indice impeditum non posse aliis digitis sacram Eucharistiam apprehendere, & porrigere.

Et aduertitur posse Parochum præbere Viaticum infirmo in articulo mortis constituto, qui mane, v.g. in eodem die sumpsit Eucharistiam, vel ex deuotione Missam dixit. Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Resol. 40.

Sup. hoc pro lumine accenso supra in Resol. 53. cursim in fine § Verum, & supra in tract 1. Resol. 154. in fine. Et pro stola, & superpelliceo infra in tr. 4. Resol. 19. ex doctrina §. eius vlt. ad medium vers. Et hoc.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Leandrus, *de Sacramentis tom. 1. tractat. 7. disp. 4. quæst. 19.* Quia hoc diuinum Sacramentum est summæ necessitatis, maximè in articulo mortis: ergo in hoc licitè poterit administrari absque prædictis cærèmoniis; si credibile sit aliàs infirmum moriturum sine illo. Confirmatur, quia multa alia omitti possunt in huius Sacramenti administratione, si necessitas infirmi vrgeat: ergo. Ita ille. Sed præter Bonacinam, Posseuinum, & Ludouicum à San Iuan, quos ipse adducit, negatiuam sententiam tenet Pater Tamburinus *Opuscul. de Commun. cap. 6. §. 1. num. 6.* cui' adde nouissimè Martinum de San Ioseph, *in Monitis Confess. tom. 1. lib. 1. de Eucharist. tract. 5. n. 17.* sic asserentem: [No puede el Parroco lleuar el Santissimo Sacramento à los Enfermos, sino puede ir con habito decente, esto es con Sobrepelliz Estola, y Luz delante.] Ita ille. Vide Auersam *de Sacramento Eucharist. q. 10. sect. 5.* Cardinalem Lugo, *disp. 18. sect. 2. n. 35.* Granadum *in 3. part. Contr. 6. tract. 12. disp. 3 n. 2.* Gesuadum *in Theol. mor. tom. 1. tract 11. cap. 3. n. 6.* Filliucium, *tom. 1. tract. 4. c. 9. n. 250.* Graffium, *tom. 1. lib. 2. c. 40. num. 3.*

2 Nota hîc etiam cum Quintanaduenas *in Theol. mor. tom. 1. tract. 5. singul. 5. num. 3.* quod si Minores Ordines, Extrema-Vnctio, vel Confirmatio, & Matrimonium, sine lumine administrentur; non erit lethalis culpa, sicut nec grauis irreuerentia; & pœnitentiæ Sacramentum sine eo conficitur semper. At cùm in Communione, & sacris Ordinibus conferendis necessario, vel adsit Corpus Christi, vel Missa celebretur, lethalem culpam committeret sine lumine conferens hæc Sacramenta; tum propter traditionem, seu consuetudinem ab Apostolorum tempore dimanantem; tum propter maiorem reuerentiam præsentiæ Christi Domini debitam. Hæc Quintanaduenas.

Sup. hoc pro Extrema-Vnctione, infra in tr. 4. Resol. 9. cursim ad lin. 2. & in alio §. eius annot.

3. Et tandem nota cum Auersa loco citato, Sacerdotem chiragra laborentem, & pollice, ac indice impeditum, non posse aliis digitis sacram Hostiam apprehendere, & porrigere; quia licet tota manus sit consecrata, tamen specialiter illi duo digiti ad hoc ministerium ex vsu, & ritu Ecclesiæ deputati sunt.

Sup. hoc supra in Resol. 53. §. 1. & 2. Sæpiùs & alibi supra in Resol. 73. 74. & 75. & superiùs in tr. 1. Resol. 133. §. Sed si & in tom. 3. tr. 1. Resol. 54.

4. Sed quia hîc sermo accidit de Viatico, Nota id quod sæpius alibi firmauimus, posse scilicet Parochum præbere Viaticum infirmo in articulo Mortis constituto, qui mane, verbi gratia in eodem die sumpsit Eucharistiam, vel dixit Missam ex deuotione. Et ita, præter alios Doctores à me adductos, tenet nouissimè Martinus de San Ioseph *in Mon. Confess. tom. 1. lib. 1. de Eucaristiam tractat. 9. num. 16.* vbi me citato, sic asserit: [El que auia comulgado poco antes del peligro, ò articulo de muerte, no se escusa de recibir de nueuo el Viatico porque no se satisfaze con la Communion antecedente, al precepto del Derecho diuino de comulgar en aquel passo, y articulo. Porque à ningun precepto, se satisface propriamente, sino es dentro del tiempo en que obliga el precepto, por los Derechos citados en el numero precedente: y bien probablemente han sido de opinion hombres grauissimos de las dos Vniuersidades de Alcalà, y Salamanca, que si auia comulgado vno por su deuocion el mismo dia que cayò malo, y en que se vè en peligro de muerte y prudentemente se entiende que morirà en el mismo dia, tiene obligacion à comulgar en el otra vez; porque se cumple con el Derecho diuino, que es mayor peso, que el humano de no comulgar an vn dia dos vezes: tuuo esto expressamente el Padre Vazquez, en vn papel manuscripto, à quien cita, y sigue Hurtado *disp. 10. difficul. 1.* que affirma lo han practicado assi varones graues.] Hucusque Martinus, cui adde etiam, me citato, Leandrum *de Sacramentis, tom. 2. tract. 7. disp. 2. q. 6.* & etiam me citato, Pellizzarium *in man. Reg. tom. 1. tract. 5. c. 3. num. 70.* Hanc etiam sententiam tenet Quintanaduñas *in Theol. mor. tom. 1. tr. 4. disq. 9. n. 6.* & Ludouicus à San Iuan *in sua parua Summa, art. 4. de Commun. Infirm. n. 45* & tanquam probabilem illam admittit, me citato, sapientissimus Vecchellius, *de Sacramentis tom. 1 tract. 4. disp. 10. dub. 3. n. 56.* Vide gaudeo, pro consolatione infirmorum, hanc sententiam, postquam ego illam typis mandaui, fuisse à doctissimis viris comprobatam & in dies magis laudices figere: quicquid nouissimè in contrarium asserat Tamburinus *Opuscul. de Comm. c. 5 §. 6. n. 19*

RESOL. LXXXII.

An infirmus in articulo mortis constitutus, si commode recipere possit sacrum Viaticum ieiunus ad id teneatur? Ex p. 11. tr. 6. & Misc. 6. Resol. 16.

§. 1. NEgatiuam sententiam probabilem putat Sp. Hurtadus *de Chocolata, & Tabaco, tract. 2. cap. 10 §. 1. num. 165.* vbi sic asserit: [No me parece improbable, que por el mismo caso que el Medico declarare, que vn enfermo està en peligro conocido de muerte, y que deue comulgar por Viatico, aunque pueda sin incommodidad alguna comulgar en ayunas, no tiene obligacion por el precepto Ecclesiastico, si no solo à complir el precepto Diuino. Lo primero: porque si en este trance obligara el precepto Ecclesiastico, se causaria en los enfermos vna gran inquietud con los escrupulos, si podia ò no podia esperar de ayuna, y assi la epiicheia parece que dicta, que por el mismo caso que vno ex vi infirmitatis esta en tal peligro, la ley humana Ecclesiastica no le obliga à recibir el Sacramento en ayunas, à el parece creible, que nuestra madre la Iglesia, como tan piadosa, quiera obligar à sus hijos en este trance à que comulguen en ayunas, sino que solo con toda quietud cumplan con el precepto Diuino de comulgar. Segundo, porque assi parece que declarò esta ley Ecclesiastica, y costumbre, el Concilio Constancienese, *sess. 13.* donde dize assi: Sacrorum Canonum auctoritas, & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit, & seruat, quod huiusmodi Sacramentum non sumatur à non ieiunis, præter quàm in infirmitate, &c. Y assi en la enfermedad, no ay precepto de ayuno natural, quando ay obligacion de cumplir con el precepto Diuino, y esto parece que es en que lo deuen

deuen fundar los Doctores que referiremos en el §. 2. quando dizen, que es licito comulgar muchas vezes en vna enfermidad, aunque no se esté en ayunas, y es esto tanto, que algunos dizen, que cada tres dias puede recibir el Sacramento, sin estar ayuno el enfermo.] Ita ille,

2. Sed, vt verùm fatear communis opinio Doctorum est in contrarium, & quotidiana praxis; & præter Granadum, Suarez, Coninch, Fugundez, & Bonacinam, quos citat Hurtadus, hanc sententiam tenet Leander *de Sacram. tom. 2. tract. 7. disp. 4. quæst.* 38. testatur de communi praxi Ecclesiæ Bassæus, *in For. Theolog. verb. Communio Sacram. num.* 44. Cardinalis Lugo *de Euchar. disp. 15. sect. 3. nnm.* 58. Amicus *in Cur. Theolog. tom. 7. disp. 27. sect. 2. num. 9.* Martinus de San Ioseph *in Mon. confess. tom. 1. lib. 1. tract. 8. de Euchar. num.* 14. & ideò, cùm hæc opinio sit communi calculo Doctorum approbata, & ex praxi Ecclesiæ roborata, puto opinionem Patris Hurtadi, alias viri docti, non esse practicandam.

RESOL. LXXXIII.

An Sacerdos possit iterum subministrare Eucharistiã infirmo, qui semel in articulo mortis sumpsit communionẽ per modũ Viatici nõ ieiunus? Ex part. 2. tr. 14. Res. 75.

Sup. hoc in Res. seq. & supra in Res. 77 §. Sed licet, paulo post initium, à vers. Primo quia, & ad medium, & infra in Res. 87. lege doctrinam. §. vlt. & vide alias Res. & §§. positos in annot. tertia Res. 2. huius not.

§. 1. NEgatiuam sententiam prorsus sustinet Vasquez *in 3. parte, tom. 3. disp. 211. cap. 4. num* 38. & nouissimè Ioan. de la Crux *in direct. conse. part. 2. tract. de Euchar. quæst. 5. dub. 4 concl. 3.* Ratio est, quia cum vna communione infirmus iam satisfecit præcepto sumendi Eucharistiam in articulo mortis Ergo.

2. Sed affirmatiuam prorsus amplectendam esse docet vsus communis Ecclesiæ, & communis DD. sententia, nam ita docet Tabiena *ver. communicare, num.* 48. Armilla *ver. communio, num* 18. Toletus *in summa, lib. 10. cap. 15.* Sà *ver. Eucharistia, num. 5.* Sot. *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 8.* Victoria *in summa, num. 82.* Graffius *dec. part. 1. lib. 2. cap. 38. num. 32.* Nugnus *in 3. part. tom. 1. quæst. 80. art. 8.* Coninch *de Sacrament. quæst. 80. art. 8. num. 53.* Reginaldus. *tom. 2. lib. 29. cap. 6. num. 120.* Henriquez *lib. 8. cap. 4. num. 1. & cap. 50. num. 1.* Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 68. sect. 1.* & omnes neoterici, quia non solùm contra rationem, quam pro sua sententia adducit Vasquez; tunc permittitur ægroto non ieiuno communio, vt possit implere præceptum diuinum. Sed etiam, quia morituras valde indiget tanti Sacramenti præsidio, & id sæpiùs, & ita maxime indigentem ope, & subsidio huius Sacramenti ad vincendas occurrentes tentationes, & peccandi pericula superanda, pia Mater Ecclesia non videtur velle suo præcepto cum tanto spirituali dispendio adstringere. Deinde in Conc. Constantiensi *sess. 13.* dicitur in casu infirmitatis posse Eucharistiam dari non ieiuno. Ergo cùm non limiter ad vnam tantùm vicem, quare nos limitare debemus? Maximè, vt diximus, quòd in secunda & tertia vice adsit eadem necessitas, quæ in prima, scilicet ne priuetur auxilio tanti Sacramenti. Igitur hanc secundam sententiam prorsus tenendam esse existimo.

RESOL. LXXXIV.

An infirmo non ieiuno in periculo mortis possit sæpius Viaticum præberi?

Et notatur, quod licet infirmus expectare possit ieiunus per vnam, aut alteram horam post mediã noctem, adhuc non esse obligationem in illa intempestiua hora sumendi Eucharistium sed posse differri ad aliud tempus in quo nõ sit ieiunus Ex part. 5. tract 3. Resol. 37.

§. 1. NOn desunt nostræ ætatis præstantissimi Theologi, qui hoc posse minimè fieri constanter docent, & hi sunt Gamachæus, Doctor Sorbonicus, *in summ. Theol. tom. 3. de Sacrificio Missæ, c. vlt. circa fin* Kellisonius *tom. 2. in. 3. part. quæst. 80. art.* 8. Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Euchar. quæst. 12. num.* 10. Coninch *de Sacram. quæst. 80. art 8. num. 52.* Hurtadus *de Sacram disp. 9. difficult.* 16. Præpositus *in 3. part. quæst. 80. art. 6. dub. 2. num. 43.* & alij. & ratio est, quia infirmus pro periculo mortis excusatur à prohibitione Ecclesiastica sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, quando aliter nequit cómodè, quia occurrit cum præcepto diuino communicandi pro eo periculo, quod præferendum est dictæ prohibitioni Ecclesiasticæ, sed postquam infirmus semel pro periculo mortis communicauit, ita satisfecit præcepto diuino communicandi, vt pro eodem periculo non teneatur ex diuino illo præcepto iterum communicare, quamuis post primam sumptionem Eucharistiæ mortaliter peccauerit. Ergo postquam infirmus semel pro periculo mortis communicauit, nequit iterum pro eodem perseuerante non ieiunus communicare, quia post primam sumptionem nullum extat diuinum præceptum iterum communicandi, quo excusari possit à prohitione Ecclesiastica communicandi post fractionem ieiunij. Et ideò hanc sententiam præter DD. citatos tenet Vasquez & Ioannes de la Cruz, quos retuli *in 1. part tract. 14. resolut. 75.*

Quæ hic est Res. antecedens, & in aliis eius annot.

2. Sed ibi contraria opinio mihi magis placuit cum multis Doctoribus, quibus nunc addo, me citato, Ioannem de Lugo *de sacr. Euchar. disp. 15. sect. 3. num.* 64. Marchantium *in resol. pastor. de Sacram. tract. 4. cap. 2. quæst. 4. cas.* 1. Mercerum *de Sacram. quæst.* 80. *art. 8. num. 3.* Tannerum *vbi infrà num.* 85. Fagundez *præc. 3. lib. 3. cap. 5. num.* 20. Granadum *in 3. part. controv. 6. tract. 10. disput. 8. num. 9.* vbi rectè ex Suarez notat quòd licèt infirmis expectare posset ieiunus per vnam, aut alteram horam post mediam noctem, adhuc non esse obligationem in ea intempestiua hora sumendi Eucharistiam, sed posse differri ad aliud tempus, in quo non sit ieiunus: quod etiam docet Tannerus *tom. 3. disp. 5. quæst. 8. dub. 4. num.* 84. Quænam verò temporis intercapedo sit adhibenda in tali casu inter vnam & alteram communionem; vide me ipsum *in 1. part. tract. 14. resol. 77. & in 3. part. tract. 4. resol.* 44.

Quoad hoc lege supra doctrinam Res. 82. & §. eius annot.

Quæ nunc hanc sequentur.

RESOL. LXXXV.

Quando Sacerdos iterum præbet ægroto non ieiuno sacram Eucharistiam, quænam temporis intercapedo habenda est inter vnam, & alteram Communionem? Ex part. 2. tr. 14. Res. 77.

§. 1. MVltum tempus, arbitrio boni viri, respondet Nua. *tom. 1. p. 2. lib. 5. de pœnit. & rem. cons. 41.* quòd aliqui asserunt esse 30. dies, vbi obseruat Villalobos *vbi suprà.* Hæc sententia est nimis rigida, ideo post octo, vel decem dies, posse iterum infirmo non ieiuno Sacerdotem præbere viaticum, putauit Nugnus *in 3. part. tom. 1. quæst. 80. art. 8.* Villalobos *in sum. p. 1. tract. 7. dub. 38. num. 8.* Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 68. sect. 4.* Henriquez *in summ. lib. 8. cap. 5.* Fagundez *de præcep. Eccl. tract. 3. lib. 3. cap. 5.*

Sup hoc in duabus Res. seqq. & supra in Res. 77. §. 2. inter principium, & medium, à vers. Deinde & in aliis Res. & §§. eius not. & in tom. 1. tr. 7. Res. 37 §. vlt.

num. 10 amicissimus ac pariter doctissimus noster P. D. Andreas Castaldus *in sua praxi cærem. lib.4.sect.* 14 *cap.*8. *num.*5. cum aliis. Syluius verò *in* 3. *part. quæst.* 80.*art.*9.putat post septem dies posse ægrotum iterum sumere viaticum.

2. Ego autem puto sex dies sufficere, nixus authoritate Tabienæ *ver.communicare, num.*48 Armill. *num.*18. Zambrani *in decis.cas.conse. tempore mortis, cap.*3. *dub.*5. *num.* 4 Posseuini *de eff.Cur.c.*8.*num.*21. Filliuc.*tom.* 4. *cap.*8.*num.*238.l& fauet huic sententiæ Ioan. Maior. *in* 4 *sentent. dist.*9.q.3.*ad* 5. *quæst.*32.

RESOL. LXXXVI.

Quænam temporis intercapedo habenda sit inter vnam & alteram Communionem, vt infirmus possit communicare non ieiunus?

Et notatur, quod si quis proximè ante medium noctis cænauit in Dominica incidente in vigilia Natiuitatis Domini, possit statim post medium noctis sacrificare, & communicare?

Deinde licet deceat aliquo tempore post sacram communionẽ à cibo, & potu abstinere, tamẽ ad id nemo tenetur sub mortali, & ideo potest quis statim sine graui culpa de Sacristia ad prandiũ accedere? Ex p.3.tr.4.Res.44.

§. 1. IN *resol.*77.*tract.de celebr. Missarum*, dixi sufficere sex dies, sed plus addit Paulus Layman *in Theol.mor.lib.*5. *tract.*4.*cap* 6.*num.* 20. vbi sic asserit. Eucharistia ob mortis periculum si sumpta sit à non ieiuno, posse ita accipi saltem post sex dierum interuallum, docent aliqui: quinimò existimo ob iustam causam, pnta, si aliquis assuetus frequenter communicare, aut sacrificare propter deuotionem, ac desiderium, difficile abstineat, permitti ipsi posse, vt altero statim die iterum sacram Eucharistiam è manu Sacerdotis accipiat non ieiunus, dummodo mortis periculum instare videatur. Ita Layman. Sed post hæc scripta inueni Ludouicum de S. Iuan *in sum. tom.*1.*quæst.*7.*art.*10.*diffi.*4.*de sacram. Euchar.* sic asserere. [Siendo yo Prelado daua à los enfermos el viatico, si lo pedian cada tercera dia, y en la Vniuersidad de Alcala se sabia, y lo approbauan, sino el Padre Vasquez.] Ita ille, vbi etiam notat dictum Gabrielem Vasquez tandem in hanc descendisse sententiam, quod est valde notandum contra illos, qui nixi auctoritate Vasquez negant viaticum sæpiùs dandum infirmis.

Quæ hic est Res. antecedens, & in Res. seq. & supra in Resol. 77. §. 2. inter principium & medium, à vers. Deinde. & in alio §. & vers. eius nor. & in to. 1. tr. 7.Res. 57.§ vlt.

2. Notandum est etiam cum Henriquez *lib.* 8. *cap.*4.*in glossa littera V.* quòd si quis proximè ante medium noctis cœnauit in Dominica, incidente in vigilia Natiuitatis Domini, posse statim post medium noctis sacrificare, & communicare. Deinde licèt deceat aliquo tempore post sacram communionem à cibo, & potu abstinere, tamen ad id nemo tenetur sub mortali, & ideo potest quis statim sine graui culpa, de sacristia ad prandium accedere, vt docent Villalob. *in sum.tom.*1.*tract.*7.*diffic.*39. *num.*5. Sotus *in* 4. *dist.*12.*quæst.*1.*art.*8. Valent.*tom.*4. *disp.*6.*quæst.* 8. *punct.*3. *ver. postremò*, & alij.

RESOL. LXXXVII.

An infirmus non ieiunus, qui sumpsit Viaticum possit illud iterum sumere sequenti die?

Sed si aliquis curiosius inquirat, quot dies debeat supervivere infirmus, vt possit sumpto iam Viatico, iterum communicare, vt vult Rituale? Ex part.9.tr.9. & Misc.4. Res. 48.alias 47.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Castrus Palaus *tom.* 4. *tract.*21. *disp.vnica, punct.*13, *num.*14. vbi sic asserit: Ego verò dicendum existimo, vel sentiendum esse cum Vasque, vel affirmandum non solum post sex, vel octo dies te posse iterum Viaticum sumere, sed singulis diebus. Nam si constitutis in mortis periculo, vt præcitati Doctores affirmant, nulla est lex posita de præmittẽdo ieiunio Communioni; cùm datum omnibus sit singulis diebus Eucharistiam accipere, poterunt illam accipere non ieiuni, si ieiunium seruare non possunt! Necessitatem verò tanti Sacramenti singulis diebus habent morituri, vt quid ergo illo priuandi sunt? Poterunt ergo singulis diebus communicare, si aliter non possint. Et ita sustinent Tabiena, & Armilla casu quo moriturus post semel acceptum Viaticum peccaret mortaliter, quòd absit, Henriquez *lib.*8.*cap.*50. solum dicit non decere ob reuerentiam Sacramenti sic sæpiùs communicare, tacitè indicans solum esse minus conueniens, sed non illicitum, Emanuel Sa verò *Eucharistia, num.*5 & 34. *edit. Rom.* sine vlla limitatione, inquit posse sæpius in eadem ægritudine infirmum, etiam non ieiunum, communicare, quoties expetere videtur. Layman existimat, si aliquis assuetus est frequenter communicare, vel sacrificare, & propter deuotionem, ac desiderium difficile abstineat, permitti posse, vt altero statim die iterum sanctam Eucharistiam è manu Sacerdotis accipiat non ieiunus, dummodo mortis periculum instare videatur. Hæc omnia Palaus. Hanc etiam sententiam tenet Hurtad. *de sacr. Euhar. disp.* 9. *diffic.* 11. Bannius in *Theol. mor. tom.* 1.*tract.*5.*de Euchar. quæst.*23. *dub.*3. Leandr.*de Sacram.tõ.* 2. *tr.*7.*disp.*5.*q.*40. Elcobat in *Theol.mor.tr.*7.*exem.*6.*c.*5.*n.*62. Bassæus *in ser. Theol. mor.verb.Comm. Sacram.n.*45. & de solitis frequentare Communionem Quintanaduenas *in Theol. mor. tom.*1. *tract.*4. *singul.*14.*num.*5. Et ideo Magister Serra Dominicanus *in* 3.*part.D.Thom.quæst.*80.*art.*8. hæc scripta reliquit. Si quæras (ait) an in eadem infirmitate possint infirmi non ieiuni post sumptum Viaticum communicare? Responderi solet communiter, posse dummodo inter vnam & alteram Communionem mediet tempus sex, vel octo dierum. Non desunt tamen qui dicant, si mortis periculum semper instat, posse etiam altero die post Viaticum sumptum & deinceps quotidie communicare non ieiunum, quia in mortis periculo non solùm permittitur non ieiuno Communio, vt possit implere præceptum accipiendi Viaticum, sed etiam quia moriturus valde indiget huius Sacramenti præsidio. Ita Serra. Et hanc sententiam probabilem esse putat Tamburin. *in method. expeditæ Communionis, cap.*5.§.11.*num.*14.

2. Sed hæc opinio mihi non placet, nam directe est contra Rituale Romanum Pauli V. vbi habetur, quòd si æger sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, & communicare voluerit, eius pio desiderio Parochus non deerit. Itaque secundum Rituale, infirmus qui sumpsit Viaticum, potest iterum communicare, sed post aliquot dies. ergo non sequenti die, vt volunt citati Doctores. Nec obstat dicere cum Choquætio *in differt. Theologica de Confessione per literas, cap.*7.*num.*42. vbi sic ait. Ad confirmationem rem eodem modo dicitur, Manuale, seu Rituale illud, vt & alia, alicuius priuati Doctoris opera confectum esse, & illius auctoritatem non excedere. Nec que consensus Pontificis, aut iussio vt conscriptum fuerit, & euulgatum, conferat aliquod pondus rebus, quæ in eo præscribuntur; tum quia non præcessit serium, ac sufficiens Theologorum examen, tum, quia Pontifex non intendit communibus, ac receptis sententiis Scholarum vllo pacto præiudicare propter illius

illius opinionem, cui Manualis, seu Ritualis editionem commisit. Ita ille Sed miror virum doctum hæc scripsisse, nam loquitur contra expressa verba Pauli V. in Brevi, dato Romæ die 17. Iunij 1614. in quo Pontifex testatur dictum Rituale non fuisse compositum ab vno Theologo vt perperam vult Choquetius, sed à Congregatione plurimorum Cardinalium specialiter ad id deputatorum cum consilio eruditorum virorũ, & vult in dicto Breui vt omnes Episcopi, Archiepiscopi, &c. ab omnibus Parochis faciant dictum Rituale inuiolabiliter obseruari: vnde meritò aduersus Choquetium insurgit acriter Coninch in responsione ad Dissertationem de absolutione moribundi n. 62. Itaque opinio Palai, & aliorum non videtur admittenda. cum sit contra Rituale Romanum

Sup. hoc in Ref. hoc primo huius Ref. & in aliis eius anno.

3. Sed si aliquis curiosus inquirat quot dies debeat superuiuere infirmus, vt possit iam sumpto Viatico, iterum communicare, vt vult Rituale. Respondeo, præter diem sumpti Viatici alteros duos dies. Opinio est in Iure, & verbis Ritualis fundata: & ideo suppono id quod habetur *in Regula pluralis* 40 *de regul. iuris in* 6. quod pluralis loquutio duorum numero est contenta, vbi Glossa figurat casus *in cap. Is cui* §. 1. *de præb. eo lib.* Papa dispensauit mecum vt possem obtinere plura beneficia, aliter non declarando: Quæritur quot beneficia potero obtinere virtute dispensationis? Potero solùm obtinere duo beneficia; quia cum dispensatio sit odiosa, est restringenda; & in odiosis sufficit quod verba possint verificari: & illa verba verificabuntur in duobus beneficiis; quia pluralis locutio, duorum numero est contenta. Item potest casus figurari per *l. liberas* §. *post annos ff. de manum test.* Aliquis Titius veniens ad mortem suum condidit testamentum, & in testamento suo cuidam seruo legauit libertatem post annos: quæritur post quot annos seruus consequatur libertatem? Respondetur, post duos annos, quia verbum, *annos*, verificatur in duobus per rationem huius regulæ. Et Petrus Peckius id ex pluribus legibus, & exemplis confirmat, addens, quòd plerique sunt in ea sententia, vt existiment hanc regulam habere locum, etiamsi in plurali locutione sit hæc dictio *Omnia*. Nam si dicatur omnia, verificabitur in duobus, idque admodum vtile est ad saluandos testes à contrarietate, aut diuersitate, si dicat vnus Titium à pluribus, vel omnibus esse vulneratum, & alter dicat à duobus ipsum vulneratum esse, nam cum dictio omnes, vel plures, verificetur in duobus, dicentur testes isti esse concordes. Vide Zasium *in l. si pluribus, num.* 8. *ff. de leg.* 1.

4. Hoc supposito sic argumentor. Rituale Romanum asserit, infirmo sumpto Viatico, posse denuo Eucharistiam sumere, si vixerit aliquos dies, Ergo assero ego, potest sumere post duos dies. Probo consequentiam: nam vt supra visum est, pluralis loquutio verificatur numero duorum. Et hæc nostra sententia respicit reuerentiam debitam Sacramento, quia non concedit Viaticum sequenti die, vt docent Palaus, & alij *vbi supra*, citati. Respicit etiam necessitatem, & vtilitatem infirmorum, quia non differt secundum Viaticum vsque ad septimus, vel octauum diem, vt vult Suarez, & alij. Ergo cùm sit satis fundata in iure, videtur amplectanda, vt illam amplexi sunt viri doctissimi à me consulti. Et hanc opinionem practicandam censeo non solùm cum assuetis communicare, sed etiam cum non assuetis; quia omnes illo tempore indigent auxilio tanti Sacramenti; vnde teneo absolutè pro omnibus, quod si aliquis v. g. sumpsit Viaticum feria secunda, possit illud iterum sumere feria quinta; nam sic dicitur illud umpsisse vt vult Rituale Romanum, post aliquos dies. Nota quod nostra sententia ita placuit cuidam viro docto, vt putauerit infirmũ non ieiunũ posse sumere secundũ Viaticũ post 48. horas, nam vnus dies constat ex 24. horis, & sic sumeret Viaticum post duos dies. Sed ego puto hos duos dies computandos esse à prima media nocte post diem sumpti Viatici.

5. Sed contrà id quod firmatum est adduci potest Posseuinus *de Officio Curati, cap.* 8, *quæst.* 22. vbi ait: Rituale Pauli V. docere infirmo Communionem dandam semel non ieiuno, quod si sæpius detur, dandam semper ieiuno. Sed hoc gratis dicitur à Posseuino; nam Rituale asserit, Viaticum breui morituris dandam non ieiunis: cùm igitur loquatur absolutè, & illimitatè, non est limitandum, vt vult Posseuinus ad primam vicem: immò cùm in eodem Textu efficiatur mentio de secunda Communione, quam post sumptum Viaticum vult facere infirmus adhuc existens in periculo mortis, absolutè statuitur esse communicandum à Parocho. nulla adhibita limitatione de ieiunio. Sic enim asseritur; quod si æger sumpto Viatico dies aliquos vixerit, vel periculum mortis euaserit, & communicare voluerit, eius pio desiderio Parochus non deerit. Instabis, in dictis verbis esse communicandum à Parocho infirmum, qui periculum mortis euaserit, ac infirmum, qui post sumptum Viaticum, si aliquos dies vixerit, vellet communicare, sed in primo casu, infirmus non potest communicare; nisi sit ieiunus; ergo idem dicendum erit & in secundo. Respondeo, quòd dicta verba Ritualis applicanda sunt singula singulis, illa postea intelligendo pro vt de iure possunt & debent intelligi; verùm cum de iure certum sit infirmũ extra periculum mortis non esse ecommunicandum nisi ieiunum, non potest nec debet hoc intelligi de infirmo existente in periculo mortis, qui post Viaticum vellet iterum communicare; nam in tali casu contra Vasquez & paucos alios communiter posse hoc facere non ieiunum asserunt Doctores, qui solùm discrepant de tempore, interponendo inter vnam, & aliam Communionem, & supra ego satis probabiliter firmaui sufficere duos dies. Ergo, &c.

Sup. hoc lege supra doctrinam Ref. 83. & Ref. & §. eius not.

RESOL. LXXXVIII.

An Eucharistia danda sit in articulo mortis puero capaci rationis, & confessionis?

Et quid, si dubitatur, an sint pueri doli capaces, & discernant sufficienter hoc Sacramentum?

Et an prædicti pueri ex præcepto diuino teneantur in articulo mortis communicare, quamuis non teneantur ex præcepto Ecclesiæ? Ex part. 5. tr. 3. Ref. 44.

§. 1. AFfirmatiuè respondeo cum Præposito *in* 3. *part. quæst. vnica, de sacram. extremæ Vnctionis dub.* 7. *num.* 58. Caietano *in summa ver. communionis minister, in fine* Armilla *ver. communio, num.* 10. Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 79. *sect.* 1. *in fine.* Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 24. §. 2. *num.* 7. Perlino fusè *de sacro Conuiuio, dist.* 2. *cap.* 5: *per totum.* Baldello *tom.* 1. *lib.* 5. *disput.* 30. *num.* 16. Salas *de legibus, disp.* 14. *sect.* 13. *num.* 127. Bonacina *de Sacram. disp.* 4. *quæst.* 7. *punct.* 2. Reginaldo *tom.* 2. *lib.* 29. *num.* 82. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 42. *num.* 4. Zambrano *de sacram. Eucharistiæ, cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 14. Nũgno *tom.* 1. *in* 3. *part. quæst* 80. *art.* 11. *diffic.* 2. *ad* 3. Fausto *de sacram. Eucharistiæ, lib* 1. *quæst.* 262. Tannero *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 8. *dub.* 5. *num.* 116 & aliis asserentibus, pueros præditum vsu rationis, capacem confessionis, & Extremæ-Vnctionis teneri ex præcepto diuino communicare in articulo mortis. Et ratio est, quia

Sup. hoc in Ref. seq. & infra in tr. 4. Ref. 44. §. vlt. & lege etiam hic infra doctrinam Ref. 93. signenter §. vlt. ad lin. 6.

præceptum

præceptum communicandi in articulo mortis est præceptum diuinum, vt constat ex dictis, quod præceptum ab Ecclesia non limitatur; ergo ex præcepto diuino tenetur in articulo mortis communicare, quamuis nondum teneatur ex præcepto Ecclesiæ, & hanc sententiam ita mordicus tenet Arboleda *in pra. sacram. Euchar. not.* 13. vt dicat nullum esse auctorem, qui contrariam teneat.

2. Sed immeritò quidem, non enim desunt Authores, & præstantissimi quidem, contrariam sententiam asserentes, vt Ochagauia *de Sacram. tract.* 2. *de Euchar. quæst.* 14. *num.* 11. Kellisonius *tom.* 2. *in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 11. *de fine.* Corduba *in summa quæst.* 60. Præpositus *in* 3. *part. quæst* 80. *art.* 11 *dub.* 1. *num* 56. Vasquez *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 214. *c. sp.* 4 *num.* 40. & Hurtadus *de sacramento Eucharistiæ, disp* 10. *diffi.* 4. vbi sic ait. Obseruandum est pueris priùs aduenire tempus obligationis præcepti confessionis, quàm Euchristæ adhuc pro articulo mortis sumendæ, quia minor discretio sufficit, vt quis confiteri, quàm communicare teneatur, quia ad obligationem confitendi sufficit, vt quis sic inter malum & bonum discernat, vt possit mortaliter peccare, ad quod minor discretio sufficit, quàm ad perfectè discernendum inter panem cœlestem & communem, & ad iudicandum de præparatione ad illum panem cœlestem dignè recipiendum requisita, quod requiritur ad obligationem communicandi adhuc in articulo mortis. Vnde contingere potest, vt puer in articulo mortis existens teneatur confiteri, & non teneatur communicare. Hæc Hurtadus. Cui etiam adde nouissimè Ludouicum Mæratium *in D. Thom. tom.* 3. *tract. de Euchar. disp.* 35. *sect.* 4. *num.* 5. & Iacobum Granadum *de Sacrament. in* 3. *part. contr.* 6. *tract.* 10. *dist.* 3. *num.* 11. iuncta *disp.* 4. *n.* 2. Verùm quia sententia affirmatiua tot habet Auctores, tutò in praxi deduci potest, illámque nouissimè docet Ioannes de Lugo *de sacram. Euchar. d. sp.* 13. *sect.* 5 *nu.* 37. qui etiam *num.* 44 plus addit, (attendas quæso amice Lector) nempe pueris posse dari Eucharistiam, etiam quando dubitatur an sint doli capaces, & discernant sufficienter hoc Sacramentum, quod etiam ante illum inuenio docuisse Posseuinum *de officio Curati, cap.* 8. *num* 10.

Sup. hoc in Resol. 1. post seq.

RESOL. LXXXIX.

An pueri capaces Sacramenti Pœnitentiæ teneantur in articulo mortis vi iuris diuini, communionẽ sumere?
Et quæritur, quando puer censeatur ad annos discretionis peruenisse, vt teneatur præcepto suscipiendi Eucharistiam? Ex part. 5. tr. 14. & Misc. 2. Resol. 50.

Sup hoc in Resol præterita, & in aliis §§. eius primæ annot.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 70. *sect.* 1. *in fine* vbi asserit extra articulum mortis non teneri pueros ad communionem ex vi iuris diuini, nisi in ætate, in qua obligat præceptum Ecclesiasticum suscipiendi Eucharistiam. In articulo verò mortis obligare, cùm primùm homo habet vsum rationis sufficientem ad peccandum, & ad recipiendum sacramentum Confessionis.

2. Sed Vasquez *in* 3 *part. tom.* 3. *disp.* 214. *cap.* 4. Ochagauia *de Sacram. tract.* 2. *de Euchar. quæst.* 17. *num.* 6. Iacobo Granado. *in* 3. *part. de Sacram. contro.* 6. *tract.* 10. *disp.* 3. *num.* 11. Mæratio *in D. Thom. tom.* 3. *de sacram. Euchar. disp.* 35 *sect.* 4. *num.* 5. probabilius videtur ex vi juris diuini non obligari hominem ad communionem in articulo mortis, si non attigit ætatem, in qua licitum est communicare iuxta consuetudinem Ecclesiæ infra explicandam, quia Ecclesia declarauit, tunc non habere discretionem sufficientem, vt ea, qua par est, deuotione, & reuerentiâ Eucharistia suscipiatur. Si verò iuxta consuetudinem Ecclesiæ iam poterat puer licitè communicare, & si instat mors, tenebitur ex vi iuris diuini, licèt tunc non vrgeret Ecclesiæ præceptum, quia tunc nihil est, quod obstet adimpletioni præcepti diuini, quod obligat in articulo mortis ad communionem. Ita Granado qui postea *disp.* 4. *num.* 2 quærit, quando puer censeatur ad annos discretionis peruenisse, vt teneatur præcepto Ecclesiastico suscipiendi Eucharistiam, & cum Nauarro, Suarez, & Henriquez obseruat, non stat̃ ac quis habet vsum rationis, qui sufficiat ad peccandam, & ad recipiendum sacramentum Pœnitentiæ, teneri ad Eucharistiam suscipiendam, maior enim dignitas Eucharistiæ petit maiorem reuerentiam in suscipiente, & maiorem discretionem. Henriquez ait plerumque eam discretionem obtineri anno vndecimo, aut postea. Sotus, & Valentia ante duodecimum annum non obligari censent pueros hoc præcepto. Suarez ait, moraliter loquendo nec ante decimum annum vrgere obligationem, nec vltra decimum quartum posse differri. Sed plus addit Mæratius *vbi suprà in Dino Thoma, tom.* 3. *de sacramento Pœnitentiæ, disp.* 25. *sect.* 6. pueros ante annos pubertatis non teneri ad communicandum ex præcepto Ecclesiæ. Vnde ex his ego olim non damnaui de peccato mortali Confessarium, qui puerum anno nono ætatis suæ morientem non communicauit, sed tantùm ei sacramentum Pœnitentiæ ministrauit. Sed Confessarij, me consulente, & impellente, eo ipso quòd puer sit capax confessionis, ne deserant in articulo mortis illi sacram Eucharistiam porrigere, secundùm opinionem Suarez, & circa præsentem quæstionem in casu occurrenti, me deseras videre Zanebranum *de casibus tempore mortis, cap.* 3. *dub.* 2. *per totum.*

RESOL. XC.

An sacrum Viaticum possit pueris præberi secundùm dubitat, an sint doli capaces?
Idem est de extrema vnctione?
Et cursim infertur in dubio tam de confessione, quam de tempore ante, & post mediam noctem posse communicare, post habitam diligentiam mentis dubiæ? Ex part. 10. tr. 16. & Misc. 6. Resol. 36. alias 35.

§. 1. DE hoc casu mihi magna altercatio fuit cum quodam viro docto per litteras, & negauam sententiam, quam ipse defendebat, tenet nouissimè Bernal *de Sacram d sp* 44. *sect.* 6 § 2 *num.* 51. vbi sic ait: An puer, cùm rationis, & discretionis gradum attingat? Respondet Lugus *vbi suprà*, non esse obligationem ei tribuendi Eucharistiam; quia dubium est, num lege comprehendatur: posse tamen ei tribui, quia prohibitio dandi Eucharistiam pueris fundatur fere in consuetudine fundata in Rituali Romani rubricis, Sed in illis non aliter explicatur ea prohibitio circa Eucharistiam, ac circa Extremã Vnctionẽ: Ergo sicut ista potest eiusmodi pueris dari, ita & Eucharistia; cùm hæc nõ minoris, sed potius maioris necessitatis sit, quam Extrema Vnctio.

2. Hæc tamen duo capita non mihi videntur inter se supposita illius authoris sententia, cohærere. Docet enim Eucharistiam iure Diuino obligare in articulo mortis: Ergo quando in articulo mortis licitè exhiberi potest pueto, prorsus exhiberi debet. Consequentia patet: nam præceptum Diuinum eos omnes obligat, qui possunt debita cum dispositione tunc Eucharistiam accipere: sed puer hoc ipso quod rationis

rationis vsum habeat, potest; Ergo ad sumendam præcepto diuino astringitur: Atqui in dubio circa sufficientem discretionem potest sumere Eucharistiã, vt ille affirmat: Ergo prorsus debet, quod idem negat.

3. Ego verò censeo, non posse licitè Eucharistiam in mortis articulo præberi puero, de cuius sufficiente rationis vsu, & discretione dubitatur. Moueor, quia non potest licitè dari Eucharistia puero in mortis articulo, nisi debeat eidem dari: Sed in eiusmodi dubio non debet dari, seu non est obligatio illam ei tribuendi: ergo nec licitè potest ei tribui. Minorem ipse Lugus tradit: & ratio conuincit, quia stante dubio, num hac lege comprehendar, possessio non stat pro legis obseruatione, sed pro mea libertate, quæ prior est legis obseruatione, vtpote ipsius subiectum. Maior autè probatur, quia Eucharistiam in articulo mortis recipere, est res grauissima, & summi momenti: si prorsus, vt communiter censetur est de iure Diuino, vt supra vidimus: Ergo dum Ecclesia præcipit Eucharistiam tunc exhiberi, iubet exhiberi omnibus, qui eius ritè recipiendæ iudicantur idonei. Talis autem non iudicatur is, de cuius discretione dubitatur: ergo non ei debet, atque adeo nec licitè potest ei Viaticum exhiberi. Confirmo idipsum vniuersali consuetudine, quæ optimum legis interpretem semper agit.

4. Nec est simile de Extrema-Vnctione: Tum quia hæc est quasi complementum pœnitentiæ, vt ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de Extrema-Vnctione*, constat: ac proinde sicuti eiusmodi puero non solùm potest, sed etiam debet, & hoc ipso quod potest, debere conferri Sacramentum Pœnitentiæ, ita & Extremæ Vnctionis. Tum etiam quia tali puero tam pœnitentia, quàm vnctio præbenda est sub conditione, si ille capax est; vnde si re ipsa capax non est, non ei tribuitur verum Sacramentum. Hoc autem in Eucharistia locum non habet, vt per se constat. Hucusque Bernal.

5. Sed licet argumenta Cardinalis de Lugo pro affirmatiua sententia, magnam patiantur difficultatem, non solùm ex supradictis à Bernal, sed etiam ex his, quæ contra dictum Cardinalem Lugo adducit Dicastillus *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 4. *disput.* 10. *dub.* 6. *num.* 121. Tamen, his non obstantibus, non recedo à sententia affirmatiua dicti Cardinalis, quam etiam tuetur Dicastillus *vbi supra*, *num.* 122. motus hac ratione; quia si puer ille, de quo dubitatur, an habeat sufficientem rationis vsum, re vera illum habet, dari debet, & non debet priuari; si verò nondum sit capax doli, & illi detur Sacramentum, suum effectum habebit. Nam pueris baptizatis si detur, gratiam confert, vt probatum est *supra*, *disp.* 9. *num.* 200. *& seqq.* Iam ergo iuxta generale principium, vel omnino verum, vel saltem probabile, quod quando ex duobus periculis, damnis, aut inconuenientibus, alteruttum subeundum est, eligi debeat quod est minus; argumentari licet. Minus est inconueniens, & minus periculum, conferre illi puero Eucharistiam, quam negare: Ergo conferenda potius erit, quàm neganda. Antecedens probo: si negetur illi, & re vera sit capax, priuatur tanto bono, & non fit quod Christus fieri voluit: si verò detur puero nondum doli capaci, ex vno capite, nulla irreuerentia grauis fit Sacramento in eo quod manducetur à puero, ex alio capite, non frustra datur, & sine effectu: confert enim gratiam illi, & per æternitatem gloriam habebit illi gratiæ respondentem: ergo minus inconueniens (si tamen inconueniens) est illi conferre, quàm negare. Præterea, (vt citato loco probauimus) constat etiam adminiculante Tridentino *sess.* 21. *cap.* 4. fuisse in multis locis in Ecclesia Dei vsum conferendi infantibus Eucharistiam, & habuisse Patres sic facientes, sui facti probabilem causam: quamuis autem nunc siue expressa lege, siue consuetudine recepta non detur illis; hæc tamen lex, seu consuetudo non credi debet habere locum in nostro casu articuli mortis; sed, sicut Extrema Vnctio confertur, non obstante prohibitione; ita potest conferri Eucharistia ob specialem hanc, quam dixi rationem. Omitto alia, quæ vel facilia sunt, vel non habent locum in nostris principiis; quale est illud, quod obiicit sibi Lugo à simili de ieiunio, cuius dubium si quis habeat, non potest illi dari Communio: Ergo eodem modo de eo, de quo non satis constat, an habeat vsum rationis, non poterit illi dari; de hoc tamen exemplo dubij ieiunij satis multa dixi *disp.* 9. *num.* 284. *& seqq.* vbi contra Lugonem, & alios in dubio tam de comestione, quàm de tempore ante, vel post mediam noctem diximus posse communicare post adhibitam diligentiam manente dubio; atque adeo in nostra doctrina non habet locum ea obiectio. Hæc omnia Dicastillus *vbi supra*.

Sup. hoc est eodem Dicastillo hic citato, & aliis, latè supra in Res. 56. & in aliis §§. eius not. primæ.

6. Itaque, vt dixi, ad casum propositum in titulo huius resolutionis, affirmatiuè respondeo: Et ita hanc sententiam præter Dicastillum, & Lugo tenet Tamburinus *opusc. de Communione*, *cap.* 5. §. 8. *num.* 13. & Amicissimus, ac Doctus Auersa *de Sacram. Euchar. qæst.* 8. *sect.* 2. qui tamen addit, quod in tali casu facilius esse videtur, interrogationibus aliquibus excitare capacitatem pueri, vt saltem probabile iudicium de illa formari possit, & ita determinetur, an ei concedenda sit Eucharistia.

RESOL. XCI.

An Infidelis in articulo mortis naturali, vel violento conuersus ad Fidem statim post Baptismum, sit communicandus? Ex part. 5. tr. 3. Res. 45.

§. 1. REspondeo affirmatiuè: instruatur igitur infidelis in tali casu eo modo, quo fieri potest, & post Baptismum ei sacra Eucharistia porrigatur, & ita ex plurimis rationibus docet Ioannes Sancius *in selectis disp.* 40. *num.* 3. *& seq.*

RESOL. XCII.

An mutus & surdus à natiuitate sit in articulo mortis communicandus? Ex part. 5. tr. 6. Res. 6.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Iacobus Marchantius *de Sacrament. in resol. qq. pastor. de Euch. tr.* 4. *cap.* 3. *q.* 1. *cas.* 4. vbi sic ait. An adultus à natiuitate surdus & mutus sit communicandus saltem in articulo mortis? Ratio dubitandi est, quia tales non videntur posse habere actualem deuotionem, cùm nunquam fuerint instructi de hoc mysterio, ideóque fidem actualem illius non videantur habere: quomodo enim credent nisi audierint? quomodo audient sine prædicante? Ex altera parte vt illis administretur, ratio militat, quia tales sunt Baptizati, ideòque fidem habitualem habent per baptismum infusam, & cùm alios vident cum magna reuerentia & deuotione ad Sacramentum hoc accedentes & adorantes, concipiunt ibi esse aliquod mysterium, & deuotionem aliquam erga illud exterioribus demonstrant signis, imò & adorationem in huius Sacramenti eleuatione exhibent. Experientia id dedici in quadam surda & muta iurisdictioni meæ subdita, quæ in Missæ sacrificio eleuatione manuum, pectoris tunsione, aliisque signis dum Sacramentum exhibetur,

exhibetur, adorationem exhibet, & deuotionem, quam solent fideles, & cùm vsu rationis perfecto polleat, absque dubio confusè mysterium ibi aliquod latere percipit. Imò signis aliquibus quandoque licentiam petiit cum aliis ad hoc Sacramentum accedendi, quæ tamen ei indulta non fuit à Parochis ante me, ideóque nec hactenus id resolvi, cùm difficile sit iudicare de dispositione, & sufficienti reuerentia Sacramenti, nec ipsa Ecclesiastico præcepto communionis comprehendatur.

2. Dubium tamen mihi est, an si existeret in periculo mortis, ob diuinum præceptum communicandi semel in vita, non foret fides eius, quantum potest fieri, signis excitanda, vt sic ei ministraretur tunc vt viaticum Eucharistia. Etenim cùm Deus in necessariis non desit, videtur speciali illustratione interiori, & speciali gratiæ auxilio adiuuare tales ad actum fidei exercendum. Alioqui cùm Theologorum sententia definiat neminem ex adultis sine fide explicita mysterij Trinitatis & Incarnationis saluari posse, sequeretur tales surdos & mutos excludi à salute, cùm non possint de illis mysteriis sufficienter instrui, & per consequens, nec explicitam fidem elicere, nisi dicamus Deum speciali gratia & lumine ad id concurrere, & intellectum, voluntatémque eleuare, vt tales pio affectu fidei sufficienter assentiantur, maximè illis articulis, qui dicuntur esse necessarij, non solùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij ad salutem. Hinc etiam aliqui Theologi dixere, quòd si quis inter infideles faceret quod in se est, nec haberet quempiam pro instructione ab fidem, Deum non ei defuturum, sed extraordinario potiùs modo eum illustraturum, siue etiam per Angelos. Itaque surdus & mutus à natiuitate videtur saltem in periculo mortis, posse communione muniri, si aliquam iudicetur reuerentiam concipere, nec idem de illo est, ac de pueris, cùm discretionis lux in eo fulgeat, iuuatíque possit lumen naturale, & perfici lumine, & gratia supernaturali ad dispositionem sufficientem speciali benignitate Dei. huc vsq; Marchantius, sed plus inquirendum videtur. Peto igitur.

RESOL. XCIII.

An non solum in articulo mortis, sed etiam in vita surdus, & mutus, à natiuitate sit communicandus?

Et quid si sciat scribere?

Et deducitur, an muti, & surdi à natiuitate teneantur confiteri, & sint absoluendi?

Et asseritur habentes vsum rationis, sed debilem, & imperfectũ vt sunt quidam Æthiopes, & semifatui, secluso irreuerentiæ periculo, admittendos esse ad communionem, non solum in articulo mortis, sed etiam in Paschate?

Et an amentes grandioris ætatis, & vt plurimũ viuacis ingenij, sint computandi cum pueris in primis annis post septennium, quibus Doctores concedunt confessionem, non autem communionem? Ex part. 5. tr. 6. Res. 7.

§. 1. Videtur negatiuè respondendum, vt patet ex Marchantio *vbi suprà*, nam hoc eis concedit in articulo mortis, & quidem huuc casum non inuenio agitatum inter Doctores. Sed ego respondeo, quòd si tales sciant scribere, & per consequens legere, non est dubitandum posse communicari: nam eis per scripturam satis sufficienter potest explicari mysterium & sacramentum Eucharistiæ, & dispositio necessaria ad illud suscipiendum: difficultas est si legere nesciant; & adhuc respondeo affirmatiuè. Primò, quia, vt obseruat Sanchez *de matrim. 1. lib. 4. disput. 8. num. 12.* muti & surdi, de quibus loquimur, vt plurimum, & patet experientia, ita perspicacis & acuti ingenij sunt, vt multa explicatu difficillima facilè signis manifestent, alteque ipsis significata intelligant, ergo per signa & nutus potest eis mysterium Eucharistiæ explicari, & postea communicari; quod quidem confirmatur, nam vt in prima resolutione dictum est, muti & surdi à natiuitate tenentur confiteri, & sunt absoluendi, ergo tenentur & possunt communicari. Probo consequentiam; nam, vt obseruat Sancius *in select. disp. 26. num. 4.* & Zambranus *de casibus tempore mortis, cap. 3. dub. 2. num. 19.* & ex Societate Lessius, Castrus Palaus *tom. 1. tract. 3. disput. 1. punct. 24. §. 2. num. 7.* non minùs difficilia cognoscere debet Christianus, & consequenter mutus & surdus à natiuitate, vt validè & fructuosè confiteatur, quàm ad Eucharistiam suscipiendam, debet namque intelligere peccatum mortale animam occidere, à quo si velit liberari, recurrere debet ad confessionem, quæ quidem facienda est cum dolore delictorum præteritorum, & cum proposito illa non reiterandi, animoque satisfaciendi, & quòd omnia peccata si potest, eorumque numerum tenetur explicare, quæ quidem omnia ad capiendũ æque difficilia esse nemo negabit, ac illa quæ in sacramento Eucharistiæ reperiuntur. Si ergo muti & surdi hoc non obstante secundùm Doctores capaces sunt sacramenti Pœnitentiæ, quare non erunt & Eucharistiæ? Si quando mutus & surdus confitetur, cognoscit per absolutionem gratiam sibi conferri, dolore & proposito indigere, neque dimidiandam confessionem, & si quoad cognitionem naturalem fortè difficilius sit cognoscere panem desinere, & corpus Christi adesse, quàm absolutione gratiam conferri, respectu tamen fidei æqualiter sunt cognoscibilia, seu credibilia, non enim maior authoritas ad credendum est in vno, quàm in alio, cùm vtrumque sit reuelatum à prima veritate, quæ in dicendo eiusdem authoritatis est. Præterea debet cognoscere puer communicans deuotè suscipiendam esse sacram Eucharistiam, quod an non cognoscet, dum suscipit sacramentum Pœnitentiæ reuerenter. Item scire opus habet iterùm suscipiendam esse, & hoc quare non cognoscet, qui capax est ad cognoscendum, quòd dum confitetur, debeat habere dolorem de peccatis commissis, & propositum vlteriùs non peccandi? Facilius equidem instruentur muti & surdi ad seruandum leuinium, quàm ad concipiendum dolorem. Concludo igitur ex suprad dictis quòd si muti, & surdi possunt confiteri, non videtur qua ratione non possint communicari.

2 Probatur secundò hæc opinio ex auctoritate Henriq. *lib. 8. c. 42. n. 3.* Possevini *de officio Curati, c. 3. num. 9* Perlini *in sacro conuiuio, dist. 2. c. 4. n. 6.* Reginaldi *tom. 2. lib. 29. c. 5. n. 81.* Bonacinæ *de Sacram. disput. 4. quæst. 6. punct. 1. num. 7.* & aliorum asserentium habentes vsum rationis, sed debilem & imperfectum, vt sunt quidam Æthiopes & semifatui, secluso irreuerentiæ periculo admittendos esse ad communionem, non solùm in articulo mortis, sed etiam in Paschate. Si ergo semifatuis neganda non est Eucharistia, quare mutis & surdis à natiuitate capacibus ad cognoscendam malitiam peccati mortalis erit deneganda? vnde quis non videt magis reuerenter & deuotè ab istis accipiendam esse sacram Synaxim, quàm ab illis? non debet igitur eis denegari.

3. Nec valet dicere, quòd non eo ipso quod quis est capax rationis & sacramenti Pœnitentiæ, ideo est capax Eucharistiæ, nam communiter asse-

runt

runt Doctores pueros, licèt teneantur in primis annis post adeptum vsum rationis, confiteri, non tamen teneri, nec posse sumere Eucharistiam, & aliqui hoc extendunt, vt alibi visum est etiam in articulo mortis, nam respondeo primò non deesse Doctores contrarium docentes, vt ex illis docet mordicus Ioann. Sancius *in selectis*, *disp.26. per totam*, cuius opinionem ex Societate Iesv nouissimè sustinet Castrus Palaus *tom.1.tract.3.disp.1.punct.24.§.2.num.7.* vbi ex multis rationibus firmat pueros eo ipso quòd sunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ, esse capaces Eucharistiæ. Vel respondeo secundò, quòd est negandum, amentes grandioris ætatis, & vt plurimum viuacis ingenij esse comparandos in casu, de quo loquimur, cum pueris in primis annis post septennium, quibus Doctores illi, vt dictum est, concedunt confessionem, non autem communionem, nam mutus & surdus à natura, vt docet Spino *in speculo testament. gloss.9.rubricæ, num.1.* si perfectè secundùm eius intellectum percipiat, quæ geruntur, æquiparatur maiori, tenet Bart. *in l. mutũ, de acquir. hæred.* Doctor. *l.1. de verborum obligationibus*, vbi dicit Bartol. de quodam muto, qui per motum labiorum percipiebat, & intelligebat omnia quæ loquebantur, & *ibi* Alciat. *num.51.* faciat text. *in l. patri, de acquirenda hæreditate, & in l. vbi non voce, de regul. iur. l. mutus, de procurat. l. item quia*, iuncta glossa *ver. mutus, de pactis. lib. 1. ff. qui & à quibus l. surdi & muti, de manumissis vindic.* Remittendum igitur puto iudicio & arbitrio prudentis Confessarij quando & quoties supradictis mutis & surdis à natiuitate sit sacrosancta Eucharistia impertienda.

Alibi supra in Resol. 88. & in aliis eius primæ not.

RESOL. XCIV.

An Sacerdos possit præbere Viaticum infirmo deliranti qui propter febrim in amentiam incidit?

Et an hoc procedat, quando infirmus potest sine irreuerentia, & periculo vomitus dictam Communionem sumere?

Et aduertitur, quod in multis Decretis statuitur, vt pœnitentia non negetur phreneticis, si constiterit prius confessionem desiderasse, & signa contritionis dedisse: & consequenter idem colligitur de Eucharistia; & non tamen necesse est, vt tempore vsus rationis petierint expresse, & ostenderint signa contritionis, Confessionis, & Communionis.

Idem est de Sacramento Extremæ-Vnctionis, in quo casu notatur phreneticum, vel furiosum, si resistat, esse ligandum, & id facere aliquando erit necessarium, quando phreneticus non possit recipere aliud Sacramentum, nisi Extremam-Vnctionem? Ex part.2. tr. 14. Resol.78.

Sup. responsione contenta in lin.1. huius textus in Resol. seq. & pro doctrina contenta à lin.2. huius §. infra in tr.6. Resol.61.§.2. post medium, à vers. Idem est.

§.1. REspondeò affirmatiuè, ex D. Thom, *in 4.p. q.88.art.9.& ex c.qui recedunt 26.q.& c.15.* quia in plurimis decretis statuitur, vt pœnitentia non negetur phreneticis, si constiterit priùs confessionem desiderasse, & signa contritionis dedisse, & consequenter idem colligitur de Eucharistia: non tamen necesse est, vt tempore vsus rationis petierint expressè, & ostenderint signa contritionis, confessionis, & communionis, vt nimis scrupulosè putauit Zanardus *in direct. confess.p.1.tr.de Euchar.c.7.* & alij. Sed omnis fidelis, qui non est notorius excommunicatus, nec notorius peccator sine signis pœnitentiæ, & de quo non constat in complacentia peccati mortalis amisisse vsum rationis, debet Eucharistiam tempore mortis sumere, in quo quidem tempore omnis fidelis illam interpretatiuè censetur petere, & sic sacerdotes debent huiusmodi ægrotis communionem præbere. Ita Sancius *in selectis, disp.38. num.10.* Zambranus *in decis. cas. consc. tempore mortis, cap.3. dub.4.num.2. & 7.* cum Coninch *de Sacram. quæst.80. art.9.num.74.* & aliis.

2. Tales igitur amentes tunc communicandi non sunt, quando clarè & euidenter constat eos in peccato mortali vsum rationis amisisse, quod vix potest constare, vt bene aduertit Sot. *in 4. disp.15.* nam vnusquisque præsumitur bonus, donec oppositum probetur, *c. fin. de præsum.* Sed hæc omnia procedunt, quando infirmus potest sine irreuerentia, & periculo vomitus dictam communionem sumere, aliàs danda non erit: & ideo Syluius *in 3. part. quæst. 80. art.9.* Emmanuel Sà *verb. Euchar. num.3.* asserunt in mortis articulo non esse amentibus dandam Eucharistiam, ob irreuerentiæ periculum.

Sup. hũc vomitum Resol. seq. §. Notat, & infra lege doctrinam Resol. 97. Pro primo contento in hoc §. vlt. in septem primis lin. resol. seq. & in fine dictæ resol.

3. Sed hi Doctores nimis absolutè loquuntur, nam in tali casu potest fieri experientia, vt optimè notat Zambranus *vbi suprà. num.5.* Ita quòd detur primo huiusmodi infirmo aliqua forma non consecrata, vt appareat quomodo se habeat in tali sumptione, & si se habuerit decenter, detur illi forma consecrata: sin autem, minimè: & hæc est optima praxis. Quæ quidem omnia procedunt in administratione sacramenti Extremæ-Vnctionis. In quo casu notanda erit etiam alia optima praxis ex Zambrano *vbi suprà, c.5. dub.2.* qui citat Paludanum, D. Antoninum, Ledesm. Henriquez & alios, scilicet phreneticum, vel furiosum si resistat, esse ligandum, exclusis tamen laïcis ad tollendum scandalum, id facere aliquando erit necessarium, quando phreneticus non posset recipere aliud Sacramentum, nisi Extremam-Vnctionem.

Sup hoc infra in tr.4. Resol. 50. in fine.

RESOL. XCV.

An qui in amentiam, & phreneſim inciderunt sint in articulo mortis communicandi?

Et notatur, quod si timeatur periculum vomitus, vel expuitionis non est illis Eucharistia porrigenda? Ex part. 5. tr.3. Resol. 46.

Sup. contento in hac Resol. in Resol. præterita.

§.1. NEgatiuam sententiam docet Emanuel Sà *ver. Euchar. num.3.* vbi sic ait. Non est in vsu vt amentibus etiã in mortis periculo detur Eucharistia ob irreuerentiæ periculum. Ita ille, & ante illum Molanus *de Euchar. tr. 4. cap. 8.* Sed ego puto considerandum esse verè ne subsit tale periculum, vt bene obseruat Syluius *in 3.p.q.80. art.1.* & ideò, quòd si is, qui in amentiam incidit, fuit aliquando sui compos & tunc Eucharistiam aliquo modo desiderauit, porrigẽda est illi in mortis articulo, & ita præcipitur in Concil. Carthagin. IV. *cap.79.* & Arauficano I. *in can.3.* vt refertur *can. his qui, & can. qui recedunt 26. q.6.* & ita fieri supponitur in Concilio Toletan. XI. *c.11.* Accedit denique ratio, quia in eiusmodi hominibus est virtualis saltem deuotio erga Eucharistiam, & magnam ex eius perceptione vtilitatem percipere possunt. ergo in mortis articulo illis tribuenda est, quando nimirum diuino præcepto ad Eucharistiam accedere tenebantur: extra articulum vero mortis non est illis concedenda, quia neque Doctores, nec Ecclesiæ vsus id permittunt.

2. Nota etiam S. Thom. si in articulo mortis timeatur periculum vomitus, vel expuitionis Eucharistiæ, non esse illis porrigendam, quia Sacramentum non est absolutè necessarium in re ipsa, & aliunde eius excellẽtia postulat vt quàm reuerenter tractetur.

Supr. hoc in Resol. not. præteritæ §. Tales, ad medium, & lege infra doctrinam Resol. 97.

3. Quæret verò quispiam non immeritò, quid requiratur

quiratur, vt eiusmodi amentes censeantur Eucharistiam desiderasse, quando erant sui compotes, & sic esse dispositi ad communionem.

4. Respondetur in primis necessarium esse, vt quando in amentiam inciderunt, non constet eos fuisse aliqua graui culpa infectos, quia cùm in amentia non potuerint eam expiare, absolute censentur indigni hoc Sacramento: si verò sint baptizati, & Christianam vitam egerint, nec constet de tali graui culpa, eo ipso pietas Ecclesiæ iudicat eos esse sufficienter dispositos ad Eucharistiam, & aliqua ratione virtualiter ipsam Eucharistiam desiderasse, & hæc omnia docet Granados *de Sacram. in 3. part. contr. 6. tractat. 10. disput. 5. num. 3. & 4.* vbi citat D. Thomam, Sotum, & Valentiam, quibus ego addo Ioannem de Lugo *de Sacram. Eucharist. disput. 13. sect. 3. num. 24. & 25.* Marchantium *in resolut. pastor. de Sacrament. tract. 4. cap. 3. quæst. 1. cas. 1.* Reginaldum *tom. 2. lib. 29. num. 79* Suarez *in 3 part. tom. 3. disp. 69. sect. 2.* Vasquez *disput. 214. num. 13.* Kellisonium *tom. 2. in 3. part. quæst. 80. art. 11. dub. 1. num. 56.* Mæratium *tom. 3. de Sacram. Eucharist. disp. 35. sect. 4. num. 2.* Chapeauillam *de Sacrament. Euchar. q. 8.* qui docet in tali casu, posse Hostiam in vino præberi infirmo, vel vt alibi diximus, *in 1. part. tract. 14. resol. 78.* sumatur particula non consecrata, & detur infirmo amenti, qui illam deglutiat, detur postea particula consecrata. Et ita docet Zambranus *de Sacrament. Eucharist. dub. 4. cap. 5. num. 5.* & me citato, nouissimè Ioannes Sancius *in select. disp. 38. num. 2. & 3.*

Quæ hic est Res. antecedens, §. vlt. in principio.

RESOL. XCVI.

An Sacerdos possit aliquando in sanitate communicare prædictos amentes?

Et an hæc opinio non procedat in perpetuo, & absolutè fatuis, sed in semifatuis, quibus Eucharistiam in Paschate dari debere: imo quoties Eucharistiam sibi ministrare postulauerint?

Et alij quinque casus ex opinione Sancij circa sumptionem Eucharistiæ cursim addiciuntur, sed iam omnes magis latè in hoc tractatu sunt discussi, & explanati in suis Resolutionib. peculiaribus. Ex p. 2. tr. 14. Res. 79.

§. 1. Respondeo negatiuè cum Zambrano *in decis. cas. conscient. cap. 3. dub. 6. num. 8.* & aliis, nam hoc conceditur illis tantùm in articulo mortis, quia in articulo necessitatis toleratur aliqua minor dispositio, & reuerentia, quæ non impediret gratiam habitualem, quæ tamen non debet tolerari extra talem necessitatem.

2 His tamen non obstantibus Ioseph Angles *in 4. sent.* docuit quotannis dictos amentes debere communicari, & hanc sententiam videtur etiam docere Villalobos *in sum. part. 1. tract. 7. dub. 40. n. 3.* & quia codex rarus est, ponam eius verba. [La duda es si à estos freneticos se les ha de dar fuera del articulo de la muerte, mi parecer es, que se les puede dar algunas vezes, mayormente si tienen reuerencia à este Sacramento, y algun vso de razon, como son algunos Religiosos Sanctos, que por el tiempo vinieron à caducar.] Sed hæc opinio admitti non potest in perpetuò, & absolutè fatuis, sed in semifatuis, in quibus etiam Henriquez *lib. 8. cap. 42. n. 3. & 4* putat Eucharistiam in Paschate dari debere: immò Sancius *in selectis disput. 26. num. 5. & disput. 38. num 9.* probat illis Eucharistiam ministrandam esse toties, quoties eam sibi ministrari postulauerint, quia si in paschate, vel aliquando communicant, nullam committunt irreuerentiam, nec etiam committent plures communicando, cùm tam homo suscipiens, quàm Sacramentum susceptum semper vnum, & idem sint. Nec-que imaginari potest quomodo hodie communicando oriatur, de nouo irreuerentia, quæ heri suscipiendo Eucharistiam non fuit orta; dummodo actio sit eadem in specie, Sacramentum idem, & homo, qui suscipit, sit cum eodem vsu rationis, quo fuit heri. Ita Sanchez. Sed an probabiliter iudicent viri docti. Nam hic author nimis laxas opiniones tenet circa frequentiam Sacramenti Eucharistiæ. Primò enim † docet, ad communicandũ quotidie non aliam requiri dispositionem, præter mullius peccati mortalis conscientiã, aut quod ob inanem gloriam non suscipiatur Eucharistia. Secundò, esse magis expedicns coniugatis die habitæ copulæ Eucharistiam suscipere: item die illo qui fornicationem, aut pollutionem voluntariam commisit, si de illa confiteatur. Tertiò, pueros statim, ac habent vsum rationis esse communicandos. Quartò, non esse expediens Confessariis impedire aliquoties pœnitentes Eucharistiam sumere, causa emendandi venialia peccata, siue impectiones illorum. Quintò, non esse etiam expediens Prælatis Religionum priuare aliquoties suos Religiosos suscep-tione Sacræ Eucharistiæ causa illos mortificandi: & idem Confessarijs erga suos pœnitentes. Hæc omnia Sancius *in selectis disput. 22. vsque ad 31.* Sed aduersùs illum adest communis opinio Doctorum, & nouissimè Salazar Societatis Iesv, *in prolat. sext. commun.* edita Matriti anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, omnes supradictas propositiones refellit.

Sup. hoc pro semifatuis supr. in Res. 93 §. Probatur, ad medium.

RESOL. XCVII.

An moribundo sit danda Eucharistia cum periculo vomitus?

Et an si acciderit, quod infirmus nunquam vomitum passus fuerit, & sumpta Eucharistia vomitum fecerit, quid est faciendum? Ex part. 5. tract. 3. Res. 55.

§. 1. Hic casus potest frequenter accidere, & ad illum respondet Ioan. Sancius *in select. disput. 38. n. 2.* vbi sic ait: Notandum duplicem vomitus speciem ex mente Medicorum posse infirmum pati. Prima, quæ neutiquam adueniat, nisi sumpto cibo, vel potu. Secunda ex sola corporis ægritudine absq; aliqua sumptione oriatur. Signa autem differentiæ vomitus tunc efficacia erunt, quando infirmitas talis qualitatis sit, vt cibum sumptum indiscriminatim, siue modicum, siue multum, non patiatur stomachus retinere, sed statim expellat in propria specie, aut per vomitum, aut per secessum, & tunc administranda non est Eucharistia. Si verò modicum retineat cibum, Eucharistiam inistrari poterit: imo si modicum non retineat, aut statim credentium ejiciendam Eucharistiam, præsertim si hostia consecrata adeò exiguæ sit quantitatis, quod iudicio Medicorum credatur non motura stomachum, cùm parum pro nihilo reputetur. Porrò ad capiendam huius experientiã, vt securiùs ministretur, porrigatur Hostia non consecrata, qua ejecta, minimè consecrata offeretur. Sic ille, qui in nouissima editione quoad hanc experientiam citat meipsum *in prima part. tract. quæst. 10, resolutione 78.* & subdit postea, quòd si vomitus, vel secessus secundò contingat modo, & ratione naturæ sit vt, etiam nullo sumpto cibo perduret, ministrari nullo modo debebit Eucharistia, à quo vomitu tamen, si cessauerit per sex horas iudicet Medicus, num Eucha-

ristia

ristia possit ministrari. Quòd si Medicus absit, quia fortè oppidum exiguum est, vel alia de causa, non timerem Eucharistiam porrigere, cùm tunc prudenter iudicetur vomitum cessasse, licèt non omnino, in melius tamen abite, saltem per tempus opportunum, quo prudenter possit iudicari, nec etiam intra aliam horam rediturum vomitum. Sic censent Medici doctiores, quos consului in hac Curia Mantuana? vnica verò spatium sufficiens est, quo species sacramentales digeri possent; quòd si contingat statim sumpta sacra buccella vomitum redire, per accidens erit & euenire posset, etiamsi infirmus nunquam vomitum passus fuisset, tuncque Eucharistia accipiatur, & in sacro aliquo loco reponatur, & postquam constet verisimiliter corruptas iam esse species, in Sacrarium proiiciatur.

RESOL. XCVIII.

An in articulo mortis, si laicus non possit deglutire particulam Hostiæ, ministranda sit ei species sanguinis? Et aduertitur, si contingat Sacerdotem sacrificantem mori post consecrationem, & ante sumptum sanguinem, nullumque adesse Sacerdotem, à quo possit assumi, posse laicum sumere sanguinem, si seruari non possit nisi cum periculo acescerent, & corrumperentur, aut in manus Infidelium deuenirent, aut aliquid simile. Ex part. 5. tract. 3. Res. 34.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 1. Res. 1. §. Potest etiam inferri secundo, & seq. & in Res. 49. §. Sed si, & segq. & in alio §. eius not.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Fagundez *de præcept. Eccles. præc. 3. lib. 3. c. 4. n. 20.* Pitigianus *in 4. sentent. tom. 1. dist. 8. q. 3. art. 6.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 80. sect. 3. in fine*, Mercerus *in 3. part. de Sacr. q. 80. art. 12. propos. 2. in fine*, & Syluius *in 3. par. q. 80. art. 12. quæritur quarto in fin.* vbi sic asserit. Si contingeret moribundum non posse hostiam deglutire, relinquendus esset absque viatico potius, quam ei daretur species vini. Ita ille. Et ratio est, quia in tali casu ius diuinum non obligabit ad sumptionem Sacramenti, & infirmus excusabitur à sumptione, & Minister à dispensatione; & difficulter potest euenire vt ægrotus non possit deglutire exiguam speciem panis cum vino non consecrato, vel cum aqua.

Sup. his cum vino vel aqua supra in fine Res. 53. & signanter in alio §. eius annot.

2. His tamen non obstantibus absolutè affirmatiuam sententiam tenet aduersùs Suarez ex Theologis Salmaticensibus Petrus Ochagauia *de Sacram. tra. 2. de Euch. effectibus. q. 18. n. 9.* vbi sic ait. Cùm infirmus in tali esset casu constitutus, quòd hostiam consecratam traiicere in stomachum non posset, si vinum tamen consecratum traiicere rectè posset, Suarez sentit non posse Sacerdotem tunc temporis ministrare speciem sanguinis, ne præbeatur occasio indiscretis Ministris frangendi eam legem, quæ prohibet communionem sub specie vini; quare asserit iste Doctor tunc infirmum non obligari præcepto Eucharistiæ. Sed probabilius mihi videtur cum recentioribus debere tunc ministrari Sacramentum sub specie vini. Probatur ex eo, quia tunc in articulo mortis obligat præceptum diuinum Eucharistiæ, quod præferendum est humano præcepto de non sumenda specie vini à laicis. Ministri autem sibi consulant in quibus casibus possint præbere sacramentum Eucharistiæ sub speciebus vini. Ita Ochagauia, cui adde Didacum Nugnum *in 3. part. tom. 1. qu. 80. art. 12. conclus. 3.* qui tamen putat in casu contingenti adhibendum esse consensum Episcopi.

Sup. hoc supra in tr. 1. Res. 238. in fine, & in to. 3. tr. 1. Res.

3. Sed quicquid sit de hoc casu certum est contra Sotum *in 4. dist. 13. q. 2. artic. 6.* si contingat Sacerdotem sacrificantem mori post consecratum, & ante assumptum sanguinem, nullúmque adesse Sacerdotem à quo possit consumi, posse laicum sumere sanguinem, si seruari non possit, nisi cum periculo, vt species acescerent, & corrumperentur, aut in manus infidelium deuenirent, aut aliquid simile. Ita Vasquez *in 3. part. tom. 3. disput. 216. cap. 4. n. 47.* & alij *vt suprà.*

49. §. Sed si, post medium, & segq.

RESOL. XCIX.

An tempore pestis licitum sit ministrare Eucharistiam infirmis in cochleari argenteo. Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Res. 114.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Venerus *in examine Episc. lib. 4. cap. 46. n. 47.* vbi sic ait. S. Sacramentum potest poni super cochleare argenteum, dari infirmis ne Sacerdos manu tangat infirmum, & inficietur; & hanc sententiam tanquam probabilem videtur admittere Bartholomæus Gauantus *in enchirid. Episc. ver. Pestis, n. 7.*

Sup. hoc lege doctrinam Res. seq.

2. Sed meritò hoc fieri prohibetur *in Actis Mediol. Eccles. de cura pestilen. cap. 15 n. 2.* & rationes adducit Chapeauilla *de sacram. Euch. minist. temp. pest. quæst. 33. & 34.* Matchinus *de bello diuino part. 3. c. 5. num. 6.* & Bonacina *de Sacram. disp. 4. sect. 6. punct. 3. n. 10.* vnde annis elapsis in peste Panormitana affirmatiua sententia in praxi minimè admissa fuit.

RESOL. C.

An peste laboranti prope mortem, liceat ministrare Eucharistiam super folium paginæ, & postea illud comburere? Ex part. 5. tr. 3. Res. 50.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet nouissimè Iacobus Mancinus *in tract. visitandi infirmos, pract. 8. dub. 18.* vbi sic ait. Non erit incongruum cum decenti instrumento, & debita reuerentia absque scandalo hoc sacramentum tempore pestis ministrare. Accedit vsu assiduus, quem tenet Reuerendissimus Dominus D. Petrus de Marchis, Archiepiscopus Smyrn. in sua Diœcesi, in quâ assiduè pestis vrget, éstque huiusmodi. Post illorum confessionem Sacerdos ponit reuerenter particulam consecratam super foliú paginæ albæ extensæ super scabellum ad id paratum, & dictis verbis, *Domine non sum dignus* &c. infirmus accedit, & lingua particulam reuerenter sumit, accipitque purificationem. Interim Clericus candela accensa in summitate virgæ paginam comburit, quem vsum probabilem puto, tutáque conscientia teneri posse tempore pestis tantùm, & nouissimè Iacobus Marchantius *de Sacram. tract. 6. de Extr. Vnct. lect. 3. fol. 388* alios modos ponit, & approbat ministrandi Eucharistiam infectis absque quod imponatur ori ab ipso Sacerdote.

Quæ hic est Res. antecedens.

2. Sed ego *in 4. part. tract. 4. resol. 114.* similes modos ministrandi Eucharistiam infirmis reprobaui, tanquam irreuerentes huic venerabili Sacramento, & ideò pro negatiua sententia *vbi suprà* adduxi Chapeauillam, Marchinum & alios, quibus nunc addo Bartholomæum à S. Fausto *de sacram. Euchar. lib. 1. quæst. 212.* vbi sic ait. Infertur non esse licitum tempore pestis Eucharistiam in loco decenti ponere, vt inde ab ipsis peste infectis ore, vel propriis manibus capiatur. Et ratio est, quia hoc est contra vsum & praxim Ecclesiæ, quæ praxis, vsus, mos, & consuetudo Ecclesiæ vim legis habet, & quia in maximam cedit irreuerentiam tanti sacramenti. Sic ille. Nec auctoritas Possenini pro contraria sententia adducta multum valet. Nam ipse *in cap. 9. num.*

num. 22. postquam disputatiuè potiùs, quàm resolutiuè vsum huiusmodi instrumenti approbare visus est, tandem hæc verba subiecit. Ego tamen non recederem à communi vsu Ecclesiæ, qui est ministrare immediatè manu, & qui aliter ageret, præter peccatum posset etiam ab Episcopo puniri. An autem talis mortaliter peccaret, dubito, quia contraueniret graui ceremoniæ Ecclesiæ vniuersalis. Hæc Possevinus. Ad doctrinam verò Episcopi Smyrnensis respondeo, quod magis prævalere debet auctoritas 15. Episcoporum, qui in Conc. V. Mediolanensi à Summo Pontifice approbatum modum similem ministrandi Eucharistiam reprobarunt. Et peto à Marchino si in illo folio chartæ forsitan (vt facilius accidere potest) remaneret aliquod paruum fragmentum particulæ consecratæ, ad quid deseruiet combustio? Meritò igitur Chapeauilla *de Sacrament. Eucharist. quæst.* 33. *& seq.* damnauit hos modos ministrandi Eucharistiam peste infectis; vt qui non audens accedere ad peste infectum propter periculum contagionis à longè positus proponit ægris ex mensa ad hoc composita sumendam. Et qui proponit ægris sumendam ex scutellis. Necnon ille, qui pani vsuali, & communi inuolutum ministrat. Et ille, qui oblongiori forcipe Eucharistiam tenet, & sic ægro ministrat. Et ille, qui spatulæ oblongiori Eucharistiam infigit, & sic in os peste infecti immittit.

RESOL. CI.

An laicis infirmis Reliquiæ Sacramenti inuentæ post ablutionem tradi possint?

Et quid, si ablutionem non sumpserint?

Et notatur ad euitandam irreuerentiam aliquando licitum esse accipere Eucharistiam sine ieiunio, vt si prudenter timeatur, peruenturam in manus infidelium, vel hæreticorum, aut ab incendio absumi.

Et quid est agendum, si esset Sacerdos non ieiunus, & laicus ieiunus: vel laicus esset excommunicatus, & ieiunus, Sacerdos non quidem censura impeditus, sed non ieiunus.

Et quid si Sacerdos esset excõmunicatus, laicus verò nõ.

Vlterius, si Sacerdos, peracta consecratione pereat, nec alius Sacerdos adsit ieiunus; si non ieiunus adsit, an iste debeat perficere Sacrificium?

Et quid in prædicto casu, si est qui celebrat in Pontificalibus, & defecit, & non sit alius Episcopus, an simplex Sacerdos possit supplere simplici, & ordinario modo, quæ desunt?

Et in dicto casu præeunte Episcopo, vtrum sit præferendus simplex Sacerdos ieiunus alteri Episcopo non ieiuno, vt perficiat quæ desunt?

Et an Sacerdos post longam communionem factam immediatè post Sacrificium possit vasa purificare, & Reliquias, seu fragmenta quæ supersunt consumere, etiamsi Reliquiæ fuerint consecratæ in ea Missa, vel ab alio in alia Missa? Ex part. 10. tr. 13. & Misc. 3. Resol. 53.

Sup. contẽto in hoc, & seq. §. in resol. seq. à §. Non desinã.

§. 1. NEgatiuam sententiam tanquam communem tuetur Fagundez, *præcept. 3. lib. 3. cap. 5. n.* 31. vbi ita ait: Rursus rogabis, an possint huiusmodi reliquiæ inuentæ dari alicui ex his, qui communionem Eucharistiæ acceperunt, præsertim post sumptam aquam. Respondeo, huiusmodi reliquias dari, per se loquendo, non posse Laicis post sumptam ablutionem; quia hoc non pertinet ad eorum ministerium; censetur enim eorum actio perfectè consummata in ipsa prima sumptione ipsius Sacramenti: quare nec illis etiam dandæ sunt post finitam communionem, etiamsi ablutionem non sumpserint, nisi simul dentur cum priori formula, quia tunc censetur vna formalis communio, post hanc verò primam communionem, non possunt laici iterum communicare, per se loquendo: illa autem sumptio illarum reliquiarum est vera communio, si per se, ac separatim fiat. Ita Soarius citatus. Ille, cum Bonacina *de Sacram. disp. 4. q. 6. punct. 2. n.* 15. qui citat Reginaldum, Coninch, Nugnum, Filliucium, & Azorium; quibus adde, me citato Leandrum, *de Sacrament. tom. 2. tract. 7. disp. 5. q.* 35. qui firmat non licere dare laicis in eo casu, cùm iam non sint ieiuni. Quoniam si dictæ particulæ sumi possunt à Sacerdote, etiam post ablutionem, ideò est, quia sunt reliquiæ pertinentes ad idem Sacrificium, ad quod consummandum, & perficiendum Sacerdos habet debitum, quo debito caret Laicus.

2. Verùm affirmatiua sententia Marchini, ego Quis olim *in par. 6. tr. 6. resol.* 23 an sit probabilis, aliorum iudicio iudicandum reliqui; nunc autem inuenio illam docere Carolum Baucium *in Casibus singularibus Conscientiæ, cas.* 136. vbi ita asserit: Quæritur fragmenta Hostiæ consecratæ post sumptam Eucharistiam, & ablutionem à Laico, an possint sumi ab eodem Laico, si statim sumat, scilicet post minimam moram temporis. Respondet Marchinus *de Sacramento Ordinis part. 3. cap. 3. n.* 18. id posse fieri. Ratio esse potest, quia sumptio illa reliquiarum ob minimam temporis moram censetur vna, & eadem actio moralis cum manducatione Hostiolæ, quam vtiorum accepit, & testatur esse moris in arctissima Religione S. Mariæ Fuliensis Ordinis Cisterciensis, & quamuis hæc opinio sit contra communem Doctorum sententiam, tamen quia prædictus liber fuit reuisus iussu Magistri Sacri Palatij, & non fuit emendata hæc opinio. Idcirco mihi videtur etiam à principio extrinseco hanc opinionem esse probabilem; eò magis, cùm fuerit posita in praxi in multis Ciuitatibus, & oppidis, vt ipsemet Marchinus testatur. Hæc Baucius. Et dictam sententiam Marchini, non audet improbare nouissimè sapientissimus Iounes Dicastillus *tom. 2. de Sacram. tract. 4. disp. 9. dub. 17. 9. 6. n.* 389. vbi sic ait: Illud etiam quod ait Marchinus de ablutione danda communicanti etiam Laico, non semel vidi fieri, quando scilicet in pyxide paruula portatur ad ægrotum Venerabilem, non iam per modum Viatici, sed pro deuotione, & aqua, vel vinum infunditur in pyxidem, & communicanti porrigitur, vt si quæ minutæ particulæ manserint, non emaneant. In his ergo casibus, & isto modo non ausim damnare sic facientes, & faciliùs existimarem legem ieiunij pro communione pro iis casibus eo modo, ac non aliter esse receptam in Ecclesiis, saltem vbi talis est vsus, & modus. Hæc Dicastillus. Vnde puto sententiam Marchini non carere probabilitate, & ideo negatiuam, quam tenet cum communi Leandrus *vbi supra*, vocat tantùm probabiliorem.

3. Nota hic obiter, ad vitandam irreuerentiam aliquam, licitum esse accipere Eucharistiam sine ieiunio, vt si prudenter timeatur peruenturam in manus infidelium, vel Hæreticorum, aut ab incendio absumi, & in tali casu, si Sacerdos esset non ieiunus, & Laicus ieiunus, cæteris paribus danda esset formula laico; semper tamen minibus esset à solo Sacerdote contrectanda. Quod si contingeret, vt Laicus esset excommunicatus, sed ieiunus, Sacerdos verò non quidem censura impeditus, sed non ieiunus, is mihi videtur præferendus, quia maius videtur impedimentum censuræ, quàm defectus ieiunij. Si verò Sacerdos esset excommunicatus, Laicus verò non, ego iudicarem à Laico fore manducationem, quia Laicus non

non est impeditus ad id, quod alioquin ex parte sua Sacerdos non potest, quia est impeditus, & non vrget necessitas, quia adest alius, qui possit communicare. Et quamuis etiam ministrare illo modo Eucharistiam sit virtute censuræ prohibitum, tamen cùm in eo casu necessitatis non adsit alius ad id munus ordinatus, poterit id præstare; & quidem si est excommunicatus toleratus (vt appellant) poterit in fauorem laici id facere, & quamuis non sit toleratus, sed denunciatus, aut manifestus Clerici percussor, adhuc potest absque peccato pro tali casu, quia non censetur Ecclesiasticum impedimentum censuræ tunc obligare. Vlteriùs si Sacerdos peracta consecratione pereat, aut extra se fiat sine spe redeundi ad se, nec adsit alius Sacerdos ieiunus, si non ieiunus adsit, ille debet perficere Sacrificium. Quod si in prædictis casibus Sacerdos impeditus sit etiam Episcopus in Pontificalibus celebrans, & non sit alius Episcopus, potest simplex Sacerdos supplere simplici, & ordinatio modo quæ desunt. Vtrum autem pereunte Episcopo in eo casu sit præferendus simplex Sacerdos ieiunus alteri Episcopo non ieiuno; nihil video in aliis auctoribus; crediderim tamen præferendum esse Sacerdotem simplicem ieiunum. Et hæc omnia docet Dicastillus *vbi supra, num.* 373. 379. & 380. quæ admodum notanda sunt, non enim facilè apud alios auctores inuenies.

Sup. hoc supra in tr. 1. Ref. 238. signanter in §. 1. ad lin. 6. pro Sacerdotem non ieiunum & in Ref. 239. §. vltim. prope fin. à verf. Si non reperiatur.

& in Ref. 130. §. vlt. à lin. 3.

4. Sed si aliquis hic quærat, an Sacerdos post longam communionem factam, immediatè post finitum Sacrum, possit Vasa purificare, & reliquias, seu fragmenta, quæ supersunt consumere? & negatiuè respondet Hurtadus *de Eucharist. capite* 9. *difficultate* 17. eo quod iam non sit ieiunus. Sed ego contrariæ sententiæ adhæreo cum Cardinali Lugo, *de Eucharist. disputatione* 15. *numero* 81. *cum sequentibus.* Suarez *tom.* 3. *disputatione* 68. *sectione* 6. Fagundez *vbi supra num.* 30. & alij. Si particulæ, & earum reliquiæ fuerunt consecratæ in ea Missa. Quia adhuc censetur perseuerare eadem actio, & consummatio eiusdem Sacrificij. Imò & consumere eas reliquias poterit, etiamsi ab alio præconsecratæ fuerint, modo asseruari commodè non possint.

Sup. hoc supra in tr. 1. Ref. 249. & in aliis eius primæ not.

TRACTATVS TERTIVS

De Præcepto Ecclesiastico audiendi Missam in Die Festo.

RESOLVTIO PRIMA.

Quidam scrupulis angebatur, an habuerit intentionem implendi præceptum Missæ, & dicendi Horas Canonicas: ideo benignam aliquam opinionem impensè à me postulabat.

Et hoc dubium oriebatur, quia sciebat, quod præter attentionem internam necesse esset ad implendum præceptum dicendi Horas Canonicas, & audiendi Missam intentio formalis, vel virtualis, qua vult dicta præcepta adimplere.

Ex quo deducitur, quod si quis audiat Missam ex deuotione, putans non esse diem festum, an teneatur postea aliam Missam audire?

Ex quo etiam aduertitur, satisfacere præcepto, qui vult Missam audire, vel recitare Officium cum voluntate expressa non adimplendi præceptum recitandi Officium, & audiendi Missam: nec opus esse mutare animam, in tempore habili, & applicare pro implendo præcepto Missam illam auditam, & Officium recitatum.

Et etiam infertur, quid est sentiendum de Sacerdotibus dubitantibus, habuerintne intentionem requisitam consecrandi Hostiam; an illis tantum præcipiatur proferre verba consecrationis attentè, & deuotè, non autem vt proferant cum intentione aliqua actuali volendi consecrare, aut satisfaciendi præcepto obliganti ad consecrandum? Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. Resol. 68.

Vt facilius hoc dubium dissoluatur

§. 1. DVbium huius consulentis oriebatur, quia sciebat quod præter attentionem internam necesse esset etiam ad implendum præceptum dicendi Horas canonicas, & audiendi Sacrum, intentio formalis, vel virtualis, qua quis vult dicta præcepta adimplere. Ita multi DD. Vide Nauarr. *in cap. quando, notab.* 3. *n.* 27. & Azorium *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæs.* 6. Sed ego puto præcepta solùm obligare ad actum quem præcipiunt, vnde sufficit huiusmodi actum efficere, vt illa impleantur, & non est necesse, vt ipsum actum faciamus ex intentione formali, vel virtuali implendi præceptum. Et ideo si quis audiuit Missam ex deuotione, putans non esse diem festum, non tenetur postea aliam Missam audire, vt rectè docet Sanchez *in summa, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* .. *numero* 9. Vasquez *in part.* 2. *quæst.* 100. *art.* 9. *in expositione litteræ, num.* 5. Valentia *tom.* 3. *disputatione* 6. *quæst.* 2. *punct. vltimo*, & alij. Vel dicendum est, quod ad implendum præceptum, licet opus sit non solùm vt faciamus actum humanum imperatum per illud, sed etiam vt faciamus illud, saltem ex intentione virtuali implendi illud, quam virtualem intentionem Suarez *tom.* 3. *disputat.* 88 *sectione* 3. semper dari affirmat in ipso actu, quamdiu illa per contrarium actum non excludatur. Quoties igitur quis non habet hanc voluntatem formalem, nolendi implere, verbi gratia, præceptum Missæ; vel Horarum Canonicarum, censetur habere intentionem virtualem implendi illud per illum.

in tom. 1. tr. 1. lege doctrinâ Ref. 1.

Sup. hoc inf. in Ref. 5. §. Verũ, à lin. 7. & supr. in tr. 2. lege latam doctrinam Ref. 74. signanter §. Ad secundũ, prope fin. à verf. Deinde, & in aliis eius verf. & vide alias Ref. eius primæ not. & ex illis infer. quid pro hac quæstione debeas sentire.

2. Et ita hanc sententiam docet etiam Fagundez *præc. 1. lib. 2. cap. 7. n.* 14. vbi sic asserit. Iuxta doctrinam Suarij, & Sancij respondendum est ad sedandos scrupulos Sacerdotum dubitantium, an habuerint intentionem requisitam ad consecrandum hostiam; nam iuxta fundamenta Suarij, eo ipso quod verba consecrationis dixerunt, & non habuerunt hunc actum, & hanc intentionem formalem;

Sup. doctrina contenta in hoc §. lege Ref. not. primæ huius Ref.

Nolo consecrare, virtualem habuerunt intentionem consecrandi. Iuxta fundamenta verò Sancij, illi solùm tenentur, & præcipiuntur proferre verba consecrationis attentè & deuotè, non autem præcipiuntur vt proferant cum intentione aliqua actuali volendi consecrare, aut satisfaciendi præcepto obliganti ad consecrandum, & ideo irrationabiliter scrupulis excruciantur. Ita ille.

3. Vnde ex his patet, sufficere tantùm audire Missam, & recitare officium, non autem necesse est habere intentionem implendi huiusmodi præcepta, & dum quis non habet intentionem expressam non adimplendi præceptum, habet virtualem implendi. Repellantur igitur anxietates à scrupulosis, qui Domini iugum suaue, durum, & difficile reddunt. Imò ego puto, vt alibi etiam notauimus, satisfacere præcepto, qui vult Missam audire, vel recitare Officium, cum voluntate expressa non adimplendi præceptum recitationis Officij, & audiendi Missam, nec opus esse mutare animum in tempore habili, & applicare pro adimplendo præcepto Missam illam auditam, & officium recitatum. Ita contra Aragonium *in* 2. 2. *quæst* 83. *art.* 13. Lessium *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* ... *n.* 59. Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *disput.* 88. *sect.* 3. Azorium *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 6. & alios, docet Sanchez, & Vasquez, quos citat, & sequitur Fagundez *præc.* 1. *lib.* 2. *cap.* 87. *n.* 14.

Alibi in to. 3. tr. 6. Resol. 46. §. Et idē, & inf. in Resol. 5. §. Verum, cursim ad medium, vers. Quod etiā, & in tom. 8. tr. 4. lege doctrinam Resol. 49.

RESOL. II.

An si quis audiat Missam sine interna attentione satisfaciat præcepto Ecclesiæ?

Ex quo infertur satisfacere eum præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui tempore Sacri legit Horas canonicas, ad quas obligatur?

Et notatur, quod qui audit integram Missam, si simul duas partes duorum Sacerdotum audit, etiam satisfacere præcepto audiendi Missam? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Resol. 107.

§. 1. NEgatiua sententia est probabilior & consulenda, sed affirmatiuam probabilem esse ego ipse docui cum Coninch & Layman *in part.* 1. *tract. de Horis canon. resol.* 2. quibus nunc addo Syluestrum *ver. Missa* 11. *num.* 6. vbi sic ait, Licèt Missa sit deuotè audienda interiùs & exterius, interior tamen deuotio quæ in attentione consistit, non cadit sub humano præcepto, iuxta ea quæ dicta sunt *supra ver. Hora.* §. 11. exterior autem cadere potest, & videtur quòd cadat illa deuotio quæ de se est necessaria ad auditionem quæ cadit sub præcepto, cum qua non stat illa distractio, qua aliqui pro notabili parte Missæ nugantur cum socio. Ita Syluester, Casuistarum decus, & hanc sententiam probabilem esse præter Coninch. & Layman ex Societate IESV, docet etiam nouissimè Io. Præpositus *in* 3. *part. D. Thom. quæst.* 83. *art.* 6. *dub.* 5. *num.* 225. vbi sic asserit. Non est improbabile quod censent aliqui, per se loquendo, in auditione Missæ interiorem attentionem non requiri, sed sufficere moralem externam præsentiam, qua aliquis saltem confusè initio velit se præsentem Sacro sistere ad Deum colendum, quia talis moralis præsentia orta ex hac, vel simili voluntate, est obiectiuè Dei cultus, & ratione illius aliquis sufficienter dicitur moraliter Sacro interesse, & Sacrum audire. Vnde is, qui magna parte Sacri interiùs voluntariè distraheretur, non videretur mortaliter peccare, si nihil exteriùs ageret incompossibile præsentiæ morali descriptæ. Hæc Præpositus, qui respondet ad argumentum quod aliquis contra supradictā doctrinam posset adducere. Vnde non est audiendus Turrianus, qui nouissimè in censuris Theologicis *centur.* 4. *dub.* 28. asserit hanc sententiam esse improbabilem & perniciosam, nam non solùm tanquam probabilem hanc opinionem amplexi sunt vt visum est, plures Doctores, etiam Societatis IESV, sed ex ipsamet Societate nouissimè hanc sententiam absolutè tenet P. Gaspar Hurtado *tract. de Sacram. tom.* 2. *de sacrificio Missæ, disp.* 5. *diffi.* 2. & ex Dominicana familia ita visum est doctissimo Sylueltro.

Quæ nunc inuenietur in tom. 3. tr. 6. Resol. 47. & in Resol. 48. & in tom. 8. tr. 4. Resol. 48. §. 1 per totum, & infra in Resol. 4. cursim in quinque primis eius lin. addito Dicastillo.

2. Ex his infertur contra Syluest. *vbi supra quæst. vlt.* Angelum *ver. feriæ num.* 46. Armillam *ver. Missa, num.* 39. & alios, satisfacere eum præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui tempore Sacri legit Horas canonicas, ad quas obligatur, quia id non impedit externam moralem præsentiam necessariam auditioni Sacri.

3. Nota etiam cum Hurtado *loco citato diffic.* 4. ex Bonacina, quòd qui audit integram Missam audiendo simul duas partes Missarum duorum Sacerdotum, etiam satisfacere præcepto audiendi Missam, sed hoc aliqui non admittunt.

RESOL. III.

An qui voluntariè sine attentione interna audiret Missam teneatur postea illam iterum audire?

Idem videtur dicendum de recitatione Officij diuini?

Ex part. 10. tr. 15. & Misc. 5. Resol. 2.

§. 1. SEcundùm sententiam probabilem, quam alibi cum Cardinali Lugo, & alijs docuimus hæc difficultas habet apud nos locum, nam putamus attentionem internam non esse præceptam ab Ecclesia in auditione Missæ, sed stando in opinione contraria ad casum propositum affirmatiuè respondendum esse docet Dicastillus *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 5. *disp* 5. *dub.* 9. *num.* 120. vbi sic ait, Aduertendum etiamsi id quod Coninch. suprà, & alij nonnulli Auctores significant in fauorem nostræ sententiæ de non necessaria præcisè attentione interna, nimirum eā attentionem nullo modo esse materiam præceptā ab Ecclesia, quia si esset materia quantùis voluntariè, sine aduertentia, attentio deesset, adhuc suppleri deberet per attentionem nouam in alia Missa audita. Quod tamen etiam illi, qui contra nos sentiunt, negant, esse necessarium. Probatur sequela, quia sic distractus verè non exhiberet actum præceptum, scilicet internam illam attentionem. Quod autem hæc omissio attentionis sit inuoluntaria, fatificit quidem ad excusandum à peccato eum qui tunc non attendit, non tamen sufficit vt præceptum censeatur impletum perinde atque qui inciperet audire Sacrum, & statim etiam per totum Sacrum persteraret dormiendo, inuoluntariè tamen, & non ex malitia, excusaretur quidem à peccato, non tamen impleret præceptum, sed perinde teneretur aliud Sacrū audire atque si voluntariè dormiret: cuius non est alia ratio, nisi quia non exhibuit materiam præcepti. Ergo si eodem modo præcipitur attentio interna atque assistentia externa, quamvis quis inuoluntariè distractus non adhibeat attentionem, & non peccet, simul tamen non exhibet materiam præceptam eamque tenebitur in alia Missa exhibere, quia nondum implenit præceptum. Quod etiam clarissimè patet in casu, quo quis (vt fieri potest) incipiat audire Sacrum, & inuoluntariè, seu non aduertens variis cogitationibus occupatus à loco Missæ discedat, tunc quidem non peccat discedendo, sed non implet præceptum. Ergo pari ratione si præceptum Missæ extendat non solùm ad assistentiam corporis, sibi dicitur Missa, sed etiam ad assistentiam animi per attentionem,

tentionem, quamuis qui inde animo discedat per distractionem inuoluntariam, non peccet sic discedendo, adhuc tamen non implebit præceptum. Non me latet aliquos respondere eum, qui cum legitima intentione attente, & deuotè audiendi Missam, eam incipit audire, & postea inuoluntariè distrahitur, quamuis non habeat actualem attentionem habere nihilominus virtualem, eamque sufficere ad implendum præceptum, quam tamen non habet qui voluntariè distrahitur.

2. Hoc tamen facilè reiicitur, nam licet intentio audiendi Missam attentè, & deuotè dici possit aliquo modo virtualiter permanere quatenus externa illa assistentia Missæ ex præcedenti voluntate perseuerat, id tamen locum non habet in attentione interna, hæc enim per actum omninò contrarium, aut incompossibilem scilicet per totalem distractionem planè interrumpitur, & cessat, quando enim aliquis actus ita interrumpitur vt neque in se, neque in effectu aliquo censeatur perseuerare, non amplius manet virtualiter, cumque nullus effectus attentionis maneat, nec virtualiter ipse censetur manere sicut censetur manere intentio. Aliis etiam modis prædictam solutionem impugnat Coninch. *supra*, sed dicta sufficiunt. Adde quod ea virtualis attentio (sicut & intentio) semper includit, aut est actus aliquis existens, licet tenuissimus iuxta dicta *tract. 1. disp. 3. num. 84. & seqq.* Ideò alij, quibuscum iam olim in Complutensi nostro, & Toletano Collegiis disputabam, probabilius respondent quando attentio deficit omninò inuoluntariè tam in Missa, quam in recitatione Horarum, ex benigna interpretatione iuris Ecclesiastici intelligi posse, nolle piam matrem Ecclesiam obligare ad repetendum Officium, vel audiendam iterum Missam. Quod autem credi non debet, nec potest de eo, qui omninò voluntariè mente vagatur. Hæc tamen solutio adhuc non omninò videtur satisfacere, nam si tota ratio talis benignæ interpretationis iuris nititur eo quod ille defectus attentionis præceptæ sit inuoluntarius, cur non etiam idem dicemus de dormiente in Missa qui præoccupatur somno inuoluntariè? imò etiam de recitante Horas, sicut enim dormiens non exhibet materiam præceptam aut assistendi humano morali modo Missæ, aut proferendi verba officij Canonici, ita inuoluntariè distractus non exhibet attentionem quam præcipit Ecclesia; Ergo sicut ideò benignam interpretationem iuris Ecclesiastici admittunt pro non exhibente attentionem inuoluntariè distracto, eadem ratione benignam interpretationem admittere debuissent pro dormiente inuoluntariè, aut pro inuoluntariè cessante à prolatione verborum in recitatione Officij, cum non minus in vno casu, atque in alio inuoluntariè contingat materiam præceptam non præstari. Signum ergo est propriè, & verè actionem extremam esse materiam præceptam, quæ quoties non exhibetur, manet obligatio illam exhibendi, non tamen esse materiam præceptam actionem internam, cùm saltem si inuoluntariè non exhibeatur etiam aduersariis concedentibus non maneat obligatio illam exhibendi in iterata auditione Missæ aut recitatione Horarum. Hucusque Dicastillus, quæ satis grata fuisse curiosis non dubito, vnde videant qui nostram sententiam impugnant in quibus tricis se misceant.

RESOL. IV.

An si quis audiat Missam impositam pro pœnitentia à confessario sine interna attentione, satisfaciat?
Idem est de recitatione Rosarij à confessario imposita, si quis sine interna attentione recitat?
Et an qui audit Missam ex præcepto Ecclesiæ in diebus festiuis sine interna attentione, satisfaciat præcepto?
Et an Sacerdos satisfaciat præcepto Ecclesiæ de audienda Missa in die festo, si Missam dixerit cum voluntaria distractione?
Et an prædictus Sacerdos peccet mortaliter, si cum voluntaria distractione celebrat Missam non de præcepto, sed de Feria, vel de Sancto, sed non in die festo?
Et obiter quæritur, quando Canon Missæ incipiat, *an à* Te igitur, *vel à* communicantes, *an vero à verbis* Qui pridie quam pateretur, *& quando finiat, an vsque ad* Libera nos, *vel an vsque ad sumptionem?* Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Res. 6.

§. 1. DIxi alibi satis probabiliter, si quis audiret Missam ex præcepto Ecclesiæ in diebus Festiuis sine interna attentione, satisfacere præcepto. Quam sententiam posteà, me citato, docent Cardinalis Lugo, & Dicastillus *vbi infrà*. Sed difficultas est de præcepto impositò à Confessario audiendi Missam, vel recitandi Rosarium, &c. Et negatiuè respondet Dicastillus *de Sacrament. tom. 1 tract. 5. disp. 5. dub. 10. num. 119.* vbi sic ait: Item si obligatio esset pro Pœnitentia iuncta in Confessione, probabiliùs puto necessariam esse attentionem internam pro omnibus; neque enim obligatio implendi Pœnitentiam oritur ex mero præcepto humano authoritate humana; sed licèt oriatur ab homine, oritur ab illo vt iudicante, absoluente, & imponente huiusmodi pœnitentiam nomine, & authoritate Christi sic instituentis Sacramentum, vt ea actio satisfactoria iuncta, sit pars Sacramenti, saltem integralis; debeatque esse talis, qualis requiritur, vt sit opus ex se aptum ad id: tale autem non esset, si à sciente, & volente fieret sine intentione, & attentione conueniente. Ita illæ. Verùm video Doctores communiter absolutè docere, præceptum Pœnitentiæ impositum è Confessario audiendi Missam, ieiunandi, &c. metiendum esse ad instar præceptorum Ecclesiæ.

Albi in tr. 3. tr. 6. Res. 47 & in aliis eius primæ nor.

Sup. hoc Præcepto cui cohæ Dicastillo hic citato tantum, in tom. 8. tr. 4. Res. 48. à §. Sed quoad, signater post medium, à vers. Quod verò.

2. Sed si aliquis curiosè inquirat, An quod diximus probabiliter de audiente Missam ex præcepto Ecclesiæ sine interna attentione, dicendum sit etiam probabiliter de Sacerdote illam dicente cum voluntaria distractione. Affirmatiuè respondet Tamburinus *Opuscul. de Sacrific. Missæ, lib. 2. cap. 4. 6. & seqq.* seclusò tamen tempore, in quo recitat Canonem; sic enim ait, *n. 9.* Si Sacerdos per notabile tempus voluntariè distractus, eas Missæ partes, quæ Canonem continent recitet, seu peragat, peccabit mortaliter, siue Missa celebretur de præcepto, siue de Feria, Ratio, quæ me ad id mouet, est discrimen, quod intercedit inter Missæ Sacrificium, & cæteras orationes. Hæ enim sunt meræ allocutiones ad Deum: at Missa est insuper Sacrificium, hoc est, actus Religionis excellentissimus, quo profitemur Deum summè venerari. Videtur autem mihi grauis esse irreuerentia, quòd quis, dum profitetur Deum summè per suam actionem venerari, cum illo irreuerenter, per voluntariam distractionem, se gerat: & in tanto ministerio, de quo tremunt Angelorum Ordines, omnia alia cogitare velit, quàm mente attendere ad quod operatur. Adde, & morale periculum aliquid graue omittendi, vel non ritè operandi, &c. Ità Tamburinus; Sed tu cogita.

Sup. hoc & contento in hoc §: sup. in tr. 1. Res. 145. signanter à lin. 5. & hic leg. doctrinā Res. præteritæ, à lin. 6. & omnia Resol. §§. & vers. eius annot.

3. Verùm, si quis stare vellet in hac limitatione, deberet scire, Quandò incipiat Canon. Aliqui asserunt incipere ab illis verbis, *Te igitur, clementissime Pater*, iuxta Nauarrum *cap. 27. num. 33.* & iuxta

Glossam *in Clementina, Graues, de Sentent. Excomm.* Dominicum, & Francum *in cap. Episcopus de Priuileg. in 6.* Felinum *in cap. 2. n. 4. de except.* Syluestrum *verbo Excommunicatio 5. n. 3.* Probant, quia in Missali ab illis verbis titulus Canonis incipit. Quidam probabiliter arbitrantur, à clausula, *Communicantes.* Alii ab illis verbis incipere existimant, *Qui pridie quàm pateretur*; Ita Syluester *supra* cum Innocentio, & Hostiensi: & ità Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4.* Ledesma *24. quæst. 25. art. 2.* & videtur sentire D. Thom. *3. part. q. 83. art. 6. ad 2.* quamuis id expressè non dicat, Paludanus *in 4. dist. 11. quæst. 3.* Archidiaconus, & vterque Cardinalis *in cap. Sicut Apostoli 11. quæst. 3* Innocentius *in cap. Nuper de Sentent. Excom. in 6.* Victoria, *de Excom. §. 10.* Sed primi videntur sentire probabiliùs. Et ità asserit Fagundez *præcept. 1. lib. 3. c. 18. n. 5.* Hoc etiam obseruauit Dicastillus *vbi supra, disp. 4. dub 13. n. 249.* vbi asserit, Canonem secundùm communem incipere à *Te igitur*, &c. sed secundum aliquos, à *Communicantes*, &c. & secundùm alios, à *Qui pridiè quam pateretur.* Quandò verò Canon finiat, discrepant etiam inter se Doctores: Suarez *in 3 part. tom. 3. disp 83. sect. 1. in initio*, putat quod terminat vsque ad Consumptionem, incipiendo à *Te igitur* Gauantus *verò in Rubr. Missæ, part. 2. tract. 7. cap. 8. litera L, & par. 3. tit. 10. n. 2* putat terminare vsque ad *Libera nos*, &c. D. Gregorius à Suarez *vbi supra* adductus, putat terminare vsque ad Orationem Dominicam, quam sententiam approbat Tamburinus *loco citato num. 12.*

4. Notentur hæc omnia, quia nimis necessaria erunt, nempè in casibus, in quibus Sacerdos tenetur interrumpere Missam inchoatam ante incœptum Canonem, de quibus agit Fagundez *loco citato*: & in casu in quo Ecclesia violatur propter effusionem Sanguinis, dùm Sacerdos dicit Missam, & non fuerit incœptus Canon; & in casu quo iudicandum erit, quando paruitas materiæ excuset à peccato mortali, si in Canone relinquantur aliqua verba: Quæ omnia cùm sint satis practicabilia: multùm deserment pro Confessariis opiniones adductæ, videlicet quandò dicatur Canon incipere, & finire.

RESOL. V.

Quis summo mane audiuit Missam, postea Episcopus fecit illum diem festiuum de præcepto, quæritur, an teneatur audire aliam Missam?

Ex quo infertur, an si quis mane communicauit, si postea in eadem die incidat in periculum mortis, teneatur iterum sumere Eucharistiam?

Et an, si quis in die festiuo audiat Sacrum immemor præcepti teneatur ad aliud Sacrum audiendum.

Et an si quis audiret Sacrum cum positiua intentione non satisfaciendi præcepto, adhuc satisfaciat, nec teneatur aliud Sacrum audire?

Et quid si talem intentionem habuerit, qui vouerit audire Sacrum, an vtique iste teneatur audire secundum Sacrum? Ex part. 10. tr. 15. & Misc. 5. Res. 4.

Sup. hoc cũ eodem Pallauicino hic infra citato lege infra doctrinam §. Nec, ad medium, Res. 14. sed Vide eam per totam.

§. 1. CAsus est curiosus, & affirmatiuè videtur respondendum, quia iste talis quando audiuit Missam, non aderat obligatio præcepti. Ergo superueniente præcepto erit adimplenda eius obligatio. Confirmatur ex illa opinione à me sæpiùs reperita, quod si quis manè communicauit, postea in eadem die incidat in periculum mortis teneatur iterum sumere Eucharistiam, quia quando manè communicauit non aderat articulus mortis, atque obligatio sumendi viaticum. Et ita præter Doctores à me alibi adductos tenet hanc sententiam, me citato Leandrus *de Sacrament. tom. 1. tract. 7. disp. 2. quæst. 6. & 7.* & Quintanaduenas *in Theol. Mor. tom. 1. tract. singul. 9. n. 6.* qui testatur ita sensisse Doctores Salmanticenses, & Complutenses, & hanc sententiam tanquam probabilem me citato admittit nouissimus sapientissimus dicastillus, *de Sacram. tom. 1. tra. 2. disp. 10 dub. 4. n. 56.* & alij.

2. Verùm his non obstantibus ad casum propositum indiuidualiter negatiuè respondet Pater Pallauicinus in Collegio Romano Sacræ Theologiæ professor, vir quidem doctissimus, & eruditissimus *de Iustit. & Iure, lib. 4. cap. 11. n. 65.* vbi sic asserit. His colligitur primò quod si quis die festo audiat Sacrum immemor præcepti non tenetur ad aliud Sacrum audiendum. Imò etiam in casu, in quo præmulgetur præceptum audiendi Sacrum aliqua die, postquam Petrus ea die ex deuotione Sacrum audiuit, probabilius est Petrum non teneri ad secundam auditionem Sacri Præceptum enim intendit tantum ne quis voluntariè omittat ea die Sacri auditionem. Qui verò Sacrum iam audiuit, non est amplius in statu Sacrum omittendi. Ita ille: vnde ego puto vtramque sententiã esse probabilem Nota tamen ad quod ibidem docet idem Pater Pallauicinus *num. 96.* Quod etiamsi aliquis audiret Sacrum cum positiua intentione non satisfaciendi præcepto per illam auditionem, adhuc negatiuè satisfaceret, nec teneretur ad aliud Sacrùm audiendum, cùm tamen si haberet talem intentionem is, qui vouit audire Sacrum, vtique teneretur audire secundum Sacrum. Ratio disparitatis est, quia sicut possum mihi imponere obligationem voti, ita possum illam extendere ad casum, ad quem non extendebatur, hoc est ad auditionem secundi Sacri: At verò sicut non possum imponere mihi obligationem præceptiscum non possim exercere iurisdictionem supra me ipsum) ita non possum illam extendere ad auditionem secundi Sacri. Et ita etiam docet quoad votum Baldellus *in Theol. Morali, lib. 5. d. 15. n. 21. in verb. Neque est simile*, cum Suar. Ledesma, & aliis. Sed ego contrariæ sententiæ alibi adhæsi, nempe in tali casu audientem Missam animo non satisfaciendi voto, non teneri audire aliam, vt voto satisfaciat, quia verè, & integrè ille facit satis per Missam à se auditam, cùm verè præstiterit illud, quod vouit, neque enim per intentionem illam non satisfaciendi voto per dictam Missam, quam audiens habuit, voluit prorogare suum votum, aut denuò vouere licet posset, sed solùm voluit per aliam Missam voto satisfacere, ergo si ei iam satisfecit, nihil illi restat vt satisfaciat. Et ita hanc sententiam me citato tenet Leandr. *de Præceptis Ecclesiæ, tract. 2. d. 1. quæst. 83.* Trullench. *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 2. dub. 16. num 27.* Sanchez, & Bonacina, & alij. Non nego tamen sententiam Patris Pallauicini, Baldelli, & aliorum suam habere probabilitatem.

RESOL. VI.

Quanam distantia ab Ecclesia excusat, vt qui non teneatur illam adire ad audiendam Missam in diebus festiuis?

Et aduertitur, quod si forte contingat in vrbe plures esse Templa, & loca interdicta, longisque distare Ecclesiam aliquam intra vrbem, vel suburbiis libram ab interdicto, tenebuntur etiam femina delicatæ, & alicuius authoritatis, secluso graui cœli intemperie eo ire, vt in die festo audiant Missam. Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Res. 8. §. 1.

Sup. contẽto in hac Reſ. dempta diff. fical. pro tẽpore interdicti in Reſol. ſeq.

§. 1. DE hac Quæſtione agit Trullench *in Decalogum tom. 1. lib. 3. c. 1. dub. 9. n.* 10. Filliucius, *tom. 1. tract. 5. c. 7. n. 227.* Sed mihi placet hic apponere verba Patris Dicaſtilli *de Sacram. tom. 1. tract. 5. diſp. 5. dub. 10. n. 181.* vbi ſic ait: Hinc eſt, vt qui longius diſtat ab Eccleſia, vel loco Miſſæ, ſæpe non teneatur adire. Quanta verò diſtantia neceſſaria ſit, non omninò facile eſt determinare; ſed ex circumſtantiis perſonæ, temporis, & ipſius etiam viæ, per quam debet ire, arbitrio prudentis debet decerni. Suarius, & Henriquez *ſupra*, leucam aſſignant, quæ in Hiſpania, ſi legalis ſit, ideſt, cuius ſpatium lege taxatum eſt, tria millia paſſuum communium continet, adeoque tria milliaria Italica: vſuales verò leucæ ſæpè continent quinque millia paſſuum, id eſt, illæ, quæ communi vſu, & acceptione, leucæ appellantur; adeoque ſæpè exæquant integrum milliare Germanicum, Bonacina verò ſuprà, ſex, aut ſeptem milliaria aſſignat, quæ proculdubio Italica intelliguntur, duas ſcilicet leucas Hiſpanicas legales. Ego ſanè virum alioquin ſanum tempore ſudo, & ſereno non puto excuſari duobus tantum milliaribus Italicis diſtantem à loco Miſſæ; id enim facilè ab eiuſmodi hominibus animi gratia ſolet percurri etiam pedeſtri itinere. Quòd ſi ſint Nobiles, & prædiuites homines, faciliùs id præſtabunt equo vel curru, vel lectica, eaque diſtantia ſæpè in ampliori-

Sup. hoc in tom. 1. tr. 5. Reſ. 157. §. Ad argumentum, ad medium, à verſ. vt ſicut eccleſiæ.

bus ciuitatibus intrà vrbem ipſam percurritur. Vnde, ſi fortè contingat in ſimilibus locis plura eſſe Templa, & loca interdicta, longiuſque diſtare Eccleſiam aliquam intrà vrbem vel in ſuburbiis liberam ab interdicto, tenebuntur etiam fœminæ, ſeclusa graui cœli intemperie, eò ire; quamuis, ſi fœminæ alioquin delicatæ ſint, & alicuius authoritatis, nec facilè poſſint habere currum, lecticam, aut ſellam geſtatoriam more gentis, non iudicarem teneri ire vltrà vnum milliare Italicum. Secùs verò de fœminis mediæ, aut infimæ plebis, quæ ſunt his laboribus aſſuetæ, & non dedecet eas longius ire; maximè intra vrbem; Generaliter tamen loquendo, tempore hyemis, aut æſtus, fœminas, quæ vltra mediam leucam etiam legalem, id eſt, vltrà mille quingentos paſſus diſtant ab Eccleſia, vel loco Miſſæ, non puto obligari; niſi fortè fœminæ ruſticæ ſint, quæ non minus quàm eiuſdem farinæ viri, ſolent hûc illûc diſcurrere leuibus de cauſis, etiam ad longius ſpatium. Quando autem pluit aut ningit notabiliter; vix imò, ne vix quidem etiam tales fœminas, aut viros obligarem ad quærendum Sacrum intra mediam leucam. Itaque abſolutè iudicio prudentis relinquendum eſt, expenſis circumſtantiis. Hucvſque Dicaſtillus; quæ omnia notentur pro Praxi.

RESOL. VII.

An diſtantia vnius leucæ ſit ſufficiens, vt quis ab audienda Miſſa excuſetur?

Et quid, ſi iter cum equo faciendum ſit?

Et an hoc intelligatur, in tempus, quod non ſit ſerenum, aut in via ſint flumina, torrentes & huiuſmodi, aut ſi equus, mula aut aſinus, in qua iter qui acturus ſit, ſint tardi, &c?

Et docetur milliarium ſufficere ad excuſandum quemlibet à Miſſa, ſpecialiter fœminas delicatas, & alicuius authoritatis? Ex part. 10. tract. 15. & Miſc. 5. Reſol. 35.

Sup. contẽto in hac Reſ. ſupra diffic. de itinere cũ equo in Reſ. ſcripta.

§. 1. CONtra Bonacinam, Ledeſmam, & alios affirmatiuè reſpondet Leandrus *de præcept. Eccleſ. tract. 2. diſt. 2. quæſt. 22.* quia cùm hæc diſtantia duplicari debeat; eundo, ſcilicet, ad Eccleſiam, & redeundo ad locum, è quo exiuit, v. erè non breuis, ſed longa ſatis exiſtimanda eſt, & conſequenter ſufficiens ad excuſandum quemlibet à Miſſa; Sic Suarez, *diſt. 88. ſect 6. verſ. Tertium cap. eſt.* Villalob *tract. 8. diſt. 36. n. 5.* ſic dicens: [Tambien ſe iuzga por impotentia moral, quando la Igleſia eſta diſtante vna legua; y fueſſe neceſſario ir à pie; y aunque diſſe me nos, como ſea bien lexos, y llueua, y ò aya tempeſtad.] Fagundez etiam *de 1. præcept. lib. 2. cap. 9. n.* 10. per hæc verba: Quinta cauſa excuſationis eſt longa diſtantia Eccleſiæ, & ratione illius excuſantur illi, quibus neceſſarium eſt longum iter pedibus conficere, v. g. vnius leucæ: idemque dicendum eſt, ſi non ſit diſtantia vnius leucæ Et ita etiam tenet Villalobos *in Summa tom. 1. tract. 8. diſp. 36. n. 5.* Fagundez, *de præcept. Eccleſ. pract. 1. lib. 2. cap. 9. n.* 10. & alij penes Leandrum, qui etiam poſtea *quæſt. 24.* tenet diſtantiam etiam vnius leucæ, ſeu trium milliarium excuſare ab audienda Miſſa, etiamſi iter cum equo faciendum eſſet, quia ait etiam reſpectu iſtorum, diſtantia duarum leucarum, quæ eundo ad Eccleſiam, & ab illa redeundo confici eſt neceſſum; non leuis, & facilis, ſed longa & difficilis cenſeri debet; ergo ſufficiens ad excuſandum quemque ab auditione Miſſæ. Adde hoc mihi non ſolùm probabile, ſed certiſſimum eſſe, in caſu quo tempus non ſit ſerenum, aut in via ſint flumina, torrentes, & huiuſmodi; aut denique equus, mula, aut aſinus, in quo iter quis acturus eſt, ſint tardi, &c. Sed vt verum fatear, huic poſteriori ſententiæ, non adhæreo; nam non videtur concedendum quod eadem diſtantia ſufficiat pro itinere pedeſtri, ac equeſtri: nam in itinere equeſtri minùs laboratur: ergo maiorem diſtantiam requirit; vnde ego puto, quòd ſaltem diſtantia vnius leucæ, & mediæ ſit neceſſaria ad excuſandum auditionem Miſſæ.

2. Non deſinam tamen hîc adnotare Marchinum *Sacram. Ordin. tract. 3. part. 3. cap. 17. n. 19.* docere milliarium ſufficere ad excuſandum quemlibet à Miſſa: Octiz *in Summa præcept. Decalog.* §. 7. ſicait: [Los que eſtan en azquerias no eſtan obligados à oir la Miſſa, ſi donde ſe dize mas de media.] Sed hi authores videntur loqui aliquantulum laxè; aſſentior tamen Patri Dicaſtillo *de Sacram. tom. 1. tract. 5. cap. 5. n. 184.* docenti, quod fœminæ delicatæ, & alicuius authoritatis non tenentur pedeſtres ire ad audiendam Miſſam vltra vnum milliare; ſic poteſt limitari ſententia requirens tria milliaria.

RESOL. VIII.

An mater, vel nutrix excuſetur ab audienda Miſſa, ſi non poteſt infantulum domi relinquere, ſed neceſſe ſit ſecum in Eccleſia deferre?

Idem eſt de ancillis, quæ infantibus aſſiſtere debent? Ex part. 10. tr. 15. & Miſc. 5. Reſ. 36.

§. 1. AD hoc dubium quod eſt ſatis practicabile reſpondet Leandrus *de præcept. Eccl. tr. 2. diſt. 2. quæſt. 28.* quod ſupradictæ perſonæ excuſantur eo tantùm modo quod nequeant dictos infantulos ſuos alteri commendare: quia, vt experientia conſtat, nec mater, ſeu nutrix poteſt eos ad Eccleſiam abſque moleſtia celebrantis, & adſtantium perturbatione, ferre; nec domi, abſque probabili, & prudenti timore alicuius magni damni, ſolos relinquere: ergo abſolutè eſt dicendum quod, vt prædicta mater, & nutrix excuſetur à Miſſa, ſufficiat non habere, aut inuenire aliquam perſonam, cui infantes ſuos, dum Miſſam poſſit audire, commendet. Sic videntur ſentire Layman, *lib. 4. tract. 7. cap. 4. num. 3.*

vers. causa verò: quatenus docet absolutè, quod ab audienda Missa excusentur matres, & ancillæ, quæ infantibus assistere debent. Et Llamas 3.3. *part. Medo cap.* 5. §. 11. *pag.* 493. per hæc clariora verba: Excusantur, & omnes nutrientes infantes teneros, à quorum cura discedere non licet, quia inquieti sunt, & nimis plorant, & tales in Ecclesia deferre potiùs vitio ascribendum est, cùm perturbent diuina officia vagitibus. Fauet Nauarrus, *cap.* 21. *num.* 3. Vbi absolutè ait, excusari nutrices, quæ sine periculo non possunt relinquere eos quos lactant. Sic ille. Nunc ego; sed sic est, quod non possunt nutrices relinquere absque periculo quos lactant; nisi habeant aliquem, cui talem curam committant: ergo si hunc non habet, verè excusantur ab audienda Missa. Hactenus Leandrus. Sed communiter DD. asserunt, quòd ab audienda Missa excusatur nutrix, aut illa cui credita est cura paruulorum, quæ non potest ferre secum puerum adhuc lactantem, & quem non potest domi relinquere absque probabili alicuius damni periculo, vel non potest ferre ad Ecclesiam absque graui celebrantis, vel adstantium perturbatione, & molestia. Ita Trullench. *in Decal. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 9. *n.* 5. & alij. Et sententiam Leandri ego admitterem quando mulier sciret infantem, vel ex infirmitate, vel ex natura esse nimis pronum ad plorandum, & vociferandum. At, vt verum fatear Coninch. *de Sacram. quæst.* 83. *art.* 6. *dub. vnico, num.* 286. Palaus, *tom.* 4. *tract.* 22. *disp. vnica, punct. vlt. n.* 6. obseruant, quod satius est infantes domi retinere, quam secum ad Ecclesiam deferre ob eorum inquietationem, quæ adstantes molestat, & celebrantem perturbat.

RESOL. IX.

An pueri habentes vsum rationis teneantur statim præcepto audiendi Missam in festo? Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Res. 77.

§. 1. PVeros teneri præcepto audiendi Missam dum perfectè incipiunt vti ratione sufficienter ad peccatum mortale, puto cum Coninck *de Sacram. quæst.* 83. *art.* 6 *n.* 286. Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 88. *sect.* 4. Præpósito *in* 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. *n.* 197. Fagundez *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 7. Merceto *de Sacram. quæst.* 83. *art.* 4. *dub.* 4. & aliis. Imò Hurtadus *de sacrificio Missæ disp.* 5. *d. sect.* 2. credit, vt pueri hoc præcepto teneantur, sufficere vsum rationis imperfectum sufficientem ad peccatum veniale; sicut etiam sufficit vt teneantur præcepto non occidendi, & non mentiendi, etiam si nullius transgressione peccent mortaliter, quia à culpa mortali excusantur ob imperfectionem deliberationis. Filliuc. verò *tom.* 1. *tract.* 5. *c.* 7. *n.* 217. & Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 1. docent pueros communiter incipere habere vsum rationis, cùm septennium attingunt, aut saltem explent, & in hac ætate hoc præcepto obligari. Ratio conclusionis est, quia vnusquisque fidelis cùm ad annos discretionis peruenit, obligatur præceptis Ecclesiæ, tenetur enim eodem tempore confiteri, abstinere à carnibus. ergo, &c.

2. Non desinam tamen hic apponere opinionem Iacobi Marchantij *in Candel. sacram. qq. Pastoral. tract.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 2. vbi sic asserit. Quæro secundò, qua ætate obliget præceptum Missæ? Respondent Doctores obligare post septennium, quia tunc incipit discretio. Sed licèt verum sit, quod ex tunc ac etiam antea pueri assuefaciendi sint ad audiendam Missam, illos tamen statim ac vsus discretionis incipit dicere obligatos sub peccato mortali, videtur mihi rigidum. Tum, quia Ecclesia pia mater non videtur velle obligare tam rigidè statim ac potest, tum quòd practicè videamus maiorem partem puerorum etiam decimum annum attingentium in Ecclesia tempore Missæ, huc illuc circumspiciendo sine attentione requisita, aut etiam sociis considere, colloqui, nugari, nec vim præcepti talis apprehendere. Qui verò eos statim peccati mortalis velit condemnare? Non quòd velim dicere eos non esse capaces peccati mortalis ob ætatem, nam si hoc sit verum, non est difficultas, sed quòd licet, in rigore loquendo, sufficientem ætatem & discretionem haberent ad aliquod peccatum mortale committendum, non videatur tamen Ecclesia tanta sub obligatione, seu vinculo tam arcto eos velle statim obstringere, donec perfectiorem rationis vsum assequantur, qua diuina mysteria pleniùs apprehendant, & obligationem ac attentionem, qua illis interesse oportet, pleniùs intelligant. Quòd ferè ordinariè circa tempus idoneum, quo idoneitatem incipiunt habere ad Eucharistiæ sacramentum, putarim contingere, quod ipsum Confessarij prudenti iudicio venit expendendum, aliàs antea solùm venialiter existimatim peccare ob apprehensionem imperfectam, tum mysteriorum, tum præcepti ex imperfecto adhuc rationis vsu prouenientem, per quam fit vt facile negligant attentionem requisitam, & magis præsentes ibi sint corpore, quàm mente? Huc vsque Marchant.

RESOL. X.

An mutus, surdus, & cæcus teneantur Missam in diebus festiuis audire? Ex part. 5. tr. 6. Res. 8.

§. 1. VIdetur prima facie respondendum negatiuè nam supradicti neque per sensum auditus, neque per sensum visus possunt percipere mysteria sacrificij Missæ, ergo, &c.

2. Sed affirmatiuam sententiam docet Dominus Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *quæst.* 4. D. Antoninus *part.* 1. *tit* 9. *cap.* 10. §. 1. Syluester *ver. Missa* 2. *quæst.* Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. Nauarr. *in manuali c.* 21. *n.* 8. Præpositus *in* 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. *dub.* 5. *n.* 221. & Fagundez *prat.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 3. vbi sic ait: Hinc patet euidenter teneri illum qui simul est mutus & surdus & cæcus, Missam audire, cùm, moraliter loquendo, sensu aliquo externo præsentialiter adesse, & ad id, quod fit, possit attendere, idque percipere. Ita Fagundez: & ratio est, quia *audiendi* verbum oppositum *in cap. Missas, de consecrat. distinct.* 1. non sumitur præsè & strictè, sed latè: *audire* enim hoc loco nihil aliud significat, quam voluntariam alicuius in loco, vbi Sacrum celebratur, præsentiam, ita vt is Missam audire iudicetur, qui sponte Missæ sacrificio interest: sæpe enim contingit, vt Missa priuata ita submissa voce dicatur, vt nihil ab adstantibus audiatur, & tamen præcepto Ecclesiæ satisfaciunt, qui præsentes sunt; aliquando etiam adeò magna est populi frequentia, vt Missa non ab omnibus audiatur, & tamen qui præsentes adsunt, præceptum seruant. Vnde, vt diximus, surdi, qui nihil audiunt, & cæci, qui nihil vident, tenentur Missam audire, & à præcepto minimè excusantur.

RESOL. XI.

An Serenissimus Senatus Venetus, & omnes alij, qui audiunt Missam in Templo D. Marci dicti soleant à Primicerio illius Ecclesiæ ante medium nullis, sine-

facium

faciant præcepto audiendi Miſſam in die Natiuitatis Domini?

Idem eſt dicendum de audientibus Sacrum, quod in capella Pontificia dicitur ante mediam noctem in prædicta nocte Natiuitatis Domini?

Et obiter notatur, quod ſemper Primicerius Templi S. Marci Veneti celebrat ieiunus in prædicta nocte, quod non accidit in Cardinali celebrante in ſupradicta nocte in capella Pontificis, quia ſaltem Pontifex diſpenſat tacite, vt Sacrum in capella Pontificia dicatur à Cardinali non ieiuno? Ex part. 10. tr. 14. & Miſc. 4. Reſ. 37. alias 35.

§. 1. CAſus eſt curioſus; & ad illum negatiuè reſpondet Pater Paſqualigus, *deciſ.* 312. *Mor. num.* 7. quia negauit audientes Miſſam ab Eminentiſſimo Cadinali dici ſolitam in Capella Papali ante mediam noctem, ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam in die Natiuitatis: ergo & in caſu noſtro. Probatur hæc opinio, quia quis non poteſt ſatisfacere præcepto niſi tempore, in quo actu adeſt obligatio præcepti: Sed in noſtro caſu quando auditur Miſſa, non auditur in tempore, quò adeſt obligatio præcepti, quia illa Miſſa dicitur ante mediam noctem: ergo audiendo illam quis non ſatisfacit præcepto audiendi Miſſam in die Natiuitatis.

Alibi in Reſol. ſeq.

2. Sed ego alibi affirmatiuam ſententiam ſuſtinui contra Paſqualigum: & ita nouiſſimè contra illum tenet Leandrus *de Præceptis Eccleſiæ, tr. 2. diſp. 1. q. 27.* cui adde doctiſſimum Ioannem Dicaſtillo *de Sacram. n. 1. tr. 4. diſp. 9. dub. 17. q. 7. n.* 404. *&* 407. vbi ſic ait: Notandum eſt intra diem ſolemnitatis Eccleſiaſticæ, non omnia munia, ſeu actiones, & functiones, quæ in tali die permittuntur, aut requiruntur; quouis tempore, ſeu hora illius diei eſſe licita aut permiſſa, ſed aliqua in quibuſdam horis, alia in aliis: ſic videmus Sacrum (excepto die Natiuitatis) non poſſe dici ſine priuilegio tempore nocturno, ſed tantùm ſub Aurora vſque ad meridiem, aut aliquanto poſt, plus minuſue, iuxta varias ſententias. Præterea, vt rectè notat Thomas Sanchez *Conſiliorum Moralium, lib. 7. cap.* 1. licèt quoad contractus, & alia huiuſmodi, dies incipiat à media nocte, tamen quantum attinet ad Officium Diuinum, & celebrandum Eccleſiaſticas ſolemnitates, incipit dies à Veſperis. Pro qua ſententia refert D. Thomam, *Quodlibet. 5. art.* 28. in corpore, Caietanum, *verb. Hora*, & alios Doctores. Nihilominus non omnes Horæ Canonicæ dici poſſunt poſt Veſperas & Completorium, ſed tantùm Matutinum, & Laudes; Prima verò, Tertia, Sexta, & Nona non niſi ſaltem poſt mediam noctem, ſecluſo ſpeciali priuilegio. Atque hac ratione dicendum eſt de Miſſa, non poſſe dici poſt Veſperas, ſi poſtea ſub Auroram, quia pro eo genere celebritatis eſt determinata quædam temporalis latitudo; non quia nondùm ſimus intra diem Feſtiuitatis Eccleſiaſticæ, ita, vt, ſi per nefas diceretur Sacrum, non diceretur intra Feſtum, cum iam ſimus in illo; ſed quia intra ipſam diem non ſumus in horis legitimis ad id faciendun. Vnde, ſi Pontifex diſpenſet, vt per aliquas horas aliquando anticipetur, vel poſtponatur Miſſa, non cenſetur diſpenſaſſe vt dicatur extra diem Feſtiuitatis; ſed intra ipſum diem, indulgendo vt poſſit prius, vel poſtea celebrari. Iuxta hanc ergo doctrinam dicendum eſt, pontificem pro Sacello ſuo, de quo agimus, diſpenſare, vt Sacrum celebretur ante mediam noctem pro ſolemnitate Natiuitatis: illud tamen Sacrum ſpectat ad diem Natiuitatis; non quia anticipetur dies Eccleſiaſtica Feſti Natiuitatis quæ à Veſperis iam incipiet; ſed quia permittit, aut forte mandat, vt tale Sacrum dicatur ante horas ſolitas in aliis diebus; (hoc enim vbique gentium fit illa nocte celebrando ſtatim poſt mediam noctem) ſed etiam ante horam ſolitam in cæteris Eccleſiis pro illa nocte, & vt hoc fiat, diſpenſat in ieiunio ſeruari ſolito, vt poſſit Cardinalis celebrare. Itaque dico, illam Miſſam cenſeri dici intra diem Natiuitatis, quæ Eccleſiaſticè incipit à Veſperis, durante nihilominus die Vigiliæ quantum ad ieiunium generale pro tota Eccleſia, & quantum ad hoc, vt Sacerdotes, aut alij obligati ſatisfaciant priuatim præcepto legendi horas ipſius Vigiliæ, ſi illas tunc dicant; quod commune eſt pro aliis etiam Feſtiuitatibus, in quibus durante ſpatio; quo quis poſſet implere obligationem Officij illius diei, incipit nihilominus altera dies, quæ habet initium à Veſperis. Cùm ergo per Priuilegium, aut Indulgentiam Papæ anticipetur illud Sacrum; & legatur intra Feſtum quidem, ſed ante conſuetam horam mediæ noctis, non eſt cur negemus tale Sacrum ante mediam noctem dictum ſufficere, vt qui illi aſſiſtat, impleat præceptum audiendi Sacrum. Sicut eò ipſo, quòd iam ſiue Priuilegio, ſiue conſuetudine vſu receptum eſt, vt Matutinæ Horæ anticipentur, conſequenter etiam, qui ex voto, vel regula teneretur aſſiſtere Horis Matutinis, impleret præceptum audiendi Matutinum, etiam anticipatò, & idem eſſet, ſi anticiparetur tempus aliarum Horarum. Sicut de facto non implet Sacerdos præceptum dicendi Matutinum, dicendo anticipatò, & impleret tunc præceptum Miſſæ audiendæ dicendo illam anticipatò ex Priuilegio. Hucuſque Dicaſtillo, loquens de Sacro, quod capella Pontificia dicitur; quæ omnia procedere in Sacro, quod dicitur in Templo D. Marci firmandum eſt.

Sup. hac diſpenſatione, in Reſ. 1. nor. ſeq. § 1. Adid & in tom. 3. tr. 1. Reſ. 55. §. Hoc ſuppoſito. in fine, & ſeq.

3. Confirmatur hæc opinio, nam eò ipſo quod per conſuetudinem, vel Priuilegium diſpenſatur Primicerio D. Marci, vt ante mediam noctem celebret Miſſam Natiuitatis, cenſetur etiam diſpenſatum, vt audientes illam ſatisfaciant præcepto, nam acceſſorium ſequitur naturam principalis, & audire Miſſam vt ipſemet Paſqualigus *vbi ſuprà*, *num.* 8. concedit, ſubordinatur celebrationi.

4. Nota verò, quod Cardinalis Lugo vt alibi notauimus exiſtimat, Miſſam quæ celebratur in Capella Pontificia, non ſolùm eſſe Miſſam diei, ſed Miſſam celebratam in die Natalis Domini, ex eo quod exiſtimat Eccleſiam pro illa vice anticipare diem ſequentem per aliquot horas, quia cùm Eccleſia computet dies à media nocte vſque ad mediam noctem, pro illo loco, & pro illa noctem anticipat diem ſequentem, cùm pendeat ab hominum placito, quando incipiat dies: data ergo hac dici anticipatione, verè celebratur prædicta Miſſa in ipſo die Natalis Domini ac per conſequens illam audiens, verè audit Miſſam Natiuitatis, & in die Natiuitatis, & conſequenter verè ſatisfacit obligationi audiendi Miſſam in die Natalis. Sed hæc doctrina, credo quod ipſemet Cardinalis non concederet pro Templo D. Marci, quod patet; nam ſi ita eſſet, primicerius poſſet dicere illam Miſſam non ieiunus, quod nunquam accidit: nam ſemper Primicerius in illa nocte celebrat ieiunus: Ergo. Adde, quod doctrinam ſuperius adductam à Cardinali Lugo pro Capella Pontificia, Dicaſtillus *vbi ſuprà*, acriter impugnat, reſpondendo ad omnia argumenta adducta à Cardinali Lugo, ex cuius opinione putat plura incommoda oriri. Quæ quidem à fortiori procederent, ſi id quod dixit Cardinalis Lugo de Capella Pontificia, aliquis vellet dicere de Templo D. Marci in illa nocte Natiuitatis. Igitur, aſſerit Dicaſtillus, reuera Pontificem ſaltem tacitè diſpenſare, vt Sacrum in Capella Pontificia dicatur à Cardinali non ieiuno, abſque vlla anticipatione diei, vt vult Lugo: ſed illud Sacrum dici

Alibi in Reſol. ſeq. à lin. 3. & ſupra in tr. 1. Reſ. 108. §. Nec paulo poſt initium, à verſ. Primo.

Sup. hoc Primicerio in tom. 3. tr. 1. Reſ. 55. §. Vnde. prope finem, verſ. vt ſicit.

dici intra Festiuitatem Ecclesiasticam Natiuitatis Christi sine vlla diei anticipatione. Et hoc vltimum dicendum est etiam de Sacro quod dicit Primicerius in Templo D.Marci, non autè de dispensatione ieiunij; nam, vt obseruatum est, Primicerij Sancti Marci semper celebrant in illa nocte Natiuitatis ieiuni, & eorum Missam audientes dicendum est satisfacere præcepto audiendi Missam in die Natiuitatis, per ea, quæ supra adduximus ex Dicastillo, & Leandro.

Adhæsit in Resol. seq.

5. Nota tamen, quod non obstantibus superiùs dictis, contra opinionem Cardinalis Lugo, tamen illam esse satis probabilem existimo; cui ego olim adhæsi, & vt talem admittit Auersa, Tamburinus, Leandrus, & alij: Et ad inconuenientia, quæ tam ingeniosè excogitauit amicissimus Pater Dicastillo, respondere quis posset, quod quando Cardinalis Lugo asserit, Pontificem pro illa nocte Natiuitatis anticipare diem pro suo Sacello, intelligendum esse tantum, & dumtaxat, quoad Cardinalem celebraturum Missam, & quoad astantes illam audituros, & non quoad alia: Vnde quis tunc non posset in dicto Sacello comedere carnes, nec alij facere ea omnia, quæ tanquam inconuenientia enumerat Dicastillus *vbi supra*, contra Lugum, & ita vt dixi, puto vtrorumque sententiam probabilem esse: & stando in vtroque, dicendum est cum Leandro contra Pasqualigum, audientes Missam Cardinalis in Sacello Pontificio, & Primicerij D.Marci in eius Ecclesia satisfacere præcepto audiendi Missam in die Natiuitatis Domini, nec aliam audire tenentur.

RESOL. XII.

Sup. prima diffic. huius tituli in Resol. prætetita.

An quis satisfaciat præcepto si audiat Missam Natiuitatis, quæ coram Summo Pontifice in illa nocte ab Eminentissimo Cardinali celebratur?

Et an in tali casu Pontifex anticipet diem sequentem, vel dispenset, vt Cardinalis celebret non ieiunus?

Ex part.7. tr.12. & Misc.3. Resol.12.alias 10.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Card. de Lugo *de sacram. Euchar. disp. 15. sect. 2. num. 56.* quia putat summ. Pontificem tum pro illo loco, & pro illa nocte anticipare diem sequentem, cùm hoc pendeat ex eius beneplacito, & ideo audientes illam Missam satisfaciunt præcepto audiendi Missam in die Natiuitatis.

Sup. quæst. contenta à lin. 3. huius textus, in Resol. præterita §. penult. & vlt. & supra in tr. 1. Resol.10.8.§. Nec. paulo post initium, à vers. Primo, quia.

2 Sed noster Pater Pasqualigus *tom.1. decis.312. num.4.* tenet summum Pontificem, in tali casu non anticipare diem sequentem, quia alioquin non dispensaret cum Breui speciali, vt quotannis facit cum Cardinali celebraturo, vt possit non ieiunus celebrare: nam si anticiparet diem, vt vult Eminentissimus Cardinal. de Lugo, vt Missam diceret, non egeret dispensatione, quia celebraret ieiunus, stante anticipatione diei facta per Ecclesiam, & per Pontificem, & ideò ipse tenet audientem talem Missam non satisfacere præcepto; sic enim *num.7.* asserit. Ad primum ex iis, quibus suadebatur hæc anticipatio diei, Respondeo concedendo non satisfacere præcepto audiendi Missam in die Natiuitatis Domini, qui illam audiret; quia licet sit Missa diei, non est tamen in die, neque præceptum obligat ad audiendam Missam diei; sed Missam in die. Vnde si in die festo celebraretur Missa, quæ non esset Missa diei, (vt contingere potest, si celebretur Missa solemnis votiua) qui illam audiret, satisfaceret præcepto. Neque hoc est contra intentionem Pontificis, quia aliud est, quod velit celebrari illam Missam pro festiuitate Natiuitatis: & aliud, quod velit celebrari in ordine ad satisfaciendum præcepto; non enim hoc intendit; sed tantum primum. Ita Pasqualigus.

3. Sed ego existimo audientes talem Missam præceptum adimplere, sequendo sententiam Eminentissimi Domini mei Card. de Lugo, de anticipatione diei.

4. Ad id autem quod P.Pasqualigus asserit Pontificem quotannis dispensare cum Cardinali celebraturo, vt possit non ieiunus celebrare, expediendo super hoc speciale Breue, vel Cardinalem celebaturum manere toto die vigiliæ Natiuitatis ieiunum, & post celebrationem cœnare: ergo non anticipatur in Capella dies, vt vult Cardinalis de Lugo, Respondeo non esse verum. Nam, ego interrogaui Illustrissimum Dominum meum Maraldum, & plures ministros Curiæ, & firmiter testati sunt mihi, nunquâ Cardinalem in illa nocte celebrasse virtute Breuis Pontificij, dispensantis in ieiunio, Magistro Cœremoniarum Sanctissimi D.N. etiam testante, & hoc patet etiam ex vniuersæ Vrbi, Cardinalem in vigilia Natiuitatis Domini mane comedere, licet sero in collatione, sicut solita in Palatio Apostolico nihil sumat. Et tandem pro coronide huius Resolutionis sciat Lector opinionem Eminentissimi Cardinalis de Lugo docere nouissimè doctum P.Raphaëlem Auersam *de Sacram. Euch. quæst. 8. sect.8.* vbi sic ait. In nocte autem Natalis Domini, in Capella Pontificia, vbi celebrari solet Missa aliquantum ante mediam noctem, dici debet ipso Pontificis inchoari dies illius solēnitatis ab ea hora in qua inchoatur Missa, & hoc solùm pro Presbytero Cardinali celebrante: & pro aliis audientibus illā Missam non pro aliis personis, nec extra illum locum, & non ad alios effectus. Ita Auersa. Sed si aliquis vellet itare in opinione P.Pasqualigi negantis anticipationem diei, adhuc assero, audientes Missam de qua loquimur satisfacere præcepto, nam in nostro casu concurrunt tales circumstantiæ, vt præsumendum sit ex rationabili summi Pontificis voluntate ipsum velle audientes talem Missam satisfacere præcepto, cùm ipse dispenset, vt Cardinalis non ieiunus celebret coram se, & tota Curia, & dicat Missam Natiuitatis: Ergo tacitè & implicitè dispensat, vt qui intersunt, præceptum adimpleant; nam dispositum in vno correlatiuo censetur & dispositum in alio. Et quidem durum esset supponere velle Summum Pontificem suæ personæ assistentes, & tunc Missam Natiuitatis ex sua dispensatione celebratam audientes teneri postea sub onere peccati mortalis statim iterum eandem Missam audire: vnde, vt dixi, præsumendum est ex benigna, & rationabili mente Summi Pontificis; eo ipso, quod in tali loco, & tempore, & cum dictis circumstantiis sciat coram se celebrare, quod velit eos, qui tali Missæ intersunt, præcepto satisfacere. Itaque vt Summus Pontifex in ea nocte dispensat, vt Cardinalis non ieiunus anticipatè possit celebrare Missam Natiuitatis, ita rationabiliter præsumendum est dispensare, vt audientes dictam Missam, etiam anticipatè satisfaciant præcepto. Quod apertè confirmatur; nam alioquin sequeretur, quod ipsemet Cardinalis celebrans teneretur sub peccato mortali audire, vel celebrare Missam mane Natiuitatis, quia Missa, quam ipse celebrauit ante mediam noctem; non fuit Missa celebrata in die Natiuitatis; ergo non satisfecit præcepto: quod asserere nimis videtur durum. Ergo dicendum est, quod tam ipse Cardinalis celebrans, quam eius Missam audientes, satisfaciant præcepto dicendi, vel audiendi Missam, licet illa Missa physicè non dicatur in die Natiuitatis, neque teneri postea aliam Missam dicere, vel audire; & hoc, quia eo ipso, quod Summus Pontifex dispensat, vt Missa Natiuitatis coram ipso, & tota Curia anticipatè dicatur, dispensat etiam,

dicatur; diſpenſat etiam, & celebrans, & adſtantes anticipatè ſatisfaciant obligationi.

RESOL. XIII.

An famuli qui non habent aliud tempus confitendi, niſi dum dicitur Miſſa, ſatisfaciant præcepto audiendi Sacrum in diebus feſtiuis?

Et curſiſſime docetur licitum eſſe ob notabile commodum temporale etiam à Sacro abeſſe in die feſto, ſi alia ratione id obtinere quis nequit.

Et aduertitur, quod ad ſatisfaciendum Miſſæ abſolutè non eſt opus audire verba, aut videre ſacrificantem, ſed ſufficit, vt interſit cum reuerentia, vt Sacrificium ſua præſentia honoret.

Et an ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam Religioſus, vel Sacerdos podagra laborans, qui audit Miſſa, & ſimul excipit confeſſiones Nouitiorũ, vel peccata venialia aliorũ? Ex p. 10. tr. 14. & Miſc. 4. Reſ. 47. alias 45.

§. 1. AFfirmatiuè reſpondet Leſſius *in Auctario Caſuum conſcientiæ, poſt part. 2. diui Thomæ verb. Miſſa, caſ. 2. num. 8.* vbi ſic ait: Omninò tamen videntur excuſandi, quibus ratione negotiorum, vel quia ſunt in obſequio aliorum, non eſt integrum aliud Sacrum audire. Idque ex duplici, vel triplici capite. Primò, per Εικικειαν: Si enim legiſlator eſſet præſens, & omnes circumſtantias noſſet, non vellet illos obligare. Nam haud dubie mauult ſummus Pontifex illos tali modo Sacro intereſſe, cum tanto fructu ſpirituali, quem ex confeſſione percipiunt, quàm ſine illo fructu perfectius ad Sacrificium Miſſæ attendere. Secundò, ratione lucri ſpiritualis, quo alioquin priuarentur. Si enim ob notabile commodum temporale licitum eſt etiam à Sacro abeſſe, ſi alia ratione id obtineri nequit, vt omnes fatentur, cur ob ingens lucrum animæ, quod alia ratione conſequi moraliter non potes, non liceret tibi imperfecto illo modo Sacrum audire? Addo; ad ſatisfaciendum præcepto abſolutè, non opus eſſe audire verba, aut videre Sacrificantem; ſed ſufficere, vt interſit cum reuerentia, vt Sacrificium ſua præſentia honoret, Vnde ſufficit attentio quædam confuſa, qua aduertat tibi Sacrificium offerri, vt docet Ioannes Medina *Cod. de Conſeſſ. quæſt. 44.* quæ attentio videtur ſtare poſſe cum actu confitendi, præſertim ſi ille actus dirigatur ad participandum Sacrificio: Tunc enim intendere illi actui, eſt implicite intendere ipſi Sacrificio, & illud honorare. Denique ſicut præceptum de abſtinendo ob opere ſeruili die Feſto non prohibet opera recreationis, vel alicuius neceſſitatis temporalis; ita præceptum audiendi Sacrum non prohibet exercitium orationis, aut alterius operis Spiritualis. Ita Medina ſupra. Ex quibus ſatis probabile iudico etiam eos non teneri ad alium Sacrum audiendum, quibus ſat temporis ſuppeditat, ſi bonam ſaltem partem extra confeſſionem audierint, aut proinde ſub peccato mortali non cogendos tanquam obſtrictos, ſed hortandos tanquam ad id, quod tutius eſt, & decentius. Hucuſque Leſſius. Quæ quidem omnia à fortiori concederet Pellizzarius in *Manuali Regularium, tom. 1. tract. 5. cap. 4. ſect. 2. num. 50.* vbi admittit tanquam probabilem opinionem Reginaldi aſſerentis, quem implere præceptum Miſſæ, ſi tunc confiteatur ſacramentaliter, etiam per partem notabilem.

Sup. hoc in fin. Reſ. 12. §. vlt. & ſupra in tr. 1. et doctrina Reſ. 92 inter medium, & finem, verſ. poſſit enim. & ſupra in hoc ipſomet tr. in Reſ. 10. §. 2. ad medium

2. Sed tantum ego excuſarem abſolutè quemcumque, ſi à principio Miſſæ vſque ad Euangelium incluſiuè peccata ſua confiteretur, nam in tali caſu ſatisfaceret præcepto audiendi Miſſam ſicuti ſatisfaceret etiam Confeſſarius qui exciperet confeſſiones non de peccatis mortalibus, ſed tantum de venialibus; quia in iſtis audiendis non eſt neceſſaria attentio nimia, nec multum interrogandi ſunt pœnitentes. Vnde ego olim aſſerui ſatisfeciſſe præcepto audiendi Miſſam quemdam Religioſum podagra laborantem, qui audiebat Miſſam, & ſimul excipiebat confeſſiones Nouitiorum. Vnde Leandrum *de præceptis Eccleſia, tr. 2. diſp. 1. quæſt. 71. & 72.*

RESOL. XIV.

An excommunicatus maiori excommunicatione, ſi in die feſtiuo ex præcepto audiat Miſſam, & poſtea obtineat abſolutionem excommunicationis, teneatur iterum audire aliam Miſſam?

Et curſim docetur, quod ſi quis audiret Miſſam animo non ſatisfaciendi præcepto, ſi poſtea mutet animum, non teneatur audire aliam Miſſam.

Et an in caſu quod promulgetur præceptum audiendi Miſſam aliqua die poſtquam Petrus ea die ex deuotione Sacrum audiuit, teneatur ad ſecundam auditionem?

Ex quo infertur, quod ſi quis mane communicauit, & poſt prandiũ inciderit in articulum mortis, non tenetur iterum ſumere Euchariſtiam.

Supereſt adhuc alia difficultas, an excommunicatus, qui ob negligentiam ſuam perſeuerat in excommunicatione, peccet contra præceptum audiendi Miſſam?

Et an idem dicendum ſit de infirmo negligente in procuranda ſalute, & viribus; & de carcerato negligente in procuranda libertate?

Et an ſit diſpar ratio inter hoc præceptum, & præcepta Confeſſionis annuæ; & Communionis pro ſupradictis excommunicatis, carceratis, & infirmis?

Et an peccet non audiendo antea Sacrum, qui prænidet de proximo ſe reddi impotentem, ad illud audiendum incurrendo in excommunicationem, vel ſe inebriando, aut ingrediendo peregrinationem, vel iter voluntarium, &c. Ex part. 10. tract. 14. & Miſc. 4. Reſ. 12. alias 10.

§. 1. CAſus eſt curioſus; & ad illum affirmatiuè reſpondet Baucius *in Miſcellaneis caſuum conſcientiæ, tom. 1. quæſt. 534.* vbi ſic ait: Si excommunicatus ſciebat ſe non potuiſſe audire Sacrum, dum erat innodatus tali cenſura, & hoc non obſtante audiuit Miſſam, an teneatur audire aliam Miſſam, poſt obtentam abſolutionem ab excommunicatione, ſi tempus celebrationis Miſſarum in die Feſto, non ſit adhuc elapſum. Reſpondetur teneri aliam audire poſt obtentam abſolutionem ab excommunicatione; & ratio mihi eſt, quia audiuit Miſſam excommunicatus, tempore quo non obligauit Eccleſia ad audiendum Sacrum; puta tempore excommunicationis, immò in illo tempore præcipit Eccleſia, vt non audiatur Miſſa ſub pœna peccati mortalis, quia communiter docent Doctores quod communicatio in diuinis excommunicato, vel interdicto, eſt interdicta ſub mortali, ſed quando non adeſt obligatio adimplendi præceptum, non poteſt anticipate adimpleri, puta pro tempore futuri præcepti: ergo non poteſt excommunicatus ſatisfacere Miſſæ pro tempore, quo erit obligatus ad illam audiendam, ſed debet eam audire, quando currit præceptum audiendi; ante verò abſolutionem obtentam, non currit præceptum audiendi Miſſam, poſt abſolutionem currit præceptum: ergo tunc tenetur audire Sacrum: de hoc caſu doctrina

Sup. hoc in Reſ. ſeq. §. 1. prope finem, verſ. Ex quo infertur.

punctualis non reperitur, sed ex aliis principiis potest deduci; sed ratio supra assignata est satis rationabilis. Hucusque Baucius.

2. Sed licet hæc omnia ingeniosè excogitata sint, tamen habeo aliquam difficultatem: Nam licet in casu de quo loquitur, excõmunicatus audiendo Missam peccauerit mortaliter, ratione prohibitionis Ecclesiæ, non tamen ex hoc sequitur, quod post obtentam absolutionem debeat aliam Missam audire: nam substantia præcepti nempe auditio Missæ iam fuit adimpleta, licet cum peccato mortali; quod non officit ad satisfactionem præcepti, quod solum mandat Missam audire, & hic reuerà audierit Missam. Vnde si aliquis audiret Missam animo expresso non satisfaciendi præcepto, si postea mutet animum, non tenetur audire aliam Missam, quia iam illam audiuit.

3. Nec valet dicere cum Baucio, quod quando non adest obligatio adimplendi præceptum, non potest anticipate adimpleri: nam respondeo, quod in nostro casu moraliter adest obligatio præcepti. Et ita Cardinalis Lugo, & alij docent, quod si quis communicauit mane, & post prandium inciderit in articulum mortis, non tenetur iterum sumere Eucharistiam, quia mane satisfecit præcepto sumendi Viaticum pro articulo mortis, quod in tali casu moraliter eius obligatio mane extabat. Hinc in propriis terminis de præcepto audiendi Missam, doctus Pater Pallauicinus, vt alibi adnotaui, docuit, *lib. 4. de Iust. & Iur. cap. 11. num. 95* quod in casu in quo promulgetur præceptum audiendi Sacrum aliqua die, postquam Petrus ea die ex deuotione Sacrum audiuit, non tenetur ad secundam auditionem Sacri, & tamen quando audiuit primum Sacrum non aderat præceptum illud audiendi. Ergo, &c. Ideò, vt dixi, tu cogita.

Alibi supra in Ref. 5.

4. Sed magna difficultas est an excommunicatus, qui ob negligentiam suam perseuerat in excommunicatione, peccet contra præceptum audiendi Missam. Aliqui negant, quia ex vi huius præcepti audiendi Sacrum, non obligatur quis ad procurandam absolutionem excommunicationis, quæ impedit audire Sacrum; quia non tenetur quis tam remote & à longe se disponere ad Missam audiendam; aliàs infirmus negligens in procuranda salute, & viribus, & carceratus negligens in procuranda libertate peccarent contra præceptum audiendi Sacrum. Vnde, licet istud impedimentum sit voluntarium, simul tamen est remotum, ad quod tollendum non obligatur quis ex vi præcepti audiendi Sacrum, in quo disparitatem agnoscunt prædicti Auctores inter hoc præceptum, & præcepta confessionis annuæ, & communionis tempore Paschatis. Nam hæc obligant ad mundandum animam omni peccato, atque adeò etiam ad tollendum impedimentum excommunicationis. Vnde consequenter etiam hi Auctores concedunt, quod si quis præuideat se fieri impotentem ad audiendum Sacrum incurrendo in excommunicationem, non peccat specialiter contra hoc præceptum audiendi Missam, sicut neque is, qui edit nimium, aut nociuum cibum, præuidens ob morbum se omissurum Horas Canonicas, aut ieiunia Ecclesiæ, non peccat contra hæc præcepta, nisi fecerit in fraudem præceptorum; quia ius humanum non obligat infirmos, licet culpa sua incurrerint in impedimentum. Et quidem me citato hanc sententiam negatiuã probabilem putat Dicastillo de *Sacrament. tom. 1. tract. 5. disput. 5. dub. 10. §. 2. num. 144.* & me etiam citato Leandrus *de præceptis Ecclesiæ, tract. 2. disp. 2. quæst. 5.* Non nego tamen etiam probabilem esse sententiam aliorum asserentium, eum qui præuidet de proximo reddi se impotentem ad audiendum Sacrum incurrendo in excommunicationem, aut negligit exire ab excommunicatione, in qua est, si facile possit; non solùm peccare peccato contumaciæ non parendo præcepto, ratione cuius imponitur excommunicatio; sed etiam contra præceptum Ecclesiæ audiendi Sacrum. Probatur à simili; quia, si quis aggrediatur voluntariam peregrinationem in die ieiunij, qua impeditur à ieiunio, peccat contra præceptum ieiunij, vt communiter docent Auctores. Similiter, qui in die Festo sine necessitate aggreditur iter, quo præuidet se fieri impotentem ad audiendum Sacrum, peccat contra tale præceptum; & qui ob perpetrandum peccatum fornicationis impeditur ab auditione Missæ in Festo; peccat non solùm contra Castitatem, sed etiam contra præceptum de audienda Missa, etiamsi id non faciat in fraudẽ huius præcepti: ergo similiter ille, qui in die Festo facit peccatum, cui est annexa excommunicatio, qua præuidet se impediendum ab auditione Missæ, non solùm peccat peccato contumaciæ, sed etiam contra peccatum audiendi Sacrum; sicut is, qui se inebriat, præuidens ebrietate impediendum ab auditione Missæ, aut à recitatione Horarum Canonicarum, ad quas tenetur, non solùm peccat peccato ebrietatis, sed etiam peccato omissionis Horarum, aut Missæ. Sed circa hæc exempla insurgit Dicastillo *vbi supra*, qui totam hanc difficultatem solidè, & clare, vt semper solet, pertractat, & nos infra circa similem difficultatem plura annotabimus.

Sup. hoc in tom. 5. tr. 1. Ref. 129. & 139. & in tom. 3. tr. 1. Resol. 102. §. vlt. ante medium, à vers. similiter.

Sup. hoc pro Communione magis late supra in tr. 2. Ref. 14. & in Resolutionib. not. præteritæ pro confessione & Cõmunione.

Sup. his in fine huius Resol. & in aliis §§. annot. vltimæ huius Ref.

Sup. hoc Pro Sacro audiendo

RESOL. XV.

An qui audiuit Missam à Sacerdote excommunicato tolerando, vel à degradato & depositio, aut suspenso, vel interdicto impleat præceptum Ecclesiæ de audienda Missa in die festiuo?

Et infertur eũ, qui excommunicatus audit Missam in die festo, quamuis peccet sic audiendo, si tempore opportuno eadem die absoluatur ab excommunicatione, non teneri iterum Missam audire, postquam ita absolutus, quia implet præceptum etiã excommunicatus, sicut qui in peccato mortali, vel excommunicatus in Paschate implet præceptum de communione.

Et notatur excusari ab auditione Missæ in die festiuo eos, qui non habent alium Sacerdotem quam publicè concubinarium.

Et an satisfaciat Missæ præcepto, qui inseruiens Missæ aliquando recedit à Sacrificio?

Et an satisfaciat præcepto, qui audit Missam per fenestram, interposita platea? Ex part. 10. tract. 1 & Misc. 1. Ref. 7.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 4. disp. 5. dub. 4. num. 47.* quia illa est vera Missa; materia autem generalis præcepti est auditio Missæ; & præcisè, vt est auditio Missæ, ille actus non prohibetur: nam prohibitio solùm est accidentaria, vel extrinseca Missæ, quatenus Missa est: ac proinde, licet propter accidentarium, & extrinsecum actus ille sit prohibitus, præcise tamen secundùm rationem auditionis Missæ prohibitione caret. Quod autem hic, & nunc cum circumstantiis sit peccatum; non tollit quin impleatur præceptum, quod potest impleri, & sæpè impletur per actum qui sit peccatum; vt videre est iuxtà probabilem sed tisque receptam opinionem in Communione Pas chatis: quamuis enim quis in peccato mortali eam municet, satisfacit præcepto Communionis: ita et quamuis resurgens posteà à peccato per legi mam Confessionem, aut contritionem, possit intra illos

illos dies iterùm ritè, & sanctè communicare; non teneatur: quia iam exhibuit actum præceptum ab Ecclesia, iuxtà dicta à nobis *tract. præcedenti* cum multis, *disp.* 10. *dub.* 8. vbi diximus cùm Azorio *lib.* 7. *cap.* 41. *quæst.* 12. impleri illud præceptum Ecclesiasticum ab eo, qui excommunicatus, vel alia Censura innodatus communicat, etiamsi aliàs peccet contra ius diuinum, accedendo, indignè; & contra ius Ecclesiasticum, arcens excommunicatos à Communione. Quorum omnium ratio non potest esse alia, nisi quia per illum actum ab extrinseco illicitum, & secundùm se non illicitum, fit opus illud, quòd ab Ecclesia præcipitur: Ergo potiori ratione in nostro casu. Quæ pars affirmatiua mihi placet: & ex eius fundamento patet ad argumentum pro parte negatiua: quamuis enim eadem Ecclesia, quæ præcipit auditionem Missæ, non præcipiat, nec permittat, vt in Sacris communicemus cum excommunicato non tolerato, & quod audiamus Sacrum à degradato, & deposito; tamen actum ipsum audiendi Missam secundùm se non prohibet, sed præcipit; sicut præcipit actum communicandi in Paschate: Et illa, substantia actus iam exhibetur ab audiente Missam, quamuis ex circumstantiis sit peccatum: sicut ex circumstantiis est peccatum communicare in peccato, & cum excommunicatione, vt dictum est. Ex quo infertur etiam, Eum, qui excommunicatus audit Missam in die festo; quantumuis peccet sic audiendo, si tempore adhuc opportuno eodem die absoluatur ab excommunicatione; non teneri iterum Missam audire, postquàm iam est absolutus; quia impleuit præceptum etiam excommunicatus: sicut diximus, impleuisse eum, qui excommunicatus communicauit in Paschate. Et hæc omnia docet Dicastillus *vbi supra*; & hunc casum asserit à nemine in terminis tractatum fuisse.

Sup. hoc late in Resol. præcedenti.

2. Sed ego, pace Viri doctissimi, & amicissimi, puto ab omnibus fuisse pertractatum: nam Doctores asserentes, non posse à supradictis Missam audiri, loquuntur quoad impletionem præcepti: nam illam quæstionem pertractant in ordine ad præceptum de Missa audienda; & sententiæ negatiuæ adhærent; vt patet ex Ægidio Trullench. *in Decalogum tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 6. *n.* 1. vbi sic asserit: Regulariter loquendo, à quolibet Sacerdote Missa audiri potest, non solùm validè, sed etiam licitè, modò non adsit aliqua prohibitio. Ratio est, quia Ecclesia simpliciter obligat ad Missam: ergo præceptum adimpletur cuiuscumque veri Sacerdotis non prohibiti, si Missa audiatur: secùs autem si prohibitus sit, vt sunt excommunicati, suspensi, interdicti vitandi: Ita ille, & ego.

3. Notandum est hic, quòd licèt plures Authores asserant, excusari ab auditione Missæ eos qui non habent alium Sacerdotem, quàm publicè concubinarium: vnde Nauarrus, *cap.* 15. *n.* 78. *& seqq.* dicit, non esse licitum audire Missam à concubinario, quicquid tamen sit de iure antiquo, tamen post Concilium Constantiense nemo excusatur hoc titulo delicti Sacerdotis, nisi quando Sacerdos est nominatim excommunicatus, & denunciatus, vel publicus Clerici percussor. Ita Valentia, *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 10. *punct.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 9. & alij.

Sup. contento in hoc §. vsque ad fine. annot. seq. infra in Resol. 24. §. Nota, & seq. & pro parte

4. Sed si aliquis obiter hîc quærat, an satisfaciat Missæ præcepto, qui inseruiens Missæ, aliquando recedit à Sacrificio? respondeo, qui inde recedunt, tanquam ministri: vt aliquid necessarium Missæ deferant, puta vinum, aut Hostiam, aut thus, censeri præsentes, & satisfacere; neque enim abesse censetur, qui eidem Sacrificio inseruit. Bonacina verò limitat, modò non recedant ab Ecclesia; si enim recedant, non dicuntur interesse Missæ corporaliter, atque adeò nec præcepto satisfacere; nisi fortè breui tempore absint. Quæ limitatio probabilis, sed non videtur omninò necessaria; nec enim ille censetur præsens Missæ ex eo præcisè, quod sit in Ecclesia; in qua sæpè sunt, & possunt esse, qui non censentur corporaliter præsentes Missæ, vt patet; maximè in magnis Ecclesiis, vt in Cathedralibus, sed tunc censetur quis præsens, quia seruit in eo, & cooperatur Missæ, quod potest præstare etiam extra Ecclesiam. Et ita hanc sententiam tenet Dicastillus *loco citato, dub.* 3. *n.* 43. qui *n.* 59. probabiliter nominatim contra me tenet satisfacere præcepto Missæ, qui illam audit per fenestram, interpositа platea.

In Resol. 25. cursim prope finem, vers. nam si quis.

Sup. hoc est eodem Dicastillo infrà in Resol. 17. & 18.

RESOL. XVI.

An licitum sit à Ministro existente in peccato mortali petere celebrationem Missæ, vt quis satisfaciat præcepto illam audiendi, vel sumendi Eucharistiam tempore Paschatis?

Et an hoc intelligatur, siue si Minister sit paratus ad ministrandum, siue non; siue sit meus Parochus & Pastor, siue non; modo adsit necessitas, vel iusta & rationabilis causa, & mea vtilitas?

Et in textu huius resolutionis adducuntur aliqui diuersi casus pro praxi supradictarum quæstionum. Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Resol. 63.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Ioannes Vuigers *in* 3 *part. D. Thomæ, quæst.* 64. *art.* 6. *dub. vnico, n.* 38. vbi sic ait: Non videtur tamen sufficiens ratio exigendi celebrationem Missæ à Sacerdote publico peccatore, qui non est Parochus, neque alioquin paratus ad celebrandum, eo tantùm nomine, vt quis non careat Missa die Dominico, quia reuerentia tanti Sacrificij & charitas proximi, videntur hic præponderare isti necessitati ex Ecclesiæ præcepto dumtaxat prouenienti, quod ex minoribus causis sæpiùs cessat obligare, præsertim, cùm priuata obligatione, & simul cum affectu audiendi Sacrum, possit quis in tali consequi fructum, quem aliàs, audiendo Sacrum, consequeretur similiter, neque sufficiens ratio videtur exigendi Sacramentum Pœnitentiæ à tali Ministro, vt possim communicare in Paschate, si alia non adsit necessitas. Ita ille, cui adde Sotum *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. *art.* 6. Valentiam *tom.* 4. *disp.* 3. *quæst.* 5. *punct.* 3. & alios.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 3. Resol. 44. & lege cæteras Resol. assignatas in annot. §. vlt. huius Resol.

2. Sed non minus probabiliter affirmatiuæ sententiæ ego adhæreo cum Granado *in* 3 *part. Contr.* 3. *tract.* 5. *disp. vlt. num.* 7. Hurtado *de Sacram. in gener. disp.* 4. *difficult.* 12. & Lessio *in* 3. *part. quæst.* 64. *art.* 6. *dub.* 2. *n.* 13. vbi docet, quòd si alterius Ministri non sit copia, in multis casibus licet à peccatore Ministro Sacramenta suscipere, & etiam petere, inducendo non paratum. Primò, in extrema, vel graui necessitate Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-vnctionis, Secundò, quando vrget præceptum Ecclesiasticum ad audiendam Missam, potes illum inducere ad celebrandum, modò sine scandalo possit celebrare. Tertiò, si vrget præceptum Ecclesiasticum Communionis. Quartò, si magna aliqua vtilitas Cõfessionis, aut Communionis inuitet, quæ alioquin multùm esset differenda. Colligitur ex D. Augustino, *epist.* 154. ad Publicolam, vbi ait, Licitum esse exigere iuramentum ab eo, quem scio iuraturum per falsos Deos ad confirmandos contractus, quando aliter horum fides haberi nequit. Talis enim non scelerat peccato mali illius iuramenti, sed bono pacto seruandi

Sup. hic seqq. in variis Resolutionib. to. 1. & huius to. 2. & in omnibus illorũ tractatibus pro receptione Sacramentorum, quæ in eis continentur.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 1. Resol. 21. §. 14. ad medium, & in alio vers. eius secũdæ annot.

seruandi fidem. Ratio est, quia ego peto id quod valde bonum est, quodque ipse mihi licitè potest præstare (potest enim contritionem concipere:) ergo non teneor cum tanto meo incommodo abstinere à fructu spirituali, ne ipse peccet. Confirmatur, quia si ob incommodum temporale possum exigere iuramentum ab infideli per falsos Deos iuraturo, & petere mutuum ab vsurario, quem scio vsuras exacturum: multò magis ob tantum commodum spirituale possum petere sacramentum à ministro peccatore. Dices: Tu istum Ministrum scandalizas, nam das occasionem ruinæ. Respondeo, esse scandalum passiuum, quod non teneor cum tanto meo incommodo vitare. Ita Lessius.

Sup. hoc in Res. 3. not. vltimæ huius Res.

3. Verùm Caietanus, Sotus, Sà, & alij absolutè dicunt licitum esse, petere, aut recipere à proprio Parocho Sacramentum: dummodo non petatur, vt malè administret. Probant, quia ex officio tenetur dare Sacramentum: ergo subditus habet ius ab eo petendi, & non tenetur euitare damnum spirituale Ministri sui, cum detrimento proprio, & carentia vtilitatis maximæ, quæ illi prouenit à Sacramentis, quocumque tempore recipiantur: Meliùs loquuntur Lessius, & alij, scilicet, attendendum esse, an sit alius minister bonus, à quo sine magna incommoditate possim recipere illud Sacramentum: tunc enim charitas obligat ad petendum Sacramentum à bono ministro, vt sic euitetur peccatum mortale proximi Prælati, qui malè administraturus esset. Si verò non sit alius minister bonus, licitum est, secundum Henriquez, compellere Parochum in Festis præcipuis, & Iubilæo, vt conferat Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: immò addit Suarez, moraliter loquendo sufficere generalem vtilitatem, quæ ex Sacramentis percipitur, vt petere liceat Sacramentum à proprio Pastore, licet malè sit ministraturus, dummodo alius desit, vt dicebam: hæc enim est magna vtilitas spiritualis, propter quam permitti potest peccatum Parochi, cùm sæpe peccata permittantur propter temporalia emolumenta. Deinde si prædictus malus Minister non sit proprius Parochus, aut Pastor, sit tamen præparatus ad Sacramenta ministranda, v. g. quia ipse se offert, vel in loco publico excipit Confessiones, & ministrat: Eucharistiam prædicti Authores sentiunt, licere ab illo petere, aut recipere Sacramentum, perinde ac si esset proprius Parochus: quia re vera id non est cooperari peccato ministri, aut illum inducere ad peccandum, cùm ipse iam se velut paratus offerat ad illud peccatum committendum. Tunc autem non obligat charitas, vt non accedam ad Sacramentum, & amittam vtilitatem inde mihi prouenientem. Semper autem aduertendum est, debere suscipientem accedere ad alium ministrum bonum, si sine difficultate magna inueniatur; quamuis Sotus dicat, non esse peccatum mortale tunc accedere ad malum Ministrum, nisi fortè adsit graue scandalum. Et hæc omnia docet Granadus *loc. cit.*

Sup. hoc lege doctrinã Res. annot. seq.

Sup. contento in hoc §. in tom. 1. tr. 1. in Res. 18. §. 1. & in res. 20. & 21. & ibi in tr. 3. Res. 44. & supra in fine §. 1. huius Res. & lege etiã eius § penul. & in tom. 7. tr. 5. Res. 54. §. 2. ad med.

4. Dicendum est itaque absolutè, quod quando Minister est indignus, seu impeditus, eo solùm quia est in peccato mortali, possum ab eo petere Sacramentum; etiamsi sciam ministraturum in peccato mortali, siue paratus sit ad illa ministranda, siue non; siue sit meus Parochus, siue non; modo adsit necessitas, vel iusta, & rationabilis mea vtilitas, verbi gratia, impletio præcepti; vel mihi vtile est non multum differre vsum illorum Sacramentorum: modò etiam non possim aliquem alium æquè mihi vtilem inuenire. Vide Præpositum *in* 3. *part. quæst.* 64. *art.* 6. *dub.* 2. & Coninch. *dub.* 2. Suarez *disputat.* 28. *sect.* 1. Caspensem *in Curs. Theolog. tom.* 2. *tractat.* 21. *disput.* 5. *sect.* 4. Castrum Palaum *tom.* 4. *tractat.* 18. *punct. vltim. num.* 11. Trullench. *de Sacrament. lib.* 1. *capit.* 3. *dub.* 4. & alios penes ipsos.

RESOL. XVII.

An qui audit Missam è fenestra domus suæ impleat præceptum?

Et an si quis audiat Missam stando extra Ecclesiam in eius atrio, seu Cœmeterio, satisfaciat præcepto? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Res. 154.

§. 1. Hic Panormi adsunt domus è regione Dui Dominici, & Diui Francisci, & Ecclesiæ scholarum piarum, ex quarum fenestris quis posset Missam audire, Quæritur an satisfaciat præcepto? De hoc casu olim interrogatus fui ab Excellentissimo Principe Domino meo amantissimo Marchione Hieracensi; & negatiuè respondi, nunc authoritate Filliucij *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 7. *n.* 209. vbi sic ait: Qui domi è regione, verbi gratia, fenestræ, vel portæ Ecclesiæ Missam audit, vel videt, non dicitur moraliter præsens, ideo nec satisfaciet. Sic ille. Et hanc sententiam à fortiori docet Laurentius de Portel. *in addit. ad dub. Regul. ver. An dilgentiæ, n.* 2.

2. Non desinam tamen hic admonere, mouisse Gordonum docere, quod si quis audiat Missam stando extra Ecclesiam, satisfacere præcepto; hic enim ait *in Theologia Morali*, *tom.* 2. *lib.* 6. *quæst.* 7. *cap.* 2. §. 3. *n.* 12. Debet auditurus Missam esse corpore præsens, ita nempe, vt possit vtcumque cognoscere quid agat, & in qua Missæ parte versetur Sacerdos celebrans, & dummodo hæc seruetur, satis est, etiamsi sit post Altare, vel extra Ecclesiam, sic enim morali modo, imò & physicè dici potest de numero eorum, qui in Canone dicuntur circumstantes. Ita ille, sed in casu nostro non est recedendum à negatiua sententia, nec doctrina Gordoni applicari potest, quia explicandus est in casu quo quis esset extra Ecclesiam in eius atrio, seu cœmeterio.

RESOL. XVIII.

An qui audit Missam è fenestra domus suæ, adimpleat præceptum?

Et docetur existentes post parietem Ecclesiæ, & Missam audientes, satisfacere præcepto.

Et quamuis Missa dicatur in Altari valde remoto, vel alta Turri, & esset priuata, an verè dicatur præsens illi, ac proinde satisfaciat præcepto, quamuis nec Sacerdotem videat, nec audiat? Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. Res. 49. alias 47.

§. 1. Negatiuam sententiam olim docui cum Filliucio, Trullench, Escobar, & aliis, non puto tamen improbabilem affirmatiuam, quam tuetur Cardinalis Lugo, dummodo via publica non sit tam lata. Et ipse exemplificat suam opinionem in casu quo via non sit plusquam triginta passus. Sed magis amplè loquitur Dicastillo *de Sacrament. tom.* 1. *tractat.* 5. *disput.* 5. *dub.* 4. *num.* 59. vbi sic asserit: Aduertendum est aliquos existimare, non satisfieri præcepto, si quis audiat Missam è fenestra domus, quando celebratur in Ecclesia è regione existente. Ita Filliucius, *tom.* 1. *tractat.* 5. *capit.* 7. *num.* 209. & [illegible] ex illo Diana 4. *part. tract.* 4. *resolut.* 154. vbi re fert Portellum. Rationem reddunt, quia ille non dicitur moraliter præsens. Verùm ego non video quid deficiat illi præsentiæ, vt sit moralis. Ille assistit Missæ, & potest dare testimonium oculatum, [illegible]

ibi celebretur, & omnia peracta fuerint, non minùs quàm si esset in Ecclesia, vel fortasse melius, quàm si fuisset in Cæmeterio (cùm tamen ex Cæmetorio sufficere supponat ibi Diana in fine.) Hoc totum non potest fieri sine illa præsentia morali requisita. Nec video cur, verbi gratia, quis ex fenestra suæ domus vergente ad forum, etiam interposita satis ampla platea censeatur præsens moraliter, & sectator Tauriludij Hispanici, vt incurrat censuram Sacerdos siue Sæcularis, siue Regularis, quando vigebat ea lex, pœna, & non censeatur eadem, aut longè propinquior distantia sufficiens, vt censeatur præsens celebrationi Missæ. Quod ampliùs confirmo, & declaro. Nam ea præsentia in Missa censeri debet iuxta communiorem hominum æstimationem, vt patet: talis autem censetur etiam longinquior; ergo etiam illa. Subsumptum probo multis centenis, imò millibus hominum ita censentibus. Veniebam ego olim in Classe triremium, in comitatu Augustissimæ Imperatricis Mariæ, tunc Reginæ Vngariæ: celebratur in littore, maximè diebus præceptis: nemo timoratus ibi non assistebat ex sua triremi, quando valde procul celebrabatur, duplo magis procul, aut sextuplo, quam sit distantia, de qua agimus in nostro casu, & omnes censebant se præsentes Missæ, eo ipso quod in tali loco essent, vnde aliqua ratione possent cognoscere quid ageretur. Ideo mihi placet Gordonus *Theolog. Moral. tom. 2. lib. 6. quæst. 7. cap. 2. num. 12.* qui putat sufficere, si quis sit corpore præsens, vbi possit cognoscere quid agatur, etiamsi sit extra Ecclesiam. Legatur Lugo *supra num. 21.* vbi idipsum docet, nisi sit nimia fenestræ distantia, ob maximam quandam plateam; sed hoc prudentis iudicio committendum est. Huevsque Dicastillus, cuius sententiam explicari potest in domo Illustrissimi Marchionis del Bufalo Domini mei amantissimi sita hic Romæ in Platea Diui Petri: nam si aliquis ex aliqua fenestra dictæ domus vellet audire Missam, quæ dicitur in Altari Ecclesiæ Diui Petri, certè quidem non satisfaceret præcepto, quia distantia esset nimis magna: secus autem dicendum foret, si aliqui ex fenestra eiusdem domus vellet audire Missam quam Sacerdos celebraret in Ecclesia S. Catharinæ, Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti Diui Petri: ego putarem, stante opinione Dicastilli, Cardinalis Lugo, & aliorum, quod satisfaceret præcepto: nam fenestra illa non distaret nimis ab Ecclesia, ita vt impediret moralem præsentiam necessariam pro Missa audienda. Et ita hanc sententiam, præter Doctores citatos, tenet etiam Garcias *in sum. Theol. Mor. tr. 4. diffic. 9. num. 2.* & Leandrus *de præcept. Eccles. tr. 2. disp. 1. q. 103.* & vt probabilem etiam admittit Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 1. tr. 5. cap. 5. sect. 2. n. 45.*

2. Nota hic obiter, Leandrum *vbi suprà, quæst. 105. & 106.* docere, existentes post parietem Ecclesiæ, & Missam audientes, satisfacere præcepto: Et si dicatur Missa in alta Turri, & ipsi foris existant, dummodo tamen aliquo signo, aut quouis alio modo cognoscant quid Sacerdos in Missa agat. Et ideò *in quæst. 107.* contra Cardinalem de Lugo putat, quod si aliquis in Basilica Diui Petri audiat Missam, quæ dicitur in aliqua Capella, non videdo quid Sacerdos agat, si coniungeretur multitudini quæ esset præsens moraliter Missæ, & efficeretur pars illius, ita vt esset verum dicere, esse de numero eorum, de quibus in Canone Missæ dicitur: *Et omnium circumstantium*, tunc reuerà, quantumuis Missa diceretur in Altari valde remoto, & esset priuata, verè diceretur moraliter præsens illi, ac proinde satisfacere, quamuis nec Sacerdotem videret, nec audiret, quia sufficeret ei esse partem multitudinis, quæ moraliter est præsens; surgere, genuflectere, ac pectus tundere cum aliis, &c. Et hæc ex mente Leandri dicta esse volo.

RESOL. XIX.

An quando accidit Festum Annũciationis B. Virginis in die Parasceues, sit Missa illius diei audienda sub reatu peccati mortalis.

Et an Missa illius diei non sit Missa, neque propriè Sacrificium, cùm non sit noua Hostiæ consecratio? Ex p. 2. tr. 14. Res. 62.

§. 1. SEntentiam affirmatiuam docet Nugnus *tom. 1. in 3. part. quæst. 83. art. 1. diffic. 2. fol. mihi 484.* & Vasquez *tom. 3. in 3. part. disp. 232. cap. 2. num. 18.* vbi ait: [Feria sexta in Parasceue Missam à nullo Sacerdote celebrari posse, ab hoc tamen non tollitur, quin eo die si festum aliquod consuetum ab Ecclesia seruari incidat, totus populus interesse debeat illi officio, in quo Sacramentum præsanctificatum consumitur, ex vniuersali præcepto audiendi Missam, siquidem illud loco Missæ haberi potest. Per officium autem cui populus interesse debet, intelligo non passionem, neque cæteras orationes, quæ post illam, antequam Sacramentum ex suo loco in Altare deferatur, dicuntur: sed illud tantùm, quod extracto Sacramento; & in Altari posito à Sacerdote celebratur.] Hæc Vasquez.

Sup. hoc inf. ex doctrina res. 25. §. vlt. ad medium, à vers. Sic enim Feria. & in tom. 1. tr. 3. Res. 175. §. 1. ad med. & in tom. 9. tr. 7. ex Res. 111. §. aliqui. post mediũ. à vers. Adeunt.

2. Sed aduersùs illum contratiam sententiam ego semper tenui, quam docet ex nostris P. Naldus *in sum. ver. Missa, n. 20.* & P. Molfesius *in sum. tom. 1. tr. 3. c. 17. n. 40.* Ratio est, quia Missa illius diei non est Missa, neque propriè est Sacrificium, cùm non adsit noua Hostiæ consecratio, vt probat, contra Nugnum *vbi supra*, Franciscus Suarez *tom. 3. in 3. part. disput. 75. sect. 4.* Bellarmin. *tom. 1. lib. 4. de Eucharistia. cap. 22.* Sebastianus Perecius *tract. de sacrif. Missæ, cap. 14.* Bonacina *de Sacram. disp. 4. quæst. vlt. punct. 2. num. 3.* Henriquez *in sum. lib. 9. c. 9. n. 6.* Ledelsma *in sum. tom. 1. cap. 19. conclus. 5. fol. mihi 123.* Scorzia *de sacrific. Missæ, lib. 1. cap. 5. ad 3. arg. secundæ opinionis*, qui citat Richardum, Maiorem, Gabrielem, & alios.

Sup. hoc inf. in Res 25. §. vlt. ad med. vers. Sic enim. Feria. & in tom. 9. tr. 7. ex lata doctrina Resol. 111. melius in eius §. His suppositis. & seqq.

3. Ad argumentum Vasquez posset aliquis respondere, fideles ex vi præcepti Ecclesiastici teneri audire tantùm Missam, quod est præceptum de re indiuida, & non omne id quod succedit loco Missæ, vel partem Missæ. Et post hæc scripta, inueni Sancium *in select. disp. 32. n. 13.* & Gauantum *in comment. ad Rubr. Miss. l. p. 3. tit. 29. n. 24.* docere hâc posteriorem sententiam, & ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem sub die 19. Februarij 1622. testatur Gauantus: vnde non est ampliùs Vasquez in posterum audiendus.

RESOL. XX.

An qui audit Missam post Euangelium inclusiuè satisfaciat præcepto?

Et an quis vnica Missa possit satisfacere pluribus vnam Missam petentibus sine stipendio? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Res. 196.

§. 1. DE hac quæstione alibi dictum est, nunc verò solùm addam Gaspar. Hurtadum *de sacr. Miss. disp. 5. diffic. 1.* affirmatiuam sententiam docere, sic enim ait: Omissio Missæ vsque ad Euangelium inclusiuè, seu iam dictum, si ab eo iam dicto assistatur vsque in finem, non erit mortalis: quia omissio hæc non videtur attingere grauitatem. Ita ille.

Alibi signãter inf in Resol. 23. & in Resol. 21. & 22. &c.

Sup. hoc supra in tr. 1. Resol. 33. §. Nota verò à lin. 5. & in Resol. 36. §. Notandum est, & in Res. 41. §. Item à vers. Alibi etiam.

2. Notandum est etiam hic secundum Hurtado *disput. 4. diffic. 25.* ex eo, quod sacrificium Missæ pro pluribus oblatum prosit singulis, ac si pro vno tantùm offerretur, credimus vna Missa satisfieri pluribus petentibus vnam Missam, dummodo abillis non sit acceptum stipendium, sed gratis multis personis Missa promissa fuerit, quod est valde notandum. Et ratio est, quia non est alia obligatio in Sacerdote, quàm applicandi petenti Missam fructum ex opere operato, seu ex institutione Christi, qui non minùs obuenit singulis, quàm si vnitati applicatur; & non est obligatio applicandi fructum ex opere operantis, nempe orationem; & precum, & aliarum actionum Missæ (qui minus obuenit singulis,) quia qui ea exercet ex malo fine, qua ratione nullum habent fructum, etiam satisfacit petenti Missam. Ita Hurtado ex Ægidio Coninch; sed an probabiliter, iudicent alij: nam hæc opinio multis recentioribus non placet.

RESOL. XXI.

An qui audit Missam post finitum Euangelium, satisfaciat præcepto?

Et quid si ab Offertorio vsque ad benedictionem Sacerdotis interfit?

Et cursissimè docetur, quod quis non tenetur Missæ interesse, nisi vsque ad missionem, & benedictionem Sacerdotis; & ideò non tenetur audire Euangelium S. Ioannis, si in principio Missæ audiuit aliud primum Euangelium. Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Res. 70.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Mercetus *de Sacram. q. 83. art. 6. dub. 4. notab. 4. n. 3.* Præpositus *in 3. part. q. 83. art. 6. dub. 4. n. 203.* Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 8. diffic. 35. n. 2.* & hanc sententiam ita mordicus tenet Turrianus *in selectis disp. p. 2. disput. 31. dub. 28.* vt contrariam temeratiam esse existimet.

2. Sed iste author, vt sæpiùs cum tristitia dicere sum coactus, nimis immodestè se gerit in censurandis opinionibus, & sententias, quæ in scholis doctissimæ suæ Societatis leguntur passim, eiusdemque Scriptores typis mandarunt, nunc improbabiles, nunc temerarias, non scandalosas immeritò vocat. Ideò ad propositum dubium respondendo assero, sententiam tunc esse improbabilem, licet ego negatiuam teneam: vnde non damnarem de mortali, qui Missam post dictum Euangelium audiuit vsque ad finem. Et ita hanc sententiam docet ex eadem Societate IESV, præter Hurtadum quem citaui *in 4. part. tractat. 4. resolut 196.* nouissimè Ioannes de Lugo *de Sacrament. Eucharist. disp. 22. sect. 1. num. 3.* cui adde Henriquez *lib. 9. cap. 25. num. 7.* Emanuelem Sà correctum *ver. Missæ auditio, num. 2.* Fagundez *pr. 1. lib. 2. cap. 6. num. 7.* Filliucium *tom. 1. tract. 5. cap. 7. num. 201.* Fastum *de Eucharistiæ, lib. 2. quæstione 386.* Layman *lib. 4. tractat. 7. cap. 3. num. 3.* vide etiam Patrem Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 88. sectione 2.* & ratio est, quia Euangelium Diui Ioannis iam est aliquo modo pars Missæ, & alioqui valde probabile est, non teneri fideles audire duo Euangelia in eadem Missa, alterum ipsius Missæ, alterum D. Ioannis, cùm non teneatur Missæ interesse, nisi vsque ad dimissionem, vel benedictionem, & ideò audiendo postremum Euangelium D. Ioannis in eodem tempore Missæ ab eodem Ministro, eodemque actu continuato, videtur satis compensat Euangelium in principio omissum, & satisfacere præcepto audiendi Missam, maximè quia non est necesse audire Euangelium proprij, sicut non est necesse audire Missam proprij dici festi, sed sufficit quamcumque audire. Ita Fagundez. Sed alij addunt aliam rationem, quia omissio hæc non videtur attingere grauitatē, ad constituendū peccatū mortale.

Quæ hic est Res. antecedens, & in Res. seq. in princip. & in fine, & recitāter in alia Res. eius vlt. not.

3. Non desinam tamen hic adnotare vnum, quod obseruat Layman *vbi suprà*, quod tamen non approbo, videlicet Amalarium significare *lib. 3. de Eccles. offic. cap. 36.* fideles grauis culpæ damnari non posse, si ab Offertorio (vnde principium Missæ sumendum esse ex Isidoro refert vsque ad benedictionem Sacerdotis interfint; & subdit Layman, se nihil contra communem Doctorum sententiam definere, solùm dicit, duriusculum videri, si hominem qui citra Offertorium ad Missam accessit, peccati mortalis damnemus, quod reliqua neglexerit, secluso contemptu, quando quæ principalia in Missæ Officio sunt, attentè audiuit. Ita Layman. Sed tu cogita, quæ talis omissio clarè apparet esse notabilem Missæ partem. Ergo, &c.

RESOL. XXII.

An in auditione Missæ detur paruitas materiæ?

Et an si quis non interfit consecrationi, & sumptioni, vel parti Canonis, licet reliqua omnia Missæ audiat, non satisfaciat præcepto? Ex part. 5. tract. 5. Resol. 44.

§. 1. REspondeo affirmatiuè, vt patet per ea quæ docet Coninck *de Sacram. quæst. 83. art. 6. dub. vn. num. 285.* vbi sic asserit: Constat obligationem audiendi Missam esse grauem, & consequenter eum peccare mortaliter, qui cessante rationabili causa, aut integram Missam, aut notabilem eius partem omittit, qualem secundum communem sententiam omitteret, qui veniret post Euangelium lectum, locus, si veniret antequam Euangelium legatur, si mandò totam reliquam partem audiret, quod si veniret post lectam Epistolam, & exiret statim post Communionem, communiter docent peccaturum mortaliter, & similiter qui exiret ante communionem, quia hæc est notabilis pars. Ita Coninck, cui etiam adde Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 8. diffic. 35. num. 2.* vbi sic ait: [La Missa ha de ser entera, como consta del derecho, y assi qualquiera cosa que dexare por culpa, sera pecado, y podra ser venial por poquedad de materia, quando fuesse pequeña parte la que se dexasse, como si se dexasse vno al Epistola inclusiuè. Assi lo dize Sylvestro, San Antonio, Sandoual, y otros, con tal que oyesse despues la Missa hasta el cabo: otros estienden hasta el Euangelio. Ita Sotus Y aun Nauarro dixo, que el que desde el Credo, ò Offertorio assiste à la Missa, cumple el precepto con tal, que despues oyesse leer, o lea el Euangelio. Mas esse impertinente, que para la Missa importa el Euangelio que se lea à parte harta licentia me parece que es hasta acaba la Epistola. Lo mismo seria si vno oyesse la Missa hasta la Commuion, y despues se falliesse, lo qual seria pecado venial; con todo es bien que los Curas en las aldeas reprehendan la mala costumbre, que tienen los labradores. Aduierran aqui los Doctores, que esta paruidad de materia se ha de entender fuera de lo essencial de la Missa, que si vno faltasse à la consegracion, y al consumir no oyria Missa, y si faltasse à alguna parte del Canon, aunque ella fuesse menor que el principio de la Missa hasta la Epistola se auria de iuzgar por mayor quanto à la culpa.] Ita ille. Vide Mercetum *de Sacrament. in 3. part. q. 83. art. 4. dub. 4.* Sed de hac quæstione ego etiam alibi docui esse materiam paruam si audiatur Missa post Euangelium dictum, quam

quam ſententiam nouiſſimè tenet ac tuetur Io. de Lugo *de Sacram. Euchar. diſp. 22. ſect. 1. num. 3.* qui bene aduertit, fruſtra exigi à Nauarro, quòd poſtea per ſe ipſum Euangelium omiſſum legat, ea enim lectio priuata parum refert ad præceptum audiendi Miſſam.

RESOL. XXIII.

An qui accedit ad audiendum Sacrum, dum Præfatio dicitur, & non ſit aliud, teneatur illud audire?

Et an peccet mortaliter, qui non aſſiſtit conſecrationi, licet totam Miſſam audiat?

Et an qui tamen vſque ad conſecrationem intereſſe poſſit, non cenſeatur adſtrictus vſque ad illam aſſiſtere, cum in illa parte præceptum de audiendo Sacro nequeat impleri quoad ſubſtantiam? Ex part. 3. tract. 6. & Miſc. 2. Reſ. 69.

§. 1. AFfirmatiuè reſpondeo cum Suarez *in 3 par. tom. 3, diſp. 88. ſect. 2.* & Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 1. c. 19. n. 6.* quia ea quæ à conſecratione vſque ad conſumptionem continentur, ſunt maximè neceſſaria, & per ſe primò intenta in præcepto audiendi Miſſam; nam in ipſis ſacrificij ſubſtantia conſiſtit, & ſic aliqui cenſent non aſſiſtentem conſecrationi peccare mortaliter, licet totam Miſſam audiat.

2. Sed contrariam ſententiam docet Sancius *in ſelectis, diſp. 15, num. 5.* vbi ſic aſſerit. Probabile iudico accedentem ad audiendum ſacrum tempore quo præfatio dicitur, & non extet aliud celebrandum, minimè teneri reliquiis illius Miſſæ intereſſe, quamuis oppoſitum doceant aliqui. Et à fortiori, qui tantùm poſſet vſque ad conſecrationis tempus intereſſe, non cenſeretur adſtrictus vſque ad illud aſſiſtere, cum in illa præceptum de audiendo ſacro nequeat impleri, quoad ſubſtantiam, quod vtrumque conſtat ex vſu fidelium, etiam timoratorum. Ita Sancius.

RESOL. XXIV.

An qui adeſt præſens, & audit totam Miſſam, dempto tempore conſumptionis Sacrificij adimpleat præceptum?

Et Reſolutio huius quæſtionis pendet ex illa, an conſumptio ſit de ſubſtantia Sacrificij Miſſæ?

Et infertur eum, qui de Eccleſia egreditur, quando Sacerdos vult conſecrare, & finita conſecratione ſtatim regreditur, peccare lethaliter, nec ſatisfacere præcepto?

Et quid dicendũ eſt de eo, qui tempore non ſolùm ſumptionis, ſed etiam conſecrationis ingrederetur Sacriſtiam ad afferendum aliquid neceſſarium, an ſatisfaciat præcepto de audienda Miſſa in die feſto?

Et quid etiam, ſi quis exiret extra Eccleſiam ad faciendum, vel deferendum aliquod ad Miſſam neceſſarium? Ex part. 10. tract. 14. & Miſc. 4. Reſ. 48. alias 46.

§. 1. SOlutio huius difficultatis pendet ex alia, nempe an conſumptio ſit de ſubſtantia Sacrificij Miſſæ. Et affirmatiue reſpondent aliqui. Probatur, quia ad rationem Sacrificij requiritur aliqua immutatio in Chriſto, qui eſt res oblata, nulli autem alij actioni Miſſæ videtur poſſe tribui ratio immutationis, niſi ſumptioni, per quam aliqua ratione Chriſtus immutatur; imò etiamſi quis velit ad rationem actionis Sacrificij Miſſæ, quia incruentum Sactificium eſt, nullam requiri in Chriſto immutationem, nulla eſt alia actio melior & aptior quam ſumptio ipſa, vt in ea conſtituatur ratio Sacrificij, quia Sacrificij incruenti ratio conſiſtit in repræſentatione Sacrificij cruenti: hoc autem ſumptione ipſa repræſentatur iuxta verba Pauli, *Quotieſcumque manducabitis, &c. mortem Domini annunciabitis.* Quamuis ergo etiam conſecratione repræſentetur, putant adhuc hi Auctores melius ſumptione rationem actionis Sacrificij repræſentari: ideò totam eſſentiam in eo conſtituunt. Hoc ſuppoſito; ad difficultatem in titulo Reſolutionis poſitam, negatiuè nominatim contra me reſpondet amicus noſter Pater Auerſa, *quæſt. 11. ſect. 19.* vbi ſic ait: Rurſus non eſſet cenſenda modica pars Miſſæ, illa in qua conſiſtit ſubſtantia Sacrificij: Quare ſi quis non adeſſet conſecrationi, & ſumptioni, quamuis adeſſet de reliquo toti Miſſæ, non ſatisfaceret præcepto. Qui verò deeſſet tantum conſecrationi, vel tantum ſumptioni, ſatisfaceret præcepto, admittit Lugus, *diſp. 22. num. 4.* eo quia ſub opinione manet, in qua ex his actionibus conſiſtat eſſentialiter Sacrificium. Adhæret Diana *part. 5. tr. 13. reſol. 61.* Sed potius non videtur ſatisfacere: tum quia, vt putamus, vtraque eſt de ſubſtantia Sacrificij: tum quia, etiam illi qui vel vnam, vel alteram putant eſſe de eſſentia Sacrificij, adhuc fatentur, alteram ita eſſe de integritate, & neceſſitate, vt omninò debeat in ipſo Sacrificio exerceri: quare ſic etiam, qui tenentur audire Miſſam, ad vtramque aſſiſtere debent. Ita Auerſa, ſatis quidem probabiliter.

2. Sed ego non diſcedo à ſententia quam docui; & quam nouiſſimè docet Leandrus *de præcept. Eccleſ. tract. 2. diſp. 1. quæſt. 44.* quia ſatis probabile eſt præfatam ſumptionem, nec partialiter adhuc pertinere ad eſſentiam Sacrificij vt probat ipſemet Leandrus cum aliis, *de Sacrament. tom. 2. tract. 8. diſp. 1. quæſt. 15.* Ergò cùm aliàs omiſſio huius partis ſit eius, & parua, non erit mortalis: vnde ex his apparet vtramque ſententiam eſſe probabilem; itaque apponam hic verba Ludouici Caſpenſis *in curſu Theologiæ, tom. 2. tract. 23. diſp. 4. ſect. 2. num. 16.* vbi ſic ait: Doctores affirmant, eum qui egreditur ab Eccleſia quando Sacerdos vult conſecrare, & finita conſecratione ſtatim regreditur, peccare lethaliter; nec ſatisfacere præcepto, & addunt idem fortaſſe eſſe ſi ante communionem diſcederet; quia vel eſt de ſubſtantia, vel maximè pertinens ad perfectionem Sacrificij: & hæc ſententia quoad priorem partem de abſentia tempore conſecrationis eſt valde conformis iis quæ ſupra docuimus; videlicet eſſentiam huius Sacrificij in conſecratione conſiſtere: vnde qui non adeſt tempore conſecrationis, præſens non eſt, neque aſſiſtit huic Sacrificio; quia verò ſub lite eſt in quo eſſentia Sacrificij conſiſtat, an in conſecratione, an verò in ſumptione, poterit in praxi amplecti vtraque ſententia: dummodo conſecratio, & ſumptio ſimul non omittantur. Ita ille; cui etiam adde Pellizzarium *in Man. Regul. tom. 1. tract. 5. cap. 4. ſect. 2. num. 52.*

3. Nota tamen ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, qui tempore non ſolùm ſumptionis, ſed etiam conſecrationis ingrederetur Sacriſtiam verbi gratia ad afferendum aliquod neceſſarium, vt me citato docet Leandrus *vbi ſuprà, quæſt. 45.* qui etiam, *quæſt. 46.* extendit hoc, etiamſi quis exiret extra Eccleſiam ad faciendum, vel deferendum aliquid ad Miſſam neceſſarium. Vnde non deſeram hìc apponere verba Patris Dicaſtilli *de Sacram. tom. 1. tract. 5. diſp. 5. dub. 3. num. 42.* vbi ſic ait: Quæri poteſt, an ſatisfaciat Miſſæ præcepto, qui inſeruiens Miſſæ aliquando recedit à Sacrificio? Reſpondeo, qui inde recedunt, tanquam miniſtri, vt aliquid neceſſarium

Missæ deferant, puta vinum, aut thus, censeri præsentes, & satisfacere; neque enim abesse censetur, qui eidem Sacrificio inseruit. Limitat verò Bonacina modò non recedant ab Ecclesia; si enim recedant, non dicuntur interesse Missæ corporaliter; atque adeò nec præcepto satisfacere, nisi forte breui tempore adsint. Quæ limitatio probabilis est; sed non videtur omninò necessaria; nec enim ille censetur præsens Missæ ex eo præcise, quod sit in Ecclesia, in qua sæpe sunt, & possunt esse, qui non censentur corporaliter præsentes Missæ, vt patet; & maximè in magnis Ecclesiis, vt in Cathedralibus, sed tunc censetur quis præsens, qui seruit in eo, & cooperatur Missæ, quod potest præstare etiam extra Ecclesiam. Ita Dicastillus.

4. Sed opinionem negatiuam, præter Fagundez, Bonacinã, & Trullench docet Castrus Palaus, *tom. 4. tr. 22. punct. 16. n. 7.* quia nescio qua ratione censeri posses præsens Sacrificio; quantumuis ob illius causam recesseris; non enim præsentia moralis cum absentia morali consistere potest. Qui autem à Templo recedit etiam occasione deferendi Sacrificio necessaria, absolutè absens est, non solùm physice, sed moraliter à Sacrificio; non igitur illi præsens esse potest. Verùm his non obstantibus, sententiam Dicastilli, & Leandri puto esse probabilem.

RESOL XXV.

An si quis adesset præsens tempore consecrationis, satisfaceret præcepto Missæ?

Et quid, si quis voluntarie, & sine necessitate exeat ante consecrationem, & vtraque facta redeat, an censeatur omisisse partem notabilem, ita vt non impleat præceptum Missæ?

Et quid, si omisisset à consecratione inclusiue, vsque ad Pater noster *etiam inclusiue?*

Et deducitur, an essentia Sacrificij consistat in consecratione, vel Communione?

Et an qui venit in medio Missæ vltimæ, teneatur saltem audire illam partem, quæ restat?

Sic etiam Feria sexta Hebdomadæ Sanctæ non tenetur quis, adesse Officio illius diei, etiam occurrente Festo?

Et an qui tempore consecrationis ingressus fuisset Sacristiam, vt afferret aliquid ad Sacrificij cultum necessarium, satisfaciat præcepto audiendi Missam?

Et docetur eum satisfacere præcepto audiendi Missam, etiamsi in illa audienda voluntariam mentis euagationem, & distractionem haberet?

Idem est in recitatione Horarum canonicarum? Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Res. 61.

Sup. hoc in Res. præterita, §. Sed ego. ante medium, vers. Doctores. Sed lege eã per totam.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Marchantius *in resol. Past. de Sacram. tract. 4. c. 6 quæst. 4.* vbi sic ait. Similiter dic, si quis voluntariè & sine necessitate exeat ante consecrationem, & vtraque facta redeat, censeri omissam partem notabilem, quia essentialis est sacrificio.

Sup. contento in hoc §. suprà in Res. 22. circa finem prope finem. à vers. Adducta.

2. Verùm affirmatiuam sententiam docet Hurtado *disputat. 5. de sacrificio Missæ, difficul. 1.* vbi ita asserit. Omissio partis Missæ à consecratione inclusiuè vsque ad *Pater noster* etiam inclusiuè, est mortalis ob dignitatem huius partis, non tamen omissio solius consecrationis, quamuis totius; bene tamen omissio totius consecrationis, & sumptionis, quamuis assistatur intermedio ob dignitatem harum duarum partium. Sic ille.

Sup. hoc sup. 1. *num. 4.* vbi ait. Quæritur, an qui non adesset Missæ tempore consecrationis, & adesset omnibus aliis, satisfaceret? Videtur quòd non, quia illa est pars essentialis, in qua essentialiter consistit substantia sacrificij. ergo qui tunc non adest, non adest oblationi sacrificij. Respondeo loquendo proprie intrinseca, ita esse dicendum, quia tamen sub oppinione est, an essentia sacrificij consistat in consecratione, vel communione, vt suprà vidimus, potest in praxi amplecti hanc, vel illam sententiam; si tamen esset consecrationis, & communionis tempore, non satisfeciisset præcepto. Ita Lugo. vbi etiam *n. 6.* quærit, an qui non potest Missam integram audire, quia venit, v. g. in medio Missæ vltimæ, teneatur saltem audire illam partem quæ restat; & post citatam meam sen. tentiam affirmantem ipse censet distinguendum, vtrum vel aliquis potest adesse consecrationi, vel non. Si potest, credo quòd teneatur illi adesse, quia illa est pars principalis, & reliqua pertinent ad eius complementum; si verò peracta sit consecratio, non tenetur reliquæ parti adesse; sic enim feria sexta Hebdomadæ sanctæ non tenemur adesse officio illius diei, etiã occurrente festo, quia deest consecratio; sed ille, qui veniret peracta consecratione, solùm adesset communioni, & orationibus, quibus etiam adesse possumus illi feria sexta. ergo non magis tenebitur adesse illi parti, quàm illa feria sexta, vtraque enim communio fit à Sacerdote vt ministro publico, & nomine Ecclesiæ, vt vidimus in superioribus. Vnde probabiliter infero qui nullo modo posset adesse tempore consecrationis, licèt posset adesse omnibus aliis partibus, nõ obligari ad eas audiendas. Ratio à priori est, quia adesse Missæ, vt videbimus, non est solum corpore adesse, sed offerre sacrificium simul cum Sacerdote offerente: qui autem non adest tempore consecrationis, non offert sacrificium illud, nisi generali ratione, sicut omnes alij fideles. ergo non obligatur ad assistendum aliis partibus, sicut in die, nec in die Paschæ non obligatur, propter eamdem rationem. dixi tamen, qui *nullo modo posset adesse*. nã si quis eo tempore ingressus fuisset sacristiam, vt afferret aliquid ad sacrificij cultum necessarium, ille aliquo modo diceretur adesse consecrationi, & facere vnum corpus, cum aliis qui assistunt. Hæc omnia P. Lugo, satis quidè probabiliter; qui etiam *sect. 2. n. 26.* me citato docet eum satisfacere præcepto audiendi Missam, etiamsi in illa audienda voluntariam internam mentis euagationem, & distractionem haberet, quod idem mecum docet in recitatione Horarum Canonicarum.

RESOL. XXVI

An qui audit Missam ab vno Sacerdote à consecratione vsque ad finem, & postea ab alio vsque ad consecrationem, satisfaciat præcepto?

Et non est dubium; quòd satisfaciat, si priorem partem Missæ prius audiat, & posteriorem posterius?

Et an aliquis possit adimplere præceptũ audiendi Missam sine graui violatione, si simul tempore audiat à duobus Sacerdotibus, ab vno à principio Missæ vsque ad consecrationem, ab altero simul tempore à consecratione vsque ad finem?

Et docetur posse aliquem eodem tempore tres Missas audire, & satisfacere præcepto, voto, & pœnitentiæ?

Idem est, si imponatur à confessario pœnitentia audiendi, v. g. duas Missas, quas pœnitens potest audire simul tempore à duobus Sacerdotibus? Ex part. 5. tr. 14. & Misc. 2. Res. 52.

§. 1. NOn est dubium, quòd satisfacit, si priorem partem Missæ prius audiat, & posteriorem poste-

seq. ad lin. 9. Et pro dific. posita à lin. 3. huius textus in duabus Res. sequ.

posteriùs. Difficultas est in casu proposito, quando priùs ab vno Sacerdote audio posteriorem partem, & deinde ab alio priorem, & neminem inueni hoc dubium pertractare, nisi Turrianum *in selectis disp. part. 2. disp. 16. dub. 7.* vbi obseruat in tali casu non paucos viros doctos existimare, non esse graue peccatum hoc facere, quando non est magna interruptio temporis, quia solùm adest hîc inuersio temporis, quæ non videtur magna deformitas, sicut dicunt Doctores de inuersione ordinis in recitatione Horarum Canonicarum, & dictus Turrianus non audet damnare hanc sententiam, sed relinquit iudicio Doctorum. Et ego, vt verum fatear, etiam non auderem damnare de peccato mortali sic audientem Missam.

2. Nota tamen hîc obiter contra Turrianum nimis quidem audacem in censurandis opinionibus, non esse improbabile, vt ipse putat *vbi supra*, posse aliquem adimplere præceptum audiendi Missam sine graui violatione, si simul tempore audiat à duobus Sacerdotibus ab vno à principio Missæ vsque ad consecrationem, ab altero simul tempore à consecratione vsque ad finem, quod probabiliter præter Doctores quos citaui *in part. 2. tract. 17. resol. 18.* docet ex eadem Societate Hurtadus *de Sacramen. tom. 2. de sacrificio Missæ, disp. 5. difficult. 4.* & Faustus *de Euchar. lib. 2. quæst. 389.* qui etiam docet posse aliquem eodem tempore tres Missas audire, & satisfacere præcepto, voto, & pœnitentiæ iniunctæ de audiendis tribus Missis. Turrianus verò *loco citato* negat, quòd si imponatur à Confessario pœnitentia audiendi, verbi gratia, duas Missas, pœnitentem satisfacere, si velit duas Missas simul tempore audire à duobus Sacerdotibus.

Quæ hîc est infra Res. 28. §. Tota, &c.

Sup. hac, & sequent. difficult. in Res. seq. §. vlt. & infra in Res. 28. §. vltim, post medium, & vers. Addicunt, & in Res. 29. prope finem, & in Res. 30. §. Hanc, ad medium, & in nom. 1. tr. 6. Res. 32.

RESOL. XXVII.

An qui audit duas partes Missæ successiuè, diuidendo partes substantiales, satisfaciat præcepto?

Et docetur non satisfacere præcepto Confessarij de audiendis Missis duabus illum, qui simul tempore ambas audiret, quod aliqui etiam asserunt de illo, qui ex voto, vel pœnitentia sibi iniuncta tenetur audire tres Missas, aut plures?

Et quæritur, an essentia Sacrificij consistat in sola consecratione? Ex part. 8. tr. 7. & Misc. Res. 89.

Sup. hoc in Res. præterita à lin. 3. & in Res. seq. §. 1.

§. 1. NEgatiuè respondet Raphaël Auersa *de sacram. Euchar. quæst. 11. sect. 19.* vbi sic ait. Irem animaduertendum est non satisfieri posse audiendo successiuè partem vnius Missæ, & partem alterius, si in vna parte contineatur consecratio, & in alia sumptio, quia sic non assisteret quis vni integro sacrificio: nec ex parte vnius, & parte alterius perficitur vnum moraliter sacrificium. Et hoc ita esse videtur, etiam si quis seruato ordine harum partium, priùs assistat consecrationi vnius Missæ, & postea sumptioni alterius; quia ex iis non constituitur vnum moraliter sacrificium. Multò magis id apparet, quando priùs quis assistit sumptioni vnius Missæ, & postea consecrationi alterius. Sicut si Sacerdos quis sumeret de corpore, & sanguine Domini consecrato in alia Missa, & denuò consecraret, sed non sumeret, vtique non diceretur ex hac duplici parte conficere vnum integrum sacrificium. In casu autem illo quo alius Sacerdos suppleret defectum alicuius, verè est vna Missa, & vnum sacrificium, & omnes assistentes satisfacerent præcepto: quia hæc vnitas non consistit essentialiter in vnitate ministri, sed in vnitate morali ministerij, dum eadem victima plenè, & perfectè sacrificatur per consecrationem & sumptionem. Et inter has duas ordo est de essentia, quia in hoc consistit ratio huius sacrificij, vt idem Sacramentum priùs conficiatur, ac postea consummetur.

Sup. hoc extrinsecum, & reciuiter in duabus primis lin. Res. præteritæ.

2. Benè tamen admitti potest satisfieri, si quis assistat vni Missæ quoad totam substantiam sacrificij, id est, à consecratione ad finem, & alteri Missæ quoad alias orationes & lectiones, vt ab initio ad partem proximam consecrationi. Et in hoc vnitas & ordo non est de essentia, sed procedit illud exemplum de Horis Canonicis. Atque in hoc potissimum sensu loquuti videntur vt plurimum Auctores prioris sententiæ, dicunt enim quando peruenit quis ad Ecclesiam proximè ante eleuationem vnius Missæ, & consequenter assistat alteri vsque ad eleuationem exclusiuè. Sed tamen hoc ipsum non laudatur, nec à veniali culpa excusatur, si absque rationabili causa contingat. Hucvsque Auersa.

3. Sed licèt hæc opinio ingeniosa, si tamen Doctores absolutè asserunt ad obseruantiam huius præcepti, satis esse integram Missam audire, etsi pars ab vno, & pars ab altero Sacerdote audiatur, & non distinguunt, an vna pars audienda debeat continere consecrationem & sumptionem, nec ne. Adde quòd aliqui satis probabiliter asserant essentiam sacrificij consistere in sola consecratione.

Sup. hoc supra in Res. 24. §. 1. prope finem, & in aliis eius not. Et sup. contento in hoc §. vlt. in Res. prætetita prope finem, & infra in Resol. 29. etiam prope finem, vers. posse, etiam pro voto cõtento in hoc §. in iisdem locis, & in aliis Res. & §§. eorum annotationum.

4. *Nota* etiam hîc obiter P. Lugo *de sacrament. Eucharist. disp. 22. num. 10.* & Turrianum *in selectis, part. 2. disp. 16. dub. 7.* docere, non satisfacere præcepto Confessarij de audiendis Missis duabus, illum, qui simul tempore ambas audiret, quod aliqui asserunt, etiam de illo, qui ex voto, vel pœnitentia sibi iniuncta tenetur audire plures Missas; sed probabile etiam quoad hoc vltimum contrarium esse, tenet Molfesius *in summ. tom.... tract. 7. cap. 17. n. 36.* Hurtadus *de sacram. Euchar. disp 5. diffic. 4.* & alij. Verùm resolutio dictorum dubiorum videtur mihi dependere ex intentione vouentis, vel Confessarij, quæ potest esse accommodata ad hoc vt satisfaciat plures Missas simul audiendo, quia reuera percipi sic potest fructus Missarum.

RESOL. XXVIII.

An Petrus satisfaciat præcepto Missæ, qui eodem tempore Sacrum duorum Sacerdotum media ex parte audiuit, nempe Missam vnius Sacerdotis vsque ad consecrationem, & Missam alterius Sacerdotis à consecratione vsque in finem?

Et quod, si has duas dimidias Missas audiat successiue, quamuis non seruet ordinem?

Et an, qui duplicem Missam audire tenetur, possit eas simul audire, dum ea in duplici Altari simul celebrantur? Ex part. 2. tr. 17. & Misc. 3. Res. 18.

Sup. hoc supra in Res. 26. à lin. 3. & in Res. 27. à principio.

§. 1. REspondeo hoc successiuè fieri posse, vt si quis veniens ad Ecclesiam tempore eleuationis Missæ reliquum illius audiat, postea partem alterius vsque ad eleuationem. Sic Nauar. *cap. 21. n. 2.* Emanuel Sà *ver. Missæ auditio, n. 2.* Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1.* Henriquez *lib. 9. cap. 25. n. 8.* Barthol. ab Angelo *de Missa*, §. 782. & alij communiter, qui asserunt hoc facere, solum esse peccatum veniale, sine iusta causa.

Sup. hoc in Res. seq. & in Res. 1. post seq. §. Et quidem, & à §. Relinquêdo, vsque in finem. Sed lege eam per totam, & su-

2. Tota ergo difficultas est, an hoc sit licitum in eodem tempore. Negat Reginaldus *tom. 2. lib. 19. cap. 2. quæst. 3. num. 26.* vbi ait. Cæterùm videtur omnino tenendum, Missæ auditionem non integrari sufficienter per duas medietates, quando quis vnam medietatem audit ab vno sacerdote, qui Missam incipit, & eodem tempore alteram medietatem, ab altero Sacerdote, qui est in medio Missæ, nam consuetudo in

Præ in Res. 2. cursim in §. vlt. & in Res. 26. §. 2. in Principio.

in contrarium, ostendit, aliam fuisse mentem Ecclesiæ præcipientis Missæ auditionem. Id quod indicare videntur verba *c. Missas speciali ordine*; inter partes verò, quæ simul sunt, non seruatur ordo.

3. Sed hæc ratio Reginaldi mihi non placet, nam illud verbum, *speciali ordine*, non videtur construendum cum verbo *audire*, sed cum verbo *præcipimus*, ita vt sensus sit, speciali ordinatione, seu lege præcipimus Missas audire. Sed audiamus Nugnum *t. 1. in 3. part. quæst. 83. art. 6. ad 3.* meliùs in hac re philosophantem, asserit enim, Actio audiendi Missam cùm sit successiua, habens veras partes, impossibile est, quòd sit simul, atque adeò quando aliquis audit simul duas Missas secundùm differentes partes, non possunt illæ duæ partes reputari, tanquam partes eiusdem Missæ, etiam, moraliter loquendo, vt reputantur, quando audiuntur in diuersis temporibus; sed ambæ simul sumptæ reputantur tanquam vnica pars tantùm; & idcirco nullo modo potest dici, quòd ille audiat integram Missam; quemadmodum si aliquis homo haberet intellectum angelicum, ita vt posset attendere ad primum versum horæ canonicæ recitando illum, & ad secundum, qui recitaretur ab alio socio, & hoc modo recitaret totam horam canonicam, res certissima est quòd non adimpleret præceptum, licèt adimpleatur recitando vnum versum, & audiendo alterum recto ordine. Hæc Nugnus, quem sequitur Coninch. *de Sacrament. in 3 part. quæst. 73. art. 6. dub. 2. n. 288.* Suarez, & alij.

Quoad hoc lege ex Res. 2. not. præteritæ §. Secundo, & §. Tertio, & §. Ad illam vero.

4. Sed non pauci contrariam tenent sententiam, quam probabilem vocat ex nostris Molfes. *in sum. tom. 1. tract. 3. cap. 17. n. 36. in fine*, nec destituta videtur ratione; nam Ecclesia non præcipit, vt Missa audiatur ab vno Sacerdote, sed simpliciter præcipit Missam audire: duæ autem medietates Missæ constituunt vnam Missam, & quamuis Missa debeat audiri secundùm suum ordinem, tamen hoc non est de necessitate præcepti, sicut alibi diximus de illo, qui horas canonicas recitat non seruato ordine, quem non peccare mortaliter probauimus. Et ideo Io. Azor. *part. 1. lib. 7. cap. 3. quæst. 5* dixit, quòd si vera est illa opinio communiter recepta, & etiam ab ipso, nempe posse aliquem satisfacere præcepto Missæ, si in diuersis temporibus audiat partem Missæ ab vno Sacerdote, & partem ab altero, erit etiam vera altera opinio, quæ concedit posse hoc fieri in eodem tempore. Nam quod pertinet, ait Azorius, ad attentionem, potest ad vtrumque animum intendere. Adducunt aliqui pro hac firmanda opinione, id quod notat Io. Maior *in 4 dist. 12. quæst. 8. dub. 1.* Ledesma *in sum. tom. 1. de sacram. Eucharist. cap. 27.* & Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 14. n. 12.* cum Scottia *de sacrificio Missæ lib. 2. cap. 20. n. 10.* nempe, qui duplicem Missam audire tenetur, posse eas simul audire, dum eæ in duplici altari simul celebrantur. Hæc apud authores circa præsentem quæstionem inueni. Non reticeam tamen Reuerendissimum D. Franciscum de la Riba, Vicarium Generalem in hoc Archiepiscop. Panormitano, virum prudentia, morum probitate, ac doctrina celebertimum, de hac quæstione à me consultum, affirmatiuè respondisse.

Sup. hoc supra in Res. 26. §. vltim. prope finem, & in Res. 27. §. vlt. in principio, & in Res. seq prope finem, à vers. Posse autem, & in Res. 1. post seq. §. Hanc ad medium, vers. Confirmasse, & in tom. 1. tr. 6. Res. 52.

RESOL. XXIX.

An quis satisfaciat præcepto, si simul audiat Missam à duobus Sacerdotibus, ab vno ab initio vsque ad consecrationem, & ab alio à consecratione vsque ad finem?

Et an quis possit breuissimo temporis interstitio, & intra duo minuta Missam audire, si in quatuor vel decem v. g. Altaribus varia Missæ proportionata anteriorum, aut posteriorum partium, ab vno, & eodem Sacerdote celebrentur?

Et an quis possit eodē tempore tres Missas, quæ à tribus Sacerdotibus celebrantur, audire & satisfacere pœnitentiæ iniunctæ à confessario audiendi tres Missas?

Idem est de illo, qui ex vi præcepti, voti, & pœnitentiæ obligatur audire tres Missas? Ex part. 10. tr. 15. & Misc. 5. Res. 3.

§. 1. NEgatiue respondet Eminentiss. Cardinalis Lugo *de Sacram. Euchar. disp. 22. sect. 1.* num. 10. vbi sic ait; Confirmatur tertio, quia si ille modus sufficit ad satisfaciendum præcepto, sufficiet etiam, si eodem tempore quis audiat priorem partem Missæ ab vno, & posteriorem ab alio in alio Altari celebrante, suppono enim posse aliquem simul audire duas, & tres Missas, poterit ergo simul audire duas partes quæ cōstituant integram Missam. Consequēs autē Suarez reputauit valdè absurdum, & quod nemo concederet. Sed iam aliqui illud concesserunt. Bonacina *loco citato*, cuius sententiam laudat Hurtado *illa difficul. 4.* & probabile dicit, Molfesius *in Sum. tom. 1 tract. 3. cap. 17. n. 36. in fine*. Contrarium tamen docent alij communiter, & meritò, quia si potest à duobus audire primam, & secundam partem Missæ, & ita conflare vnam Missam, poterit simul à tribus, vel à sex, vel à decem; ita vt intra duo minuta, vel tria totam Missam integram audierit, & satisfecerit præcepto, sicut enim possunt coniungi duæ partes, poterunt & decem diuersorum Sacerdotum, consequens autem videtur satis alienum à mente omnium fidelium. Adde quod posset aliquis eodem modo satisfacere præcepto recitandi Horas, si simul audiret à tribus Sociis tres lectiones, vel à nouem Sociis omnes nouem lectiones, ab vno Capitulum, & ab alio Orationes, &c. quia non requiritur attendere ad sensum, sufficit attendere ad Deum, & audire. Consequens autem nemo concedet. Et quidem Luisius Turrianus *in Selectis part. 2. disp. 16. dub. 7.* dicit illam sententiam nec esse probabilem nec tutam circa duas partes Missæ simul audiendas. Hucusque Lugo, cui præter alios adde Castrum Palaum *tom. 4. tract. 16. n. 9.* & Ludouicum Caspensem *in Cur. Theol. tom. 2. tract. 23. disp. 4. sect. 2. num. 19.*

Pra in Res. 2. cursim in §. vlt. & in Res. 26. §. 2. in Principio.

2. Verùm licet hæc opinio sit probabilior, affirmatiuam alij putant probabilem, & illam me citato tenet Garzias *in Summa morali, tract. 4. difficul. 4.* & me citato Leandrus *in Præceptis Ecclesiæ, tract. 2. disp. 1. quæst. 56.* & me citato Baunius *in Theol. mor. tom. 1. tract. 6. de Sacram. Missæ, q. 9.* Probatur primo hæc opinio, quia probabile est (vt statim dicemus) posse quod possit quis simul, & eodem tempore audire tres Missas, & satisfacere præcepto Ecclesiæ, & voto & pœnitentiæ iniunctæ de audiendis tribus Missis, ergo etiam est probabile, & satis quod satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui mediam Missam ab vno, & mediam ab altero eodem tempore audit, consequentia est euidens, quia sicut se habet totum ad totum, ita & pars ad partem. Secundò, quia etiam est probabile & satis (licet contrarium probabilius vt infra) quod satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui sine interna deuotione Missam audit; Ergo etiam est probabile quod ad implendum hoc præceptum non exquiratur illa attentio successiua, quam circa partes Missæ Luisius requirit, ergo, & quod adimpleat præceptum qui mediam Missam ab vno, & mediam aliam ab alio eodem tempore audit. Tertiò, quia valde probabile, imò fere certum est (vt infra) quod ille, qui tempore Missæ legit per librum, aut meminiter recitat Psalmos iniunctos pro pœnitentia aut Officium diuinum satisfaciat præcepto audiendæ Missæ, vt diximus, ergo improbabile, & valde erit asserere

asserere tanquam certum, & indubitatum: quod præceptum audiendi Missam requirat attentionem successiuam circa singulas successiuas Missæ actiones, patet, nam hæc attentio non compatitur bene eum lectione Psalmorum aut officij Diuini, sine illa ergo adimpleri potest præceptum audiendi Missam adhuc in sententia ipsiusmet Luysij; ruit ergo fundamentum ipsius, ac consequenter fundata manet nostra sententia. Et ita hanc sententiam præter recentiores à me alibi citatos pluſquam probabilem admittit etiam me citato Dicastillus *de Sacr. tom.1.tract.5.disp.5.dub.3.n.4.* cui adde ex eadem Societate Antonium Escobar, & Mendoza *in Theol. mor.tract.1.exam.11.p.1.c.4.n.97.in fine*, vbi sic asserit: satisfacitne præcepto, qui eodem tempore, audit vnã medietatem ab vno, & alteram ab alio? ita planè ex Sanchez, quia Ecclesia præcepit, vt Missa audiatur, duæ autem medietates vnam Missam constituunt. Colligo posse te breuissimo tẽporis interstitio Missam audire, si quatuor, v. g. Altaribus variæ Missæ proportionata temporis anterioritate sic celebrẽtur, vt dum vna inchoatur, secunda ab Euangelio tunc in consecratione procedat, tertia à consecratione in consumptionem, quarta denique à consumptione vsque ad terminum. Ita ille, & nouissimè Gesualdus, *in Theol. Mor.tom.1.tract.17.cap.2.n.16.* Vnde patet quàm parum modestè locuti sint Turrian. *in Select. disput.16.dub.7.* & Ledesma *part.1.c.27.post 5.conclusionem*, qui hanc affirmatiuam sententiam improbabilem vocant, est enim satis probabilis, licet negatiua, vt dixi, sit probabilior. Ad inconueniens vero adductum à Cardinale de Lugo respondet Leandrus *vbi suprà, quæst.57.* Vide etiam me citato Pellizzarium, *in Man.Regul.tom.1.tractat.5.cap.4.sect.2.n.58.* Posse autem aliquem contra Coninch. eodem tempore tres Missas v.g. quæ in eadem Ecclesia debita distantia eodem tempore celebrantur à tribus Sacerdotibus audire, & satisfacere pœnitentiæ iniunctæ Confessario audiendi tres Missas: & illo vnico actu vnius assistentiæ pœnitentiam adimplere tanquam si tres Missas distinctas audisset, docet me citato Gesualdus *vbi supra, n.17.* & me citato Leandr. *q.60.* Sed plus addit etiam me citato Leandr. *q.59.* quod qui vi præcepti, voti, & pœnitentiæ obligatur audire tres Missas satisfacit his omnibus audiendo eas simul, quod docet etiam amicissimus Dicastillus *de Sacr. tom.1.tr.5.disp.4.dub.8.n.113.* cum aliis penes ipsum; vnde ego superiùs dicta his diebus firmaui contra quemdã Neotericum, qui illa immodestè damnabat.

Alibi in Resolutionibus & §§. not. primæ huius Reſ.

Sup. hoc supra in §. 1. huius Reſ. ad medium. & verſ. Potest simul, & in aliis §§. eius not.

Sup. hoc supra in Reſ. 16. prope fi. tem, & in Reſ.17.§.vltr. in principio. & in Reſ.18. §. vltim. post mediũ, & verſ. Adducunt, & in alia Reſ. eius annot. Et pro vlt. diffic. huius Reſ. præcepti, voti, & pœnitentiæ in Reſ. 1. & 2. huius not. & in eisdem locis.

RESOL. XXX.

An eadem actione duobus præceptis satisfacere possimus?

Et ad roborandam sententiam negatiuam diuersi casus adducuntur in textu huius Resolutionis?

Et hæc quæstio maxime proponitur pro præcepto audiendi Missam in die festo? Ex part.11.tr.1.& Misc. 1. Reſ.3.

§.1. PONit hanc difficultatem nouissimè acutissimus Caramuel *in Theologia fundamentali fundam.31.§.14. num.519.* Et ideò omnia eius verba per extensum apponam; sic itaque asserit.

Hæc omnia inde suborta, quod eodem tempore, & eadem actione possumus duobus præceptis numero distinctis satisfacere, & ad eum, qui vnica actione duabus eiusdem præcepti partibus satisfacere vult, subueniamus.

2. Et quidem si res benè consideretur, multas consequentias parturit *reſ.* 18. quam habet Diana *tract. 17.partis 2.* vbi interrogat: An Petrus satisfecerit præcepto Missæ, si eodem tempore factum duorum Sacerdotum audiuit, nempe Missam vnius Sacerdotis vsque ad consecrationem, & Missam alterius Sacerdotis à consecratione vsque ad finem.

Quæ hic est sup. Reſ.28. & infra in §. Relinquendo. huius Reſ. in aliis eius annot.

3. Vt rem melius intelligas, clare ponitur, quando vnus Sacerdos eleuat, alter introitum incipit, & tunc Petrus Ecclesiam ingreditur, & vtramque Missam simul audit, alteram ab eleuatione ad finem, & alteram ab initio ad eleuationem, & interrogat: An Missæ præcepto satisfecerit?

Negat Reginald. sed Reginaldi opinio non placet Dianæ, qui pro contraria citat Molfesium, & alios.

4. Non est animus approbare, aut improbare istam sententiam, sed notare, quæ debeat consequenter admittere meus Diana. Si Dialecticam amat; primò enim sicut satisfecit Petrus audiendo simul duas medias Missas à duobus Sacerdotibus, posset satisfacere audiendo simul quatuor Missæ quadrantes à quatuor Sacerdotibus, aut etiam octo octantes ab octo, quinimò si essent multa altaria, quibus simul esse præsens Petrus posset, & in vno Missa inciperetur, in altero epistola, in altero Euangelium, in altero Oblatio, in altero Canon, in altero Consecratio, & in altero Communio, & tandem in altero post-Communio, & in altero vltimum Euangelium, posset Petrus vno quasi momento temporis integram Missam audire.

Sup. hoc infra in §. Ideo. huius Reſ. cursim in fine. & in aliis §§. eius not.

5. Secundo, rationis paritas nos deduceret ad officium diuinum. Nam iuxta mores, & rubricas Monasticas in officio solemni habemus duodecim lectiones, & responsoria, quæ non recitat communitas, sed audit tantum; Ergo si sint viginti quatuor Religiosi in Choro, & singuli dicant simul lectionem aut responsorium, satisfacient præcepto legendi duodecim lectiones, & totidem responsoria.

Sup. hoc infra in §. Ad illam vero. huius Reſ. & lege etiam §. eius annot.

6. Tertiò, quando duo legunt simul, non erit opus, vt alter alterum expectet, sed poterit alter incipere versum sequentem, antequam alter præcedentem absoluat, quoniam potest simul se, & socium audire: nec est cur ad attentionem, & auscultationem recurras, quia attentionem internam, non esse necessariam putamus.

Sup. hoc ibidem.

7. Quartò, in Missa solemni, posita sententia quæ docet, Sacerdotem non teneri legere Epistolam nec Euangelium, poterit dum legitur illa, Tractum, & Versus dicere, & dum Hoc, cætera, quæ illud sequuntur.

8. Quinto, si vera sunt, quæ de Scythis nonnullis leguntur, videlicet singulos binis linguis præditos, & posse aut etiam solere binas voces formare, & binas simul periodos diuersas efferre; vel si Deus aliquos homines bilingues produceret, qui dum altera lingua recitant matutinum, altera Laudes, aut Primam recitarent; Dicendum omninò esset eiusmodi homines duas simul horas legendo, obligationi recitandi officium diuinum satisfacturos.

9. Sextò; hoc ipsum necessario deberet ad communitates traduci; Ipsæ enim omnes sunt multilingues. Quid enim stando huic doctrinæ vetaret magnam communitatem in decem manipulos diuidi, & dum vnus recitat Matutinum, & alius Laudes, alium Primam, & alios cæteras horas recitare, & quasi horæ quadrante graui, & molestæ publici officij obligationi satisfacere? Ergo posset simul eadem communitas diuidi in partes, & plures actus communitatis celebrare.

10. Septimò: in officio diuino nonnulla pluries repetuntur: An ne hæc toties deberent repeti? Respondi olim in commentario in regulam Sancti Benedicti,

nedicti, eſſe probabile ſingulas horas, ſingulis reſpondere præceptis: eſſe certum vnico actu hominem poſſe diuerſis præceptis ſatisfacere; adeóque ſi ſimel in vna hora dicatur Pater, & Aue, & cætera, quæ in horis diuerſis repetuntur, non debere in aliis recitari: Sed quid dicemus, ſi totum officium vnico præcepto indicatur? Putaui illa debere omninò repeti, & toties legi, quoties præcipiunt Rubricæ. Hæc dixi ſtando communi doctrinæ: at hodie ſi hanc Dianæ reſolutionem, quam dilucido, admitterem, dicerem in officio diuino, niſi totum vni præcepto correſpondeat, poſſe dici ſemel tantùm Pater, & Aue, ſemel Credo, ſemel Deus in Adiutorium, ſemel Gloria Patri, ſemel Oratio, & ſemel Pſalmus, qui in horis diuerſis ſolet repeti. Et ratio eſt manifeſta, quia ad Dianæ mentem, non ſolùm ſimul duobus præceptis, ſed etiam ſimul duabus præcepti partibus poſſumus ſatisfacere.

11. Octauò: ſi cui Roſarium legere præciperetur (hoc eſt quindecies Pater, & centies quinquagies Aue) diceret, quia ſingula Pater, & ſingula Aue diuerſis præcepti partibus correſpondent, & poſſumus ſtando Dianæ reſolutioni eodem ſimul tempore diuerſis præcepti partibus ſatisfacere. Et quia de obligationibus ortis à voto, & ortis à præcepto aliqui pariformiter philoſophantur, idem dicere de illo deberent, qui vouiſſet dicere Roſarium.

12. Anne hæc omnia Diana admitteret? Non puto. Quid ergo? vel hæc omnia debebit tranſglutire, vel à principali opinione diſcedere. Hucuſque Caramuel.

13. Sed ego nec ab ipſo ſuperius dicta tranſglutiam, timerem enim ſuffocari, nec ſententiam, quam vt probabilem, docui, relinquam.

14. Et ratio eſt, quia in auditione duarum partium Miſſæ quis humano modo dicitur aſſiſtere ſacrificio, & ſatisfacere præcepto, & moraliter audire vnam Miſſam; quod negandum eſt poſſe dici, & accidere in exemplis à Caramuele allatis.

15. Et ideo cum Leander *de præceptis Eccleſiæ tract. 2. diſp. 1. q. 56.* docuerit noſtram ſententiam, nempè poſſe aliquem ſatisfacere præcepto, audiendo eodem tempore duas partes Miſſæ, tamen poſtea *quæſt. 57.* non eſt auſus dicere, immò negauit apertiſſime in reſponſione prima, non adimplere præceptum, qui ſex partes Miſſarum audiret, vt male inferebat Caramuel vbi ſupra.

Sup. hic ſex partibus ſupra in §. Nõ eſt animus. huius Reſ. & in Reſ. præterita §. 1. ad mediũ, verſ. poterit ſimul, & in §. 2. poſt medium, verſ. Colligo.

16. Et licet poſtea Leander in reſponſ. 2. videatur id concedere; tamen in fine ſic ſubdit, Nec existimes, ô Theologe, hanc noſtram ſententiam eſſe nimis laxã, aut contra bonos mores; quia cùm omnino, moraliter loquendo, nõ ſit præcticabilis, nec laxa alicui, nec contra bonos mores videri poteſt, eſt igitur ſpeculatiuè, & metaphyſicè ex principiis intrinſecis probabilis; practicè verò, moraliter loquendo, minimè, quia illud, quod ſpeculando aſſerimus, nequit ad praxim moraliter reduci. Vnde ad praxim nec prodeſt nec obeſt hæc ſententia, licet profit ad cognoſcendam ſpeculatiuam veritatem. Hæc ille.

Quoad hoc lege doctrinam §. Sed

17. Ad illam verò illationem, quam ſuprà infert Caramuel in Corollario ſecundo, & tertio, reſpondet Leander loco citato *quæſt. 57.* falſum eſſe quod quis adimpleret præceptum recitandi horas, qui ſimul audiret à tribus ſociis tres lectiones, & vnus qui à nouem ſociis nouem lectiones ſimul audiret, ab vno Capitulum, ab alio Orationes, &c. quia vt quis in diuino officio ſatisfaciat, vltra attentionem ad Deum, debet neceſſario audire diſtinctè verba recitantium cum illo, aut legentium, quod nullo modo poteſt præſtare audiendo nouem ſocios, lectiones nouem diuerſas recitantes, vt conſtat. Ita Leander.

18. Relinquendo itaque illationes Caramuelis deductas ex noſtra opinione de auditione duarum partium Miſſæ, illam denuò auctoritate ſtabilire conabor, & præter Leandrum, Azorium, Baſſæum, Diaſtillum, Geſualdum, Bonacinam, Fauſtum, Molfeſium, Baunium, Hurtadum, & alios à me alibi adductos, nouiſſimè hanc ſententiam, me etiam cito docet Remigius ex Clericis Minoribus *in praxi Confeſſariorum tract. 21. §. 1. num. 4.* vbi ſic ait: [Como puede vno oyr tres Miſſas en vn miſmo tiempo, y ſatisfacer con el præcepto de la Igleſia, con el voto, y penitencia de oyr Miſſa; no ay razon para dezir que no ſatisface al precepto de la Igleſia el que en vn miſmo tiempo oyr la media Miſſa de vno, y otra media de otro Sacerdote?] Quia ſicut ſe habet totum ad totum, ita & pars ad partem.

19. Hanc etiam ſententiam me citato tenet Pater Hieronymus Garzias *in Theolog. moralis 2. diſficult. 4. num. 7.* ſic aſſerens: [Pero no obſtante lo dicho, algunos tienen por prouable la contraria, de que ſe cumplira con el precepto oyendo la dos metades iuntamente; lo vno, porque la Igleſia no manda que ſe oyga la Miſſa de vn Sacerdote, ſino que abſolutamente ſe oyga vna Miſſa; eſte ay oye dos medias, que hazen moralmente vna Miſſa luego cumple con el precepto. Confirmaſe porque ſi yo tuuieſe obligacion de oyr dos Miſſas, podria iuntamente oyr à entrambas, y cumplir con mi obligacion, luego tambien puedo cumplir con el precepto oyendo dos metades de vna. Por todo lo qual ſeuera, que eſta opinion tiene prouabilidad, y que en caſo de que vuo tenga mucha pueſa, ſe puede arpouchar della tuta conſciencia, pues tiene por ſi tantos Doctores, y razones de congruentia.] Ita ille.

Vide etiam me citato, Rocaful. *in praxi Theolog. moral. tom. 2. lib. 2. de præcept. Eccleſ. cap. 2. dubit. 1. num. 24.*

Et hanc ſententiam, me citato, non putat improbabilem Trullench *in Decal. tom. 1. lib. 3. cap. 1. dub. 5. num. 9.* & me citato, probabilem vocat Hermanus Buſenbaum *in medulla Theologiæ moralis lib. 3. tract. 3. cap. 1. dub. 3. num. 5.*

20. Obſeruandum eſt tamen, quòd licet omnia à me ſuperius dicta de ſatisfactione præcepti audiendo duas partes Miſſæ ſimul à duobus Sacerdotibus non careant probabilitate; tamen exiſtimo contrariam ſententiam eſſe probabiliorem, & conſulentiam dam? quam nouiſſimè præter alios docet ex Villalobos, Ioannes de Soria *in Epilogo ſummarum parte 2. tract. 1. ſect. 5. diſput. 2. de præcep. Eccleſ. tit. de præcepto audiendi miſſam.*

TRACTA

TRACTATVS QVARTVS

De Sacramento Extremæ-Vnctionis.

RESOLVTIO PRIMA.

An in casu extremæ necessitatis, si non adsit oleum benedictum ab Episcopo, possit Sacerdos illud benedicere, vel vti oleo non benedicto ad vngendum moribundum?

Et an saltem Sacerdos ex commissione Episcopi possit prædictum oleum benedicere?

Et an si ægrotus supervixerit, vngendus esset iterum sub conditione, cum oleo benedicto ab Episcopo, si tunc adsit?

Et an solùm ex præcepto, vel ex necessitate Sacramenti requiratur, vt oleum Extremæ-Vnctionis sit benedictum ab Episcopo?

Et an si forte non esset alind oleum, quàm Chrisma, sit peccatum de facto illo inungere infirmum moribundum?

Et an si Sacerdos per errorem contulit hoc Sacramentum Extremæ-Vnctionis cum sacro Chrismate, nihil sit repetendum?

Et an peccet mortaliter Sacerdos, qui oleo veteri, & non ab Episcopo eo anno benedicto vngeret infirmos?

Et an infirmi, qui omnino à natiuitate visu, vel auditu carent, sint in periculo mortis vngendi?

Et cursim docetur, quod qui carent membris vngendis, vel organo, vngendi sunt in parte proximo membri, vel organi deficientis. Ex part. 10. tr. 16. & Misc. 6. Res. 81.

§. 1. AFFIRMATIVAM sententiam docet nouissimè Io. Martinon *de Sacram. tom. 5. disp. 65. sect. 3. num. 16.* vbi sic asserit: Dico secundò sufficere, vt oleum sit aliquo modo benedictum ab Episcopo, idest, vel per ipsum, vel per Sacerdotem ex ipsius commissione; qui enim per alium facit, per se facit moraliter. Probatur, quia teste Arcudio *lib. 5. de sacr. cap. 2.* Græci sic faciunt ex antiquissima consuetudine, quam Clemens VIII. approbauit, monens in quadam instructione, de ritibus Græcorum, non esse cogendos eorum Presbyteros accipere oleum ab Episcopo benedictum, quia ex antiquissima consuetudine Orientalis Ecclesiæ, possunt Presbyteri de licentia & commissione Episcopi benedicere oleum infirmorum. Multoque magis id possunt ex commissione ipsius Summi Pontificis, vt docent etiam Victoria *de sacr. n. 216. in fin.* & Valent. *q. 1. de Extr. Vnct. punct. 2.* post Palud. Sotum, & Caiet. quos citant. Imò quia opinio Glossæ initio relata videtur nonnullis esse probabilis in praxi, posset Sacerdos in casu extremæ necessitatis oleum ipse benedicere, eoque moribundum inungere: aut si neque benedicere liceret, posset vti etiam oleo non benedicto. Sed si ægrotus superuiueret, vngendus esset iterum sub conditione, propter securitatem. Hucvsque Martinon. Sed ego non auderem hanc sententiam in praxim deducere, quidquid ipse dicat. Nam vt rectè obseruauit, Doctores, quos citat & sequitur Leandrus *de Sacr. tom. 1. tract. 4. disp. 2. q. 2.* quibus adde Lessium *in 3. p. D. Th. c. 1. de Extr. Vnct. dub. 4. n. 3.* vbi est materia extrinseca Sacramentorum, qua Christus non est vsus requiritur benedictio. Dicendum est itaque, quod materia externa, quæ ad Sacramẽta adhibetur, huiusmodi sacra benedictione debeat veluti disponi, aptari, & eleuari ad formam sacramentalem, & vt sit idoneum instrumẽtum, per quod gratia conferatur. Materiæ quidem Baptismi, & Eucharistiæ ipso Christi vsu, & contactu sanctificatæ, & aptatæ ad formam sacramentalem fuerunt, vnde non indigent alia benedictione, vt sint idoneæ materiæ. Sed Sacramenti Vnctionis, & Confirmationis materia Christus nunquam est vsus, vnde oportebat, vt aliqua benedictione consecrarentur. Deinde de necessitate Sacramenti est, vt oleum sit ab Episcopo benedictũ, quia licèt Diuus Iacobus huius benedictionis mentionem non fecerit ex communi Ecclesiæ traditione à Concilio Florent. in decreto Eugenij, de literis vnionis, & à Trid. *sess. 14. c. 1.* declarata, & approbata necessariò requiritur, vti comprobat D. Th. *in 4. d. 23. q. 1. art. 2. qq 2.* Pater Lugo *de Sacr. lib. 3. c. 1. q. 2. n. 19.* Bonauent. *art. 1. q. 2.* Palud. *q. 1. art. 2.* Valent. *disp. 8. q. 1. p. 2. in princ.* Suar. *disp. 40. sect. 1. n. 3* Ægid de Coninc. *disp. 19. dub. 2. concl.* Bonac. *de sacram. Extr. Vnct. disp. 7. q. vnic. part. 2. n. 3.* Layman. *lib. 5. sum. tr. 8. c. 2. n. 2.* & alij. Vnde audiendus non est Victoria *in sum. de sacram. qu. 217.* cui sub dubio fauet Caiet. *3. p. q. 72. art. 3.* asserens, solùm ex præcepto benedictionem requiri, non ex Sacramenti necessitate. Et ideò meritò Reuerendissimus Magister Sacri Palatij, deleuit hanc opinionem ex Aphorismis Emanuelis Sà, vt patet in editione ab ipso correcta. Et quidem, vt infra videbimus, aliqui hanc opinionem tanquam temerariam damnarunt. Quæ omnia sunt valde vera, nam esto graues DD. Caiet. *2. 2. q. 72. art. 3.* Victor. *de Extr. Vnct. n. 116.* Henriquez *lib. 3. c. 8. n. 2.* Zambran. *de Extr. Vnct. cap. 5. n. 3.* non improbabiliter censeant, ex commissione Pontificis oleum à simplici Sacerdote benedictum sufficere. At verius, & securius est, necessariò ab Episcopo esse benedicendum: quia Florent & Trident. Concilia æquè dicunt materiam huius Sacramenti esse oleum, ac esse ab Episcopo benedictum. At ex commissione Pontificis oleum mutari non potest: ergo neque mutari potest Episcopalis benedictio, sicuti aliis relatis, tradunt Barbosa *alleg. 10. num. 6. & alleg. 31. num. 14.* Valent. *disp. 8 quæst. 1 p. 2. in princip.* Suarez *disput. 40. sect. 1. num. 8.* Coninch. *disp. 19. dub. 2. concl. 2.* Bellarm. *de Extrem. Vnct. cap. 7.* Laym. *lib. 4. sum. tract. 8. cap. 2. n. 1.* Bonac. *disp. 7. quæst. vnic. num. 2.* Trullench. *de sacram. lib. 5. cap. vn dub. 2. n. 2.* Illud verò est omnino certum, secluſa Pontificis commissione, oleum à simplici Sacerdote benedictum materiam insufficientem esse, vt bene notauit Coninch. *dicta disp. 19. dub. 2. n. 6.* Et hæc omnia præter Doctores citatos docet Dicastillo *de Sacram. tom. 1. tract. 1. 7 disput. 1. dub. 3. num. 32.* Lessius *in 3. part. D. Thomæ, cap. 1. de sacram. Extrem. Vnct. dub. 4. & 5 n. 10.* qui tamen asserit, posse ex commissione Pontificis probabiliter simplicem Sacerdotem

Sup. hac cõmissione in fine huius §. &in princip. seq. sed lege etiam à medio huius §. là vers. Deinde de necessitate, & §§. eius not.

Sup. hac cõmissione Põtificis post medium huius §. ad vers. Quæ omnia. & in aliis §§. eius not. quæ tã prima post seq. annot.

Sup. hoc in fine huius §. & infra in Res. 14 § vlt. & in tom. 3. tr. 1. Res 58. §. 2. à lin. 4.

Sup. hoc supra paulo post initium, huius Res. cursim vers. Multoque, & in Res. 1. & §. not. præteritæ, & in Res. 2. §. vlt.

dotem oleum benedicere. Sed negandum est omnino id quod asserit Martinon, posse videlicet simplicem Sacerdotem hoc efficere ex commissione Episcopi, & si hoc efficitur in Ecclesia, dicendum est procedere ex commissione, vel licentia Summi Pontificis, si non expressa, saltem tacita, vt ipsemet Arcudius à Martinon citatus obseruat, & optimè docet Pater Auersa *de sacr. Extr. Vnct. sect.* 2. Id quod asserit etiam Martinon de oleo non benedicto, puto à fortiori reprobandum, & ideò sententiam asserentem benedictionem olei, non esse de essentia huius Sacramenti, fortè temerariam vocauit Nugnus *in* 3. *part. tom.* 2. *quæst.* 29. *art.* 6. *concl.* 1. & temerariam sine metu vocauit Suar. *disp.* 49. *sect.* 1. *n.* 6. & ideò rectè *Amicus in Cur. Theol. tom.* 8. *disp.* 19. *sect.* 3. *n.* 50. docuit in nullo casu Extremam Vnctionem esse ministrandam absque oleo benedicto ab Episcopo.

Sup. hoc supra ante medium huius §. vers. Deinde, & in aliis eius not.

2. Et ideò, vt dixi, sententiam Martinon minimè in praxi admittendam esse existimo, nec credo huc vsque in Ecclesia practicatam à nemine fuisse. Concedo tamen cum Dicastillo *vbi supra*, saluo meliori iudicio, quod si fortè non esset aliud oleum, quàm Chrisma Confirmationis, non esse peccatum de facto illo inungere, quia si præceptum solùm est positiuum Ecclesiæ, credi potest illam non velle in eo casu ita strictè prohibere, vt non liceat inungere ægrotum eo Chrismate, cùm ex alio capite nulla secundum se appareat irreuerentia facta Sacramento in ea Vnctione facta ex Chrismate. Vnde Layman. *lib.* 5. *tract.* 8. *c.* 2. *n.* 3. notat, quod si Sacerdos per errorem contulit hoc sacramentum cum sacro Chrismate, nihil sit repetendum, quia putat valere; & hæc omnia docet etiam doctus, & amicissimus Pater Lugo *de sacram. lib.* 3. *cap.* 1. *q.* 3. *n.* 37. vide etiam Baucium *in Theolog. Mor. tom.* 1. *tr. vlt. q.* 3.

Sup. hoc supra in princ. huius Resol. ad lin. 5.

Sup. hoc in Resol. seq.

Sup. hoc notato in Resol. seq. § in omni, in principio, & inf. in fine Resol. 7.

3. Sed Castrus Palaus *tom.* 3. *tr.* 26. *punct.* 2. *n.* 11. putat nullo modo licitum esse, deficiente oleo infirmorum, oleo cathecumenorum, vel confirmatorum vti: tum quia est aduersus Ecclesiæ consuetudinem; tum quia est satis probabile, ex eis non posse sacramentum Vnctionis perfici, vtpote quæ in ordine ad hoc sacramentum consecrata non sunt. Atque ita tradit Layman. *lib.* 5. *sum. tract* 8. *cap.* 2. *n.* 3. Vide etiam Leandrum *vbi sup. q.* 6.

4. Puto etiam probabile id quod alibi docui, non peccare mortaliter eum, qui oleo veteri, & non eo anno ab Episcopo benedicto vngeret infirmos. Ita Leandrus *vbi sup. q.* 11. & Martinus de San Ioseph *tom.* 1. *lib.* 1 *tract.* 1. *de Extr. Vnct. n.* 14.

Alibi infr. in Resol. 8. & in Resol 2. § Sed ego, ad lin. 6. & in aliis earum not. pro hac qu. Et pro contento in hoc § Sed hic, & seq. infra in Resol. 48. per totam.

5. Sed hic pro curiosis inquirendum, an infirmi qui omnino à natiuitate visu, vel auditu carent, sint in periculo mortis inungendi, & affirmatiuè aliqui respondent etiam cum forma absoluta, *quidquid peccasti*, &c. tum quia sensus absolutus non est, tum quia potuit, secundum illum sensum, per internum desiderium peccare. Sic Valentia *tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 2. *punct.* 2. Cui malè aliqui obiiciunt, non posse nisi ineptè dubitari, num per visum peccauerit is, quem certo scimus nunquam vidisse. Respondeo enim non propterea dubitari, sed formam consuetam hypotheticè semper veram, non mutari in iis casibus particularibus, & rarò contingentibus: sicut in sacro faciendo, quamuis solus minister adsit sacrificanti, non propterea mutat ordinarium dicendi modum in plurali, *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris*, &c. *Dominus vobiscum*: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio*, &c. *Benedicat vos omnipotens Deus*, &c. Et ita docet Martinon *vbi sup. sect.* 5. *n.* 37.

6. Sed hæc non admittit Dicastillus *vbi supra*, *n.* 51. vbi sic ait: Accedit quod qui cæcus est, & surdus à natiuitate, & qui nunquam etiam olfecit, vt sunt aliqui, non ideo videntur incapaces vnctionis: adde (si placet) mutum simul, & saporum gustu carentem, qualem hominem non esse impossibilem aliqui non improbabiliter putant, solo vigente sensu tactus, huiusmodi autem hominibus non videtur omninò necessariæ illorum sensuum vnctiones, quibus constat nunquam peccasse, nec esse in eo peccata, quæ originem habuerint ab speciebus eorum sensuum quos nunquam habuit. Quod enim aliqui dicunt, inter quos Tannerus, eum qui caret membris vngendis, vngendum esse in parte proxima, quia saltem potuit peccare per concupiscentiam talis sensus, v.g. videndi; gratis dicitur, & sine fundamento in veritate verborum formæ: qui enim nunquam habuit oculos, nunquam peccauit per oculos, nec ita concupiscentia videndi, si peccatum fuit, fuit peccatum oculorum. Addit, quod vnctio in alia parte omnino distincta non significat remissionem peccati commissi, per eam partem, quæ non exstit, nec vnquam extitit, nec commissi per concupiscentiam operandi, per talem partem, aut sensum, qui nunquam fuit. Ita ille, qui tamen postea *n.* 19. hæc subdit. Nihil videtur tamen omni probabilitate destitutum, quod qui caret sensu illo, aut organo etiam tali sensui deseruienti, possit inungi in aliis, & confare Sacramentum essentialiter sine illa vnctione: probabiliter enim satis credi potest, quod Deus, qui hanc Vnctionem ad hominem ea indigentem vngendum instituit; ita illam instituerit, vt seruiter, & valeret pro homine, qualis homo ipse hic, & nunc vngendus in se est: adeoque valeret pro vngendo hoc modo in his sensibus, aut organis, quæ habet, etiamsi careat sensu, & organo aliquo; ita qui habet omnia organa, sit vngendus necessitate Sacramenti in omnibus, qui verò non omnia habet, in omnibus seltem illis quæ habet, vngendus sit. Hæc Dicastillus. Sed sententiam Valentiæ, & Martinon puto satis probabilem esse; nam ad argumentum Tanneri, & Dicastilli respondet, vt visum est, Martinon.

RESOL. II.

An si deest oleum Extremæ-Vnctionis, possit Parochus Sacramentum illud ministrare cum Chrismate?

Et vtrum valeat Sacramentum Extremæ-Vnctionis, si fiat sacro Chrismate?

Et docetur, quod si Sacerdos per errorem contulit hoc Sacramentum cum Sacro Chrismate, nihil sit repetendum.

Et dubitatur, an sit peccatum veniale ministrare Sacramentis Extremæ Vnctionis non in forma Crucis?

Et an oleum consecratum præcedentis anni, si superfit, & non sit combustum, possit in necessitate misceri cum oleo benedicto præsentis anni, si hoc non sufficiat?

Et si postquam ea Missio facta est, afferatur aliud oleum nouum; quod censeatur sufficere pro toto illo anno, an comburi statim debeat iuxta vsum Ecclesiæ illud oleum mistum ex nouo, & veteri, vel possit seruari?

Exp. 10. tr. 11. & Misc. 1. Resol. 15.

§. 1. DE hoc casu nouissimè interrogatus fuit & negatiuam sententiam docet Layman. *lib.* 5. *tr.* 8. *c.* 12. *n.* 3. vbi sic ait: Si ad manum non habeatur oleum infirmorum, non esse licitum Sacerdoti in Extrema-Vnctione vti Chrismate; quia saltem nunc consuetudo Ecclesiæ repugnat, quæ proprium oleum, idque simplex, non mixtum, pro vngendis infirmis consecrat: quare neque extra omnem dubitationem est, vtrum valeat Sacramentum Extremæ Vnctionis, si fiat Sacro Chrismate, eo quod

Sup. hic Resol. 1. n. 2. & alibi

quòd materia hæc non tantùm diuersam consecrationem habeat, sed etiam, saltem morali æstimatione, diuersum vsum, & appellationem sortiatur, cùm sit mixtura aliqua artificialis. Ita ille; cui adde Lugum *de Sacram. in genere cap.12.num.1.*

2. Sed ego contrariæ sententiæ adhæreo, quam tuetur Amicus *in Cursu Theolog.tom.8.disp.19.sect.3. n.35.* Dico igitur quòd in casu, in quo non posset haberi simplex Oleum posse Sacerdotem ad hoc Sacramentum conficiendum vti Chrismate; sicuti etiá vti potest oleo veteri anni præcedentis, si non suppetat nouum benedictum: nam vtilitas, quam hoc Sacramentum affert infirmo præferenda est. Vide etiam Suarez *disp.40.sect.1.n.10.* Dicastillum, *de Sacr.tom.1. tr.7.disp.1.dub.3.n.38.* vbi sic ait: Saluo meliori iudicio, ego colligerem, si fortè non esset aliud oleum, quàm Chrisma Confirmationis; non esse peccatum de facto illo inungere; quia, si præceptum solùm est positiuum Ecclesiæ, credi potest illam non velle in eo casu ita strictè prohibere, vt non liceat inungere ægrotum eo Chrismate, cùm ex alio capite nulla secundum se apparet irreuerentia facta Sacramento in ea Vnctione facta ex Chrismate.

Sup. hoc in Resol præteritæ, §. Puto. & infra in Resol. 7. in principio & in Resol. 8. & in resol. 19. §. Ité poterit. in principio.

3. In omni tamen sententia dicendum est, quòd si Sacerdos per errorem contulit hoc Sacramentum cum Sacro Chrismate; nihil est repetendum, vt ego alibi notaui, & notat Amicus, & Dicastillus *loco citato*; quibus adde Doctores, quos citat, & sequitur Leandrus *de Sacram.tom.1 tract.4 disp.2. quæst.6.* qui tamen *quæst.* 15. nominatim contrà me dubitat, an sit peccatum veniale ministrare Sacramentum Extremæ-Vnctionis non in formam Crucis; sed immeritò quidem, cùm sit communis sententia Doctorum: & præter Granadum, & Ochagauiam ab ipso citatos, hanc sententiam, me citato, tenet Dicastillus, *vbi suprà, num.42.*

Alibi infra in Resol. 7. in fine, & supra in Resol. præterita, §. Et *Ideo*, in fine. Et pro quæstione posita ad lin.8. huius §. an sit peccatũ. infra in Resol. 10. §. vlt. & magis late in Resol. 18. & pro casu necessitatis in aliis huius tract.

4. Sed hîc soluendum est dubium: An scilicet oleum consecratum præcedenti anno, si superfit, & non sit combustum possit in necessitate misceri cum Oleo benedicto præsentis anni, si hoc non sufficiat? Et Dicastillus, *vbi supra num.75.* putat, si nondum contingat esse consumptum, nec in se sit putridum, aut corruptum, neque id prudenter timeatur, posse vrgente necessitate, ne deficiat pro ægrotis misceri cum nouo; imò cæteris paribus videtur magis rationi consonum; tum quia, si potest non consecratum addi; cur non poterit consecratum; Tum quia ex principiis communis doctrinæ id sequi videtur nam, si Doctores meritò docent, posse adhiberi oleum præcedentis anni, quando vrget necessitas; cur non poterit etiam adhiberi mixtum cum alio oleo benedicto præsentis anni? Nec obstat, quod sit præceptum comburendi oleum præcedenti anno consecratum; id enim intelligendum est secluſa necessitate; si ergo illud per se solùm sine nouo alio seruari potest in necessitate; pari ratione seruari poterit admixtum cum nouo.

5. Quæret tamen aliquis; si postquam ea mixtio facta est, afferatur aliud nouum, quod censeatur sufficere pro toto illo anno; an comburi statim debeat, iuxta vsum Ecclesiæ, illud oleum mixtum ex nouo & veteri, vel possit seruari? Respondeo me quidem iudice, in ea re distinguendum esse, Nam, si mixtio fiat ex maiori parte veteris, & minore noui: aduenient puro nouo sufficiente, comburendum est totum: absolutè enim censetur vetus. Si verò maior pars sit noui olei, posset quidẽ seruari propter contrariam rationem: censetur tamen absolutè nouum oleum, cuius comburendi præceptum nondum extat. Quòd si mixtio ad æquales partes facta fuerit; probabilius iudico, esse comburendum, quia non est absolutè oleum nouum: nam vetus, cuius comburendi vsus est, aut præceptum: non conuersum est in nouum. Imò, etiamsi minor pars veteris admixta fuerit; videtur consultiùs fieri, si illud statim cõburatur: quia Sacramentum administrandum est cum illo oleo nouo sufficiente, etiamsi exret illud mixtum: ergo non est, cur asseruetur per totum annum. Vnde si finito anno comburendum est, parum refert quòd modo etiam comburatur, quandò moraliter non timetur defectus olei: Hucusque Dicastillus, satis quidem probabiliter & doctè, vt semper solet

RESOL. III.

Virum, si pro administratione Sacramenti Extremæ-Vnctionis addatur oleo consecrato maior quantitas olei non consecrati, hoc non obstante, remaneat consecratum?

Et quid est dicendum de oleo addito Chrismati?

Et eadem est ratio additionis ad aquam benedictam.

Ex part. 11. tr. 3. & Misc. 3. Resol. 15.

§. 1 CAsus est curiosus; & quod mirum videbitur, affirmatiuam sententiam tenet Magister Hinojosa *in Directorio decisionum Regularium verbo baptismus fol.* 49. vbi sic ait, Oleum non consecratum additum consecrato totum fit consecratum, etiamsi fit maior quantitas non consecrati; secus de oleo addito chrismati dicendum est.

Sup. omni contento in hac Resol. lege doctrinam Resol. seq. & signanter §. Verum, ante mediũ. vers. secus si.

2. Hoc probatur, quia licet stando in vera philosophia per mixtionem resultat vnum tertium, stando tamen in iure Canonico sic videtur, Papam respondisse, qui in his Sacramentalibus magnam habet potestatem; nam per ratihabitionem consecrantur Ecclesiæ, aliàs si per huiusmodi mixtionem, seu partium additionem censerentur corruptæ partes præexistentes, repleremus omnia scrupulis; & cum communiter fiat huiusmodi permixtio olei consecrati, & non consecrati, nec permiscentes sint prudenter cauti in mensuranda quantitate olei superaddendi, maneremus dubij de consecratione Sacerdotum oleo, & chrismate iunctorum, de Confirmationis, & Extremæ-Vnctionis validitate.

3. Quod & in philosophiæ iuribus fundari potest, quia quando duo liquores qui admiscentur, sunt eiusdem speciei, habentque qualitates indiuiduales valde similes eiusdem virtutis, & vigoris, vt duo vina alba: vel duo olea, non fit verè admixtio, nulla fit corruptio, neque resultat aliquod tertium, sed est vnio, & continuatio illarum partium; & quamuis maior quantitas superaddatur minori, cum non habeant contrarietatem qualitatum, non miscentur per mutuam actionem, & passionem, nec maior quantitas destruit minorem, sed per diuisionem partium quantitatiuarum subintrant, alter liquor illorum diuidit per commotionem partes alterius in minores minimis. Hoc idem de oleo non consecrato super addito etiam in maiori quantitate oleo consecrato, quod totum remanet consecratum, consulitur tamen rationabiliter, ne in minimo excessu quantitatis superfundatur oleum non consecratum; quia quamuis vtrumque sit eiusdem speciei in esse entis, in esse tamen moris (vt ita dixerim) in esse (inquam) consecrati, & non consecrati differunt specie, atque adeò prudenter cauendum est, ne tanta sit quantitas olei superaddendi, quod suffocet consecratum, hoc est non omnino penetretur vndequaque à partibus olei consecrati.

4. Si vero oleum non consecratum superaddatur in maiori quantitate chrismati, proculdubio totum

tum remanet non consecratum propter liquores specie differentes, nempè balsamum, & oleum, & propter qualitates specifice & indiuiduliter dissimiles, ex quorum mistione corruptis partibus, tertium quid resultat. Dixi in maiori quantitate; quia forsan si in quantitate æquali superaddatur oleum chrismati, non fiet tam perfecta commixtio ad corruptionem partium sufficiens. Cùm chrisma præter balsamum, habeat etiam oleum, ratione cuius nequit pugnare cum oleo superaddito.

5. Sed prorsus contrariam sententiam tenendam esse puto, & aduersus Patrem Dominicanum alios Magistros Dominicanos opponam, & hi sunt Ioannes de la Cruz *in Direct. conscient, de extrema-vnct. dub. 6. conclus. 1.* & Petrus de Ledesma *in Summa tom. 1. tractat de extrema-vnctione cap. 2. conclus. 4. diffic. 3.* sic asserens, [Hase de aduertir, que quando al tal azeyte bendito, y consagrado se le añade otro azeyte que non este bendito y consagrado, hase de añadir poco à poco, y en menor quantidad para que el oleo bendito, y consagrado conuierta en su naturaleza al que no lo esta. Porque si fuesse mayor la quantidad del azeyte que no està bendito, y consagrado todos perderia la consagracion, y bendicion. El exemplo esta llano en el agua bendita, la qual pierde la bendicion si le echan mayor quantitad de agua que no este bendita. Pero si la echan de menor quantidad toda queda bendita.] Ita ille; cui adde Henriquez *.lib. 3. cap. 8. num. 2.* Dicastillum *de Sacrament. tom. 1. tractat. 7. disput. 1. dub. 7. num. 74.* vbi testatur hanc esse communem sententiam Doctorum, idem docet Præpositus *in 3. part. D. Thomæ quæst. vnic. de Sacrament. extrem. vnct. dub. 3. num. 19.* Trullench. *de Sacrament. lib. 5. cap. vnic. dub. 2. num. 3.* Dico igitur, quod licet Parocho oleum non consecratum miscere consecrato, quando timet fore, vt totum oleum consecratum non sufficiat pro toto anno, nam tunc vtrumque censetur consacratum per admixtionem, modo quod additur sit minoris quantitatis, quam consecratum, nam dignum trahit ad se minus dignum. Probatur hoc exemplo aquæ benedictæ. Vnde etiam non grauabor hîc apponere verba Lessij *in 3. part. de Sacrament extrem. vnction. cap. 1. dub. 5. num. 11.* vbi sic ait; Animaduertendum est in necessitate posse addi oleo benedicto aliquid olei non benedicti, vt habetur *in cap. quod in dubiis, de consecratione Ecclesiæ, & Altaris*; quod intellige, modò id quod additur, minus sit quantitate, vel si non sit minus, saltem fiat additio sensim. Si enim id quod additur, superet, vel etiam æquale sit, & confestim addatur, id quod auctum est, non censetur esse idem quod ante fuit. Si autem sensim fiat additio, semper censetur esse idem, quod immediate ante erat. Vnde cum antea esset benedictum, etiam post additionem censetur esse benedictũ. Vide Syluestr. *verbo aqua benedicta, &* Fumum *ibid.* Est enim eadem ratio additionis ad aquam benedictam, Hæc Lessius.

Sup. hoc in Ref. seq. cursim ad medium §. Sed non, & in tom. 4. tr. 5. Ref. 26. §. Ex hac. prope finem, à vers. & dici solet etiam.

RESOL IV.

An oleo benedicto Extremæ-Vnctionis semel, vel variis vicibus non possit admisceri, nisi pars adiecta sit minor quantitate, primum ab Episcopo benedicta?

Idem cursim infertur dicendum de aqua benedicta, quod aqua non benedicta aquæ benedictæ super addita, censetur acquirere benedictionem. Ex part. 9. tract. 6. & Misc. 1. Res. 43. alias 44.

Sup. omni contento in §. 1.

REspondet Zambranus *de cas. tempore mortis, cap. 6. dub. 5. num. 5.* & post illum, Pater Quintanaduenas *in Theolog. moral. tom. 1. tract. 5. de Sacr. in gen. 1. num. 4. & seqq.* Quòd oleum Extremæ-Vnctionis, vt maneat benedictum, requiritur, vt quantitas principio benedicta sit maior tota non benedicta superaddenda, vel superaddita, siue simul successiuè, siue variis vicibus fiat totius additio. Itaque putat, quantitatem minorem addendam, commensurandam semper esse cum oleo à principio benedicto: v.g. oleo vnius libræ benedicto, non posse fieri additio olei non benedicti, nisi in quantitate minori libra, duodecim, scilicet, aut quatuordecim vnciarum, vbi libra sexdecim constat, non vero sexdecim, imo nec sexdecim vnciarum, libram vnam constituentium.

2. Probat hanc sententiam ingeniosus Quintanaduenas: quia subiectum huius benedictionis est illud oleum, quod à principio fuit ab Episcopo benedictum: ergo necessum est, vt benedictio conseruetur, quòd maneat idemmet: quia benedictio non potest esse sine subiecto, nec ad aliud absolutè diuertum transire; sed quando olei quatitas, etiam in diuersis vicibus addita, peruenit ad tantam ex additis factam, vt si maior illa, cui facta est additio, & initio fuit consecrata; iam non manet absolutè idem indiuiduum physicum olei, & à principio consecratum; cùm vix maneat aliqua pars exigua illius, ob quam duntaxat dici possit non simpliciter, sed secundum quid idem: ergo in eo non potest manere benedictio, quæ conseruari non valet, nisi seruata identitate subiecti physici.

3. Confirmatur primo: quia, si oleo consecrato addatur semel, seu vna vice, maior pars non consecrati; nullum manet consecratum: quia non manet idem indiuiduum physicum, sed idem est, cum diuersis vicibus additur maior pars non benedicti: ergo nec benedictio manet.

4. Confirmatur secundo: nam ideò quando minima pars olei non benedicti miscetur maiori olei benedicti, totum manet benedictum, quia in commixtionibus, maior quantitas debet in se minorem conuertere, vel saltem ad sui dentitatem trahere, & ei communicare suas qualitates: sed hoc fieri non potest, cùm pars addita est notabiliter maior: ergo nec hæc poterit participare benedictionem illius; Quòd verò maior pars olei non benedicti addatur vnica, vel pluribus vicibus benedicto, non tollit, quòd sit maior pars.

5. Verùm hæc sententia est contra praxim, & vsum ferè omnium Ecclesiarum, & contra communem sententiam Doctorum. Et ita docet Lessius *in 3 part. D. Thomæ de Sacram Extrem. Vnct. cap. 1. dub. 5. n. 11.* Baunyus *in Theolog. moral. tom. 1. tract. vlt. in Epitome, c. 2.* Ludouicus à S. Iuan. *in Summa, quæst. vnica, de Sacram. Extrem. Vnct. art. 2. dub. 2. diffic. 6. concl. 2.* Candidus *tom. 3. de Extrem. Vnct. disquis. 3. art. 2. dub. 17. & 18.* Leander *de Sacrament. tom. 2 tr. 4. disp. 2. q. 8.* qui citat D. Thomam, Tabienam, Syluestrum Angelum, Rosellam, Henriquez, Torreblancum, Posseuinum, Bonacinam, &. alios.

6. Sed non deseram hic apponere verba sapientissimi Professoris Regij Sorbonici Nicolai Ysambert *in 3. part. D. Thomæ de Sacrament. Extrem. Vnct. disput. 2. art. 3.* vbi sic ait: [Atque ex hac limitatione sic explicata patet, quid sit respondendum ad vltimum dubium, scilicet, tunc valere Sacramentum Extremæ-Vnctionis; quando oleo infirmorum proprio suo ritu consecrato, oleum non benedictum additur sensim, & in tam parua quantitate, vt prius oleum benedictum censeatur moraliter remanere, & illud, quod est superadditum, denominari benedictum: sicut aqua non benedicta aquæ benedictæ Sup. in superaddita

Resol. præteritas, ante med. §. vlt. & in alia vers. eius annot.

super addita censetur acquirere benedictionem. Cuius vtriusque rei ratio hæc est, quod ritus isti benedicendi sint tantùm de iure positiuo, & per Ecclesiam instituti, quæ dum illos perficit, intentionem suam, saltem virtualiter, etiam extendit ad liquores illos eiusdem conditionis, qui postea in tali parua quantitate admiscebuntur, vt priorem non censeantur moraliter corrumpere; imò & licere in casu necessitatis ita facere, intelligitur ex cap. *Quod in dubiis, extr. de consecr. Ecclesiæ*, vbi Innocentius V. ita ait: Non negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo admisceri.

7. Verùm audiamus alium Professorem Regium Louanienſem, & is est Ioannes Vvigers *in 3. part. D. Thomæ, in supplem. p. 29. art. 4. n. 6.* ita asserens: Notandum denique, oleo benedicto admisceri posse oleū nō benedictum, vt pluribus inungendis possit sufficere, vel non ita citò exsiccetur, iuxta cap. *Quod in dubiis, de consecrat. Ecclesiæ & Altaris, in 3. Decretal.* Monent autem communiter Doctores, hanc mixtionem cum cautela faciendam, vt additio paulatim fiat, & in minori quantitate: ita enim aiunt, censebitur esse idem oleum, quod prius, & benedictum, vt prius: secus si additio fiat simul in maiori, vel etiā in æquali quantitate, de quo videre licet Henriquez *supra*, cum aliis, quos citat. Verùm difficultate non caret, quomodo dum sic paulatim in parua quantitate miscetur, efficiatur totum benedictum, quandoquidem ipsa benedictio, dum adhibetur, asserit tantùm oleum præsens, in quod tendebat, & id quod in oleo inde remanet, sit morale quid non habens efficaciam, aut virtutem operandi, vel causandi aliquid circa oleum sibi superadditum: aut certè, si quis forsitan voluerit dicere, quod benedictio dum fieret, extenderit se, & suo modo affecerit omne aliud oleum, quod præsenti oleo aliquando admiscebitur, quid opus erit prædicta cautela? cùm æquè benedictum, ita loquendo, erit totum oleum, si plus simul, quàm si sensim, & successiuè admisceatur.

Sup. hoc signanter ibid.

8. Hinc non minùs probabiliter forsitan dici poterit, per illam mixtionem oleum non benedictum non effici benedictum, sed ad eum finem adhiberi, vt eo modo oleum benedictum ad plures possit extendi: vnde consequenter hæc adhibēda esset cautio, vt cum illo moderamine non benedictum adhibeatur quoad quantitatem, siue simul, siue successiuè, & ita diligenter permisceatur, moraliter nunquam fieri possit, quin dum digitus in illo mixto intingitur, semper simul aliqua parte olei benedicti inungatur: quia tamen prior opinio praxi, quæ in vsu est, magis fauet, hinc ad difficultates cōtra eam motas, respondeti potest, ex Christi institutione, & Ecclesiæ intentione, benedictionem quæ adhibetur extendere se ad omne oleum admiscendum, quando in ea quantitate admiscetur, vt mixtum moraliter censeatur esse idem cum eo quod priùs fuit, potiùs quam esse illud quod est superadditum: & quamuis physicè non operetur, & proinde potuisset æquè extendi etiam ad omne oleum, quando in maiori quantitate adhibetur, tamen non ita Christum instituere voluisse, aut instituisse: quia institutionem suam voluit accommodare communi hominum sensui, & apprehensioni, qui iudicant, naturam rei non mutari per admixtionem modici extranei; sed potiùs extraneum in illam mutari, & conuerti, & simul quoquo modo operandi ipsius naturæ: quæ sic operari solet.] Hucvsque Vvigers, ex quibus facilè patet responsio ad argumenta contrariæ sententiæ. Dicendum est itaque, quod si à principio Episcopus benedixit quantitatem olei, v.g. quatuor librarum, postea paulatim, & per varias vices potest addi quantitas decem librarum, si necessaria esset pro administratione sacramenti, & copia infirmorum. Et ita, vt dixi, est vsus, & praxis Ecclesiæ.

RESOL. V.

An liceat Parochis mittere oleum Extremæ-Vnctionis ad infirmos, vt eo vngantur?

Et docetur, antiquos Patres Vnctionē curatiuā infirmis adhibuisse, etiā per nō Sacerdotē, sed oleo benedicto à Sacerdotibus, nō ab Episcopo pro materia Extremæ-Vnctionis. Et p. 9. tr. & Misc. 1. Resol. 42. alias 43.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Quintanadueñas *in Theolog. moral. tom. 1. tract. 5. singul. vlt. n. 1.* vbi sic ait: [Hoc oleum infirmorum (sacræ Vnctionis remotam materiam) licitè concedi posse à Paroco, vel Sacrista, vt infirmi debita veneratione eo vngantur, constat ex antiqua Ecclesiæ consuetudine ab Apostolis desumpta, qui Marc. 6. à Christo Domino mittebantur, & vngebant oleo multos ægros, & sanabantur. Sic Innocentius I. *Epist. 6. ad Decent.* ait: *Oleo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate.* Vbi Cornelius *in Iacob. 5. vers. 14.* docet Innocentium loqui de vsu olei extra sacramentum ad curandos infirmos.]

2. Sed hæc opinio mihi non placet: nam vt rectè obseruat Castrus Palaus *tom. 4. tract. 26. disp. vnic. punct. 2. n. 8.* oleum infirmorum solùm pro sacramento Extremæ-Vnctionis deseruit. Et ideò dixit Baunius *in Theol. mor. tom. 1. tr. vlt. q. 3.* [Cùm triplex sit genus olei, quod ad vsum Christiani populi benedicitur ab Episcopo, Chrisma, & oleum cathecumenorum, & infirmorum, id laborare Parochus sedulò debet, ne eorum aliquo vtatur ad aliud, quàm cuius causa est institutum ab Ecclesia: sed Ecclesia oleum infirmorum instituit solùm (vt dixit Palaus & patet) pro materia Sacramenti Extremæ-Vnctionis: ergo extra vsum illius, Parocho minimè vti dicto oleo licitum esse patet.]

3. Nec obstant in contrarium à P. Quintanadu, adducta: nam, pace viri docti, Cornelius à Lapide, quem ipse pro sua sententia adducit, est contra ipsum: etenim apertè fatētur, locum Innocentij non esse intelligēdum de oleo sancto ab Episcopo benedicto, sed de oleo benedicto à Sacerdotibus, vti fecerunt Eremitæ. Vel dicendum est (ait Cornelius) Innocentium solùm asserere, licitum esse omnibus Christianis vti oleo sancto in suis, & suorum necessitaibus, nimirum aduocando Presbyteros, & ab eis accipiendo Extremam-Vnctionem. Quod etiam notauit explanans dictum locum Innocentij Lessius *in 3. p. D. Thom. de Sacr. Extr. Vnct. dub. 1. n. 4.*

3. Fateor antiquos Patres Vnctionem curatiuam infirmis adhibuisse, etiā per non Sacerdotē, sed oleo benedicto à Sacerdotibus, non ab Episcopis pro materia sacramenti, vt etiam obseruat Nicol. Ysambert. *in 3. p. D. Th. de sac. Extr. Vnct. disp. 1. art. 4.* & ideò Parochi abstineāt sacrum oleum ab Episcopo consecratū pro materia Extremæ-Vnctionis, præbere laïcis, vt ipsi infirmos vngant ad sanitatem tuendam.

3. Vnde post hæc scripta mueni nostram sententiam docere Cardinalem Bellarminum *lib. 1. de Extr. Vnct. cap. 9.* asserit etiam esse contra praxim Ecclesiæ, dare oleum sanctum laïcis, vt eo vtantur. Exempla verò quæ leguntur de miraculis, quæ sancti Eremitæ oleo sancto faciebant, non conuincunt eos fuisse vsos illo oleo, quod ad Episcopo solenni cæremonia benedicitur, vt sit huius sacramenti materia: po-

teram enim illo vti oleo, quod ipsi signo Crucis benedicebant. Ita Bellarminus.

RESOL. VI.

An vna gutta olei sit sufficiens in vnaquaque vnctione, ad conferendum Sacramentum Extremæ-Vnctionis?

Ex quo infertur, vnam guttã aquæ sufficere ad validitatem Baptismi. Ex par.3.tr.4.Resol.176. alias 177.

Sup.hoc inf. in Resol. 22. §.vlt.

§.1. NEgatiuam sententiam docet Filliucius *tom.1. tract.3. cap.4. num.78.* vbi sic asserit: Dico quamlibet vnctionem tantam esse debere, quanta satis est, iuxta communem modum loquendi. Verùm vt ratione vnctionis attingat in particulari, non videtur satis vnã guttã olei stillare, sed opus est perfundere partem sensus, id enim est vngere, Ita ille.

Supr. in Resol. quæ hic est in tom.1. tr. 1.Resol. 50 §. 1. & 2. & in aliis eius primæ annot.

2. Sed pro probabilitate partis affirmatiuæ habeo validum argumentum; nam ex doctrina Reginaldi *in praxi, tom.2.lib.28.cap.9.num.13.* Suarez, & aliorum, id quod de quantitate aquæ circa Sacramentum Baptismi asseritur; hoc etiam de quantitate olei circa Sacramentum Extremæ-Vnctionis asserendum est; sed probabiliter multi DD. vt *supra* visum est, tenent vnam guttam aquæ sufficere ad validitatem Baptismi. Ergo vna stilla olei dicitur etiam vngere. Sed tu Lector cogita.

RESOL. VII.

Quidam Sacerdos vnxit infirmum cum oleo veteri, quæritur, an peccauerit mortaliter?

Ex quo sequitur esse peccatum mortale, vel oleum benedicere alio die, quàm Feria quinta Parascenes, vel illud singulis annis non renouare.

Et notatur, quod si Sacerdos per errorem vngeret infirmum non oleo, sed sacro Chrismate nihil esse repetendum. Ex p.3.tr.4.Resol.175. alias 176.

Sup. hoc inf. in Resol. 19. §. Item cutsim. in princip & in Resol. 8. & in aliis eius primæ not.

§.1. AFfirmatiuam sententiam docet Zambranus *de casibus occurrentibus tempore mortis, cap.5.dub.4.num.5.& seq.* vbi *num.14.* sic concludit: Ex dictis sequitur esse peccatum mortale, vel oleum benedicere alio die quàm feria quinta, vel illud singulis annis non renouare, vel veteri vti extra necessitatem. Ita ille.

Sup.hoc in Resol. 1. not. præteritæ §. Item poterit. ad med.

2. Sed hæc aliquibus non probantur, nam vt ait Ledesma *in sum.tom.1.de Sacram.Extremæ-Vnct. cap.2.in fine.* [No es cierto que aya precepto de renouar el azeyte de los enfermos cada año, aunque se suele hazer asi: Pero de la Chrisma se halla claro preceto del derecho de que se renueue.] Et Henriquez *lib.3.cap.8.num... in fin.* asserit absolutè, quod non est de præcepto renouare oleum singulis annis. Ex his aliquis probabiliter posset respondere, non peccasse mortaliter supradictum Sacerdotem vngentem infirmum oleo veteri. Sic determinauit Henriquez *lib.2.cap.29.num.3.* vbi ait, quod non prohibetur vngere infirmos veteri oleo, & *in glossa, littera V.* notauit ita Theologos, & vtriusque iuris peritos Salmenticenses post longam consultationem determinasse.

3. Sed mihi magis placuit prima sententia, non tamen damno sententiam Henriquez, renouandum esse quotannis oleum infirmorum, & vetus comburendum in Ecclesia, vel in piscinam iniiciendum; si verò non sit aliud oleum, nisi vetus, potest instante morte fieri cum illo Extrema-Vnctio, & ad hunc finem seruari debet vetus, quousque nouum habeatur: vide etiam Layman *in Theol. Moral. lib.5.tr.8. cap.2.num.4.* qui etiam *num.3.* adnotat, quod si Sacerdos per errorem vngeret infirmum, non oleo, sed sacro Chrismate, probabiliter dici posse videtur nihil esse repetendum, sed rem Domino commendandam; tum quia plerumque non posset fieri iterata vnctio sine scandalo, tum quia valde probabile est, Sacramentum Extremæ-Vnctionis valide conferri in materia sacri Chrismatis. Ita Layman.

RESOL. VIII.

An moribundo sit ministranda Extrema-Vnctio cum oleo alterius anni?

Et docetur, vrgente articulo mortis, perfici posse Sacramentum Extremæ Vnctionis breuissima, & tenui linitione vnius oculi, auris, manus, narium, & oris etiam absque signo Crucis, & sub vna forma communi: Per istam sanctam Vnctionem, &c.

Et an sit necessaria vnctio pedis? Ex p.5.tr.3.Resp.90.

§.1. LIcet non videatur à peccato excusandus Sacerdos, qui ministraret hoc sacramentum cum oleo veteri, nã debet esse benedictum eo anno, vt habetur *in cap. literis, de consecrat. distinct.3.* tamen vbi necessitas vrgeret, poterit Patochus vngere moribundum oleo veteri, & ita declarauit sacra Congregatio Episcoporum *die 20. Martij 1590.* teste Gauanto *in enchir. Episcop. ver. Extrema-Vnctio, num.10.* & docet Emanuel Sà *ver. Extrema-Vnctio, num.6.* Zambranus *de sacrament. Extrem.Vnct.cap.5. dub.4.num.15.* & doctissimus Barbosa *de officio Parochi, cap.22. num.25.* vbi *num.30.* rectè aduertit cum multis Doctoribus in casu necessitatis, to quod periculum sit in mora, posse Sacerdotem sine culpa inungere vnam aurem, vnam manum, aut vnum oculum, & tunc causa celebrandi propter periculum instantis mortis, vnctiones sine Cruce fieri nihil obstat. Et ideò non grauabor etiam hic apponere auctoritatem Villalobos *tom.1. tract. 10. difficul.3. num.3.* vbi sic ait. [Que harà el Sacerdote quando vè al enfermo que està agonizando con peligro de morirse antea de recebir todas estas vnciones. Respondeo, que en tal caso vnia todos los organos de los cinco sentidos, los quales estan en la cabeça, excepto el tacto, y para el basta vngir vna mano, diziendo: *Per istam sanctam vnctionem & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum.* Lo qual puede hazer breuemente tocando los organes de los sentidos, sin deternese a hazer cruzes, y en tal caso las preces que se auian de dezir primero, las dirà despues. Mas esto no lo ha de hazer comunmente, sino en caso de tan grande aprieto, como queda dicho, y si tuuiere lugar añade: *Quidquid peccasti per gressum*, y vnja vo pie, que ay sentencia de algunos Doctores que diga, que esso es necessario.] Ita ille. Vide etiam meipsum *in 3. part. tractat.4. resolut.168.* & Tannerum *tom.4. disput. 7. quæst. 1. dub.1.num. 19.* vbi docet, vrgente articulo mortis perfici posse sacramentum Extremæ Vnctionis breuissima, & tenui linitione vnius oculi, auris, manus, narium, & oris, etiam absque signo Crucis, & sub vna formula communi: *Per hanc sacram Vnctionem*, &c.

RESOL. IX.

An si Parochus portet domi oleum Extrema-Vnctionis

nis timens de nocte ad moribundum vrgendum vocari, secluso scandalo, peccat mortaliter?

Et quid, si post Vnctionem factam, vt se citius expediat, Parochus non referat oleum ad solitum locum?

Et docetur non debere Parochum sine lumine Extremam-Vnctionem deferre?

Et notatur, vrgente periculo mortis, posse Sacerdotem sine Ministro administrare hoc Sacramentum, atque etiam sine alia solita precatione præuia? Ex part. 3. tr. 3. Resol. 91.

Sup. hoc lumine supra in tr. 2. Resol. 11. §. 2. cursim ad fin. 2. & infra in fine Resol. 19.

§. 1. NEgatiuè respondet Barbosa *de officio Parochi, cap. 22. num. 44.* vbi docet non debere Parochum sine lumine Extremam-Vnctionē deferre, obseruando in hoc proprij Episcopatus constitutiones, & existimat venialiter tantùm peccare illum, qui sic ferret sine causa; qui verò cum causa, nullatenus. Et addit, (secluſa Episcopi constitutione) non bene agere eundem Parochum timentem de nocte se vocandum pro infirmo periculoso, si vespere ferat oleum Extremæ-Vnctionis ad suum cubiculum, vt vocatus expeditiùs vadat, vel si de nocte reuersus ab vnctione infirmi, vt se citius expediat, oleum non referat ad solitum locum, sed retineat domi vsque manè, nullum tamen credit peccatum mortale contrahere citra scandalum, vel periculum alicuius irreuerentiæ. Ita Barbosa.

Sup. contento in hoc §. magis latè infra in Resol. 19. §. 1. 2. & 3. & in alio vsu, eius primæ annot.

2. Notandum est etiam hic obiter quod ex multis docet Tannerus *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num. 85.* vrgente periculo mortis posse Sacerdotem sine ministro administrare hoc sacramentum, atque etiam sine alia solita precatione præuia.

RESOL. X.

An tempore pestis possit Sacerdos vngere vnam tantum partem dicendo consuetam formam, v. g. Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum, *vel an sit necessarium in prædicto casu saltem velocissimè sine forma crucis vngere vnum oculum, vnam manum, aurem, narem, & os, & dicere:* Per istas sanctas vnctiones, &c?

Et an extra casum necessitatis, si Sacerdos faceret vnctiones, non in forma Crucis, minime peccet lethaliter? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 167. alias. 168.

Sup. omni contento in hoc & seq. §. supra in Resol. 8. paulo post initium. a vers. & dolentissimus. Barbosa. vsque in finē, & infra in Resol. seq. per totam, & in Resol. 16. recitanter in §. Prima & §. Secunda. & in Resol. 35. ad medium, a vers. sed an & in Resol. 40. §. vlt. & in tom. 3. tr. 4. Resol. 60. lata à §. Verū dus. sed lege sam à principio, & alias

§. 1. SEntentiam affirmatiuam docet Syluius *in 3. part. quæst. 32. art. 7.* quam approbasse Theologos Louanienses anno 1588. & 1573. testatur Octauius Tricaricensis Nuncius Apostolicus in Germania, & in directorio Ecclesiasticæ disciplinæ, vbi sic asserit. Etsi ordinariè vngenda sunt singula singulorum sensuum loca, nec vnquam, nisi grauissima necessitas cogat, aliter faciendum sit; constabit tamen sacræ Vnctionis Sacramentum. Et in vngendo contagioso morbo, aut peste laborante, ad euitandum contagionis periculum, sufficiet, si vngatur sensus organum ad vnctionem magis expositum, & detectū, dicendo: *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, &c.* Ita supradictus Nuncius Apostolicus, Syluius, & Theologi Louanienses, quibus etiam adde Chapeau illam *de Sacram cap. 5. 9. 30.* Et hanc sententiam probabilem esse præter D. citatos tenet etiam Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 8. cap. 3. n. 3.* & Coninch *de Sacram. disp. 19. dub. 3. n. 9.* & 12. vnde in praxi turò amplecti potest.

2. Sed ego in tali casu, potiùs velocissimè sine Crucis forma vnum oculum, vnam aurem, vnam manum, narem, & os, vnica sententia partialium omnium formarum sententias complectente inungerem, dicendo: *Per istas sanctas vnctiones, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum odoratum, gustum, & tactum deliquisti.* Vide Zambranum *de casibus tempore mortis, cap. 5. num. 9.* Andream Victorellum *de sacram. Extremæ vnctionis, fol. 66.* & Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 41. sect. 2. num. 7.* & 8. Coninch, & Layman *vbi supra.*

Resol. & §§. eius primæ not.

3. Notandum est tamen hîc obiter, quòd etiam extra casum necessitatis si Sacerdos faceret vnctiones, non in forma Crucis, minimè lethale peccatum committeret. Ita Zambranus *vbi suprà, num. 22.* & Suarez *disp. 40. sect. 2. num. 3.*

Sup. hoc infra in Resol. 18. per totā. & in alio §. eius annot. & pro casu necessitatis in aliis Resol. & diuersis §§. huius tract.

RESOL. XI.

An liceat ministrare infirmo peste laboranti Extremā Vnctionem vngendo vnicū corporis sensum v. g. manū solam, vel oculum solum, ac vti forma verborum generali. Per istam sanctam vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum?

Et in §. vltimo huius Resolutionis assignantur tres casus, in quib. saltē Sacramentū illud posset à Sacerdote per vnicā vnctionē perfici? Ex p. 5. tr. 3. Resol. 80.

Sup. hoc lege Resol. & §§. not seq.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Philibertus Marchinus *de peste part. 3. cap. 6. num. 16.* vbi docet multo verius esse ac tutius vnctionem quinque sensuum esse de necessitate Sacramenti; consequenter etiam grassante peste omnes quinque vnctiones esse adhibendas, vel potiùs hoc Sacramentum omittendum. Huic conclusioni multum suffragatur Florentinum in Decreto Eugenij, vbi agens de hoc Sacramento tradit materiam illius remotam esse oleum oliuarum, proximam esse vnctiones in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibi vrgentem. Probatur eriam ab eodem hæc opinio, quia mortale est applicare morituro materiam, vel formam Sacramenti dubiam, etenim qui sic se gerit, primò exponit se periculo irritandi Sacramentum contra reuerentiam Sacramenti debitam; deinde exponit periculo salutis infirmum, si fortè non erat attritus contra charitatem proximo debitam in tanta necessitate constituto. Altera ratio est, quia non est verisimile in tota Ecclesia hanc vngendi quinque sensus consuetudinem perpetuò viguisse, cuius initium non extat, nisi ex Apostolica traditione haberemus has quinque vnctiones esse huic Sacramento substantiales.

2. Verùm his non obstantibus contrariam sententiam probabiliter ego tenui *in 3. part. tract. 4. resolut. 168.* cum Syluio, cui nunc addo Iacobum Granado *de Sacram. in 3. part. contr. 8. tract. vnic. disp. 7. num. 12.* vbi loquens de Pastorali Mechlinienſi vbi dicitur. In morbis contagiosis sufficere vngi organum sensus magis obuium, dicendo formam: *Per istam,* &c. sic ait: Puto hanc doctrinam non esse damnandam, & posse ita sine peccato ministrari hoc Sacramentum saltem sub conditione, cùm aliter non fuerit inuentus, qui ministret, vel certè propter morbum contagiosum imminuerit periculum Sacerdoti, qui magis detineretur, vt omnes vnctiones perficeret. Recolendum ergo est duos doctos recentiores, nempe Suarez, & Henriquez, probabile exi-

Quæ hîc est Resol. antecedens, & in aliis Resol. & §§. eius primæ not.

ſtimare in ſingulis vnctionibus conferri partem aliquam gratiæ,& conſequenter aliqua auxilia actualia, quæ ſunt effectus Extremæ-Vnctionis : quæ doctrina licèt vera nobis viſa non fuerit,non eſt digna vlla nota,nec cenſeri debet improbabilis iuxta illam:ergo potuit prædictum Paſtorale præſcribere,vt in morbis contagioſis,ne inficerentur Parochi peſte,dum detinentur in vngendis quinque ſenſibus,& pronuncianda forma in ſingulis vnctionibus,vt ſolùm vngerent vnum,vel alterum ſenſum magis peruium,& proferrent verba illi vnctioni reſpondentia. Sic enim quamuis non reciperet ægrotus Sacramentum integrum, certè reciperet partem illius,& cũ aliqua parte gratiæ,quæ ſufficit ad tollenda peccata lethalia,& inſuper aliqua auxilia, quibus roboraretur aduersùs tentationes,& faſtidium ex peccatis relictum , quod licet non ſit certum, eſt tamen non improbabile : & aliunde cũ Extrema-Vnctio non ſit de neceſſitate ſalutis,non irrogaretur ægroto iniuria,nec ipſi Sacramento,præſertim ſi apponeretur conditio,ſaltẽ intramentem Sacerdotis miniſtrantis,& aliunde obuiaretur periculo mortis,quod ipſe Sacerdos ſubire poſſet. Concludo ergo non definiri ab hoc Paſtorali,nec ab Vniuerſitate Louanienſi quidquam contra aſſertiones huius noſtræ diſputationis ; non enim affirmant non eſſe neceſſe vngi organa ſenſuum,& repeti verba formæ ad integrum Sacramentum Extremæ-Vnctionis,ſed ſolũ licere in caſu neceſſitatis miniſtrare hoc Sacramentum,quaſi dimidiatum, applicando partem illius,quia non eſt improbabile ſic obtineri aliquam gratiam habitualem,& actualem,imò & corporis ſanitatem , & alioqui cùm non ſit Sacramentum neceſſarium ad ſalutem , excuſari poteſt Parochus ab obligatione conferendi illud integrum ,& certum, ne alioqui peſte inficiatur. Huc vſque Granadus. Et hanc ſententiam nouiſſimè ſuſtinet Iacobus Marchant, *in Candelabr. de Sacram. tract. 6. lect. 3. fol.* 388. vbi ſic ait. Quæritur quantum ad Extremam-Vnctionem, an in periculo contagij ſufficiat vnica vnctio in aliqua corporis parte ? Reſpondeo hanc opinionem probabilem omnino eſſe , tum ob auctoritatem Doctorum , tum ob multiplicem rationem, ideóque à multis hoc tempore in praxi vſurpatur, Ita ille.

Sup. contento in hoc §. in Reſ. præterita ad lin. 10.& in Reſ. ſeq.in fine §. Nec.& infra in Reſol. 16. §. Prima. & in tom. 3.tr. 1.Reſ. 60. §. Verum. ſed lege eam per totam & non pigebit , & hic infra in Reſ.20.§. Tertia.

3. Notandum eſt tamen , ſtando etiam in prima ſententia , quòd quoties vrget periculum præuiſum vel ex parte infirmi , quòd morietur ante quinque vnctiones , vel ex parte Miniſtri, quia timet contagium, ſi peſtiferatum vngat quinque vnctionibus, vel dum timet, ſi vnum quinque vnctionibus vngat, alios ægrotos in maiori mortis articulo conſtitutos abſque vlla vnctione deceſſuros. In his tribus caſibus Sacramentum iſtud poſſe à Sacerdote per vnam vnctionem perfici , dummodo vel ipſe intendat, vel ſaltem à Chriſti inſtitutione non diſcedat, quia ſine intentione Miniſtri non perficitur Sacramentum. Ita Marchinus *vbi ſupra , num.* 26.

RESOL. XII.

An Parochus vngendo infirmum, ſi reliquerit vnctionem v.g. aurium , vel oculorum , teneatur iterum miniſtrare Sacramentum ?

Et an ſaltem debeat ſuppleri vnctio partialis omiſſa ?

Et quid, ſi tempus notabile interceſſit, an tunc debeant omnes vnctiones repeti ?

Et additur , quod multi tenent, quod non ſint vnctiones omnes Sacramento huic intrinſecæ , & eſſentiales, ſed vnicam vnctionem ſufficere de neceſſitate Sacramenti in adminiſtratione Extremæ Vnctionis ?

Et an , ſecluſo ſcandalo , & contemptu , hoc Sacramentum omittere, vel nullum ſit peccatum vel tantum veniale ? Ex part. 10. tr. 12. & Miſc. 2. Reſ. 31.

§. 1. DE hoc caſu ex Germania interrogatus reſpondi diſtinguendo, nam, vel infirmus non poterat anteà confiteri , vel ſumere Euchariſtiam ; & in tali caſu Sacramentũ Extremæ-Vnctionis, modo quo ſuprà miniſtratum, putaui iterum ſub cõditione miniſtrandum eſſe, ratione charitatis, per ea quæ me citato , docet Martinus de San Ioſeph *in Man. Conf. tom. 1. lib. 1. tr. 1. de Extrem. Vnction. n. 4.* ſi autem, vel confeſſus fuit , vel communicauit , in tali caſu non eſſe iterùm vngendum exiſtimauit: & ſic in terminis docet Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 2. tr. 3. c. 3. ſect. 3. n.* 333. qui in facti contingentia hanc ſententiam tenuit, & poſtea Viri docti ab ipſo conſulti approbarunt. Nam in tali caſu, Sacramentum commodè præſtari non poteſt, & alioqui infirmus non patietur graue damnum , quia alia Sacramenta iam ſuſceperat. Confirmatur hæc opinio; nam ſecluſo ſcandalo , & contemptu , hoc Sacramentum omittere , vel nullum eſt peccatum , vel veniale , vt me citato ex multis aliis probat Leandrus *de Sacramen. tom. 1. tr. 4. diſput. 1. q. 5. & 6.*

2. Adde quod multi etiam tenent, quod non ſunt Vnctiones omnes Sacramento huic intrinſecæ, ac eſſentiales; vt docet. Bannyus *in Theol. nar. tom. 2. tract. vlt. quæſt.* 2. Et ratio eſt, quod quælibet Vnctio cum ſua forma , completum ſenſum habeat ac ſignificationem propriam independenter ab aliis eſt hoc ergo Sacramentum quoad eſſentialia ſua integrum. Conſequentia probatur, Sacramenti natura eſt in eo, vt ſit ſignum practicum gratiæ quam producat illo ipſo inſtanti temporis , quo eſt , quia id efficit quod denotat, ſed quælibet Vnctio, cum ſua forma, remiſſionem culparum, quæ à peculiari ſunt admiſſa ſenſu innuit ac declarat : ergo eam operatur illicò, ac eſt partiale eſt ergo Sacramentum , eſſentialiter completum.

3. Nec obſtat dicere , quod non eſt in qualibet Vnctione perfecta ſignificatio : nam tam illa, quàm cæteræ ordinantur ad perfectam ſanitatem animæ, qua non fruitur , niſi cuius ſenſus omnes puri ſunt à labe ac peccati fæce , quod ei ante Vnctionis complementum non accidit. Ad maiorem Reſpondendum , in Vnctione qualibet , eam reperiri ſignificationem quæ ad Sacramentum ſufficit. Addendum præterea , eam expreſſam non eſſe remiſſionis peccatorum omnium , ſed implicitam tantùm. Primò, in quantum miniſter ægro certa peccata remitti poſtulat, aliis non excluſis. Secundò, quatenus gratiam habitualem huic Sacramento propriam ; à Deo ei dari, idem miniſter precatur, quæ cum commercium habere nullum cum culpis mortalibus queat, omnes ſi quæ fortè condemnandæ reſtant , indulgeri illi, ac remitti Sacerdos orat, ex quo fit conſequens ſanitatem mentis , & animæ perfectam, quæ eſt in gratia. Vnctione qualibet denotari, implicite ſaltem ac vtute. Vide etiam Leandrũ, *vbi ſuprà diſp. 3. q. 20.* vbi citato tenet, vnicam Vnctionẽ ſufficere de neceſſitate Sacramenti in adminiſtratione Extremæ-Vnctionis.

4. Sed quicquid ſit de hac quæſtione, an in caſu poſito in titulo Reſolutionis, ſit repetendum Sacramentum ? obſeruat Pellizzarius loco citato quod non, ſed debet ſolùm ſuppleri vnctio partialis omiſſa ; ſi tempus notabile interceſſit, repeti debent ſingulæ vnctiones ; quia in hoc Sacramento non confertur gratia , niſi quando perficitur vltima vnctio cum ſua forma : quod eſt dicere omnes, & ſingulas vnctiones eſſe de ſubſtantia Sacramenti , ſecundùm communiorem; & probabiliorem ſententiam.

RESOL.

RESOL. XIII.

An sit de necessitate Sacramenti Extremæ-Vnctionis, vt sensus, qui vngitur, nominetur?

Quod sit de necessitate præcepti non est dubitandum?

Et an si omitteres dicere: Per hanc sanctam vnctionem, *esto vngeres, Sacramentum non conficeres; & secus si solum illud verbum* sanctam, *relinqueres?*

Et quid, si imperatiuo modo peccatorũ remissionem promitteres, dicens: Per hanc sanctam Vnctionem remittatur tibi quidquid peccasti per visum, &c.

Et an omissio illorum verborum: Per piissimam misericordiam, *sit essentialis?*

Et notatur, quod potest Sacramentum Extremæ-Vnctionis à pluribus Sacerdotibus valide confici, si vnus aliquam functionem efficiat, & formam ei respondentem proferat, alter vero reliquum perficiat?

Et si post vnam, vel alteram Vnctionem peractam, & formas partiales eis respondentes prolatas Minister interiret, possit Sacerdos reliquas absoluere?

Et quid est faciendum, si absoluisset quidem vnctionem aliquam, si nullam formam adhuc protulisset?

Et notatur ex priuilegio posse Regulares conferre Extremã. Vnctionem familiaribus Regularium, hospitibus iter agentibus, peregrinantibus, Architectis, aut cuiusuis artis, aut officij officialibus, qui in Monasterio operam dant, siue sint exteri, siue ciues illius vrbis, & his, qui Ecclesiæ Immunitate gaudent, & omnibus tandem laicis, quibus contingit intra conuictuum septa repentino casu hoc Sacramẽto indigere, & etiam his, quibus in prædiis, seu Grangiis Regularium hoc euenerit? Ex part. 9. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 56.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Auersa *de Sacrament. Extremæ Vnct. sect.* 4. vbi sic ait: [Circa probabilem formæ supponendum vltrò est, non esse de necessitate Sacramenti, vt nominentur pedes, & renes, siue gressus, & lumborum delectatio: sicut, nempe, dicebamus, non esse de necessitate vnctionem talium partium. Sed tamen quando vnguntur, debent similiter ex præcepto nominari. De reliquo supponunt communiter Theologi, esse de necessitate, non solùm præcepti, sed etiam Sacramenti, vt explicitè, ac distinctè nominentur singuli quinque sensus; nempe, per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum. Ita enim adæquatè, & explicite correspondet forma materiæ. Et ita sumi videtur ex perpetuo ritu totius Ecclesiæ Latinæ in omni regione. Vnde in Pastorali illo Archiepiscopi Mechlinien sis, quamuis dicatur, sufficere vnctionem alicuius sensus; tamen adhuc dicitur debere nominari singillatim omnes. Atque hoc pacto intelligit Concilium Florentinum, dum nominauit visum, & subiunxit similiter in aliis membris.] Ita ille.

Sup. hoc infra in Resol. 14. §. Tandem. &c.

Sup. hoc in Ref. seq. & in Ref. 1. post fro. cursum in fine. & late in Ref. 2. post seq.

2. Idem etiam docet Castrus Palaus *tom. 4. tract. 26. disp. vnica, punct. 4. num. 4.* sic etiam asserit: [Verba suprà dicta quoad præceptum, & obligationem, necessariò, vt iacent in Rituali, exprimenda sunt. Nemini enim licitum est, ordinem ministrandi Sacramenta, sua propria authoritate inuertere. Quoad essentiam verò ea verba, sine quibus vnctio, & peccatorum remissio deprecatiuè significari non potest, essentialia reputari debent. Vnde, si omitteres dicere, *per hanc sanctam Vnctionem*, esto, vngeres, Sacramentum non conficeres. Secùs, si solùm illud verbum, *sanctam*, relinqueres. Item, si imperatiuo modo peccatorum remissionem promitteres, dicens: *Per hanc sanctam Vnctionem remittatur tibi, quidquid peccasti per visum*, quia huic formæ oratio, & deprecatio propria essentialis est. Omissionem autem illorum verborum, *per piissimam misericordiam tuam*, incertum est, essentialem esse. Aliqui affirmant, alij verius negant. Propterea, quòd in verbo, *indulgeat*, satis videntur contineri, cùm non alia via, quam ex piissima sua misericordia remittere possit Deus nostra peccata. Secùs est de verbis subsequentibus, quæ reputo essentialia, necessariò enim remissio peccatorum depreeatiuo modo in hac forma exprimẽda est: quia, cùm hoc Sacramentum institutum fuerit, vt illo Deus per Indulgentiam concedat, quidquid in iudicio pœnitentiali superfuit ex iustitia soluendum, ob quam causam pœnitentiæ consummatiuum appellatur; meritò hæc remissio, & Indulgentia exprimi in petitionem debebat. Quinimò non solùm exprimi debet peccatorum remissio vtcunque, sed organa sensuum, vtpote illorum peccatorum radix, & origo, vt signum esset, hoc Sacramento hominem perfectè sanari.] Ita ille, cui addè Amicum *in Cursu Theologico, tom. 8. disp. 19. sect. 5. num. 87.*

Sup. hoc infra in Ref.

Sup. hanc particulam sanctam. in duabus Ref. seqq. & pro imperatiuo modo, in Ref. 2. huius not. Et pro particula *piissimam* contenta in hoc textu infra in Ref. 17. & in aliis eius annot.

3. (Attende, Lector: non enim inuenies hunc casum apud multos.) Sed non desunt, qui sententiam negatiuam teneant: & ita docet Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 28. c. 9. n. 56.* sic asserẽs: [Idem dicendum videtur de particulis illis, *per visum, auditum*, & cæteris, quæ in fine singularum formarum partialium ponuntur, ex eo, quòd non censeantur de necessitate Sacramenti esse: quandoquidẽ talis necessitatis ratio dari non potest. Non quidem determinatio effectus huius Sacramenti, quasi in prima Vnctione remittantur peccata commissa per visum: & in secunda, cõmissa per auditum, & sic de cæteris: quia Deus non dat veniam dimidiatam, ita vt alicui remittens peccata mortalia commissa per visum, simul etiam remittat cætera, quorum quædam nullo sensu; sed per actus merè internos intellectus, aut volontatis commissa esse possunt. Nec etiam determinatio partium corporis, quæ vngi debent: quoniam negari potest esse de essentia huius Sacramenti, vt hæc vnctio in illis partibus fiat: quandoquidem si quis careret aliquibus earum, vt manu, vel pede, nequiret alioqui validè suscipere istud Sacramentum. Atque dato, quòd id esset de Sacramenti essentia; non ideò tamen ipsum esset de necessitate Sacramenti, in forma exprimendum, vt confirmatur à simili: quia, etiamsi Vnctio in fronte dicatur esse de essentia Confirmationis; id tamen in istius forma declaratur.]

4. Et hanc sententiam admittit etiam Author doctissimus, qui tamen manet incognitus sub nomine Hermetis Theologici *part. 8. cap. 9. concl. 3.* vbi sic asserit: [Tertiò obseruandum, probabile mihi esse, ad essentiam formæ non spectare, vt sensus, qui vngitur, nominetur; sed sufficere ad valorẽ Sacramenti, si dum oculus, verbi causa, vngitur, Sacerdos dicat: *Per istam sanctam Vnctionem*, &c. *indulgeat, tibi Deus, quicquid peccasti*, & idem in aliis sensibus repetat, eos minimè exprimendo. Sicut enim in forma Confirmationis frons non exprimitur, etsi illius vnctio sit essentialis: ita quamuis vnctio sensuum sit necessaria ad substantiam huius Sacramenti, non sequitur, quòd in forma sensus essentialiter exprimi debeant. Confirmatur: nam, si dum oculus vngitur proferat Sacerdos formam modo iam dicto, sufficienter indicabit se à Deo petere, vt remittat ægroto quicquid per visum peccauit, & sic de aliis. Imò si inter vngendum omnes sensus, dicat Sacerdos, verba illa tantùm semel: *Per istas sanctas vnctiones indulgeat tibi Deus quicquid peccasti*. probabile est. Sacramentum valere, propter rationem iam dictam: quia, scilicet, sufficienter videtur peti remissio peccatorum

catorum omnium, quæ à quinque sensibus originem duxerunt.] Ita ille, cui adde, ad verbum, Petrum à Sãcto Ioseph *in Idea Theol. Sacr. c. 94. ref. 3.* Vnde suspicor, quòd forsitan ipse fuerit Author dicti Hermetis, cùm omnia ab ipso ad verbum sumat, sed litteræ, per R. P. G. F. I. in Hermete positæ, non indicant nomen Petri à Sãcto Ioseph. Sed quicquid sit de hoc, ego non discedo ab affirmatiua sententia: non tamen audeo negatiuam, tanquàm improbabilem, damnare: & ideò meritò Ioann. Præpositus *in 3. part. D. Thomæ de Sacram. Extrem. Vnct. quæst. vnica, dub. 4. num. 24.* nostram sententiam tantùm esse veriorem dixit.

Sup. hoc infra in Resol. 21. lege eius §. penult. & vltim. & ex Resol. 22. §. 1.

5. Notandum est tamen hîc obiter, quòd potest Sacramentum Extremæ-Vnctionis à pluribus Sacerdotibus validè confici, si vnus aliquam functionem efficiat; & formam ei respondentem proferat; alter verò reliquum perficiat. Verùm, licèt hoc modo validè administrari possit hoc Sacramentum; non licèt tamen ita illud extra necessitatem conferre propter consuetudinem Ecclesiæ, quæ per vnum Ministum non minùs hoc, quàm alia Sacramenta administrare solet. Si tamen post vnam, vel alteram vnctionem peractam, & formas partiales eis respondentes prolatas, Minister interiret; posset alius Sacerdos reliqua absoluere. Secùs, si absoluisset quidem vnctionem aliquam; nullam tamen formam adhuc protulisset: tunc enim totum repetendum esset, eò quòd sola vnctio sine forma non habet perfectionem partialem Sacramenti, neque aliquid confectum relinquit: Imò, si periculum esset, ne ægrotus interiret, antequàm omnes vnctiones ab vno peractæ essent, posset vnus vnum sensum vngere, & alius alium diuersæ rationis: si enim propter necessitatem conferentis Sacramentum plures Ministri successiuè adhiberi possunt; cur etiam licitè simul adhiberi non poterunt propter necessitatem ipsius suscipientis? Maximè, quia sicut ordo ita nec successio inter istas vnctiones est essentialis. Quare, cùm sit accidentalis, in necessitate permitti potest. Non tamen in dicta necessitate secundus Minister ita admittendus est vt vnus vngat vnum oculum, & alius alium, & sic de reliquis sensibus. Et ratio est: quia secundus admitti non debet, nisi vt eo iuuante, res citiùs peragatur. At hoc non habet locum in graui necessitate, in qua potest Sacerdos vngere tantum vnum oculum, vnam aurem, &c. Si ergo alter simul inungat alium oculum, & aliam aurem, Sacramentum non erit citiùs confectum, quàm si prior illud solus administraret, & ita secundus Minister frustrà adhibetur. Quare quãdiu vnus inungit oculũ, alius aurẽ, vel aliũ sensum diuersæ rationis inũgere debet. Vide Doctores citatos.

Sup. hoc late infra in Resol. 21. à principio.

Sup. hoc infra in Resol. 21. & in Resol. 21. §. 2. in fine, & seq.

6. Nec etiam hîc deseram adnotare nouissimè Patrem Quintanaduenas *in Theol. mor. tom. 1. tract. 5. singul. 4. num. 4. & 5.* ex priuilegio concesso Benedictinis, posse conferri Extremam-Vnctionem à Regularibus, Primò familiaribus Regularium, hospitibus, iter agentibus, peregrinantibus, qui infirmati fuerint in eorum Monasteriis. Secundò, iis Architectis, aut cuiusuis artis, aut officij Officialibus qui in Monasterio operam dant, siue sint exteri, vel ciues illius vrbis, domiciliumque in ea habentes, si contingat periculoso, & repentino morbo in Conuentu corripi. Tertio, similiter iis, qui Ecclesiæ immunitate gaudentes ibi graui infirmitate corripiuntur. Quartò, omnibus tandem laïcis, quibus contingit intra Conuentuum sepra repentino casu hoc Sacramento indigere. Quintò, etiam iis, quibus in prædiis, seu grangiis Regularium hoc euenerit, hæc sint velut quædam Conuentuum partes, vt videbimus *in Appendice*: vbi de Iub. comm. generalis, & illa sub nomine, *Eremitoriorum*, comprehendi possunt. Hæc ex ipso priuilegio satis colliguntur, quod, vt rectè Emmanuel *t. 2. q. 67. art. 1.* ait, explicari debet, vt aliquid vltra ius commune operetur de iis, qui neque sunt famuli, neque familiares; si hi intra septa Monasteriorum infirmari, & curari contingat: quibus tamen non recurrendum est ad Parochos: vt eis Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis ministrare. Ita Quintanaduenas.

Sup. his supra in tr. 2. Resol. 22. §. vltim. & in Resol. 63. & in tom. 7. tr. 1. Resol. 88. §. vltim. in principio, & in alio vlt. §. cius annot.

7. Sed debebat hîc Author considerare, an & quod priuilegium Nicolai Franci, Nuntij Apostolici, sit, vt optimè obseruat Lezzana *in Summa, tom. 2. c.* 16. *n.* 20. inter viuæ vocis oracula annumerandum, & ideò his temporibus inutile. Tamen ipse Patet Lezzana *tom. 3. verb. Extr. Vnctio*, 3. adducit aliud priuilegium concessum nobis Theatinis à Pio V. ad ministrandum hoc Sacramentum etiam mercenariis famulis, operariis, & seruis Congregationis hostiæ, ac quibusuis hospitibus, etiam sæcularibus, quos in locis nostræ Congregationis reperiri contigerit. Vide etiam Villalobos *in Summa, tom. 1. tract. 10. dissert. 10. n. 3.* vbi sic ait: [Ha se de aduertir, que Clemente IV. concedio à los Religiosos de nuestra Orden, y à otras Religiones tienen otros priuilegios de la misma manera,) que puedan administrar libremente los Sacramentos à los criados, que mueren en su seruicio: y si murieren, enterrarlos en sus cementerios: lo mismo se ha de entender, aunque el enfermo sea casado, que de noche se va à dormir à su casa, que en el Conuento se le pueden administrar los Sacramentos, y si cayesse malo, darle la Extrema Vncion como tiene el P. Portel, por vnos priuilegios de la Orden de S. Geronymo: mas si cae en su casa, hale de dar el Santissimo Sacramento, y la Vncion el Cura de la Parroquia.] Ita ille. Et hæc dicta esse volo secundùm mentem supradictorum.

RESOL. XIV.

An Sacramentum Extremæ Vnctionis, sine forma non exprimatur sensibus, qui vngitur, sit validum?

Et docetur non esse de essentia huius Sacramenti, quod oleum sit ab Episcopo benedictum?

Ex quo infertur, an hoc etiam admitti debeatur in tempore dilectione chrismatis pro Sacramento Confirmationis? Ex part. 10. tr. 12. & Misc. 2. Resol. 32.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam nominatim contrà me docet Martinus de San Ioseph, in *Mon. Conf. f. tom. 1. lib. 1. tract. 1. de Extr. Vnct. n. 13.* vbi sic ait: [No se bar à Sacramento, si en el fin de la fin de la forma no se dize el sentido, v.g. per visum, & per auditum, &c. contra Dianam *3. part. 4. tr. 4. resol. 175.* Reginaldum, *lib. 28. n. 56.* Bonacinam, *de punct. 3. n. 4.* & alios, porque estas palabras son de la substancia de la forma y se explica su efecto por ellas, si quitandolas sequita el sentido.] Ita ille.

2. Sed ex incuria, vel amanuensium, vel imprudentia rum, in citata mea Resolutione amissa fuit particula, *non* & ideò sic corrige, *non idem dicendũ videtur*, &c. nam alioquin statim post vnam lineam mihi contradicerem: nam subdo, de necessitate Sacramenti esse explicationem sensuũ vngendorũ in forma; & ita me citato tenet Leandrus *de Sacram. 1. 2. tr. 4. disp. 2. q. 11.*

3. Sed licèt ego hanc sententiam teneam, ita tamen contrariam, vt vult Martinus teneri, sententiam probabilem sequutus fuissem, & ideò contra Martinum de San Ioseph, adducam Petrum de San Ioseph cuius verba adduxi *in part. 9. tr. 7. resol. 56.* Et hanc sententiam tenet etiam Doctissimus Theologus nostri temporis Nicolaus Ysambert Doctor Sorbonicus *in 3. part. D. Thomæ, tom. 3. disp. 3.*

de Sacram. Extr. Vnct. art. 2. vbi tenet formam Sacramenti Extremæ-Vnctionis consistere dumtaxat in his verbis. *Per vnctionem indulgeat tibi Deus*; etiamsi non exprimatur sensus qui vnguitur. Et primum probatur ex hac particula, *istum*, quia si qua ratione esset necessaria, esset maximè vt vnctio determinaretur ad hanc in particulari: at actio ministri iuncta prolationi formæ satis illam determinat. Secundò: idem patet ex particula *Sanctam, seu Sacram*, quia Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. dum hanc formam refert, nullam facit mentionem illius. Tertio: idem patet ex hac particula, *& suam piissimam misericordiam*, hæc enim apponitur, vt actus misericordiæ Diuinæ, à quo procedit remissio peccatorum, quæ fit per hoc Sacramentum, explicetur: at satis exprimitur per duas istas particulas, *indulgeat Deus*. Quartò: idem patet ex ista particula, *quidquid deliquisti?* hæc enim satis expresè includitur in ista præcedenti, *tibi indulgeat*, cùm hæc indulgentia intelligatur fieri à peccatis, & cùm terminus ille *indulgeat*, ponatur ibi simpliciter absolutè sine vlla restrictione, & terminus absolutè positus in aliqua oratione absque aliquo termino eius significationem restringente, sumatur in tota sua latitudine, intelligitur hæc remissio per verbum *indulgeat*, importata, esse de omnibus peccatis, cùm etiam vnum peccatum mortale non remittatur sine alio, & sit impium dimidiam salutem a Deo expectare.

4. Tandem idem probatur de istis particulis; *per visum, per auditum*, & aliis similibus, quibus sensus singuli enumerantur, tùm ex eo quod non videtur potior ratio cur vnus sensus debeat necessariò exprimi in forma, quàm alius, maximè cùm tam benè possit homo peccare per vnum sensum, quàm per alium: at omnes Theologi fatentur vnctiones pedum, & renum, non esse necessarias, imò Rituale Romanum expresè monet hanc vnctionem renum semper esse omittendam in fœminis, nec vllam aliâ loco illius esse faciendam in alia parte, & proindè forma exprimens partem illam debet similiter relinqui, tum quia tam benè peccata per sensus interiores commissa remittuntur per hoc Sacramentum, imò sola voluntate commissa, quàm quæ committuntur etiam per sensus exteriores, quorum tamen expressio in forma huius Sacramenti non est necessaria: tum quia qui carent aliquo istorum sensuum non desinunt validè accipere hoc Sacramentum. Nec obstat quod vngatur in aliqua parte isti proxima, nam si vnctio talis partis, & mentio illius in forma esset de essentia huius Sacramenti, non posset loco eius alia inungi, quia per institutionem Christi Domini, hæc esset determinata, & non alia; tum denique etsi quinque sensus essent inungendi de necessitate Sacramenti, attamen inde non sequeretur expressionem illorum in forma, esse etiam de essentia, quia est de essentia Sacramenti Confirmationis, vt frons inungatur, non tamen est de essentia formæ illius, vt in illa frons exprimatur; igitur hæc particula exprimens sensum, qui inungitur, non est essentialis formæ huius Sacramenti. Hucvsque Ysambert. Sed, vt dixi: ego non recedo à sententia asserente, sensus qui vnguntur esse in forma explicandos de necessitate Sacramenti; vt tenet nouissimè Trullench *de Sacram. lib.* 5. *cap. vnic. dub.* 1. *n.* 10.

5. Nota verò hîc obiter, dictum Ysambert. *vbi supra, disp.* 2. *art.* 2. docere non esse de essentia huius Sacramenti, quod oleum sit ab Episcopo consecratum, seu benedictum, habetur satis euidens ex declaratione Clementis VIII. Summi Pontificis, in sua instructione super Ritibus Græcorum, data ad Episcopos Latinos, directa anno Domini 1595. cuius verba Arcudius refert, *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 2. vbi Summus Pontifex agens de oleo huius Sacramenti, ait, verbis expressis, Græcos Sacerdotes non esse cogendos olea sancta, præter Chrisma ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere, cùm eiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu consecrentur, seu benedicantur. Quare sicut Græci Sacerdotes ex veteri praxi suæ Ecclesiæ, potestate sibi à suis Episcopis olim concessa, & per Summum Pontificem tacito consensu approbata, validè consecrant hoc oleum: ita etiam, multo potioti titulo, simplex Sacerdos ex concessione Summi Pontificis, poterit illud oleum benedicere. Nec obstat, quod agendo de Confirmatione diximus benedictionem Chrismatis non posse validè committi simplici Sacerdoti; nam Summus Pontifex Clemens VIII. in sua instructione, illam expresè excipit, notátque nunquam Græcis Sacerdotibus simplicibus fuisse commissam, & præter citatos Auctores, hanc partem nostræ propositionis sequuntur Arcudius *loco cit.* Serarius *sua disputat. de Extrema Vnct.* & alij recentiores, qui viderunt prædictam instructionem Clementis VIII. vnde erit tantùm de præcepto, quòd oleum hoc sit benedictum ab Episcopo, cuius benedictio non potest committi laico, ad quem eius administratio nullo modo potest pertinere, sicut pertinet ad Sacerdotem. Vnde Patres, & Concilia, quæ asserunt oleum hoc debere benedici ab Episcopo, loquuntur de Ministro ordinario, & non de extraordinario, seu per specialem commissionem Summi Pontificis deputato. Hæc omnia Ysambert, cuius sententiam tanquam probabilem admittit Lessius *in* 3. *part. D. Thomæ, cap.* 1. *de Sacr. Extrem. Vnct. dub.* 5. *n.* 10. qui etiam *quæst.* 72. *art.* 2. *dub.* 2. *n.* 15. admittit hoc etiam tanquam probabile in benedictione Sacri Chrismatis pro Sacramento Confirmationis, de qua alibi diximus.

Sup. hoc in Resol. præcedenti, item, ad fin. 10. &c. Sup. hoc ibidem, & in Resol. seq. §. vlt. & in Resol. 1. post seq. §. Nam & magis late in Resol. 2. post seq.

Sup. hoc cum suprà in Resol. 8. prope finem, vers. Y vnja vn pie, & etiã breuiter ad lin. 6. Resol. 13. pro vtraque vnctione pedum, & renum.

Sup. hoc suprà in Resol. 1. à principio, signanter ad finem §. 1. & à principio 2. signanter etiam ante medium §. 1. vers. Deinde de necessitate, & in to. 3. tr. 1. Resol. 58. §. 2. à lin. 4.

Sup. hæc benedictione suprà in Resol. 1. §. 1. paulo Post initiũ. vers. multoque magis, & post medium, vers. Quæ omnia, & in to 3 tr. 1. Resol 58. signanter in fine.

Alibi in to 1. tr. 2. Resol. 1. §. vlt. à principio, & in tom. 3. tr. 1. Resol. 15. à lin. 4. & in Resol. 20. & in alio §. earum annotationum.

RESOL. XV.

An forma deprecatiua in Sacramento Extremæ-Vnctionis sit de necessitate Sacramenti?

Et an debeat iterari hoc Sacramentum, sine conditione, si aliquis illud conficeret sub forma indicatiua?

Et an sit sufficiens hæc forma. Vngo te oleo sancto, & Deus tibi remittat quidquid peccasti, &c.

Et notatur, quod verba Formæ huius Sacramenti sunt ista. Per istam sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, &c. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; *Quæ quidem vltima verba* in nomine Patris, &c. *non sunt necessaria, neque de necessitate præcepti.*

Et an illa verba sanctam, *& piissimam, sint substantialia?*

Et quid de illis verbis, suam misericordiam, *& de particulis illis*, per visum, per auditum, &c. Ex p. 3. tr. 4. Resol. 174. aliàs 175.

§. 1. SVfficere formam indicatiuam, videtur docere Martinus Becanus *de Sacramentis cap.* 27. *quæst.* 7. *n.* 3. vbi sic asserit. Quæres, an necesse sit formam huius Sacramenti esse deprecatoriam: multi affirmant, quia primò Iacobus dicit, *Orent super eum.* Secundò, forma Romana est deprecatoria. Alij negant, primò, quia forma Ambrosiana, & Veneta non est deprecatoria, & tamen est sufficiens. Secundò, quia ex illis verbis, *baptizantes eos*, &c. colligit Ecclesia hanc formam *Ego te baptizo.* Ergo similiter ex illis, *vngentes illum*, potest colligi hæc forma, *Ego te vngo.* Tertio, quia in Sacramento Confirmationis sufficiens

Sup. hoc suprà in Resol. 13. §. 2 paulo post initiũ. vers. Item si imperatiuo, &c.

sufficiens hæc est forma, *Consigno te Chrismate.* Ergo similiter in hoc Sacramento, *Vngo te oleo.* Quartò, quia sacramentalis forma, etiamsi per modum indicatiuum proferatur, solet à SS. Patribus vocari oratio, quo pacto Leo Papa, & alij multi absolutionem sacramentalem vocant orationem Sacerdotis. Ergo quamuis in hoc Sacramento proferatur forma per modum indicatiui, sufficiens erit illud Iacobi ad saluandum, *Orent super eum.* Ita Becanus. Et hanc sententiam probabilem esse docent Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 40. sect. 3. n. 7.* & Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 4. n. 80.* nam contrariam, quam ipsi tenent, probabiliorem vocant.

2. Sed negatiuam sententiam, non solùm probabiliorem, sed omninò certam putauit Nugnus *in addit. ad 3. part. quæst. 33. art. 6.* ita vt si aliquis conficeret hoc Sacramentum sub forma indicatiua, putet debere iterari sine conditione. Idem etiam docent Coninch. *de Sacram. disp. 19. dub. 3. n. 14.* Ledesma *in sum. tom. 1. de Sacram. Extr. Vnct. cap. 1. concl. 2.* Syluius *in addit. ad 3. part. quæst. 29. art. 7.* & alij communiter. Et ratio est, quia duæ formæ non possunt esse institutæ pro vno Sacramento, nisi sint æquiualentes, saltem in sensu; si ergo forma deprecatiua sufficiens est, indicatiua sola non sufficit, quia non habet æquialentem sensum. Ergo, &c.

3. His ita suppositis, difficultas est, an sit sufficiens hæc forma, *Vngo te oleo sancto & Deus tibi remittat quidquid peccasti*, &c. Affirmatiuè respondet Suarez *tom. 4. disp. 40. sect. 3. nu. 8.* sed aduersùs illum acriter insurgit Nugnus *in addit. ad 3. part. quæst. 29. art. 7.* vbi ait, quòd nullus usus fuit vnquam dicere, quòd ista forma sit sufficiens. At nouissimè, & meritò sententiam Suarez sequuntur Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 9. num. 55.* & Layman. *in Theolog. moral. lib. 5. tract 8. cap. 3. num. 1.* quia verbis indicatiui modi adiungitur sufficiens deprecatio. Ergo, &c. quidquid in contrarium cum Nugno asserat Bonacina *de Sacr. disp. 7. quæst. vnica, punct. 3. n. 3.* licet grauiter peccaret, qui hac forma vteretur.

4. Notandum est hìc obiter, quòd verba formæ huius Sacramenti sunt ista. *Per istam sacram vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum*, &c *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; quæ quidem vltima verba, *In nomine Patris*, &c. non sunt necessaria, neque de necessitate præcepti, vt obseruat Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 4 num. 86.* & alij. Illa autem verba, *sanctam, & piissimam*, non esse substantialia, docent Reginald. *tom. 2. lib. 28. cap. 9. num. 56.* Pitigianus *in 4. tom. 2. dist. 23. quæst. vnica, art. 4. dub 2.* & alij; quia illis detractis sensus adhuc manet integer; idem asserunt supradicti Doctores de illis verbis, *suam misericordiam*, quia quæ sequuntur, *indulgeat tibi Dominus*, causam principalem, quæ in hoc Sacramento sufficienter exprimunt, illis omissis, sed de hoc alibi. Non idem dicendum videtur de particulis illis, *per visum, per auditum*, &c. quæ in fine singularum formarum partialium ponuntur; igitur de necessitate Sacramenti sufficiunt ista verba. *Per istam Vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti*, vel *per auditum*, &c. Non sunt autem omittenda supradicta verba, & qui hoc faceret, peccaret.

Sup. his particulis in duabus primis Resol. not. seq. & pro *suam misericordiam*, infra in Resol. 17. &c.

Ojo. diga *Non idem*, sin falta.

Sup. his sensibus late in duabus Resol. præteritis, & in Resol. seq.

Et aliqua alia explanantur pro verbis contentis in consueta forma huius Sacramenti.

Et tandem docetur esse mortale amplecti opinionem probabilem circa formas, & materias Sacramentorum, relictis certis, & præscriptis ab Ecclesia. Ex part. 1. tract. 1. & Misc. 1. Resol. 18.

RESOL. XVI.

An sit peccatum ministrare Sacramentum Extremæ-Vnctionis sub his tantum verbis. Per istam sanctam Vnctionẽ indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti?

§. 1. TRactat hoc dubium Caramuel *fundam. 68. §. 1. n. 1330.* vbi sic ait.

2. Pero primò an peccet, qui in administratione huius Sacramenti vtatur forma essentialis, omissis verbis omnibus accidentalibus; puta qui tantùm diceret, *Per istam vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti.* Affirmatiuè respondet Diana *part. 3. tract. 4. resol. 175. §. notandum, & resol. 180.* & ex eo Ausonius Noctinot *in summa, verbo Extr. Vnctio num. 12.* sed cur? An quia vtitur forma probabili? An verò quia omittit verba præcepta; si prima valet ratio, scire vellem; cur non possit vti opinione probabili in administratione Sacramenti? Et si secundo, an sit mortale? (Immò an sit veniale?) omittere pauca verba præcepta. Ita Caramuel.

3. Sed ego respondeo in administratione Sacramenti Extremæ-Vnctionis non sufficere formam adductam à Caramuele, nam apud doctores tres solùm sententias probabiles inuenio circa præsentem quæstionem.

4. Prima sententia docet, vnicam sufficere vnctionem in quauis corporis parte, sub vna tantum forma, exprimente omnes corporis sensus.

5. Secunda sententia affirmat ad validitatem huius Sacramenti necessarias esse quinque ad minimum vnctiones in Oculis, Auribus, Naribus, Ore, Manibus, omnes tamen vnctiones adhiberi posse sub vna tantum forma æquiualente omnibus formis partialibus, vt si quis vngendo oculum, aurem, nares, os manum dicat: *Per istas sanctas vnctiones, & piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum deliquisti.*

6. Tertia sententia docet ad validitatem huius Sacramenti necessarias esse ad minimum quinque vnctiones in quinque corporis sensibus, cum quinque partialibus formis, respondentibus singulis vnctionibus.

7. Et omnes has tres sententias esse probabiles putat Amicus vbi infrà; sed primam, & secundam admittit tantùm tempore necessitatis in morbis contagiosis.

8. Sed forma adducta à Caramuele in illis verbis: *Per istam vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, non includitur in formis superius expressis, quia in forma Caramuelis nulla efficitur mentio de sensibus corporis. Ergo.

9. Sed dato, & non concesso, quod forma Caramuelis esset sufficiens pro validitate Sacramenti, quod ego nego, & me citato negat etiam nouissimè Leander *de Sacr. tom. 1. tract. 4. disp. 2. q. 21.* cum alijs.

10. Adhuc dicendum est contra Caramuelem, Sacerdotem ministrantem cum illa forma peccare mortaliter, vt ego docui, & ideo Amicus *in Cur. Theo. tom. 8. disp. 19. sect. 4. num. 71.* sic ait; Dico inter has sententias, tertia est omnium tutissima, & in praxi saltem sub præcepto seruanda, quando nulla vrget grauis necessitas: quod euidenter probat vniuersalis Ecclesiæ Praxis, & sentiunt ipsamet citata Pastoralia, & Doctores omnes contrariæ sententiæ, qui solum docent in morbis domitas at contagiosis & peste grassante ad euitandum periculum infectionis seruari posse ritum secundæ, vel primæ sententiæ, ceteroqui necessitate non vrgente.

te semper seruandam esse communem praxim Ecclesiæ iuxta tertiam sententiam explicatam. Ita ille.

11. Qui etiam posteà *sect.5.num.87.* hæc subdit: Demum an necessarium sit in formam exprimere omnes sensus, aut sufficiat vnum tantùm, vel nullum, dicendo: Per istam vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti. Constat ex iis, quæ docuimus sectione præcedente, an scilicet de essentia huius Sacramẽti sint omnes sensus, an sufficiat quamcumque corporis partem inungere. Omnes tamen Doctores notant tam verba, quæ diuinam misericordiam, quam quæ omnes sensus exprimunt sub præcepto proferenda esse, vt habet communis praxis vniuersalis Ecclesiæ, à qua recedere sine vrgente necessitate, graue peccatum est. Ita Amicus.

Qui ad interrogationes Caramuelis satis respondet, & satisfacit. Vide etiam Castrum Palaum *tom.4. tract.26.punct.5. num.4.*

12. Et quidem in forma Caramuelis peccatum non veniale, sed mortale adesse omninò dicendum esse puto, quia licet Reginaldus *in praxi tom.2.lib.28. num.16.* & alij censeant, illas particulas per visum, per auditum, &c. non esse de essentia formæ, & de necessitate Sacramenti, quod etiam ex Coninch, Bonacina, & Tannero obseruat Hurtadus *de Sacr. t.de Extrem. Vnct. difficult.7.*

13. Tamen communiter tenent contrarium, & obseruant Præpositus, Martinus de San Ioseph *in mon. confes.tom.1. lib.1. tract.1.de Extremæ-Vnctione num.18.* qui malè me citat pro sententia Reginaldi, Lessius *in 3.part. quæst.de Sacram. Extr. Vnct. dub.6. num.13.* Granadus *in 3.part. contr. 8. tract. 1. disp.7. num.9.* & alij

14. Ergo dicendum est contra Caramuelem, si quis relinqueret illas particulas peccaret necessario mortaliter, quia ex earum omissione Sacramentum redderetur dubium, vt optimè obseruat Præpositus *in 3.part.D.Thomæ quæst.vnic.de Sacr. Euchar.dub.4. num.25.*ergo, &c.

15. Confirmatur nostra opinio, quia vt in superiori resolutione probatum est, secundum sententiã probabiliorem vnum congelatum est apta materia consecrationis, & tamen hoc non obstante, si aliquis Sacerdos ita consecraret, peccaret mortaliter, vt ex communi Doctorum sententia supra probatum est. Ergo licet opinio Caramuelis esset probabilis de forma Extremæ-Vnctionis; tamen hoc non obstante, si sacerdos ita vngeret, dicendum est, quod peccaret mortaliter.

16. Nam in re graui à communi consuetudine Ecclesiæ recederet, & periculo non conficiendi validè Sacramentum se exponeret, & ita in nostris terminis loquens de forma Extremæ Vnctionis, si relinquatur particula *misericordiã*, docet Reuerendissimus Candidus *tom.4.disquis.3.art.2.dub.33.* Syluius *in 3.part.quæst.29.art.9.§.expressio.* Nugnus *de Sacr. tom.2.quæst.29 num.9.difficul.vnica,* & alij.

17. Vndè non deseram hic apponere verba Petri à Sancto Ioseph *in idea Sacram. c.3. ref.3.* sic asserentis; Tertiò obseruandum probabile mihi esse ad essentiam formæ non spectare, vt sensus, qui vngitur nominetur, sed sufficere ad valorem Sacramenti, si dum oculus, verbi causa, vngitur, Sacerdos dicat, per istam sanctam vnctionem, &c. indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, & idem in aliis sensibus repetat, eos minimè exprimendo. Sicut enim in forma confirmationis frons non exprimitur, etsi illius vnctio sit essentialis, ita quamuis vnctio sensuum sit necessaria ad substantiam huius Sacramenti, non sequitur quod in forma sensus essentialiter exprimi debeant.

18. Confirmatur: Nam si dum oculus vngitur proferat Sacerdos formam modo iam dicto, sufficienter indicabit se à Deo petere, vt remitat ægroto quicquid per visum peccauit, & sic de aliis. Imò si inter vngendum omnes sensus dicat Sacerdos verba illa tantum semel: Per istas sanctas vnctiones indulgeat tibi Deus quicquid peccasti, probabile est Sacramentũ valere propter rationem iam dictam: quia scilicet sufficienter videtur peti remissio peccatorum omnium, quæ à quinque sensibus originem duxerunt.

19. Moneo tamen standum esse praxi, & consuetudini Romanæ Ecclesiæ, quæ sensum qui vngitur nominat, & formam quinquies repetit, mutato vnico verbo. Indè enim sufficienter colligitur hunc ritum cadere sub præcepto, quia consuetudo habet vim legis, & non esse immutandum; nisi extrema necessitas, quæ legem non habet, exigeret interdum, vt mutaretur. Hæc à Sancto Ioseph. Quæ quidem verba, vtentem forma Caramuelis, peccare mortaliter demonstrare videntur; nam ex ipsa violaretur praxis, & consuetudo Ecclesiæ in ritu graui circa essentiam Sacramenti: Ergo.

20. Dico itaque doctissimo Caramueli, Sacerdotem administrando Sacramentum Extremæ-Vnctionis cum forma ab ipso præscripta peccare quidem mortaliter ex superius adductis, & ex doctrina adducta à Sanchez *de matr. lib.3. disp.20. num.4.* & aliis, nempè esse mortale amplecti opinionem probabilem circa formas, & materias Sacramentorum, relictis certis & præscriptis ab Ecclesia, prouenire non ex defectu opinionis, & ratione periculi, & irreuerentiæ Sacramenti; Sed quia contrauenitur Ecclesiæ consuetudini, quæ vim præcepti habet.

Sup. hoc supra in tr. 1. Resol.202. §. 2. ad medium, à vers. Sequitur. & in aliis eius annot.

RESOL. XVII.

An qui in formæ Extremæ-Vnctionis omitteret illa verba per suam misericordiam *conficeret Sacramentum? Ex quo deducitur, quid est sentiendum de omissione illius particulæ:* Per istam vnctionem? Ex part. 3. tract.4. Ref. 179. alias 180.

§. 1. NEgatiuè respondet Didacus Nugnus *to. 2. in addit.ad 3.part.quæst.29.art.9.conclus.4.* quia, ait ille, ista particula ponitur, vt explicetur causa principalis huius Sacramenti, & effectus illius; sed magis pertinet ad Sacramentum causa principalis, quàm instrumentalis. Ergo cùm Sacramentum sit nullum per omissionem illius particulæ, nempè *per istam vnctionem*, etiã est nullum per omissionem istius. Ita Nugnus, qui acriter insurgit aduersùs Suarez contrarium docentem *tom.4. disp.40 sect.3.n.13.*

Sup. hoc supra in Ref 13. §. Idem. & in Ref.14. §. Sed. & in Ref.15.§.vlt. & in Ref.16. §. vlt. & pro particula. *Per istã vnctionem*, cursim in Ref.1. huius not. & in eodem §.

2. Sed immeritò quidem, nam opinionem Suarez sequuntur doctissimi neoterici, vt Pitigianus *in 4.sentent.tom.2.disp.23.quæst.vnic.art.4.dub.2.* Laymã *in Theol.moral.lib.5.tract.8.cap.3.num.3.* Reginaldus *in praxi, tom.2.lib.28.cap.9.num.56.* Filliucius *tom.1. tract.3. cap.4.num.85.* Coninch. *de Sacram. disp.19. dub.4. num.15.* & alij.

3. Dico igitur, quòd si aliquis Sacerdos in vngendo infirmum, omitteret ista verba, conficeret Sacramentum. Et ratio est, quia expressio causæ principalis effectus Sacramenti in aliis formis non solet esse de substantia, nisi vbi est necessaria inuocatio Trinitatis, ob rationem specialem. Adde, quòd in illis verbis, *Indulgeat tibi Deus*, causa principalis, quæ in hoc Sacramento operatur, sufficienter exprimitur. Ergo, &c. Vnde patet responsio ad argumentum Nugni.

Sup hæc particula in Ref. 1. & in aliis eius not. pro hac quæst.

Quæ hic est supra in tr.1. Ref.103.

RESOL. XVIII.

An supradictæ Vnctiones faciendæ sint in modum Crucis saltem ex necessitate præcepti? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 177. alias 178.

Sup. hoc supra in Resol. 2. §. In omni. cursim ad medium, & in Resol. 10. §. ultim. & pro extrema necessitate in aliis Resol huius tract.

§. 1 AFfirmatiuam sententiam docet Sylueſter *verb. vnctio*, §. 2. & gloſſa *in cap. nunquid, de conſecr. diſt. 5.* cum Petro de Ledeſma *in ſumma, tom. 1. de ſacr. Extr. Vnct. cap. 2. concl. 2. diſſic. 2.* &. Didaco Nugno *in addit. ad 3. part. q. 29. art. 6.* vbi ſic aſſerit. Mortale peccatum eſt, facere vnctiones ſine figura Crucis. Probatur, quia eſt contra communem conſuetudinem Eccleſiæ in re graui. Vnde falſa, & improbabilis mihi videtur ſententia Suarez, dicentis non eſſe graue peccatum omittere Crucem. Ita Nugnus.

2. Sed hic auctor, vt alibi etiam notauimus, nimis audacter ſe gerit in cenſurandis opinionibus. Vnde ego puto opinionem Suarez, quam ipſe falſam, & improbabilem putat, eſſe probabiliſſimam, ſecluſo contemptu, & ſcandalo; quia nullum eſt expreſsè latum præceptum de hac re, neque conſtat conſuetudinem ſub hac exiſtimatione introductam eſſe. Vnde ſi quis Sacerdos vngeret infirmum, non in modum crucis, malè quidem faceret, non tamen peccaret mortaliter. Et ita noſtram, & Suarez ſententiam tenent Becanus *de Sacram. cap. 27. quæſ. 3. num. 3.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 8. cap. 3. num. 7.* Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 3. n. 75.* Coninch. *de Sacram. diſp. 19. dub. 2. num. 7.* Zambranus *de caſ. occurrentibus tempore mortis, cap. 5. num. 12.* & alij.

RESOL. XIX.

Notatur aliqua circa Ritus adminiſtrandi Sacramentum Extremæ Vnctionis.

Et an omittere recitationem Pſalmorum, & Litaniarum, & omnia, quæ in Manuali dicenda præſcribuntur, dum infirmus vngitur, ſit peccatū mortale, ſi abſque neceſſitate omittantur.

Et an Sacerdos vnum ſaltem Clericum debeat adhibere, ſi poſſit, qui illum iuuet in Orationibus, & reſponſionibus?

Et an in caſu neceſſitatis Sacerdos non habens Clericum, neque alium, poſſit vti in reſponſionibus miniſterio fœminæ ſine peccato?

Et an Sacerdos in defectu olei eiuſdem anni poſſit vti oleo veteri alterius anni.

Et curſim docetur neque eſſe de præcepto ſingulis annis oleum infirmorum reuocari.

Et an Extrema-Vnctio adminiſtranda ſit cum ſuperpelliceo, ſtola, & lumine?

Et an in caſu neceſſitatis, ſi prædicta non extarent, poſſit Sacerdos, his non adhibitis Extremam-Vnctionem miniſtrare?

Et deducitur, an liceat ad præbendum Viaticum dicere Miſſam ſine indumentis?

Et an Sacerdos, ſi non haberet ſuperpelliceum poſſit ſine illo miniſtrare Viaticum infirmo morituro? Ex p. 9. tract. 6. & Miſc. 1. Reſ. 45. alias 46.

§. 1. INter alios ritus, hoc Sacramentum adminiſtratur cum recitatione Pſalmorum Pœnitentialium, & Litaniarum, & omnia, quæ in Manuali dicenda præſcribuntur, dum infirmus vngitur. Sed, an iſta omittere abſque neceſſitate, ſit peccatum mortale, negat Palaus *tom. 4. tract. 27. diſp. vnica. punct. 8. num. 14.* Granado *in 3. part. D. Thomæ, contr. 8. tract. vnico, diſp. 8. num. 8.* vbi ſic ait: [Ad extremum nota, in adminiſtratione huius Sacramenti ſortiuanda eſſe omnia, quæ præſcribuntur in Manuali recitanda, nimirum, omnia, quæ *ibi* ponuntur, niſi acceleratio mortis aliud exigat, vt notauit Henriquez *cap. 12. §. 5.* ſi extra hunc caſum omitterentur, non credo peccari mortaliter, ſecluſo contemptu, quia non eſt in Manuali verbum, quod indicet, hoc eſſe graue præceptum, vt patet ex Rituali Romano, nouiſſimo edito iuſſu Pauli V. anno 1617. quod ab omnibus obſeruari hortatur, licèt non præcipiat. Si verò in aliqua Synodo ſub graui Præcepto id ſtatueretur, obligaret ſub mortali, extra caſum neceſſitatis, aut magni periculi prouenientis ex contagioſo morbo. Ita ille.

2. Item, adhibere debet Sacerdos vnum ſaltem Clericum, ſi haberi poſſit, qui illum iuuet in orationibus, quæ ad hoc Sacramētum præmitti ſolent, recitandis: alioq; ſolus Sacerdos poterit omnia peragere, vt expreſsè definit Alexander III. *Quæſtion. de verb. ſing.* his verbis: *Sacerdos vno præſente Clerico, & etiam ſolus, poteſt infirmum vngere.*

3. Sed, an in caſu neceſſitatis, Sacerdos non habens Clericum, neque alium, poſſit vti in reſponſionibus miniſterio fœminæ, ſine peccato? Affirmatiuè reſpondet Quintanaduenas *in Theol. mor. tom. 1. tract. 5. ſingul. 6. num. 3.* ſic aſſerens: Nihilominus non peccaturam mortaliter fœminam Sacerdoti ſacram Vnctionem conferenti reſpondentem, nec Sacerdotem id ei conſentientem, exiſtimo: non enim ita prohibitum, & indecens eſt, vt in Miſſæ celebratione, & aliqualis neceſſitas excuſari mò & ſine hac non erit mortale.] Hæc ille Sed Leander *de Sacram. tom. 1. tract. 4. diſp. 4. quæſt. 22.* tenet, etiam, extra caſum neceſſitatis poſſe Sacerdotem hoc Sacramentum ſolum adminiſtrare, & ſibimet reſpondere: & citat Vegam, Bonacinam, Archangelum, Poſſeuinum & alios. Sed ego hoc admitterem in caſu neceſſitatis cùm Toleto, Sà, Graſſio, & aliis.

4. Item poterit Sacerdos in defectu olei eiuſdem anni, vti oleo veteri alterius anni. Quin etiam putat Henriquez *lib. 2. de Sacram. cap. 29. num. 3.* nullo præcepto Sacerdotem prohiberi infirmos vngere oleo veteri. Ad quod confirmandū affert *in ſua Gloſſa, ſub L. V.* authoritatem, tam Theologorum, quam vtriuſque Iuris peritorum Salmanticenſium, qui poſt longam conſultationem id determinarunt. Vnde idē Author *lib. 3. c. 8 n. 2. in fine*, docet, neque eſſe de præcepto, ſingulis annis oleum infirmorum renouari. Et hæc omnia obſeruat etiā Amicus *in Cur. Theo. tom. 8. diſp. 19. ſect. 14. n. 113.* ſed aliqui opinionem Henriquez non admittunt: verùm nouiſſimè illam docet Leander *de Sacr. tom. 1. tr. 4. diſp. 2. q. 11.* & penes ipſum Lublinus, Ledeſma, Ludouicus de S. Iuan, & alij: ſed communiter contrarium docent DD.

5. Item, adminiſtranda eſt Extrema-Vnctio cum ſuperpelliceo, & ſtola: ſed an in caſu neceſſitatis, & non extarent dicta ornamenta, & infirmus moreretur poſſit, his non adhibitis, miniſtrarij negant abſolutè Suarez, Reginaldus, & alij. Amicus concedit, ſi infirmus alterius Sacramenti capax non eſſet. Sed Leandrus, quem citat, & ſequitur Quintanaduenas *vbi ſuprà. ſingul. 5. num. 4.* abſolute concedit. Et quidem, licèt Sacerdos non poſſit contra Morem, ad præbendum Viaticum dicere Miſſam ſine indumentis: tamen eſt diſpar ratio pro caſu noſtro: inquam, vt rectè obſeruat Amicus *vbi ſuprà, num. 217.* in Sacrificio Miſſæ conficitur Sacramentum, & Sacramentum Sacramentorum, & ideò maior eſt adhibenda reuerentia: in noſtro verò caſu ſolùm miniſtratur Sacramentum, quod, licet non ſit neceſſarium, eſt tamē valdè vtile: ergo, &c. Et hoc quidem à fortiori

fortiori dicendum videtur, quando Sacerdos non haberet superpelliceum; posset enim sine illo ministrare Viaticum ægroto, cùm sit Sacramentum ita necessarium. Et quidem, si opinio probabilis plurimorum Doctorum concedit laïco, in illo casu ministrare Viaticum infirmo, ac per consequens, sine superpelliceo: nam plus est tãgere Corpus Christi, quàm illud ministrare sine superpelliceo: quantò magis licebit hoc Sacerdoti. Nota etiã, Leandr. *vbi supra, de Sacr. tom. 1. tr. 4. disp. 4. q. 22.* docere, Sacerdotem peccare tantùm venialiter, si administret hoc Sacramentum sine lumine absque causa: & citat Posseuinum.

Sup. hoc superpelliceo, magis latè supr. in tr. 2. Resol. 81. à principio.

Sup. hoc supra in Resl. 9. ad lin 3. & in alio §. citius primæ not.

RESOL. XX.

Quando Sacramentum Extremæ-Vnctionis conferat gratiam?

En asseritur, quod tametsi plures vnctiones fiant in hoc Sacramento, tamen videtur vna sufficere ad essentiam Sacramenti, siue fiat in capite, siue in pectore, &c. Ex patr. 3. tractat. 4. Resolut. 178. aliàs 179.

§. 1. QVidam, vt obseruat Henriquez *lib. 3. cap 12. num. 3.* probabiliter dicunt in qualibet partiali vnctione, conferri statim gratiam, cùm habeat propriam materiam, & formam, & tamen omnes vnctiones dici vnum Sacramentum, vt duæ species in Eucharistia, vel septem Ordines, dicuntur vnum.

Sup. doctrina contenta in hoc & seq. §. lege supra ex Resol. 12. §. Adde. & §. Nec obstat. & Resl. 10. & alium §. citius primæ annot. & ex Resl. 16. §. Tertia. & in tom. 3. tr. 1. Resl. 60. à lin. 2. &c.

2. Secunda sententia probabilis putat, quòd confertur gratia, quando perficitur vltima vnctio, cum sua forma essentiali, quæ est quinta. Vnde si infirmus moreretur ante quintam vnctionem, non reciperet gratiam. Et ita docent Filliucius *tom. 1. tra. 3. c. 5. n. 126.* Suarez *tom. 4. disp. 41. sect. 2. num. 13.* Io. de la Cruz *in direct. conf. part. 2. de Sacrament. Extremæ-Vnctionis, dub. 1. concl. 3.* Villalobos *in summa, tom. 1. tr. 10. diffic. 2. n. 2.* Ledesma *in sum. tom. 1. de Sacrament. Extremæ Vnctionis. cap. 1.* Nugnus *in addit. ad 3. part. quæst. 32. art. 6.* & alij.

3. Tertia sententia est Martini Becani *de Sacrament. c. 25. quæst. 7. n. 6.* & aliorum asserentium, quòd tametsi plures vnctiones fiant in hoc Sacramento, tamen videtur vna sufficere ad essentiam Sacramenti, siue fiat in capite, siue in pectore, &c. Probatur primò, quia nec ex Scriptura, nec ex vniuersali traditione Ecclesiæ aliud colligi potest. Secundò, quia forma Ambrosiana, & Veneta non significant, nisi vnam vnctionem. Tertiò, quia sicut in Baptismo sufficit vna immersio, & in Eucharistia vna species, ita hîc sufficit vna vnctio. Nec valet dicere, quòd in Concilio Florẽtino ponuntur plures vnctiones, nam ibi ponuntur septem, & tamen certum est non omnes esse necessarias. Ergo inde nihil conuinci potest, sicut in multis Conciliis tres immersiones, & duæ species in Eucharistia ponebantur. Et confirmatur, quia si aliquis non haberet oculos, non esset necesse cum vngere super oculos, aut dicere, *Indulgeat tibi*, &c. *quidquid deliquisti per oculos.* Ergo numerus vnctionum non est de essentia huius Sacramenti. Ex his sequitur, quòd hoc Sacramentum statim confert gratiam, quando vnica vnctio peracta est sufficienti verborum forma; reliquæ tamen vnctiones ob receptam consuetudinem non facilè sunt omittendæ, si autem omittantur, fit sine detrimento Sacramenti, & effectus illius. Hæc omnia Becanus, probabiliter quidem, vt aduertit Syluius *in addit. ad 3. part. q. 32. art. 6. quæritur 2.* sed tu tene secũdam sententiam tanquam probabiliorem, & communiorem.

Sup. hac supra in Resl. 12. §. Nec obstat. in fine, sed lege eam per totam, & alios §§. & vers. eum vlt. not.

RESOL. XXI.

An Sacerdos, si vngendo infirmum moriatur, possit alius perficere Vnctionem præter Missas?

Et an possit Presbyter vnus vnam partem vngere, & alius aliam in necessitate? Ex p. 5. tr. 3. Resol. 87.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Philippus Faber *in 3. sent. distinct. 23. quæst. vnic. cap. 4.* vbi sic ait. Differt Extrema-vnctio ab Eucharistia, quia si vnus Sacerdos conficiat corpus, & non sanguinem, posset alius Secerdos perficere illud Sacramentum consecrando vinum tantùm, quod ab alio omissum fuerat, vel incipiendo à principio consecrationis sumere aliam hostiam, eámque consecrare. Deinde consecrare sanguinem, & perficere sacramentum, vt obseruauit Sotus ex D. Thom. *dist. illa 23. art. 1.* In extrema autem vnctione, si vnus Sacerdos faciat duas, vel tres vnctiones, & deficiat, alius non potest exordiri à capite, & vngere easdem partes, quia esset ac si super eamdem hostiam consecratam consecrationem repeteret, quod non est vllo modo faciendum; debet ergo persequi alias vnctiones quæ omissæ fuerant.

Sup. contenta to in hac Resl. supra in Resl. 13. §. Notandum est.

2. Sed contrarium docet Molfesius & *in summa, tom. 1. tract. 4. cap. 3. num. 54.* Turrianus *in sum. part. 2. cap. 135. dub. 2. num. 2.* Tannerus *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. n. 85.* & Ochagauia *de sacram. Extr. Vnct. qu. 8. n. 5.* vbi ait. Validum est hoc sacramentum si aliquæ vnctiones cum suis formis respondentibus fiant ab vno Sacerdote, & aliæ ab alio, quia ex eo quòd vnus Sacerdos confecit priores vnctiones cum suis formis, & posteriores non confecit, quia non potuit, propter mortem suam, non debet infirmus priuari hoc sacramento: potest ergo ab alio exhiberi, non repetendo primas vnctiones, quia illæ fuerunt validæ, integræ, & completæ, & non possunt repeti iterum; sicut neque hostia semel consecrata potest iterum consecrari. ergo ille alius Sacerdos, qui subsequitur, debet solùm posteriores vnctiones cum suis formis efficere. Confirmatur, quia quamuis in aliis sacramentis sacramentum inceptum ab vno Ministro, non posset consummari ab alio, vt in Baptismo, &c. ex eo est, quia non consistunt in pluribus materiis & formis partialibus, sed in vna tantùm materia, & forma: at hoc Sacramentum habet plures materias & formas partiales, ergo licet quædam vnctiones fiant ab vno Sacerdote, aliæ tamen possunt fieri ab alio Sacerdote. Sicut in sacrificio Missæ, si Sacerdos moriatur post consecrationem Hostiæ, alius Sacerdos debet consecrare calicem, & prosequi sacrificium, & quidem extra casum necessitatis graue peccatum committeretur eo modo diuidendo vnctiones, propter rationem suprà allatam; in casu verò necessitatis nullum. Ita Ochagauia, qui citat D. Thomam, Durandum, Sotum & Syluestrum, quibus ego ex neotericis addo Præpositum *in 3. part. quæst. vnic. de sacram. Extremæ-Vnctionis, dub. 5. n. 37.* & Emanuel Sà *ver. Extr. Vnct. n. 11.* vbi sic ait. Potest Presbyter vnus partem vnam vngere, & alius aliam in necessitate.

Sup. hoc vltimo magis latè in Resl. seq. §. 1. & 2. & in §. not. præteritæ ad medium, vers. Imo.

2. Dices numquam adesse hanc necessitatem, quòd multi Sacerdotes possint conferre hoc Sacramentum, cùm illud non sit necessitatis, possitque aliquis sine eo saluari. Respondeo posse interdum maximam esse necessitatem, vt si quis inciderit in amentiam, qui ante eam peccauit mortaliter, cuius quidem habuit attritionem, non tamen perfectam contritionem, ratione cuius sit gratiam consecutus, nec petierit confiteri, & proinde non

possit absolui, non possit etiam illi præberi Eucharistia propter periculum vomitus, huic ita necessaria est Extrema-Vnctio, vt sine illa sit in æternum periturus, cùm illa saluandus, vt est omnino probabilius: ergo potest occurrere moralis necessitas adhibendi plures Ministros huius Sacramenti. Ita Præpositus *vbi suprà, num.*39.

3. Sed licèt hæc sint satis probabilia, obseruat tamen Ludouicus Mæratius *in D. Thom.tom.*3. *tract. de Extr.Vnct.disp.*10. *sect.*2. *num.*8. cùm non sit certum, vt visum est, Sacramentum Extremæ-Vnctionis sic à duobus ministratum validum esse, si contingeret Sacerdotem, qui cœpisset infirmum vngere, mori antequam omnes vnctiones absolueret, alteri licitum esse vnctiones à principio petere, perinde atque si prior ille nihil earum inchoasset. Id Theologi docent communiter. Et ratio est, quia id infirmo multo est vtilius, cùm sic Sacramentum certissimè recipiat; fateor tamen S. Thomam in citata ad tertium responsione videri sentire id esse illicitum, & posterioti Sacerdoti esse progrediendum in eo, quod prior inchoauit, quod proculdubio intelligendum est, dum mora inter singulas Vnctiones factas à duobus interposita tanta non esset, vt obstare posset validitati Sacramenti, si perfectè omnes ab vno fuissent. Hæc Mæratius.

RESOL. XXII.

An in aliquo casu licitè possint plures Sacerdotes ministrare simul Extremam-Vnctionem, alicui moribundo?

Et an satis sit in administratione huius Sacramenti vnã guttam olei stillare? Ex part.5.tract.3.Resol.88.

Sup. hoc in Resol. præterita §. 2. in fine, vers. Potest. & in §. seq. & supra in Resol.13.§. Notandum est. ad medium vers. Imo, & præsupposito in principio huius Resol. pro validitate huius Sacram. in §. vlt. huius not. in eius principio.

§.1. SVppono cum Tannero *tom.*4. *disput.*7. *quæst.*1. *dub.*3. *num.*85. & Mæratio *in D. Thom.tom.*3. *tract. de Extrema-Vnctione, disp.*10. *sect.*1. *num.*1. quicquid in contrarium non bene asserat Turrianus *in summa, part.*2. *cap.*135. *dub.*2. *conclus.*1. validum fore hoc Sacramentum si plures Sacerdotes ita inter se conuenirent, vt dum vnus oculos inungit, formámque profert isti Vnctioni respondentem, alter nares inungeret, formámque proferret, tertius nares, & ita de cæteris sensibus, nam inter has partiales vnctiones nullus est ordo essentialis, id est, necessarius ad validitatem Sacramenti. Ita Mæratius, qui tamen subdit hunc modum ministrandi Extremam Vnctionem esse illicitum, & quòd nulla vnquam potest esse ei us necessitas.

2. Sed ego puto posse interdum esse necessitatem, & ita non solùm validè, sed etiam licitè modo, quo suprà, ministrari aliquando hoc Sacramentum, & ita docet Præpositus *in* 3. *part. quæst. vnic. de Sacram. Extremæ-Vnctionis, dub.* 5. *num.* 37. vbi sic ait. Aliquando licitè plures possunt concurrere ad confectionem huius Sacramenti, non solùm in casu si minister deficiat antequam perfecerit omnes vnctiones, sed etiam quando periculum esset ne hoc Sacramentum relinqueretur imperfectum, eo quòd ægrotus agat animam. Ita ille, cui adde Suarez *tom.*4. *disp.*44. *sect.*2. *num.*8. Barbosam *de officio Parochorum, cap.*22. *num.*9. Filliucium *tom.*1. *tract.*3. *cap.*5. *num.*94. Villalobos *in summa, tom.*1. *tract.*10. *diffic.*6. *num.*4. & Victorellum *tract. de Extrema-Vnctione fol.*74.

Sup. hoc. supra in Resol.6.

3. Notandum est etiam hîc obiter secundùm Suarez *tom.*4. *disp.*40. *sect.*2. *num.*4. satis non esse in ministratione huius Sacramenti vnicam guttam olei stillare, quia id vel non est vngere, vel certè est res aliquo modo dubia, sed oportere partem corporis oleo linire aliquod per illam diffundendo, hoc enim est propriè, & in rigore vngere. Sed hoc improbat, & meritò, Tannerus *tom.*4. *disp.*7. *quæst.*1. *dub.*3. *num.*16. & si diffusio olei necessaria esset, simè ampulla olei facilè breui vacuaretur & vsu loquendi & operandi: quæuis enim etiam gutta olei ad veram vnctionem aliquantæ partis corporis sufficit, vt etiam in Confirmatione ob balsami raritatem parcissima vnctio adhiberi solet, nec plus in Ritualibus exigitur. Vnde non est audiendus Marchinus *de peste, part.*3. *cap.*6. *num.*14. & Filliuc. *tom.*1. *tract.*3. *cap.*4. *n.*78. asserentes non satis esse vnam olei sancti guttam in membro pestiferati stillare.

RESOL. XXIII.

An confessio sit præmittenda antequam Parochus inungat moribundum?

Et an sit peccatum mortale conferre Sacramẽtum Extremæ-Vnctionis infirmo, antequam susceperit Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ? Ex p.5. tract.3. Resol.92.

§.1. REspondeo quòd confessio non est necessariò præmittenda, quantum ad ex ordine Sacramentum, nam ad dignè illud suscipiendum satis est ad summum contritio, vel attritio putata contritio, aliunde tamen potest esse obligatio, vt si post viaticum peccasset mortaliter, & post vnctionem timeretur tempus defuturum pro confessione, tunc enim hæc prætermittenda esset, & absoluendus perfectè, etiamsi tempus elaberetur pro vnctione, priùs enim sumenda sunt Sacramenta necessaria, & deinde vtilia. Et hæc omnia docet Filliucius *tom.*1. *tr.*3. *c.*5. *n.*114. vnde ex his putat Barbosa *de offic. Parochi, c.*22. *n.*36. non esse peccatum mortale conferre Sacramentum Extremæ-Vnctionis infirmo, antequã susceperit Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quia infirmus potest per contritionem se disponere ad suscipiendum hoc Sacramentum, tum quia aliquando fieri potest, vt quis recipere possit Extremam-Vnctionem, non verò Pœnitentium, vel Eucharistiam, vt quando aliquis patitur vomitum, aut ita repentè morbo præuenitur, vt non dederit signa Sacramenti Pœnitentiæ. Nec etiam desinam hîc apponere verba Henrici Villalobos *tom.*1. *tr.*10. *diffic.*5. *n.*3. vbi sic ait. [Tampoco es necessario recibir la comunion antes de recebir este Sagramento, que no ay precepto dello, aunque ordinariamente se haze assi. Mas caso podria auer, en que conuiniesse darle la Extrema-Vncion primero, como si huuiesse peligro de la vida, y no se pudiesse traer tan presto el Sagramento de la Eucharistia.] Ita ille.

RESOL. XXIV.

An sit absoluendus moribundus, qui non vult recipere Extremam-Vnctionem?

Ex quo infertur esse peccatum mortale omittere ex negligentia graui Sacramentum Confirmationis?

Et cur sim quæritur, an sit præceptum sumendi Extremam-Vnctionem, tempore mortis? Ex part.5. tract.3. Resol.97.

§.1. VIdetur negatiuè respondendum ex auctoritate Scoti *in* 4. *disp.*7. *quæst.*2. Richardi *art.*5. *quæst.*1. Vvaldensis *de Sacram. tom.*2. *cap.*111. & Petri Soti *lect.*2. asserentium esse peccatum mortale

tale omittere ex negligentia graui Sacramentũ Confirmationis. Ergo erit etiam mortale omittere ex negligentia Extremam-Vnctionem, nam qui commodè potest recipere Sacramentum, & non vult, censetur illud contemnere. Et ideò Toletus *lib. 2. c. 14. in fine*, sic ait. Hoc autem Sacramentum non est necessarium necessitate salutis, potest enim homo saluari absque Confirmatione, tamen ipsum ex contemptu relinquere, peccatum est. Est autem contemptus secundùm aliquos, cum tempore Confirmationis apto occurrente, & commoditate oblata suscipiendi, non susciperetur, maximè si probabilitas adsit non futuræ commoditatis. Sic Toletus, cui adde Bellarminum *tom. 1. lib. 1. de Sacrament. in genere, c. 22.* vbi postquam distinxerat necessitatem medij, & præcepti, subdit, v.g. Sacramentum Confirmationis est præceptum, sed non medium ad salutem simpliciter necessarium, ideo qui negligit accipere eiusmodi Sacramentum, peccat, sed si ex legitima causa non accipiat, nec peccat, nec impeditur à salute. Ita ille, & ideo hæc doctrina videtur etiam militare, quando ex graui negligentia data opportunitate infirmus nollet sumere Sacramentum Extremæ-Vnctionis. Imò Turrianus *in summa part. 2. c. 136. dub. 1. concl. 1.* putat probabile esse, quòd adsit præceptum sumendi Extremam-Vnctionem tempore mortis.

2. Sed his non obstantibus, in rigore loquendo, puto non peccare mortaliter infirmum nolentem Sacramentum Extremæ-Vnctionis sumere, secluso tamen contemptu, & graui scandalo, vt ego cum multis probaui *in 3. part. tr. 4. resol. 170.* & probant Doctores, quos citat & sequitur Tannerus *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num. 56.* vbi rectè aduertit, quòd non censetur contemnere hoc Sacramentum hoc ipso quòd sciens & prudens illud prætermittit. At licèt hoc verum sit tamen quia asserit Ludouicus, de San Iuan *quæst. vnic. art. 7. de Sacram. Extrem. Vnct. dub. 2. concl. 2.* [A se denotar que quando el enfermo està en peligro de muerte, y no quiere recebir este Sagramento estando en su juyzio cabal, se presume del, que lo menosprecia, y escandaliza à los fieles, pues no quiere recebir en semejante passo vna cosa tan prouechosa, que perdona pecados, de gracia, y socorro sobrenatural contra las tentaciones.] Ideo curet Parochus ne infirmus sine hoc Sacramento moriatur, & hortetur illum, vt illud sumat.

Sup. hoc præcepto in to. 3. tr. 1. Resol. 57. à principio.

Quæ nunc hanc sequentur; & lege etiam alium § eius secundæ not & ex Resol. annot. præteritæ. §. Sed dum. & §. Atque.

RESOL. XXV.

An Sacramentum Extremæ-Vnctionis sit suscipiendum sub onere peccati mortalis, & illud sub eodem onere teneatur Sacerdos Ordinarius in tempore necessitatis ministrare?

Et notatur in casu necessitatis, si Pastor absit, vel non possit, aut nollet iniustè hoc Sacramentũ infirmo ministrare, tunc inferiorem Sacerdotem posse, renuente Parocho, hoc officium facere ex præsumpta licentia Pontificis, & Ecclesiæ? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 169. alias 170.

Sup. hoc in Resol. præterita, signanter in eius §. vlt. & in aliis eius primæ nor.

§. 1. AD primam dubitationem secluso contemptu, & scandalo negatiuè respondeo, & ita contra Petrũ Soto *lect. 2. de Sacram. Extremæ-Vnctionis* docet Villalobos *in summa tom. 1. tract. 10. diffic. 5. num. 1.* vbi sic asserit: [No ay precepto de recebir la Extrema-Vncion, por laqual si se dexara no es pecado, saluo si vuiesse escandalo, ò menosprecio.] Ita ille, & nos alibi. An verò sit peccatum veniale affirmant Coninch *de Sacram. disp. 19. dub. 10. concluſ. 1.* & Nugnus *in 3. part. tom. 2. quæst. 23. art. 2. diffic. 1.* qui tamen notat, Suarez inclinare in illam partem, quòd nullum peccatum sit, sicut etiam hoc docere Villalobos patet in verbis *suprà* allatis.

Et sup. hoc peccato veniali supra in Resol. 12. cursim in fine, §. 1. & in tom. 3. tr. 1. Resol. 57. recitanter in §. Atque. & §. Sed dum

2. Ad secundam dubitationem respondeo negatiuè cum Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 8. c. 7. n. 3.* vbi ita ait Sacerdos qui non est proprius Pastor, si absente Parocho, licitè, ac facile ministrare possit Sacramentum Extremæ-Vnctionis in casu necessitatis, ad id ex charitatis lege obligatur, quamuis non obligatione graui, sed solùm culpa mortali, excepto si infirmus grauiter indigere videatur, quia alioquin sine omni Sacramento decedere deberet. Ita ille, qui citat Paludanum, & Coninch.

3. Notandum est tamen hîc obiter in casu necessitatis, si Pastor adsit, vel non possit, aut nollet iniustè hoc Sacramentum infirmo ministrare, tunc inferiorem Sacerdotem posse retinente Parocho, hoc officium facere; nam in tali casu Summus Pontifex licentiam illi præbere censendus est. Ita docent Henriquez *lib. 3. c. 13 n. 4.* Caietanus *vers. excommunicatio, c. 64.* Armilla *eodẽ verb. n. 49.* & alij, quos citat & sequitur Layman *vbi suprà, c. 6. n. 2.* quidquid in contrarium asserat Syluest. *verb. excommunicatio. 7. excom. 14. dub. 2.* & D. Antoninus *p. 3. tit. 24. c. 34.*

Sup. contento in hoc §. infra in Resol. 29. & in to. 3. tr. 1. Resol. 59. §. Dico secundo, & signanter. §. His suppositis. & seq.

RESOL. XXVI.

An Parochus teneatur tempore pestis ministrare Extremã Vnctionem, & Eucharistiam cum periculo vitæ?

Et quid si saltem peste laborantes confessi sunt, an Parochus tuta conscientia in tali casu non teneatur Sacramentum Extremæ-Vnctionis illis ministrare cum periculo vitæ?

Et an Sacramentum Pœnitentiæ teneantur Parochi ministrare ouibus suis etiam cum periculo vitæ? Ex p. 3. tr. 4. Resol. 173. alias 174.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docent Syluius *in 3. part. q. 32. art. 3.* & Nugn. *in 3. part. tom. 2. quæst. 33. art. ... diffic. 2.* qui ita mordicus hanc opinionem tenet, vt contrariam existimet falsam, & impiam.

Sup. hoc in Resol. seq. & in to. 3. tr. 1. ex Resol. 60. §. vlt. & pro parte Eucharistiæ supra in tract. 2. Resol. 58. Sup. hoc pro Sacram. Pœnit. supra in tr. 2. attente lege §. vlt. per totũ Resol. 58. & infra ad lin. 3. §. seq. & in to. 1. tr. 1. ex Resol. 8 §. 2 post medium, à vers. qua ratione. & in Resol. 49. §. 1. & 2. &c. & pro hoc Sacram. Extremæ Vnctionis, in to. 3. tr. 1. Resol. 60. §. vlt. ante medium. Et pro Eucharistia contẽta ad lin. 6. §. vlt. huius Resol. ante medium. & præteriti huius Resol. &. id

2. Sed iste auctor nimis rigidè se habet in qualificandis aliorum opinionibus; vnde dicendum est, opinionem negatiuam esse probabilissimam, & illam docet ex Hispanis Theologis Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 10. diffic. 6. num. 7.* vbi sic asserit [Aunque el parroco en tiempo de peste tiene obligaciõ de administrar el Sacramento de la penitencia y de la Eucharistia, con peligro de la vida; quanto à este Sacramento de la Extrema-vncion, se ha de dezir que si el peccado puede euitar el peligro de la muerte, tiene obligacion à administrarle, mas si no puede sin esse peligro, no tiene obligacion, porque este Sacramento no es de preceto, ni es necessario para la salud del alma, aunque es vtil. Assi lo tienen Armilla, y Suarez;] quibus ego addo Molfesium *in summa, tom. 1. tract. 4. cap. 3. num. 51.* vbi sic asserit. Si peste infecti confessi sunt, posse Parochos tuta conscientia hanc opinionem sequi, & Sacramentum Extremæ-Vnctionis minime illis ministrare. Ita Molfesius.

3. Notandum est tamen hîc, quòd Molfesius *loco cit. num. 52* idem dicendum esse putat de Sacramento Eucharistiæ, sic enim asserit. Sacramentum Pœnitentiæ, quia necessarium est ad salutem proximi, tenentur Parochi ministrare ouibus suis, etiam cum periculo vitæ; Sacramentum verò Eucharistiæ, & sic viaticum, non tenerentur cum tanto periculo, nisi necessitas proximi magna esset, vt, quia

Ref. 1. huius annot per totam eam attente lege.

validè dubitaretur de illius salute, si absque viatico decederet; at à longè posset Parochus hortari omes peste laborantes, vt patienter sustineant infirmitatem, ac propositum habeant suscipiendi viaticum; quia in casu necessitatis indicatur satis esse propositum suscipiendi, & sic etiam adimpletur præceptum. Ita Molfesius, & ante illum Maior *in 4. sent. dist. 7. quæst. vlt. & dist. 23. quæst. 1.* sed contrariam sententiam docent Villalobos *vbi suprà*, & Rodriguez *in summa tom. 2. cap. 87. num. 8.* cum aliis.

RESOL. XXVII.

An Parochus tempore pestis teneatur cum periculo vitæ ministrare Sacramentum Extremæ-Vnctionis?

Et an in aliquo casu possit Parochus excusari à ministratione Pœnitentiæ, vt quando esset certus moraliter infirmum non habere conscientiam peccati mortalis? Ex part. 5. tr. 3. Ref. 93.

§. 1. REspondeo negatiuè, quia non est sacramentum necessitatis, & alioquin sufficienter subuenitur necessitati infirmi per alia duo sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, vt ego ipse docui *in 3. part. tract. 4. resol. 174.* Imò Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 5. num. 99.* putat in aliquo casu posse excusari Parochum à ministratione sacramenti Pœnitentiæ, vt quando esset certus moraliter infirmum non habere conscientiam peccati mortalis, & alioquin periculum vitæ magnum esset. Vnde non est audiendus Turrianus *in summa part. 2. cap. 136. dub. 3. conclus. 1.* asserens Parochum teneri ad ministrandum hoc sacramentum subdito laboranti morbo contagioso, etiam cum periculo contagij & mortis, & ita nostram sententiam tenet etiam Tannerus *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num. 62.*

Quæ hic est Ref. antecedens, & in tom. 3. tr. 1. ex Ref. 60. §. vlt.

RESOL. XXVIII.

An ægrotus, si non fuerit confessus in articulo mortis teneatur Parochus cum periculo vitæ Sacramentum Extremæ Vnctionis illi ministrare?

Et quid, si aliquis peste infectus, qui antequam inciderit in amentiam, incidit in peccatum mortale, de quo solum habuit attritionē, an tunc Parochus teneatur cum periculo vitæ hoc Sacramentum ministrare, nisi Pastor esset valde necessarius, ex cuius morte multis immineret periculum spirituale? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 83.

§. 1. REspondeo negatiuè cum Hurtado *de Sacramento Extremæ Vnct. disput. 12. in fine.* vbi sic ait. Obseruandum est Parochum ex iustitia, aut ex fidelitate teneri conferre extremam Vnctionem ægroto eâ indigenti, eámque saltem interpretatiuè petenti, quia tenetur non solùm necessaria, sed etiam vtilia rationabiliter petenti conferre, præsertim in periculo mortis, nihilominùs ad id non tenetur, quando ipsi imminet periculum mortis ex administratione, vt ob pestem infirmi, aut aliter, quamuis infirmus sit absque Extrema-Vnctione decessurus, & quamuis nullum aliud Sacramentum susceperit, quia ex vna parte potest infirmus absque Extrema-Vnctio ne per contritionem saluari, & ex altera parte non satis constat Extremam-Vnctionem sufficere, ad delenda mortalia quoad culpam. Ita Hurtadus, cui adde Adamum Tannerum *in suis eruditissimis commentariis ad D. Thomæ tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num. 62.* Sed hoc intelligendum esse docet Iacobus Granado *de Sacram. in 3. par. contr. 8. disp. 8. num. 6.* nisi Parochus certò sciret ægrotum esse in statu peccati mortalis, & hoc remedio liberandum esse probabiliter sibi persuaderet, nam in hoc casu, qui certe metaphysicus est, patitur æger extremam necessitatem spiritualem, cui etiam cum periculo vitæ corporalis subuenire tenetur. Ita Granadus. Et aliū casum similem ponit etiam Propositus *in 3 part. quæst. vnic. de sacr. extr. Vnct. dub. 6. num. 47.* vt, v.g. si aliquis est infectus peste, qui antequam incideret in amentiam incidit in peccatum mortale, de quo solùm habuit attritionem, tunc enim putat Parochum teneri cum periculo vitæ hoc Sacramentum ei ministrare, nisi Pastor esset valde necessarius, ex cuius morte multis immineret periculū spirituale, non teneretur cum periculo vitæ illud ministrare, imò nec videretur posse cùm imminens graue malum spirituale communitatis, cui obligatur, præponderet malo vnius, & magis obligetur ipsi communitati, quàm singulis in particulari: vnde non potest cum graui detrimento communitatis priuatis consulere, v.g. in locis hæreticis infectis, vel vicinis hæreticis, pro quibus vix possit vllus Pastor inueniri, saltem mediocriter idoneus Pastor, cuius vita est necessaria ad conseruandos subditos in fide, non potest cum aperto vitæ periculo sacramentum Extremæ-Vnctionis ministrare eiuem in casu suprà posito.

RESOL. XXIX.

An si ægrotus sit morti proximus, & non inueniatur Parochus, possit simplex Sacerdos, etiā Regularis Sacramentum Extremæ-Vnctionis infirmo ministrare?

Et an si extra casum necessitatis, absente Parocho, Sacerdos infirmum vngeret, in excommunicationem præter peccatum mortale incurreret, vel an hæc excommunicatio restricta sit tantum pro Religiosis? Ex part. 5. tr. 3. Ref. 82.

§. 1. HIc casus accidit in quadam villa, & ad illum libet respondere cum verbis Iacobi Granado *de Sacram in 3. part. controu. 8. tract. vnic. disp. 8 num. 5.* vbi sic asserit. Dubitari potest, an sufficiat licentia tacita, vel præsumpta proprij Pastoris, vt Sacerdos sæcularis, vel religiosus possit alicui ministrare hoc Sacramentum. Respondetur cum Soto *in disp. 23. quæst. 2. art. 1.* quando clarè præsumitur proprium Pastorem id velle, tunc posse licitè ministrari hoc Sacramentum à quolibet Sacerdote; vnde rectè addunt Suarez *disp. 44. sect. 2.* & Henriquez *cap. 13. §. 4.* si ægrotus sit iam proximus morti, & obtineri nequeat licentia à Parocho proprio, siue quia abest, siue quia non vult illam concedere, posse alium Sacerdotem conferre illi hoc Sacramentum, quia proprius Parochus non est rationabiliter impetus, & saltem credi debet Summum Pontificem id tunc velle, ne æger priuetur hoc Sacramento, quod licèt non sit de necessitate salutis, est valde vtile, & accidere potest, vt ab eo pendeat salus æterna, si nimirum virtute illius Sacramenti consequatur remissionem peccatorum mortalium, vt aliquando obtineri potest. Ita Granadus. Vnde non est audiendus Gauantus *in Enchirid. Episc. ver. Extrema-Vnctio, num. 3.* vbi docet Religiosos non posse ministrare hoc Sacramentum, nec etiam in necessitate; sed ex contrario tene cum Ioan. Præposito *in 3. part. quæst. vnic. de sacram Extr. Vnct. dub. 6. num. 43.* & Antonio Fernandez *in Medullæ casuum conscient. part. 3. cap. 10. §. 1. num. 8.* vbi tamen aduertit, si extra casum necessitatis absente Parocho Sacerdos infirmum vngeret, in excommunicationem præter peccatum mortale

tale incurreret, quod etiam docuit Valentia *tom.4. disput.8. q.2. punct.1.* Sed amicissimus Andreas Victorellus *in Append. ad Posseuin. de officio Parochi. c.9.* putat contrarium quoad excommunicationem, nam Clement. loquitur tantùm de Religiosis, & pœnæ sunt restringendæ.

ęundo, vsque ad §. vltim. exclusiuè.

RESOL. XXX.

An excommunicatus nominatim, vel suspensus possit in articulo mortis ministrare infirmo Sacramentum Extremæ-Vnctionis?

Et quid tamen si ægrotus confessus fuerit? Ex part.5. tr.3. Resol.81.

§. 1 CEnsent Suar. *in 3. part. tom.8. disp.44. sect.2. num.6.* excommunicatum non posse, posse verò suspensum, quia hæc censura non priuat actu Ordinis. Verùm id videtur, pace viri docti, minùs solidè dictum, quia vel suspensio est totalis, quam communi iudicio constat prohibere etiam exercitium ordinis, vel est partialis ab officio, vel ordine, quo casu etiam prohibet functionem Ordinis, & administrationem Sacramentorum, vel est tantùm à beneficio, vel iurisdictione, & eo casu etiam nominatim suspensus potest Sacramentum ministrare, quia suspensio à iurisdictione solùm prohibet actus, qui sunt intrinsecè actus iurisdictionis, vt excommunicare, non verò qui sunt actus solius Ordinis, quamuis requirant in Pastore iurisdictionem vt licitè exerceantur. Itaque respondeo quo casu suspensus ab Ordine potest hoc Sacramentum ministrare, posse etiam excommunicatum; vnde dico si Sacramentum sit infirmo ad salutem extremè necessarium, iuxta modum superiori dubio positum, desitque copia alterius Sacerdotis, posse, imò debere Pastorem nominatim excommunicatum, vel suspensum ministrare, neque eo casu rigorem Ecclesiasticæ censuræ habere locum cum ea, quæ pro disciplina Ecclesiastica sunt instituta, non debeant vergere in apertum detrimentum animarum. Et hæc omnia docet Ioannes Præpositus *in 3. part. quæst. vnic. de sacram. Extremæ-Vnctionis dub.6. num.144.* qui etiam in eodem loco putat hanc doctrinam esse fortè veriorem, etiamsi hoc Sacramentum non esset ad salutem infirmi necessarium, quia videlicet fuerit confessus, nam licèt in tali casu non sit ad salutem necessarium, est tamen maximè vtile, & conducens ad remissionem venialium, & ad robur contra diabolicos insultus maximè necessarium: ergo Ecclesia, quæ propter longè inferiorem vtilitatem permittit commercium cum nominatim excommunicato, non censetur in nostro casu illud prohibere, & proinde licet Pastori in fauorem alterius Sacramentum ministrare. Nota tamen quòd contrariam sententiam tenet cum Suarez, Ochagauia *de Sacram. Extremæ-Vnctionis quæst. 10. num.3.* Sed tu ne deseras sententiam Præpositi.

Sup. hæc lege doctrinam earum Resol. sequentium, & in tom.1. tr.1. ex Resol. 15. §. vlt. ante medium, vers. Primus est. & ex Resol.19. §. Verum, in fine.

RESOL. XXXI.

An in articulo mortis aliquando sit ministranda Extremæ-Vnctio ab excommunicato denunciato, & hoc etiam tempore interdicti?

Et quid, si saltem aliud Sacramentum non sit possibile ministrari? Ex part.5.tr.3.Resol.89.

Sup. hoc lege doctrinam Resol. præteriti. & aliorum eius not.

§.1. NEgatiuam sententiam docet ex Suarez Villalobos *in summa, tom.1. tract.10. diffic.6. num.6.* vbi sic ait. [Ha se de aduertir, que el Sacerdote que està descomulgado, no puede administrar este Sagramento por necessidad que aya del, segun sentencia probable, que pues la Iglesia no permite que se dè este Sagramento en tiempo de entredicho; lo mismo parece se ha de dezir en este caso, y por el consiguiente que el enfermo no le puede recebir del descomulgado.] Sic ille, cui adde Filliucium *tom.1. tr.3.c.5.n.97.* Sed ego contrariam sententiam teneo cum Trullenck *in expos. Bullæ Cruc. lib.1 §.3. dub.7. n.2.* qui ait: In articulo mortis, quando aliud sacramentum non est possibile, non est improbabile posse ministrari Extremã-Vnctionẽ, etiam ab excommunicato denunciato, & tempore interdicti, quia tunc videtur habere locum sacramenti Pœnitentiæ, & potest facere de attrito contritum. Quòd possit in eo casu à denunciato ministrari, docent Coninck 3. *part.q.64.art.6.dub.2.n.48.* & Auila *de censur.2.part. c.6.disp.3.dub.3.concl.4.* Si enim à denunciato potest tunc ministrari, poterit etiam tempore interdicti, in quo potest pœnitentia, cuius locum in eo casu Extrema-Vnctio tenere videtur, v. g. si postquam ostendit signa contritionis, amisit vsum rationis, ob idque non potest confiteri & iamiam moritur, videtur tunc posse illi etiam tempore interdicti ministrare Extremam-Vnctionẽ, quia tunc locum pœnitentiæ habere censetur. ita Trullenck *vbi s. prà*, quicquid in cõtrarium asserat Tannerus *tom.4. disp. 7.q.1. dub.3 n.64.* & Ludouicus de San Iuan *quæst. vnic. art.1. de sacram. Extremæ-Vnctio diffic.1.* vbi docet tempore interdicti non esse ministrandam moribundo sacram Vnctionem. [Porque este Sagramento in ningun acontecimiento es Sagramento de necessidad, ni ay precepto diuino, ni Eclesiastico de recebirle, luego la prohibicion de la Iglesia se estiende à estos.] Sed tu ne deseras in casu contingenti tenere sententiam affirmatiuam.

Sup. hæc & seq. difficult. p.o tempore interdicti in duabus Resol. seqq. & lege etiam §§. annot. seq. &c.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 1. Resol. 2. §. De susceptione, & seqq. & lege etiam Resol. not. præteritæ.

RESOL. XXXII.

An tempore interdicti possit moribundo conferri Extrema-Vnctio, quando non potest recipere Sacramentum Pœnitentiæ?

Et an in dicto casu possit hoc Sacramentum ministrari ab excommunicato, & etiam denuntiato Ministro? Ex part.5.tr.10.Resol.78. aliàs 77.

§.1. CAsus est curiosus, & affirmatiuè respondeo. Puto igitur in articulo mortis quando aliud sacramentum non est possibile, non est improbabile posse ministrari Extremam-Vnctionem, etiam ab excommunicato denunciato, & tempore interdicti, quia tunc videtur habere locum sacramentũ Pœnitentiæ, & potest facere de attrito contritum. Quòd possit in eo casu à denunciato ministrari docent Coninck *3.p.q.64. art.6. dub.2. n.48.* & Auila *de cens.2.p.c.6.disp.3.dub.3.concl.4.* si enim à denunciato potest tunc ministrari, poterit etiam tempore interdicti in quo potest pœnitentia, cuius locum eo in casu Vnctio-Extrema tenere videtur, v.g. si postquam ostendit signa contritionis, amisit vsum rationis, ob idque non potest confiteri, etiam iam moritur, videtur tunc posse illi etiam tempore interdicti ministrare Extremam-Vnctionem; quia tunc locum pœnitentiæ habere censentur. Ita docet Trullenck *in Bulla Cruc. lib.1. §.3. dub. 7. numero 2.*

Sup. hoc in Resol. præterita. paulo post initiũ. à vers. In articulo mortis; & in Resol. seq. & in 10. 3. tract.1. ex Resol. 2. lege etiã doctrinam à §. De susceptione, & seqq. & pro excommunicato & denunciato Ministro cõtento in hoc textu in principio Resol.1. huius annot. & in aliis eius primæ annot.

RESOL. XXXIII.

An moribundo sensu carens sit vngendus tempore interdicti;

dicti, non valens alia Sacramenta recipere, si non habeat Bullam Cruciatæ? Ex p. 3. tr. 4 Ref. 170. alias 171.

Sup. hoc supra in Ref. 31. paulo post initiũ, vers. In articulo mortis. & in Resol. 32. & in to. 3. tr. 1. Ref. 2. §. Sed difficultas.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Petrus de Ledesma *in summa, tom. 1. de sacram. Extremæ-Vnctionis, cap. vlt. concl. 4.* vbi sic asserit. [Es cierto que en el tal caso no es licito administrar al enfermo el sacramento de la extrema vncion. Esto enseñan comunmente los Doctores, por que dizen, que de la extrema vncion no se puede administrar en tiempo de interdicho, y nunca sacan este caso; la razon es, porque este sacramento en ningun caso es sacramento de necessidad, ni ay precepto diuino de recebirle, luego la prohibicion de la Iglesia estiendese à este caso.] Ita ille.

2. Sed ego contrariam sententiam in facti contingentia consului, nempè moribundum sensibus destitutum, qui sacram Eucharistiam, & sacramentum Pœnitentiæ, non poterat recipere, fuisse omninò inungendum, etiamsi non haberet Bullam Cruciatæ, & esset in ciuitate interdictum. Et hanc sententiam docet Zambranus *de casibus tempore mortis, cap. 5. dub. 7. num. 5.* vbi sic ait: Satis probabile est, licitè ministrari posse, & debere Extremam-Vnctionem morienti carenti omni priuilegio, etiam tempore interdicti, & maximè si tunc careret sensu. Ita ille, qui multas rationes adducit, & citat Henriquez *lib. 3. cap. 10 num. 3. in g'ossa litera F.* & multos viros doctos à se consultos. Et ipse Ledesma *vbi supra*, etiam hanc sententiam probabilem putat. Restat modò respondere ad argumentum Ledesmæ. Dico igitur, quòd nec iura, nec Doctores loquuntur in casu nostro, cùm negant tempore interdicti posse sine priuilegio dari Extremam-Vnctionem; nam agunt de casu ordinario, in quo moriens recipit aliud Sacramentum, vel quando licèt non recipiat, potest tamen commodissimè aditi iudex, qui posuit illud interdictum, vt tollat illud prædicto casu. Igitur nostram sententiam in fauorem animatum omnino amplectandam esse puto, & illam Parochi, si casus occurrat, sine metu in praxim (me impellente, & consulente) deducant.

RESOL. XXXIV.

An Sacerdos tempore pestis possit vngere infirmum, non digito, sed virga oblonga, vt eius contactum effugiat? Ex part. 3. tractat. 4. Resolut. 166. alias 167.

Sup. hoc in Ref. seq.

§. 1. HIs annis elapsis, quando hic morbus miserimè ciuitatem hanc afflixit, sententiam affirmatiuam consului, quam docent Chapeauilla *de sacram. Extrema-Vnctio. quæst. 34.* & Franciscus Syluius *in 3. part. quæst. 32. art. 3.* vbi sic asserit. Curet Sacerdos habere vestes breues, & ita eas ad se colligat, vt quàm maximè potest, fugiat contactum infirmi. Præterea ægrotum (si potest) constitui faciat in loco puro, & libero, non se statuat inter ignem, & infirmum, muniat se præseruatiuis iudicio medicorum; & vti potest virga oblonga, verè tamen oleo tincta, sic vt perficiatur vnctio. Peracta autem vnctione, virgam eiusmodi aut purgabit, ac in similem vsum seruabit, si aurea, vel argentea sit propter reuerentiam Sacramenti, vel igne comburatur, si sit lignea. Ita Syluius, quæ omnia multum pro praxi in tali casu erant conducentia.

RESOL. XXXV.

An Sacerdos infirmis peste morientibus possit Sacramentum Extremæ Vnctionis ministrare virgula argentea oblonga, &c.

Et an in tali casu liceat Parocho ministrare Extremam-Vnctionem vngendo quidem omnes quinque sensus, sed vnam aurem, vnum oculum, vnam narem, pedem, manum, & deinde vtendo hac forma omnes singulas partiales sub vna totali amplectente, dicendo: Per istas sanctas vnctiones indulgeat tibi Deus quicquid per visum, auditum, olfactum, gustum &c. peccasti? Ex part. 5. tr. 3. Ref. 79.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam olim docui in 3. p. tr. 4. ref. 167. cum Syluio & Chapeauilla, quibus nunc addo Victorellum *tr. de sacram. Extremæ-Vnctionis, fol. 68.* & Matchinum *de pest. p. 3. c. 5. n. 1.* vbi sic ait, In magno vitæ discrimine non esse incongruum ministrari à Parochis Extremam-Vnctionem à longè virgula quadã, siue argentea, siue lignea, siue ex alia materia confecta ad pedem extendam; & ratio afferri potest, quia ex vsu parte huiusmodi instrumenti vsus non infert aliquem horror Sacramento irreuerentiam, ex alia magnam nobis à natura ius tribuitur conseruandæ vitæ. Sic ille. Idem etiam docet Ioannes Præpositus *in 3. p. q. tract. de sacr. Extrema Vnctio. dub. 6. n. 48.* Barbosa *de offic. Parochi, c. 22. n. 16.* Iacob. Mancinus *in practica visitandi infirmos pr. 8 dub. 18.* vbi ita asserit practicasse D. Petr. de Marchis Archiepiscopum Smyrnensem, vide etiã Suarez *tom. 4. disp. 44. sect. 3. num. 10.* Sed an in tali casu liceat Parocho ministrare Extremam-Vnctionem, vngendo quidem omnes quinque sensus, sed vnam aurem, vnum oculum, vnam narem, pedem, manum, & diende vtendo hac forma omnes singulas partiales sub vna totali amplectente: *Per istas sacras vnctiones indulgeat tibi Deus quicquid per visum, auditum, olfactum, gustum & tactum, deliquisti*; & affirmatiuè respondi *vbi supra, resolut. 168.* Quæ cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Matchinum *loco citato cap. 7.* cum Filliucio *tom. 1. tract. 7. cap. 5. num. 129.* vbi sic asserit. In casu necessitatis, quando nimirum esset vel periculum contagij, vel vt infirmus antè moriatur sub conditione mente concepta posset Minister vnica actione attingere quinque sensus vngendo vnum oculum, vnam aurem, & vnam manum, &c. & super hanc totam vnctionem proferre formam, quæ omnes quinque comprehendat, dicendo: *Per has sacras Vnctiones indulgeat tibi Deus quicquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum peccasti.* Sic enim faciendo, nec fit iniuria Sacramento, & proximo potest esse valde vtile, fortè etiam ita saluabitur, qui alias condemnandus fuisset, vt si esset tantùm attritus & confessus alias non posset. Ita Filliucius.

RESOL. XXXVI.

Quo tempore sit danda infirmis vnctio extrema? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 172. alias 173.

§. 1. EXperientia nos docet, parentes vltimum amare magis corpora, quàm animas infirmorum, & ideò quando agitur de Extrema-Vnctione illis ministranda clamant, & vsque ad vltimum differre volunt; sed in hoc quantum errent etiam contra salutem corporum infirmorum, demonstrat doctrina

doctrina Soti *in 4.sent. dist.23.quæst.2.art.2.*& Ioannes de la Cruz *in direct. conscient.part.2.de sacram. Extr.vnct.dub.3. concl.3.* vbi sic asserit. Sanitas corporis est effectus istius Sacramenti non infallibilis, sed quando subiectum est dispositum, & aliàs salus corporis expedit saluti animæ,& tunc subiectum est indispositum, quando est ita viribus corporis destitutum, quòd virtus finita istius Sacramenti non potest illud sanare. Et paulò pòst *dub.4.concl.2.* ita ait. Cùm hoc Sacramentum in causando salutem corporis, non operetur miraculosè,sed virtute ordinaria supernaturali, non speretur tempus, quo causæ naturales iuuari non possint, sed adhuc spes salutis duret.Ita ille.Sed audiamus etiam Pitigianum *in 4. sent. tom.2.disp.23.quæst.vnica,art.5. §.4.* sic loquentem:Non est expectandum,vt infirmus iam sensu,& cognitione careat, nam id est contra reuerentiam,& vtilitatem Sacramenti; nec etiam est expectandum tempus,in quo iam constet infirmum non posse naturaliter viuere,nam hoc etiam derogat secundario fini huius Sacramenti.Nam quamuis hoc Sacramentum supernaturaliter iuuet ad sanitatem recuperandam, non tamen est consentaneum expectare tempus,in quo ferè manifestè sit necessarium miraculum, nam hoc est quodammodo tentare Deum,& virtutem Sacramenti velle experiri.Hæc Pitigianus.

RESOL. XXXVII.

Quonam tempore infirmitatis debeat Sacerdos inungere moribundum? Ex part.5.tr.3.Res. 95.

Sup.hoc in Res. præterita.

§. 1. LIbet huic dubitationi respondere cum verbis Kellisonij *tom.2 in 3.part.quæst.32.art.3.* vbi sic ait.Notandum est, quòd sicut non est conferendum sacramentum hoc nisi iis, qui probabiliter præsumuntur extremè laborare, & quasi in exitu huius vitæ constitui,ita non esse nimis differendum hoc sacramentum. In quo peccant Ministri, qui non adhibent hoc sacramentum, vel amici infirmi, qui Ministrum non accersunt, donec infirmus iamiam exhalaturus est animam, & vsu omni rationis destituitur, quia vsus rationis & deuotio infirmi plurimum confert ad effectum huius sacramenti; & hoc sacramentum confert vires contra tentationes,quæ solent præcedere priuationem vsus rationis,cùm destitutus ratione non sit capax tentationum, neque leuaminis contra vim morbi. Quo circa hac in re prudenter procedendum est,& neque nimium festinandum, (cùm non omnis ægrotus sit capax huius Sacramenti, vt suprà,) neque nimium tardandum, cùm vsus rationis, & deuotio infirmi multum conferat. Quocirca mentitur Caluinus *lib. 4. institut.cap.19.tit. de vltima vnctione, numer.25.* quando asserit, Iacobum omnes infirmos inungi voluisse, Catholicos non infirmos, semimortua cadauera sua inficere pinguedine, cùm iam anima in primoribus labris laborat,vel, vt ipsi loquuntur, in extremis. Neque enim omnes Ministri differunt hoc sacramentum, donec infirmus mortuus penè sit, vel ratione destitutus, & si qui differant ab Episcopis reprehenduntur,& puniuntur.Vide etiam Philippum Fabrum *in 4.sent. dist.23. quæst.vnic. disp. vnic. cap.4.*

Sup.hoc latè in Res. seq.

RESOL. XXXVIII.

An Sacramentum Extremæ-Vnctionis collatum infirmo non grauiter, vel periculosè laboranti, sit validum? Et an si postea periculosè laboret.sit ei denuò Sacramentum ministrandum?

Et an in dubio, (non loquor in casu opinionis,) an morbus de se, vel in hoc indiuiduo est periculosus, possit Extrema-Vnctio ministrari?

Et an in hoc casu ministranda sit Extrema-Vnctio sub conditione? Ex part. 9.tr. 6. & Misc. 1. Res. 44. aliàs 45.

Sup. hoc in Ref.præterita, post medium, lege vers. cum non omnis ægrotus.

§. 1. QVoad primam difficultatem, affirmatiuam sententiam probabilem esse putat Quintanadu. *in Theolog. moral.tom.1.tract.5.singul.2. num.5.* Et quoad infirmitatem grauem, licèt non appareat periculosa,etiam tanquam probabilem illam admittit Lessius *in 3.part.D.Thomæ, de Sacram. Extremæ-Vnctionis, cap.4.dub.1.num. 21.* Imò etiam in casu, quo morbus non sit ita grauis, hanc sententiam probabilem esse existimat Ioannes Vvigers *in Supplem.3.part.D.Thomæ, qnæst.32. num.3.*

2. Probari potest hæc opinio, tum ex D. Iacobo,qui solùm expostulat infirmitatem, nullius periculi mortis mentionem faciens, ibi: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros*, &c.Tum ex Trid.*sess. 14.cap.3.* asserente. *Hanc Vnctionem esse infirmis adhibendam,illis præsertim,qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur.* Vbi notãdum est verbum, *præsertim*, quod indicat, aliis infirmis ab iis, qui constituti sunt in exitu vitæ, vnctionem esse adhibendam. Tum ex Florent.dicente; *His tantum infirmus vnctionem dari debere,de quorum morte timetur.* Expendo verbum, *debere*,quod ad licitum vsum, non ad valorem spectat: alias loco, *debere*, vteretur Concilium, verbo, *posse*, Ergo,&c.

3. Sed ego puto,absolutè dicendum in vtroque casu posito *in titulo Resolutionis*, Sacramentum esse inualidum. Et ita docet Suarez *tom.4.in 3.part. disp. 42.sect.2.num. 4. & 5.* Nicolaus Ysambert *in 3.part. tom.3.de Sacram.Extremæ Vnctio. disp.6. art.2,* Granado *in 3.part.contr.8.tr.vnico,disp.6.n.2.* Castr. Pal. *tom.4.tr. 26.disp.vnica,punct. 6. n. 15.* Caspensis *in Cur.Theolog.tom.2.tr.27.disp.4.sect.2. n.12.* Amicus *vbi infrà*,& alij communiter. Et ratio sumitur (ait Ysambert,*vbi suprà*)ex citato D. Iacobi;dum pro eo verbo,quod habet vulgata nostra editio, *infirmatur*, Græca editio habet,ἀσθενεῖ quæ,iuxta vim suæ significationis,significat esse sine viribus,& præ infirmitate deficere:item,ex eo,quòd idẽ textus Græcus explicet hanc,*Infirmi*,tali particula,quę,vt,*suprà* notauimus,significat moribundũ,graui morbo laborantem,eóq; veluti deficientem:tum denique ex illa alia particula,*alleuiabit eum*,quæ,iuxta textum Græcum, vt *suprà* monuimus,idem sonat,ac infirmũ,præ morbo sopitum sensib.*excitabit*.Confirmatur ampliùs:si Sacramentum hoc posset conferri homini non ita infirmo,Sanctus Iacob. non diceret,*Inducat Presbyteros Ecclesiæ*; sicut de aliis Sacramentis, quæ sanis, aut parum infirmis administrantur, solemus loqui: quia hoc cedit,tum in reuerentiam, tum in deuotionem Sacramenti, & in humilitatem suscipientis: at ait Sanctus Iacobus: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, id est, vocet eos ad domum suam, in qua decumbit ægrotus. Deinde, si morbus ille, quem postulat Sanctus Iacobus in suscipiente hoc Sacramentum, esset tantùm leuis, & nullo modo periculosus; non consuleret, tanquàm remedium aliquod, Sacramentum quod est remediũ aliquod supernaturale;sed diceret, esse recurrendum ad Medicos, & naturalia remedia: quia non videtur esse ita conueniens recurrere ad remedia supernaturalia pro bonis corporis, vbi est euidens supereſſe naturalia. Probatur item ex Florent. Trident. & eius Catechismo, *vt suprà*: item,

item, ex eo, quòd Sacramentum hoc frequenter vocetur, *Sacramentum exeuntium Extrema-Vnctio*, quòd conferatur extremo morbo laborantibus.

4. Deinde Concilium Tridentinum *sess. 14. in Proœmio huius Sacramenti*, asserit, institutum esse à Christo Domino, vt finem nostræ vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio, muniret aduersùs Diaboli insidias. Supponit ergo, non aliis, quàm iis, qui in fine vitæ esse creduntur, ministrandum esse. Quod optimè confirmari potest ex eo, quod sit totius vitæ Christianæ (vt inquit Concilium) consummatiuum. Secundo, si quilibet infirmus huius Sacramenti capax esset, eique validè ministrari posset, nulla appareret sufficiens ratio, cur Ecclesia solis infirmis periculosis hoc Sacramentum concederet, & aliis denegaret, iniustè enim viderentur priuati tanto Sacramenti fructu; quo ex institutione Christi capaces existunt. Vnde ex his patet responsio ad argumenta contraria.

5. Sed hic obitet quæro, an in dubio (non loquor in casu opinionis,) an morbus de se, vel in hoc indiuiduo sit periculosus, possit Extrema-Vnctio ministrari? Et esto, censeat Chapeauilla *de ministrat. Vnct. cap. 5. quæst. 11.* ministrandam esse vnctionem sub conditione: at verius existimo cum Layman *tract. 8. cap. 4. circa finem*, ab hoc Sacramento supersedendum esse: tum, quia non est Sacramentum necessitatis: tum, & præcipuè, quia Sacramentum ministrari non potest ei, quem saltem sub opinione probabili non constiterit illius fructus esse capacem: tum, quia est præceptum, ne aliis, quàm vita periclitantibus ministretur, cuius præcepti transgressioni exponitur, qui infirmo dubium vitæ periculum tantùm habenti vnctionem concederet. Et ita etiam docet Palaus *vbi suprà, num. 13.*

6. Non nego tamen, opinionem Chapeauillæ esse probabilem, quam absolutè tenet Ysambert *loco citato, num. 6.* vbi sic ait: [Imò, si Medici nullum adhuc habeant positiuum iudicium; quo prudenter, & probabiliter affirment, infirmum esse in periculo, sed grauiter hæsitent, licèt suspendant iudicium, nihilominùs infirmus non desinit esse capax huius Sacramenti: quia tunc ob eiusmodi prudentem hæsitationem Medicorum, timetur de morte talis infirmi; & proinde cùm ex Florentino *suprà* allegato, hoc Sacramentum debeat dari infirmo, de cuius morte timetur, debet etiam & huic conferri, maximè cùm possit esse ei alicuius necessitatis; & Sacramenta, quæ sunt necessitatis, possint etiam conferri in dubio, ne Christianus priuetur remedio.] Ita ille.

7. Et hæc dicta sufficiant circa primam difficultatem. Deueniamus itaque ad secundam, videlicet, an si infirmus in morbo non periculoso vnctus sacro oleo, posteà incidat in infirmitatem periculosam, sit ei denuò Sacramentum Extremæ-Vnctionis ministrandum? Et affirmatiuè respondet Quintanadueñas *vbi suprà, num. 6.* & meritò quidem. Vnde in eius fauorem adducam authoritatem Patris Amici *in Cur. Theolog. tom. 8. disp. 19. sect. 10. num. 186.* vbi sic ait: [Ex dictis infero, si quis hoc Sacramentum suscepit tempore, quo morbus non censebatur periculosus, posset posteà hoc Sacramentum repetere, quando idem morbus euadit periculosus: tum, quia, *suprà* ex Conciliis ostendimus, hoc Sacramentum collatum infirmo graui, ac periculoso morbo non laboranti, est inualidum: tum, quia, esto, fuerit validum: quia tamen morbus mutatus de non periculoso, in periculosum, constituit infirmum sub noua necessitate, potest iterari.] Ita ille.

RESOL. XXXIX.

An in eadem infirmitate possit Sacerdos aliquè denuo inungere?

Et notatur, quod non est necessarium vt infirmus recuperet sanitatem, & posteà incidat in similem, vel aliud morbum, & simile periculum, sed satis est, si manente infirmitate v. g. hectica, vel hydropisi euadat periculum mortis, & post aliquod tempus iterùm incidat in periculum mortis, tunc enim toties, quoties hoc acciderit, potest iterari hoc Sacramentum? Ex part. 3. tr. 3. Resol. 96.

§. 1. HOc sacramentum non respicit tantùm infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum, quo secundùm humanam æstimationem infirmus appropinquat morti, quocirca cùm infirmitas non est diuturna, & vnum tantùm est periculum mortis, non debet hoc sacramentum iterari. Quando verò morbus est diuturnus, vt est hectica, & hydropisis, tunc si videtur periculum, vel articulus mortis, debet infirmus inungi, & si posteà euadat hoc periculum, & durante illo morbo iterum recurrat idem periculum, debet iterum inungi.

5. Notandum, hoc sacramentum, vt suprà, esse medicinam, non solùm contra infirmitatem animæ, sed etiam corporis, si illa impediat; quocirca recurrente periculo mortis, repetenda est medicina. Non est autem necessarium, quod infirmus recuperet sanitatem, & posteà incidat in similem, vel aliud morbum, & simile periculum; sed satis est si manente infirmitate, v. g. hectica, vel hydropisi, euadat periculum mortis, & post aliquod tempus, (quod relinquitur iudicio prudentis viri) iterum incidat in periculum mortis. Tunc enim toties quoties hoc accidit, potest iterari hoc sacramentum, vt infirmus habeat leuamen in articulo mortis. Quo circa Concil. Trid. *sess. 14. cap. 3. de Extrema-Vnctione*, sic pronunciat. Quòd si infirmi post susceptam hanc vnctionem conualuerint (hoc est, vel omnino recuperauerint valetudinem, vel ad tempus meliùs se habuerint, & euaserint periculum mortis) iterum huius sacramenti subsidio iuuari poterunt, cùm in aliud simile discrimen inciderint. Vide Kellisonium *tom. 2. in 3. part. quæst. 35. art. 2.* Ludouicum de San Iuan. *quæst. vnic. art. 7. de sacram. extrem. Vnct. dub. 5. concl. 2.* Victorellum *tract. de sacram. Extr. Vnct. fol. 70.*

RESOL. XL.

An perseuerante periculo alicuius infirmitatis, in qua sumpta est Extrema-Vnctio, si adueniat periculum alterius infirmitatis possit ager denuo inungi?

Et quid, si antiquum periculum, quod iam desierat, redit, an iterum, ac tertio, vel quoties adueniat periculum, possit infirmus inungi, maximè in agritudinibus diurnis, vt in hydropisi, & similibus?

Et an sit peccatum mortale absque necessitate non repetere formam Extremæ-Vnctionis in singulis memoratorum vnctionibus?

Et quid sentiendum est in prædicto casu de nullitate, aut valore Sacramenti? Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Resol. 11.

§. 1. CAsus est curiosus; & apud nullum Doctorem forsan inuenies, nisi apud non minùs ingeniosum, quàm doctum Patrem Dicastillum *de Sacram. tom. 1. tract. 7. disp. 1. dub. 10. num. 164.* vbi sic ait: Quamuis Extrema Vnctio, non imprimat characterem;

racterem; nequit tamen eodem periculo morbi validè iterari; idque constat ex vsu Ecclesiæ: quando verò adest nouum periculum, aut antiquum periculum, quod iam desierat, redit; validè iterum administrari potest. Vnde etiam perseuerante antiquo periculo, non tamen ità proximo; id est, etiam perseuerante ægritudine eadem, cessante tamen vrgenti illo periculo, si posteà contingat in nouum periculum incidere; validè confertur Sacramentum iterũ, ac tertio, vel quoties denouo aduenier periculum. Difficilius est, an, si perseuerante eadem ægritudine cum suo statu periculoso, aduenias noua aliqua ægritudo omninò distincta à præcedenti, etiam illa per se tam periculosa, vt sufficiat per se ad conferendam Extremam-Vnctionem, possit iterùm repeti hoc Sacramentum? In qua re, saluo meliori iudicio, Ego distinguerem, si enim ægritudo superueniens iudicio Medicorum sit aliquid natura sua comitans, vel ordinariè consequens, aut annexum priori ægritudini perseueranti; tunc, etiam si secundùm leges physicas curationis, & secundùm definitiones ægritudinum, seu morborum, specie distinguantur; possunt, & debent reputari pro vno, & eodem. Item, si morbus, vel ægritudo superueniens ideò periculosa sit comparatione subiecti, quia casu inueni subiectũ præcedenti morbo laborans: secus non futura notabiliter periculosa; potest adhuc illud periculũ præcedentis morbi censeri auctum, creuisseque ex aduentu alterius concausæ; ac proinde non iterandum hoc Sacramentum. Si verò causa superueniens, ipsa per se independenter è præcedenti, tam periculosa sit, vt nouum censeatur periculum, sufficiens se solo ad conferendum Extremam Vnctionem patienti; non improbabile mihi videtur posse iterum repeti Sacramentũ; est enim simpliciter alius status ægroti, morbusque diuersus; maximè, si adhuc erat spes aliqua naturaliter sanandi in præcedenti morbo, tamẽ ex superuentu sequentis ea spes tollatur. Vnde si contingat ægrotum malignis febribus periculosè decumbentem ab aliquo lethaliter vulnerari, etiamsi ratione prioris ægritudinis susceperit Extremam-Vnctionẽ; probabile omninò puto, posse iterum licitè, & validè Extremam-Vnctionem recipere: tũ quia ægritudo simpliter noua constituit hominem in nouo & distincto agone, & noua & distincta necessitate auxiliorum respectu secundæ ægritudinis, ad cuius agonem, & certamen nondum existentis non data fuerat gratia præcedentis Sacramenti. Nec enim Sacramentum hoc confert gratiam cum respectu ad auxilia, vel (quod idem est) auxilia non conferuntur intuitu Sacramenti suscepti, nisi comparatione ægritudinis, in qua existebat ægrotus, quando suscepit Sacramentum. Cùm ergo iam existat simul in alia noua ægritudine, non minus indigente gratia, auxiliis, & inductione Presbyterorum Ecclesiæ, qui orent super ægrotum, vt oratio fidei saluet infirmum, & alleuiet eum Dominus; non videò cur ad hos omnes effectus, & ad sanitatem etiam corporis, modo explicato, non possit vti secundo Sacramenti huius remedio, vrgente secunda indigentia; quod enim alia ægritudo nondum obierit, per accidens esse videtur, si expectemus præcisè nouæ ægritudinis indigentiam. Hucusque Dicastillus, quæ secundùm eius mentem dicta esse volo.

Sup. hoc in Reſ. not. ſeq.

Sup. hoc in Reſ. præteri-a.

2. Dicendum est igitur, posse iterum hoc Sacramentum in ægritudinibus diuturnis, vt in hydropisi, & similibus, quando accidit periculum mortis, quod potest accidere aliquando bis, & ter; vt notat Zanardus *in Direct. Theolog. par. 1. de Sacr. Extr. Vnction. cap. 5. in fine*, quod etiam notauit Raguccius *in Lucerna Parochorum, de Sacr. Extr. Vncl. quæst. 10. num. 3.* vbi testatur in ciuitate Beneuenti quemdam Scipionem Mascambrunum suprà ter fuisse vnctum in quadam infirmitate, in qua melius se habuit, & deinde iterum subiit periculum mortis.

3. Sed si obitet hic aliquis inquirat, an sit peccatum mortale absque necessitate non repetere formam Extremæ-Vnctionis, in singulis membrorum vnctionibus? negatiuè respondet vbi suprà Dicastillus, *dub. 4. num. 69.* sic asserens: De repetitione verò eiusdem formæ in singulis vnctionibus, Aliqui putant esse necessariam saltem necessitate præcepti in vnaquaque vnctione suã formam repetere, quod mihi placet. Vtrùm autem sit peccatum mortale, ita sine vrgente necessitate omnes conferre Vnctiones, vt interim, dum fiunt, vna tantùm forma communis omnibus proferatur? Aliqui Recentiores dicunt: nisi moneatur vngendus de periculo nullitatis Sacramenti, esse mortale; nimirum supponentes illam doctrinam, quòd in materia Sacramentorum, nec forma, nec materia dubia, nec minister dubius adhiberi debeat; nisi saltẽ moneatur suscepturus de periculo nullitatis. Quæ sententia probabilis est, & in praxi omninò sequenda: sed non quidquid est positum in opinione, statim cẽsendum dubium quoad hoc, tunc enim aliqua, quę quamuis non sint certa omnimoda certitudine, ad eam proxime accedunt; vel tanta est probabilitas, vt possit quis moraliter esse securus. Et quidem in nostro casu, cùm præter Vnctionem legitimam, vt supponimus, oratio Presbyteri adhibeatur communis pro omnibus Vnctionibus; non video esse timendum, aut dubitandum de nullitate, aut valore Sacramenti; vt censeri debeat peccatum mortale ex eo præcisè capite, quòd hic, aut ille Doctor velit mouere Quæstionem. Talis est illa quæstio de valore Sacramenti Pœnitentiæ cum sola attritione, etiam cognita vt tali. Vnde existimo vnicam formam sufficere. *Per istas sanctas Vnctiones, & suam piissimam misericordiã indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* Interim exhibendo omnes prædictas Vnctiones: hæc enim verba tam integrè, & expressè significant, atque significarent singulæ formæ per se dictæ. Hæc Dicastillus. Sed ego hanc sententiam in sola necessitate olim admisi, & nunc admitto cum Tannero *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 1. num. 19.* & tenet, me citato, Pater Lugo *de Sacram. in genere, cap. 12. num. 3.*

Sup. his materia, forma, & Miniſtro dubio ſupra in tr. 1. ex doctrina Reſ. 202. § 2. poſt mediũ, ad verſ. Sequitur grauiter. & in alio §. & verſ. eius not.

Sup. his nullitate, aut valore ſupra in Reſ. 16. §. Tertia. & §. Adhuc & in aliis eius not. & lege et am Reſ. & verſ. annot. primæ huius §.

Admiſit in Reſ. præteritæ annot. & & in eodem §. Tertia. & in aliis eius not. & ſignãter lege Reſ. 10. &c.

Sup. his nullitate, aut valore ſupra in Reſ. 8. paulo poſt initium, à verſ. & doctiſſimus Barboſa vſque in finẽ, & in Reſ. 10. & 11. lege eas per totas, & in Reſ. 35. ad mediũ, à verſ. ſed an in tali caſu. &c.

RESOL. XLI.

An Sacerdos moribundus possit se ipsum vngere? Ex part. 5. tr. 3. Resol. 94

§. 1. VIdetur affirmatiuè respondendum, quia, vt suprà satis probatum est, Sacerdotem moribundum posse se ipsum communicare, sed respondeo negatiuè, quia S. Iacobus satis indicat diuersas esse personas infirmi & Presbyteri vncturi. Secundò, quia forma mutaretur substantialiter quoad significationem verborum, non enim idem est: indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti; &, indulgeat mihi quicquid deliqui, &c. sicut esset mutatio substantialis si quis diceret, Baptizo me, vt docet S. Thom *quæst. 66. art. 5. ad 4.* Tertiò, quia sacramenta quæ perficiuntur ipso vsu, requirunt ministrum à suscipiente diuersum. Aliud est de Eucharistia, quæ est sacramentum in re permanenti consistens, & ita docet Mercerus *in 3. part. de Sacramentis, quæst. 32. art. 5.*

RESOL.

RESOL. XLII.

An Parochus, si cognoscat per confessionem puerum nunquam actualiter peccasse, teneatur ministrare illi Extremam-Vnctionem? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 180. aliàs 181.

§. 1. NEgatiuam sententiam mordicus tenet Didacus Nugnus *in 3. part. tom. 2. quæst. 32. art. 2 diffic. 2.* & in terminis Ioannes Sancius *in selectis, disp. 27. num. 18.* quia qui nunquam peccauit, subiectum habile non est, cuius respectu forma vnctionis verificari valeat. Nam qua ratione verè dici potest, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti.* &c. respectu illius, qui nec peccatum, nec peccati reliquias habet, cùm nulla vnquam labe fuerit infectus? Ita Sancius.

2. Sed mihi contraria opinio magis placet. quam tuetur Suarez *tom. 4. disput. 42. sect. 2. num. 10.* quia in hoc casu infirmus indigebit Sacramento Extremæ-Vnctionis ob robur acquirendum aduersùs tentationes & ad superandam tristitiam ex infirmitate manantem, & accipiet gratiam, qua perfectius ad ingressum glorię præparetur. Et ita hanc sententiam ex multis aliis rationibus præter Suarez tenent etiã Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 10. diffic. 4. num. 7.* Pirigianus *in 4. sent. tom. 2. dist. 23. q. vnica. art. 5.* Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 11. num. 69* Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 4. n. 108.* Coninch *de Sacram. disp. 19. dub. 7. num. 23.* Hentiquez *lib. 3. cap. 11. num. 3.* & alij.

3. Vnde apparet immerito hanc sententiam falsam à Nugno fuisse vocatam. Restat modò respondere ad argumentum Sancij, quòd forma non falsificatur in tali casu, dicendo, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*; nam hunc sensum facit, Imponendo tibi gratiam sacramentalem de se remissiuam peccati, si fortè adsit, sicut qui in sacramento Pœnitentiæ absoluit quempiam iam contritum, nam illa verba, *Absoluo te à peccatis tuis*, sensum reddunt, Impono tibi gratiam remissiuam peccatorum. Vide Coninch. *de Sacram. disp. 4. dub. 4. num. 59. & 60.* Filliucium *vbi suprà*, & alios.

RESOL. XLIII.

An puer sit vngendus Sacramento sub conditione, quando dubitatur, si habeat vsum rationis?

Et quid, si dictus puer recepisset Sacramentum Pœnitentiæ etiam sub conditione? Ex p. 3. tr. 4. Resol. 168 alias 169.

Sup. hoc in Resol. 1. post seq. cursim in §. vlt. & supr. in. tr. 2. Resol. 90. §. 1. in fine

§. 1. AD hunc casum ita respondet Zambranus *de casibus occurrentibus tempore mortis, cap. 1. dub. 1. num. 7.* Credo dandam esse Extremam-Vnctionem sub conditione, quando de puero dubitaretur, an haberet vsum rationis sufficientem ad sacramentum Pœnitentiæ; licèt in cali casu dubij de vsu rationis, videatur esse tutius non dare vnctionem, quando dictus puer non posset recipere sacramentum Pœnitentiæ sub conditione; quamquam non sit omninò improbabile etiam tunc posse dari vnctionem, sub conditione scilicet, Si es capax, propter maximam eius vtilitatem, & fructũ in tali articulo mortis, quem summopere refert feliciter concludere. Ita ille sed tu absolutè, & sine vllo timore dabis Extremam Vnctionem sub conditione. Et ita docet Sancius *in selectis, disp. 28. num. 17.* qui omnino videndus est.

RESOL. XLIV.

An pueris danda sit Extrema Vnctio, si non sint capaces Sacramenti Eucharistiæ, sed tantum Pœnitentiæ?

Et asseritur in articulo mortis pueris doli capacibus, & aptis confiteri dandum esse Viaticum? Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. Resol. 89.

§. 1. NEgatiuè respondet Sotus *in 4. sentent. dist. 23. quæst. 2. art. 2. colum. vlt. ver. si quæras.* Viualdus *in candel. aur. de Extrema-Vnct. cap. de sufficien. num. 7.* & quidam doctus neotericus, asserentes pueris dandam non esse Extremam-Vnctionem, nisi in ea ætate, & dispositione sint, vt etiam sactum Viaticum accipere possint, & hoc multis in locis consuetudine obseruari.

2. Sed aduersùs dictam consuetudinem & DD. opinionem insurgit, & meritò Melchior Zambranus *de cas. occur. temp. mor. cap. 5. de Extrema. Vnct. dub. 1. per totum.* & DD. quos ipse citat, quibus ego addo Layman *in Theol. moral. lib. 6. tract. 7. cap. 4. num. 2.* & Ludouicum de San Iuan *in summa, tom. 1. de sacram. Extrema Vnct. quæst. vnica, art. 6 dub. 3. conl. 5.* vbi sic ait. [Para recebir la Extrema-Vncion no es menester que el niño llegue à edad de recebir el Sacramento de Eucharistia, como piensa vn Author moderno, aunque muy docto, porque para recebir el Sanctissimo Sacramento del Altar, es menester mucha mas discrecion, que para la Penitencia, y Extrema-Vncion.] Ita ille; licet aliqui DD. probabiliter etiam doceant pueros in articulo mortis, qui sunt capaces sacramenti Pœnitentiæ, esse capaces sacramenti Eucharistiæ.

3. Dicendum est igitur omnibus pueris capacibus sacramenti Pœnitentiæ, atque adeò omnibus post septennium, nisi constaret carere vsu rationis, dandam esse Extremam-Vnctionem, licèt non recipiant, nec sint idonei ad recipiendam Eucharistiam.

4. Verùm non desinam hic adnotare, quod plures DD. asserunt, in articulo mortis, pueris doli capacibus, & aptis confiteri dandum esse Viaticũ. Ita Tannerus *in 3. p. disp. 5. q. 6. dub. 5. n. 116.* Hentiquez *lib. 3. c. 42. num. 4.* Armilla *ver. communio, num. 10.* Caietanus *ver. minister communionis, in fine.* Salas *de legibus tr. 14. sect. 13. n. 127* Reginaldus *tom. 2. lib. 10. n. 81.* Suarez *tom. 3. disp. 7. sect. 1. in fine.* Nugnus *in 3. part. quæst. 80. art. 9. diffic. 2. ad 3. argum.* & ego alibi.

RESOL. XLV.

An pueri tunc in articulo mortis sint vngendi, quando sunt capaces Sacramenti Eucharistiæ?

Et notatur, quod si dubitetur puerum habere vsum rationis esse adhuc sub conditione vngendum? Ex part. 5 tr. 3. Resol. 85.

§ 1. SOtus *in 4. dist. 23. quæst. 2 art. 2.* & Viualdus, Sup. Resol. 44. de Extrema-Vnctionis, diffic. 10. affirmatiuam sententiam docuerunt, sed ipse ibi meritò, sententiam negatiuam docet quia, ait ille, ad excipiendam Extremam-Vnctionem non requiritur tanta discretio, quanta ad receptionem Eucharistiæ, sed sufficit illa quæ sufficit ad receptionem sacramenti Pœnitentiæ, cuius Extrema-Vnctio est consummatiua. Et ita docet etiam Baldellus *tom. 1. lib. 5, disp 30 num. 16.* & Ioan. Præpositus *in 3. part. quæst. vnic. de sacram Extremæ-Vnctionis, dub. 7. n. 57.* vbi

vt sic ait. Pueri, qui sunt capaces confessionis instituendæ, & absolutionis, sunt capaces huius Sacramenti, quia sunt capaces effectus illius, imò licitè potest eis conferri, etiamsi nondum soliti sint communicare. Vnde Pastores possunt talibus hoc Sacramentum præbere, quia non habet talem cum Eucharistia connexionem, vt hæc necessariò debeat præcedere. Ita ille, & fusè docet hanc sententiam Ioan. Sancius *in select. disp. 27. n. 6.* & alij penes ipsum, quibus adde Nugnum *in 3. part. tom. 2. quæst. 32. art. 4.* & nouissimè Iacobum Marchantium *de Sacram. lib. 5. de Extr. Vnct. cap. 1. quæst. 1.*

2. Notandum est tamen quòd si dubitetur puerum non habere vsum rationis, esse adhuc sub conditione vngendum, vt ex Sancio & Zambrano docui *in 3. part. tract. 4. resol. 169.* & me citato, docet nouissimè Ioannes de Lugo *de Sacram. Euchar. disp. 13. sect. 4. num. 41.*

Quæ hic est supra Resol. 44. & in alia Ref. eius anno.

RESOL. XLVI.

Virum adulto in articulo mortis recenter baptizato sit, illi Sacramentum Extremæ-Vnctionis ministrandũ? Et an in tali casu sub conditione, administranda sit ei Extremæ-Vnctio? Ex p. 3. tr. 4. Ref. 171. alias 172.

Sup. hoc in Ref. seq.

§. 1. HIc casus frequenter solet accidere, & negatiuam sententiam docent Nugnus *in 3. part. quæst. 32. art. 4. conclus. 2.* & Sancius *in selectis, disp. 27. n. 18.* vbi sic asserit. Ego recens baptizato vnctionem ministrandum non consulerem, nisi nouum post Baptismum peccatum admisisse constaret.

2. Sed contrarium ego teneo, & ideò anno 1620. testatur ipsemet Sancius, fuisse ministratum Cathecumeno Matritensi, mancipio Mahumetano periculoso morbo decumbenti, Sacramentum Baptismi, Eucharistiæ, & Extremæ-Vnctionis successiuè, & immediatè vnum post aliud. Et ita hanc sententiam docent Zambranus *de cas. tempore mortis cap. 5. dub. 3. n. 6.* Ledesma *in summ. tom. 1. de Sacr. Extrem. Vnct. cap. 6. concl. 7.* Vega *in speculo Curat, part. 1. c. 13. n. 20.* Naldus *in summa, verb. Extrema-Vnct. num. 9.* Posseuinus *de officio Curati cap. 9. num. 4.* Henriquez *lib. 3. cap. 11. n. 3.* Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 6. n. 108.* vbi sic asserit: Peccatum actuale non est materia proxima, vel remota huius Sacramenti, sicut est pœnitentia. Ergo quamuis non præcesserit, poterunt omnia essentialia adhiberi, atque adeò conferet effectum suum. Confirmatur, quia si quis in graui morbo baptizetur, etsi in fine vitæ, post viaticum debet sumere hoc Sacramentum, etiamsi nullum peccatum post Baptismum commiserit. Ita Filliucius, & post illum Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 8. cap. 3. n. 3.* sic asserens. Potest hoc Sacramentum ministrari homini, etiamsi nullum peccatum habeat, v. g. ei, qui immediatè antè baptizatus fuit. Sic ille; vide etiam Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 42. sect. 2. n. 9.* Lopez *in instruct. part. 2. cap. 23.* Syluestrum *verb. Extr. Vnctio, n. 5. in 3. dicto*, Paludanum *in 4. dist. 23. q. 3. n. 15.* Richardum *in 4. dist. 23. art. 4. q. 4.* & alios.

3. Vnde licèt Nugnus *vbi suprà in 3. part. q. 32. art. 4. concl. 1.* & alij asserant, in tali casu sub conditione ministrandam esse Extremam-Vnctionem; attamen ego puto cum supradictis Doctoribus absolutè posse ministrari; ex quibus valdè miror, aliquos Parochos baptizare infideles tempore mortis, & tamen illis Sacramentum Extremæ-Vnctionis minimè ministrare.

RESOL. XLVII.

An Extrema-Vnctio sit ministranda adulto in periculo mortis statim post Baptismum susceptum? Ex p. 5. tract. 3. Ref. 86.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam puto tenendam & practicandam, quam præter Doctores, quos citaui *in 3. part. tract. 4. ref. 172.* docet etiam Molfesius *in summa, tom. 1. tract. 4. cap. 3. n. 42.* & Ludou. à San Iuan. *quæst. vnic. art. 6. de Sacr. Extrem. Vnct. dub. 3. concl. 4.* vbi sic asserit. [A todos los adultos se ha de dar este Sagramento, si estan en el articulo de la muerte, aunque esten rezien bautizados; porque aunque à estos se les ayan perdonado todos sus pecados por el bautismo, quanto a la culpa y pena, toda via les quedan las reliquias, y resabios del pecado, que es la torpeza para el bien, y pronteza para el mal.] Et ita hanc opinionem tenet Præpos. *in 3. part. quæst. vnic. de Sacram. Extrema-Vnct. dub. 7. n. 61.* & ratio est, quia hoc Sacramentum habet duplicem proprium & infallibilem effectum; vnus est auxilia, quibus homo potest in illa extrema lucta corroborari: alter est remissio peccati, ita vt hi effectus sint disparati; & vnus ab altero non dependeat, possitque vnus conferri ei, qui non sit alterum recepturus, quisquis autem est capax alterutrius, est capax Sacramenti: cùm ergo is, qui nunquam peccauit, potest tamen peccare, per intrinsecam dispositionem possit recipere auxilia, quibus possit corroborari, potest hoc Sacramentum recipere, ergo, &c. Vide etiam Mercerum *in D. Thom. to. 3. tract. de Extr. Vnct. disp. 9. sect. 3. n. 2.* Vnde satis remanet fundata nostra sententia, & ideo Parochi, me consulente, ne deserant infidelibus baptizatis in articulo mortis statim Sacramentum Extremæ-Vnctionis ministrare.

Quæ hic est Ref. antecedens.

RESOL. XLVIII.

An mutus, surdus & cæcus à natiuitate sit vngendus Extrema-Vnctione?

Et asseritur, deficiente organo alicuius sensus, locum organi esse vngendum, quod etiam fieri debet, quamuis homo tale organum nunquam habuerit, & proinde nunquam exterius per illud peccauerit, quia potuit peccare desiderio actus illius sensus. Ex part. 5. tr. 6. Ref. 11.

§. 1. RAtio dubitandi præsertim de cæco, esse potest, quia talis nunquam deliquit ex visione oculorum, cum illa caruerit. Sed contrarium dicendum est, & ideò Posseuinus *de officio Curati, c. 9. n. 15.* sic ait. In cæco à natiuitate benè vnguntur oculi, quia habuit potentiam, licèt non actum peccandi. Idem dicitur in muto & surdo. Ita ille, cui adde Naldum *in summ. verb. Mutus, n. 3. & verb. Extr. Vnct. n. 8.* vbi ita asserit: Extrema-Vnctio dari debet à Natiuitate surdis, mutis, & cæcis, prope illa organa sensus illius, quo carent, quia licèt exteriùs per illa organa non peccauerint, peccasse tamen possunt per interiores potentias, quibus illa membra respondent. Hæc Naldus. Vnde Ioann. Præpositus *in 3. part. quæst. vnic. de Sacr. Extrem. Vnct. dub. 8. n. 73.* asseruit, deficientem organo alicuius sensus locum organi esse inungendum, quod etiam fieri debet, quamuis homo tale organum nunquam habuerit, & proinde nunquam exteriùs per illud peccauerit, quia potuit peccare desiderio actus illius sensus.

Sup. hoc sũpra in Ref. 1. §. penult. per totum, & §. vlt.

Sup. hoc ibi dem, ad medium prædict. §. vlt.

RESOL. XLIX.

An mulieri deficienti in partu sit ministrandum Sacramentum Extremæ-Vnctionis?

Et infertur hoc Sacramentum nõ esse ministrandum iis, qui non laborant infirmitate, licet in magno vitæ periculo versentur, & sic non est ministrandum gerentibus bellum, aut existentibus in mari cum periculo mortis, aut damnatis ad mortem per supplicium à Iudice. Ex part. 10. tract. 12. & Misc. 2. Res. 9.

§. 1. NEgatiuè respondet Bonacina *de Sacr. disp. 7. quæst. vnica, punct. 5. n. 6.* Naldus *in Summa, verb. Extr. Vnctio, n. 5.* Sed ego puto affirmatiuæ sententiæ adhærendum esse, si mulier in partu incipiat deficere. Et ita docet Leandrus *de Sacram. tom. 1. tract. 4. disp. 3. quæst. 21.* & alij penes ipsum; quibus ego addo Patrem Lugo *de Sacram. in genere, cap. 21. n. 5.* & Patrem Amicum *in Curs. Theolog. tom. 8. disp. 19. sect. 9. n. 137.* vbi sic ait: Concedunt hoc Sacramentum multi Doctores fœminis partui proximis; quamquam, vt refert Emmanuel Sà, *verbo, Extrema Vnctio, in fine*, id vetat Synodus Mediolanensis. Explicandi tamen sunt hi Doctores, vt tunc sit hoc Sacramentum ministrandum fœminis partui proximis, quando ex nimio dolore partus ita corporis viribus debilitantur, vt de morte earum timeatur. Ita ille. Sed audiamus Reuerendissimum Candidum *tom. 3. disquis. 3. art. 5. dub. 3.* sic asserentem: Hoc Sacramentum non est conferendum iis, qui non laborant infirmitate, licèt in magno vitæ periculo versentur: & sic non est ministrandum gerentibus bellum, aut existentibus in mari cum periculo mortis, aut damnatis ad mortem per supplicium à Iudice, aut mulieribus in partu existentibus. Quia, hi omnes laborant infirmitate corporali: sed ex verbis D. Iacobi, *cap. 5. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*; apertè colligitur, hoc Sacramentum non esse conferendum, nisi laborantibus infirmitate corporali, ergo gerentibus bellum, existentibus in mari, damnatis ad mortem, mulieribus in partu existentibus Sacramentum hoc non debet conferri. Quod si mulier in partu incipiat deficere, est ei hoc Sacramentum dandum; quia tunc ex defectu naturæ proxima est morti. Hæc Candidus. Rectè itaque dixit Trullench. *de Sacram. lib. 6. cap. vnico, dub. 4. num. 4.* quòd Extrema-Vnctio mulieribus parturientibus communiter non est danda; nisi vitæ discrimen fundetur in aliqua actuali ægritudine, & infirmitate; vt quia iam cœpit habere acerbissimos dolores, ex quibus iudicio Medicorum appareat probabile periculum mortis. Et ita ego olim consului, mulierem actu parturientem ex grauibus doloribus constitutam ex iudicio Medicorum in probabili periculo vitæ, fuisse vngendam Sacramento; vix enim contingit tale periculum sine ægritudine nata extorsione, & vexatione partium inferiorum, & tunc adduxi pro mea sententia, præter Doctores citatos, Lublinum *in Summa, verb. Extrema-Vnctio, num. 14.* Reginaldum *in praxi, tom. 2. lib. 48. cap. 10. n. 68.* Vide etiam Filliucium *to. 1. tract. 3. cap. 5. n. 68.* Vnde valde miratur Leandrus *vbi supræ* cum Archangelo de Rubeis, quomodo Concilium Mediolanense 4. *part. 2.* affirmet vulneratos mortaliter inungi posse, & mulierem in partu deficientem inungi non debere: cùm tam ista, quam illi violenter ad mortem infirmentur: imò tantò magis mulier inungi debere, cùm eius infirmitas sit ex defectu naturæ, quæ in partu infirmitatem non solita est. Sed considera, & recognosce, ne dictum Concilium loquatur de mulieribus existentibus in partu sine periculo, vt obseruat Basæus *in Enchir. Theolog. verb. Extremæ Vnctionis Sacramentum nu. 4.* non autem deficientibus in partu, & constitutis in probabili mortis periculo. Vide Antonium Ragusium *in Lucerna Parochorum, de Sacram. Extremæ-Vnctionis, quæst. 14. num. 1.* & Michaëlem Zanardum *in Direct. Theol part. 1. de Sacram. Extrema-Vnctionis, cap. 5. §. 6.*

RESOL. L.

An illis, qui in amentiam inciderunt, sit in periculo mortis ministranda Extrema-Vnctio, licet hoc Sacramentum nunquam petierint?

Et an in tali casu phreneticus, vel furiosus, si rogatus, sit ligandus, vel fortiter tenendus, vt recipiat Extremam-Vnctionem, exclusis tamen laicis ad tollendum scandalum? Ex part. 5. tract. 3. Res. 84.

§. 1. REspondeo affirmatiuè cum Ludouico Miratio *in D. Thom. tom. 5. tract. de Extrema-Vnctione, disp. 9. sect. 2. n. 6.* vbi sic ait. Scindum dubium est, an ministrari possit quibuslibet infirmis de vita periclitantibus etiam non petentibus, imò nec petere, vel ob amentiam, in qua tunc sunt, vel ob aliud impedimentum valentibus Communis sententia est posse, non modò si antea petierint, nec contraria voluntate suam illam priorem voluntatem postea retractarint, quod certum est, sed etiam dum licet nunquam expressè petierint, aliquam tamen habent illud suscipiendi intentionem, vel formalem & expressam, vel virtualem & interpretatiuam, quam semper habent ij, qui debitè Sacramenta assæ perceperunt, vel de commissis à se peccatis contriti sunt, aut saltem attriti, quod de quolibet, de quo contrarium non constat, semper est præsumendum, quia qui non probatur malus, bonus præsumi debet; & ita docet etiam Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 5. n. 101.* Ochagauia *de Sacram. Extrema Vnct. quæst. 7. n. 1.* Ludouicus à S. Iuan *de Sacram. Extrem. Vnct. quæstion. art. 6. dific. 2. conclus. 2. & 3.* & Vega *in speculo Curæ, tom. 2. cap. 13. §. 3. n. 15.* vbi sic ait. [Este Sacramento es ordenado tambien para curar los pecados venales, y las reliquias de los pecados mortales, por tanto à los locos y furiosos y simples de su nacimiento que no superion nunca pecar, y no pueden tampoco tener deuocion, como se ha de tener à este Sacramento, no se dè administrar. Otra cosa es, si vuieron luzidos interualos, o enloqueccieron por alguna enfermedad, y le pudieron antes, o le dessearon expressamente, o tacitamente, o alomenos le huuieran pedido, si huuieran aduertido, porque à estos se puede ser administrado.] Sic ille. Cui addo Præpositum *in 3. part. quæst. vnic. de Sacram. Euchar. dub. 3. n. 59.* Granadum *de Sacram. contr. 8. tract. vnic. disp. 2. n. 4.* Zambranum *de Sacram. Extremæ Vnctionis, q. 1. dub. 2. qui n. 3.* vt ego alibi notaui, putat in tali casu phreneticum, vel furiosum; si resistat, esse ligandum, vel fortiter tenendum, vt recipiat Extremam-Vnctionem, exclusis tamen laicis ad tollendum scandalum, & sanè non dubito id esse necessarium, quando phreneticus non posset recipere aliud Sacramentum. Ita ille, & nouissimè, me citato, Barbosa *de officio Parochi, cap. 22. num. 31.*

TRACTA

TRACTATVS QVINTVS
De Sacramento Ordinis.

RESOLVTIO PRIMA.

An Christus Dominus determinauerit in indiuiduo omnes materias Sacramenti Ordinis? Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Resol. 65.

Alibi in to. 3. tr. 1. ex lau doctrina Resol. 67. §. Dicendum, & §. Nota tamen, sed lege eam per totam, & signanter §. Vidisti, & hic infra in Resseq. & in tom. 4. tr. 8. Resol. 78. §. 2. ante medium, à vers. Ipse tamen, non desig nauit, vsque in finem.

§. 1. PRo eo negatiua sententia alibi adduxi vtrosque Lugos Germanos, Ioannem & Franciscum; Pontium, Præpositum, Amicum, Marchinum, Fornarium, Petrum à Sancto Ioseph, & Arcudium. Sed Cardinalis Iustinianus bon. memor. hanc sententiam impugnauit, & ex Nostris impugnat doctus, & amicissimus Pater D. Augustinus de Bellis. Et ego iterum ipsam amplector; nam, præter Doctores citatos, illam tenet sapientissimus & numquam satis laudatus Ioannes de Dicastillo, *tom. 1. de Sacrament. tract. 1. disp. 1. dub. 2. n. 363. & tract. 6. diff. 1. dub. 10. n. 265. & dub. 11. n. 174.* & Leandrus *de Sacram. tom. 1. tract. 1. disp. 1. quæst. 11. & tom. 2. tract. 6. disp. 3. qu. 3.* Dico itaque ad propositam quæstionem, quòd Christus Dominus, instituendo Ordines, determinauit tantùm eorum materias in genere; nimirum, vt ea esset legitima cuiuslibet Ordinis materia, quæ existens sensibilis, sui traditione debitè, & sufficienter facta, tam ex parte Ministri, quàm intentionis, significaret tunc de facto, potestatem tali ordini propriam dari ei, qui materiam istam sensibilem, seu signum istud sensibile acciperet in sua ordinatione: particularem autem istius signi determinationem, seu imponere, & veluti affigere significationem practicam istius potestatis huic, vel illi rei sensibili particulari; reliquit faciendum Ecclesiæ, prout, & quando illa iudicaret esse conueniens. Itaque Christus non determinauit in indiuiduo materiam, & formam Sacramenti Ordinis, materialiter sumptas; Nec materiam Eucharistiæ: Nam pro materia, & forma Ordinis, instituit signum sensibile significatiuum potestatis, quæ traditur; & verba talem potestatem exprimentia. Pro materia Eucharistiæ instituit panem, non determinando hunc, vel illum, sed panem, quicumque esset: nec Vinum album, vel rubrum, sed vinum quodcumque. Et ita in Ecclesia Græca ordinantur Presbyteri, & Diaconi per solam manuum impositionem sub certa forma verborum. In Ecclesia verò Latina per manus impositionem, & per traditionem Panis, & Vini. In Ecclesia Græca conficitur in Pane fermentato; in Latina in Azimo. Igitur quia vtraque Ecclesia confert ordinationem per signum sensibile, & per verba significantia traditionem Sacerdotij, vtraque validè conficit; vtraque, formaliter loquendo, seruat materiam, & formam à Christo institutam; licèt non moraliter, cùm sic vtatur signis diuersis. Et ideò Martinus de San Ioseph *in Monita Confess. tom. lib. 1. de Sacrament. Ordin. tractat. 2. num. 5.* sic ait: [En la Iglesia Grega la materia deste Sacramento es solamente la imposicion de las manos del Obispo, que dize estas palabras: Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt supplet, creat, seu promouet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum, &c. Con que quedan ordenados los Sacerdotes Griegos sin entregarles la Hostia en la Patena, ni el vino en el Caliz. Y dize Padre Lugo *de Sacrament. in genere, disp. 2. sect. 5. num. 85.* que vio en Roma, que Obispos Griegos Catolicos ordenauan desta manera, sabiendolo, consintiendolo el Sumo Pontifice. Y no obsta à lo dicho, que la materia, y forma de los Sacramentos deüe ser la misma en todas las Iglesias; por que Christo Señor nuestro no determinò en particular la materia, y forma indiuidual del: lo que quiso fue, que se diesse este Sacramento por alguna senal sensibile, que significue la potestad, que se concede, y por palabras, que signifiquen lo mismo; y las dos Iglesias Latina, y Griega dan el Sacramento del Orden por señal sensibile, y formalmente guardan la materia y forma, que instituyò Christo Señor nuestro; aunque no es assi materialmente; porque vsa cada vna de señales diuersas.] Ita ille.

2. Et tandem nouissimè satis latè & solidè hanc sententiam sustinet, & docet Nicolaus Ysambert, Doctor, & Socius Sorbonicus *in 3. part. D. Thomæ, tom. 3. de Sacram. Ordin. disp. 3. art. 6. & 7.* qui omninò videndus erit: firmat enim validis argumentis sententiam nostram & respondet ad contraria. Et post hæc scripta inueni, huic sententiæ adhærere etiam Castrum Palaum, *tom. 4. tract. 27. punct. 4. n. 11.* qui citat Bellarminum, Coninch, Layman, & Bonacinam, vnde patet hodie inter Theologos recentiores hanc sententiam communem.

3. Verùm post hæc scripta etiam inuenio Martinon *de Sacram. tom. 5. disp. 66. sect. 4 & 5.* omnia superiùs dicta confirmare, & postquam notauit plures differentias, quoad conferendos Ordines inter Ecclesiam Latinam, & Græcam, tandem firmat, Christum, non determinasse in specie materiam & formam huius Sacramenti; Sed genericè tantùm instituisse, vt loco materiæ adhiberetur signum aliquod sensibile, significatiuum potestatis, quæ traditur: & loco formæ adhiberentur verba eandem potestatem sufficienter exprimentia. Hoc autem requiritur in vtraque Ecclesia. Quare vtraque seruat omnia essentialia à Christo instituta. Determinatio verò istius signi sensibilis, & materialis ad manus impositionem, facta est ab Apostolis: vt indicat Gregorius IX. cap. *Presbyter supra relato*; patétque, eos sic ordinasse Diaconos, *Actor. 6.* Presbiteros, *Actor. 14. vers. 12.* iuxta vim textus Græci; Episcopos, *1. Timoth. 4 & 2. Timoth. 2.* quem ritum Græca Ecclesia hucusque seruauit, atque etiam Latina in iis Ordinibus, qui certò Sacramentales sunt, nempè in Episcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu: de aliis enim incertum est, aut potius falsum, quod sint Sacramentales, & à Christo ipso instituti. Sed impositioni manuum adiunxit porrectionem instrumentorum, ad maiorem expressionem potestatis per ordinem collatæ: ita tamen, vt in rigore alterutra sufficiat ad valorem

Sacramenti. Nam, quod sufficiat impositio manuum sine porrectione instrumentorum, patet ex ritu Græcorum. Quòd item sufficiat porrectio instrumentorum sine manuum impositione, significare videtur Gregorius IX. *cap. Presbyter, supius citato.* Et probatur efficaciter eos, qui tenent Subdiaconatum, & quatuor Minores esse Sacramenta. Nam conferuntur per porrectionem instrumentorum sine manuum impositione. Ex parte verò formæ liquet, vtramque Ecclesiam adhibere verba sufficienter exprimentia potestatem, quæ confertur per ordinem. Quare vtraque Ecclesia seruat essentialia Sacramenti, & tantùm differt penes accidentalem determinationem signi sensibilis, & verborum. Item Christus non determinauit in vnica cæremonia, vel multiplici Episcopatus conferri debere, vel Presbyteratus, aut Diaconatus, vt in Ecclesia Latina confertur duplici, vnica verò in Ecclesia Græca; sed liberum Ecclesiæ reliquit, vel vna cæremonia, vel diuersis significare omnem potestatem, quæ ab vnoquoque illorum Ordinum confertur. Obiicies, Concilium Florentinum, ex vtraque Ecclesia Græca, & Latina coactum, damnasse tacite ritum ordinandi Græcorum, cum definiuit, materiam Ordinis esse id, per cuius traditionem confertur Ordo: Sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem, &c. formam verò Sacerdotij talem esse, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro viuis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vbi nota Græcos huic definitioni non reclamasse, atque ita, tacitè saltem, consentisse. Respondeo cum Arcudio, *lib. 6. cap. 5. initio*, Græcos non interfuisse, quando in fine Concilij factum est illud Decretum Eugenij pro institutione, & vnione Armenorum, qui per suos Legatos se Romanæ Ecclesiæ tunc adiunxerunt. Quare Eugenius Pontifex, & Concilium per illud Decretum nihil definiuit contra Græcos, nempe illos corrigere, aut docere intendit: sed tantùm instituere Armenos de modo celebrandi Sacramenta, iuxta ritum in Ecclesia Romana vsitatum, quem ibi describit. Hoc patet ex ipsiusmet Decreti verbis, præsertim initio, & ex actis Concilij, quæ habentur, *tom. 4.* Conciliorum veteris editionis: Non potuerunt ergo, neque debuerunt Græci reclamare huic Decreto, cum neque illi conficiendo adessent, neque per illud peterentur; sed tantùm docerentur Armeni Ritum, quo vtitur Ecclesia Romana in Sacramentorum administratione.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 1. Res. 66. & in tom. 4. tr. 8. Res. 19. à lin. 4. & hic infra in Res. 7. §. Probatur, ad medium, & in Res. 8. à §. 2. & in Res. 9. §. 2. prope finem, à vers. Imo, & in Res. 11. §. 1. ad medium, à vers. Et hæc à fortiori, & in Res. 19. §. vnde, à lin. 8.

4. Notandum autem contra eos, qui putant contactum instrumentorum, quæ porriguntur ab Episcopo, esse essentialem Sacramento, Concilium Florentinum non dicere, materiam esse contactum instrumentorum, sed porrectionem, vel traditionem, quæ potest fieri sine contactu ex parte ordinandi. Cùmque Episcopi Græci validè ordinent sine illa, imò & sine porrectione instrumentorum; certum esse debet, non esse de essentia Sacramenti. In praxi tamen non debet omitti à Latinis, quia præscribitur in Pontificali Romano illis, qui ritu Latino ordinantur. Et hæc omnia docet Martinon, *loco citato.*

5. Nec etiam deseram hic apponere ea, quæ asserit, *tom. 4. disp. 27. sect. 3. num. 25.* Concilium Florentinum (ait) non omnia, quorum mentionem facit in assignandis Sacramentorum materiis sunt essentialia; vt patet inductione. Pro materia enim Calicis Eucharistici assignat vinum cum aqua modicissima, quæ tamen de essentia non est. In Sacramento Pœnitentiæ satisfactionem numerat inter actus pœnitentis, qui sunt materia, & tamen satisfactio est tantùm pars integralis. In Sacramento Ordinis ait, materiam esse illud per cuius traditionem confertur Ordo: sicut, inquit, Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem &c. Et tamen Græci sola manuum impositione ordinant, & vt ex eorum praxi, & libris refert Arcudius, *lib. 6. de Sacrament. cap. 2. & sequent.* Simulque atque vna, & eadem manus impositione, & forma verborum dant vtramque potestatem Sacerdotalem, consecrandi scilicet, & absoluendi à peccatis, non distinguunt, vt fit in Latina Ecclesia. Neque vsurpant eadem verba, quæ Florentinum tradit, alioqui Presbyteri Græci non essent veri Sacerdotes. Quos tamen, vt reales agnouit Ecclesia Romana, & vniuersa Ecclesia eodem Concilio, quotidie permittit, eos celebrare inter Latinos, nullúmque eorum reordinat, quando à Schismate ad vnionem cum Ecclesia Catholica accedit. Ita Martinon, cui etiam adde, præter alios Doctores à me citatos *in part. 8. tract. 1. resol. 41. num.* ninò videndum eruditissimum Francisc. Halier de *Sacris Ord. cap. 2. art. 1. §. 11. per totum*, Gamachium *in Summ. Theol. tom. 2. de Sacram. Ordin. cap. 5. prop. fin.* Estium *in 4. distinct. 7. §. 10. & 11.* Bernal. *de Sacram. disp. 17. sect. 1. n. 1.* Coninch. *de Sacram. disp. 10. dub. n. 65.* & Auersam *de Sacram. Ordin. quæst. 1. sect. 1. & 2.* Vnde apparet, vt dixi, nostram sententiam inter Doctores recentiores esse communem.

6. Et hæc omnia in vnum congerere volui, vt, si in facti contingentia aliqua Congregatio particularis circa præsentem difficultatem à Summo Pontifice institueretur, vt factum fuit à fel. mem. Vrbano VIII. statim Eminentissimi Cardinales, Præsul, ac Theologi in illa designati, Auctores omnes, qui de hac quæstione pertractant, præ manibus haberent.

RESOL. II.

An materia, & forma Ordinum fuerint institutæ à Christo Domino? Ex p. 6. tr. 8. & Misc. 3. Res. 18.

§. 1. AD hanc satis difficilem quæstionem ita respondet Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thomæ, q. vnic. de Sacram. Ordinis, dub. 10. n. 109.* Ex hactenus dictis de materia & forma ordinationis, & diuersitate in Ecclesia Romana, & Græca patet, nec adeò quàm sit probabile Christum non instituisse Ordinum materiam, & formam in particulari, sed solùm in genere, monendo scilicet, vt Ordines conferentur per aliquod symbolum sensibile, quo significetur eorum potestati, atque adeò relictum esse Ecclesiæ determinare materiam, & formam, dummodo per illas significetur potestas, quæ in ordine confertur, & ita censet Ruardus *§. de materia, citato.* Arcudius *lib. 6. cap. 4. §. itaque credibile.* Fornarius *cap. 2. de Ordine*, & plures viri doctissimi, quos hac de re Romæ consului, tenuerunt etiam aliqui Louanij: idem censet saltem respectu Apostolorum Bellarm. *cap. 7. citato, in fine.* Verùm probabilitas istius sententiæ etiam sine hac restrictione patet ex modo, quo ordines apud Græcos conferuntur. Quem modum Romana Ecclesia non reuocat in dubium, vt constat.

2. Vnde censeo, quòd licèt hactenus dicta de materia, & forma singulorum adiuncta videantur probabiliora, si spectetur vsus, qui modò seruatur in Ecclesia Latina, (ita vt Ordo vt aliter collatus in Ecclesia Latina esset nullus, illa constituente determinationem materiæ & formæ, quæ iam est in vsu) aliter tamen collatus potest subsistere, si videlicet Ecclesia alio modo materiam & formam determinaret. Quemadmodum subsistit ordinatio Græcorum prædicto modo facta, & fortè subsistit ordinatio Diaconorum facta modo relato à Durando.

3. Nec

3. Nec dictis repugnat Trident. *sess. 21. cap. 2.* non enim vult Ecclesiam nihil posse circa determinationem materiæ Sacramentorum, sed solùm vult contra hæreticos quod Ecclesia possit præscribere, vt Eucharistia sub vna specie sumatur, cùm in eo non tollat vsum Sacramenti, & eius substantiam. Quæ substantia non potest dici tolli, si Ecclesia pro potestate sibi concessa variè determinet materiam, & formam ordinationis. Hæc omnia Præpositus, quæ quidem viris doctis maturanda relinquo; mihi etenim non plurimum arridenti.

RESOL. III.

De materia Ordinis Subdiaconatus.

Et notatur non esse necessarium in traditione Calicis huius Ordinis Calicem esse consecratum. Ex part. 3. tr. 4. Resl. 188. alias 189.

§. 1. ESse duplicem respondet Filliuc. *to. 1. tract. 9. c. 2. n. 45.* Prima est traditio calicis vacui, & patenæ vacuæ superpositæ. Secunda est traditio libri Epistolarum, de prima non est controuersia; de secunda probatur eodem modo, quo *suprà*, de Diacono; nam eodem modo confertur Subdiacono liber Epistolarum, vt dicatur, *Accipe potestatem*, &c. Sed in hoc traditio libri Euangeliorum est partialis materia; ergo etiam in Subdiacono traditio libri Epistolarum. Ita Filliucius. Vide etiam Viguerium *in instit. Theol. cap. 16. §. 6. verb. 1. & 2.* cum aliis.

Sup. in Resl. quæ hic est prima post seq.

2. Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, nempe materiam Subdiaconatus esse traditionem calicis vacui cum patena. Et ita docet Syluius *in 3. p. q. 37. art. 2. quæritur 3.* Coninch. *de Sacr. disp. 20. dub. 6. n. 69.* Layman. *in Theol. moral. lib. 5. tract. 9. cap. 5. n. 3.* Valentia *tom. 4. disp. 9. q. 1. punct. 5.* Comitolus *in resp. mor. lib. 1. q. 12.* Molfesius *in sum. tom. 1. tract. 2. cap. 8. n. 22.* Vasquez *in 3 part. tom. 5. disp. 236. cap. 3.* Fornarius *tract. de ordinatione, cap. 20.* & alij penes ipsos.

Sup. hoc in Addit. seq. à fin. 2. & in alio §. eius primæ annot.

3. Notandum est etiam non esse necesse, Calicem esse consecratum contra Sylvest. *verb. ordinatio. §. 4. verb. 2.* & alios. Ita Henriquez *lib. 10. cap. 5. in glossa littera F.* & alij.

RESOL. IV.

An Subdiaconus Ordinatus cum Calice non consecrato debeat iterum ordinari?

Et quid, si traditus est Subdiacono Calix non consecratus cum Patena consecrata?

Et infertur, an Calix, qui in Ordinatione Subdiaconatus cum Patena porrigitur, debeat esse consecratus de necessitate Sacramenti?

Et an, si Presbytero tradatur ab Episcopo materia vera panis, & vini in Calice, & Patena non consecratis, aut in aliis quibuscunque vasis, Ordo sit validus? Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Resl. 9.

§. 1. REsolutio huius dubij pendet ex illa difficultate, an Calix, qui in ordinatione Subdiacono cum Patena porrigitur, debeat esse consecratus de necessitate Sacramenti? Ego negatiuam sententiam olim docui cum Soto, Ledesma, & Henriquez: & me citato, illam docet Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 6. disp. 3. quæst. 16.* Barbosa *de Iure Eccles. lib. 1. cap. 37. n. 7.* Molfesius *in Summa tom. 1. tract. 2. cap. 8. n. 23.* Sanchez *Opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 2. n. 5.* & me citato, Machadus, *tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 7. docum. 1. n. 5.* vbi sic ait: [Tambien es dudoso, y controuerso entre los Doctores, si el Caliz, que como hemos dicho, viene à ser la materia sustancial del Sul diacono, aya de ser consagrado, necessitate Sacramenti. Silvestro y otros sienten, que si; fundados en que el Caliz, que non està consagrado, no se distingue de otro qualquiera vaso Laycal, y profano, ni es apto proximamente para contener en si la sangre y cuerpo de Christo: y assi lo ha declarado el vso comun de la Iglesia, el qual deue tener grande fuerça en las cosas morales, en que euidentemente no consta lo contrario. Con todo esso Soto, Ledesma, y otros muchos con mas probabilidad defienden lo contrario; porque no se halla derecho alguno, del qual conste, que sea necessario, que el Caliz estè consagrado.] Ita ille. Verùm sententiam Syluestri docent alij, quos citat, & sequitur Marchinus *de Sacram. Ordinis, tract. 2. part. 6. dub. 1. n. 3.* Fornarius *de Sacram. Ordinis, cap. 2. num. 6.* Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 6. disp. 1. dub. 12. num. 182.* quia Calix non consecratus non est materia ministerij Subdiaconi; qui non ordinatur ad ministrandam patenam, & vasculum non consecratum, nec destinatum ad ministerium Altaris; sed ad ministrandum vasa prædicto ministerio consecrata. Vnde non rectè argumentantur aduersarij, dum dicunt nullo iure constare oppositum: constat enim ex ipsa institutione, & ordinatione, qua ordinatur ad tale ministerium, & talia vasa ministranda. Paritas etiam sumpta à consecratione, quæ fieri potest in vase non consecrato, nulla est: nam materia consecranda à Sacerdote est ipsamet materia panis, & vini consecrabilis, in quocumque vase, aut loco sit. Vnde si Presbytero tradatur ab Episcopo materia vera panis & vini in Calice, & Patena non consecratis, aut in aliis quibuscunque vasis; omninò puto Ordinem esse validum: quia potestas officij, & Ordinis sui circa materiam ipsam panis & vini est non circa ipsa vasa; officium vero Subdiaconi circa ipsa vasa ministranda versatur. Vnde mirum non est, quod si Vasa non sint talia, qualia requiruntur ad suum ministerium: non sint materia, cuius traditione conferatur Ordo. Dicendum est itaque quòd Calix non consecratus non distinguitur à laico Calice, nec est idoneum instrumentum, & vas proximè aptum continere Eucharistiam: ergo requiritur, vt sit consecratus, sicuti quotidiano vsu comprobatum videmus: vsus autem valdè spectandus est in rebus moralibus, vbi oppositum euidenter non colligitur. Et confirmatur hæc sententia ex eo, quòd Christus Dominus in vltima Cœna suo contactu reddidit illum Calicem, quo vsus est, Sacrum: quem effectum cùm præstare nequeant nostri Episcopi solo contactu; necessariò sequitur, ipsum debere esse consecratum ex Ecclesiæ institutione, ne Calix noster dissimilis illi omninò sit, quo Christus in vltima Cœna vsus sit.

Docuit in Resl. præterita in eius §. vlt. & infrà in Resl. 7. §. vlt prope finem.

Sup. hoc in fra in Resl. 7. §. Ex his, & in alio §. posito in annot. secunda dicti §. & in tom. 4. tr. 8. Resol. 47. §. Probatur tertio.

2. Stante itaque maxima probabilitate huius affirmatiuæ Sententiæ, puto supradictam Ordinationem, vt in facti contingentia interrogatus respondi, esse sub conditione reiterandam, sicut dixit Leandrus *vbi suprà, quæst. 15.* si Subdiaconatus datus fuerit per solam traditionē Calicis vacui absque Patena.

RESOL. V.

De materia Ordinis Diaconatus.

Et an si Episcopus ordinet aliquem Diaconum cum traditione libri Euangelij tantum sine impositione manuum esset verè ordinatus? Ex part. 3. tr. 4. Resl. 187. alias 188.

§. 1. MAteriam ordinationis Diaconi esse traditionem libri Euangelij cum impositione manuum

Sup. hoc in tom. 3. tr. 2.

ex Res. 67. ege doctri- lnam §. Deducitur tertio, ad medium.

manuum tradunt Syluius *in 3. part. quæst. 37. art. 2. quæritur* 3. Layman. *in Theol. moral. lib. 5. tract. 9. cap. 5. num. 2.* Filliuc. *tom. 1. tract. 9. cap. 2. n. 44.* Coninch. *de Sacram. disp. 20. dub. 7. concl. 3.* Henriquez *lib. 10. cap. 8. n. 3.* Bellarmin. *de sacram. Ordinis, lib. 1. cap. 9.* & alij penes ipsos.

2. Non desunt tamen Doctores, asserentes traditionem libri Euangeliorum esse solam materiam essentialem Diaconatus, & ita docent Valentia *tom. 4. disp. 9. quæst. 1. punct. 5.* Faber. *de sacram. Ordinis in 4. sent. dist. 24. quæst. 1. dub. 1. cap. 4. num. 3.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract 11. diffic. 4. num. 1. & diffic. 5. n. 2.* Nugnus *in 3. par. tom. 2. quæst. 37. art. 5.* Et ideo si Episcopus ordinaret aliquem Diaconum sine impositione manuum, esset vere ordinatus. Vtraque opinio est probabilis.

RESOL. VI.

Præter doctrinam Res. annotationum seqq. lege in to. 3. tr. 1. ex Res. 67. doctrinâ §. Deducitur tertio.

De materia Ordinis Presbyteratus?

Et asseritur ordinationem Sacerdotis perfici in prolatione primæ formæ cum applicatione suæ materiæ, & impositionem manuum cum verbis secundæ formæ esse de essentia, & substantia ordinis Sacerdotalis, sed adhibenda sunt ratione præcepti? Ex part. 3. tr. 4. Res. 186. alias 187.

Pro forma huius primæ materiæ in Res. 3. not. seq. §. 1. Et pro forma huius secundæ materiæ, in to. 1. tr. 3. lege latâ doctrinam, Res. 2. & signanter in tom. 3. tr. 1. Res. 12. latè à principio, & in Resol. 67. Et licet, & in to. 4. tr. 8. Res. 22. §. vltim. cursim ad medium.

§. 1. SEcundùm aliquos materia sacerdotij est duplex. Prima est, traditio calicis cum vino, & potestatis offerendi sacrificium, &c. Secunda est, impositio manuum vnà cum verbis, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata*, &c. Vtraque autem est de essentia, quia confertur distincta potestas; nam in prima tantùm consecrandi, in secunda absoluendi, ideóque sine altera earum esset imperfectus Sacerdos, & si vna ex iis omitteretur, illa sola supplenda esset. Igitur dicendum est ordinationem Sacerdotis constare duabus partialibus materiis, ad perfectam ipsius ordinationem essentialiter requisitis & per vnamquamque conferri nouam potestatem supernaturalem. Quare omnino credendum est, per vtramque conferri gratiam sacramentalem, & ita docent Coninch. *de Sacram. disp. 20. dub. 7. n. 60. concl. 2.* Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 239. cap. 3.* Bellarminus *de Sacram. Ordinis, lib. 1. c. 9.* Filliucius *tom. 1. tract. 9. cap. 2. n. 42.* Layman. *in Theol. moral. lib. 5. tract. 9. c. 5. n. 2.* Henriquez *lib. 1. cap. 6. & cap. 11. n. 6.* Sylueſter. *in 3. part. quæst. 37. art. 2. quæritur 4.* & alij penes ipsos.

2. Sed contrariam sententiam non minus probabilem esse existimo, quam tuentur Valentia *tom. 4. disp. 9. quæst. 1. punct. 5.* Faber. *de sacram. Ordin. in 4. sent. dist. 24. quæst. 1. disp. 1. cap. 4. n. 96.* Ioan. de la Cruz *in direct. consc. part. 2. de sacram. Ordinis, dub. 2. concl. 1.* Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 4. concl. 5.* Nugnus *in 3. part. tom. 2. q. 37. art. 5.* & alij, asserentes ordinationem Sacerdotis perfici in prolatione primæ formæ cum applicatione materiæ suæ; & impositionem manuum cum verbis secundæ formæ non esse de essentia, & substantia ordinis Sacerdotalis, sed esse sacramentalia, quæ sunt adhibenda ratione præcepti, non quia sunt de essentia. Ita Doctores citati, qui respondent ad argumenta Bellarmini, & contrariorum. Vtraque opinio (vt dixi) est satis probabilis.

Sup. hac essentia latissime in Resolutionibus, & §§. not. præteritæ.

RESOL. VII.

An instrumenta Ordinis debeant necessario Ordinandis porrigi immediatè ab Episcopo, & non per Archidiaconum?

Et an contactus physicus, & non moralis instrumentorum sit de necessitate Sacramenti ordinis?

Et an Sacerdos ordinatus cum Calice, & Patena non consecratis, debeat iterum ordinari cum conditione?

Et quid dicendum de Subdiacono, & Diacono? Ex part. 10. tr. 15. & Misc. 5. Res. 20.

§. 1. AD hunc casum sic respondet Emanuel Sá *ver. ordo num. 5.* Presbyter sit, dum ei traditur materia consecranda; Diaconus dum liber; Subdiaconus dum calix cum patena (sufficit verò calix etiam non consecratus) Acolythus dum vrceolus, vel candelabrum; Exorcista, & lector dum liber; Ostiarius dum clauis. Sufficit verò in cæteris ordinibus præter Sacerdotium tradere materiam per Archidiaconum. Ita ille.

2. Sed aliqui obseruant ipsum asserere, immerito quod sufficiat in cæteris ordinibus præter sacerdotium tradere materiam per Archidiaconum; Nam in omnibus ordinibus maioribus materia debet porrigi immediatè ab ipsomet Episcopo, aliàs ordinatio erit nulla, & sic habetur *in cap. Subdiaconum dist. 23.* Et ita docet cum Marchino, & aliis P. Leandrus de *Sacram. tom. 2. tract. 6. disp. 3. quæst. 28.* quibus ego addo Garciam *in Summa Theol. Moral. tract. 1. disputat. 7. disp. 8. num. 4. in fine*, Escobar *in Theol. Moral. tract. 7. exam. 8. cap. 8. num. 69.* Gesualdum *in Theol. Moral. tom. 1. tract 31. cap. 3. num 8.* Suarez, Filliuc, Silueſtrum, Bonac. & Coninch. penes ipsum Basilium *in Flor. Theol. ver. Ordo 2. num. 2.* cum docto Nicolao Isambert *in 3. part. D. Thomæ de Sacram. ordinis art. 8. num. 4. cum seq.* vbi sic ait: Videtur etiam esse de essentia ordinationis, vt Episcopus ordinans porrigat per se ipsum instrumenta ei quem ordinat per illorum traditionem.

3. Probatur ex modo loquendi Concilij Carthag. IV. supra; nam agens de ordinatione, ita fere semper ait, accipiat scilicet ordinandus de manu Episcopi, vel tradat ei Episcopus, qua loquendi formula satis indicat requiri in ordinatione, vt hæc traditio instrumentorum fiat ab ipsomet Episcopo ordinante.

4. Addidit hanc particulam *Ferè*, quia id affirmat agendo de singulis ordinationibus, vt tamen dum agit de ordinatione Acolythi, dicat illum quidem esse ab Episcopo instruendum qualiter in officio suo gerere se debeat. At quantum spectat ad traditionem materiæ, ita loquatur de illa, sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum Cereo, vt sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatu. Hoc tamen videtur correctum per Pontificale Rom. vbi semper habetur, vt ipsemet Episcopus porrigat quemadmodum animaduertit Caietan. *tom. 1. opusc. tract. 11.* sicque etiam ex ipso Pontificali Rom. probatur nostra propositio.

5. Probatur etiam ratione, in Sacramentis in vsu consistentibus applicatio materiæ ad subiectum, debet fieri à ministro talis Sacramenti, licet etiam in eius forma non semper exprimatur, quod talis applicatio fiat à Ministro formam Sacramenti proferente, vt videre est in Sacramento Extremæ-Vnctionis, cuius vnctio debet essentialiter perfici à Ministro formam eius proferente: Atqui Sacramentum ordinationis est in vsu, vt constat apud omnes Theologos, & per se patet, ordinarius eius minister est Episcopus ordinans, vt dicetur infra; materia verò ordinationis est traditio instrumentorum, vt supra docuimus, igitur debet hæc traditio instrumentorum fieri ab Episcopo ordinante ei, quem ordinat. Maior propositio probatur vniuersim de omnibus sacramentis formaliter consistentibus in vsu, siue eorum formæ importent materiæ applicationem fieri à ministro proferente formam sacramenti (cuiusmodi

iusmodi sunt formæ baptismi, & confirmationis,) siue non importent (vt in extrema-vnctione, & ordine.) Probatur inquam hoc modo: in Sacramentis consistentibus in vsu, idem sunt aliquem esse ministrum Sacramenti, & eundem actu per se ipsum applicari materiam, & formam talis sacramenti suo subiecto, quia administratio sacramentorum eiusmodi consistit formaliter in tali applicatione, vnde dicuntur esse in vsu: atqui ordinatio, seu collatio ordinum Ecclesiasticorum est Sacramentum consistens in vsu (sicut, & baptismus, confirmatio, & Extrema-Vnctio ex communi consensu Theologorum) cuius proprius minister est Episcopus, & materia eius propria est traditio instrumentorum facta ei qui ordinatur tanquam subiecto, vt ostendimus supra, igitur debet talis instrumentorum traditio fieri ordinando per ipsummet Episcopum.

6. Probatur etiam nostra propositio ex citato decreto Clementis VIII. Vna enim ex causis propter quas statuit ordinatos ab Episcopo Sagiensi esse sub conditione reordinandos, est quod Episcopus non traderet per se ipsum instrumenta ordinandis. Ambæ tamen istæ propositiones non sunt de fide, quia Summus Pontifex in illo decreto ait se id statuere amplectendo tutiorem partem, nullumque verbum adhibet, quo videatur id definire. Et hæc omnia docet Ysambert *loco citato*, qui antea ex dicto decreto Clementis VIII. notauerat quod Summus Pontifex iusserat ordinari saltem sub conditione eos, qui à Sagiensi Episcopo ostensa tantum sibi materia fuerant ordinati, quod ego prorsus faciendum esse puto si casus accideret in ordinatione Presbyteratus. Et in aliis ordinibus idem dicendum videtur stante supradicto decreto, & opinione asserente, contra id quod ego cum D. Thoma, Vasquez, & aliis olim docui contactum physicum instrumenti esse de necessitate Sacramenti. Et ideò Martinus de San Ioseph. *in Mon. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 2. de Sacram. Ordinis num. 13.* licet me citato asserat sufficere pro validitate ordinum contactum moralem, & non physicum, ramen postea sic addit. [Esta opinion me parece mucho mas probable que la contraria, però porque son de contrario parecer Autores muy graues, con que se haze probable scilicet, que es necessario el contacto de la materia, y que sin el no ay verdadera acceptacion, me parece que el que no toco la materia se buelua à ordenar debaxo de condicion] Ita ille. Et quidem decretum Clem. VIII. adductum ab Ysambert magnam vim mihi affert. Vide etiam Dicastillum *de Sacram. tom. 1. tract. 6. disput. 1. dub. 14. nu. 205.* licet secluso hoc decreto in aliis ordinibus præter Sacerdotium aliqui Doctores contrarium asserant, vt ego alibi adnotaui.

Docuit infra in Ref. 8. §. 1. & in Resol. 9. §. 2. in fine, à vers. Ino, & seq. & in Ref. 11. §. 1. ante medium, à vers. Et hoc, & in Ref. 19. §. Vnde, & supra in Ref. 1. § Notandum, & in tom. 3. tr. 1. Ref. 66. & in tom. 4. tr. 8. Ref. 19.

Alibi infra in Ref. 19. §. Vnde, & in Ref. 12. §. vlt. & in tom. 4. tr. 8. ex Ref. 47. lege doctrinam §. Verum, & seqq.

7. Nota tamen quod post hæc scripta inueni Patrem Auersam *de Sacram. Ordinis quæst. 2. sect. 2.* circa principale quæsitum huius Resolutionis sic asserere. Pariter de maioribus ordinibus fatendum erit, nec etiam de eorum necessitate, & validitate fuisse institutum ab ipso Christo, vt sacra instrumenta ab eodem Episcopo in ordinatione traderentur. Non solum, quia iam vniuersaliter de omnibus ordinibus diximus non fuisse à Christo ipso determinatam talem materiam, scilicet traditione sacrorum instrumentorum. Sed quia etiamsi fuisset hæc traditio determinata ab ipso Christo, non per hoc erat necessariò facienda immediatè propriis manibus ab eodem ministro ordinante, sed sufficienter fieri poterat iussione ipsius ministri moraliter æquiualentis.

8. Solum videri potest saltem ex ipsa determinatione Ecclesiæ requiri ad valorem ordinationis hanc traditionem instrumentorum per manum eiusdem ordinantis, supposito nempe quod absolutè instrumentorum traditio saltem ex determinatione Ecclesiæ sit apud nos necessaria ad valorem, & sanè si Episcopus aliquis quempiam his ordinibus insignire tentaret, non porrigendo sacra instrumenta propriis manibus, sed iubendo vt alius porrigeret, vel vt ipse Ordinandus per se de mensa sumeret, hæc ordinatio reputaretur satis dubia, & sub conditione iteranda. Ita ille. Vnde quicquid speculatiuè dicendum sit, tamen omnes pro praxi concordant, aliquem si in ordinatione non acciperet instrumenta à manu Episcopi, esse denuò sub conditione ordinandum.

9. Ex his etiam dicendum est, Sacerdotem ordinatum cum Calice, & Patena non consecrata debere iterum reordinari cum conditione. Nam Castrus Palaus, *tom. 4. tract. 27. punct. 5. num. 15.* & alij docent: Necessitate Sacramenti Calicem, & Patenam consecratam esse debere, quia secluſa consecratione non sunt vasa Sacrificij, neque ad Sacrificium deputata. Ergo eorum traditio & contactus ad Sacrificium referri non potest, neque significare tangentem ea vasa, eo contactu in Sacrificij obsequium deputari, Quare, esto, nullibi caueatur, prædicta vasa consecrata esse debere, id ex natura rei sequitur ob significationem, quam habere debet materia ordinationis. Quod verò in materia non consecrata Eucharistia confici non possit, non probat materiam ordinationis non debere esse consecratam. Etenim Eucharistiæ confectio solùm ex materia panis, & vini pendet; At ordinatio in materia pendet ex significatione Sacrificij, quam si non obtinet, materia ordinationis esse non potest. Præterea si ex eo, quod Eucharistia confici possit in calice, & patena non consecratis; infertur calicem, & patenam non consecratam deseruire posse pro materia ordinationis, cuiuslibet vasculi, pilei, & ligni traditio, materia ordinationis erit, cum in his omnibus Eucharistia de facto possit confici, quod dici nullatenus potest. Requiruntur ergo necessitate Sacramenti vasa consecrata.

Sup. hoc cursim, sed contrarium supra in Resol. 4 §. 1. inter medium, & finem, vers. Vnde si Presbytero, & in tom. 4. tr. 8. Ref. 47. §. Probatur tertio, & lege etiam §. not. seq.

Sup. hoc vide infra doctrinam §. vlt. Ref. 11. & lege etiã vers. annot. præteritæ.

10. Itaque stante probabilitate huius opinionis, sequitur Sacerdotem, qui recipit presbyteratum cum calice, & patena non consecrata ad euitanda damna subsequentia, (si talis ordinatio esset inualida) debere iterum ordinari sub conditione, Quicquid dicendum esset de Subdiacono, & Diacono. Non desunt tamen, vt dixi, graues Auctores asserentes calicem, & patenam, quæ exhibentur ad tangendum non debere esse consecrata, vt ex multis tenet Opatouius, *tract. de ordine disp. 1. quæst. 4. num. 17.* Quia nullum habetur ius, quod hoc præscribat. Tum quia vt in calice non consecrato validè potest confici Sacramentum, ita & validè potest Character Ordinis Subdiaconatus conferri per traditionem Calicis non consecrati: Et ideò hanc sententiam me citato tenet Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 6. disp. 3. quæst. 16.* & alij penes ipsum. Sed ego vt dixi si casus in praxi accideret, puto sacerdotium sub conditione reiterandum esse. Vnde non approbo id quod asserit Gesualdus *in Theol. Mor. tom. 1. tract. 21. cap. 3. n. 6. in fine*, quoad Ordinem Presbyteratus.

Sup. hoc supra in Ref. 4. à lin. 2. & in alio §. eius primæ annot.

RESOL. VIII.

An ordinandus Sacerdos debeat de necessitate Sacramenti tangere Hostiam vel aliam materiam Ordinis?

Et an sufficiat non solum tangere Hostiam, sed patenam

tantum, imo & solum calicem? Ex part. 3. tr. 4. Res. 184. alias 185.

Sup. hoc infra in Resol. 11. in fine §. Sed his, & seqq. & in Res. 12. à principio, & in Res. 19. §. Vnde, in fine & in Res. 9. à principio.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam tenet nouissimè Fernandez *in exam. Theol. mor. part. 3. cap. 11. §. 6. num. 1.* & Faber Lector publicus S. Theologiæ in Academia Patauina *de sacram. Ordinis in 4. sent. dist. 24. quæst. 1. disp. 1. cap. 4. num. 121. & seq.* & respondet ad argumentum, quòd vinum ab ordinando non tangatur, sic enim ait. Quod autem non tangatur vinum, cùm sit in calice, ergo nec hostia necessariò est tangenda. Respondetur non valere consequentiam, quia neque Apostoli tetigerunt vinum, cùm datum fuerit in calice, & regulariter accipiens vinum, non soleat tangere vinum, sed illud recipere in aliquo vase. At Hostia, & panis cùm datur, accipitur in manibus, & tangitur: ergo dicendum est esse de necessitate Sacramenti. Quod etiam adducitur de sermonibus familiaribus, in quibus quis donat equum alicui, & ille eum recipit absque eo, quòd eum tangat, multo minus concludit; quia aliud est loqui de similibus actionibus familiaribus, & de actione sacramentali. Ita Faber.

- Quæ nunc hanc sequetur, in fine eius §. 2. à vers. Imo, & in §. seq & in Res. 1. not. præteritæ §. 1. ante medium, à vers. Et hoc à fortiori, & hoc intellige pro cõtactu physico contento in hoc §. & in Res. præterita, & infra in Res. 19. §. Vnde, à lin. 8. & latè in to. 4 tr 8. Res. 19. à lin. 4. & hic supra in Res. 1. §. notandum autem, & in tom. 3. tr. 1. Res. 66.

2. Sed ego hanc opinionem refello *in tract. 3. miscell. resol. 3.* vbi etiam addidi, & nunc addo contra Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina *de Sacrament. disp. 8. quæst. vnica punct. 5 n. 10.* realem, & physicum contactum materiæ, quæ in ordinatione traditur, ad substantiam, seu valorem Sacramenti non pertinere. Et præter quos *ibi* citaui, docet etiam hanc sententiam Albertus Magnus *in 4. sent. dist. 24. art. 38. ad 2.* Zambranus *de cas. tempore mortis, cap. 6. dub. vnico, n. 6.* Ragucius *in lucerna Parochorum de sacram. Ordinis, qu. 3. num. 2.* & nouissimè Layman. *in Theol. mor. lib. 5. tract. 9. cap. 5. n. 4.* vbi sic asserit, Mihi placet magis sententia aliorum, qui negant ad substantiam, & valorem ordinationis contactum requiri; nam rationes sententiæ affirmantis, cui præsertim in re tam graui probanda onus incumbit, non conuincunt. Ad primum enim respondetur, verbum, *accipe*, solùm significare spiritualem potestatem ordinando conferendam, per exhibitionem Symboli externi, quo collatio talis potestatis significatur. Quare negandum est verbum illud ex necessitate Sacramenti referri ad eum, qui ordinandus est, vt capiat, seu manu tangat externum symbolum. Cur enim necessariò illud tangere debeat, non video aliam causam afferri posse, nisi vt traditio potestatis ab illo acceptetur. Id verò dici non potest, cùm Sacramentum istud non consistat in contactu aliquo, sicut matrimonium, quod proinde traditionem, & acceptationem postulat. Sed neque ad ipsum matrimonij contactum, corporum contactus necessariò requiritur, cùm alia signa mutuæ traditionis, & acceptationis exhiberi possint. Quanto igitur magis, cùm traditio spiritualis potestatis fieri possit sine reali contactu per solam exhibitionem symboli factam homini præsenti? Adde, si naturalis acceptatio significata ad valorem Sacramenti necessariò requiritur, consequens esse, vt paruuli, qui vsum rationis nondum habentes, huiusmodi acceptationis signum edere non possunt, inualidè ordinentur, quod repugnat communi sententiæ. Ad secundum respondetur ex praxi Ecclesiæ plus colligi non posse, quàm quòd talis cæremonia tangendi materiam ab Ecclesia præcipiatur. Ita Layman, quæ omnia adnotare volui ad extirpandos scrupulos, qui ordinandos ferè semper vexare solent, maximè pro tactu hostiæ. Notandum est tamen hîc, quòd Doctores asserentes necessarium esse contactum physicum in ordinatione, concedunt, quòd non sit necessarius contactus hostiæ, sed sufficit tangere patenam.

3. Imò Sotus, & Sylueſter, quos citat, & sequitur Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 11. diff. 4. num. 3.* asserunt satis esse, vt quis in tali casu tangat solum calicem; & ita docet Coninch. *de Sacram. disp. 20. dub. 7. num. 71.* & Io. de la Cruz *in direct. confessar. part. 2. de sacram. Ordinis, dub. 2. concl. 1.* & Ledesma *in summa tom. 1. de sacram. Ordinis, cap. 3. concl. 2.* circa finem, debent tamen ipsi diligenter curare, vt in ordinatione subdiaconatus tangatur calix cum patena, in diaconatu liber Euangeliorum, in presbyteratu calix cum vino, & patena, cum hostia, seu pane, nam ita Ecclesia præcipit.

RESOL. IX.

Quidam Diaconus, cum ordinem Sacerdotalem susciperet tetigit Calicem cum Patena, sed non tetigit Hostiam, quæsiuit à me postea, an talis contactus sit de necessitate Sacramenti.

Et quid, si tantum tangat calicem, in quo est patena cum Hostia, non vero tangat ipsam Hostiam, nec patenam?

Et quid est sentiendum, si tantum tangat Hostiam solam, & non Patenam, neque Calicem?

Et an saltem talis ordinandus teneatur tangere Calicem, & Patenam?

Et an contactus physicus instrumentorum in ordinatione sit de necessitate Sacramenti, vel tantum de necessitate præcepti? Ex part. 2. tr. 16. & Misc. 2. Res. 5.

§. 1. ALiqui, vt notat Coninch *de Sacram. disp. 20. dub. 7. n. 57.* putant ordinandum Sacerdotem, non solùm debere tangere physicè ipsum Calicem, ac Patenam, sed etiam ipsam Hostiam.

2. Sed contraria opinio prorsus est tenenda, quam docent Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 2.* Zambranus *in decis. cas. cons. cap. 6. dub. vnico, num. 11.* & Summa Corona *part. 3. cap. 8. de causa materiali, num. 11.* Camerotha *de Sacram. tract. 11. cap. 3. dub. 4.* Valent. *tom. 4. disput. 9. quæst. 1. punct. 5.* Ecclesia *in summ. to. 1. de Sacram. Ordinis cap. 3. fol. mihi 415.* Verga *in summ. to. 2. cap. 57. cas. 5. & in specul. tom. 2. §. 5. num. 21.* Victorellus *in addit. ad tract. de ordine Martini Fornarij cap. 2.* Bonacina *de Sacram. disput. quæst. vnic. punct. 3. num. 10.* & Didacus Nugnus *in addit. ad 3. p. tom. 2. quæst. 24. art. 5. dissc. 2.* vbi quæritur quis dicendum si quis tangat vna manu Calicem, vt est in consuetudine, altera verò manu tangat Patenam, non Hostiam, vel Hostiam & non Patenam? & respondet, tunc esse verum Sacramentum. Et ratio est, quia sicut vinum sufficienter tangitur tacto Calice, in quo est; ita & Hostia sufficienter tangitur tacta Patena, in qua est, vel etiam Calice, in quo est Patena cum Hostia: nam etiam in aliis rebus humanis, non solent specialiter tangi omnia quæ tanguntur, quando vnum eorum est in alio. Item in Rituali, vbi quæ in hoc contactu necessaria sunt, exactissimè describuntur, illud nullo modo, vel leuiter insinuatur, nec etiam Episcopus ordinans, eiusque ministri sunt solliciti, vt fiat. Immò hæc opinio est etiam vera in sententia eorum, qui putant contactum physicum esse de necessitate Sacramenti, & eam debere sic intelligi, vt sit probabilis, obseruat Vasquez *in 3. part. 3. tom. 3. disp. 246. cap. 2. num. 19. & 20.* Nam cùm ordinandi habeant tunc manus linteo colligatas, difficillimè fieri potest, vt ipsam Hostiam simul cum Calice tangant, præsertim quando habent digitos breuiores.

3. Non reticeam tamen ad tollendos omnes scrupulos, esse opinionem probabilem illam, quam docet

& supra in Resol. 7. §. Probatur etiam nostra, ad medium, & latè in to. 3. tr. 5. Resol. 66. à lin. 2. & in tom. 4. tract. 8. Resol. 19. à lin. 4. & hîc supra in Resol. 1. § Notandum autem.

docet Sotus *vbi suprà*, Victoria *in summ. Sacram. quæst.* 230. Armil. *ver. ordo, n.* 4. Henriquez *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 11. *& lib.* 10. *c.* 10. *n.* 1. *littera. D, & B*, Ledesma 2. 2. *q.* 36. *art.* 5. Reginald. *in praxi, tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 1. *c.* 2. *n.* 8. Molfes. *in summ. tom.* 1. *tract.* 2. *c.* 1. *n.* 42. cum Vasquez *loco citato*, nempe, non esse necessarium, vt ordinandus tangat physicè materiam, sed sufficere vt extensione manuum ostendat se eam ab ordinante acceptare, quia Concilium Florentinum *de ordine*, nihil meminit de contactu, sed tantùm de traditione, cùm tamen diligentissimè egerit de necessariis pertinentibus ad essentiam Sacramentorum. Secundò, traditio instrumentorum tantùm deseruit ad determinandam potestatem, quæ datur. Sed ad hoc non requiritur contactus, sed ostensio præsens cum signo acceptatiuo, quia non est eadem ratio, quæ in Baptismo, Confirmatione, & Vnctione: non enim dicitur quis lauari, vel vngi, nisi aqua, vel oleum attingat eius corpus. Tertiò confirmatur, quia verè dicitur quis accipere equum, vel nummos in suos, licèt illos non tangat, modò sit ostensio præsens, qua tradantur, & ab ipso acceptentur. Denique aliquando potest acquiri possessio, & esse vera traditio sine reali apprehensione, modò sit aliquod signum exterius loco illius apprehensionis realis, vt patet. Ergo, &c. Hæc omnia intelligenda sunt de necessitate Sacramenti, nam de necessitate præcepti ordinandus, vt notat Coninch. *de Sacram. d. sp.* 20. *dub.* 7. *n.* 71. *concl.* 6. tenetur tangere saltem calicem & patenam.

Sup. hoc in Resol. seq. paulo post initium, à vers. Tenetur.

RESOL. X.

An qui in ordinatione Sacerdotis tetigit tantum Calicem, & non Patenam, valide ordinatus fuerit? Ex part. 6. tract. 8. & Misc. 3. Resol. 19.

Sup. hoc supra in Resol. 8. §. vltim. & in Resol. 9. §. 2. cursim ad medium, & magis latè in Resol. seq. à lin. 2. & in Resol. 1. post seq. §. sed licet, breuiter post medium, vers. Idemque. Et pro necessitate præcepti cõtenta ad lin. 20. huius vltimus, cursim in fine Resol. præteritæ.

§. 1. CAsus in praxi accidit, & de illo ego interrogatus fui à quodam Illustrissimo Antistite, & affirmatiuè respondi: & ita hanc sententiam tenet nouissimè Ioannes Petit *in Theol. Sacram. part.* 2. *tract.* 7. *lect.* 95. vbi sic ait. Communis sententia est contactum materiæ esse de essentia; quia in quolibet Sacramento habente materiam, necesse est, vt suscipiens contingat illam, vt patet in Baptismo & aliis. Tenetur ergo ordinandus Sacerdos, tangere calicem & patenam, saltem ex necessitate præcepti: quia hoc expressè in rituali præscribitur: quia tamen is qui tangit calicem, secundùm communem vsum videtur tangere etiam patenam ei impositam, est satis probabile, hunc contactum ad valorem Sacramenti sufficere, & contactum patenæ tantùm ad maiorem securitatem exigi. Ita Petit; cui etiam adde Stephanum Bauny *in Theol. Moral. part.* 1. *tract.* 7. *quæst.* 12. vbi ita asserit. Qui in Sacerdotem ordinatur tenetur necessitate præcepti tangere calicem & patenam cui superposita est hostia. An autem immediatus esse hic contactus debeat, disputant Auctores. Probabilis est opinio mediatum sufficere saltem respectu patenæ, quia secundum communem vsum, tangi censetur patena, quando calix tangitur, & proinde sufficit calicis solius contactus ad valorem Sacramenti. Ita ille. Verùm quia hoc certò non constat, & est omnis in Sacramentis quærenda securitas, curãdum est, vt tam calix, quàm patena immediatè tangatur, grauitérque proinde peccaturum, qui secus faceret cũ aduertẽtia.

RESOL. XI.

An Sacerdos, qui in ordinatione tetigit Calicem, & non Patenam possit pro Missis dicendis accipere stipendium, nisi denuo ordinetur sub conditione?

Et an contactus physicus Patenæ requiratur de necessitate Sacramenti?

Et vtrum sit æqualis ratio de contactu Hostiæ, ac de contactu Calicis, & Patenæ?

Et deducitur, an contactus physicus instrumentorum sit necessarius pro validitate in Ordine Sacerdotij, & aliorum Ordinum?

Et an sit futura valida consecratio, si Episcopus porrigat panem extra Patenam?

Idem est dicendum de vino extra calicem? Ex part. 10. tr. 16. Misc. 6. Resol. 88.

§. 1. ALiquis posset affirmatiuè respondere: nam qui tetigit Calicem, dicitur moraliter tangere Patenam, & talis ordinatio esset valida. Et ideò Martinus de San Ioseph *in Mon. Confess. tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 2. *de Ordine, num.* 14. sic asserit: [En caso, que no se toque la Patena, ni la Hostia, si no solamente el Caliz. siento es mucho mas probable, que es valido el Sacramento: porque en tocando el Caliz se tocan la Patena, y Hostia, que estan en cima, *arg. l. vulgaris* 21 *ff. de furt.* Gloss. *earum in l. restituta* 47. *ff. ad Treb.* & sufficit tangere modicum, quod non habet discontinuationem ad totum, *argum. cap. vnic. de consecrat. Eccles. lib.* 6.] Ita ille, qui citat Sotum, Valentiam, Vasquez, Hurtadum, & Granadum; quibus adde Castrum Palaum *tom.* 4. *disputat.* 27. *punct.* 5. *num.* 20. & alios, quos citat. Et hoc à fortiori tenent Doctores, asserentes, contactum physicum non esse necessarium pro validitate Sacramenti in ordinatione Sacerdotij, & aliorum Ordinum, vt nouissimè, me citato tenet Martinon *de Sacram. tom.* 2. *disp.* 66. *sect.* 5. *num.* 61. qui postea pro casu nostro *num.* 68. sic ait: Cæterùm, plerique illorum, qui volunt, contactum materiæ necessariò requiri ad valorem Sacramenti ordinis, dicunt, non esse necessarium tangere proximè singula, quæ pro materia offeruntur: sed sufficere, quod in Sacerdotis ordinatione, v. g. tangatur Calix suppositus Patenæ: neque magis necessarium esse tangi Hostiam ipsam Patenæ superpositam, quam vinum in Calice contentum, quod certè nullus ordinandorum tangit. Sic ille, & alij, quos citat Quintanaduenas *in instruct. ordin. par.* 3. §. 2. *num.* 14. vbi sic ait: [No es necessario tocar todas las cosas, como son en el Sacerdotio el Caliz, Patena, y Hostia, sino qualquiera que toquen basta, estando iuncta con las otras, y qualquiera parte de qualquiera destas cosas: y este tacto solo requerir por bastante los Doctores, que afirman ser necessario con tacto fisico, sienten otros.]

Sup. contento à lin. 2. huius Resol. supra in Resol. 8. §. vlt. & in Resol. 9. §. 2. cursim ad medium, & in Resol. 1c. & in Resol. seq. §. Sed licet, breuiter, post medium, vers. Idemque.

Snp. hoc cõtactu physico in Resol. 1. not. præteritæ §. 2. & in Resol. 2. §. 2. in fine, à vers. Imo & seq. & supra in Resol. 1. §. Notandum, & in Resol. 7. §. Probatur etiã nostra, & infra in Resol. 19. §. Vnde, à lin. 8. & latè in to. 3. tr. 1. Resol. 66. à lin. 2. & in to. 4. tr. 8. Resol. 19. à l n. 4.

2. Sed, his non obstantibus, quia non desunt Doctores, quos citat Coninch. *de Sacram. disput.* 20. *dub.* 7. *num.* 71. & Opatouius *de Sacrament. tract. de Ordine, disp.* 1. *quæst.* 4. *num.* 66. asserentes contactum physicum Patenæ requiri de necessitate Sacramenti; ideò respondeo ad casum propositum negatiuè, quod idem dicendum est in casu aliarum opinionum probabilium, nempe non posse secundum illas ordinatum celebrare, nec stipendium pro Missis sumere, nisi denuo ordinetur sub conditione. Et ita me citato tenet nouissimè Cardinalis de Lugo *in Consil. mor. lib.* 1. *dub.* 1. *num.* 11. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 2. *dub.* 1. *n.* 14. & alij. Vnde hanc sententiam in terminis docet amicissimus P. Dicastillo *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 1. *dub.* 14. *num.* 205. Qui tamen, me citato, rectè obseruat, hoc non esse dicendum, si tangeret Calicem, & Patenam, non tamen Hostiam; nam in tali casu moraliter certum est, ordinationem esse validam.

Sup. hoc in Resolutionibus, & §§. not. præteritæ.

Sup. hoc stipendio in Resol. seq. §. Sed licet, cursim ante medium.

3. Sed nouissimè duo viri docti contrarium asse-

Sup. hoc, & contentis in duobus §§. seqq. signanter supra in Resol. 8. & §.

runt,

& infra in Ref.19.§.Vnde in fine, & in Ref.12. à principio.

runt, videlicet Bernal ex Societate IESV *de Sacram. disp.47. sect.7.num.16.* asserens, quod videtur esse æqualis ratio de contactu Hostiæ, ac de contactu Calicis, & Patenæ: & Philippus Faber Ordinis Minorum Professor publicus in Academia Patauina *de Sacram. Ordinis, in 4.sent. dist.24. quæst.1. cap.3. n.122.* mordicus sustinet hanc sententiam, & ideò sic ait: Ego puto, simpliciter esse necessarium tactum Calicis, & Hostiæ. Ratio est, quia licèt in Concilio Florentino hoc non præscribatur, tamen in Pontificali Romano, ad quod se remittit Concilium in ritu seruando in his Sacramentis, præcipit disertis verbis, vt ordinandus tangat materiam porrectam, & præscribit modum. Et sic cessat ratio Caietani *in Summa*. Quod autem inquit in Pontificali non præcipi contactum tanquam necessarium, nullum habet fundamentum. Cùm enim præcipiat tactum illum, potius dicendum est, præcipere tanquam rem necessariam, alioquin frustrà præciperetur, ita disertè præscribendo modum acceptionis, & tactus. Accedit quod in consecratione Apostolum in vltima Cœna à Christo Domino facta, non solùm fuit traditus Calix, & panis, sed etiam acceperunt Calicem, & panem in suis manibus, siquidem manducauerunt, & biberunt, ergo cum tunc præscripserit materiam huius Sacramenti, sequitur, quod actus sit de necessitate huius Sacramenti. Quod autem, ait, quod non tangitur vinum, cum sit in Calice; ergo nec Hostia necessario est tangenda. Respondetur, non valere consequentiam; quia neque Apostoli tetigerunt vinum, cum datum fuerit in Calice, & regulariter accipiens vinum non soleat tangere vinum, sed illud recipere in aliquo vase; at Hostia, & panis cum datur, accipitur in manibus, & tangitur; ergo dicendum est esse de necessitate Sacramenti. Ita Faber. Vnde stante hac opinione, qui non tangeret Hostiam ex doctrina superius adducta, ex Lugo, & aliis communiter, esset denuò ordinandus sub conditione. Sed ego puto, quod in tali casu, vt dixit Dicastillus *vbi supra*, moraliter certum est, ordinationem esse validam, ac proinde non reiterandam: quod etiam docuit indiuidualiter Castrus Palaus *tom.4. tract.27. punct.5. num.20.* & Doctores, quos etiam me citato, adducit & sequitur Leandrus *de Sacram. tom.2.tract.6. disp.3. quæst.24. & 26.*

4. Vnde optimè dixit Præpositus *in 3.part.quæst. vnica, de Sacram.Ord.dub.10. num.92.* hanc sententiam esse omnino certam, & in praxi securam. Probatur primò, non potest ostendi, quod potius requiratur contactus Hostiæ in se, quàm vini, qui extra controuersiam non requiritur, vt patet ex praxi totius orbis. Secundò, in Romano Pontificali dicitur, quòd ordinandi tangant simul cuppam Calicis, & Patenam, nulla facta Hostiæ mentione. Tertiò, vt quis accipiat potestatem per contactum rei, quæ in alio ponitur, sufficit tangi id quod continet aliud, & in præsenti ex nullo solido fundamento contrarium colligi potest, & proinde nulla probabilitatis specie potest afferri contactum Hostiæ in se requiri. Quartò, nullus Episcopus etiam doctus, & timoratus reperit etiam sub conditione ordinationem eius, qui scit, se Hostiam non tetigisse, vel de eo rationabiliter dubitat; nullus etiam Doctor consultus vrget ordinationem eo casu etiam sub conditione repeti: ergo à posteriori omnino certum est contactum Hostiæ in se non requiri, quia aliàs Ecclesia in gratissimo errore versaretur, ex quo grauia sacrilegia saltem materialia sequerentur, & maxima animarum damna. Vnde pertinet ad Diuinam prouidentiam eamdem Ecclesiam docere, quod physicus contactus Hostiæ esset necessarius; alioquin illi deesset in præcipuo puncto practico pertinente ad Sacramenta. Et per hunc discursum animus potest, & debet omnino conquiescere, cum eam certitudinem pariat, quam in his rebus circa fidei definitionem habere possumus, quamuis enim aliqui existiment speculatiuè requiri Hostiæ contactum, cum tamen & communior sententia contrarium teneat, & eorum rationes sint parui ponderis, accedente vsu non vnius vel alterius Prælati, sed communi, hæc sententia dici potest ex tacito consensu Ecclesiæ comprobari. Et hæc omnia docet Præpositus *vbi supra*.

5. Sed hîc pro curiosis non deferam apponere dubium, quod suscitat Præpositus *vbi supra, n.89.* Vtrum sit futura valida consecratio, si Episcopus porrigat panem extra Patenam? Respondeo, quamuis id etiam videatur illicitum propter contrariam consuetudinem, speculatiuè tamen videri omnino verius subsistere consecrationem: primò, quia verius est Christi Corpus in vltima Cœna ita Apostolis traditum. Secundò, quia illa ratione verè traditur materia, circa quâ versatur potestas Sacerdotalis; quæ Patena eatenus solum requiritur, quatenus in ea traditur materia apta ad designandam potestatem Sacerdotalem. Idem censendum de Calice, quod scilicet eatenus solum debeat porrigi, quatenus necesse est, vt porrigatur vinum, quod cum sit res fluida, non potest aptè in se præberi. Si tamen tangeret extra vas sufficienter inueniretur materia. Hucusque Præpositus, quæ quidem non inuenies apud illos.

RESOL. XII.

An Sacerdos, si in ordinatione tetigerit Patenam, sed non Hostiam, sit sub conditione ordinandus?

Et quid, si in Patena Hostia non esset?

Idem est dicendum de eo, qui ordinaretur solo tactu Calicis, non tangens Patenam?

Et an peccet mortaliter iste, qui immediate Hostiam non tangeret in supradicto casu?

Et an saltem ordinandus debeat de necessitate Sacramenti tangere immediate Calicem, simulque Patenam?

Et an si in porrectione Calicis, in Calice non fuerit appositum vinum, talis ordinatio fuerit valida, an vero nulla, & iteranda?

Superest adhuc alius singularis, & curiosus casus videlicet, Ioannes Sacerdos consecrandus accedens ad Episcopum Patenam, & Calicem porrigentem, siue turbatus, siue aliunde non tetigit nuda manu Patenam, siue Calicem, sed digitos Episcopi, & mediante manica Albæ Calicem, quæritur, an valida sit ordinatio, an vero sub conditione iteranda: Ex part.tr.13. & Misc.3. Res 50.

§. 1. CAsus frequenter solet accidere: sed licet communiter Doctores asserebant Hostiam non esse de necessitate tangendam; tamen pauci proponebant difficultatem, an stante opinione contraria, tali casu Ordinatio esset sub conditione reiteranda: Nouissimè tamen auctor diligens, & accuratus Carolus de Baucio *in Miscellan. Casuum Conscientiæ, to. 2. post Opusc.4. in Appendice, qu.4.* affirmatiuam sententiam tenet; quia, ait ipse, Fernandez, & Fabrus docent necessarium esse, vt Ordinandus tangat Hostiam: Et Ledesma obseruat, quod Ecclesia vultque Hostia ab Ordinario tangatur: Vnde ex his subdit Baucius id quod asserit Villalobos, quod quotiescumque deest in collatione Ordinis id quo Ecclesia vtitur, & adest opinio pro vtraque parte probabilis, quod sit validus Ordo collatus, & non sit validus, quod dictum Sacramentum repetendum sit sub conditione.

ditione : Et ita senserunt doctiores , & vniuersitas Salamancæ . Quæ opinio potest confirmari ex eo quia Ecclesia non supplet, id quod deest circa essentialia Ordinis: non sic quando agitur de Iurisdictione vt alibi docui; nam quando adest opinio probabilis , quod talis casus v. g. potest absolui à carente potestate circa reseruata, & alia opinio docet oppositum, tunc Ecclesia confert iurisdictionem, ac proinde remanet absolutum peccatum , etiam si fortè à parte rei non poterat absolui illud peccatum , nam communis opinio probabilis , vt suprà dictum est, confert iurisdictionem , vt docent communiter Doctores, teste Lessio *de Iust. & iure, lib. 2. c. 29. dub. 8. n.* 68. secus dicendum est de Sacramento Ordinis , vt colligitur ex Sanchez *in Summa, lib. 1. cap. 9. num.* 34. *&* 35. Et ratio mihi est, quia si reuera opinio est falsa à parte rei , Ordinatus bona fide non conficit sacramentum Eucharistiæ , non absoluit peccata , &c. quæ damna sunt magna in Ecclesia Dei , ac proinde non est recedendum ab eo, quod in vsu habet Ecclesia circa collationem Ordinis, & quia contraria opinio non est reiecta ab Ecclesia , ideirco arbitror sub conditione , esse reiterandam collationem Ordinis, quando non fuit obseruatum ac peractum , quod in vsu habet Ecclesia circa collationem Ordinis, &c. Ita mihi est dicendum, saluo doctiori iudicio , ac sensu Ecclesiæ Romanæ cui libenter me subiicio. Ita Bauius.

2. Sed licèt supradicta doctrina sit vera absolutè loquendo, tamen in casu de quo loquimur non videtur admittenda; vt me citato docet sapientissimus Pater Dicastillus *de Sacram. tom. 1. tract. 6. disp. 1. dub. 14. num.* 205. vbi hæc asserit : Obseruant verò aliqui ex prædictis Auctoribus citatis pro nostra sententia, quod quamuis hæc sit probabilior , opposita tamen est tutior , & nostra non certa, sed tantùm probabilis, ac proinde , qui eo modo , quo exigit prima sententia, non tangeret materiam , non esset certò ordinatus. Quapropter talis Sacerdos grauiter , (vt ipsi putant) peccaret, si eo defectu, & periculo adeò extraordinario non manifestato audiat Confessiones vel accepto stipendio Missas celebret ; nemo enim à tali Sacerdote, nisi in extrema absolutionem peteret, nec Sacrificia oblato stipendio ; nisi quando non supperet alius Sacerdos certò ordinatus, & meritò conqueri posset quis , quod Sacerdos stipendia acceptaret ; vel absolueret non detecto huiusmodi defectu adeò extraordinario , vt moraliter nequeat , qui ad ipsum accedit , in eius suspicionem venire. Idemque iudicium putant esse de eo, qui ordinaretur solo tactu calicis , non tangendo patenam quæ sententia in hoc vltimo pro praxim mihi placet; non tamen id puto habere locum in eo , qui simul tangeret calicem , & patenam , quamuis digitis non pertingeret ad Hostiam immediatè tangendam; valere enim tunc ordinationem est moraliter certum ; & benè cum multis docet Diana *locis citatis* , in quo vtriusque sententiæ Auctores conueniunt. Hucusque Dicastillus ; cui adde Martinum de San Ioseph *vbi infrà tra 2 n 14.* & Nicolaum Iambert. *in 3 par. D. Thomæ, tom. 3 de Sacram. Ordinis ar. 8. n. 4.*

3. Imò plus addunt Doctores, quos citat & me etiam citato sequitur Leandrus *de Sacram. tom. 2. tr. 6. disp. 3. q. 26.* non esse credibile , mortale committere illum , qui immediatè hostiam non tangeret: quia vt benè notat Vasquez , cum Ordinandus habeat tunc manus linteo colligatas, difficilè est tangere Calice ipsam hostiam, præsertim habenti digitos breuiores. Restè itaque dixit Lublinus , *verb. Ordo, num.* 6. in susceptione Ordinis Sacerdotalis , non est tangenda hostia : nam sicut tradendo Calicem cum vino, non opus est tangi vinum, sed vas cum vino, ita tradendo Patenam cum hostia , non est necessarium tangi hostiam, sed Patenam, in qua est hostia. Error tamen esset, si in Patena hostia non esset. Sic ille.

Sup. hoc in Ref. præterita cursim in lin. 1. & §. Sed his, paulo post initium.

Sup. hoc in Ref. præterita à linea 2. & hic supra in Ref. 8. §. vlt. & in Ref. 9. §. 2. cursim ad medium, & in Ref. 10.

Sup. hoc in Resolutionibus & §§. not. primæ huius Ref.

4. Sed an saltem ordinandus debeat de necessitate Sacramenti tangere immediate Calicem, simulque Patenam ? Respondeo negatiue : quia ad valorem Sacerdotij sufficit tangere Calicem, super quem imposita est Patena: nam qui tangit Calicem censetur tangere Patenam illi super positam. Sic Soto, Valentia, Vasquez, Hurtado, Granados, & alij, quos citat, & sequitur Leandrus *q. 25.* quibus adde Martinum de San Ioseph, *vbi infrà, tract. 2. n. 14.* vbi sic ait : [En caso que no se toque la Patena, ni la Hostia, sino solamente el Caliz, siento es mucho mas probable, que es valido el Sacramento : porque en tocando el Caliz se tocan la Patena , y Hostia , que estan en cima *arg. leg. Vulgarit. 21 ff. de furtis. gleff. earum in leg. restituæ. 47. ff. ad Trebellian.* & sufficit tangere modicum quod non habet discontinuationem ad totum , *arg. cap. Vnici, de consecrat. Eccles. lib. 6.* Ita Martinus, qui citat plures alios.

Sup. hoc errore in Ref. nor. primæ post seq. Sup. contento in hoc §. supra in Ref. 10. & in aliis eius primæ, annotationis.

5. Et tandem pro Curiosis non deseram hic apponere ea, quæ nouissimè docet Petrus Marchant *in Tribun. Sacram. tom. 3. par. 1. tract. 6. tit. 2. q. 3. cor. 2.* vbi sic ait: Ex dictis iterum resoluuntur duo casus mihi aliquando propositi, ob personarum , quos contingebant, perplexitatem. Quatuor Religiosi , inter quos Titius; ab Episcopo eodem tempore sunt ordinati Sacerdotes : Post ordinationem inuentum in porrectione Calicis vacuum fuisse Calicem, siue defuisse vinum ; Titius post aliquod tempus, super hoc reflectens turbatus est maximis scrupulis : Quærebat, an ordinatio fuisset valida ? an nulla, & reiteranda ? Respondi: Non obstantibus pluribus responsionibus Doctorum in contrarium, qui saltem sub conditione reiterandam Ordinationem iudicabant , vel vt nullam , vel saltem dubiam. Respondi , inquam: Ordinationem simpliciter fuisse validam , nec absolutè , aut sub conditione repetendam. Ratio fundamentalis fuit ; quia ex S. Bonauentura, & aliis , porrectio Calicis cum vino, sicut & Patenæ cum pane, pars materiæ integralis est , quæ ad essentiam non pertinet per se : modò tamen Forma pronunciata fuerit : Quæ autem tantùm ad integritatem , & expressiorem significationem spectant , etsi sine culpa omitti non possint , Ordinationem tamen, & Sacramentum non inualidant : Et plura addidi , quæ certam, & securam hanc sententiam reddunt , ita vt dubium practicum in hoc casu generari nequeat. Si Deus dederit , vt resolutiones , quas in casibus perplexis aliquando dedi, lucem videant ; hæc latissimè deducta prodibit : Modo, quæ suprà dicta sunt, sufficienter hanc responsionem probant.

Sup. hoc in tribus Ref. seqq. & in tom. 4. tr. 8. Ref. 47. §. 1.

6. Alter casus erat: Ioannes Sacerdos consecrandus accedens ad Episcopum Patenam & Calicem porrigentem, siue turbatus, siue aliunde , non retigit nuda manu Patenam, siue Calicem, sed digitos Episcopi, & mediante manica Albæ Calicem. Quærebatur, an valida esset Ordinatio? an iteranda? Respondi, validam esse , nec repetendam ; quia etsi porrectio præcipiatur , de qualitate tamen contactus nihil ab Ecclesia decretum est: vnde moralis contactus , qui acceptationem quandam significat , in hac re morali sufficere censendus est. Præterquam quod , vt docui , porrectio Patenæ , & Calicis ad essentiam non pertineat, modò tamen, vt iam sæpè inculcatum est, non omittatur Forma verborum, quæ Materiam determinat. Hucusque Marchant.

7. Sed ego prorsùs contra illum puto in dictis Casibus Ordinationes illas esse repetendas sub conditione,

Alibi infra in Resl 19. §. Vnde, & supra in Resl. 7. §. Probatur etiã nostra in fine, & in tom. 4. tr. 8. Resl. 47. §. Verum.

ne, per ea quæ alibi ex Granado adduxi, & adducit nouissimè Martinus de S.n Ioseph *in Mon. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 3. de Sacram. Ordinis, n. 14. vbi* hæc asserit: [Diuersas vezes he tratado casos en que ay opiniones probables de los Doctores, que vnos dizen que son validos los Ordenes, y otros afirman que no son validos, y consejan, y aun obligan à que se repitan los Ordenes debaxo de condicion, y es necessario declarar mas esto. Contentame mucho la opinion del Padre Granado *de Sacram. in 3. part. D. Thomæ, controuers. 9. tract. 1. disp. 6. n. 2.* que tracta la materia en proprios terminos, y dize que no ay dificultad en que se pueda repetir el Sacramento debaxo de condicion, acciendo opiniones probables encontradas de los Doctores; però que esto se ha de entender en la ordinacion de los Obispos, y Sacerdotes, que controuertiendose en los casos debaxo de opinion, si quedaron ordenados, ò no, aurà obligacion precisa de repetir Orden, porque sino se haze assi, se ponen à peligro de no confagrar, ni absolues los penitentes, de no ordenar Sacerdotes, ni confirmo los Fieles, pues es probable, que carecen de la potestad necessaria para exercer estos ministerios, con notable damno de los mismos Fieles, que deuen cuitar, ordenandose segun doctrina cierta, y no segun opiniones en que puede auer engaño. Però en quanto à los demas Ordenes inferiores, afirma Granados que no obligaria, que se repitan en el que los recibò, segun opinion probable, porque no son tan necessarios, que no se pueda suplir por el Orden Sacerdotal la falta de los demas ministerios si la huuiesse, y porque à los demas Ordenes no està vinculado algun acto absolutamente necessario para la salud de las almas, de que pueda prouenir notable daño à los Fieles, y estando ordenado dellos segun opinion probable, puede el ordenado perstuardirse prudentemente à que est à bien ordenado sin que se le obligue à repetir el Sacramento. Ita ille, & iterum ego.

Sup. his in §. 1. Resl. 1. not præteritæ, & lege etiam §. 2. & 3. annot. præteritæ.

RESOL. XIII.

Quidam suscepit Ordinem Presbyteratus, & in Calice non fuit vinum appositum, quæritur an Sacramentum fuerit inualidum, & sit denuo Ordinandus?

Et quid si in Patena non sit Hostia triticea? Ex part. 3. tr. 4. Resl. 185. alias 186.

Sup. omni contento in hac Resl. in duabus Resl. seqq. & pro parte defectus vini tãtum in Resl. præteritis, §. Et tandem, & pro defectu Hostiæ ibidem, cursissime in lin. vltim. §. Imo, & pro defectu vini in tom. 4. tr. 8 Resl. 47. §. 1.

§. 1. Hic casus potest in praxi accidere, ideo notes; & ad illum affirmatiuè respondet Ledesma *in summ. tom. 1. de Sacram. Ordinis, c. 3. dissi. ul.* 3. & Io. de la Cruz *in direct. confes. part. 2. de Sacram. Ordinis, dub. 2. concl. 1.* vbi sic ait. Materia Sacerdotis est traditio patenæ cum hostia, & calicis cum vino, ita vt si in patena non sit hostia triticea, & in calice vinum vitis, non manes ordinatus. Sic ille.

2. At negatiuam sententiam docent Filliucius *tom. 1. tract. 9. cap. 2. n. 4.* Homobonus *de exam. Eccles. part. 1. tract. 4. cap. 9 quæst. 75.* Bonacina *de Sacram. disp. 8. quæst. vnica, punct. 3. n. 3.* & Henriquez *lib. 10. cap. 6. n. 1.* vbi sit asserit. Materia in illo, qui Sacerdotio initiatur, integra ex præcepto est traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia, quia & sacrificium Missæ ex præcepto, sit vtraque specie. At traditio vasis cum altera specierum, videtur esse materia sufficiens, ita vt si id ex obliuione contingat, non sit hic ordo iterandus ex necessitate. Nec enim diuisim datur potestas in vnam speciem, sed qui potest alteram, potest & vtramque speciem consecrare. Ita Henriquez, & ego.

3. Non grauabor tamen hîc apponere sententiam doctissimi Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 11. disc. 4. num. 1.* ita asserentis. [Si sucediesse en practica (como ha sucedido vezes en estos tiempos) dexar de poner el vino en el caliz por descuido, hase de reiterar el Sacramento de baxo de condicion, como se hizo en estos tiempos, y desse parecer fueron los mas doctos desta vniuersidad de Salamanca à cerca dello.] Sic ille.

RESOL. XIV.

An in ordinatione Sacerdotum, si per incuriam Magistri cæremoniarum in Calice non apponatur vinum, ordinatio sit nulla?

Et quid, si in Patena non sit Hostia triticea?

Et quid est agendum, si esset probabile non defuisse vinum in Calice, & quid si esset certum non fuisse vinum in Calice?

Et obiter aduertitur, quod Innocentius III. non meruit reiterare Sacramentum Confirmationis factum cum oleo sine balsamo? Ex part. 4 tr. 4. & Misc. Resl. 119.

§. 1. Hic casus potest frequenter accidere, & his temporibus in Hispania & Germania accidit, & ad illum negatiuè respondet Henriquez *lib. 10. cap. 6. n. 1.* vbi cùm dixisset materiam in sacerdotio integram, esse traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia, asserit. Traditio vasis cum altera specierum videtur esse materia sufficiens, vt si id ex obliuione contigerit, non sit hic ordo iterandus ex necessitate. Ita ille, & hanc sententiam speculatiue probabilem esse putat Tannerus *in 3. part. D. Thom. disp. 7. quæst. 2. dub. 4. num. 94.*

2. Sed ipse, & meritò, docet Sacramentum in tali casu esse nullum & inualidum, & hanc sententiam tenet etiam Io. de la Cruz *in direct. confess. part. 2. de Sacram. Ordin. dub 2. conclus. 1.* vbi sic ait. Materia sacerdotij est traditio patenæ cum hostia, & calicis cum vino, ita vt si in patena non sit hostia triticea, & in calice vinum vitis, non manet ordinatus. Sic ille, & post illum Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 11. disc. 4. num. 1.* sic asserens. [De loquil se infiere que si en la ordinacion del Sacerdote no vuiese vino en el caliz, ò la hostia no fuesse de trigo, no quedaria ordinado. Mas porque Henriquez con otros tienen lo contrario se sucediere en practica (como ha sucedido de vezes en estos tiempos) dexar de poner el vino por descuydo, ha se de reyterar el Sacramento de baxo de condicion, como se hizo en estos casos, y deste parecer fueron los mas doctos desta Vniuersidad de Salamanca, y de otras partes que fueron consultados à cerca dello.] & tandem nouissimè hanc sententiam docet Turrianus *in select. disp. Theol. part. 1. disp. 21. dub. 2.* vbi ita ait. Ex dictis constat solutio dubij, de quo ante aliquot annos magna controuersia orta est in Hispania, contigit enim aliquando, vt in ordinatione Sacerdotum in quodam Episcopatu daretur calix sine vino, & disputatum fuit primò, quid agendum si esset probabile non defuisse vinum; secundò quid agendum si esset certum non fuisse vinum in calice. Circa primum aliqui censuerunt non esse necessarium sic ordinatum iterum ordinari, quia putarunt posse ordinatum amplecti opinionem probabilem in præsencto euentu, aliqui simpliciter docuerunt esse obligationem iterum suscipiendi sacrum Ordinem Sacerdotij, quia in primo euentu non fuit verum Sacramentum ex defectu vini, quod probabiliter iudicatur defuisse. Mihi placet opinio, quòd si solùm ageretur de reuerentia debita Sacramento, & vtili illius,

illius, satis esse amplecti opinionem probabilem. Secundò tamen existimo esse obligationem non vtendi Sacramento probabiliter solùm suscepto propter damnum proximorum, quia si ille homo verè non est Sacerdos, non conficiet Sacramentum Eucharistiæ, neque posset absoluere à peccatis, ex quo magnum detrimentum paterentur proximi; & ita senserunt multi viri docti in Hispania de hac re interrogati. Circa secundum, quicquid sit de aliorum sensu, mihi videtur esse obligatio recipiendi iterum verum sacerdotium per veram materiam & formam; primò, quia non est probabile materiam Sacerdotis necessariò reperiri sine vino in calice; secundò licèt esset talis opinio, tamen ratio facta probat esse necessarium tutiorem partem amplecti in tali controuersia. Hæc omnia Turrianus *loco citato*. Vide etiam pro hac firmanda sententia Petrum Ledesmam *in summa tom.2.de Sacrament.Ordinis, cap.3.diffic.5.* & Tannerum *vbi supra*, qui asserit suo tempore hunc casum accidisse anno 1617. & multas rationes adducit, & soluit in contrarium, & Villalobos, qui respondet ad *cap.1.de Sacr.non iter.* vbi Innocentius III. non mandauit reiterare Sacramentum Confirmationis factum cum oleo sine Balsamo. Vide etiam circa præsentem quæstionem multa alia quæ diximus *in 3.part.tract.4.resol.186.*

Sup.hoc inf. in ref. 17.§. vltimo ante medium. Quæ hic est sup. Ref.13.

RESOL. XV.

An sit valida ordinatio, si porrecta Patena cum Hostia, vinum intra Calicem ex incuria non apponatur?

Et quid est faciendum in praxi, quando casus in facti contingentia acciderit?

Et deducitur peccare mortaliter, qui malitiosè consecraret, vel ordinaretur cum vna tantum specie. Ex p.6.tr.8. & Misc.3.Ref.22.

Sup. omni contento in hac Ref. dempto diffic. annotationum 109. in duabus præcedentibus Ref. & in aliis tamen primarium annot.

§.1. DE hoc casu his diebus à quodam Episcopo interrogatus fui, & respondet affirmatiuè nouissima Instructio Hispalensis pro ordinãdis, *p.5.* §.6.*n.6.* vbi sic habetur. [Si le entregara el Caliz solo con el vino, ò sola la Patena con el pan, era bastante materia? R. Que si, porque con qualquiera de estas cosas se daua entera potestad de consagrar el cuerpo, y sangue, que esta no se da dauida, que el que puede la vna, puede la otra. Y vemos que el Pontifice Innocentio VIII. dispensò con algunas nationes, adonde no se podia lleuar, ò conseruar el vino, que celebrassen solo la cõsacracion de la Ostia: y assi no es de essentia de sacrificio la de ambas del especies. Sic Henriquez supr. Pero pecaria mortalmente el que solo consegrara en vna, y el que se ordenasse maliciosamente con vna sola.] Sic ibi, & hãc sententiam docet etiam ex Henriquez Tiberius *in instr. pro ordin.c.3.§.22.* quibus adde Doctores quos ego citaui *in part.3. tract.4. resol.186.* vbi quia hæc sententia est propabilis illam sequutus sum.

Sup hac essentia supra in tr.1. Ref. 119.§.1. & 2 &c.

2. Sed postea *in part.4. tract.4. resol.119.* negatiuæ sententiæ tanquam probabiliori adhæsi, & nunc etiam adhæreo. Primò quia id apertè repugnat Concilio Florentino requirenti traditionem vtriusque materiæ, scilicet panis, & vini.

Quæ hic est supra Ref. 13.

3. Confirmatur, forma non tantùm respicit alterutram partem materiæ, sed vtramque ex æquo, ergo vtraque ex æquo per modum requiritur ad valorem ordinationis. Adde quòd Patena cum pane, & Calix cum vino nõ tradantur diuisim, sed simul; ergo signum est neutrã partem sufficere etiam ad partialis Sacramenti confectionem, & proinde, si vna pars tradatur, nullo modo confici Sacramentum.

Quæ hic est Ref. antecedens.

4. Consequentia probatur, videmus in omnibus aliis, quod quando Sacramentum saltem partialiter poni potest, partiali materiæ respondeat forma partialis distincta à forma partiali alterius, vt patet in vnctionibus, item in consecratione speciei panis, & consecratione speciei vini: cùm ergo nihil simile hîc videamus, & aliunde non appareat sufficiens fundamentum asserendi alteram partem posse omitti salua sacramẽti substãtia, nõ est verisimile eã omitti posse.

5. Secundò non videtur vllo modo probabile ita institutam ordinationem Sacerdotis, vt per eam possit conferri potestas ad conficiendum corpus, & conficiendum sanguinem; vel ergo dicendum est necessariò requiri traditionem panis, & vini, vel per traditionem vnius partis conferri potestatem conficiendi Sacramentum perfectum: posterius autem non videtur admittendum, quia traditio vnius partis per modũ materiæ solùm designat potestatem consecrandi hanc partem.

6. Antecedens argumẽti probatur, quia non videtur posse subsistere potestas collata iure diuino, quæ, etiã sistendo intra limites illius iuris nunquam possit exire in actum sine peccato; iure autem diuino nemo potest, saltem secluſa Pontificis dispensatione, sine peccato vnquam consecrare vnicam speciem.

7. Confirmatur, formam ordinationis Sacerdotis significat dari potestatem offerendi sacrificium eo modo, quo in Ecclesia communiter offerri solet, illud autem est perfectum, nec datur Sacerdos qui non possit vtramque speciem consecrare. Quamuis ergo consecratio vnius speciei subsistat sine consecratione alterius, non tamen subsistit ordinatio, per quam videtur solùm dari potestas ad consecrandum vnam speciem, & non aliam. Et ideò hanc sententiam præter Doctores à me *vbi supra in resol.119.* adductos tenet nouissimè, me citato Raphaël Auersa *de Sacrament. Ordinis, quæst.2. sect.8.* & Stephanus Bauny *in Theolog. Moral. part. 1. tract. 7. quæst.13. dub. 1.* Verùm stantibus supradictis opinionibus, quid faciendum in praxi quando casus in facti contingentia accideret. Respondet Bauny, Auersa, & alij, quod si quando fuisset aliquis ordinatus Sacerdos per traditionem vnius tantùm speciei, vtpote si non fuisset appositum vinum in Calice, deberet omnino ex integro repeti ordinatio saltem sub conditione. Et ita ego sentio.

RESOL. XVI.

An si Episcopus proferat verba formæ, antequam applicetur materia, vel è contra, Ordo sit iterandus? Ex p.5.tr.13.& Misc.1. Resol.48.

§.1. AFfirmatiuam sententiam ex professo docet Caiet. *tom.1. opusc. tract.26.* Nauar. *in Manuali, cap.22. num.17.* qui adducit *cap. vltim. de Sacram.non iterand.* vbi Greg. IX. asserit: Impositio manuum debet fieri cùm oratio super caput effunditur ordinandis. Et ideò in Pontificali statuitur, vt singulis Sacerdotibus dicantur verba formæ, cùm ordinantur, vt nimirum possit forma simul cum materia existere saltem quoad aliquam partem.

Sup. hoc in tom.1. tr.1. lege doctrinam Ref. 5. & 61. & in tom.7. tr.2. ex Ref. vnic. §.Nec valet. & §.Respondeo nõ esse. & in tom.4. tr.8. Ref. 36. per totam.

2. Sed his non obstantibus aliqui asserunt in Sacramento Ordinis sufficere simultatem materiæ moralem, & formæ. Imò & esse specialem rationem in hoc Sacramento, vt non petatur physica simultas. Cùm enim forma sit modi imperatiui, sufficientissimè verificatur, quod Episcopus dicit, scilicet, Accipe, &c. Si finitis verbis sine magna mora accipiat, seu tangat librũ, vel Calicẽ, &c. In cuius confirmationem

facit, quòd in Pontificali cùm ordinantur Subdiaconi, dicitur omnes debere succeſſiuè tangere Calicem & Patenam, & tamen verba dicuntur ſimul omnibus, ita vt ſit certum, cùm plures accedunt ad tangendum, iam eſſe finitam prolationem formæ, & id ipſum notatur ibidem in minoribus Ordinibus.

3. Verùm non grauabor hîc apponere verba Iacobi Granado *in 3.part.de Sacramentis, controuerſ.9. tractat. 1.diſp.6.num.16.* vbi tenet poſteriorem ſententiam negatiuam eſſe longè probabiliorem, & addit, quòd ſi vlteriùs petatur an contraria opinio ſufficientem habeat probabilitatem, vt iterari debeat Ordo, quando materia & forma ſecundùm nullam partem coextiterint realiter, dicerem duo ſub meliori iudicio. Primum eſt in Subdiaconatu, & minoribus Ordinibus nullo modo debere iterari, quia & varij Doctores reputant Ordinem eſſe legitimè collatum, & non eſt credibile Pontificale Romanum ſequatum eſſe opinionem, ſecũdùm quam non maneret omninò tutus, qui ordinatur. Et denique minor neceſſitas, & perfectio horum Ordinum facit vt minori certitudine debeamus eſſe contenti. Quare in praxi non video ſufficientem probabilitatem, vt poſſit, vel debeat aliquis prædictorum Ordinũ iterari, nec de his agitur in illo cap. ſup. citato. Secundum eſt, in Preſbyteratu, & Diaconatu eſſe ſufficientem probabilitatem vt ordinati ſine reali coëxiſtentia materiæ, & formæ, poſſint iterare Ordinem ſub conditione. Probatur, tum quia Caietanus, & Nauarrus, viri doctiſſimi, ſentiunt Ordinem aliter eſſe nullum. Tum, quia iſti Ordines ſunt multo ſacratiores, magiſque neceſſarij, & ratio dictat in eiuſmodi rebus quærendum eſſe maiorem certitudinem; tum denique, quia in his Ordinibus peculiariter notat Pontificale, ita proferri verba formæ, vt ſimul concurrere poſſint cum materia. Ex quo vlteriùs infertur, ſaltem eſſe probabile Sacerdotem prædicto modo ordinatũ, teneri iterum petere Ordinem ſub conditione; Diaconum verò non ita. Et hæc omnia docet etiam Iacobus Granado *vbi ſupra.*

contrariam ſententiam tanquam probabilem docere Iacobum Granado *in 3.p.de Sacr.contr.9.tract.1.diſp. 3.n.3.* vbi ſic ait. Probabile eſt quòd viri docti à me conſulti opinantur quouis tẽpore liceret prædictos defectus ſupplere. Probatur euertendo fundamentum, cui inniti poteſt contraria opinio. Etenim, propriè loquendo, ſupplere eiuſmodi defectus non eſt Ordines celebrare, ſed potiùs proficere id, quod imperfectè præſtitum eſt tempore ordinationis, nec enim ſunt repetendæ cæremoniæ omnes, aut Sacramentum miniſtrandum, ſicut in diebus Ordinum miniſtrari ſoleat, ſed præcisè iteranda ſaltem ſub conditione ea cæremonia, quæ omiſſa eſt, verbi gratia, iterandus contactus inſtrumentorum, aut quid ſimile, quod potiùs eſt veluti appendix Ordinum præcedentium. Vnde *in c. paſtoralis, de Sacramentis non iterand.* cùm quidam in confirmatione delinitus eſſet oleo, & non chriſmate, quod ſecundùm veram opinionem eſt de eſſentia ſacramenti Confirmationis, reſpondit Pontifex nihil eſſe iterandum, ſed cùm ſupplementum, quòd incautè fuerit prætermiſſum, quaſi diceret, ſolùm repetendum eſt eſſentiale quod deficit reliquis omiſſis, idque fiat, ita vt ſcandalum vitetur. Facit in huius rei confirmationem quòd non minus videntur cadere ſub præcepto cæremoniæ, & ritus, quibus Ordines celebrantur, quàm tempus à iure præfixum; ſed cùm ſupplendus eſſet defectus prædictus, non oporteret iterari omnes ritus Ordinum, ſed ille ſolùm, in quo defectus commiſſus fuerat; ergo nec oportebit expectari tempus à iure præfixum. Imò addunt aliqui ob eaſdem rationes poſſe ſine peccato ſuppleri prædictũ defectum, quin Epiſcopus induatur veſtibus ſacris, quia id etiam pertinet ad ſolemnitatem requiſitam, cùm Ordines celebrantur, non verò cùm defectus ſupplentur. Tamen eſt incerta, & dubium non eſt, quin oppoſitum ſit tutius, & magis pertineat ad reuerentiam Sacramenti; imò aliis videtur certum id eſſe neceſſarium. Hæc omnia Iacobus Granado *loco citato*, cuius ſententiam improbabilem eſſe non audeo dicere.

RESOL. XVII.

An Epiſcopus poſſit ſupplere aliquem defectum ordinationis quouis tempore?

Et an, quando ſupplendus eſt aliquis defectus Ordinum, non ſit neceſſarium reiterari omnes ritus Ordinũ, ſed ille ſolus, in quo defectus commiſſus fuerit?

Et an ſine peccato poſſit ſuppleri prædictus defectus, quin Epiſcopus induatur veſtibus ſacris? Ex part.5.tra.14. & Miſc.2.Reſ.63.

Sup. hoc in Reſ. ſeq. & in tom.4.tra.8. Reſ.50. ex doctrina §. Notar. paulo poſt initium à verſ. Item nota.

§.1. ORdinatus, verbi gratia, eſt aliquis, & non tetigit calicem, vel librum, aut inſtrumentum, in cuius tactu comprimitur character, vel in Calice non fuit appoſitum vinum, &c. quæritur an eiuſmodi iteratio poſſit fieri quouis anni tempore? Caſus eſt probabilis, & negatiuam ſententiam docet Tom. Sanch *in opuſc. tom.2. lib.7.c.1. dub.13. n.7.* vbi citat gloſſam, Panorm. Innocentium, D. Antonium, Tabienam, Angelum, & Henriquez, aſſerens talem ſuppletionem non poſſe fieri quouis tempore, ſed tantùm illo tempore, quo Ordines poſſunt celebrari. Et ratio eſt, quia ſupplere eiuſmodi defectum, ſaltem ſi ſit ſubſtantialis, eſt conferre ſacramentum Ordinis ſaltem ſub conditione, ſed in iure præſcriptum eſt tempus, extra quod non licet ſine priuilegio conferre ſacramentũ Ordinis. ergo neque licebit ſupplere defectum ſaltem ſubſtantialem.

2. Non deſinam tamen hîc pro curioſis adnotare,

RESOL. XVIII.

An ſi in aliqua ordinatione non fuit v.g. applicata debita materia, poſſit die ſequenti adhiberi, non expectando aliam ordinationem?

Et an ſit neceſſarium, vt in Eccleſia, vel alio publico loco defectus ſuppleatur, vel ſat ſit in ſecretiori loco?

Et an defectus poſſit ſuppleri à quocunque Epiſcopo?

Et aſſeritur in defectu ſubſtantiali iteranda ſolum eſſe ea quæ omiſſa ſunt, vel de quibus dubitatur.

Et an liceat eodem die tam minores, quam maiores iterare, vel an magis conſultum ſit minores ordines cum ſubdiaconatu vno die, & duobus ſequẽtibus diaconatum, & Sacerdotium ſuſcipere.

Et quæritur, an aliquis Epiſcopus ordinis aliquæ Pontificalia exercere poſſit in loco exempto de licentia ordinarij illius loci, nulla ab Epiſcopo (intra cuius diœceſim locus ille eſt exẽptus) irrequiſita licentia?

Et quod, ſi locus exemptus ad nullã Diœceſim pertineret? Ex part.9. tr.8. & Miſc.3. Reſ.29.

§.1. EX Granado *alibi* affirmatiuam ſententiam tenui, quam ſcio placuiſſe multis Epiſcopis; tunc addo, eandem ſententiam docere nouiſſimè Parrem Quintanaducñas *in Theol.mor.tom.1. tr.6.ſingul.1.* firmat enim ex multorũ Recentiorum ſententia, eos, qui ſtatutis à Iure tẽporibus, & cæremoniis ordinati ſunt, ſi poſtea cognoſcat, aliquẽ defectũ ſubſtantialẽ ad valorem Ordinis in ſua Ordinatione

inter

interfuisse, v. g. quia debita materia non fuit; vel non fuit debitè applicata, aut calicem, librúmve non tetigerũt; aut abfuit in Sacerdotio manus impositio, posse quolibet tempore eiusmodi defectus suppleri: hoc enim non est Ordinem celebrare, sed perficere, quod imperfectè præstitum est tempore Ordinationis: & licèt quando quid substantiale omissum esset, deberet suppleri statutis temporibus, vt docẽt aliqui Doctores apud Thom. Sanch *lib. 7. consil. c. 1. dub. 13. n. 7.* & cùm iterantur Ordines ex dubio primi Baptismi, non deberẽt suppleri iis temporibus; cùm in his Ordinibus nihil defuerit, quod debito tempore non sit collatum: & hoc statutum est pro vera, & absoluta Ordinum collatione, nõ pro conditionata. Similiter, non est necesse, vt in Ecclesia, aut alio publico loco conferantur, sed sat est in secretiori conferri. Propter hæc ego etiam existimarem, licere eodem die omnes Ordines, tam minores, quàm maiores, simul iterari: licèt consulerem, minores cũ Subdiaconatu vno die, & duobus sequentibus Diaconatum, & Sacerdotium suscipere, nisi aliquod scandalum, aut incommodum notabile ex hoc oriretur: quod quidẽ vitãdum erit, & maximũ esset in publicitate, & interstitiis, videre, nempe, quem Sacerdotem cognouerunt homines, modò sacris initiari. Deinde solẽnitates omnes, quibus Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, vel alij minores Ordines conferuntur, non esse necessariò adhibendas in hac conditionali Ordinum repetitione existimo: sed solum præcise sub cõditione iterãda esse ea, quæ requiruntur ad valorem Sacramẽti. Ita Granado *contron. 9. de Ord. tr. 3 disp. 3.* & alij ex Recentioribus ab ipso tacito nomine relati; asserente, in defectu substantiali itritanda solùm esse ea, quæ omissa sunt, vel de quibus dubitatur, v. g. contactus instrumentorum, vel manuum impositio, simul cum prolatione formæ. Quod præcipuè obseruari sufficiet in defectu dubio, & in iterãdo conditionaliter Ordine, cuius cæremonias omnes certò scitu & de factas, & secto hæc suppleri posse à quocũque Episcopo. Hucvsque Quintanaduenas. Confirmantur supradicta ex doctrina Lessij, qui nouissimè *in Auctuario casuum conscientiæ ad 1. 2. D. Th. verb. Ordines sacri, cas. 2. n. 6.* docet, Episcopum posse ordinare extra tempora Subdiaconum, qui susceperat Ordinem Subdiaconatus cum actuali intentione, & protestatione illud nõ susipiendi: quia in foro externo ille iam censetur ordinẽ hunc susceppisse, esseque Subdiaconus. ac proinde in foro externo satisfecit Canoni de Ordinibus suis tẽporibus suscipiendis, sicut qui in foro externo cõtraxit matrimonium præsumptum corã Parocho, & testibus; irritũ tamen ob aliquod occultum impedimentũ, sublato impedimẽto potest cõtrahere absque Parocho, & testibus, vt declarauit Pius V. quia satisfecit foro externo, habetúrque verus coniux. Ita Lessius, cuius opinio satis nostrã probabilẽ esse declarat.

Sup. hoc in Resol. prima not. præterita ad lin. 10. eius §. 2. & in R. 6. §. 1. in fine.

Sup. hoc de defectu Resol. not. primæ huius Resol. ad lin. 6. §. Sed ad.

Sup. hoc supplemẽto videm in principio §. Nota.

Sup. hoc infra in tr. 6. Resol. 145.

2. Sed hîc quærendum est etiam pro praxi, an aliquis Episcopus Ordines, aliáque Pontificalia exercere possit in loco exempto ex licentia Ordinarij illius loci, nulla ab Episcopo, (intra cuius Diœcesim locus ille exemptus est) irrequisita licentia. Supponit Vasquez *disp. 143. c. 3. n. 53* id fieri posse, fauentque verba Concilij: non enim Episcopi, sed Ordinarij licentiam requisiuit. Cæterùm, si locus exemptus sub aliqua Diœcesi contineatur, verius censeo, nõ solùm licentiam Ordinarij illius loci, sed etiam Episcopi necessariam esse: quia verè censetur Ordinarius. Secus esset, si locus exemptus ad nullam Diœcesim pertineret. Et ita docet Barbosa *de potestate Episcop. part 2. all. g. 6. num. 12. & 13.* & Castr. Pal. *tom. 4. tr. 27. disp. vnica, punct. 15. num. 10.* & alij. Vnde mensibus elapsis rectè ego consului, Episcopum non potuisse in Monasterio Regularium exemptorum illòs ordinare sine licentia Episcopi diœcesani, in cuius Diœcesi Monasterium illud extabat.

Sup. hoc infra in Resol. 81. §. Asserit quinto, & in Resol. 88. §. 1. Signanter lege ante medium à vers. Item Eugelius. Sed vide eam per totam, & hoc refelli ge pro Monasteriis Regularium exemptorum tantum.

RESOL. XIX.

An si adsint opiniones pro validitate, vel nullitate alicuius ordinis, teneatur in hoc casu quis ordinem denuo recipere?

Ex quo infertur, quod Sacerdos, & Episcopus, si non tetigit vasa sacra, aut illud instrumentum, in cuius porrectione imprimitur Character, tenetur iterare ordinem sub conditione, & secus autem si quis sumeret Diaconatum, & Subdiaconatum.

Et an contactu vasorum sacrorũ, aut instrumenti, v. g. Calicis cum Patena, & Hostia in Sacerdotio sit de essentia Sacramenti, ita vt sine illo nõ sit verus ordo?

Et breuiter notatur Sacerdotem, qui immediate tetigit Patenam, licet non tetigerit Hostiam, possit tuta conscientia exercere ordinem Sacerdotalem, nec teneatur illum iterare.

Et aduertitur, quod sola obliuio, aut solus timor non est sufficiens ad verum dubium, aut probabilitatem, vt illico ordo iterandus sit. Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Res. 47. & ad pedem literæ sicut in §. 1. dictæ Resol. in dicta part. 5. tr. 14. Resol. 64. sed hic tantum Resol. 1. hic designata transcribitur.

§. 1. CErtum est quoties dubium occurrit, an Ordo sit verè collatus, siue quia materia est dubia, siue quia sunt rationes sufficientes dubitandi, posse tunc & debere iterari sub conditione? Sed difficultas est, quando adsunt opiniones probabiles pro nullitate, vel validitate Ordinis; & in tali casu placet mihi opinio Iacobi Granado *in 3. part. de Sacram. controuers. 9. tract. 1. disp. 6. num. 2.* vbi sic ait. Supponendum est, si sit opinio probabilis Ordinem verè fuisse susceptum, & sic etiam probabilis opposita sententia, posse tunc sine dubio iterari Ordinem sub conditione, vt in generali diximus de omnibus Sacramentis *tract. 1. de Sacrament. in gen. disp. 4.* Vtrùm autem teneatur quis illum Ordinem iterare, ibidem breuiter explicuimus; si enim Ordo sit Sacerdotalis, aut Episcopalis, tenetur sine dubio iterare, quia alioqui exponitur periculo non consecrandi, non absoluendi pœnitentes, non ordinandi, cùm probabile sit illum non habere potestatem Ordinis ad id requisitam; cùm autem id cedat in maximum detrimentum fidelium, tenetur Ordinarius vitare huiusmodi incommodum, recipiendo prædictum Ordinem secundùm certam doctrinam, & non iuxta opiniones, in quibus potest esse deceptio. Quod verò attinet ad reliquos Ordines inferiores, non obligarem eum, qui iuxta probabilem opinionem eos recepisset, vt illos iteraret etiam sub conditione. Moueor ad ita sentiendum, quia isti Ordines non sunt ita necessarij, vt per sacerdotalem potestatem suppleri non possint munera, propter quæ sunt instituta, & propterea non habent annexum aliquem actum absolutè necessarium ad salutem fidelium, aut defectu cuius proueniat Ecclesiæ notabile detrimentum; cùm ergo aliunde homo sit ordinatus iuxta probabilem opinionem, ac proinde prudenter possit sibi persuadere Ordinem fuisse validum, non est cur ad illius iterationem obligetur. Ita Iacobus Granado, & ego.

Sup. contento in hoc §. 1. ad literam infra in Resol. 79. §. Quoad secundum, à lin. eius 5. & iterũ ad pedem literæ in duplicata Resolhuius tituli, quæ hic non est transcripta, signanter infrà in tract. 6. ex Resol. 166. §. Respondeo secundo. Sup. his in duabus primis Resol. not. seq. & in eisdem §§. & latè in to. 4. tr. 8. Resol. 47. per totã, & signanter §. Verum.

2. Vnde ex his infertur cum dicto Granado, quòd Sacerdos, & Episcopus, si non tetigit vasa sacra, aut illud instrumentum, in cuius porrectione imprimitur character, tenetur iterare Ordinem sub conditione; secus autem si quis sumeret Diaconatum, vel Subdiaconatum. Et ratio est, quia adsunt opinio-

Sup. hoc sẽpra in Resol. 7. ex doctrina §. Probatur etiam nostra, in fine, & in Resol. 11. §. vlt. & pro diffi-

huius textus contenta à lin. 7. & vers. in contractus vasorum &c. latè supra in Res. 9. §. 2. in fine vers. Imo, & in aliis eius not. & in tom. 4. tr. 8. ex Res. 47. §. 2. & §. verum & seqq.

nes probabiles hinc inde, an contactus vasorum sacrorum, aut instrumenti, verbi gratia, Calicis cum Patena, & Hostia in sacerdotio sit de essentia Sacramenti, ita vt sine illo non sit verus Ordo. Negat enim Caietanus *in sum. ver. Ordinantium peccata*, Armilla *verb. Ordo, n.* 4. Sotus *in* 4. *distinct.* 44. *qu.* 1. *art.* 2. Victoria *in summa, quæst.* 211. Emanuel Sà *verb. Ordo, n.* 3. Tabiena *eodem ver.* 2. *n.* 1. Et hanc opinionem probabilem esse docet Hentiquez *lib. de Ordine, cap.* 10. *n.* 1. Sed negatiuam sententiam tenet Diuus Thomas *in addit. ad* 3. *part. quæst.* 34. *art.* 5. *ad tertium* & se retractans Caietanus *tom.* 1. *opusc. tract.* 26. Paludanus *in* 4. *distinct.* 24. *quæst.* 1. *art.* 1. *num.* 6. Ledesma *in* 2. *part.* 4. *quæst.* 36. *art.* 5. Palatius *in* 4. *sentent. tom.* 2. *distinct.* 24. *quæst.* 1. Angelus *verb. Ordo, n.* 9. Sylvester *eodem verb.* 2. *quæst.* 5. *dicto* 3. Nauarrus *in Manuali, cap.* 22. *n.* 3. Bartholomæus Ledesma *de Sacramento Ordinis, dub.* 3. & alij asserentes, quòd necesse est ad Sacramenti veritatem attingere ipsa instrumenta. Igitur in tali casu, vt dictum est, Subdiaconus & Diaconus non tenerentur iterare Ordinem, si non tetigerunt instrumenta; secus autem Sacerdos, & Episcopus. Nota tamen, vt ego alibi notaui, & notat etiam Iacobus Granado *vbi suprà n.* 10. Sacerdotem, qui immediatè tetigit patenam, licèt non retigerit hostiam, posse tuta conscientia exercere Ordinem sacerdotalem, nec teneri illum iterare.

Alibi supra in Res. 8. & in principio Res. 9. & in Res. 11. §. sed his, in fine, & in duobus §§. seqq. & in Res. 12.

3. Et tandem pro scrupulosis notandum est hìc oportere hac in re distinguere scrupulum, aut nimium timorem à vero dubio, aut opinione, non enim quia quis timet num ordinatus sit, aut præcisè, quia non recordatur tetigisse vasa sacra, aut non tetigisse imaginatur, illicò Ordo iterandus est, sola enim obliuio, aut solus timor non est sufficiens ad veram dubium, aut probabilitatem; multa enim obliuiscimur, quæ verè fecimus, & timor ipse, ac nimia sollicitudo tangendi instrumenta, in quorum perfectione imprimatur character, faciunt videri obliuioni traditum, quod re vera memoramus. Sed ex his oritur alia non leuis difficultas. Quæro igitur.

RESOL. XX.

Quam intentionem habere debeat Sacerdos nouiter ordinatus, quando cum Episcopo in Missarum solemnijs concelebrat? Ex part. 3. tra. 4. Res. 50.

Sup. hoc lege doctrinam Res. seq. & signanter in tom. 3. tr. 1 Res. 48. per totam, & late in tom. 4. tr. 8 Res. 89. & 90.

§. 1. HIc casus frequenter accidit, relinquendo placita aliorum DD. ponam hic ea, quæ circa præsentem quæstionem docet doctus Layman *in exam. Theol. moral. lib.* 5. *tract.* 1. *cap.* 7. *n.* 5. vbi sic asserit Curandum est illi supradicto, scilicet Sacerdoti, vt non post alios verba consecrationis finiat, nam si alius quisquam absolutam consecrandi intentionem habens, ante alios ipsúmque principalem sacrificantem Episcopum verba consecrationis finiat, solus is consecrabit. Quod incommodum vt euitetur, monent DD. concelebrantes oportere habere intentionem conditionatam, videlicet consecrandi, si simul cum Episcopo verba consecrationis absoluant, non item si præueniant. Mihi verò magis placet cautio Doctorum monentium, vt noui Sacerdotes seruent generalem intentionem proferendi verba secundum voluntatem Ecclesiæ, quia non desunt, qui existimant, illos verba consecrationis non dicere formaliter, & cum intentione consecrandi, sed tantùm recitatiuè, & materialiter in signum potestatis sibi concessæ; in quam sententiam valdè probabilem propendent Richardus, & Suarez. Hæc omnia Layman, vide etiam Caietanum *in* 3. *part. q.* 82. Hentiquez *lib.* 8. *cap.* 18. *n.* 2. & Suarez *tom.* 3. *disp.* 61. *sect.* 4. & alios. Notentur hæc, quia multos scrupulos sedabunt.

RESOL. XXI.

An Sacerdos cum ordinatur, si intelligit iam verba à socio prolata esse, teneatur ipse non proferre alterum verba consecrationis? Ex par. 3. tra. 4. & Misc. 1. Res. 82.

§. 1. HIc casus potest frequenter accidere, & apud paucos inuenies pertractatum, ideo que ad eius resolutionem ponam hìc ea, quæ inueniuntur in thesibus Theologicis defensis in Collegio Romano Societatis IESV à Marchione Sfortia Pallauicino *lib.* 8. *num.* 145. & 146. vbi sic habetur. Quando Sacerdotes ordinantur, & plures proferunt super eadem hostia verba cum Episcopo, omnes habere debent intentionem consecrandi, sæpe enim in Pontificali Clementis VIII. dicuntur celebrare, & admonentur vt curent simul absolute cum Episcopo, quod alioqui non esset necessarium, nec dici potest effectum consecrationis suspendi, donec omnes finierint, eo quòd talis sit consecrationis institutio. Etenim non est in potestate Ministri suspendere Sacramentorum effectus, præsertim quia in hoc casu verba consecrationis multorum non haberent veritatem de præsenti, si non statim verificarentur. Dicendum est igitur ideo non reiterari verba sacrilegè; quia licèt plerique proferant sine effectu, meminì tamen innotescit hostiam esse iam ab alio consecratam; quare vnusquisque habet sufficientem verisimilitudinem pronunciandi cum effectu formam consecrationis, quod si aliquis antequam absoluerit, audiat verba esse ab alio complete prolata, speculandi quidem existimamus eum teneri ad non prosequendum vlteriùs formam consecrationis saltem cum intentione consecrandi; practicè verò totius est proferre verba cum intentione faciendi id, quod tunc intendit Ecclesia. Sic ibi.

RESOL. XXII.

An Episcopus conferat etiam Episcopalem Ordinem. Et an oporteat Episcopum ordinari ab Archiepiscopo vel a Summo Pontifice?

Et an saltem Episcopus debeat à tribus Episcopis consecrari? Ex par. 8. tr. 2. Res. 3.

§. 1. REspondeo, quòd Episcopus est sufficiens & idoneus minister, non solum ad conferendos omnes Ordines sibi inferiores, sed etiam ad conferendum aliis similem Episcopalem Ordinem. Non enim oportet Episcopum ordinari ab Archiepiscopo, vel à Summo Pontifice. Quinimo in ratione Ordinis non inuenitur alius Ordo superior Episcopali: igitur ipsi Episcopo debebat conuenire ampla potestas conferendi ipsum quoque Episcopalem Ordinem. Sed vbi deerat superioritas, & vetor intensio, factum est, vt quidem extensiuè suppleretur, quòd vnusquisque Episcopus à tribus fuerit consecratus, & ordinaretur, vbi non adsit simul Episcopis consecraretur, & ordinaretur, vbi non adsit simul Episcopis consecraretur, & ordinaretur, vbi non adsit simul Episcopis consecraretur

RESOL. XXIII.

An solus Episcopus sit Minister Ordinarius Sacramenti Ordinis ?

Et aduertitur à quocumque vero Episcopo, siue hæretico, siue schismatico, siue Cacholico, conferri posse valide Sacramentum Ordinis; peccabit tamen lethaliter si Sacramentum hoc ministret, quando id facere prohibetur ab Ecclesia. Ex part.8. tr.2.Ref.1.

§. 1. REsponsio affirmatiua est de fide; & ideò omnem, & solùm Episcopum validè consacratum esse Ministrum ordinarium huius Sacramẽti definiuit Concilium Tridẽtinum *sess.23.can.7.* ibi. Si quis dixerit Episcopos non habere potestatẽ confirmandi,& ordinandi, vel eam quam habent esse illis cum Presbyteris communem,&c. anathema sit. Et sub ipso nomine ministri ordinarij sic definiuit Concilium Florentinum *sess.vlt.in decreto Eugenij.* Ordinarius Minister huius Sacramenti est Episcopus. Idẽ docet Chrysostomus *homil.vi.in priorem epist ad Timotheum*, vbi agens de Episcopis,& Presbyteris, dicit sola quippe ordinatione superiores illis sunt: scilicet Episcopi Presbyteris. Et Hieronymus *epist.85. ad Euagrium:* Quid facit Episcopus excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat? estque communis Ecclesiæ sensus, ita vt Aërius etiam hac de causa fuerit habitus hæreticus, quod censeret simplici Sacerdoti competere facultatem Ordines conferendi.

2. Hinc Apostolus scribens ad Timoth in epist 1. cap.4. *Noli* (inquit) *negligere gratium, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterij.* Vbi patet, sermonem esse de ordinatione S. Timothei: & per Presbyterium intelligitur conuentus Episcoporum, qui olim Presbyteri etiam appellari solebant; erat enim nomen Presbyteri, sicut & nomẽ Episcopi omnibus Sacerdotibus commune, vt ex multis refert, & docet Cardinalis Bellarminus *tom.1.lib.1.de Clericis, cap.15.* Ratio verò huius assertionis desumitur ex munere Episcoporum: sunt enim Ecclesiæ gubernatores, quibus proinde incumbit creare ministros Ecclesiæ media sacra ordinatione: & propterea appellantur Sacerdotes magni, seu perfecti, quia subeunt munus generandi sibi similes, conferendo omnibus hominibus Ordinem sacerdotalem, & alios inferiores, qui ad Sacerdotium ordinantur; sicut homo tunc est in statu perfecto, quando potest sibi similem corporaliter generare. Aduertendúmque est, à quocumque vero Episcopo, siue hæretico, siue schismatico, siue catholico, conferri posse validè Sacramentum Ordinis: quia hanc potestatem habet ratione characteris indelebilis, qui proinde auferri non potest, sicut nec à Sacerdote potestas validè conferendi quantumuis in hæresim labatur, aut degradetur: peccabit tamen lethaliter, si Sacramentum hoc administret, quando id facere prohibetur ab Ecclesia:

Sup. hoc latè in Ref. seq. & in to. 3, tr. 1. Ref. 65. §. 1. & in tom. 4. tr. 8. Ref. 61. §. vlt ad medium, à vers. Quippe. sed lege eam per totam, & ex Ref. 99. §. 2.

RESOL. XXIV.

An Episcopus suspensus, excommunicatus, interdictus, depositus, degradatus, vel hæreticus val. de conferat Ordines ?

Et aduertitur Ordinationes facta à supradictis Episcopis esse irritas, quoad exercitium Ordinum, non quoad validitatem. Ex part.8. tract.2. Ref.2.

Sup. hoc cursim, & recitative in fine Ref. præteritæ, & latè in tom.3. tr.1. Ref.65. §.1. & in to. 4. tr.8. Ref. 61. §. vlt. ad medium, à vers. Quippe. sed lege eam per totam, & ex Ref.99. §.2.

§. 1. VIdetur prima facie respondendum negatiuè, ex Ruffino, & Fauentino, vt refert glos-

sa *in cap.nos consecrationem, §. sed excommunicati 9. quæst.1.* Et fundamentum est, quia sic negasse videntur Innocentius I. *epist.18.* Leo I. *epist 48.* & refertur *p.in Ecclesia 1.q.1.* Gregorius Magnus *lib.3.epist.20.* & refertur *c.nos. consecrat.9.q.1.& lib.8.epistol.65.* & refertur *c.nos in hominem, ibid.* Item Damasus Papa *epistol.4.* seu. 5. & refertur *c.per illicitam. ibidem*; expresse dicens, talem ordinationem debere reiterari: vt etiam dicitur præcedenti *c.excommunicati*: & similiter Vrbanus II. in Synodo Placent. & refertur *c.ordinationes. ibidem.*

2. His tamen non obstantibus, affirmatiuæ sententiæ adhærendum est. Dico igitur, Episcopum hæreticum, excommunicatum, interdictum, suspensum, validè ordinare, quia hæc non tollunt characterem Episcopalem: ratione cuius potest valide Ordines conferre; & de hæretico, de quo maius dubium esse posset, patet ex praxi Ecclesiæ quæ non curat iteratò ordinari ordinatos ab hæreticis. idem iudicium est de degrato, in quo character Episcopalis remanet, quamuis aliqui, vt refert Richardus *dist.25. art.1. quæst.3.* existimarint eum non posse validè Ordines conferre.

3. Ad auctoritates Patrum, & sacrorum Canonum adductas, respondeo cum Baunio *in Theolog. moral.tract.7.quæst.9.assert 1.* Hurtado *de Sacram Ordinis, disput.17.* iudicare ordinationes factas à suprà dictis Episcopis, esse irritas quoad exercitium Ordinum, non quoad validitatem. Vnde ait Præpositus *in 3.part.quæst. vnica, de Sacrament. Ordin. dub. 12. num.117.* quòd si in sacris Canonibus ex sanctis Patribus ordinationes factæ ab hæreticis interdum determinantur irritæ, non eo sensu dici irritas, quod sint inualidæ, sed quòd per eas non accipiatur Ordinis executio; quia enim hæretici sunt excommunicati, & non possunt exercere functiones Ordinis, ideircò, qui ab illis ordinatur, non recipit executionem Ordinis.

4. Itaque cùm per hæresim, suspensionem, aut excommunicationem, non amittunt Episcopi characterem: ergo nec potestatem conferendi Ordines; cùm hæc in charactere consistat, quod & clariùs definitum est *cap quod quidam, distinct.21.canon.sicut semel, distinct.63* sic tamen ordinati suspensi sunt ab executione suorum Ordinũ, vt plurimus ostendetur postea, cùm de suspensione; & hoc sensu intelligi debet, quòd à Gregor. asseritur *lib.3. Epist. epist.20.* ordinationem quæ celebrata est ab excommunicato, nullam esse, cùm enim id quod in actum reduci nequit, idem sit, quoad rem; ac si non esset, meritò dicuntur non consecrati, qui per hæreticos sunt initiati, cùm vsum suorum Ordinum nullum habeant, saltem licitum, negari tamen non debet, quin ordinati ab hæreticis characterem & Sacramentum recipiant.

5. Contrà sentire olim Cypr. & Episcopi Africæ, cùm enim in ea opinione essent, vt crederent baptizatos ab hæreticis iterum baptizandos esse; iudicandum quoque similiter illis fuit de ordinatis ab hæreticis, eos scilicet iterum ordinandos esse.

6. Quod autem Gratian. 1 *quæst.1.* asseruit ordinatos ab hæreticis verè ordinatos non esse: id hunc sensum habet, non quòd ordinatio non sit rata, sed quòd Ordinis recepti executio sit suspensa, nec tradenda ad actum, vt superiùs dictum est.

RESOL. XXV.

An Episcopus suspensus à collatione Ordinum Minorum possit adhuc conferre Ordines maiores ?

Et an saltem in prædicto casu possit Episcopus conferre Tonsuram ?

Et quid, si suspendatur à collatione certi Ordinis ?

Et cursim docetur, quod Episcopus suspensus ab officio confirmandi, non ideo suspensus censetur ab Officio ordinandi, & consecrandi ?

Et iamque notatur, quod quando quis suspenditur ab administratione Sacramentorum, non suspenditur à celebratione Missæ ? Ex part. 5. tr. 10. Res. 6.

1. NEgatiuam sententiam docet Henriquez *lib. 13. c. p. 32. n. 2.* Sayrus *lib. 4. cap. 4. n. 19.* Hugolinus *tab. 4. cap. 6. §. 6. n. 3.* & Auila *p. 3. disp. 2. dub. 2. concluſ. 11.* Toletus *lib. 1. c. 43. n. 5.*

2. Sed ego contrariæ sententiæ adhæreo, quam tuetur Coninck *de Sacrament. disp. 15. dub. 2. num. 10.* Layman *lib. 1. tr. 1. cap. 5. part. 3. cap. 1. num. 6.* Suarez *disp. 26. sect. 4. num. 11. & 14.* & Ioannes Præpositus *in 3. part. quæst. 3. de suspens. dub. 2. num. 18.* vbi sic ait. Si Episcopus suspendatur à collatione Ordinum, non potest etiam minores conferre, potest tamen conferre Tonsuram, quia non est Ordo : si suspendatur à collatione certi Ordinis, videtur posse alios Ordines conferre, quamuis digniores, quia collatio Ordinum est functio eiusdem potestatis, non verò vsus potestatis sublimioris, & proinde conferendo maiorem Ordinem, à quo non est suspensus, non censetur vti Ordine sublimiori, sed solùm exercere functionem sui Ordinis, quæ illi non est interdicta, patet in simili in eo, qui suspensus ab audiendis confessionibus, communi iudicio potest celebrare, cùm tamen adsit maius munus. Hæc Coninck. Hinc infertur cum Layman *loco citato* quòd Episcopus suspensus ab officio confirmandi, non ideò suspensus censetur ab officio consecrandi & ordinandi, quamuis hæc maiora sint, sed non connexa.

3. Nota etiam hîc cum Præposito, quando quis suspenditur ab administratione Sacramentorum, non suspenditur à celebratione Missæ, quia celebratio Missæ non solet comprehendi sub administratione Sacramentorum.

RESOL. XXVI.

An interdictus à Sacro faciendo possit Ordines conferre ?

Et an in dicto casu non solum minores conferre possit Episcopus, sed etiam alio celebrante possit maiores Ordines conferre ? Ex part. 5. tract. 10. Res. 87. alias 86.

§. 1. POsse conferre minores constat eo quòd non necessariò conferantur in Sacro. Henriquez *lib. 13. cap. 43. num. 1.* censet non posse conferre maiores, qui extra Missam conferri non possunt ; sed omnino verius est posse conferre alio celebrante, quia non est necesse vt ordinans Sacrum faciat, & ita docet Ioan. Præpos. *in 3. part. quæst. 4. de interd. dub. 3. num. 25.*

RESOL. XXVII.

An Episcopus possit valide conferre Ordinem, quem non suscepit ?

Et deducitur simplicem Sacerdotem posse quidem ex commissione Pontificis conferre aliquos Ordines, dummodo illos, quos confert, habeat ?

Et docetur, quod ille, qui recipit Ordinem Sacerdotalem sine reliquis, verè est Sacerdos, potestque exercere munera Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, &c. Ex part. 8. tr. 2. Res. 4.

§. 1. HAnc difficultatem latè discutit insignis Theologus Societatis Iesv Iacobus Granadus *in 3. part. controuers. 9. tract. 2. disp. 1. num. 4.* & quia Codex rarus est, ponam omnia hîc per extensum, quæ ipse asserit ; itaque sic ait. Supereſt difficultas, an scilicet Episcopus conferre possit Ordinem, quem non habet ; constat enim ex dictis in tractatu præcedenti, accidere posse, aliquem ordinari Sacerdotem, & consequenter Episcopum, qui non receperit minores Ordines, aut certe Subdiaconatum, vel Diaconatum : & ideò quæritur, an præfatus Episcopus conferre aliis possit illum Ordinem, quem forte non recepit.

2. Partem negantem amplecti videtur communis sententia Doctorum. Ita enim expresè docet Sacerdos Antonius *3. p. titul. 14. c. 16. §. 17.* Altensis *2. p. lib. 6. tit. tul. 4. art. 3. colum. 2.* Syluester cum Raynerio *Ordo 2. q. 1.* Summa Pisana *verb. Ordinatus, 2. in fine,* dicens ita sentire ferè omnes. Henriquez *lib. de Ordine c. 5. §. 2. litera. H,* addens hanc esse communem sententiam. Emmanuel Sà *verb. Ordo, n. 23.* & quamuis Angelus *Ordo 2.* absolutè affirmet, omnes Ordines conferri posse ab Episcopo, non addit expresè, id esse verum, etiamsi aliquem Ordinem non recepisset : imò *in n. 2.* addit cum Innocentio, simplicem Sacerdotem posse quidem ex commissione Summi Pontificis conferre aliquos Ordines sacros, dummodo illos, quos confert habeat. Denique cùm diligenter in aliis Doctoribus hanc difficultatem inuestigarim, nullum inueni, qui affirmet, posse ab Episcopo conferri Ordinem, quem non recepit.

3. Nituntur plerique ex citatis authoribus authoritate *canon. gloss. q. 1.* & summa Pisana affert eam, *Daibertum, 1. quæst. 7.* quibus addit Henriquez rationem, & Episcopi non conferunt eminenter Ordines inferiores, ac proinde Episcopus, qui eos non habet, nulli conferre potest.

4. Sed profectò nullum affertur ab his authoribus infirmum fundamentum. Nam in primis in can. *gratia*, solùm inuehitur Leo Papa in simoniacos, his verbis : Gratiam, quæ maximè in Ecclesiasticis Ordinibus operatur, non accipiunt : si autem non accipiunt, non habent ; si autem non habent, nec gratis, nec non gratis cuiquam dare possunt. Quid ergo dant ? profectò quod habent. Quid habent ? spiritum vtique mendacij, &c. Vbi perspicuum est, non esse sermonem de Episcopo, qui conferat Ordinem, quem non habet, sed solùm dicitur, simoniacum non accipere gratiam in sui ordinatione, quia peccat lethaliter Ordinem suscipiendo in statu peccati, & similiter cùm ipse alios ordinat, non confert gratiam, quia peccat mortaliter, qui Sacramentum ab illo suscipit, nisi in aliquibus casibus exculetur. Quod autem attinet ad veritatem Sacramenti, nec verbum quidem habetur in hoc canone, & absque certum est, simoniacum posse validè ordinari, & ordinare, si titus Ecclesiæ seruetur.

5. Deinde *can. Daibertum*, vt declarat glossa, & textus suadet, proponit solùm hunc casum. Fuerat nimirum Nezelon ordinatus Episcopus ab hæreticis præter formam Ecclesiæ, qui proinde verus Episcopus non erat ; vnde cùm Daiberto contulisset Diaconatum, iussit Vrbanus II. Daibertum iterum ordinari Diaconum, quia Nezelon qui nihil habuit, nihil dare potuit. Ex quibus patet, nullum nec verisimile principium desumi posse ad asserendum verum Episcopum, qui non recepisset Diaconatum, non posse illum conferre.

6. Denique

6. Denique ratio, quam Hentiquez affert, potius confirmat contrarium: nam Ordo sacerdotalis continet quasi eminenter Ordines inferiores, tam sacros, quàm non sacros; ergo eo ipso quòd quis sit Sacerdos, & Episcopus, potest reliquos Ordines conferre. Antecedens patet, tum authoritate S. Thomæ *quæst. 35. art. 5.* tum præsertim ratione, quia ille qui recipit Ordinem sacerdotalem sine reliquis, vere est Sacerdos, potéstque exercere munera Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, &c. vt omnes sine dissensu docent: ergo in potestate sacerdotali continentur potestates inferiorum Ordinum; ergo non est necessarium ab Episcopo fuisse receptum Diaconatum, v.g. vt illum conferre validè possit. Confirmatur efficaciter, quia Episcopus, qui non recepisset Ordines inferiores, potest ordinare Sacerdotes, ergo etiam Diaconos, Subdiaconos, & reliquos inferiores ministros. Antecedēs concedunt DD. quia Episcopus est verè Sacerdos, & consequenter potest aliis conferre Ordinem sacerdotalem, cùm nullus auferat ab eo potestatem validè conferendi Ordinem, quam habet. Consequentiam probo, quia eo ipso, quòd ordinet Sacerdotes, confert illis potestatem exercendi munera Diaconi, & Subdiaconi, &c. cùm omnia Sacerdos hæc munera obire possit: ergo potest etiam conferre Ordinem Diaconi, & Subdiaconi, &c. Patet consequentia, quia quidquid potestatis formaliter est in his Ordinibus, est eminentiori modo in Sacerdotio, ac proinde non est cur restringatur prædicta potestas Episcoporum ad solum Sacerdotium conferendum in prædicto casu. Confirmatur iterum, quia potestas conferendi omnes Ordines, tribuitur Episcopo ratione characteris Episcopalis: sed etiam si non receperit Ordines inferiores, verè habet characterem Episcopalem; ergo habet potestatem omnes Ordines conferendi.

7. Respondeti potest ad hanc rationem, in Sacerdotio esse quidem virtualiter, & veluti eminenter Ordines inferiores, & ideò Episcopum, eo ipso quòd Sacerdos sit, posse illos Ordines conferre eminenter, id est, conferendo dignitatem sacerdotalem; non tamen posse conferre illos formaliter: quia ad id non sufficit character Episcopalis, sed requiritur saltem, vt conditio, quòd inferiores ordines receperit: certumque est posse ab aliquo conferri aliquid, in quo continentur alia eminenter, aut virtualiter, quamuis non possint conferri ea, quæ virtualiter continentur. Sic enim sol, verbi gratia, potest immediatè producere lucem, & non potest immediatè efficere calorem, qui in luce eminenter continetur: homo potest producere hominem, & non potest producere alia corpora, quæ eminenti quadam ratione sunt in homine: & Cardinales eligere possunt Summum Pontificem, non tamen Episcopos inferiores, aut Magistratus sæculares. Ita ergo Episcopus posset conferre Ordinem sacerdotalem, quin formaliter conferre posset Ordines inferiores.

8. Fateor quidem hac solutione satisfieri argumento proposito, si aliunde esset sufficiens fundamentum asserendi, non posse Episcopum conferre Ordinem, quem non recepit: absolutè non audeo negare communem opinionem carere fundamento; quia licèt iura, quæ afferuntur, non vrgeant, vrget authoritas Doctorum, à quo recedendum non est sine vrgentissima ratione, quæ hîc non inuenitur; & ideo suppono vt probabile satis, non posse validè conferri ab Episcopo Ordinem, quem non habet. Si tamen contrarium docuissent boni Authores, mihi certè illorum sententia non displiceret, quam tamen modò non sequor. Hucusque Granadus.

9. Ex quibus vltimis verbis amice (Lector) vidisti ipsum in hac quæstione affirmatiuam sententiam non tenuisse, quia boni Authores illam non docuerunt, quos tamen ipse non legit; quia plures post ipsum scripserunt. Vnde scias hanc sententiam docuisse præstantissimos nostræ ætatis Theologos, Vasquez *in 3. p. tom 3. disp. 243. c. 2. n. 26.* vbi sic ait: Hinc rectè sequitur, Episcopum, etiamsi careat aliquibus Ordinibus, verè eos conferre posse, nempe si careat minoribus Ordinibus, & subdiaconatu, & Diaconatu; quia licèt his careat, esse potest verus Sacerdos, & Episcopus reipsa, vt præmissimus; potestas autem conferēdi Ordines est solùm Episcopalis, alij autem Ordines hanc potestatem non tribuunt. Ita Vasquez, cui adde Layman *lib. 5. tr. 9. c. 9. n. 8.* Hurtādum *de Sacramento Ordin. diffic. 17.* Præpositum *in 3 p. de Sacr. Ordin. q. vnic. dub. 12. n. 114.* Opatouium *de Sacr. tr. de Ordine, disp. 5. n. 8.* & alios.

10. Dico igitur potestatem ordinariam ordinandi esse apud Episcopum consecratum, & ipsi conuenire tantùm ratione Ordinis Espicopalis, non ratione aliorum: & consequenter Episcopum, quamuis carentem Ordinibus Diaconi, & reliquis inferioribus (vt fieri potest;) quia isti non necessariò præsupponuntur ad valorē ordinationis in Episcopum, sicut præsupponitur Ordo sacerdotalis, posse validè conferre, non solùm eos, quos ipse habet (in quo Doctores conueniunt,) sed etiam eos, quibus caret. Eos tamen, quibus caret, nequit licitè conferre, quia qui caret inferioribus Ordinibus, prohibitus est in Ordine superioti ministrare.

11. Itaque ex dictis in superioribus resolutionibus patet, ordinarium Ministrum sacramenti Ordinis esse Episcopum consecratum.

RESOL. XXVIII.

An Episcopus Titularis, licite possit conferre Ordines? Et an Episcopus Titularis non possit familiarem suum, seu commensalē Ordinare sine licentia sui Episcopi, quamuis cum illo per triennium commorauerit? Et an in tali casu Ordo teneat, si illum talis Episcopus ordinarit, quamuis puniatur arbitrio sui Ordinarij, & Episcopus Titularis, qui eum Ordinauit sine commendatitiis sui Episcopi à Pontificali suspendatur per annum? Ex part. 8. tr. 2. Res. 5.

§. 1. REspondeo, quòd facultas conferendi Tonsuram, vel alios Ordines, data Episcopis, tantùm procedit in illis Episcopis qui habent Diœcesim, non in aliis, qui non habent Diœcesim: quia non possunt ministrare Ordines, nec etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ, absque proprij Prælati expresso consensu, aut literis dimissoriis ad aliquos sacros Ordines, aut minores, vel ad primam Tonsuram promouere, seu ordinare valeat; vti cauetur in Concilio Tridentino *sess. 14. de reformat. cap. 2.* vbi habetur in hæc verba formalia, quæ sequuntur.

2 Et quoniam nonnulli Episcopi Ecclesiarum, quæ in partibus infidelium consistunt, Clero carentes, & populo Christiano, cùm ferè vagabundi sint, & permanentem sedem non habeant, non quæ IESV CHRISTI, sed alienas oues, inscio proprio Pastore quærentes, dum per hanc Synodum sanctam & Pontificalia iura in alterius Diœcesi, nisi de loci Ordinarij expressa licētia, & in personas eidem Ordinario subiecta tantùm exercere prohibitos vident, in legis fraudem, & contemptum, quasi Episcopalem cathedram in loco nullius Diœcesis sua temeritate eligunt, & quoscumque ad se venientes

etiamsi suorum Episcoporum, seu Prælatorum literas commendatitias non habeant, clericali charactere insignire, & ad sacros Ordines etiam Præsbiteratus promouere præsumunt, quo plerumque fit, vt minus idonei, & rudes, ac ignari, & qui à suo Episcopo tãquam inhabiles, & indigni reiecti fuerint ordinati, nec diuina officia peragere, nec Ecclesiastica Sacramenta rectè valeant ministrare: nemo Episcoporum, qui Titulares vocantur, etiamsi in loco nullius Diœcesis etiam exempto, aut aliquo Monasterio cuiusuis Ordinis recederint, aut morã traxerint vigore cuiusuis priuilegij sibi de promouendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatis suæ absque sui proprij Prælati consensu, aut litteris dimissoriis aliquos sacros, aut Ordines minores, vel ad primam Tonsuram promouere, seu ordinare valeat. Contrà faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter verò promotus ab exequutione Ordinum, sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure sint suspensi. Hucusque Concilium.

Sup. hoc infra in Resol. 60. &c. in to. 5. tr. 3. Resol. 26. circa fin. in §. Verum.

3. Dicendum est igitur quòd Episcopus titularis non potest familiare suum, seu commensalem ordinare sine licentia sui Episcopi, quamuis cum illo per triennium commoratus fuerit, Trid. *sess. 4. de reformat. c. 2. & sess. 6. c. 5.* Guttierrez *Canon. lib. 1. c. 26. n. 26.* Flam. *de resign. lib. 1. q. 17. n. 17.* Vgolin. *de potestat. Episc. 4. §. 14.* Ordo tamen tenet, quamuis puniatur arbitrio sui Ordinarij, Episcopus titularis, qui eum ordinauit sine cõmendatitiis sui Episcopi, à Pontificali suspenditur per annum, Trident. *sess. 14. de reformat. c. 2.* Azor. *p. 2. lib. 3. c. 48. q. 6.* Vasquez *in part. 3. tom. 3. disp. 242. ex n. 45.* & alij.

RESOL. XXIX.

An Episcopus, qui tantum loco, & non dignitati renunciauit, possit conferre Ordines?

Et quid maxime, si rogetur ab alio Episcopo? Ex part. 8. tr. 2. Resol. 6.

§. 1. REspondeo affirmatiuè, si rogetur ab alio Episcopo: nam certum est Episcopum qui renunciauit loco tantùm, dignitate retenta, esse verè, & propriè Episcopum. Et probatur ex *dict. cap. 1. de ordinatis ad Episcopo, qui renunciauit Episcopatui*, vbi etiam tradunt Barr. & Abb. sufficit enim ad hunc effectum, semel administrationem Episcopatus attigisse ad hoc, vt etiam ea cessante remaneat integra dignitas, in exemplo Comitum qui semel Prouinciam administrarunt, qui tales manent etiam administratione cessante, *l. vnic.* vbi Barr. *Cod. de Comit. qui Prouincias regunt, lib. 12.* cum quo concordat text. *in l. fin. Cod. de Decur. l. vnius, §. seruus ff. de quæst. l. seruos §. non solum. Cod. eod.*

2. Et ita docet R. Magister Candidus *tom. 4. disquis. 4. art. 3. dub. 5.* vbi sic ait. Episcopus, qui tantùm loco renunciauit rogatus ab aliquo Episcopo, potest omnes Ordines conferre sicut antè; rogatus, inquam, quia cùm nullos subditos habeat, nõ potest ordinare alienos, nisi consensu illius, cuius sunt subditi. Ita Alexander III. *cap. 1. requisiuit à nobis, de ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui.* Verum igitur characterem Ordinis, & exequutionem illius, à tali Episcopo ordinati reciperent.

RESOL. XXX.

An Episcopus, qui loco, & dignitati renunciauit, possit saltem conferre Ordines minores?

Et notatur non posse maiores Ordines conferre etiam ab alio Episcopo rogatum? Ex part. 8. tr. 2. Resol. 7.

§. REspondeo non posse maiores Ordines conferre, etiam ab alio Episcopo rogatus, nisi vt vsum, & exequutionem ordinati maioribus Ordinibus recipiant. Et ratio est, quia Episcopus, qui loco, & dignitati renunciauit, officij sui exequutionem non habet; & nemo dat, quod non habet, vt patet *in c. 1. de ord. ab Episc. qui renun.* Et docet in terminis Candidus *tom. 4. dis. 4. art. 3. dub. 5.* secus autem dicendum est cum ipso quoad Ordines minores; quod etiam præter Candidum docet Riccius *in hac. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 4.*

RESOL. XXXI.

Quibus Episcopus possit validè ministrare Sacramentum Ordinis? Ex part. 8. tr. 2. Resol. 8.

§. 1. REspondeo suis subditis. Et ideo, vt Episcopus sibi non subditum ordinet, prohibitum est in Concilio Nyceno *can. 17.* & in Tridentino *sess. 23. can. 8. de reform.* licèt. vt obseruat Villalobos *in summa, tom. 2. tr. 11. difficult. 9. n. 1. que se deue tener le ordenasse al que fuesse de otro Obispado, dana cosas que quedaria ordenado, mas pecaria mortalmẽte porque tiene precepto desto en derecho, por el qual si le haze à sabiendas, ò por ignorencia affectada, queda suspenso de administrar los Ordenes por vn año.*

2. Sed *notandum* est, quòdquis tripliciter efficitur subditus alicuius Episcopi. *Primo*, ratione originis, quia in eius Diœcesi natus est; *secundò*, ratione domicilij, quod in eius Diœcesi habet, (animo scilicet perpetuò ibi habitandi,) *tertiò*, ratione beneficij, quod in eius Diœcesi obtinet: vnde, qui in vna Diœcesi esset natus, & in altera habitaret, & in tertia haberet beneficium, ab illis tribus Episcopis posset ordinari, & literas dimissorias accipere. Et ideò in *cũ nullus, de temp. ord. in 6.* sic habetur. Cũ nullus Parochiæ alienæ, præter superioris ipsius licentiã, audeat ordinare: superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cuius Diœcesi est is, qui ad Ordines promoueri desiderat, oriundus, seu in cuius Diœcesi beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet licet alibi natus fuerit, domicilium.

3. Sed ad ornatũ huius textus, & materiæ, plures non incuriosæ, sed practicabiles quæstiones sunt inferiùs agitandæ.

RESOL. XXXII.

An Episcopus in aliena Diœcesi sine licentia possit conferre suis subditis primam Tonsuram?

Et docetur Episcopum in aliena Diœcesi non posse celebrare Missam in Pontificalibus cũ Baculo, & Mitra absque licentia Ordinarij? Ex p. 4. tr. 4. & Miss. Resol. 143.

§. 1. NEgatiuè respondet Campanil. *in diuer. iur. can. rubr. 6. cap. 1. num. 2.* Barbosa *de potest. Episc. part. 2. allegat. 6. num. 15.* & nouissimè Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 50. num. 2.* ex iure nouo Concil. Trident. *sess. 6. cap. 5. de refor.* vbi prohibetur

betur Episcopis in aliena diœcesi Pontificalia exercere absque Episcopi diœcesani licentia.

2. Non desinam tamen hic annotare contrariam sententiam etiam post Concil. Tridentinum docere non ignobiles auctores, & ideo præter Doctores, quos citat & sequitur Bonacina *de Sacram. disp. 3. quæst. vnic. punct. 2. n. 13.* tenent hanc opinionem Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 48. quæst. 5.* Fornarius *de sacram. Ordinis, cap. 5. §. 4. notab. 4.* Molfesius *in sum. tom. 1. tract. 2. cap. 2. n. 15.* & nouissimè Mauritius Alzedo *in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. n. 18.* asserentes posse Episcopum extra diœcesim sine licentia Ordinarij propriis subditis primam tonsuram conferre, quia Concilium loquitur de Episcopo conferente Ordines; sed prima tonsura non est Ordo, sed initiatus ad Ordines, & solet concedi sine exercitio Pontificalium? ergo, &c.

Quæ hic est in tom. 3. tr. 3. Resol. 77. & hic supra in tr. 1. lege 5. vlt. Resol. 44.

3. Notandum est etiam hîc obiter quod ego *in 2. part. tract. 6. resol. 35.* docui, Episcopum in aliena diœcesi non posse celebrare Missam in Pontificalibus cum baculo, & mithra absque licentia Ordinarij. Verùm contrariam sententiam probabilem putat Paulus Layman *in quæstionibus Canonicis cap. 17. n. 224.* & absolutè illam tenent Io. Vanshel *in Clem. de priuileg. fol. mihi 355. col. 2.* & nouissimè Mauritius Alzedo *in praxi Episcop. part. 1. cap. 13. n. 88.* qui plures alios citat; sed tu ne recedas à nostra sententia, quam consuetudo confirmat, & docet nouissimè Gauantus *in enchir. Episc. ver. inuitiones Episcopales, n. 11.* qui citat Riccium.

RESOL. XXXIII.

An si in Dimissoria concedatur licentia Ordinandi à quocunque Episcopo in propria Diœcesi ordinante, possit quis Ordinari ab Episcopo in aliena Diœcesi de licentia Ordinarij Ordinationem exercente?

Et an Episcopus per ratihabitionem possit Ordinare alienum subditum? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 190. alias 191.

Sup. hoc lege doctrinam Resol. seq. & magis latè pro contentis in hac Resol. in tom. 3. Resol. 26. per totam.

§. 1. HIc casus olim accidit, & sententiam negatiuam docet Guttierrez *qq. Canonicis, lib. 1. cap. 16.* sed tunc ego adduxi Ledesmam *in sum. tom. 1. de sacram. Ordinis, cap. 8. concl. 4. diffic. 5.* qui affirmatiuam sententiam probabilem putat. Cùm enim adduxisset aliquas rationes pro sententia negatiua, sic tandem asserit. [Esta sentencia parece mas cierta, y probable, aunque quien dixiesse lo contrario, no parece quedaria muy improbablemente por la razon, que hizimos. Porque parece, que las tales reuerendas equiualen à generales, aunque en la aparencia tenga algun limite, y restricion.] Ita ille.

2. Sed tunc etiam dubitatum fuit, an tali casu cùm ordinandus, & Episcopus ordinans, certò scirent proprium Episcopum, (si hoc sciret) generales dimissorias concessurum esse, & omnia rata habere; an, inquam, in tali casu non obstante dimissoria cum illa limitatione, sine scrupulo potuisset Episcopus dictum Clericum ordinare. Et respondi affirmatiuè cum Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 11. diffic. 9. num. 8.* vbi ita ait; [Lo que toca à reuerendas ha lugar la ratihabicion, esto es, que al que se ha de ordenar crea con buena fe que el Obispo tiene por bien, que se ordene sin esperar dimissorias, como lo dice Salçedo.] Sic ille; & Ledesma *vbi supra à concl. 5.* ita asserit. [Puede el Obispo ordenar al que no es su subdito, teniendo por cierto, que el proprio Obispo lo tendrá por bien.] Et de hac quæstione nos alibi fusiùs diximus partem etiam affirmatiuam cum Paludano *in 4 sent. dub. 18. quæst. 1. art. 2. cas. 19.* tenentes; quidquid in contrarium videatur docere Bonacina *de Sacram. disp. 6. quæst. vnic. punct. 4. num. 28.* & Aloysius Riccius *in addit. ad inst. Can. Lancelloti, lib. 1. tit. 25. §. pari ratione*, & nouissimè doctus Turrianus *de conf. lib. 5. disp. 46. dub. 1.* vbi negat Episcopum per ratihabitionem posse ordinare alienum subditum; sed nostra sententia est etiam probabilis.

Sup. hac ratihabitone in tom. 4. tr. 3. Resol. 58. §. penult. cursim in fine.

RESOL. XXXIV.

An Episcopus inuitatus ad ordinandum in aliena Diœcesi possit ibi ordinare non solum suos subditos, sed etiam alienos literas dimissorias suorum Episcoporum portantes? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Resol. 144.

§. 1. NOn posse sine noua & expressa licentia Ordinarij, seu Capituli à quo inuitatus est ad ordinandum, tradit Barbosa *de potestate Episcopi part. 2. alleg 4. n. 64.* & Miranda *in manuali Prælator. tom. 1. quæst. 38. art. 3. concl. vnic.* ex Concil. Trident. *cap. finali, sess. 6. de reform.*

Sup. hoc prò suis subditis in tom. 5. tr. 3. cursim in §. vlt. Resol. 25. & pro aliis literas dimissorias decernentibus, lege doctrinam Resol. præteritæ.

2. Verùm contrariam sententiam tenet Venerus *in exam. Episc. lib. 1. cap. 12. n. 52.* & Nauarrus, Toletus, Fornarius, quos citat & sequitur nouissimè Mauritius Alzedo *in praxi Episc. part. 2. cap. 5. n. 50.* qui respondet ad locum Tridentini asserens quòd loquitur de Episcopo ordinante in aliena diœcesi ratione priuilegij sibi dati à Papa ad conferendos Ordines in aliena diœcesi, nam tunc sine licentia Ordinarij, & nisi Clericos illi Ordinario subiectos ordinare non poterit; secus autem in casu nostro, quando Episcopus est inuitatus ab alio Episcopo ad Ordines celebrandos generales, nam poterit ordinare ibi Clericos sibi subditos, & etiam aliarum diœcesium, si literas dimissorias habeant, neque ad hoc requirere tenetur aliam licentiam Episcopi vbi celebrat; sed sufficit generalis quam habet. Ita Alzedo *loco citato.*

RESOL. XXXV.

An qui v. g. accepit vnum Ordinem ab Episcopo originis, possit variare, & alium accipere ab Episcopo beneficij?

Et an hodie Regulares possint, non obstante Decreto Clem. VIII. die 3 Iunij 1599. ordinari ab Episcopo originis, neque id à Concilio Tridentino prohiberi, neque à dicto Decreto, neque ab vsu contrario, vel sint à fortiori ordinandi ab Episcopo Diœcesano? Ex part. 6. tr. 7. & Misc. 2. Resol. 35.

§. 1. CAsus potest in praxi frequenter accidere, Et ad illum negatiuè respondet Molfesius *in summa tom. 1. part. 2. cap. 2. num. 10.* vbi sic asserit. Est notandum, quòd si subditus aliquo ex prædictis quatuor modis semel elegisset vnum Episcopum, à quo aliquem ordinem suscepisset, non posset variare, & assumere alios ordines ab alio ex dictis Episcopis, nisi Episcopus, qui priùs illum ordinauit iudicasset causam ordinationis, & remitteret ordinatum ad alium ex dictis Episcopis. Ita post Archidiaconum *in cap. nec capiendæ, de concess. præben.* Athillem de Grassis *decis. 13. in titul. de personibus.* Quaranta *in verb. Ordo*, & alios, notat Riccius *loco citato decis. 106.* quoniam si semel est factus subditus Episcopi ordinantis, cuius est onus prouidere illi de beneficio, & sic de aliis iuribus Episcopalibus, non potest talis subditus eligere alium Episcopum in præiudicium electi per primam ordinationem. Hucusque Molfesius.

Sup. hoc in duobus Resol. seqq. & infra cursim in fine Resol. 56. & supra in Resol. 31. paulo post initiū. §. 2.

2. Sed

2. Sed nouissimè affirmatiuam sententiam tenet Franciscus Zypæus *in suis eruditissimis consultationibus Canonicis*, *lib. 1. tit. de ætate, & qualitate ordinandorum, consil. 3.* quia hîc variatio non contingit circa vnum & idem subiectum, sed respectu diuersorum: quoniam Ordo susceptus v. g. Diaconatus distat à suscipiendo v.g. Sacerdotij; itaque vt excluſa sit variatio quoad vnum, qui & natura irreptibilis est, nihil vetat quoad alterum variare, & alterum Episcopum adire: si quidem nullus id iuris textus prohibet: & regula est, vt iure permissum censeatur, quod non inuenitur prohibitum: eò magis quòd in iure expressa sit concessio, vt adire liceat, quemcumque lubeat, originis, domicilij, aut beneficij, Episcopum; neque hæc exceptio adiiciatur, neque verò vllibi decernatur, quòd per additionem vnius Episcopi, alter fiat alienus, seu non proprius. Ordinationis autem legitimæ causa efficiens est propria ex vna trium causarum, originis, domicilij, iurisdictio ordinantis in ordinandum: qua manente, manet legitima possibilitas effectus: neque pactis, aut factis priuatorum, manente causa, potest ea legalis possibilitas tolli. Et verò *in l. 2. 3. 4. 5. & 20 ff. de opt. legat.* optione quidem semel facta omne ius consumitur, sed rei eligendæ; non omnibus autem exhibitis, quoad non exhibita integra manet optio *dicta l. 4.* & rationem assignat *dicta l. 20.* huius iuris: cur voluntatem optans mutare non possit. Quia omne ius prima, inquit, testatione consumpsit: quoniam res continuò eius fuit simul ac se dixerit eam sumere: itaque quoniam non eadem ratio in casu nostro obtinet, additione vnius Episcopi non tolletur facultas à iure concessa pro alio ordine alium adeundi, quem alioquin ius adire permiserit.

Sup. hoc in Resol. not. seq.

3. Notandum est etiam hîc obiter suprà dictum Zypæum vbi suprà docere, non obstante Decreto Clementis VIII. die 1. Iunij 1599. posse hodie Regulares ordinari ab Episcopo originis: nec id à Concilio Tridentino prohiberi, nec à dicto Decreto, neque ab vsu contrario. Sed aduersùs hanc sententiam vide Molfesium *loco citato n. 23.* & Mirandam *in Manual. Prælatorum, tom. 1. quæst. 38. art. 2.* Et certò hodie ex vi Decreti Clementis VIII. Regulares non audent mittere subditos pro suscipiendis ordinibus, nisi ad Episcopos Diœcesanos.

Sup. hoc Decreto in to. 7. tr. 1. legem latam doctrinam Resol. 127. & Vide etiam alios vers. eius not.

RESOL. XXXVI.

An subditus si elegit, v.g. pro Ordine suscipiendo Episcopum domicilij, possit postea variare, & sumere Ordines ab Episcopo originis, vel beneficij? Ex part. 8. tr. 2. Resol. 9.

§. 1. NEgatiuè respondet Barbosa *de potest. Episcopi, part. 2. allegat. 4. num. 1.* vbi sic ait: Illud in hac materia est valdè notandum quòd si subditus aliquo ex prædictis tribus modis semel elegisset vnum Episcopum à quo aliquem Ordinem suscepisset, non posset variare, & assumere alios Ordines ab alio ex dictis Episcopis, nisi Episcopus qui priùs illum ordinauit, iudicasset cessare causam ordinationis, & remittere ordinatum ad alium ex dictis Episcopis: ita post Archid. *in cap. nec captandæ, de concess. præb.* Achil. de Grassis *decis. 13. de pensionibus*, Quarantam & Riccium obseruat Molfes. *dict. cap. 2. n. 10.* reddens rationem, quia si semel factus est subditus Episcopi ordinantis, cuius est onus prouidere illi de beneficio, & sic de aliis iuribus Episcopalibus, non potest talis subditus eligere alium Episcopum in præiudicium electi per primam ordinationem. Ita Barbosa, cui etiam addè Piasecium *in præxi, part. 1. cap. 1. art. 2. num. 4.* qui citat Quarantam.

2. Sed ego *in part. 6. tract. 7. resolut. 35.* pro contraria sententia adduxi contra Molfesium, eruditum, & doctum Iurisconsultum Franciscum Zypæum, cui nunc addo Auersam *de Sacram. Ordinis, quæst. 35. sect. 6.* vbi ita asserit. Sufficit demum, quilibet ex his modis subiectionis: ita quòd si quispiam sit ordinatus ex vno loco, & habeat beneficium non requirens residentiam in alio, & domicilium perpetuum in alio, poterit à quolibet ex his Prælatis promoueri & sumitur ex *l. Senatores, ff. de Senatoribus.* Et similiter ad vnum Ordinem ab vno, & alium ab alio. Et ita hanc sententiam tenet etiam Squillante *de priu. leg. Cleric. cap. 4. num. 236.* vbi ex Nouario testatur in Curia Archiep. Neapolitan. fuisse resolutum, ordinatum in loco domicilij, posse ordinari in loco beneficij.

RESOL. XXXVII.

An qui v.g. suscepit Ordines minores ab Episcopo domicilij, possit variare, & suscipere Subdiaconatum ab Episcopo originis propriæ, & paternæ, & postea Diaconatum & Sacerdotium ab Episcopis beneficiorum?

Et absolute docetur habentem plura beneficia in diuersis Diœcesibus posse, à quo maluerit assumi, ordinari? Ex part. 9. tr. 9. & Misc. 4. Resol. 4.

§. 1. CAsus in Praxi sæpiùs potest contingere, & affirmatiuam sententiam in *par. 8.* tanquam probabilem admisi contra Barbosam, Riccium, Quarantam, & alios. Et quia scio vitis doctis nimis placuisse, nunc iterum illum firmabo auctoritate Iannis Trullench *de Sacram. lib. 6. cap. vnico, dub. 7. n. 17.* vbi sic ait: Aduertit, & dicit valdè notandum in hac materia Barbosa, Molfesius, & alij, quòd si subditus aliquo ex tribus modis prædictis elegisset vnum Episcopum, à quo aliquem ordinem suscepisset, non posset variare, & assumere alios Ordines ab alio ex dictis Episcopis; nisi Episcopus, qui prius illum ordinauit, iudicauerit cessasse causam ordinationis, & remitteret ordinatum ad alium ex dictis Episcopis. Ita colligit Archidiaconus in *cap. nec captandæ, de concess. præb.* Et reddunt rationem, quia semel factus est subditus Episcopi ordinantis, cuius est munus prouidere illi de Beneficio, & sic de aliis Iuribus Episcopalibus; non potest talis subditus eligere alium Episcopum in præiudicium electi per primam ordinationem. Consequenter idem Barbosa *lib. 1. de Iure vniuerso, cap. 33. num. 39.* tenet eum qui habet plura Beneficia in diuersis Diœcesibus, si elegit vnum Episcopum, à quo incipit ordinari, non posse postea Ordines suscipere in alia Diœcesi, ratione alterius beneficij. Nihilominus tamen, cum bona venia tantorum Doctorum, existimo talem posse post susceptionem vnius Ordinis variare, & ab alio Episcopo ordinari: tum quia, etsi hunc Episcopum modo elegerit, non ideò desinit esse subditus à iure aliorum: ergo, dum variat, vtitur iure suo; consequenter nemini facit iniuriam: tùm quia per primam electionem non abdicauit à se Ius eligendi, quod habebat: tum quia Doctores citati, *num. 15. versic.* Tertiò Episcopus, absolutè docent habentem plura Beneficia in diuersis Diœcesibus posse à quo maluerit Antistite ordinari: tùm & præcipuè, quia id nullo Iure reperitur expressè prohibitum: nec *dict. cap. ne captandæ, quod citat Archidiac.* est contra nos: nam illud solùm loquitur de illo, qui habet facultatem à Pontifice ad acceptandum Beneficium, quod primò vacauerit; qui quidem, antequam Beneficium

neficium vacet, non potest acceptare determinatum beneficium, sed tenetur acceptare primum beneficium quod vacauerit: quæ quidē capitis dispositio non videtur accommodabilis nostro casui, præcipuè cum sit odiosa, & consequenter non extendenda. Quæ quidem sententia, me consulto, anno 1635. fuit in praxi acceptata in hac Diœcesi Valent. in quodam Beneficiario habente vnum beneficium in Diœcesi Segobricen. qui cùm suscepisset ibi ratione illius beneficij Subdiaconatum, postea ratione alterius beneficij in Diœcesi Valentin. suscepit alios Ordines. Hucvsque Trullench, satis probabiliter.

RESOL. XXXVIII.

An supradicta opinio in aliquo casu irritetur?
Et an hoc non solùm in maioribus, verum etiam in minoribus Ordinibus locum habeat?
Et an laicus promoueri ad primam Tonsuram possit etiam per Episcopum non suum?
Et notatur, quod in isto casu non incurrit suspensionem, quā ipso iure Sacris ordinatus incurreret, si ab alieno Episcopo Ordinem susciperet. Ex part. 8. tract. 2. Resol. 10.

§. 1. REspondeo affirmatiuè. Et ideò si aliquis à priori Episcopo originis Ordinem aliquem accepisset ad titulum beneficij residentiam requirentis, vel ad titulum patrimonij pro vtilitate, vel necessitate Ecclesiæ, iuxta formam Concilij Tridentini *sess. 23. de reform. cap. 16.* quo casu non poterit noui domicilij Episcopus ei Ordines conferre, inconsulto priore Episcopo, à quo perquirere debet, vtrum iusta illa causa, quæ ad collationem Ordinum coëgit, cessauerit, vel adhuc vigeat, & si adhuc eadem causa perduraverit, remitti debet, vt inseruiat Ecclesiæ, cuius gratia fuit ordinatus, vt apparet ex *d. cap. 16. sess. 23. de reformat.* & docet additio ad summam Bullarij Quarantæ *in verb. Ordo, vers. circa tertium pag. 351.* quem sequitur Bartholom. Vgolin. *d. tract. §. 2. in fine*, & refert Piasecius *in praxi Episcop. 1. part. cap. 1. de confer. Ordinib. n. 9. ampliat. 2.* Aloysius Riccius *d. praxi Ecclesiastica, decis. 306. num. 4.* quamuis *ibidem in vers. Cæterum*, affirmet, contrarium consuluisse nonnullos Episcopos domiciliarios ordinare cupientes, scilicet Clericos, qui ab eorum originis Episcopis Ordines sumpserunt, eo quod variatio maximè in Ordinibus, & aliis spiritualibus prohibeatur, ex Archid. *in cap. nec captandæ, de conces. præbend.* Acti'll. de Grassis *decis. 13. de pension.* & aliis & probatur ex *Clement. 1. de renunt.*

2. Quæ omnia, non solùm in maioribus, verùm etiam in minoribus Ordinibus locum habebunt, imò in minoribus Ordinibus maior ratio est, cur prohibeatur Episcopus, nisi post quæsitum legitimè domicilium Ordines conferre, quia tunc ponitur fundamentum sine quo reliqui Ordines conferri non possunt, & ab eo tempore ordinatus eximitur à potestate sæculari, concurrentibus cæteris adminiculis: vt notat Rebuff. *de litteris dimisso. n. 16.* Quaranta *d. verb. Ordo*, quos sequitur Piasecius *d. loc. n. 9. ampliat. 1.*

3. Ex quo apparet, non modico errore lapsum fuisse Guid. Pap. *decis. 44.* dum existimauit, posse laicum promoueri ad primam Tonsuram, etiam per Episcopum non suum (cui & conueniunt tradita per Petr. Alph. de Vasconcel. *in harmonia rubr. titul. de temp. ordin. num. 7.*) si quidem manifestè conuincitur ex iam dictis, & ex *cap. fin. de temp. ordin. lib. 6.* quem etiam reprehendit Petr. Barbosa *in l. 1. art. 3. n. 218. de iudic.* licet *in n. 220.* affirmet, suspensionem, quam ipso iure Sactis ordinatus aliàs incurreret, isto casu minimè contrahi, etiamsi ab alieno Episcopo primam Tonsuram susciperiat, ex Nauarr. *cons. 29. n. 31. de temp. ordin.* Et hæc omnia docet Narbona *in Recopilat lib. 4. titul. 1. leg. 20. n. 132. & seq.* cui adde Matchinum *de sacram. Ordin. pract. 1. part. 5. cap. 5. n. 20.*

Quoad hoc in com. 5. tr. 3. lege doctrinam Ref. 24.

RESOL. XXXIX.

An Episcopus possit ordinare aliquem qui fortuito natus est in sua Diœcesi, ita vt sit ei subditus originis? Ex p. 8. tr. 2. Ref. 11.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Gaspar Hurtadus *de sacrament. Ordin. difficult. 7.* vbi ita asserit: Quilibet ramen sit subditus Episcopo quoad susceptionem Ordinum (vt exprimitur *in c. cùm nullus, de temporibus ordinationum, in. 6.*) aut ratione natiuitatis in Diœcesi illius (ad quod credo sufficere, quod in ea fortuitò natus sit, quia in ea erat causa itineris, vel negotij) ita ille; in cuius fauorem faciunt Doctores, quos citat Narbona *lib. 4. titul. 1. leg. 20. num. 141.*

2. Sed communis sententia est in contrarium. Dico igitur, quod licet sortiatur quis domicilium in ea patria, vbi natus est ipsemet, qui ad Ordines promoueri desiderat, ex eodem *cap. cum nullus*: nam natiuitas propria facit ciuem in eo loco, vbi natus est ipse *leg. 1. ff. ad municip. leg. municipes. ff. de. verb. significat. leg. cives. C. de incol. lib. 10.* docent Imola, Paulus, Alexander *in leg huiusmodi, §. legatum ff. de leg. 1.* Felinus *cap. Rodulphus, concluf. 5. de rescript.* Menochius *lib. 6. de præsumpt. præsumpt. 42. num. 4.* Bologn. *in repet. Extranagantis Theodosij, 11. part. vers. natura suos cives*, vbi dicit, quod quis sit ciuis, vbi ortus est, & docet Grammat. *voto 10. num. 15.* quod præter natiuitatem est veritas, vnde potentior est ciuilitas originis, quàm alia quælibet. *l. origine, C. de municip. & origin. lib. 10.* Cald. Pereira *in suo cons. pro D. Ioan. à Tassis, num. 6.* probat Ord. Lusit. *lib. 2. tit. 56. in princip.* ibi *Aquelle que della, ou de seu termo for natural.*

3. Hoc tamen intelligendum est ex parentibus, qui habent domicilium in eo loco, vbi ipse filius natus est, non qui nascitur casu, & fortuitò ex parentibus alibi pergentibus, vel ad tempus moram trahentibus in aliquo loco, vbi natus est; nec enim contrahit ciuilitatem originis, sed in eo loco vbi parentes proprium domicilium censentur habere, ex *l. 1. C. de cap. & postlim. reuers.* Bart. *num. 4.* & Platea *in l. filios, num. 1. vers. quod intellige. C. de munic. & origin. lib. 10.* Paulus & Alex *d. §. legatum.* Felinus *d. cap. Rodulphus in 5. concl.* Ias. *cons. 77. lib. 3.* Gregor. Lop. *l. 2. tit. 24. part. 4. verb. Maguer sea natural*, & in his terminis proprius Episcopus non erit is, qui fuerit illius Diœcesis, in quo promouendus natus fuit casu fortuito, sed erit Episcopus eius Diœcesis, vbi parentes domicilium habuerunt, & fingitur ibidem natus. Et ita docet Thomas Vallascus *in suis Allegationibus, tom. 1. allegat. 5. num. 20.*

4. Et ideo Præpositus *in 3. part. de sacrament. Ordin. quæst. vnica, dub. 14 num. 130.* ita asserit. Episcopus originis, dicitur Episcopus loci, in quo quis natus est, cùm parentes ibi haberent domicilium, vel saltem censetur natus. Quod dico, quia vt aliquis censeatur Episcopus originis, non sufficit aliquem fortuitò natum esse certo loco, v. g. in itinere, vel vbi parentes versantur negotiorum causa, habentes alibi

alibi domicilium, sed cùm parentes eo loco domicilium haberent. Nam licèt aliquis nascatur in Diœcesi Cameracensi, vbi parentes versantur negotiorum causa, habentes domicilium in Diœcesi Tornacensi, non censetur natus in Diœcesi Cameracensi, sed in Tornacensi, & Tornacensis Episcopus est Episcopus originis. Videri potest *l. ciues 7. C. de incolis.* Panormitan. *in c. Rodulphus, de rescriptis.* Siluester *verb. ciuitas, q. 4.* Ita Præpositus. Et ita hanc sententiam tenet etiam Felicianus à Vega *in c. postulasti, de foro compet. n. 18.* Opatouius *de Sacram. tr. de Ordin. q. 3. sect. 6.* Villalobos *in summa, tom. 1. tr. 11. difficul. 9. n. 2.* Piasecius *in praxi, p. 1. c. 1. art. 2. n. 1.* qui optimè obseruat sic accipiendum esse id quod dicitur, inde quem trahere originem, vbi fuerit baptizatus. Idem etiam docet Suarez *de matrimon. lib. 3. disp. 23. num. 3.* Auilla *de censur. part. 3. disp. 5. dub. 7.* Acugna *in Decre. part. 1. distinct. 71. n. 3.* Hypæus *in Anal. iur. Pont. lib. 1. tit. de ordinandis, num. 4.*

RESOL. XL.

An dicatur Episcopus originis, in cuius Diœcesi natus est Pater Clerici ordinandi?

Et quid, si Pater tempore natiuitatis filij illius ad aliam Diœcesim iam transtulerat domicilium, an ex Sacra declaratione Congregationis Concilij possit filius ordinari ab Episcopo paternæ originis? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Res. 148.

Sup. hoc in Resl. seq. & supra in Res. 37. ex diffic. posita in titulo dictæ Res.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Emanuel Rodriguez, quem citat & sequitur nouissimè Mauricius Alzedo *in praxi Episcoporum part. 2. cap. 5. num 44.*

2. At ego contrariam sententiam teneo cum nostro P. Molfesio *in sum. tom. 1. tract. 2. cap. 2. num. 7.* vbi sic ait. Quatuor modis quis dicitur subditus Episcopo vt possit ab illo ordinari. Primò ratione originis: secundò ratione domicilij: quartò, ratione familiaritatis. Primò igitur ratione originis potest quis ordinari ab Episcopo, vt si ipse, vel eius pater natus sit in loco diœcesis illius. Ita ille, qui probat hoc ex glossa, & aliis Doctoribus, quibus ego addo Barbosam *de potest. Episc. part. 2. alleg. 4. num. 7.* & alios penes ipsum. Et ideo sacra Congregatio Concilij *die 16. Decembr. 1599. & 12. Augusti 1628. & 7. Aprilis 1629.* declarauit, quòd quis ordinari potest ab Episcopo originis paternæ, tametsi pater tempore natiuitatis illius filij ad aliam diœcesim iam transtulerat domicilium.

RESOL. XLI.

An Episcopus possit ordinare aliquem, cuius pater natus est in sua Diœcesi, licet filius natus fuerit in aliena? Ex part. 8. tr. 2. Res. 12.

Sup. hoc in Res. prætetita, & in alia eius not.

§. 1. PRo negatiua sententia adducit Rodriguez Alzedus *in praxi, part. 2. cap. 5. num. 43.* vbi sic ait: Ille dicitur Episcopus originis, in cuius Diœcesi ordinandus natus est, non verò Episcopus Diœcesis, in qua ordinandi pater natus. Emanuel Rodriguez *tom. 4. c. 61.* aliàs *62. num. 12. for. 113.*

2. Barbosa verò *in pastorali, vbi proximè, num. 7. vsque ad 15.* extendit etiam ad Episcopum in cuius Diœcesi natus est pater, & ad hoc allegat glossam *in cap. nullus, de tempor. ordin. lib. 6.* Sed meo iudicio nihil probat. Ita ille.

3. Et hanc sententiam mordicus sustentat Acugna *in Decretum Gratiani, part. 1. distin. 71. num. 4.* ita asserens. An quotiescumque aliquis ciuis alicuius loci dicitur, siue natus ibi, ciuiliter, id est, beneficio legis, & gaudet priuilegio ciuis talis loci, siue alibis natus sit, possit à tali loci Episcopo ordinari, ac si is esset Episcopus originis? Exempla sint in filio legitimo, qui nanciscitur ciuilitatem originis eius loci, vbi pater natus est, *l. assumptio, §. 1.* vbi Bartol. *ff. ad municipal. glossa 1. leg. 1. ff. eodem*, Bartol. & Platea *in l. filios C. de municipal. lib. 10.* Andr. Gail. *lib. 2. pract. observ. cap. 36. num. 2.* Item in filio illegitimo, qui nanciscitur domicilium originis maternæ *leg. 1. ad finem, ff. ad municipal. leg. eius 9. ff. eodem*, vbi Accursius *in summario huius legis*, Blanca *leg. filios citata, numer. 2.* de quo etiam videri potest dispositio ordinationis Lusitaniæ *lib. 2. tit. 5. §. 3. & 4.* Alia exempla videri possunt, quibus acquiritur naturalitas in legibus Castellæ *l. 2. titul. 24. per. 2.* ordinatio nostra Lusitana *lib. 2. titul. 56. statim in principio, & §. 1. 2. & 3.* Respondeo verbum *oriundus*, de quo in textu, quem explicamus proptis pro nato in tali loco, explicari debere iuxta *l. assignata*, iuncta glossa *ibi, verb. oriundus, ff. ad municipl.* & quæ tradit Mandos. *regula 17. quæst. 40. num. 3.* nam beneficium legis licet faciat incolam, seu domicilium, nunquam tamen facit ortum, siue oriundum *l. 1. cum sequentibus. C. de municip. & origin. & l. 2. C. de incolis, lib. 10.* Gregor. Lopez *proxime citatus.* Menoch. *de arbitrar. lib. 2. cas. 86.* & quamuis tales possint dici naturalis ciuiliter, & impropriè, nunquam tamen dicetur ortus, siue oriundus, nisi ab origine propria, vt rectè explicant Burgos de Paz *l. 3. Tauri part. 1. n. 372.* Auendan. *de exequend. mandat. lib. 3. cap. 3. num. 5.* Azeuedo *in l. 19. titul. 3. lib. 1. recopilat.* cum verba naturaliter propriè sint intelligenda, *l. final. C. de his qui veniam ætatis*, & *ibi* Bald. Mantica *de coniect. lib. 3. titul. 4. num. 15.* Gallinius *de verb. signif. lib. 2. cap. 21. num. 8. & lib. 3. cap. 19. num. 12.* Salazar *de vsu, & consuet. cap. 1. num. 57. & 62.* Tenent in specie Henriquez *lib. 10. de ordine, cap. 22. num. 1.* cum multis, quos *ibi* citat *in comment. litt. B.* Hactenus Acugna; cui adde Vallascum *tom. 1. alleg. 5. num. 24.*

4. Sed communiter Doctores affirmatiam sententiam tenent. Ita Marcellus Vulpe *in praxi Iur. eccles. cap. 7. numer. 24.* & Molfesius *in summa, tom. 1. tract. 2. cap. 2. num. 3.* vbi docet, quòd ratione originis potest quis ordinari ab Episcopo, vt si ipse, vel pater eius natus sit in illius Diœcesi. Vnde non grauabor hîc apponere verba Ioannis Machado *de perfecto Confess. tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 3. decis. 1. numero 4.* sic me citato, asserentis. *Queda pues dudoso, y controuerso entre los Dotores, si el origen del padre sea sufficiente, para que el hiio, aunque aya nacido en otra parte, se pueda ordenar con aquel Obispo, como si fuesse su originario, v. g. Pedro que trata de ordenarse, nacio en Sevilla, su Padre en Granada, si podra ordenarse con el Arçobispo de Granada, por auer sido su padre originario de ai. Algunos Dotores sienten, que en ningun caso es licito; fundados en que assi se determinò en Roma. Pero mas de veynte Autores, que recoge, y sigue Marchino son de contrario parecer. Y Diana trae tres declaraciones, que podia ordenarse vno con el Obispo del origen paterno aunque el huuiesse nacido en otra parte, siendo el padre ania ya mudado domicilio.* Ita ille. Et ita affirmatiuam sententiam, me etiam citato, tenet Auersa *de sacrament. Ordin. quæst. 3. sect. 6.* Torrebianca *in pract. iur. spir. lib. 2. cap. 13. numer. 9.* vbi citat Vgolinum, Guttierrez, Campanilem, Zerolam, Riccium, & alios.

RESOL.

RESOL. XLII.

An filius alicuius Officialis Regij in alicubi communitatis possit ab Episcopo illius loci ordinari? Ex p.8. tract.2. Res.13.

§.1. HIc casus in Lusitania accidit in praxi,& ad illum sic respondet Aluarus Vallascus *to.1. allegat. 5. n. 37. & seqq.* Ex prædictis apparet, quod inter modos contrahendi domicilium, ille vnus est, quando quis in aliquo loco habet dignitatem, vel officium Regis, vel Reginæ, vel Domini illius loci, vel Consilij ipsius; quod tamen sufficiat ad congruam eius sustentationem, & de facto ex eo viuat, & habitationem habeat in eodem loco, vel in eius comitatu, in quo ea dignitate, vel officio fungatur.

2. Occurrit in facto, quod in Senatu Portugallensi, officio Senatoris, simul & Cancellarij fungebatur doctissimus, & integerrimus Senator Ludouicus Machado de Gouuea, vnde postea creatus est Cancellarius Senatus superioris, qui vocatur vulgari sermone, *Casa da supplicaçano*, & nunc inter Senatores Palatij cooptatus, eius legitimus filius ex legitimo matrimonio natus Olyssipone Emmanuel Couthino de Castello Branco, Doctor in Iure Canonico volebat ordinari, & Ordines petebat ab Illustrissimo Episcopo Diœcesis Portugallensis Domino fratre Gondicalo de Moraes: dubitatum fuit an idem Ordines conferre posset propria iurisdictione, tanquam subdito suo domiciliario, an verò esset necessarium afferre dimissoriam ab Illustrissimo Archiepiscopo Olyssiponensi.

3. Dubitationem faciebat, quod originis domicilium habebat in ciuitate Olyssiponensi, ex qua oriundus erat, non in domicilio, vbi pater Senatoris, & Cancellarij officio fungebatur: contrarium tamen fuit euictum: nam pater censetur domicilium habuisse in ciuitate, & Diœcesi Portugallensi, vbi habitabat, dum in ea prædictis officiis fungebatur, percipiens ex pecuniis regiis salarium competens ad suam sustentationem, & habebat locum Ord. *d.t.56. in pr. & l. penult. ff. de Senat.* vbi sic ait Iureconsultus Paul. Senatores licet in vrbe domicilium habeant, tametsi ibi vnde oriundi sunt, habere domicilium intelligebantur, quia dignitas domicilij adiectionem potius dedisse, quàm permutasse videtur. Et sic in duobus locis habet domicilium, quod ius admittit, *l. assumptio, §. iurisprudentibus. ff. ad municip.* gloss. *verb. domicilium, in d.c. cum nullus, de tempor. ordin. lib.6. gloss.1.* Bartol. Alberic. Bald. Rebuff. *n.3.* & Orosc. *n.2. in d.l. penult. ff. de Senat.* Idem probatur *in l. pen. C. de incolis, lib.10.* vbi gloss. Lucas de Penna, & Platea, Andr. Gail. *d. cap.36. n.1. lib.2. pract. obseruat.* Caldas *in consil. pro Domino Ioanne de Tassis, n.12.*

4. Atque sicut pater ibi censetur habere domicilium, sic etiam ipsius filius in sua potestate retentus censetur habere vltra domicilium originis, & posse vti domicilio patris habitando cum eo, *l.2. leg.3.* vbi gloss. & Alber. *ff. ad municip.* & ita verificatur dispositio text. *in d.c. cum nullus,* dum dicit posse conferre Ordines Episcopum eius Diœcesis, vbi ordinandus vel habet originem, vel beneficium, vel domicilium quod potest verificari tam in proprio domicilio paterno, & docet ad nostrum intentum Nauar. *consil.11.* Et hæc omnia docet Vallascus *loc. cit.* cui adde Marchinum *de sacr. Ordin. tr.1. p.5. cap.7. n.11.* & Acugnam *in Decret. Gratiani, p.1. dist.71. n.13.* cum Machado *de perfect. Confess. tom.2. lib.4. p.1: tr.3. docum.3. n.7.* vbi sic ait: *Pero ha se de aduertir, que los hijos de los ministros perpetuos del Rey, como son los oïdores, &c. aunque no estan con animo de permanecer perpetuamente donde tienen los oficios, sino antes de mudarse a otras partes, donde fueren promouidos, no obstante que (como dize vn ley) por razon del oficio, ò dignidad, no son ciudadanos de aquel lugar: como consta de otra ley contraen alli domicilio, y este basta, para que los vnos, y los otros, como domiciliarios se puedan ordenar con el Obispo de aquel lugar.* Ita ille, & ego.

RESOL. XLIII.

An si quis habeat duo domicilia, possit vterque Episcopus illum ordinare?

Et quid dicendum est de eius filio?

Et quid si sit alibi natus fortuito, modo explicato? Ex part.8. tr.2. Res.14.

§.1. REspondeo affirmatiuè. Hinc si quis duo domicilia sub diuersis Episcopis haberet, in quibus si non æquis mathematicis temporibus, saltem prope æqualitatem habitaret, posset indifferenter à quocumque ex his duobus Episcopis ad Ordines promoueri, quia ratione vtriusque domicilij fit singulis subditus. Et ita docet Auersa *de sacr. Ordin. q.3. sect.6.* Torreblanca *in pract. iur. spirit. lib.2. c.13. n.11.* ex *l. habeo, l. assumptio, l. eius, ff. ad municip. cap.2. de sepult. in 6. cap. penult. de tempor. ord. eod. tit.* Hanc etiam sententiam tenet Molfesius *in sum. tom.4 tract. 2. c.2. num.6.* Sanchez *de matrim. lib.3. disp.24. n.2.* Marchinus *de sacram. Ordin. tract.1. part.5. cap.7. n.10.* & Præpositus *in 3. part. de sacram. Ordin. quæst. vnic. dub.14. n.135.*

2. Sed quid dicendum de eius filio? Respondeo debere recipere ab Episcopo loci, in quo natus est, cùm parens ibidem haberet domicilium, quia ibi non est natus fortuitò, & Episcopus loci verè est Episcopus originis.

3. Dices: etiam alius potest dici Episcopus originis, ratione domicilij paterni. Respondeo negando assumptum, quia vt aliquis alibi natus, censeatur natus certo loco ratione domicilij paterni (saltem in ordine ad præsens negotium) debet esse natus in illo alio loco fortuitò, seu cum parens non haberet ibidem domicilium, quod hic non cõtingit.

4. Quid si sit alibi natus fortuitò, modo explicato. Respondeo, eo casu singulos Episcopos posse censeri Episcopos originis ratione domicilij paterni, cùm non sit potior ratio vnius, quam alterius. Ita Præpositus *loco citato.*

RESOL. XLIV.

Quando quis dicatur contrahere domicilium; vt Episcopus possit illum ordinare?

Et aliqua aduertuntur pro Clericis exteris, qui cum dimissoriis suorum Ordinariorum in ciuitate Neapolitana morantur. Ex p.8. tr.2. Res.15.

§.1. DIco, quod constituitur domicilium, cùm quis in locum aliquem maiorem partem bonorum transfert, *l. ciues, C. de incol.* & ibi contrahit, dies festos celebrat; aliter enim sola emptio domus, vel alicuius partis bonorum, non facit domicilium, *l. libertus, §. sola. ff. loco cit. cap. dilectus 2.* iuncta gloss. *verb. domicilium, de rescript. cap. vt Dominicis,* iuncta gloss. 1. *de Paroch.* & alia gloss. *in cap. nullus, cit. in 6. verb. domicilium.* Host. *in summa de foro compet. n.4.* Sum. Ang. Arm. *verb. domicilium.* Quod si bona non adsint; acquirere dicetur quis domicilium vbi habitat longo tempore, & continuè, cum animo, seu aliquo adiuncto actu, seu signo assumpti domi-

lij : vt si protestatur quis, se velle in certa vrbe domicilium figere. Abb. *in c. fin. de Paroch. circa finem*, vel si impetret priuilegium, quo ius ciuitatis obtineat Alciatus *in leg. pupillus, § incola, ff. de verborum significat.* Decius *cons.* 283. *n.* 11. Si verò nullus adsit externus actus assumpti domicilij, ex decem annorum habitatione præsumetur assumptum domicilium. Accurs. *in leg. hæres absens, § proinde, ff. de iudic.* Bart. *in leg. lex Cornelia, § si tamen, ff. de iniur.* Bald. *consil.* 311. *vol.* 4. Bursat. *cons.* 36. *vol.* 1. nisi adsit aliquod indicium, ex quo appareret illum non habere animum permanendi, quod accidit in scholaribus, *l. nec ipsi, Cod. de incolis* Felinus *in cit. c. dilectus* 2. *n.* 11. *de rescrip.* Bartolus *in l. quæsitum. ff. de leg.* 3. Alioquin manet iudicis arbitrio, qui facilius ex coniecturis in facto occurrentibus iudicare potest, an si assumptum domicilium, etiam momento, non expectata diuturnitate temporis. Abb. *in c. fin. n.* 8. *de Paroch.* Menoch. *de arbitr. iud. lib.* 2. *casu* 86. *cent.* 1. Mascardus *de prob. concl.* 535. Rot. *decis.* 105. *n.* 4. *part.* 2. *diuers.* Et hæc omnia docet etiam Piacecius *in praxi*, *p.* 1. *art.* 2. *n.* 2. cui adde Marchinum *de Sacr. Ord. tract.* 1. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 3. *& seq.* & Machadum *de perfect. Confess. tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 1. *tract.* 3. *document.* 3. *n.* 5. vbi sic ait : [A cerca del segũdo modo de acquirir al prelado por proprio Obispo, que como hemos dicho, es por razon del domicilio, se ha de aduertir, que segun dize vna ley, ay gran diferencia entre le habitacion, y el domicilio, porque para la habitacion basta habitar por algun tiempo, como por causa de estudios, de algun pleyto, &c. Mas para el domicilio, non solamente se requiere assistencia personal, sino tambien intencion de permanecer alli perpetuamente. Y assi las leyes, que para la adquisicion del domicilio piden diez años de habitacion, proceden para presumir animo de habitar, en el que pretende el domicilio.

2. De aqui se infieren communemente los Dotores, que para adquirir domicilio en el fuero de la conciencia, basta solo el anima de habitar perpetuamente en qualquier lugar, y por consiguiente se puede ordinar con el Prelado del, como con proprio Obispo. No obstante, que por vna decision de la Rota Romana se declarò, que no bastaua este animo, aunque fuesse expressado, sinoque con el era necessario algun acto significativo del domicilio, como comprar casa, ò heredad.] Ita ille.

3. Non desinam tamen hîc adnotare, quod obseruat Genuensis *in praxi cap.* 48. *n.* 2. vbi sic ait: Seruatur autem in Curia Archiepiscopali, quod Clerici exteri, qui cum dimissoriis suorum Ordinariorum in ciuitate Neapolitana morantur, quamuis declarent se habere animum constituendi ibi domicilium, & per longum tempus in ea habitauerint, non admittuntur ad ciuitatem Neapolitanam, nisi capta informatione, quod in eorum patria non habeant aliqua bona, & tamdiu Neapoli habitauerint, quod præsumptio sit, ampliùs non habere animum redeundi ad patriam; & postea, mediante decreto, declarantur ciues Neapolitani; & nisi prædicta fiant, non habentur pro talibus, nec conferuntur eis Ordines sine dimissoriis suorum Episcoporum, nec etiã permittentur celebrare Missas in ciuitate, & Diœcesi. Causa huius antiquæ obseruantiæ fuit quod multi Clerici delinquentes, condemnati à suis Episcopis, se conferunt ad hanc ciuitatem, & non valentes amplius obtinere dimissorias à suis Episcopis pro exercendis Ordinibus susceptis, pro suscipiendis, de facili declarant se habere animum habitandi in ea : & nisi ita fieret, ciuitas Neapolitana abundaret dyscolis Clericis, ad notata *in cap. fin. de consuet.* Verùm posset talis esse qualitas personæ, quod non obstante hac obseruantia, deberet statim admitti in ciuitatẽ. Ita Genuensis. Et quidem Episcopi debent in hoc cautè procedere.

RESOL. XLV.

An Episcopus possit ordinare Barones feudatarios, & eorum filios? Ex p. 8. tr. 2. Res. 16.

§. 1. AFfirmatiuè respondeo cum Marchino *de sacram. Ordin. tract.* 1. *part.* 5. *cap.* 7. *num.* 11. vbi sic ait : Obseruandum Barones, seu feudatarios, posse ad Ordines ab eo Episcopo promoueri, in cuius Diœcesi obtinent feudum, etiamsi non habitent, & alibi domicilium retineant. Idem dicendum de filiis eorum qui acquirunt domicilium in eodem loco, in quo pater contraxit, propter dictum feudum. Vide illi poterunt ad Ordines admitti ab eo Episcopo, in cuius Diœcesi pater habet feudum. Ita ille, qui citat Campanilem, & Barbosam, quibus adde Auersam *de sacram. Ordin. q.* 3. *sect.* 6.

RESOL. XLVI.

An Episcopus possit ordinare scholares Vniuersitatis? Et quid etiam, si per decennium ibidẽ commorauerint? Et infertur filios eorum, qui forte in Vniuersitate vxorem duxerint animo in patriam redeundi, non posse ordinari ab Episcopo Vniuersitatis. Ex part. 8. tract. 2. Res. 17.

§. 1. REspondeo, studiosos alicuius Vniuersitatis etiam ad decennium in ea commorantes, non contrahere ibidem domicilium, si retineant animum in patriam redeundi, sed eorum domicilium censeri esse in patria, vnde non possunt ordinari ab Episcopo, intra cuius terminos sita est vniuersitas, sed ab Episcopo domicilij, qui in filiisfamilias, qui nondum peculiarem sibi sedem præfixerunt, est Episcopus domicilij parentum, cùm hi censeantur habere idem domicilium cum parentibus.

2. Hinc etiam infertur, filios eorum qui forte in Vniuersitate vxorem duxerint animo in patriam redeundi, non posse ordinari ab Episcopo Vniuersitatis; quemadmodum enim respectu patris non dicitur Episcopus domicilij, ita respectu prolis non dicitur Episcopus originis, vt ex dictis patet: ordinandus ergo est ab Episcopo domicilij parentis, in quo fingitur natus. Et hæc omnia docet Ioannes Præpositus *in* 2. *part. de sacram. Ordin. q. vnic. dub.* 34. *num.* 132. *&* 133.

RESOL. XLVII.

An Episcopus possit ordinare aliquẽ, qui ex fornicatione natus est ex matre certo loco domicilium habente, & patre alio? Ex p. 8. tr. 2. Res. 18.

§. 1. REspondeo cum Præposito *in* 3. *part. de sacr. Ordinis, quæst. vnic. dub.* 14. *num.* 13. quod si quis susceptus sit ex fornicatione matre certo loco domicilium habente, & patre alio, videtur eo casu filium sequi domicilium matris, à qua certius procedit : quemadmodum in seruitutis, vel libertatis conditione propter eandem rationem ex legum dispositione matrem sequitur. Vnde si talis velit tonsuram suscipere ab Episcopo originis, videtur debere suscipere ab Episcopo domicilij materni, in quo

quo natus est, vel censetur natus. Idem dicendum de Ordinibus sacris, quos cum dispensatione possit suscipere.

RESOL. XLVIII.

An Episcopus, vt possit ordinare aliquem ratione beneficij, illud debeat esse perpetuum?

Et asseritur, non posse quem ordinari ratione Capellaniæ, etiam perpetuæ: posse tamen ordinari in Commendam, si Commenda est perpetua: nam Commenda perpetua est beneficium. Ex part. 8. tract. 2. Resol. 19.

§. 1. REspondeo affirmatiuè cum Acugna *de Sacrament. Ordin. quæst.* 3. *sect.* 6. & aliis; nisi ordinandus aliunde habeat titulum. Vnde Acugna in Decretum Gratiani *part.* 1. *distinct.* 71. *num.* 8. sic ait: Quæro an tale beneficium debeat esse perpetuum, & non sufficiat esse manuale, & amouibile? Respondeo negatiuè, cum Franc. Domin. *citatus* Rebuff. *in praxi, tit. de Clericis, & a quibus, num.* 21. Garcia *num.* 3. Intellige si ordinandus aliunde habeat titulum, non beneficium manuale, & amouibile ad nutum, non potest præstare titulum, ad quem quis ordinetur.

2. Sed non deseram hîc apponere verba Aluaris Valasci *tom.* 1. *alleg.* 5. *num.* 26. sic asserentis: Notandum est, quod sufficit ordinari ab eo Episcopo, in quo ordinandus habet beneficium, siue respectu ipsius ordinem susceperit, siue non, vt notat glos. *verb. Ecclesiasticum, in d. cap. cùm nullus*, ea ratione, quia textus generaliter loquitur, & non distinguit. Et ideò nec nos distinguere debemus, *l. non distinguemus, ff. de arbitr. cap. consuluisti* 2. *q.* 5. & sequuntur *in d. cap. cùm nullus*, Lapus, Ioan. Andr. Dominic. *num.* 8. & Francus *n.* 3. *vers. in glos. verb. Ecclesiasticum*, ampliantes siue beneficium sit perpetuum, siue ad tempus, & ad nutum remouibile, cùm interim habeat titulum, secus si in Commendam, quia Commenda non est titulus, *cap. nemo deinceps, de elect.* Ita ille. Hinc Capellania, quando est perpetua, & in titulum collata, sufficit vt Episcopus possit ad ordines promouere, vt tradit Riccius *part.* 1. *decis.* 189. *num.* 9. vbi citat Salcedum, Nauarrum, Azorium, Zerolam, & Felicianum, quibus adde Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 23. *num.* 8.

3. Nota tamen, quod Garcia de *benefic. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. & Marchinus *de sacrament. Ordinis, tractat.* 1. *part.* 5. *cap.* 8. *num.* 9. asserunt, non posse quem ordinari ratione Capellaniæ, etiam perpetuæ. Concedunt tamen Garcia *num.* 10. & Marchinus *num.* 12. posse quem ordinari in Commendam, si Commenda sit perpetua: nam Commenda perpetua est beneficium.

RESOL. XLIX.

An quis possit ordinari ab Episcopo, in cuius Diœcesi est beneficium, licet sit tenue?

Et notatur ratione beneficij tenuis posse aliquem ordinari ab Episcopo, vbi est beneficium, etiamsi illud beneficium non requirat residentiam, nec in illo resideat, nec in illius Diœcesi, & sic non eximatur a iurisdictione primi Episcopi.

Et aduertitur ex Sacra Cardinalium declaratione beneficium duorum ducatorum esse sufficiens ad gaudendum priuilegio fori. Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Res. 51.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Prosper de Augustino, Vgolinus, Piasecius, quos citat, & sequitur Squillante *de obligat. cler. ca.* 4. *dub.* 18. *n.* 138. quibus adde Riccium *in decis. Archiep. part.* 3. *decis.* 77. Et ratio est, quia Concilium Tridentinum *sess.* 21. *de reformat. c.* 2. postulat, vt beneficium sit sufficiens, vt possit quis sacris Ordinibus insigniri.

Sup. hoc in Res. seq. & in 1. post seq. §. vlt. & infr. in res. 55 §. vlt.

2. Sed ego prorsus puto in tali casu, posse Episcopum sacros Ordines conferre, & ita hanc sententiam docet Garcias *de benefic. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 8. Henriquez *lib.* 10. *cap.* 22. §. 1. *iunct. glossa lit. C.* & *cap.* 17. *in glossa lit. Q.* & nouissimè Barbosa *de iure Pontificio lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 38. Ratio est, quia *cap. cùm nullus, de temp. ordin.* simpliciter loquitur de habentibus beneficium, nec explicat illius valorem, & quantitatem; & ideo, quod est valde notandum, sacra Cardinalium Congregatio, teste eodem Barbosa *vbi supra, cap.* 39. *n.* 17. censuit *in vna Ianuensi die* 18. *Martij* 1628. promotum ad Ordines cum collatione vnius beneficij redditus duorum scutorum annuorum, qui incedens in habitu laicali cum armis, dum caperetur à birruariis vnum ex illis occidit, & ad carceres laicales adductus fuit, gaudere priuilegio fori. Ita sacra Congregatio: vnde ex his non potest adduci in materia de qua loquimur, opinio Soti *de iustit. lib.* 10. *quæst.* 5. *art.* 3. asserentis beneficium tenuissimum esse, quod non attingit ducatos octo, vel secundum Campanili, quod non attingit quatuor ducatos in anno, non, inquam, obstant hæ Doctorum opiniones: nam, vt visum est, sacra Cardinalium Congregatio censuit beneficium duorum ducatorum esse sufficiens ad gaudendum priuilegio fori: ergo etiam ad sumendos Ordines; ex quibus oritur priuilegium fori. Sanchez *in opuscul. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 22. *num.* 7. dixit, sufficere beneficium quantumuis tenue, vt quis possit ordinari ab Episcopo vbi est beneficium. Restat modò respondere ad argumentum Concilij Tridentini adductum pro negatiua sententia. Dico igitur, quod Concilium ibi determinat, quod quis non possit ordinari ad titulum beneficij tenuis, non autem asserit, quod si ordinandus beneficio patrimonium sufficiens ad victum adiungat, non posse ordinari ab Episcopo. Igitur aliud est quærere, num beneficium sufficiat pro titulo, aliud si sufficiat vt tanquam subditus ratione beneficij possit promoueri ad Ordines.

Sup. hoc in Res. 1. not. primæ huius Res. §. Et vt. & in Res. 3. §. vlt. post medium, à vers. Quare. Sup. hac resid. inf. in Res. 51. & 52.

3. Notandum est etiam hîc obiter ratione beneficij tenuis, posse aliquem ordinari ab Episcopo vbi est beneficium, etiamsi illud beneficium non requirat residentiam, nec in illo resideat, nec in illius Diœcesi, & sic non eximatur à iurisdictione primi Episcopi. Ita Garcias, & Barbosa *loc. cit.* quos in casu contingenti, videlicet quando quis ordinari potest ratione beneficij, omnino videndos esse existimo.

RESOL. L.

An Episcopus possit ordinare aliquem ratione beneficij si illud sit tenue?

Et quid si tenui beneficio adiungatur patrimonium, itaque vt constatum ex vtroque sufficiat ad sustentationem.

Et notatur Sacram Congregationem respondisse promotum ab alieno Episcopo ex causa beneficij tenuissimi malè promotum fuisse, ipsumque promotum suspensum esse ab executione Ordinum, atque collatorem à collatione per annum.

Et ex eadem declaratione, & Congregatione asseritur gaudere priuilegio fori quemdam Clericum ordinatum

cum beneficio duorum scutorum. Ex part. 8. tractat. 2. Resol. 20.

Sup. contento in hoc & duobus sequentibus §§. in Resol. præterita, & in Resol. seq. §. vlt. & infr. in Resol. 55. §. vlt.

§. 1. NEgatiuè respondet Molfesius *in summa, to. 1. tr. 2. cap. 2. n. 7.* sic asserens: Ratione beneficij dicitur etiam subditus, si nempe in illa Diœcesi habeat Ecclesiasticum beneficium, sufficiens ad victum honestè, vt possit sacris Ordinibus insigniri; secus verò si esset beneficium tenue, vt notant communiter Doctores *in cap. 1. & cap. nullus, de temp. ordin. in 6.* Quaranta *in compend. Bullarij, in verb. Ordo.* Vgolinus & alij, quos probat idem Riccius *vbi supra, à decis. 299. cum seqq.* siue sit propriè beneficium, siue sit præstimonium, quia hoc habetur loco beneficij. Ita Molfesius, cui etiam adde Piasecium *in praxi part. 1. cap. 1. art. 2. num. 3.*

2. Sed contrarium tenendum est, quia *in cap. nullus, de temp. ordin. in 6.* & alia huiusmodi non explicant valorem, & qualitatem, sed simpliciter, ac generaliter loquuntur; tum quia multi Canones de beneficio verba facientes, locum habent in beneficio etiam tenui, puta text. Concil. Trident. *in cap. 6. sess. 23. de reformat.* concedens tonsurato, vel possidenti beneficium gaudere priuilegio Clericali in ciuili ne dum, sed in capitali etiam causa, qui intelligitur, si quodcumque quamuis exiguum possideat beneficium. Et ita docet, me citato, Auersa *de Sacrament. Ordin. quæstion. 3. sect. 6.* vbi ita ait. Potest fieri, vt habens originem in vna ciuitate accipiat beneficium in alia; & tunc per hoc pariter subiicitur illi Episcopo, in cuius Diœcesi obtinet beneficium, vt possit ab eo ordinari. Addunt tamen aliqui, ad hoc non sufficere quodcumque tenue beneficium, sed requiri ita commodum quo possit Clericus sustentari: eo quòd tale beneficium postulatur à Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 2. de reformat.* Sed meritò alij plures censent, ad hunc effectum, de quo nunc loquimur, sufficere qualecumque beneficium. Ita defendunt Henriquez *lib. 10. cap. 22. §. 1. littera C. & cap. 17. littera Q.* Garcia *de benef. part. 2. cap. 4. n. 8.* Barbosa *lib. 1. de iure Pontificio, cap. 33. num. 38.* Diana *part. 4. tractat. 4. resolut. 51.* & vt plurimum alij. Qui etiam afferunt aliquam declarationem sacræ Congregationis, quæ censuit gaudere priuilegio fori quemdam Clericum ordinatum cum beneficio non excedente reditum duorum scutorum. Et quia sequitur ex eodem decreto Bonifacij, in quo non requisiuit vllam beneficij quantitatem. Nec quidquam obstat aliud decretum Concilij: quod sanè non loquebatur quoad hunc subiectionis effectum, sed quoad alium effectum congruæ sustentationis eius, qui vult ad maiores Ordines promoueri, de quo dicemus postea. Nunc verò vt promoueatur quis ab aliquo Episcopo ad minores Ordines, vel etiam ad maiores, si de reliquo habeat sufficiens patrimonium, sufficit subiectio ad illum Episcopum per qualecumque, licèt tenue beneficium. Huevsque Auersa. Recognosce me ipsum *loco cit.*

Sup. hoc in Resol. 1. not. præteritæ §. 2. ad mediũ, à vers. nam vt visum, & in Resol. 2. in eodem §. & infra in hoc ipsomet §. huius Resol. vers. Qui etiam.

Quæ hic est Resol. antecedens, & in aliis eius primæ, & secundæ annot.

3. Et vt verum fatear, vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. At textus *in d. cap. cum nullus*, non explicat valorem, & qualitatem beneficij, sed simpliciter dicit, quem posse ordinari ratione beneficij ab Episcopo, in cuius Diœcesi consistit beneficium. Quare, si tenui beneficio adiungeretur patrimonium, ita vt conflatum ex vtroque sufficeret ad sustentationem, sicut prærequirit Tridentinum *sess. 21. de reformat. cap. 2.* tunc posset ab Episcopo beneficij ordinari. Et hoc modo conciliantur opiniones contrariæ.

4. *Nota* tamen, quòd, post hæc scripta inueni apud Squillantem *de priuileg. Cler. cap. 4. num. 239.* sacram Congregationem respondisse Cardinali de Aquauiua Archiepiscopo Neapolitano, promotum ab alieno Episcopo ex causa beneficij tenuissimi, malè promotum fuisse, ipsúmque promotum suspensum ab executione, atque collatorem à collatione per annum. Optarem tamen de hac declaratione authenticè constare.

Sup. hoc in Resol. 1. not. primæ huius Resol. §. 2. in fine, & in Resol. 3. §. vlt. ost m. ediũ vers. Quap-

RESOL. LI.

An vt Episcopus possit ordinare aliquem ratione beneficij existentis in sua Diœcesi, sufficiat, vt beneficium sit simplex? Ex part. 6. tractat. 8. & Misc. 3. Resol. 2.

§. 1. NEgatiuam sententiam tenet nouissimè doctus Stephanus Bauny *in Theol. Moral. tract. 11. quæst. 3.* vbi sic ait. Episcopus beneficij ratione citur, qui in loco præsidet vbi beneficium est situm requirens residentiam; nam eius occasione ibi situs est sedem perpetuam, cum si officio satisfacere velit, ac suæ conscientiæ, inde non sit recessurus vllo ad tempus. Dixi si residentiam exigit, nam simplicia hanc possessori suo facultatem non tribuunt, vt ab Episcopo in cuius sunt Diœcesi sacro ordine initiari possit, aut tonsura. Ita ille; & ante illum Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 19. n. 92.*

2. Sed contrariam sententiam nesciunt Episcopi in praxim deducere, quam præter alios tuetur Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thomæ, quæst. nouiss. de Sacram. Ordinis, dub. 14. 13.* vbi ait: Episcopus beneficij est is, in cuius Diœcesi aliquis habet beneficium etiam tenue, vt Henriquez *lib. 10. cap. n. 1.* quia hîc non agitur de titulo sufficienti, sed de causa, propter quam aliquis sufficienter censetur subiici alicui, vt ab eo possit ordines recipere, quæ inter cæteras est beneficium situm in alicuius Diœcesi, vt patet ex *cap. cum nullus, citato*, beneficium autem quantumuis tenue est verè beneficium.

3. Aliqui volunt, vt beneficium requirat residentiam, in qua non sit dispensatum cum beneficiario, quia alias ratione beneficij non constituitur domicilium; sed probabilius videtur sufficere beneficium non requirens residentiam, quia canon absolutè loquitur.

4. Confirmatur: Pontifex non solùm vult ratione domicilij aliquem subiici Episcopo, vt possit ab eo ordinari, sed etiam aliis de causis; ergo illæ sufficient quamuis aliquis propter eas non fortiatur domicilium. Hæc Præpositus; ex quibus sequitur ordinandum ex certa Diœcesi habentem domicilium in aliam, & in alia beneficium posse pro arbitrio Ordinari à quolibet Episcoporum dictorum locorum: quod proportione dicendum est de habente plura domicilia, vel beneficia in variis Episcopatibus sita.

5. Notandum est hîc obiter quod Bonacina *de Sacram. Ordinis, disp. 8. quæst. vnica. punct. 4. n. 14.* licèt teneat sufficere beneficium non residentiale, vt supra firmauimus, limitat tamen, modo sit sufficiens ad victum, sed hanc limitationem ego improbauit *in part. 4. tract. 4. resol. 51.* vbi ex sacra Congregatione firmaui sufficere beneficium scutorum duorum.

RESOL. LII.

An, vt Episcopus possit ordinare ratione beneficij, sufficiat, vt sit simplex?

Et an, si beneficium non requirat residentiam, nec in illo Beneficiarius resideat, nec in illius Diœcesi, possit illum Episcopus ordinare. Ex part. 8. tractat. 1. Resol. 21.

§. 1. Negat

Sup. hoc in Resol. præcedenti, & in alio §. eius not. primæ.

§. 1. NEgatiuè respondet Genuensis *in praxi cap. 48. num. 3.* vbi sic ait: Neapoli non ordinantur sine dimissoriis exteri, ratione beneficij simplicis, non requirentis residentiam, in ea obtenti; quamuis Ioannes Andreas Dominicus, & Franchus *in cap. cùm nullus, de tempor. ordin. in 6.* dicant id fieri posse: cui obseruantiæ adstipulatur Concilium Tridentinum *cap. 11. sess. 23. de reformat.* dum concedit Episcopo, quod possit ordinare non subditum suum familiarem triennalem, sine dimissoriis, dummodo illi statim Ecclesiasticum beneficium conferat; si enim beneficium solum sufficeret, frustra requireretur seruitium: nisi dicas, quod ex Concilio potest priùs ordinari, & postea ei conferri beneficium. Quidquid sit, talis est obseruantia Curiæ, & rationabilis. Ita Genuensis.

2. Sed communiter Doctores contrarium sentiunt, ita Marius Antoninus *variar. resol. lib. 1. resol. 112. casu 28.* Garcia *de benefic. tom. 1. part. 2. cap. 4. num. 9.* vbi sic ait: Tertiò ampliatur, etiamsi beneficium non requirat residentiam, nec in illo resideat, nec in illius Diœcesi, & sic non eximatur à iurisdictione primi Episcopi; cùm textus simpliciter loquatur de beneficio. Vide etiam Squillantem *de priuil. Cleric. cap. 4. n. 237.* Auersam *de Sacrament. Ordin. quæst. 3. sect. 6.* Piasecium *in praxi, part. 1. cap. 1. art. 3. num. 3.* Vallasc um *tom. 1. allegat. 4. num. 30.* & Machadum *de perfect. Confess. tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 3. document. 4. num. 2.* vbi sic asserit: [Dudan si basta, que el beneficio sea simple. Algunos Doctores sienten, que no, juzgando, que el texto citado pide, que el beneficio aya de ser de tal condicion, que requiera actual assistencia en aquel Obispado. Si bien mas comun, y recibida opinion es la contraria, porque segun principio de Derecho: Lex generaliter prolata, etiam generaliter debet intelligi. Y el texto referido habla generalmente de qualquiera beneficio, y assi no se deue restringir.

RESOL. LIII.

An Episcopus possit aliquem ordinare, cui paulo antea beneficium confert? Ex p. 8. tr. 2. Resolut. 22.

Sup. hoc in Resol. seq. §. Sed in fauore, & in resol. post seq. & in cursum in fin. Resol. 66. & in alio §. eius annot. Sed cum iisdem DD.

§. 1. PRo responsione huius dubij apponam hic verba Marchini *de sacram. Ordin. tractat. 1. part. 5. cap. 8. num. 9.* vbi sic ait: Ampliatur, vt procedat etiam in eo qui nullum habet in tali Diœcesi beneficium; sed tamen Episcopus illius Diœcesis, optans illum ordinare, beneficium hac intentione illi conferret, vt illum validè posset initiare. Nam textus solùm requirit, vt quis legitimè beneficium obtineat, nec distinguit, qua ratione quis illud obtineat: ergo nec nos distinguere debemus. Sic Vgolinus *vbi supra.* Cui tamen sententiæ duo obstare videntur. Primùm, quia hæc beneficij collatio videretur esse in fraudem legis, scilicet, ad eximendum illum Clericũ, cui beneficium confertur, à iurisdictione sui Episcopi: at fraus, & dolus nemini debent patrocinari. Secundò, si illud fieri licitè posset, frustrà Tridentinum *sess. 23. de reform. cap. 9.* definiisset, Episcopum tunc solùm posse aliquem alterius Diœcesis ad Ordines promouere, cum per triennium fuerit cum eo commoratus, dummodo illi statim beneficium conferat. Nam iuxta prædictam sententiam, non requireretur triennalis cum dicto Episcopo commoratio. Et ideò hanc sententiam quæ verior videtur, sequitur Franchus *d. cap. cùm nullus*, glossa *cap. eos qui, de temp. ordin. vel figmentum.* Quaranta *vbi supr.* Riccius *resol. 262.* Barbosa *d. alleg. 4. n. 57.* Si quis tamen priorem sententiam tueri vellet, ad primum respondere posset, fraudem legi non facere, qui vtitur iure suo, quod lege ipsa nititur. Ad secundum differre à casu triennalis familiaris, quod in illo collatio beneficij debet necessariò præcedere ordinationem, in hoc verò potest sequi, vt satis colligitur ex verbis Concilij *d. cap. 9.* ibi, Beneficium statim reipsa illi conferat: quasi dicat statim post ordinationem. Ita Marchinus.

2. Verùm communiter Doctores asserunt, beneficium non debere esse collatum in fraudem, ab hoc, vt extrahatur ex aliena Diœcesi. Vide Molfesium *in summa tom. 1. tract. 2. cap. 2. num. 7.* Piasecium *in praxi, part. 1. cap. 1. art. 2. num. 3.* Vnde Machadus *de perfect. Confessor. tom. 2. lib. 4. part. 1. tractat. 3. document. 4. num. 4.* sic ait: [La tercera question es, si para este efeto aprouecha el beneficio adquirido, in fraudem. Y aunque Campanil lo duda. Pero la mas probable es, que no: y como tal la defiende Barbosa en el lugar citado; fundado en que como dize vn principio de derecho: *Fraus, & dolus nemini debent patrocinari.*] Ita Machadus.

RESOL. LIV.

An ad fugiendam iurisdictionem Episcopi domicilij, possit quis ordinari alibi titulo beneficij?

Et an Episcopus possit ordinare illum, qui in sua Diœcesi nullum habebat beneficium, si hac sola intentione illi confert?

Et an præfatus Episcopus in tali casu possit dispensare in interstitiis cum illo prouidendo, & in illegitimitate ad Ordines; sicut potest Episcopus domicilij? Ex p. 11. tr. 4. & Mis. 4. Resol. 1.

§. 1. CAsus est nimis practicabilis, & ad illum negatiuè respondet Barbosa *de potestate Episcopi part. 2. alleg. 4. n. 45.* & alij. Probatur hæc opinio, quia fraus & dolus nemini debent patrocinari, *l. itaque fullo, ff. de furtis, cap. dictum 30. q. 1. cap. intelleximus, de iudic. cap. tua 12. de Cleric. non resid. cap. sedes, cap. ex tenore, de rescript. cap. 2. de dolo, c. 2. de cognat. spirit. cap. 1. de coll. deteg. cap. tuus, de vsur.* Oldrad. *cons. 257. num. 41. prope fin. vers. fraus insuper.* Crauett. *cons. 764. n. 6.* Baldus *cons. 76. factum tale est, in fin. lib. 1.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 182. n. 60. & cons. 121. n. 5. & cons. 136. n. 8. & cons. 198. n. 13.* Conuar. *lib. 1. c. 18. n. 5.* Tiraq. *de retract. lignag. §. 1. gloss. 9. n. 67.* Cardinal. Tuscus *practic. concl. tom. 4. litt. F, concl. 474. per totam.* Cardos. *in praxi iudic. & aduoc. v. dolus, n. 3.* & alij.

2. Sed ego de hoc casu ex Hispania anno elapso per litteras interrogatus, quidquid alibi dixerim probabiliter affirmatiuè respondi, nullo Authorum testimonio fretus, nunc autem inuenio hanc sententiam cum aliena tamen formidine docere sapientissimum Patrem Bardi *in selectis lib. 3. q. 3. n. 7.* vbi sic ait: Quæres num possit quis ordinari titulo beneficij existentis in aliena Diœcesi, si id fiat in fraudem ad fugiendam iurisdictionem Episcopi domicilij, quod tunc eueniret, quando quis fundaret beneficium hac intentione, vt posset ab alio Episcopo promoueri, vel præsumptiuè, ita existimaretur v. g. si de proximo tempore ante ordinationem fundaret beneficium, & maximè tenuissimum, vt duorum, aut trium aureorum in aliena Diœcesi, vel id ex aliis coniecturis colligeretur. Alibi in Resol. not. seq.

3. Respondent communiter Doctores, etiam illi qui sunt in secunda sententia, in fraudem fieri non posse.

Sed, vt verum fatear, ratio ista apud me vim non facit, quia iure suo vtens, nequaquam fraudem

dem committere videtur, vt habemus ex *regulis iuris 56. & colligitur ex l. quod, & ex l. flauia §. planè ff. de lib. hom. exhibito*, nam bona aut mala intentio, quamuis faciat ad fugiendum, vel patrandum peccatum, nequit tamen irritare actum externum si aliunde actus ille in iure sustinetur, quia intentio est actus occultus & internus, & ideò si actus externus non est contra iustitiam, quamuis operans intentionem malam habeat, non potest vi talis intentionis, *de matrimonio celebrando lib. 3. disput. 18. nu. 9.* proinde si lex Canonica statuit Episcopum illius loci in quo est beneficium in ordine ad hunc effectum promouendi, esse legitimum, & proprium, & cùm vnicuique liberum sit instituere beneficia Ecclesiastica, in quacumque Diœcesi, non video cur intentio illa occulta fugiendi iurisdictionem Episcopi domicilij, possit tollere iurisdictionē ab Episcopo beneficij ea intentione fundari, & illicitam reddere promotionē factam ab Episcopo beneficij, etiamsi beneficium sit nouiter institutum, aut collatum in illum finem, & quamuis intentio illa instituendi beneficium ob supradictum finem, possit esse mala ob aliquam adiunctam circumstantiam, non erit tamen mala ex hoc præciso capite, quòd ab alio Episcopo & non à proprio ordines recipiantur; nam in *c. illo cùm nullus* nō ponitur talis limitatio, sed solùm requiritur vt quis beneficium canonicè obtineat, ad hoc vt possit ordinari ab Episcopo loci in quo est beneficium, & ideò hanc sententiam libenter reciperem; sed quia non habeo adhuc Auctorem pro illa, idcircò pro modò suspendo iudicium, vsque dum melius aliorū placito dicta sententia confirmetur. Hucusque Bardi.

4. Sed in fauorem sententiæ amicissimi Viri adduca casum similem, An possit Episcopus ordinare illum, qui in sua Diœcesi nullum habet beneficium, si hac sola intentione illi confert.

Sup. hac quæst. in Resp. præterjta, & in Resp. seq. & in aliis earum annotationum.

Et licet glossa *in cap. eos, de tempor. ord. verbo figmentum*, Francus *in c. cùm nullus*, Riccius *res. 262.* Barbos. *de offic. & potest. Epis. allegat. 4. num. 47.* Quaranta *verbo Ordo*, & alij, quos adducit & sequitur Machadus *tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 3. docum. 4. n. 4.* negatiuè respondeant, eo quod hæc beneficij collatio esset in fraudem legis, nempè ad eximendum ordinandum à iurisdictione sui Episcopi, at fraus & dolus nemini debent patrocinari. Ergo.

5. Hoc tamen non obstante affirmatiuam sententiam tenet Leander *de Sacrament. tom. 2. tract. 6. disp. 8. quæst. 19.* & Martinus de San Ioseph *in monit. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 4. de ordine num. 10.* vbi sic ait, [Quando el Obispo da vn beneficio à Clerigo de otro Obispado, solamente con fin de ordenarle, puede hazerlo assi, porque esta no es fraude pues ya tiene beneficio en su Obispado, y no pide mas el Derecho, ita Vgolinus *de officio Episcopi cap. 26. §. 3.* & verba generaliter prolata referuntur ad omnia, *l. quidam ff. de tritico, vino, gloss. final. C. de hæred. de lat.* Hucusque Martinus.

6. Igitur ius solum requirit quòd quis beneficium legitimè optimè obtineat, vt ratione illius ad ordines promouere possit: Nec distinguit quo fine, aut ratione quis illud obtineat: ergo nec nos distinguere debemus. Nec quid obstat fundamentum contrarium: dicendum enim nullo modo fraudem legis facere, qui vtitur iure suo, quod lege ipsa nititur; Sed hæc omnia procedunt in casu nostro à Patre Bardi apposito. Ergo.

Sup. hoc infra in Resp. 55.

7. Sed si aliquis hîc inquirat, An supradictus Episcopus in tali casu possit dispensare in Interstitiis cum ipso prouidendo; Negatiuè respondet Marius Antoninus *l. 1. var. resol. 112. cas. 28.* cùm non possit iudicare de necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ non suæ, & citat Nauarrum, sed male.

8. Mihi verò magis placet opinio affirmatiua, quam ex Garzia, & Barbosa tenet Bardi *vbi supra*, quibus ego addo Leandrum *loco citato q. 20.* & Martin. de San Ioseph *n. 7.* vbi sic ait [Para adquirir domicilio de beneficio basta tener le simple; porque el *cap. nullus de temporibus ordinand. in 8.* absolutamente pide beneficio sin distinguir que sea simple, ò de residencia, y sin distincion se ha de entender de qualquiera beneficio, *l. de pretio ff. de publicis in rem actio. cap. solitæ de maiorit. & obed. & l. 1. & l. præsbyter ff. de legat. præstan.*

9. Y qualquiera destos beneficios da derecho al Obispo donde caen para que pueda dispensar en los interticios al tal beneficiado, argum. *legis si ita to, §. si duobus, & ibi glos. verbo dominium ff. commodati.*] Ita Martinus.

10. Nec obstat argumentum in contrarium adductum à Mario Antonino, nam ad illud respondet Bardi negando non posse fieri iudicium ab Episcopo isto de necessitate, aut vtilitate alterius Ecclesiæ quamuis non suæ, quia vel loquitur de iudicio priuato ex eo præcisè quòd nequeat scire ea, quæ pertinent ad alienam Ecclesiam, vel de iudicio iuridico: si de primo, hoc est merè per accidens, & tunc non posset dispensare, non ex defectu potestatis, sed ex defectu causæ ignoratæ sufficientis ad dispensandum, si de secundo, quamuis Ecclesia illa non sit sua; nihilominus per accidens ratione promouendi, qui iam est effectus subditus, poterit Episcopus iudicium legitimum ferre: Inde est posse etiam dispensare in illegitimitate ad minores ordines, sicut potest Episcopus domicilij.

RESOL. LV.

An Episcopus, vt aliquem iusto titulo ordinet, possit illi beneficium conferre immediate ante ordinationem, & illum statim postea ordinare?

Et quid, si beneficium sit tenue trium, vel quatuor ducatorum?

Et quid est sentiendum, si beneficio tenui adiungatur patrimonium? Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Relig.

§. 1. DE hoc Casu sæpius interrogatus fui: num Ordinandi, vel Episcopi inter se dissidentes, hoc non rarius efficere solent; & ad quæstionem ex Franco, Quaranta, Riccio, & Barbosa negatiuè respondet Marchinus *de Sacram. Ordin. tract. 3. part. 5. cap. 8. num. 9.* Et ratio est: Primò, quia hæc Beneficij collatio videretur esse in fraudem legis, scilicet ad eximendum illum Clericum, cui Beneficium confertur, à iurisdictione sui Episcopi: at fraus, & dolus nemini debent patrocinari. Secundò, si illud fieri licitè posset, frustrà Tridentinum *sess. 23. de Reformat. cap. 9.* definiisset, Episcopum tunc solùm posse aliquem alterius Diœcesis ad Ordines promouere, cùm per triennium fuerit cum eo commoratus, dummodò statim Beneficium illi conferat: Nam iusta prædictam sententiam, non requireretur triennalis cum dicto Episcopo commoratio.

2. Sed ego in facti contingentia affirmatiuæ sententiæ adhæsi, quam tuetur Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 6. disp. 8. quæst. 19.* quia ius solùm requirit, quòd quis Beneficium legitimè obtineat, vt ratione illius ad ordines promoueri possit: nec distinguit quo fine, aut ratione illud obtineat: ergo nec nos distinguere debemus. Nec obstat fundamentum contrarium: dicendum enim, nullo modo fraudem legi facere, qui vtitur iure suo, quod lege ipsa nititur. Et ita hanc sententiam docet etiam nouissimè Martinus

Martinus de San Ioseph *in mon. Confess. tom.1. lib.1. tract. 4. de Ordine, num.10.* vbi sic ait. [Quando el Obispo da vn Beneficio à Clerigo, de otro Obispado, solamente con fin de ordinarle, puede hazerlo assi: porque esta no es fraude, pues ya tiene Beneficio en su Obispado, y no puole mas el Derecho. Ita Vgolinus *de offic. Episcop. cap.26. §.3.* & verba generaliter prolata referuntur ad omnia, *leg. Quidam, ff. de Tritico, vino,* Gloss. *fin. Cod. de Haredib. delatione.* Ita ille. Vnde ad argumenta contraria patet responsio, fraudem legi non facere, qui vtitur iure suo, quod lege ipsa nititur. Ad secundum, differre à casu triennalis familiaris, quòd in casu nostro collatio Beneficij debet necessariò præcedere Ordinationem; in illo verò potest sequi, vt satis colligitur ex verbis Concilij, dicto cap.9. ibi, beneficium statim re ipsa illi conferat: quasi dicat, statim post Ordinationem.

Sup. contento in hoc §. supra in Resol.49. & 50. & in Resl.51. §. vlt.

3. Nota contrà Molfesium, Sotum, Vgolinum, Riccium, Quarantam, & alios, supradictam sententiam procedere etiam si Beneficium sit tenue, v. g. trium, vel quatuor Aureorum; vt optimè notat Garcias *de Benef. part.2. cap.4. n.8.* Campanili *in diuers. Iuris Canonici, rub.8. cap.5. n.19.* Henriquez *in Summ. lib.10. cap.22. §.1. & litt.C,* Barbosa *de Officio Episcopi, alleg.4. n.44.* Ratio est; quia vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Sed *cap. cùm nullus, de tempor. ordin. in 6.* non explicat valorem, & qualitatem Beneficij, sed simpliciter dicit, quem posse ordinari ratione Beneficij ab Episcopo, in cuius Diœcesi consistit Beneficium. Quare, si tenui Beneficio adiungeretur Patrimonium, itavt conflatum ex vtroque sufficeret ad sustentationem, sicut prærequirit Tridentinum *sess.21. de Reform. cap.2.* tunc posset ab Episcopo Beneficij ordinari. Quam moderationem admittunt etiam Vgolinus, & Stephanus Quarantà; & hoc modo conciliantur opiniones. Vide Trull. *de Sacram. lib.6. cap. vnic. dub.7. num.16.*

Sup. hoc in duabus primis Resl. not. præterire in prima in fine §. 2. & in secunda §. Et vlt.

RESOL. LVI.

An qui habet plura beneficia in diuersis Diœcesibus, possit ab omnibus illis Episcopis ordinari?

Et an hoc etiam præter Episcopum originis, vel domicilij, à quibus etiam poterit ordinari? Ex part. 8. tr.2. Resl.25.

Sup. hoc supra in Resl. 37. post medium, à vers. Tertio Episcopus.

§. 1. Respondeo affirmatiuè cum Acugna *in Decretum Gratiani, part.1. dist. 71. num.7.* & Garcia *de Beneficiis, tom.1. part.2. cap.4. num.2.* vbi sic ait. Consequitur etiam quis ex beneficio, quòd possit ad Ordines promoueri ab Episcopo in cuius Diœcesi est beneficium, seu ab alio, de eius licentia, licèt aliàs ei nullo modo subditus sit, *cap. cùm nullus, de tempor. ordination. in 6.* Vnde si in diuersis Diœcesibus habet beneficia, poterit à pluribus Episcopis, ratione beneficij ordinari, præter Episcopum originis, vel domicilij, à quo etiam poterit ordinari. Ita ille; cui etiam adde Præpositum *in 3. part. de Sacram. Ordin. quæst. vnica, dub.14. num.137.*

Sup. hoc in Resl. not. præteritæ, & in aliis eius primæ annot. quæ est apposita ad lin.2. textus præcitatæ Resl.

RESOL. LVII.

An sola actualis possessio beneficij, ita vt non solus titulus, & collatio sufficiat, vt quis ab Episcopo possit ordinari? Ex part.8. tr.2. Resl. 24.

§. 1. Respondet Garcia *de beneficiis, tom.1. part.2. cap.4. num.17.* sufficere actualem possessionem, quamuis hæc sit ex iniusto titulo, sed colorato, nec sufficere titulum, & collationem; hoc secundum non placet, quia qui titulum, & collationem habet, verè habet beneficium, nam textus non dicit posse quemquam ordinari ab Episcopo beneficij: sed ab Episcopo domicilij, nec quod addit Garcia, possessionem scilicet actualem dare iurisdictionem Episcopo in beneficiarium, non verò titulum, nihil impedit: quia potestas ordinandi non præsupponit subiectionem potestati dominatiuæ, vt cernitur in eo, qui ab Episcopo originis ordinatur, & tamen alibi domicilium habet, à quo prouenit subiectio dominatiuæ potestati. Et hæc omnia docet etiam Acugna *in Decretum Gratiani, part.1. dist.71. n.7.* Vide etiam Squillante *de priuileg. Cleric. cap.4. n.248.*

2. Nec deseras etiam recognoscere Riccium *part.2. decis.188. n.3.* vbi latè probat, solam collationem tituli beneficij absque eius possessionis ingressu sufficere, vt quis possit ab Episcopo loci, vbi situm est beneficium, Ordines recipere.

RESOL. LVIII.

An Episcopus possit ordinare aliquem, qui in sua Diœcesi haberet pensionem? Ex part.8. tract.2. Resl.26.

§. 2. Posset quis affirmatiuè respondere, quia pensio in fauorabilibus includitur sub nomine beneficij. Sed communiter in nostro casu negant Doctores; & ita tenet Acugna *in Decretum Gratiani; part. 1. dist. 71. num. 9.* Marchinus *de Sacram. Ordin. tract.11. part.5. cap.8. num.10.* & alij. Et ratio est, quia pensio propriè non est beneficium, vt tradit Selua *de beneficiis, 1. part. quæst.3. num.11.* Caccialupus *de pensionibus, quæst. 12. & vltima,* Gigas *eodem titulo, quæst.20.* Duaren. *de beneficiis, lib.2. cap.4. & lib.6. cap.4.* Palcotus *de nothis, & spuriis, cap.58. num.4.* Rodoanus *de simonia 2. part. cap.14. num.10.* Couatruuias *pract. cap.36. num.10.* Nauarr. *consil.11. num.8. de constit. & consil.8. num.9. de iure patronat. & consil.66. num.30. de simonia,* Hojeda *de incompatibilitate beneficiorum in præfatione, num.30. & 2. part. quæst.7.* Azeuedo *l.1. tit.1. recop. num.5.* Quintanad. *Ecclesiast. benefic. lib.1. cap.3. num.13.* Flaminius *de resignat. lib.1. quæst.10. num.69. & lib.2. quæstio.15. numer.11. & lib.11. quæst.4. numero 31.* Suarez *de censur. disputat.15. sect.1. num.7.* Gonzales *ad regulam, mens. gloss.5. §. statim à principio.*

RESOL. LIX.

An Episcopus possit triennalem familiarem non sibi subditum ad Ordines promouere? Ex part.8. tract.2. Resl. 27.

§. 1. Satis *supra* dictum est, quomodo Episcopus possit ratione originis, domicilij, & beneficij Ordines conferre: superest modò ad materiæ complementum aliqua dubia proponere, circa auctoritatem Episcoporum ordinandi suos triennales familiares; de qua loquens Concilium Tridentinum *sess.23. cap.9. de reformat.* vbi præcipitur, ne Episcopus familiarem suum in subditum ordinet, nisi per triennium fuerit cum ipso commoratum, & beneficium illi sine fraude statim conferat.

Sup. hoc in tom.5. tr.3. 26. §. Verum ad medium, vers. Tertius.

RESOL. LX.

An hoc priuilegium extendatur ad Episcopos Titulares? Ex part.8.tr.2. Res.28.

Sup. hoc supra in Res. 28. §. vlr. & in tom. 5. tr. 3. Res. 26. cursim in §. Verum.

§. 1. REspondeo negatiuè, vt patet ex Concilio Tridentino *sess.14. cap.2.de Reformatione*, vbi statuitur. Nullus Episcopus titularis, etiamsi resideat in loco exempto, aut nullius Diœcesis, aut in Monasterio, aut ibi moram traxerit, vigore cuiuscumque priuilegij de promouendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, subditum alterius Episcopi, etiam prætextu familiaritatis absque sui Prælati expresso consensu ad Ordines maiores, vel minores, vel primam Tonsuram promouere audeat, aliàs ab exercitio Pontificalium per annum ipso iure suspensus sit.

RESOL. LXI.

An vt Episcopus ordinet suum familiarem triennalem, sufficiat vltimum annum esse inceptum? Ex part.8. tr.2. Res. 29.

§. 1. REspondeo negatiuè cum Ioanne Præposito *in 3.part.de sacrament.Ordinis, quæst. vnica, dub. 14. num.142.* Et ideò Marchinus *de sacrament. Ordin.tract.1. part.5. cap.9. num.2.* ait, quòd Concilium intelligi debet de familiari in seruitute per triennium continuatum completum, nec sufficeret tertium annum fuisse cœptum. Ratio est, quia, licèt annus cœptus, & dies inchoata in fauorabilibus pro completa habeatur, vt *supra* dictum est, secus tamen est in odiosis: at odiosum est Episcopis, quibus talis familiaris ratione domicilij, vel loci originis est de iure subditus, à propria eximi iurisdictione: & ideò, cùm simus in odiosis, annus cœptus debet esse completus.

RESOL. LXII.

An seruitium triennale sufficiat esse inceptum ante assumptionem ad Episcopatum? Ex part. 8. tract.2. Res. 30.

§.1. AFfirmatiuè respondeo cum Molfesio *in summa,tom.1.tract.2. cap. 2. num.8.* vbi ait requiri seruitium triennale esse continuum, siue cœptum sit, antequam esset Episcopus, & completum sit, dum erat Episcopus; nam hoc parum refert. Et ita etiam docet Marcellus Vulpe *in praxi fori Eccles.cap.7. n.19.* & pro hac sententia Garcia *de beneficiis,tom.1. part.2. cap.5. n. 83.* adducit declarationem sacræ Congregationis, vbi sic ait. Triennium in terminis *d.cap.9.* sufficit, quòd incipiat, antequam fuisset Episcopus, vt sacra Congregatio censuit super *d.cap.9.* his verbis: Ex identitate rationis sufficit, quòd triennium inceperit antequam fuisset Episcopus. Ita Garcia; cui etiam adde Præpositum *in 3.par. de sacram. Ordinis, quæst.vnica, dub.14. num.142.* Et ratio est, quia vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, & lex absolutè loquens, absolutè est intelligenda. Sed Concilium non distinguit de seruitio ante, vel post Episcopatum esse actionem: ergo absolutè intelligendum est.

RESOL. LXIII.

An familiaris Episcopi per triennium in regione remota possit ab illo ordinari? Ex part.8.tr.2.Res.31.

§. 1. REspondeo negatiuè, etiamsi expensis Episcopi vixerit; nam absens non dicitur propriè familiaris, neque Episcopus potest eius mores perscrutari. Et ita tenet Sanchez *in opusc.tom.2.lib.7. cap.1. dub.20.num.21.* Cenedo *in quæst.Canon. quæst. 18.num.30* Molfesius *in summa,tom.1. part.1.cap.2. num. 8.* Suarez *de censur.disp. 31. sect.15. num.15.* & alij, Vnde Piasecius *in praxi, part. 1. cap.1. ord.2. num.14.* sic ait: Dicitur autem familiaris, qui semper assistit Episcopo, & qui est ipsius continuus commensalis domesticus, *cap.fin.de verb.signific.in 6.* Gens. *ibid. not. vlt.* non verò qui in longinquo morator, etiamsi ibi sumptibus Episcopi viuat. Maiol. *lib.4.de irreg.cap.2.num.5.* Lopez *ad Dial. in prael. cit. trin. cap.26. vers.tertius casus.* Rationémque dant itidem, quia videlicet in longinquo degentis Episcopus mores cognoscere non potest, ob quem maximè respectum videtur hanc facultatem Conc. cit. indulsisse Episcopis, Lopez, & Quarant. *loco citato.* Ita Piasecius.

2. Igitur inhærendo verbis Concilij, ibi, *familiarem*, innuitur hoc tantùm procedere in illis familiaribus, qui cum Episcopo commorantur, id est, qui sunt præsentes, & assistunt obsequiis Episcopi. Alioqui si absentes sint in regione remota, etiam si illius sumptibus viuant, quasi procuratores, vel quomodolibet mercenarii, videtur eos per hoc non acquirere domicilium, vel facultatem promouendi. Quoniam in tam longa absentia, non rectè potest Episcopus nosse illius mores; quandoquidem hoc triennium à Concilio præfixum posset ad hoc principaliter suffragari, quòd mores, & vita ab Episcopo cognoscantur, argument. *cap. si quis incognitum 17. quæst. 1.*

RESOL. LXIV.

An Episcopus possit ordinare suum familiarem seruientem tamen illum in ciuitate, sed extra domum? Ex part.8.tr.2. Res.32.

§.1. REspondeo affirmatiuè cum Sanchez *in opusc. tom.2.lib.7. cap.1. dub.20. num.23.* Nam in terminis Concilij dicendum est, familiarem esse qui in obsequio Episcopi intra, vel extra domum eius Episcopi expensis alitur. Pro hac parte est Panormitan. *cap. in litteris, de testibus num.5.* vbi dicit, quòd *familiaris*, est latior vox, quàm *domesticus*, & *cap. cùm dilectus, de Cleric. non resident. num.2.* vbi hæc dicit: Existentes in seruitio alicuius dicuntur sui familiares, & Mandosius *regula 32. Cancellariæ q.10.* vbi inquit, Familiares sunt qui alicuius seruitio se deputant ab illius alimentis pendentes. Nec obstat *cap. finale, de verb. signific. in 6.* quia quoad illum casum intelligit illud, per tuos Clericos, secus in hoc casu. Item, quia triennium illud datur ò Tridentinus, vt Episcopus norit mores familiaris: at optimè cognoscet, quando continuè in suo seruitio assistit, licèt in alia domo habiter. Item pro hac sententia Salzedo *citatus in notabili primo*, circa hunc casum, vbi tantùm requirit assistentiam, & quòd talis familiaris non sit absens. Idem tenuit quidam Doctor Salmantinus *in annotationibus*, quas publicè legit circa Tridentinum: & etiam tenet Henriquez *l. 14.*

de irregul.cap.17.num.3.& lib.10. de ordine, cap.12. num.1. in comment. lib. D.

RESOL. LXV.

An Episcopus possit ordinare famulum sui familiaris triennalis?

Et supponitur istum famulum inseruisse familiari Episcopi per triennium? Ex part.8.tr.2.Resol.34.

Sup.hoc in Resol. seq. à lin.6.& infra in Resol. 71.§.vlt.cursim ad medium.

§.1. AFfirmatiuè olim respondi cum Sanchez,& postea inuenio hanc sententiam tribus viris doctis placuisse, & ideo illam, me citato, tenent Marchinus *de Sacr.pract.1.p.5.c.9.n.8.* Barbosa *de potestate Epis.p.2.alleg.5.n.7.*& Auersa *de sacram.Ordinis, q.3.sect.6.* Igitur sub verbis Concilij intelligentur quoque famuli, & familiares eorundem familiarium, qui inseruiunt Episcopo, eiusque impensis aluntur. Et hanc sententiam tenet etiam nouissimè Escobar *in Theol.mor. tr.7. exam.8.c.4.n.73.*suppono istum famulũ inseruisse familiari Episcopi per triennium; nam non debet habere maius priuilegium, quàm familiaris ipse, cui deseruit.

RESOL. LXVI.

An famulus familiaris Episcopi, qui tamen eius expensis alitur, possit ab illo ordinari,& gaudeat priuilegio Concilij Tridentini sess. 23. cap.9. de reformatione?

Et cursim deducitur familiares familiarium Cardinalium frui priuilegio familiarium Cardinalis?

Et notatur, quod si Episcopus conferat beneficium in ea Diœcesi, potest statim suum familiarem ordinare, non expectato triennio, sicut si daret beneficium cuique extraneo, possit illum statim ordinare, quod etiam procedit in famulo familiaris Episcopi? Ex part.4. tr.4. & Misc. Resol. 145.

§.1. HIc casus est curiosus,& practicabilis, quem tamen apud paucos auctores inuenies, pro quo suppone ex dicto Concilio Trident. posse Episcopum ordinare familiarem suum non subditum, si per triennium secum fuerit commoratus, beneficium quacunque fraude cessante illi conferat; hoc supposito ad quæstionem propositam affirmatiuè respondet Sanchez *in opusc.tom.2.lib.7.cap.1.dub.20. num.24.*vbi sic ait. Familiares, vel famuli familiarium Episcopi, qui expensis Episcopi aluntur, dicuntur familiares Episcopi, & fruuntur priuilegio dicti cap. 9. Tridenti. pro hac sententia est Mandosius *reg.3. Cancell. quæst.16.* vbi dicit, familiares familiarium Cardinalium frui priuilegio familiarium Cardinalis, & adducit etiam Salicetum, Oldradum, & Henriquez.

Sup.hoc in Resol. præterita,& infra in Resol.71.§.vlt cursim ad medium.

Sup.hoc in Resol.seq.

2. Notandum est etiam hîc obiter contra Petrum de Ledesma *in summa to.2.de sacrament. Ordin. c.5.post.9. conclus.* quòd si Episcopus conferat beneficium in ea diœcesi, potest statim suum ordinare familiarem, non expectato triennio, quia tunc non ordinat prætextu familiaritatis, sed quia ratione beneficij sortitur domicilium in ea diœcesi, sicut si daret beneficium cuicunque extraneo, posset illum statim ordinare, quia acquirit ibi domicilium, iuxta *cap.3.de temp. ordin.in 6.* Ita Sanchez *vbi suprà num.* 25. consultus cum Henriquez, quorum doctrinam ego assero etiam procedere, vt patet in famulo familiaris Episcopi.

Sup. hoc supra in Resol. 35.& in aliis huius annot. & in fine §. 2. Resol. hanc sequentis.

RESOL. LXVII.

An Episcopus, si conferat beneficium familiari in suâ Diœcesi, possit illud ordinare, non expectato triennio? Ex part.8.tr.2.Resol.37.

Sup hoc in Resol præterita §. vlt. in principio.

§.1. NEgatiuè respondet Ledesma *in sum. tom.1. de sacr. Ordin.c.5. post.9. concl.* sed nominatim contra illum, contrariam sententiam tenet Auersa *de sacr.Ordin.quæst.3 sect.6.* siquidem absque omni titulo familiaritatis potest Episcopus ordinare quemcumque habentem beneficium in sua Diœcesi ex hac sola subiectione beneficij, vt dictum est. Et ita etiam hanc sententiam contra Ledesm, tenet Sanchez *in opusc.tom.2.lib.7.c.1.dub.20.n.25.*vbi sic ait Secundò nota circa eundem casum, quòd si Episcopus conferat beneficium in ea Diœcesi, potest statim ipsum ordinare familiarem, non expectato triennio. Ratio, quia tunc non ordinat prætextus familiaritatis, sed quia ratione beneficij sortitur domicilium in ea Diœcesi. Sicut si daret beneficium cuicumque extraneo, posset illum statim ordinare: quia acquirit ibi domicilium iuxta *c.3. de temp.ordin.in 6.* sic Doctor Henriquez à me consultus. Ita Sanchez.

Sup. hoc in Resol. præterita §. vlt. ad medium, & in aliis eius vlt.not.

3. Sed hîc se offert curiosa dubitatio; quia Concilium, vt visum est determinat, posse Episcopum ordinare suum familiarem triennalem, modò ei conferat beneficium; si Episcopus confert beneficium alicui, constat, quòd ratione illius beneficii sit ei subditus,& sic intuitu illius potest eum ordinare, vt patet superiùs *in verb. dimissoriæ*, §.1. ergo nihil prodest ei familiaritas triennalis cùm absque ea possit eum ordinare tatione beneficij sibi collati?

3. Respondetur *primò*, quòd quando Episcopus vellet ordinare suum familiarem triennalem absolutè, & simpliciter, id est, quia non habet animum residendi in posterum in loco Episcopi domini sui: tunc Episcopus non potest eum ordinare ratione solius familiaritatis triennalis: sed tenetur ei conferre beneficium propter adimpletionem sacr. Concil. Trid. *sess.21. cap.22. de reformat.* & Bullam Pij V. in accepto Ordine sine titulo, postea cogatur cum decore Ordinis mendicare, ad euitandas pœnas *cap. Episcopi, cap. tuis, de præb.*

4. Respondetur *secundò*, si verò Episcopus conferret alicui suo familiari beneficium aliquod, vel Curatum, vel Canonicatum, vel simplex sufficiens ad victum, excedens fortassis summam ducatorum quadraginta, vel quinquaginta certò, & permanserit cum eo spatio vnius mensis,& habet animum illic residendi in futurum, potest eum ordinare ratione beneficij collati, quia si hoc licet vnicuique, etiam suo familiari, qui saltem ei seruiuit per mensem, provt *supr. verb. dimissoriæ, §. quinto*, & tunc non est opus familiaritate triennali, Nauarr. *consil.2.de tempor.ord.& consil.26.*& quòd hoc verum sit, perpende verba sacri Concilij, vt benè notat Nauarr. *consil.11. loco citato, num.* 2. quòd Episcopus non potest nec primam Tonsuram conferre suo familiari triennali, nisi priùs conferat ei beneficium; sed clarum est, tam per sacrum Concilium, quàm per Bullam Pij V. quòd beneficium non est necessarium Clerico, nisi quando vult ascendere ad sacrum Ordinem.

5. Respondetur *tertiò*, si confert ei aliquod beneficium simplex parui momenti, etiam vigintiquinque ducatorum, vel beneficium temporarium, vt puta seruitia quædam Ecclesiæ, vel quasdam Missas celebrandas, non excedentes prædictam summam: tunc non posset eum ordinare ratione illius beneficij, tum quia debet sufficiens, pro vt dictum est *in verb. dimissoriæ*

soriæ, de patrimonio; tum quia Rebuff. *in tit. de Cleric. & qui, & à quo creent. n.* 21. quia beneficium temporarium parui momenti, non parit domicilium, vt idem ait *loco citato*, & idem *in declar. nou. prou. n.* 21. *de præstim.* Et hæc omnia docet Zerola *in praxi p.* 2. *verb. Ordo, q.* 5. Sed non omnia mihi placent; licèt videatur approbare Cenedo *in qq. Can. q.* 18. *num.* 31.

RESOL. LXVIII.

An Episcopus debeat statim conferre beneficium suo triennali familiari, vt possit illud ordinare?
Et quid intelligitur per verbum statim, *an intelligatur, cum primum vacauerit?* Ex part. 8. tr. 2. Resol. 33.

§. 1. AD hoc dubium sic respondet Marchinus *de sacram. Ordin. tract.* 1. *part.* 5. *cap.* 9. *num.* 5. *& seqq.* Tertiò, intelligi debet hæc facultas cum onere conferendi statim ordinato congruum beneficium. Sed quid intelligatur per verbum *statim*, non leuis est dissensio: siquidem Gabriel Vasquez 3. *part. tom.* 3. *disp.* 243. *num.* 49 verbum *statim*, interpretatur, quamprimùm; id est, quamprimùm beneficium aliquod vacauerit, teneri Episcopum illud illi conferre; & interim commensalem habere, ne mendicare cogatur. Sed hæc expositio est nimis ampla, & voluntaria: nam sacra Congregatio declarauit, fuisse contra hanc Tridentini formam, quandam benefic j collationem triennali familiari factam intra annum, etiam in mense vndecimo à die ordinationis: sic testantur Flaminius Parisius *de resignat. beneficiorum, lib.* 4. *quæst.* 2. *num.* 92. Nicolaus Garcia *de beneficiis, part.* 2. *cap.* 5. *num.* 85. Similiter aliam factam post sex menses, fuisse contra eandem formam Tridentini, fuit resolutum in Curia Archiepiscopali Neapolitana, teste Riccio *decis.* 308. Molfesio *in summa. tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 9. & idem fuisse resolutum à sacra Congregatione, referunt Zerola *in praxi Episcopali, part.* 1. §. *Dimissoriæ, & part.* 2. *verb. Ordo, vers. quinò dubitatur.* Flaminius *vbi suprà* Rota Romana *diuers. part.* 1. *decis.* 731. eadem Rota *decis.* 222. Recentiores apud Farinac. qui testantur eiusmodi Episcopum incidisse in pœnas ordinantis non suos. Quare verbum *statim*, non excedere decem dies, tradunt Alexander, Romanus, Cacheranus, Riccius, quos refert, & sequitur Molfesius *vbi supra*. Hucusque Marchinus.

2. Non deseram tamen adnotare sententiam sapientissimi Vasquez, negatiuam docere etiam post illum Gaspar. Hurtadum *de sacram. Ordinis, diffic.* 17. vbi sic ait: Conceditur tamen in Tridentino *sess.* 23. *cap.* 9. Episcopo, vt possit ordinare familiarem suum, quamuis non subditum, qui cum ipso fuerit per triennium commoratus, cum onere concedendi illi beneficium quamprimùm vacet, quod intelligitur, quamuis nullum habeat patrimonium, & quamuis nullius Ecclesiæ vrgeat necessitas Cleticorum.

3. Et Ioannes Præpositus *in* 3. *part. de sacrament. Ordinis, quæst. vnica, dub.* 14. *num.* 142. aduertit id quod dicitur in Concilio Tridentino *de beneficio statim conferendo*, intelligi, cùm primùm vacauerit. Et hanc sententiam tenet etiam Tannerus *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 3. *dub.* 2. *num.* 38. sic asserens: Potest Episcopus ordinarius, non autem titularis, suum per triennium commensalem, aut famulum, quamuis non subditum, initiare Tonsura, vel etiam sacris, si quàm primùm ei vacans beneficium parat conferre.

4. Sed ego puto non esse recedendum ab affirmatiua sententia, quam nominatim contra Vasquez tenet etiam Auersa *de sacr. Ordin. q.* 3. *sect.* 6. maximè stãte declaratione Cardinalium emanata die 22. Maij 1586. vt refert Parisius, & Garcia *vbi supra*.

RESOL. LXIX.

An Episcopus possit suo familiari triennali dimissorias concedere? Ex part. 8. tr. 2. Res. 36.

§. 1. RESpondeo affirmatiuè cum Præposito *in* 3. *part. de sacramento Ordinis, quæst. vnica, dub.* 14. *num* 142. Alzedo *in praxi Episcop. part.* 2. *q.* 5. *numer.* 39. Morchino *de sacramento Ordinis, tract.* 1. *part.* 5. *cap.* 9. *num.* 10. & aliis asserentibus facultatem ordinandi familiarem triennalem, collato statim beneficio extendit etiam ad concessionem dimissoriarum, quibus ab alieno Episcopo possit Ordines suscipere.

RESOL. LXX.

An Episcopus possit dispensare in interstitiis, quando ordinat familiarem suum? Ex part. 3. tr. 3. Res. 189. alias 190.

§. 1. NEgatiuam sententiam tenent Villalobos *in summa tom.* 1. *tract.* 11. *difficul.* 9. *numer.* 10. Ledesma *in sum. tom.* 1. *de sacram. Ordinis, cap.* 3. *conclu.* 5. qui citat Nauarrum *lib.* 1. *conf.* 13. *de temp. ordin.* quia id, quod concedit in tali casu Concilium Tridentinum Episcopis, est priuilegium. Ergo non est intelligendum de illis rebus, de quibus non loquitur.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Io. de la Cruz *in direct. conse. part.* 2. *de sacram. Ordin. dub.* 41. *concl.* 2. vbi sic ait. Episcopus potest ordinare familiarem suum alienæ diœcesis, si per triennium fit commoratus, & ei det beneficium; ita in Concilio Tridentino *sect.* 23. *cap.* 9. Imò, & cum illo potest in interstitiis dispensare in casibus dicti Concilij cap. 11. & 13. Ita Congregatio Cardinalium. Hæc supradictus Doctor. Et hanc opinionem probabilem putat esse etiam ipsemet Ledesma *vbi supra*, sic asserens. [En lo que toca à los interstticios, no me parece muy improbable, que el Obispo à quien firme le pueda dispensar.] Vnde Episcopi possunt totò opinionem affirmatiuam in praxim deducere. Et ratio est, quia eo ipso quòd Concilium dat Episcopis potestatẽ concurrentibus illis conditionibus familiares suos ordinandi, & consequenter concedit illis necessaria ad talem ordinationem faciendam, vt est dispensatio in interstitiis.

RESOL. LXXI.

An Episcopus possit cum suo familiari triennali dispensare in interstitiis?
Et quid etiam super illegitimitate ad minores Ordines? Ex part. 8. tr. 2. Res. 35.

§. 1. AFfirmatiuè respodet Zambellus *in Repert. mor. verb. ordo, num.* 16. & Molfesius *in summa tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 9. vbi adducit declarationem sacræ Congregationis Concilij sub die 26. Maij. 1594. & de dicta declaratione tenetur etiam Io. de la Cruz, quem ego adduxi *in part.* 3. *tract.* 4. *res. sol.* 190. adhærere huic sententiæ.

2. Sed postea inueni aliam declarationem Congregationis contrariam; vnde huic posteriori standum

stándum esse puto, quam adducit Garcia *de beneficiis, tom. 1. part. 2. cap. 5. num. 86.* vbi sic ait. Non tamen potest Episcopus dispensare cum suo familiari triennali, aliàs non subdito super illegitimitate, etiam ad minores Ordines, Nauarrus *consil. 13. de temporibus ordination.* & Genuen. *dict. cap. 81. n. 3.* Man. Rodriguez, & P. Ledesma *supr.* nec super interstitiis, Nauarr. *cons. 12. eod. tit.* & Genuen. *ibi* Mandos. & Ledes. nisi pro Ecclesiæ suæ vtilitate, vt in sequenti declaratione S. Congregationis Congregatio censuit, & declarauit, quòd licèt Episcopus possit ordinare familiarem suum triennalem, sibi aliàs non subiectum, & dare illi dimissorias ad ordinandum à quocumque, dispensare tamen non potest super interstitiis, de quibus *cap. 13. & 14.* nisi pro Ecclesiæ suæ vtilitate. Hucvsque Garcia ex sacra Congregatione.

Sup. his dimissoriis supra in Res. 69.

3. Et hanc sententiam docet etiam Cenedo *in 99. Canon. quæst. 38. num. 31.* Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 27. nu. 3.* Zypæus *in Annal. iur. Pont. lib. 1. tit. de Ordin. num. 7.* Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 4. num. 244.* Marchinus *de sacram. Ordinis, tract. 1. part. 5. cap. 10. num. 11.* Marcellus Vulpe *in praxi fori Eccles. cap. 7. num. 18.*

4. Non deseram tamen adnotare nouissimè affirmatiuam sententiam docere Escobar *in Theol. moral. tract. 7. exam. 8. cap. 4. n. 75.* vbi sic ait. Ex vi Concilij Tridentini *sess. 23. cap. 9.* potest Episcopus non tantùm ordinare suum familiarem alienæ Diœcesis, qui per triennium cum ipso fuerit commoratus, quando ei beneficium confert; sed etiam idem potest quoad famulum familiaris, qui eius expensis alitur, vti Sanchez affirmat. Adiicio posse etiam cum eis in interstitiis dispensare. Ita ille. Sed quia Garcia adducit declarationem Cardinalium, quam ego suppono, vt dixi, esse posteriorem: ideò huic adhærendum esse puto; cùm prior remanserit derogata per posteriorem, ex his, quæ notat Garcia *de benefic. tom. 1. part. 3. cap. 4. num. 13.* & Sarauia *de adiunctis, quæst. 18. num. 20.* sicut etiam asserunt dicendum esse de Rotæ decisionibus: nam si contrariæ reperiantur, posterioribus standum est.

Sup. hoc latè supra in Res. 65. & 66.

RESOL. LXXII.

An qui scit Italicè non autem Latinè legere, possit ab Episcopo initiari prima Tonsura, & quid, si nesciat scribere? Ex part. 5. tr. 14. & Misc. 2. Res. 27.

§. 1. QVoad primum negatiuè videtur respondendum, quia Paludanus *in 4. dist. 24. q. 3. num. 8.* docet requiri legere Psalmos, & Rebuffus *tract. de pacifica possessione, num. 214.* dicit *illiteratum*, qui modicas literas scit legere in vulgari.

2. At his non obstantibus puto contrariam sententiam tenendam esse, quia Concil. Trid. *sess. 23. cap. 12. de reform.* dicit. Non initietur prima Tonsura, qui nescit legere, & cùm negatiua illa non inclusa, in verbo, *nescit*, totam affirmatiuam destruat, & contrarium eius ponat iuxta glossam singularem in *c. cùm dilectus, de consuet.* si aliquis scit legere saltim Italicè, v. g. non potest dici nescire legere, seu nullo modo scire legere, quæ sunt æquipollentia. Et hæc omnia docet Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 46. num. 111.* cui ego addo Azorium *tom. 4. lib. 6. cap. 6. num. 2.* & Barbosam *de potest. Episcopi part. 2. alleg. 11. num. 5. in fine.*

3. Quoad secundum verò sufficere, quòd characteres formare sciat, quamuis scribere perfectè nesciat, docet Sellius *in select. Canon. cap. 5. n. 6.* vbi testatur ita declarasse sacram Congregationem Episcoporum & Regularium sub die 13. Octobr. 1593.

RESOL. LXXIII.

An mutus, surdus, & cœcus possint ordinari?

Et quid, de surdastro, qui difficulter audit?

Et quid est dicendum de illis, qui impeditioris sunt linguæ, aut blæsi, vt Moyses; aut balbi, vt Demosthenes, nisi forte notabilem difficultatem loquendi haberent?

Et quid est sentiendum de carente visu oculi sinistri, qui dicitur oculus Canonis? Ex part. 5. tract. 6. Resol. 22.

§. 1. DIco primò quòd surdus, & qui nullo modo audire potest, iure Canonico irregularis est, & ideò nec promouendus est. & promotus deiici debet. Altera verò tantùm aure surdus, item surdaster, difficulter audiens, non est irregularis, ex Maiol. *lib. 1. de irregular. cap. 25. num. 1.* & Alphonso Viualdo *tractat. de irregular. n. 156.* Iacob. de Graff. *lib. 4. cap. 27. n. 51.* dummodo vtramque habeat aurem.

Sup. hoc surdastro in Res. seq.

2. Dico secundò, quòd qui mutus est, & lingua caret, quique linguæ vsum perdidit, aut non potest se explicare, irregularis est, ne promoueri possit, & propter impossibilitatem perdit Ordinis executionem, ex S. Th. *3. part. quæst. 82. art. 10. ad 3.* Sot. *4. dist. 13. art. fin. ad 3.* Tab. *ver. corpore vitiat. num. 2. §. Primo, in fine*, & Maiol. *lib. 1. de irreg. cap. 26.* Alphons. Viuald. *tract. de irreg. num. 162.* & Iacobo de Graff. *lib. 4. cap. 27. num. 50.* & Henriquez *lib. 14. c. 8. §. 2.* Qui verò impeditioris sunt linguæ, aut blæsi, vt Moses, & balbi, vt Demosthenes, qui calculis sub lingua positis R, litteram postea didicit, non sunt irregulares. Maiol. *num. 3.* Iacob de Graff *lib. 4. cap. 27. num. 50.* nisi fortè notabilem difficultatem in loquendo haberent, & hæc omnia docet etiam Sayrus *de censuris, lib. 6. cap. 8. num. 17. & 21.* & Hugolinus *de irregularitate, cap. 46. num. 3. & 4.*

3. Dico tertiò, quòd qui caret vno oculo, est irregularis. Ita Syluester *sup. quæst. 6.* P. Henriquez *n. m. 2.* & probatur ex *cap. si Euangelica, 50. dist.* at verò si habeat vtrumque oculum integrum, quamuis careat visu dextri, non est irregularis. Sed quid si careat visu sinistri, qui dicitur oculus Canonis? Respondetur, si ita videat dextro, vt sine indecora conuersione faciei ad populum possit legere Canonem, ad quod etiam iuuabit Missalis adaptatio, non est irregularis, aliàs erit, & ita docet Auila *de cens. part. 7. disp. 3. dub. 1.*

Sup. contento in hoc §. quamuis pro Regularibus lege tamen in to. 7. tr. 1. ex Res. 289. doctrinam §. Sed difficultas. à lin. 8. & vers. Idem etiam.

RESOL. LXXIV.

Ex quadam huius Regni ciuitate relata hæc quæstio mihi fuit: Possit ne quidam Religiosus surdaster ad sacros Ordines promoueri? Ex part. 2. tr. 17. & Misc. 3. Res. 20.

§. 1. PAulus Comitol. *in suis resp. mor. lib. 6. q. 55.* negatiuè respondet, & multis rationibus conatur hanc suam confirmare sententiam, sed præcipuè hoc argumento. Gelasius Papa ad Clericorum munera eos promoueri vetat, qui sunt vitiati corpore. Verùm surdaster est vitiatus corpore. Ergo ad munera Clericorum promoueri nō potest. Minor ad hunc modum probatur. Is est vitiatus corpore, qui corporis vitio aliquo laborat. Verùm surdaster corporis vitio laborat, est enim surdastritas vitiū auditus,

Sup. hoc ex doctrina Resol. præteritæ ad lin. 4. eius §. 1.

rus, seu aurium, & quilibet surdaster auditu est vitiatus. Ergo est corpore vitiatus.

2. At ipse DD. volumina voluens contrariam sententiam communiorem inueni, quam sequuntur hi omnes, Sayrus *de censuris lib.6.cap.8.num.17.* Bonacina *de censuris, disp.7. quæst.2. punct.1. num.7.* & ex ipsa Comitoli familia, Reginaldus *tom.2. lib.30. tract.2.cap.5.sect.2. num.50.* cum Maiolo *de irregul. lib.1. cap.24. num.1.* & Iacobus de Graffis *dec. aur. lib.4. cap.27. num.51.* qui asserunt, surdaster, cùm quis est, seu cùm vel difficilè audit, vel altera aure tantum surdus est, nullo iure prohibetur ad sacros Ordines promoueri.

3. Ad argumentum verò Comitoli potest quis respondere, non omne vitium corporis adducere irregularitatem, sed tantùm illud, quod adducit nimiam deformitatem apparentem, quam non habet surdaster, & qui altera aure surdus est. Salua semper, &c.

RESOL. LXXV.

Virum Religiosus, qui parum intelligit linguam latinam, sit ad sacros Ordines, & præsertim ad Sacerdotium admittendus?

Idem est dicendum de Cantoribus, Canonicis, & Præbendatis Ecclesiæ Cathedalis?

Et notatur, quod examen de scientia, & doctrina Regularium ad recipiendos Ordines debet fieri ab Episcopo?

Sed aduertitur, quod Episcopi hac in re suam exonerant conscientiam cum conscientia Prælatorum ipsorum commendatitiis literis plenam, atque omnimodam fidem adhibendo? Ex part 2.tr.16.& Misc. 2. Res.29. alias 31.

Sup. hoc in Res. seq. & in Resol.1. post seq.§.2.

§. 1. VIdetur respondendum negatiuè ex Concilio Tridentino, quod affert Bonac. *de Sacram.disp.8. quæst. vnica, punct.5.n.16.* & Riccius *in praxi, tom.1. resol.269.n.3.* vbi etiam ad suscipiendos ordines minores requiritur, vt ordinandus intelligat linguam Latinam, & ideo talis Religiosus ex defectu scientiæ videtur irregularis, vt communiter docent DD. quidquid in contrarium asserat Henriquez *lib.10.cap.16. num.2.* & in glossa *littera Q. & lib.14. cap.8. num.11.* & in glossa *litt. B*, quem postea sequitur Garsias *de beneficiis, tom.2. part.7. cap.7.num.19.* putantes defectum scientiæ prohibere susceptionem ordinum, sed non facere irregularitatem.

2. At his minimè obstantibus, non desunt doctissimi viri, qui asserunt posse Episcopos sine vllo scrupulo ordinare Regularem ordine Presbyteratus, qui bene legit, & cantat, quamuis sit minus litteratus, sic enim in aliorum societate, & pro officiis religionis videtur idoneus minister. Et ita docet Portel *in dubiis Regul. ver. Ordines sacri, num.6.* & Henriquez *lib.10.cap.16.num.2.* & Villalobos *in summa, tom.1.tract.21. dub.34. num.5.* vbi sic asserit. [Quanto à los Religiosos es cosa muy cierta, qua no han menester tanta sciencia para ordenarse, como los Clerigos seglares, que por viuir en communidad se suple mucha, y en haziendo el defecto se lo reprehenden. Y ansi digo, que para que se ordene vn Religioso basta, que entienda lo que son los Sacramentos, y en especial el del altar, su forma, su materia, y quien es su ministro, y que sepa bien leer, y pronuncie el Latin, aunque sepa muy poco del, en especial sabiendo cantar. Y ansi no tienen que escrupular en esto los Señores Obispos, y no obsta contra esto el Concilio Tridentino, porque vemos en vso entre los hombres doctos, y de buena conscientia lo que queda dicho, y aun respecto de los seglares no se pide comunmente, que los que se ordenan de Missa; sean bastantes para enseñar al pueblo. Y ansi pues esta recebido entre hombres tan doctos, y graues desta forma, y el negocio de derecho positiuo, muy bastante es para quitar el escrupulo, mayormente, que el Concilio no habla con palabras muy apretadas: lo mismo se podria dezir de los Cantores, Canonigos, Racioneros de las Iglesias Cathedrales, siendo hombres virtuosos, porque corre en ellos la misma razon, y lo veo en practica.] Hæc Villalobos, quæ quidem sunt multum Dominis Examinatoribus adnotanda, quia valde practicabilia.

3. Sed non reticeam contrariam sententiam in terminis docuisse Petrum Ledesmam *in sum. tom.2. tract. de sacram. Ordinis, cap.7. concl.1. fol. mihi 450.* vbi ita ait. [No me parece, que es licito, que el Obispo ordene de ordenes mayores el Religioso, que sea bien, y canta, aunque no sepa tanto en lo que toca al Latin, y en lo que toca à lo demas. Esto digo contra algunos modernos Theologos, que enseñan verdad. Porque el Concilio Tridentino pone grande rigor en lo que toca à la sciencia, y sabe, y particularmente en lo que toca el entender Latino, y ansi no me parece licito. Tambien porque esto tal teniendo tan corta scientia, y tan limitado saber, no puede en ninguna manera ministrar bien, y deuidamente en sus ordenes, luego no es licito ordenar el tal religioso, no es bien, que sepa menos, que los demas, antes es razon, que sepa mas, pues deue ministrar mejor en sus proprios ordenes, que los demas.] Ita ille.

4. Sed prima sententia est satis probabilis, & tuta in praxi. Notandum est tamen, quòd examen de scientia & doctrina Regularium debet fieri ab Episcopo, vt contra aliquos recentiores notat Vazquez *in 3. part. tom.5. disp.246. cap.6. num.55.* & alij, & patet ex Concilio Tridentino *sess.23. de refor. cap.11.* sed obseruat Miranda *in man. Prælat. tom.1. quæst.19. art.3.* quòd deuoti, atque prudentes Episcopi hac in re suam exonerant conscientiam cum conscientia Prælatorum, ipsorum commendatitiis litteris plenam atque omnimodam fidem adhibendo; vnde recte Villalobos *in sum. tom.1. tract.1. dub.14. n.5.* asserit. [Los Obispos tienen derecho para examinar los Religiosos, que han de ordenar, como consta del Concilio Tridentino. Mas bien podian passar los Obispos con el examen de los Obispos con el examen de los Prelados, teniendo dellos buen concepto quanto à esto, que como los cometen à vn Examinador, tambien los pueden cometer à vn Prelado.] Et ita etiam docet Portel, *in addit. ad dubia Regulis, ver. Ordines sacri, n.1.*

RESOL. LXXVI.

An Regulares non bene linguam Latinam callentes possint ab Episcopis ordinari? Ex part. 3. tract.2. Resol.86.

§.1. VIdetur respondendum negatiuè, nam Concil. Trid. *sess.23. de reform. cap.11.* generaliter requirit in ordinandis scientiam saltem linguæ Latinæ.

2. Sed ego alibi cum Villalobos contrarium docui, & nunc iterum doceo cum Tambutino *de iure Abbat. tom.2. disp.1. quæst.21. num.5.* Hieronymo Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol.106. num.24.* & Peirino *in priuil. Minim. to.1. consil.26. Leonis X.* §.1.

§. 13. *n.* 25. quia in Regularibus non requiritur tanta litterarum peritia, quanta in Clericis sæcularibus. Nam Religiosi, regulariter loquendo, non ordinantur ad curam animarum habendam sicut Clerici. Vnde patet responsio ad authoritatem Concilij. Adde, vt obseruat Peyrinus, quod Concilium id reliquit Episcoporum arbitrio, ait enim; Minores Ordines iis saltem, qui linguam Latinam intelligant per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videretur, conferantur: arbitrium enim illud Episcopi non solùm est super interstitiis, ita vt iis non seruatis, si Ecclesiæ vtilitas postulet, possit Ordines conferre; sed etiam super Grammatica, ita vt nescienti Grammaticam, si alioquin bonæ indolis sit, & docilis, vel possit optimè inseruire ministerio, ad quod ordinatur, sine Grammatica possit Ordines quoscumque conferre. Neque enim ex verbis Concilij colligi potest ratio, quare arbitrio Episcopi relinquatur potius dispensatio super interstitiis, quàm super Grammatica, cùm verbum, *conferantur*, sub quo stant illa duo post *arbitrium*, collocetur. Ita Peyrinus *vbi supra*, qui citat Menochium *lib. 2. de arbitr. cas. 425. num. 58.* quæ omnia sunt valdè notanda à Dominis examinatoribus Episcoporum.

RESOL. LXXVII.

De irregularitate ex ignorantia.

Et an regulares non multum literati sint ordinandi?

Et an sufficiat, quod constet Dominis Episcopis per literas testimoniales suorum Prælatorum Religiosos ordinandos esse examinatos, & sufficienter litteris instructos ad suscipiendos Ordines? Ex p. 4. tract. 2. Resol. 74.

§. 1. CLarum est quod ex ignorantia oritur irregularitas: vnde constat *in can. illiteratos, dist. 36. & in cap. cum in cunctis, de elect.* & ex *cap. vltim. de tempor. ordin. in 6.* illiteratos non posse ordinari, & consequenter semel ordinatos quamuis bona fide, non posse Ordines exercere; quæ autem scientia ad quemlibet Ordinem perquiratur, tradit Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 4. 13. & 14. de reform.*

Sup. contento in hoc §. sup. in Resol. 75. & pro parte primæ difficultatis huius §. etiã ibidem, & in Resol. 76.

2. Sed difficultas est circa Regulares. Dico igitur cum Hieronymo Rodrig. *in compend. quæst. regul. resol. 52. n. 22.* quod cum Religiosis non multum literatis possunt Episcopi dispensare vt ad Ordines sacros promoueantur, quia in illis non requiritur tanta scientia, quanta in Clericis sæcularibus, eo quod ad curam animarum non ordinentur, & ex continuo conuictu, & communicatione cum doctis in Religione semper manet spes discendi, idque colligitur ex *cap. nullus, de temp. ordin. in 6.* vbi illiteratus tonsurari prohibetur, nisi Religionem intret. Vnde sufficit quod constet prædictis Dominis Episcopis per literas testimoniales suorum Prælatorum Religiosos ordinandos esse examinatos, & sufficientes literis instructos ad suscipiendos Ordines, nec hoc est contra Concil. Trid. *in decreto examine ordinandorum*, nec contra aliud decretum *de sufficientia ordinandorum in Presbyteros ad docendum populum*; & cur magis credere debeat Episcopus sæculari examinatori, quàm Prælato Regulari testificandi de scientia & sufficientia ordinandi. Ita Rodriguez, & ego ipse alibi *in part. 2. tract. 16. resol. 29.* vbi citaui Villalobos, Henriquez & Portel, & hanc sententiam, me citato, tenet etiam nouissimè Peyrinus *tract. 2. de Relig. Prælat. quæst. 3. cap. 7. num. 20* vbi citat plures alios Doctores asserentes, quod licet Episcopis initiare etiam sacerdotio Regularem, qui bene legit & cantat, quamuis minus sit literatus. Vide etiam Aloysium Bariolam *in aphorism. lit. R. ver. Regulares ad Ordines*, hanc etiam opinionem tenentem. Et ideo illam sine vllo metu & scrupulo possunt domini Episcopi in praxim deducere.

Sup. hoc in Resol. seq. propè finem, sed lege etiã alios §§. eius vlt. not.

Quæ hic est Sup. Resol. 75. fort. & lege etiam alium versic. not. primæ præditi §.

RESOL. LXXVIII.

An priuilegium quorumdam Abbatum conferendi Ordines minores duret adhuc, non obstante Concilio Tridentino sess. 25. c. 10. de Reformatione?

Et notatur supradictos Abbates posse his subditis sæcularibus dare literas dimissorias ad Ordines, neque hoc priuilegium derogare Concilium Tridentinum. Ex par. 4. tra. 4. & Misc. Resol. 147.

§. 1. NEgatiuè respondet Henriquez *lib. 14. cap. 18. num. 2. & in glossa lit. P.* quia hoc clarè videtur determinare Concil. Trident. *vbi supra*. Et ita hanc sententiam docet etiam Gauantus *in enchir. Episc. ver. Abbas, num. 31.* vbi sic ait. Abbas non potest conferre Ordines minores, neque primam tonsuram non sibi subditis ex Concil. Trident. Ita ille, & nouissimè Mauricius Alzedo *in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. num. 78.*

Sup. hoc in Resol. seq. & in aliis eius primæ not.

Verùm nouissimè Thom. Sanchez *in opusc. to. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 18. num. 20.* affirmatiuam sententiam putat probabiliorem, & ideo docet priuilegium concessum Abbatibus non reuocare Concilium Tridentinum, quia hoc priuilegium est concessum à VII. Synodo generali *cap. 14.* & habetur *in cap. quoniam, distinct. 69.* at reuocatio decretorum Concilij sufficiens non censetur, nisi in specie fiat eorum derogatio his verbis, non obstante aliqua lege, vel constitutione etiam in Concilio Generali statuta, vt colligitur ex *cap. ex parte, & cap. vltim. de capellis monach. cap. eam te, de etat. & qualitate, cap. nonnulli, de rescript.* tenet Couarr. *var. cap 16. num. 6.* Archidiaconus *cap. 1. de constitut. in 6.* Felinus *cap. nonnulli, de rescript.* Alexander *cons. 187. lib. 1.* Iacobatius *tract. de Conciliis, lib. 3. art. 18.* & per hoc dicit Nauarrus *in summ. cap. 27. num. 265.* priuilegium concessum Religiosis *in Clem. dudum, de sepult.* quia est Concilij generalis, quòd scil. si sine iusta causa repellantur ab Episcopo, censeantur approbari, non derogari per Concilium Tridentin. *sess. 23. capit. 15.* decernens non posse Regulares audire confessiones, nisi sint approbati ab Episcopo, quia Tridentinum *ibi* dicit, *non obstantibus quibuscumque priuilegiis*, & non dicit expressè, non obstante decreto Concilij generalis. Cum ergo in nostro casu Tridentinum *vbi supra* tantùm dicat, *non obstante quocumque priuilegio*, nec dicat, non obstante decreto Concilij generalis, non censebitur reuocatum tale priuilegium Abbatibus concessum in VII. Synodo generali. Item, quia priuilegium hoc Abbatibus concessum, est insertum in corpore iuris, *cap. cùm contingat, de etat. & qualitat. capit. Abbatibus, de priuileg. in 6.* at in generali priuilegiorum reuocatione, qualis est, quæ fit in dicto loco Tridentini, non comprehenditur priuilegium insertum in corpore iuris. Ergo non censetur reuocatum hoc priuilegium, & ita ego hoc tempore vidi titulũ de prima tonsura Abbatis Benedictini, qui ordinauit sæcularem plenè sibi subditũ cum Notarij testimonio, quod sic solet facere. Hæc omnia Sanchez, satis quidem probabiliter, si nõ obstaret declaratio Cardinaliũ in contrariũ quam adducit Quarãta *in ver. ordo.* Sed Lector circa præsentem quæstionem non definat videre Gratianum *in discept. forens. to. 2. cap. 112. per totũ.*

Pro contento in hoc §. ibid in §. Vetùm & lege etiam Resol. eius not.

& Flores de Mena *in qq.var.lib.2.q.14. per totam.*

Quoad hoc infr. in Res. 83. lege eius doctrinam quamuis ibi pro Abbatibus Ecclesiasticis.

5. Nota etiam, quod Sanchez *vbi supra dub.21. num.6.* contra Henriquez, Rodriguez, & alios docet supradictos Abbates posse suis subditis sæcularibus dare litteras dimissorias ad Ordines, neque hoc priuilegium derogare Concilium Tridentinum, & ita etiam tenet Tamburinus *de iure Abbat.tom.2.disp.2. quæst.7. num.1.*

RESOL. LXXIX.

Quidam Abbas Benedictinus contulit Ordines minores quibusdam non sibi subditis, qui postea alios Ordines susceperunt, & in illis ministrauerunt: quæritur quid in hac re statuendum?

Et an dicti Ordines sint saltem iterandi sub conditione?

Et quæritur, an prædicti Abbates possint conferre Ordines tam sæcularibus, quam Regularibus, qui speciales litteras dimissorias à suis Superioribus habuerunt?

Et an si aliquis subditus sæcularis ordinaretur à supradictis Abbatibus, valeat quidem ordinatio, & sit tantùm illicita, non autem inualida?

Et aduertitur, quod priuilegium clausum in corpore iuris in generali derogatione nunquam censetur comprehendi. Exp 5.tr.13.& Misc.1.Res.93.

§.1. CIrca præsentem quæstionem satis quidem arduam more meo breuiter, & resolutoriè videndum est primò, an potuerit dictus Abbas conferre dictos Ordines. Secundò, an saltem sint iterandi sub conditione.

Quoad hoc in tom.5. tr. 3. lege doctrinam Res. 27. & signanter sup. hoc vide hic Res. præteritam, & concludē ter, & definitiuè In duabus Res. seq.

2. Quoad primum respondet dictum Abbatem minimè conferre potuisse supradictos Ordines, docere plures Doctores, asserentes Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 10.* reuocare priuilegium Abbatibus concessum conferendi Ordines minores, nisi ordinandi sint Regulares eorum subditi. Ita docet in specie contra Abbates Benedictinos Ioannes de la Cruz *de statu Relig.cap.8.lib.2.dub.1.* Cœlestinus *in compend.Theolog.moral.tract.8.cap.4.quæs.2.* Emanuel Sà *verb. Ordo, num.16.* Portel. *in dub.regular.verb. Abbas, num.2.* vbi sic ait; Abbas Benedictinus confert Ordines minores suis subditis, *cap. quoniam, distinct. 69.* & Iulius II. *Bulla 25.* & hoc non reuocatur in Concilio Tridentino pro suis subditis, sed pro aliis. Sic ille. Hanc etiam sententiam docet Barbosa *de potestate Episcopi part.2.allegat.3.n.11. & in Collectan.Doctor.tom.3.in 6.Decretal.lib.5.tit.7.cap.1. num.5.* Miranda *in Manual. Prælat.tom.1.quæst.38. art.9.concluf.2.* Rubeus *in aphorism. Episcop. verb. Abbas, num.13.* Puteanus *in 3.part.D.Thom. quæst. vnic.de sacram.Ordin.dub.7.concluf.2.* Zapæus *in iure Pontificio, tit.de maiorit.& obedient.num.4.* Antonius de Marinis *quot.resol.cap.1.num.34.* Gratianus *in disceptat.tom.4.cap.791.num.7.* Campanili *in diuers.iur. can.rubr.6.cap.2.ante num.7.* Henriquez *lib.14. cap. 18. n.2.* Emanuel Rodriguez *in quæstionum regular. tom.1.q.18.art.1.* Fuscus *de visit.lib.2. cap.15. n.93.* Hieronymus Rodriguez *in compend.qq.regul.resol.1. num.22.* Nouarius *opuscul.de iure nouo Pontif.concluf. 103. num.6.* Riccius *in praxi tom.4.resol.257.* Homobonus *in consul.tom.1.part.5.resp.194.* Germonius *de sacra immun.lib.3.cap.9.num.37.* Megalius *in prompt. verb Abbas, num.17.* Gaspar Hurtadus *de Sacrament. tract.de Ordine, difficult.18.* Filliucius *tom.1.tract.9. cap.5.num.96.* Bartholomæus Ledesma *de sacrament. Ordinis, dub.11.* Ioannes Baptista de Fabris *de sacramento Ordin.in communi, cap.7.quæst.2.* Naldus *in summa, verb. Abbas, num.3.* Laurentius de Peyrinis *de Prælat.regul.tom.2.quæst.3.cap.7.num.23.* Lublinus *in sum.verb. Abbas, num.3.* Piasecius *in praxi Episcop. part.1.cap.1.art.1.num.7.* Alzedus *de præstant. Episc. part. cap.1.num.78.* Cataneus *in summ.verb.Abbas, §.2.* Vegas *in specul.Paroch.tom.2.cap.14.§.8.num.13.* Chamerota *de sacram.tract.11.cap.4.dub.2.* Vasquez *in 3.part.tom.4. disp.243. cap.5.num.53.* Regiualdus *tom.2.lib.50.tract.1.cap.5. num.25.* Acugna *in Decretum Gratiani part.1.disput.95.cap.1.num.6.* Graffius *decis. part.1. lib.3. cap.5. num.142.* Tannerus *tom.4. disp.7.q.3. dub 2.n.27.* Martinus *in Theolog. moral. de sacram.Ordin.q.4. concl.1.* Binsfeld, *in enchir. part.1. cap.16.§.9.* Funes *in specul.moral part.2.cap.10.n.1.* Thesaurus *in compend.iur. can. lib.1.tit.11. n.6.* Vallensis *in Decret.lib.1.tit.11.§.3.n.6.* & Litterarius *in sum.2. cap.46.n.4.* Hi omnes asserunt non posse Abbates ordinare nisi suos subditos regulares; & aliqui ex ipsis addunt, magis explicando, neque alienos etiam cum licentia Episcoporum, & ita in specie docet Seraphinus *part.1.decis.985.* asserens ita sensisse Rotam; & Sellius *in select.can.cap.19.n.8.* testatur ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem Episcoporum & Regularium in vna Eugubina die 3. Nouembris 1593. & in vna Camplen. die 27. Iunij 1631.

3. Verùm his non obstantibus contrariam sententiam mordicus tenet Sanchez *in opusc.tom.2. lib.7.dub.19.num.20.* & ratio est, quia dictum priuilegium est insertum in corpore iuris, vt patet in cap. *quoniam, dist.69. & in cap. Abbates, de priuileg. in 6.* & *cap.cùm contingat, de ætate & qualit. ordin.* Sed priuilegium clausum in corpore iuris in generali derogatione, nunquam censetur comprehendi, sed opus est, vt de illo efficiatur expressa mentio, vt ego ipse ad satietatem cum 19. Doctoribus satis probaui *in 3.part.tract.2. resol.1.* quibus nunc addo Basilium Pontium *de matrim. lib.8. cap.19. num.16.* Caltrum Palaum *tom.1. tract. 3. disput.4. punct.21.§.4.num.5.* Suarez *de legib.lib.8.c.38.n.1.* Salas *disput.17. sect.14. n.73.* Portel. *in dub.reg.verb. Priuilegium, n.7. & 67.* Ergo in illa generali reuocatione Concilij Tridentini, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, &c. dicendum est, non comprehendi priuilegium, de quo loquimur tanquam insertum in corpore iuris. Deinde dictum priuilegium Abbatibus fuit concessum in Synodo VII. *cap.14.* Sed decreta Concilij generalis non censentur derogata nisi in specie fiat eorum derogatio, vt ego ipse cursim tetigi *in 1.part tract 3. resol.2.* & latè probat cum 20. Doctoribus Hieronymus Cenedo *in quæst. can.q.1. num.27.* ergo in reuocatione generali, de qua loquimur, non comprehenditur dictum priuilegium, cùm ibi non apponatur specialis derogatio Concilij à quo emanauit.

4. Sed aliqui asserunt non obstante dicta derogatione Concilij Tridentini posse hodie Abbates habentes ius deferendi baculum, & mitram, & post quam munus benedictionis susceperint, Ordines minores sæcularibus non suis subditis conferre, dummodo ipsius Episcopi consensus accedat, & à dicto Episcopo quisque litteras dimissoriales impetrarit. Et ita declarasse sacram Congregationem testatur Quaranta, Bonacina, Capucinus, & Azorius, quos citat, & sequitur Tamburinus *de iure Abbatum disp. tom.2. disput.2. quæst.7. num.2.* quibus ego addo Molfesium *in sum.tom.1.tract.2.cap.2.num.18.* Zanardum *in direct.Theol.part.1.de sacr.Ordin.cap.3.* Aloinum *de potestat. Abbat. cap.22. num.18.* Zerolam *in praxi Episcop part.1.verb.Abbas.* Kellisonium *in 3.p.tom.2. quæst.38 art.2.* Venerum *in exam.Episcoper lib.1.cap. 12.* Layman *lib.5.tract.9.cap 9.num.1. & 2.* Lezzanam Romæ impressum anno 1634. *in quæstionum regular.cap.18. num.13.* Gauantum Romæ impressum anno

anno 1651. *in Enchirid. Episcop. verb. Abbas, n.* 34. Tiberium *in instruct. Ordin. cap.* 7. *quæst.* 48. Vgolinum *de potestate Episcopi, cap.* 26. §. 19. Grilenzonium 142. *n.* 52. Mercerum *de Sacrament. in* 3. *par. D. Thom. q.* 38. *art.* 1. Zecchium *de Republ. Eccl. cap.* 25. *n.* 4. Moscónium *de maiestate militan. Ecclesiæ, lib.* 1. *cap.* 9. Fornarium *de Sacrament. Ordin. cap.* 5. §. 2. & nouissimè Ioannem præpositum Societatis IESV *in* 3. *part. D. Thom. quæst. vnica de Sacrament. Ordinis, dub.* 13. *n.* 127. & quia codex rarus est, ponam per extensum eius verba, sic enim ait: Circa decretum Concilij notandum primò non prohiberi prædictos Abbates conferre Tonsuram, & minores Ordines sæcularibus sibi subditis, si accedat consensus Episcopi, cum quo etiam eiusdem Episcopi subditos possunt Tonsura, & minoribus Ordinibus initiare, vt respondit Congregatio Cardinalium; requiritur verò vt vnusquisque sæcularium habeat pro se dimissorias, & non tantùm in genere, vt eadem Congregatio. Deinde non prohiberi quominus possint primam Tonsuram & minores Ordines conferre aliis Regularibus, qui speciales literas dimissorias à suis Superioribus habuerunt, vt eadem Congregatio. Itaque Abbas, vel alius, qui primam Tonsuram & minores Ordines potest conferre cum dimissoriis specialibus eius, qui potest dare, potest ordinare sibi non subditum, tam regularem, quam sæcularem; vbi notandum præter huiusmodi dimissorias opus esse consensu Episcopi loci, in quo Ordines sunt suscipiendi, vt Congregatio. Itaque licet respectu Regularium sibi subditorum non habeat opus consensu Episcopi loci, vt si eius Monasterium sit subditum Episcopo, tamen iis consensus est necessarius, vt alij ordinentur ex Congregationis decreto, quod videtur intelligendum, quando non confert Ordines in loco exempto, quia vt in eo conferat, non videtur requiri consensus Episcopi, vt instructis sufficientibus dimissoriis conferre possit, cùm in tali casu possit alienus Episcopus Ordines conferre petente Superiore, & qui habent priuilegium, vt à quouis Episcopo possint ordinari, possint in loco exempto ordinari à quolibet Episcopo, non requisito consensu Episcopi loci; & si petas vtrum, vt aliquis possit recipere minores Ordines ab Abbate, sufficiat habere dimissorias, quibus sit potestas recipiendi minores Ordines à quolibet? Respondeo sufficere, quia per particulam illam generalem datur illi facultas recipiendi à quouis valente Ordines minores conferre. Et hæc omnia ad verbum docet Præpositus *vbi supra*, ex mente sacræ Congregationis. Cui etiam adde Layman *in quæstion. canon. cap.* 17. *n.* 219. Vnde apparet pro vtraque opinione adesse declarationes Cardinalium sacræ Congregationis. Itaque in hoc casu aliquis posset dicere id, quod in simili dixit sapientissimus Petrus Hurtado de Mendoza Societatis IESV *in* 2. 2. *D. Thomæ de fide, Spe, & charitate, vol.* 1. *disp.* 84 *sect.* 2. §. 25. vbi agens de quadam quæstione, pro qua hinc inde afferebantur declarationes Cardinalium inter se pugnantes, vt in casu nostro, Respondit, inquam, Hurtadus, vtramque sententiam probabilem esse, & vtramque probatam Eminentissimis Cardinalibus, alteram quidem nonnullis, aliis alteram: etenim, vt ait Ouid.

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.

Ita Hurtadus.

Sup. hoc cõcludenter, & diffinitiuè in Ref. seq. & infra in Ref. 85. Terrio: quod Abbates.

5. Vel posset aliquis respondere (Pupuratorum enim illorum Patrum sactum Concilium venerari oportet) declarationes supradictas inter se minimè pugnare, quia declarationes pro prima sententia adductæ intelligendæ sunt, si Abbates conferre vellent Ordines ea authoritate, qua antea poterant, nempe non solùm suis Religiosis, sed etiam sæcularibus sibi tamquam Ordinario subditis absque consensu Episcopi loci; secus autem si Abbates hodie conferrent Ordines minores cum conditionibus appositis in declarationibus Cardinalium pro secunda sententia relatis. Vnde apparet declarationes supradictas non esse sibi contrarias, & ita esse intelligendas patet ex Præposito, Marcello, Vulpe *in praxi iudiciali, cap.* 6. *n.* 8. *&* 10. Kelisonio, Layman, & aliis Doctoribus *vbi supra*, citatis, qui postquam ex sacra Congregatione docuissent Concilium Tridentinum reuocasse priuilegium Abbatibus conferendi Ordines minores subditis etiam sæcularibus, postea subdunt. Ex eadem sacra Congregatione supradictos Abbates non obstante dicto Concilio posse conferre minores Ordines quibuscunque tam Regularibus, quàm secularibus etiam non sibi subditis, si tamen ordinandi habeant dimissorias à proprio Episcopo, vel Prælato, per quas sigillatim, & in particulari hanc licentiam præbeat, & consensum etiam Episcopi illius loci, in quo sunt Ordines ministraturi.

Sup. hoc in Resolutionibus not. præteritæ.

6. Vnde ex his patet etiam responsio ad auctoritatem Rotæ, quàm suprà affert Seraphinus, ad quam etiam Tiberius *de instruct. ordin. cap.* 7. *quæst.* 48. cum Tamburino *de iure Abbatum, tom.* 2. *disput.* 2. *quæst.* 7. *num.* 4. respondet loqui Dominos Rotæ, quando Abbates vellent conferre Ordines minores sine consensu Episcopi Diœcesani, & ratio huius posterioris sententiæ in fauorem Abbatum est, quia Concilium Tridentinum, licet asserat non licere Abbatibus ordinare nisi suos subditos Regulares, non sequitur ex hoc, quòd non possint ordinare alienos cum licentia suorum Episcoporum, vt patet ex *cap. vlt. de temp. ordinat. in* 6. Nam textus ibi, vt patet, & obseruat glossa, loquitur etiam de Abbatibus, quod confirmatur, nam ante Concilium Abbatibus non licebat ex *cap. Abbates, de priuileg. in* 6. ordinare nisi suos subditos Regulares, & etiam (quod hodie non possunt per Concilium Tridentinum) subditos laicos, in quibus quasi Episcopalem iurisdictionem habebant, & tamen hoc non obstante ordinabant subditos alienos de licentia suorum Prælatorum, vt docet glossa *in cap. quoniam, distinctio.* 69. *verb. Monasterium*, & *ibi* Turrecremata *num.* 9. & Lapus *alleg.* 138. cum aliis communiter, ergo, &c. Et hæc sunt placita Doctorum circa præsentem quæstionem. Quid ego sentiam, non proferam, sed eius finalem, & claram resolutionem ad oraculum sacræ Congregationis remitto, ita vt in posterum ampliùs locus non sit Doctorum opinionibus adhærere.

7. Quo ad secundum dubium, an dicti ordines sint saltem reiterandi sub conditione ob probabilitatem sententiæ aientis priuilegium supradictorum Abbatum esse reuocatum per Concilium Tridentinum, respondent aliqui negatiuè. Et ita docet insignis Theologus Societatis IESV Iacobus Granadus *de Sacrament. in* 3. *part. D. Thomæ controuers.* 9. *tract.* 1. *disput.* 6. *num.* 2. vbi sic ait. Si sit opinio probabilis Ordinem verè fuisse susceptum, & sit etiam probabilis opposita sententia posse tunc sine dubio iterari Ordinem sub conditione, vt in generali diximus de omnibus Sacramentis *tract.* 1. *de Sacram. in gener. disput.* 4. Vtrùm autem teneatur quis illum Ordinem iterare, ibidem breuiter explicuimus; si enim Ordo sit sacerdotalis, aut Episcopalis, tenetur sine dubio iterare, quia alioqui exponitur periculo non consecrandi, non absoluendi pœnitentes, non ordinandi, cùm probabile sit illum non habere potestatem Ordinis ad id requisitam, cùm autẽ id cedat in maximum detrimentum fidelium, tenetur ordinatus vitare huiusmodi incommodum, recipienda

Sup. hoc ad literam, supra in Ref. 19. §. 1. per totum, &c.

piendo prædictum Ordinem, secundum certam doctrinam, & non iuxta opiniones, in quibus potest esse deceptio. Quod verò attinet ad reliquos Ordines inferiores non obligarem eum, qui iuxta opinionem probabilem eos recepisset, vt illos iteraret, etiam sub conditione. Moueor ad ita sentiendum, quia isti Ordines non sunt ita necessarij, vt per sacerdotalem potestatem suppleri non possint munera, propter quæ instituta sunt, & præterea non habent annexum aliquem actum absolutè necessarium ad salutem fidelium, aut defectu cuius proueniat Ecclesiæ notabile damnum. Cùm ergo aliunde homo sit ordinatus iuxta probabilem opinionem, ac proinde prudenter sibi posset persuadere Ordinem fuisse validum, non est cur ad illius iterationem obligetur. Hæc omnia Granadus, qui in terminis, vt dici solet, terminantibus, casum nostrum determinat. Adde quod multi asserunt, non obstante reuocatione supradicti priuilegij per Concilium Tridentinum, si aliquis subditus sæcularis ordinaretur à supradictis Abbatibus, valeret quidem ordinatio, esset enim tantùm illicita, non autem inualida, & conferret ordinatis characterem, non autem vsum Ordinis. Et ita ex declaratione Cardinalium docet Gauantus *in Enchirid. Episcop. verb. Abbas, n.* 36. Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 19. *n.* 17. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 2. *disp.* 2. *qu.* 8. *num.* 1. Molfesius *in summa, tom.* 1. *tract.* 2. *ca.* 2. *n.* 18. *in fine.* Præpositus *in* 3. *part. quæst. vnic. de Ordine, dub.* 13. *n.* 124. Marcellus Vulpe *in praxi iudiciali, ca.* 6. *n.* 10. Rodriguez *in quæstionum regul. tom.* 1. *quæst.* 18. *art.* 1. Ludouicus de San Iuan *en su lez de Sacerdotes; q.* 3. *regul. art.* 1. *concl.* 2. vbi sic ait: [Si el dicho Abad ordenare de hecho personas estrañas, quedaran ordenadas, y recebiran caracter: porque escriuiendo el Papa Vrbano à Hugo Obispo de Leon de Francia, le dize: Clerici ab Episcopo alterius Parochiæ ordinati, à proprio in suis Ordinibus recipi possunt. De aqui se siguen dos puntos. El primero, que los dichos Clerigos reciben caracter. El segundo, que aun que los estraños reciben el caracter, no reciben la execution de las Ordenes; pues que dize Vrbano, quod à proprio Episcopo recipi possunt in suis Ordinibus, las quales palabras presuponen, que los assi ordenados quedan suspensos de la execucion de las Ordenes; pues lo mismo es en nuestro caso.] Ita ille. Licet hanc sententiam non approbet Laurentius de Peyrinis *de Prælat. Regul. tom.* 2. *qu.* 3. *cap.* 7. *n.* 23. vbi docet, quod si per Concilium Tridentinum Abbatibus fuit reuocatum priuilegium, ipsi non solum illicitè, sed etiam inualidè ordinarent, & ordinati omnino ordinari denuò deberent. Sed negatiuam sententiam docet Sanchez *vbi supra*, obseruans priuilegium concessum Abbatibus conferendi Ordines minores esse absolutum, aliàs dicendum esset, quod si conferrent hos Ordines minores extra suum Monasterium, subditis tamen, non teneret Ordo, cùm priuilegium continet etiam quoad tantùm in suo Monasterio, quod tamen dicere videtur absurdum. At verò quoad iurisdictionem requisitam ad benè, & licitè Ordines conferendos dictum priuilegium est limitatum, scilicet in suo monasterio, & subditis. Ita Sanchez, cuius doctrina clarè confirmatur ab Archidiacono *in cap. Abbates, de priuileg. in* 6. vbi docet Abbatem conferentem Ordines minores extra suum Monasterium Regularibus alterius monasterij, etiam non inuitatum, conferre, hoc non obstante, characterem Ordinum: & Franchus *ibidem num.* 2. ex Ioanne Andrea docet etiam, quod si dicti Abbates alios ordinent Clericos aliter, quàm sibi permittitur *in dict. cap. quod vtique*, hoc non obstante characterem imprimunt. Et tandem non desinam hic apponere verba Petri de Ancharano *in dict. cap. Abbates, n* 3. vbi sic ait. Aduerte tamen, quod licet Abbates non debeant conferre Ordines aliis, quàm personis hîc expressis, tamen si conferant, imprimunt characterem. Ita ille, qui citat etiam Ioannem Andream, & Boëtium, quibus addo glossam *in cap. Abbates, de priuileg. in* 6. *verb. tantaram, in fine.* Vnde apparet priuilegium hoc conferendi Ordines minores Abbatibus concessum, fuisse absolutum, sed quoad iurisdictionem ad licitè exercendum fuisse limitatum, in suis nempe Monasterijs, & in subditos. Vnde si Abbates extra Monasterium, & alienos ordinarent, illicitè quidem, sed validè Ordines conferrent. Et ideo hanc nostram sententiam clarè determinauit sacra Congregatio his verbis: Quidam laicus annis elapsis primam Tonsuram suscepit, & Ordines minores ab Abbate Cassinensi sint in temporalibus & spiritualibus Superiore, citetur illum habere potestatem; sed cùm sit contra dispositionem huius capitis, dubitatur an iste indigeat dispensatione, vel necesse habeat cupiens esse Clericus ordinari iterum ad dictos Ordines tanquam nullitur ei collatos. Congregatio Concilij sic respondit, Indiget dispensatione, sed non est necesse vt iterum ordinetur. Et hanc declarationem affert Matilla *lib.* 2. *t.* 11. *cap.* 10. *lit. L* & Gallemart. *in declarat. Concilij, sess* 23. *cap.* 10. *n.* 1. & de illa mentionem faciunt Præpositus, & Doctores proximè citati. Vnde consonent ea, quæ docuit Suarez *de Relig. tom* 4. *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 8. contra quem præter Doctores citatos adde Felinum *in cap. eam te, de rescript. num.* 8. docentem Abbates non posse ordinare alienos subditos ex defectu iurisdictionis, non autem ex defectu quoad habitum potestatis, & ideò quando illis tribuitur iurisdictio, concurrit vtraque potestas requisita ad collationem Ordinum. Quæ quidem opinio Felini multum valet pro opinione superiùs adducta, asserente posse dictos Abbates ordinare subditos alienos cum licentia proprij Episcopi.

8. Nota tamen, quod post hæc scripta inueni Lapum Iutisconsultum Doctissimum *in allg.* 138. in terminis, vt dici solet terminantibus, opinionem hanc docere, asserendo, quosdam laicos non subditos ordinatos ab Abbate Benedictino, characterem Ordinum minorum recepisse, & validè fuisse ordinatos, licet illicitè, quod etiam docuit Ioannes Præpositus *in cap. quoniam, distinct.* 69. *num.* 5. Et tandem omnia supradicta confirmantur ex doctrina quam nouissimè affert Bonacina *in addit. ad tom.* 2. *disput.* 3. post tractatum *de electione Summi Pontificis*, quia collatio minorum Ordinum non est actus iurisdictionis præcisè, sed est functio sacerdotalis officij, *cap. cùm contingat, de etate, & qualitate.* Adde, quod in Concilio Tridentino, & in iuribus antiquioribus non irritatur collatio Ordinum aliter facta, nec vtuntur verbo, *non potest*, sed verbo, *non licet*, quæ loquendi forma prohibet collationem Ordinum, sed non irritat aliter factam. Hæc omnia Bonacina. Vnde stante dicta declaratione Cardinalium, & Doctorum opinione, puto hanc sententiam probabilissimam esse, & tutam in praxi; si autem supradicta declaratio non esset vera, & contrarium à sacra Congregatione in posterum determinabitur, eius decreto standum esse existimo.

RESOL. LXXX.

An Abbates Infulati possint conferre Ordines minores laicis sibi non subditis, si licentia Episcopi existat?

Idem est dicendum de Regularibus alterius exinsum-

que Religionis, Ordinis, vel Instituti, etiamsi habeant litteras dimissorias suorum Prælatorum Regularium.

Et an aliqui Abbates hodie possint suis subditis conferre Ordines aliquos maiores? Ex part. 7. tr. 11. & Misc. 2. Resl. 42.

§. 1. DE hac quæstione olim in Sicilia magna altercatio fuit inter viros doctos, & ego latiùs de illa disserui *in p. 5. tr. 13. resl. 93.* & pro vtraque parte validas rationes, & numerum Doctorum adduxi, nolui tamen sententiam meam proferre, sed resolutionem dicti dubij ad Oraculum Purpuratorum Patrum remisi; sed iam ab ipsis quæstioni finis impositus est: nam facto verbo cum Sanctissimo D. N. Vrbano VIII. feliciter nunc regnante, Sacra Congregatio Concilij Tridentini partem negatiuam nouissimè determinauit, vnde in Posterum de hac non erit locus disputationi, & quia dictam declarationem ad me misit amicissimus, & nunquam satis laudatus Dominus meus, Franc. Paulucius dictæ Congregationis Secretarius meritissimus, ideo per extensum hic illam in gratiam curiosorum apponam.

Quæ hic est Resl. antecedens, & in resl. seq. & in aliis annotationum huius primæ Resl. pro omni contento in hac Resl. signanter ibi in n. 4. 5. & 6. annotatione eius.

2. Die 23. Nouembris 1641. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, vtraque parte infirmante, ore, & scriptis, ac rationibus hinc inde deductis, maturè examinatis inhærendo decisioni Rotæ Romanæ sub die 27. Aprilis 1592. coram bon. mem. Cardin. Seraph. de ord. fel. rec. Clementis VIII. factæ, necnon declarationibus eiusdem S. Congregationis dictæ decisioni conformibus subsequutis, censuit improbare opinione contraria; Abbates Regulares Benedictos eiusdem Congregationis Casinensis, seu alterius Congregationis, vel Ordinis, aut instituti, habentes etiam iura Episcopalia, seu quasi Episcopalia, vsumque Mitræ, Baculi, & benedicendi, ac facultatem primam Tonsuram, & minores Ordines conferendi, non posse dictam primam Tonsuram, nec alios Ordines minores nisi suis subditis Regularibus conferre; non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel instituti, etiamsi habeant litteras dimissorias suorum Regularium, & consensum Ordinariorum, intra quorum Diœcesum fines, ipsi Regulares ordinandi existunt; & multò minus personis sæcularibus, etiam habentibus litteras dimissorias à suis Ordinariis.

3. Ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis inferioribus, tam sæcularibus, quàm regularibus, vt in futurum concedere non audeant suprà dictas litteras dimissorias huiusmodi Abbatibus directas, nec ab istis recipi. Quod si secus fiat, tam concedentes, quàm ordinantes, à collatione Ordinum suspensi remaneant, præter alias pœnas arbitrio eiusdem Congregationis reseruatas.

4. Quam declarationem Sanctissimus D. N. die 17. Ianuarij 1642. ad se relatam approbauit, & inuiolabiliter obseruari iussit; vnde ex his corruunt ea, quæ nouissimè docuit amicissimus P. Leone *de cons. resol. 6. num. 18. & seq.* qui, vt reor hanc declarationem videre non potuit.

Sup. hoc inf. in Resl. 82. & in tom. 3. tr. 1. Resl. 69. § Sed ego, ante med. & in Resl. 70. §. 2. ante med. & in Resl. 71. paulo post initium.

5. Sed an aliqui Abbates hodie possint suis subditis conferre Ordines maiores, magna est inter Doctores altercatio. Affirmant aliqui, quos citat, & sequitur Caramuel *in Reg. D. Bened. cap. 62. n. 1626.* vbi sic ait: Asserunt communiter Theologi, neminem præter Episcopos posse conferre Ordines sacros, illos, inquam, quos maiores dicimus; contrarium tamen probabilius est legitima praxi confirmante: Nam Abbati Cistercij, & quatuor primis Coabbatibus conceditur ab Innocentio VIII. anno 1589. vt Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines conferant: ille nimirum quibuscumque totius Ordinis, isti suorum Monasteriorum Religiosis. Hoc priuilegium est in praxi, & hodie supersunt qui ad maiores Ordines ab his Abbatibus fuerunt promoti. Cumque Coabbatibus conceditur, Monasteriorum suorum Religiosos posse ad illos Ordines promouere, nomine Monasteriorum suorum omnes filiationes veniunt intelligendæ; sunt enim Coabbatum Monasteria quibus præsunt authoritate extraordinaria, Citant hoc priuilegium Victoria testis oculatus, Nauar. *cons. 13. lib. 15. de priuil.* Rodrig. *de Regul. tom. 1 q. 18. art. 2. & 4.* & Philibert. Marchin. Nouariensis *tr. 1. de Sacr. Ord. par. 2 cap. 13. n. 9* Viualdus, & Chamerota hoc à Tridentina Synodo reuocatum asserunt, sed notante citato Philiberto non approbant: imò eos hoc improbabiliter asserere constat ex praxi, quæ etiam hodie perennat. Ita Caramuel, cuius sententiam amplexus est etiam Ioannes Baptista Tiberius *in instruct. Ordin. cap. 6. q. 37.* Sed negatiuam sententiam mordicus tenet Candidus *tom. 4. disquis. 4. art. 3. dub. 20.* vbi citat Coninch, Layman, Nugnum, & Fornarium, asserentes Abbates Cistercienses sui Ordinis Monachis Subdiaconatum conferre non posse: ergo sententiam meam non promam, sed resolutionem dubij ad Sacram Congregationem remitto.

RESOL. LXXXI.

An Abbates non benedicti possint conferre primam Tonsuram, & Ordines minores sibi non subditis?

Et an possint suprà dictos Ordines conferre Nouitijs? Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. Resl. 30.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Bruno *part. 2. tractatu 7. cap. 3. propos. 3.* vbi sic statuit; Abbates non benedicti possunt similiter, ac benedicti suis subditis Regularibus, & sæcularibus, ac aliis etiam sæcularibus, & Regularibus non subditis primam Tonsuram, & quatuor Minores conferre.

Sup. hoc in Resl. præterita, &c.

2. In duplici genere sunt Abbates non benedicti, alij enim sunt Abbates non benedicti, quibus benedictionem Episcopus recusauit, alij autem quibus non recusauit, nec benedicendi sunt: quoad primum genus Abbatum propositio probatur ex *cap. 1. de supplem. neglig. Prælatorum*, in quo habetur, si Episcopus ter cum humilitate, & deuotione, sicut conuenit requisitus, Abbatem benedicere renuerit, liceat Abbati proprios Monachos benedicere, & alia quæ ad Officium pertinent exercere. Sed ad illorum officium spectat primam Tonsuram, & quatuor minores Ordines conferre: ergo illa omnia (licet recusata benedictione) possunt exercere: nec potest dubitari, quin Papa hoc priuilegium possit concedere, quoniam hæc benedictio non imprimit characterem, neque est ex Christi institutione, vt necessaria reputetur ad hanc concessionem: sicut ergo Papa potest simplici Sacerdoti absque præuia benedictione committere potestatem conferendi Confirmationem, sic & facultatem illos Ordines conferendi, sicut de facto illam commisit, ac sic tenent citati Hostiensis, & Armilla Aurea, qui addunt dictos Abbates non posse conferre illos Ordines in Monasteriis non alienis exemptis quod ego crediderim, si Episcopus illorum superior non consentiat: si autem non consenserit, vel illos vocauerit, posse tunc tempori Ordines prædictos conferre, cùm vt suprà probatum est, possit Episcopus subditis huiusmodi Ordines ministrare, nullique propterea fiat iniuria.

Sup. contento in hoc, & duobus §§. seqq. ad litteram inf. in Resl. 85. in §. In duplici genere, & duobus §§. seqq.

3. Quoad autem aliud genus Abbatum non be-

nedictorum neque benedicendorum, vt sunt Abbates triennales, non reperitur quidquam super hoc illis à iure communi concessum, sed tantum ex priuilegiis extra illud ius vagantibus, & probatur propositio quoad illos ex concessione Eugenij IV. 1437. facta Cistercienſi familiæ in Hiſpania, in qua vult vt Abbates Triennales, licet eis munus benedictionis non impendatur, omnibus & ſingulis honoribus, præeminentiis, priuilegiis, prærogatiuis, iuribus, & inſignibus Abbatialibus fungi poſſint. Et quamuis de hoc priuilegio vtpotè terminis nimis generalibus conceſſo dubitari poſſet, nihilominus Iulius II. *priuileg. 9. n. 7.* omnem prorsus ſuſtulit dubitationem, concedendo dictis Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis illam poteſtatem his verbis; Nec non Nouitios, & alios quoſcumque dicti Monaſterij ſubditos, prout poterant præfati perpetuo Abbates Clericali charactere inſigniendi; vbi Suarez proximè citatus *n. 25.* per clericalem characterem intelligit quatuor Minores vltra Tonſuram, & ita praxis habet etiam apud Fratres Congregationis Fulienſium eiuſdem Ordinis Ciſtercienſis; quam etiam facultatem conceſſit idem Iulius Congregationi Mileuitanæ referente Compendio priuilegiorum illius Congregationis *priuileg. 13. fol. 10.* & Eugenius IV. Congregationi Sanctæ Iuſtinæ, vt habetur in *Compend. priuileg. Montis Oliueti priuil. 50. & 51.* & à Leone X. Camaldulenſibus eamdem etiam facultatem factam notat Marcellinus à Sancto Benedicto *in Compendio priuilegiorum Fulienſ. verb. Abbas n. 2.* & denique Clemens VIII. priuilegia Camaldulenſium confirmando declarauit, & de nouo conceſſit eorumdem Abbatibus, etiam non benedictis, & Prioribus ſimiliter, quod poſſint Ordines Minores conferre ſuis ſubditis Regularibus, ſub Data die 3. Auguſti 1594. ſic Archan. Roman. *de priuileg. verb. Abbas.*

4. Et denique id etiam declarauit Sacra Congregatio Tridentini referente Barboſa *in Collectan. verb. Ordo*, die 16. Februarij 1610. affirmatque de iure id poſſe, licèt non ſint benedicti, ſed tantum triennales: ſic etiam tenet Tamburinus *de iure Abbat. qu. 3.* & idem reſolutum fuiſſe 1619. refert. Archang. Roman. *de priuileg. verb. Ordines.* Et quamuis ferè hæ omnes conceſſiones non loquantur niſi de ſubditis, attamen à Doctoribus extenduntur ad non ſubditos cum circumſtantiis in præcedentibus appoſitis; ratio eſt, quoniam ſi Prælati huiuſmodi priuilegiis, prærogatiuis, &c. ſicut benedicti gaudent, & benedicti hoc iure potiantur, ſine dubio hic etiam illo gaudebunt. Ita Brunus.

Quæ hic eſt Reſ. antecedens, & in aliis eius primæ not.

5. Sed hanc ſententiam ego *in part. 7. tract. 11. reſol. 42.* reprobaui ex Deciſione Sacræ Congregationis facto verbo cum Sanctiſſimo, vnde corruunt ea quæ aſſerit Machadus *tom. 2. lib. 5. part. 3. tract. 1. docum. 2. num. 2.* & alij. Et ita præter Doctores à me citatos tenet Caſtrus Palaus *tom. 4. tract. 23. punct. 14. n. 4.* Dico itaque, Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 10. de reformat.* hanc reſtrinxiſſe poteſtatem, ne Abbates, & alij exempti exiſtentes intra fines alicuius Diœceſis, & idem eſt etiamſi extrà exiſterent, quibuſque aliàs à iure competebat Ordines minores conferre; ne, inquam, primam Tonſuram, Ordineſque Minores conferant aliis, quam Regularibus ſibi ſubditis.

Sup. hoc infra in Reſol. 84. §. Quia & in Reſ. 85. §. Secundo, quod Abbates. & in to. 5. tr. 3. ex doctrina Reſ. 27. §. vlt.

6. Sed difficultas eſt, an Regularibus Nouitiis ſibi ſubditis poſſint Ordines conferre? Affirmare videtur Layman *lib. 5. ſum. tract. 9. cap. 9. num. 2.* eo quod iure antiquo *in cap. Abbates de priuileg. in 6.* prædictis Abbatibus conceſſa fuerit hæc facultas, ibi: Nec eis licitum ſit aliis, quam Monaſteriorum ſuorum Conuerſis, & qui ad illa conuolauerint, ſcilicet vt ibi conuertantur, & fiant Monachi (vt inquit Gloſſa) & in quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonſuram. Quæ tamen facultas per Tridentinum non videtur reſtricta, cum ſolum reſtrinxerit facultatem ordinandi ſæculares, & regulares non ſubditos: at Nouitij ſub nomine Regulari præcipuè in decreto fauorabili veniunt, & aliunde ſubduntur Ordinanti. Ergo.

7. Cæterum verius cenſeo, nequaquam poſſe prædictos Abbates Nouitiis Regularibus Ordines conferre: quia Nouitius, eſto Regularis cenſendus ſit, vt priuilegiis Regularium gaudeat, non tamen Abbati ſubiicitur pleno iure, ſed ſolum quatenus ad probationem Religionis fuerit neceſſarium, vti benè notauit Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 10. in fine*, ad probationem autem Religionis neceſſaria non eſt ſubiectio pro Ordinibus ſuſcipiendis, vt de ſe conſtat: Ergo Regularis Nouitius quoad Ordinum ſuſceptionem Abbati ſubditus non eſt. At Tridentinum ſolum concedit Abbatibus, vt Regularibus ſibi ſubditis Ordines conferant. Non igitur poſſunt Nouitiis conferre. Atque ita tradunt ex quadam Conſtitutione Pij V. Nauarr. *cap. 27. num. 158.* Rodriquez *tom. 3. qq. regular. quæſt. 23. art. 2. in fine.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. quæſt. 38. art. 9. concluſ. 2. in fine.* Henriquez *lib. 10. cap. 23. n. 3. in commen. lit. G.* Lapus *in cap. cum nullus num. 3. de temporib. ordinat. in 6.* & ibi Ancharan. *num. 3.* & alij.

RESOL. LXXXII.

An Abbates benedicti poſſint conferre Diaconatum, & Subdiaconatum ſuis ſubditis?
Et quid ergà non ſubditos?
Et an vbi Concilium Tridentinum non eſt receptum, nulla ſit ſuper hoc difficultas?
Et an Abbates communicantes poſſint illa facultate vti? Ex part. 11. tr. 2. & Miſc. 2. Reſ. 40.

§. 1. AD hoc dubium ſic reſpondet Brunus *part. 2. tract. 7. capit. 3. propoſ. 5.* Videtur ſatis probabile, quod Abbates benedicti, qui participant in omnibus priuilegiis cum Abbate Ciſtercienſi, & quatuor Abbatibus principalibus eiuſdem ordinis, poſſint conferre Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines iis, quibus poſſunt Tonſuram, & Minores conferre.

2. Quod Abbas Ciſtercienſis, & quatuor primi Abbates illius Ordinis ſint hoc priuilegio decorati, oſtendit vſus, & conceſſio Innocentij VIII. Balla, quæ incipit, *Expoſcit tuæ deuotionis*, in qua hæc verba ad dictos Abbates directa habentur; At ne Monachi dicti Ordinis pro ſuſcipiendis Diaconatus, & Subdiaconatus Ordinibus, extrà Clauſtrum hinc inde diſcurrere cogantur, & ſucceſſoribus tuis, vt quibuſcunque dicti Ordinis Monachis, aliis verò quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum ſucceſſoribus, vt ſuorum Monaſteriorum prædictorum Religioſis, ſeu quos ad idoneos repereritis, Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines huiuſmodi, alias ritè conferre liberè, & licitè poſſitis: auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia tenore præſentium de ſpeciali dono gratiæ indulgemus; Quibus conſtat hanc facultatem expreſsè illis impartiri.

3. Obiicies, Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 10.* dictis Abbatibus ſolùm dat facultatem conferendi Tonſuram, & quatuor Minores; *& cap. 12.* vlt vt Epiſcopus examinet Regulares præſentatos ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, ab probandum ſi digni ſint, cum clauſula reuocatoria priuilegiorum Regularium.

tium. Respondetur, quod in locis, in quibus Tridentinum non est receptum nulla est super hoc difficultas, vt de Gallia affirmat Tamburinus *t.2. de iure Abbat. disput.2. quæst.5.* vbi approbat vsum illius priuilegij in dictis Abbatibus ex eo, quod illorum Abbatiæ in Gallia sunt sitæ, licet existimet hoc priuilegium per Tridentinum esse reuocatum. Vbi verò Tridentinum viget, dubium oritur si clausula illius Concilij reuocet hoc priuilegium: Probauimus autem in primo tractatu, hanc clausulam non sufficere, quod etiam in hac speciali materia censet Nauarr. *Concil.13. de priuileg.* cùm asserit, illam clausulam non esse ita expressam, quin illius coniecturæ dissolui possint. Ac proinde cum sit dubium de reuocatione illius priuilegij, stat priuilegium in suo robore, vt alibi diximus, & probauimus dicto tractatu. Denique post Tridentinum illud priuilegium fuit confirmatum, vt inferiùs dicetur, quod videtur omne dubium prorsus tollere; ac propterea asserendum posse dictos Abbates illo vti, non solum erga Regulares, & sæculares subditos; sed etiam erga non subditos, sicut de Minoribus Ordinibus superius ostendimus; cùm sit in vtrisque par ratio.

Sup. hoc latè in tom.3. tr.1. Resol.80. §. sed an dicta, & seqq.

4. Quibus sic stantibus insuper probatur propositio; quoniam, vt alibi probauimus, priuilegia communicantium cum illo Ordine confirmata sunt, ergo sunt in suo firmo robore; ergo Abbates communicantes possunt illa facultate vti; Ac sic tenet Ioannes de la Cruz *de Statu Relig. cap.8. dub.1 concluſ.1. ſub finem*; & alij, qui (vt videbimus infra) sustinent in reliquis prædictæ Bullæ, *Exposcit*, participare; cur enim potius in vno, quam in alio participent? Non potest assignari ratio sufficiens. Imo cum sit eadem ratio in his, ac in illis, debent in omnibus priuilegiis participare, & non ab huius communicatione excludi. Ne dicas hoc priuilegium concessum fuisse ob specialem notam Abbatum, aut Abbatiarum huiusmodi, quæ non reperitur in cæteris; nam respondetur illam notam eisdem reperiri, vt videre est in motiuo, quo Innocentius ad illud concedendum impulsus fuit, quod constat partim ex verbis priuilegij superius insertis, partim ex iis, quæ in principio Bullæ, in qua emanauit, continẽtur, quæ talia sunt, *Exposcit tuæ deuotionis sinceritas, & Religionis promeretur honestas, vt tam te, &c.* Et quãuis hæc nota in illis nõ inueniretur, valeret pro eisdem Abbatibus; cum æquè principaliter in hoc priuilegio, sicut in aliis communicent. Verùm cum vsus illius facultatis nõ vigeat in proximè dictis Abbatibus, nõ audeo hoc priuilegium illis absolutè concedere; licet non habeam pro contraria sententia rationem, qua ei assentiri cogar; quo circa meum iudicium doctiorum iudicio submitto. Hæc omnia Brunus.

5. Sed Pater Brunus multum faceret si sustineret priuilegia Cistercien sibus concessa, nam vt obseruat Castrus Palaus *tom.4. tract.27. punct.14. numero 10.* quidquid sit de potestate an Cistercien sibus concessa sit; illud est certum, ea modo vti non posse, vt bene notarunt Nauarr. *lib.3. consil.14. de Regular. edit.2.* Vasquez *disputat. 243. capit. 4. numero. 24.* Layman *tract.9. capit.7. numero 4.* Censetur namque vsu, & consuetudine abrogata: idque indicauit Tridentinum nullam illius potestatis mentionem faciens, & solùm permittens prædictis Abbatibus, aliàs potestatem habentibus, tonsuram, & ordines Minores conferre, non omnibus, sed solùm Regularibus sibi subditis. Verum licet daremus priuilegia Cistercien sibus adhuc durare, vt aliqui asserunt, negandum est aliis Abbatibus communicari.

RESOL. LXXXIII.

An Abbates possint Clericis sæcularibus sibi subditis literas dimissorias concedere?

Et quid, si huiusmodi Prælatus esset Ordinarius priuatiue ad Episcopum, & habeat ius visitandi, & Synodum congregandi? Ex part.3. tr.2. Res 95.

§.1. NEgatiuè respondet Tamburinus *de iure Abbat. tom.2. disp.2. q.26. n.1.* Miranda *in manuali Prælat. tom.1. quæst.39. art.5.* & Azor. *tom.2. l.3. c.49. q.3.* ex auctoritate Concilij Trident. *sess.23. cap.10. de reform.*

Quoad hoc lege supra doctrinam §. vlt. Res. 7. quamuis ibi pro Abbatibus Regularibus.

2. His tamen non obstantibus, contrariam sententiam tenet doctus Villalobos *in sum. tom.1. tra.11. diffic.9. num.4.* vbi sic ait. [Aduertase que los Prælados que tienen iurisdicion casi Episcopal, como es el de Merida, y otros semeiantes, pueden dar à sus subditos, aunque sean seglares, dimissorias para ordenarse. La razon es, porque como à estos, ningun Obispo las puede dar, porque no son sus subditos, es fuerza dezir se las han de dar sus Priores, como dan licencia para confessarse y approuan los Confessores, y assi el Concilio Tridentino, no habla con estos, como su echa de ver de su tenor.] Ita ille, quem nouissimè sequitur adducens alias rationes Hieronymus Rodriguez *in compen. qq. Reg. resolut.1. num.26.* vide etiam Ledesmam *in sum. tom.1. de sacram. Pœnit. cap.9. post 2. conc.1.*

3. Nota etiam, quòd Tamburinus, & alij Doctores primæ sententiæ illam etiam limitant, nisi huiusmodi Prælatus esset ordinarius priuatiuè ad Episcopũ, ac haberet ius visitandi, & Synodũ cogregandi, contra quẽ nõ intrare dispositionem Concilij Tridẽtini defendit Gratian. *in discept. forens. tom.2. c.112.* quẽ refert Cãpanili *in diuers. iur. can. rub.9. c.8. n.4.* & Barbosa *de offic. Epis. p.2. alleg.7. n.8.*

RESOL. LXXXIV.

An priuilegium concessum Regularibus, vt possint initiari sacris Ordinibus extra tempora, extendatur etiam ad Nouitios?

Et cursim docetur posse Superiorẽ concedere dimissorias supradictis Nouitiis, & ordinari ab Abbatibus, qui possunt subditos professos ordinare?

Et asseritur ex declaratione Clem. VIII. facta Monachis Fulien sibus, quod Nouitij ligantur reseruatione casuum?

Et difficultas est, an priuilegium concessum Societati Iesu, vt possint ordinari extra tempora, &c. extendatur ad alias religiones per communicationem priuilegiorum?

Et an quando quis ordinatur virtute dicti priuilegij, vel aliorum in tribus diebus festinis, possit ordinari in festis duplicibus? Ex part. 11. tr. 4. & Misc. 4. Res. 6.

§.1. DE hoc casu Panormi interrogatus Pater Ioseph de Augustino inclitus Societatis Iesv Theologus negatiuè respondit, sed tunc ego in sententiam affirmatiuam inclinaui, nulla authoritate Doctorum fretus, nunc autem inuenio hanc sententiam docere Patrem Thomam Hurtado *var.t.2. tr.12. cap.1. res.13. num.1854.*

2. Quia, ait ille, nomine subditorum in fuora bilibus sunt Nouitij, qui priuilegiis professorum gaudent, ad quod probandum, me citato, alios etiam

Sup. hoc quoad casus reseruatos in tom. 7. tr. 1. Resol. 107. per totam, & in aliis §§. eius annot.

adducit ; Deindè asserit ex declaratione Clementis VIII. facta Monachis Fulien sibus, Nouitij ligantur reseruatione casuum, vt tenent præter ibi citatos Salas 1.2. *disp.* 14. *sect.* 5. *in fine*, Peregrinus *in additionibus ad const. Theatinorum part.* 3. *qu.* 8. & satis probabile dicit Marchinus *vbi supr. part.* 6. *cap.* 4. *n.* 12. ergo multò melius gaudebunt priuilegiis ordinandi se tribus diebus festiuis: quare sicut est tutum in praxi, quod Nouitiis potest superior concedere dimissorias ; ita est tutum in praxi, quod titulo beneficij, si quod habent, possit concedere, quod ordinentur tribus diebus festiuis ; sic enim cogentur mendicare, quæ fuit ratio motiua Pij V. vnde tutissimè, & sapientissimè P. Suarez *t.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 12. de Abbatibus, qui possunt subditos professos minoribus initiare, quod possint etiam Nouitios. Vt latè ibi probat, nec est inconueniens, quod Nouitius si mutet voluntatem ad sæculum redeat cum charactere Ordinum Minorum, quia ipsemet Nouitius voluit ordinari. Quare minus graui fundamento Marchinus *p.* 2. *c.* 20. *n.* 13. dixit opinionem Suarez videri minus tutam, & rationabilem.

Sup. his dimissoriis in tom 5. tr. 3. ex doctrina Resol. 28. per totam, & latè in tom. 7. tr. 1. Resol. 129. & 130. & vt possint Abbates minoribus ordinibus initiare Nouitios supra in Resol. 81. latè in §. Sed difficultas, & seq. in aliis §§. eius annot.

3. Difficultas tamen existit, an dictum priuilegiũ concessum Societati extendatur ad alias Religiones per communicationem priuilegiorum, & negatiuè aliqui respondent, & ideò forsitan Pater Ioseph de Augustino ad casum propositum negatiuè respondit.

A libi inf a in Resol. 86. 87. 88. & in Resol 94. § vltim. & in to. 7. tr. 1 Resol. 259. §. 1. in quibus aliquid reperies pro hac quæst.

4. Sed ego non recedo à sententia, quam alibi docui, nempè hoc priuilegium hodie extendi ad alias Religiones, & præsertim ad nostram, quæ ex Bulla particulari gaudet omnibus Priuilegiis Societati Iesu concessis.

5. Et ideò hanc sententiam firmiter docet Ioannes de Soria *in Epilogo summarum p.* 2. *tr.* 1. *sect.* 1. *disp.* 9. §. *circa interstitia*, Hurtad. *vbi supr. n.* 1848. qui addit, quod tali priuilegio sine scrupulo possunt se confirmare Domini Episcopi.

6. Nec obstat clausula apposita in priuilegio Gregorij XIII. in qua se fundant Auctores Societatis Vasquez & alij ; nam ad illam respondet Magister Donatus *in praxi Regularium t.* 1. *tr.* 7. *q.* 8. *fol.* 80. & posteà *n.* 17. sic ait, ac proinde per priuilegia dictæ Societati concessa; cæteri Regulares ad ordines possunt promoueri absque interstitiis, & extra tempora, & sine examine de cantu & hoc ob amplissimam confirmationem, & extensionem, & innouationem Priuilegiorum factam per subsequentes, & antecedentes Romanos Pontifices, quibus charitatiuè placuit gratias, & priuilegia Societatis præfatæ ad alios regulares extendere, illisque non solum in genere; sed etiam in specie, & nominatim, & de nouo sine aliqua limitatione concedere.

7. Quapropter isthæc prohibitio in fine constitutionis Gregor. XIII. apposita non potest impedire, quominus generalis, & absoluta communicatio Priuilegiorum Societatis Iesu, vel aliarum Religionum facta alteri Religioni, has etiam gratias comprehendat.

8. Tum quia Generalis communicatio cum qualitate, & clausula, *quorum tenores*, *&c.* omnia complectitur, quia hæc clausula, vt diximus *in tract. de clausulis claus.* 21. habet vim specialis, & indiuiduæ derogationis, & expressionis cum omnibus suis qualitatibus, & tollit derogatorias derogatoriarum, quod est derogare omnibus iuribus, & constitutionibus derogantibus, & derogaturis priuilegio, in quo est apposita, & derogat omni clausulæ resistenti : ergo.

9. Tum etiam ex quo Romani Pontifices in ampla, & absoluta priuilegiorum communicatione, excipiunt vnum, scilicet quatenus Sac. Conc. Trid. Decretis, nec non Regularibus dicti ordinis institutis non aduersentur, censentur omnia alia concedere, quia exceptio firmat Regulam in contrarium, vt supra diximus.

10. Tum item, quia in huiusmodi priuilegiorum communicatione, veniunt priuilegia Cisterciensium, & Cruciferorum, quibus in specie Gregor. XIV. anno Domini 1591. fuerunt concessa prædictæ Societatis priuilegia, vt pater in eius Bulla, quæ incipit. *Illius, qui pro Gregis*, & refert Hieronymus à Sorbo *in addit. ad Comp. Mend. verb. communicatio.*

11. Quibus adde, quod à concessione generali qualificata non est recedendum, nisi vbi aliter constat de voluntate concedentis; cùm præcisè ipsum beneficio Principis sine præiudicio alicuius tertij quod beneficium de iure latè interpretandum sit. Hæc omnia Donatus *vbi supra.*

12. Qui etiam *q.* 9. probat, quod non sit necessaria licentia Patris Generalis, vel Prouincialis, ad hoc vt cæteri subditi Mendicantes actualiter gaudeant, aut vti possint priuilegiis Societatis Iesu. Quia Gregorius XIV. absolutè, & independenter concessit Cistercienfibus priuilegia omnium Ordinum, & Cruciferis, in specie omnia priuilegia Societatis Iesu absque vlla limitatione, & restrictione, quod etiam nobis fecit Clemens VIII. anno 1[illegible] Vrban. VIII. concessit Religioni Scholarum Piarum sine restitutione, & deducta omni dependentia, vt est videre *in sua constit.* 15. *in* 4. *tom. Laert. Cherub.* non indigemus Prælatorum facultate pro Priuilegiorum vsu ; vbi enim lex non limitat, nec distinguit, nec nos limitare, aut distinguere debemus, & ita pro hac sententia Donatus plures Doctores, me etiam citato, adducit.

13. Claudam itaque hanc resolutionem cum verbis Martini de San Ioseph *in man. confes. t.* 1. *l.* 1. *tr.* 5. *de ordin. num.* 13. sic asserentis [Algunos Autores afirman, que despues del Concilio Tridentino no pueden los Religiosos ordenar se fuera de los tiempos enque por Derecho pueden los Obispos celebrar ordenes generales. Vasquez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 246. *cap.* 5. *num.* 50. Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 8. Hurtadus *disp.* 23. *& alij.* Porque dizen que el Concilio Tridentino no abrogò los priuilegios que auia en contrario : y que el que despues concedio Gregorio XIII. à los Padres de la Compania, es incommunicable à las demas Religiones por auerlo assi ordenado el mismo Pontifice. Para mi es cosa cierta que oy pueden todos los Religiosos, que tienen Communicacion de los priuilegios de las demas Religiones, ser ordenados en qualquier tiempo de todas ordenes en tres dias de Domingo, ò de fiesta continuos, ò interpolados. La razon es, porque lo concedio assi Clemente VIII. à los Padres de la Congregacion de S. Iuan Baptista de Portugal en priuilegio dado à 23. de Nouiembre de 1596. y por communicacion gozan deste priuilegio las demas Religiones, que la tienen por autoridad Apostolica de mas de que el mismo priuilegio concedieron Alexand. VI. y Eugen. IV. à los Monies Geronimos, y Benitos. Villalob. *tract. at.* 11. *diff.* 13. *num.* 6. donde de la razon, porque no estan reuocados estos priuilegios por el Concilio Tridentino, y cita à Fr. Manuel Rodriguez, y el priuilegio de Gregorio XIII. concedido à los de la Compania, se communica à nuestra Religion de los Menores, y à otras muchas que tiene Communicacion posteriores al de Gregorio XIII. que hizo incommunicable.] Hæc ita Martinus.

24. Cui adde Magistrum Hinojosa Dominicanum

num *in Directorio dec.reg. verb. confirmatio fol.* 128. vbi sic ait, Indubiè habendum est, non omnia Priuilegia ordinum Mendicantium fuisse reuocata per Concilium Tridentinum, etiam in decretis, in quibus statuitur contrarium ipsis priuilegiis: Itaque non omnia Decreta Concilij, etiam ea, quæ sunt contraria nostris priuilegiis, seruanda sunt cum derogatione ipsorum, sed solùm illa cum reuocatione priuilegiorum intelliguntur obseruanda, in quibus statuitur aliquod contrarium priuilegiis obseruandum, non obstantibus priuilegiis.

15. Probatur, quia licèt prima lex, & constitutio tollatur per secundam legem contrariam, licet non fiat mentio de prima: lex verò priuata, hoc est rescriptum, vel priuilegium, non tollitur per sequentem legem, vel constitutionem, nisi fiat mentio de ea, vnde secundum Hostiensem, nec ius commune sufficit tollere priuilegium, nisi faciat de eo mentionem, etiamsi tale priuilegium non sit concessum cum clausula quòd non reuocetur, nisi fiat mentio de eo de verbo ad verbum, sed simpliciter; cum ergo in multis Concil. Trident. capitulis quamplura decernantur absque reuocatione priuilegiorum, quamuis contraria quidem ipsis priuilegiis, nihil per huiusmodi amisere roboris nostra priuilegia, sicut omninò amisere per decreta, quæ præscribunt aliquid obseruari, non obstantibus priuilegiis; ac inter priuilegia ab huiusmodi decretis illæsa, illud vnum est, quòd possint Mendicantes extra tempora ad Ordines promoueri. Ita Hinioiosa.

Sup. hoc infra in Resol. 88. §. Neque. prope finem. vers. Affirmantque. & in Resol. 98. §. Sed his, ad medium, à vers. Rogabis. Sed lege eam per totam, & aliâ Resolutionis primæ annot.

16. Sed an quando quis ordinatur in tribus diebus festiuis, possit ordinari in festis duplicibus. Prima opinio negat. Secunda opinio affirmat, quam præter Doctores à me alibi citatos tenet etiã Angelus Passentius *in recoll. q. mor. verb. ord. n.* 34 & Ioannes de Soria *in Epilog sum. p. 2. tr. 1. sect. 1. disp. 9 §. circa tempora*, asserentes, quòd quando ordines permittantur conferri diebus festis, intelliguntur quælibet festa duplicia in Ecclesia, etiamsi nõ sint in Populo. Tertia opinio distinguit de festo duplici ordinario, & de duplici maiori; In primo casu negat posse ordines conferri, concedit tamen in secundo casu.

17. Et ita tenet Pater Thomas Hurtadus *vbi supra var. tom. 2. tr. 12. cap. 1. res. 33. num.* 1852. qui etiam addit posse dictos Ordines ministrari in diebus festiuis, quæ Vrbanus VIII. in sua Bulla abstulit ab operum seruilium cessatione; Omnes istæ duæ opiniones sunt probabiles, sed primam existimo probabiliorem, communiorem, & ab Episcopis sequẽdam.

RESOL. LXXXV.

Resoluuntur plures opiniones circa Regulares in ordine ad susceptionem Ordinum? Ex part. 11. tract. 2. & Misc. 2. Res. 17.

Sup. hoc in tom. 7. tr. 1. Res. 128. lege eam per totam.

§. 1. IDem Pater Bruno, *vbi supra de priuileg. Regular. part. 2. tr. 7. cap. 1. propos. 2.* asserit, quod Prælati Regulares possunt concedere suis subditis Regularibus literas dimissorias ad Ordines ab Episcopo loci, & etiam à quolibet alio suscipiendos, absque dimissoriis Episcopi illius loci.

2. Nec obstat decretum Sacræ Congregationis sub Clemente VIII. die 15. Martij 1596. de ipsius mandato editum, relatum à Miranda *in Man. tom. 1. quæst. 38. artic. 2.* quod præscribit quasdam conditiones apponendas in dictis dimissoriis, quoniam non est certum quod mandante Clem. emanauerit, quod satis manifestè probatur ex eo, quod idem Clemens Bulla, quæ incipit, *Ratio pastoralis*, sub data 2. Decembris 1595. ex certa scientia Mendicantium priuilegia confirmauit. Qui autem fieri potest, vt tam citò mentem Pontifex mutarit? Certè hoc non est credibile. Sed estò, quod illud decretum emanasset, non valeret tamen aduersus illud priuilegium authẽticum, cum, vt alibi probauimus, decreta Cardinalium non præualeant Bullis. Secundò, quia idẽ Clemens die 2. Augusti eiusdem anni, Congregationi Sancti Benedicti Vallisoleti concessit, vt cum litteris dimissoriis suorum Prælatorum possent à quibuscunque locorum Ordinariis ad omnes etiam Præsbyteratus ordines promoueri absque Diœcesani licentia, seu commendatitiis litteris, vt habetur *in Compend. priuileg. Fulien. verbo, Ordines §.* 3. de quo supra, denique ab illo tempore Regularium Mendicantium priuilegia fuerunt confirmata pluribus Pontificum Bullis, & præcipuè per Paulum V. die 11. Octobris 1612. in qua declarat manere in suo robore omnia priuilegia quomodolibet à prædecessoribus, etiam per viam communicationis concessa. Quod similiter fecit Vrbanus VIII. Bulla alias adducta, quæ incipit, *In plenitudinem.*

Sup. hoc supra in Resol. 75. §. vlt. in principio, & in tom. 5. tr. 3. Res. 45. in fine, vers. nec tunc examinandos esse, & in Resol. not. præteritæ, §. Congregatio, in fine, vers. examinentur quoad doctrinam.

3. Deinde *cap.* 2. asserit Secundò. Quod Regulares ab Episcopo ordinante, examen de capacitate pati non tenentur, sed sufficit examen Prælatorum Regularium, & hoc ex concessione Alexandri IV. *his verbis*; Vt liceat vobis ordinandi Fratres eiusdem Ordinis, quibuscunque malueritis Catholicis Pontificibus communionem, & gratiam prædictæ Sedis habentibus præsentare, ipsisque Pontificibus præsentatos à vobis Fratres sine aliqua examinatione per eosdem Pontifices faciendam, & absque omni promissione, & obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum ad Ordines promouere, vobis, & ordini vestro auctoritate præsentium indulgemus.

4. Nec obstat Concilium Tridentinum *cap.* 12. *session.* 23. in qua habetur; Regulares quoque nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, priuilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis. Respondetur primò, Tridentino posterius esse priuilegium Societati Iesu, ac etiam aliis Regularibus Mendicantibus concessum, cum clausula dicti Tridentini reuocatoria. Secundò, respondetur, hoc priuilegium esse eidem Tridentino conforme, *cap. 8. eiusdem sessionis*, in quo prohibetur titularibus Episcopis ne ordinent quempiam nisi prius habitis litteris testimonialibus proprij Ordinarij, rationemque reddit, quia plerunque fit, vt minus idonei, & ignari ordinentur sine sui Ordinarij licentia, quibus supponit examen debere fieri per proprium Ordinarium, ac proinde proprium superiorem, qui illorum ordinarius est, & ex consequenti illud sufficere, nec requiri aliud ab Episcopo faciendum: Quo circa Pius V. declarauit, Regulares non subiici decretis illius capitis de solis Episcopis, vt ordinariis intellectis, *his verbis*, illud Caput non habere locum in Regularibus omnino declarauimus. Quid clarius?

5. Asserit Tertiò, posse Regulares suscipere Ordines ante ætatem à Tridentino præscriptam, & hoc ex priuilegio Innocentij VIII. relato *in Compend. priuileg. Mend. verb. Ordines, &c. in Compend. Christoph. a cap. font. verb. dispensatio §.* 14. his verbis. Innoc. VIII. dispensauit cum toto Ordine Fratrum Minorum, quod postquam Fratres 23. annum attigerint (dum tamen sufficientes sint) possint promoueri ad Sacerdotium, & Missas celebrare, &c. non obstante iure, cæterisque in contrarium facientibus; imò idemmet Innocentius, vt refertur *eodem verb. §.* 15. concessit posteà, quod Generales, & Prouinciales possint dispensare cum Fratribus suis in 22. anno completo quoad sacerdotium suscipiendum,

Quoad hoc lege infra doctrinam Resol. 91; & signanter sup. hoc in to. 7. tr. 1. Res. 126. §. 1. prope finem, à vers. Sed an stante, & in alio §. eius annot.

cipiendum, nec dum taxat in completo 22. anno, sed etiam inchoato. Ex priuilegio Conuentui Domus Carthusiæ sanctæ Trinitatis propè Ditionem Lingonensis anno. 1391. die verò 19. Aprilis à Ioanne XXII. concesso, cuius originale asseruatur in dicta domo, & habetur *in Compend. Priuileg. dicti Ordinis fol.* 13. his verbis. Vt omnes monachi, & clerici redditi dictæ domus vestræ, qui nunc sunt, & erunt pro tempore, 22. eorum ætatis annum attingentes, possint ad præsbyteratus ordinem promoueri, in ipsoque licitè ministrare defectu dictæ ætatis, ac statutis, & constitutionibus ipsius ordinis, & aliis in contrarium non obstantibus quibuscunque; voluitque idem Pontifex huiusmodi gratiam in suo robore perpetuo remanere. Atque hoc priuilegium expresè concessum est Fratribus Minimis per Iulium II. cum reuocatione iuris communis, Bulla, quæ incipit, *Dudum ad sacrum Ordinem Minorum*; his verbis; At quod Fratres Ordinis Minorum huiusmodi in 22. suæ ætatis anno tunc & pro tempore constituti ad Presbyteratus ordinem, aliàs tamen rite se promoueri facere libere possent. Ex quibus manifestè patet Fratres Minores, qui etiam (in hoc vltimo priuilegio communicant) & consequenter alios, habere facultatem dispensandi super ætate constituta à iure ad Ordines Presbyteratus, Subdiaconatus, & Diaconatus suscipiendos. Confirmatur, quoniam ante Tridentinum Prælati poterant cum suis subditis dispensare, & facere vt assumerent Subdiaconatũ in 18. Diaconatũ in 20 Presbyteratum in 22. completo, ac etiam in 22. inchoato; Ergo etiã nunc illa facultate vti possunt, cum illud priuilegium sit validum etiam post Tridentinum, vbi illud receptũ est. Ac sic tenet Emanuel Sa *verb. Reg. num.* 56. Christoph. *a cap. sont. proximè citatus*. Ac eidem sententiæ, vt aduertit Portel. *verb. Priuilegy cessatio num.* 64. subscribere debent Roder. Henriquez Sorbus, & alij, qui vt alibi notauimus existimant priuilegia Regularium expresse à Tridentino reuocata, valere in foro conscientiæ.

Sup. hoc infra in Resol. 86. 87. 88. & 94. §. vlt. & supra in Resol. præterita à §. difficultas. & signanter pro priuilegio contento in hoc § in Resol. 3. huius annot.

6. Asserit quartò, Quod possunt Regulares in vna, & eadem die siue temporibus à Iure statutis, siue extra illa Sacros Ordines maiores à quocumque Episcopo recipere. Et priuilegio Alexandri: vt habetur *in Compen. Priuileg. Mendic. verb. Ordinis*. §. 11. Concessit quod Prior Generalis Ordinis sancti Hieronymi, & singuli Priores eiusdem Ordinis præsentes, & futuri, possunt eligere quemcumque Episcopum Catholicum communionem Sedis Apostolicæ habentem, qui personas singulorum monasteriorum huiusmodi idoneas, ad omnes, etiam sacros, & Præsbyteratus Ordines, etiam extra tempora à Iure statuta, tribus diebus Dominicis, siue festiuis duplicibus succesiue promouere poterit, Diœcesanorum licentia super hoc prius requisita.

Sup. doctrina contenta in hoc §. lege infra §. 1. Resol. 88. & vide etiam eam per totam, & signanter in prædicto §. 1. ante medium. à vers. Item Eugenius. & supra vide §. vlt. Resol. 18. Signanter in fine.

7. Asserit quintò, quod Regulares à quolibet Episcopo in propria, & aliena Diœcesi, & in suis propriis domibus Ordines recipere possunt sine licentia Episcopi Diœcesani, ac etiam ipso contradicente, & sine obligatione aliqua ordinando imponenda. Quod probatur ex declaratione Pij V. in Bulla, *Et si mendicantium*, in quia sic habetur. Ita quod fratres huiusmodi, præfatos etiam sacros Ordines à quolibet Antistite gratiam, &c. Ordinarij loci licentia minime requisita in locis, seu domibus fratrum huiusmodi, aut alibi recipere possint, Quid clarius? Nec obstat huic veritati Bulla Leonis X. in Concil. Lateran. edita, quæ hoc Episcopis alienæ Diœcesis prohibet; quoniam vt superius diximus, hæc Bulla reuocata est, ac eam etiam reuocat proxime dictus Pius, vt tenet cum multis aliis Ioannes de la Cruz *de Statu Relig. lib. 2. capite 3. dubitat. 5.* & hæc omnia docet Chassaing vbi supra.

8. Sed ego illa minimè admitto in variis locis meorum operum, & praxis Romanæ Curiæ ei contrarium, & consuetudo omnium Episcoporum, stante Concilio Tridentino, & Decretis S. Congregationis. Vide Marchinum *de Sacram. Ordinis tract. 2. part. 5. cap. 2. num. 9. & 18.* firmantem Priuilegia Regularium, adducta à Patre Bruno fuisse, & esse reuocata per Concilium Tridentinum, nec constare de renouatione & confirmatione; & Pius V. Gregor. XIII. Sixtus V. & Clem. VIII. peculiari constitutione aduersus malè promotos præcipiunt obseruari Tridentinum quoad ætatem & alia non obstantibus quibuscumque ordinationibus, & constitutionibus Apostolicis, quibus verbis reuocantur omnia priuilegia Tridentino obsistentia.

9. Nota etiam hic obiter, dictum Patrem Ioannum *loco citato cap. 3. propositi. 1. cum seqq.* docere, imò quod Abbates Benedictini possunt tonsuram & quatuor Minores suis Monachis conferre.

10. Secundò, Quod Abbates Regulares prædicta facultate potiuntur in subditos nouitios, & sæculares, in quos iurisdictionem quasi Episcopalẽ habent, & in alios Regulares & Sæculares, sibi non subditos, dummodo Prælatorum eorũdem accedat consensus.

11. Tertiò, Quod Abbates non benedicti possunt similiter ac benedicti suis subditis Regularibus & Sæcularibus ac aliis etiam Sæcularibus, & Regularibus non subditis, Tonsuram, & quatuor Minores conferre.

12. In duplici genere sunt Abbates, non benedicti; alij enim sunt Abbates non benedicti, quibus benedictionem Episcopus recusauit, alij autem, quibus non recusauit, nec benedicendi sunt. Quod primum genus Abbatum, propositio probatur ex *cap. 1. de supp. neglig. Prælat.* in quo sic habetur, Episcopus ter cum humilitate, & deuotione, sicut conuenit requisitus Abbatem benedicere nolluerit, liceat Abbati proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad officium pertinent exercere: Sed ad illorum Officium spectat primam tonsuram, & quatuor Minores Ordines conferre; ergo illa omnia (licet recusata benedictione) possunt exerceri. Nec potest dubitari, quin Papa hoc priuilegium possit concedere; quoniam hæc benedictio non imprimit characterem, neque est ex Christi institutione, vt necessaria reputetur ad hanc concessionem; sicut ergo Papa potest simplici Sacerdoti, absque præuia benedictione, committere potestatem conferendi confirmationem, sic & facultatem illos Ordines conferendi, sicut de facto illam commisit. Ac sic tenent citati Hostien. & Armill. Aurea; qui addunt dictos Abbates non posse conferre illos Ordines in Monasteriis non alienis exemptis, quod ego crediderim si Episcopus illorum superior non consentiat, si autem consenserit, vel illos vocauerit, posse tunc temporis Ordines prædictos conferre; cum, vt supra probatum est, possit Episcopus subditis huiusmodi Ordines ministrare, nullique propterea fiat iniuria.

13. Quoad autem aliud genus Abbatum non benedictorum, neque benedicendorum, vt sunt Abbates triennales, non repetitur quidquam super hoc illis à iure communi concessum; sed tantum ex priuilegiis extra illud ius vagantibus. Et probatur propositio quoad illos ex cõcessione Eugenij Quarti 1437. facta Cistercienſi familiæ in Hispania, in qua vult, Vt Abbates triennales, licet eis munus benedictionis non impendatur, omnibus, & singulis honoribus, præeminentiis, priuilegiis, prærogatiuis, iuribus & insignibus Abbatialibus fungi possint. Et quamuis de hoc priuilegio, vtpote temporis

nimis

nimis generalibus concesso, dubitari posset; nihilominus Iulius II. *priuil.*19. *num.*7. omnem prorsus sustulit dubitationem, concedendo dictis Abbatibus Ordinis Cistercienſis illam potestatem *his verbis*; Nec non Nouitios, & alios quoscunque dicti Monasterij subditos, prout, poterant præfati perpetuo Abbates clericali charactere insigniendi. Vbi Suar. *proximè citatus num.*25. per Clericalem characterem intelligit quatuor minores vltra tonsuram, & ita Praxis habet etiam apud Fratres Congregat. Fulienſ. eiusdem Ordinis Cistercienſis, quam etiam facultatem concessit idem Iulius Congregationi Meleuitanæ referente Compendio priuilegiorum illius Congregationis, *priuil.*13. *fol.*10. Et Eugenius IV. Congregationi S. Iustinæ, vt habetur in Compend. priuil. Montis Oleti *priuil.* 50. *&* 51. & à Leone X. Camaldulenſibus eamdem etiam facultatem factam notat Marcell. à S. Bened. *in Compend. priuil. Fulienſ. verb. Abbas num.*2. Et denique Clemens VIII. priuilegia Camaldulenſium confirmando declarauit, & de nouo concessit eorumdem Abbatibus, etiam non benedictis, & Prioribus similiter quod possint Ordines Minores conferre suis subditis Regularibus. Sub data die 3. Augusti 1594. Sic Archan. Roman. *de priuileg. verb. Abbas.*

14. Et denique id etiam declarauit Sacra Congreg. Tridentini, referente Barbosa *in Collect. an. verb. Ordo.* die 16. Febr. 1610 affirmatque de iure id posse, licet non sint benedicti, sed tantum triennales. Sic etiam tenet Tamburin. *de iure Abbat. quæst.*3. Et idem resolutum fuisse 1619. refert Archan. Rom. *de priuil. lib. verb. Ordines* Et quamuis fere hæ omnes concessiones non loquantur, nisi de subditis, attamen à Doctoribus extenduntur ad non subditos cum circunstantiis in præcedentibus appositis; Ratio est, quoniam si Prælati huiusmodi priuilegiis, prærogatiuis, &c. sicut benedicti gaudent, & benedicti hoc iure potiantur, sine dubio hi etiam illo gaudebunt.

Sup. hoc in §. 1. Resol. not. seq. & in alio §. eius primæ annot.

15. Quarò, Quod videtur satis probabile, quod Abbates benedicti, qui participant in omnibus priuilegiis cum Abbate Cistercienſi, & quatuor Abbatibus principalibus eiusdem Ordinis, possunt conferre Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines, iis, quibus possunt Tonsuram, & Minores conferre.

Sup. contento in hoc. & duobus §§. seqq. ad literam supra in Resol. 82. à §. 2. & seqq.

16. Quod Abbas Cistercienſis, & quatuor primi Abbates illius Ordinis sint hoc priuilegio decorati, ostendit vsus, & concessio Innoc. VIII. Bulla, quæ incipit, Expoſcit tuæ deuotionis &c. in qua hæc verba ad dictos Abbates directa habentur; At ne Monachi dicti Ordinis pro suspiciendis Diaconatus, & Subdiaconatus Ordinibus extra Clauſtrum hinc inde discurrere cogantur, tibi, & sucessoribus tuis, vt quibuscumque dicti Ordinis Monachis, aliis verò quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum successoribus, vt suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines huiusmodi, aliàs ritè conferre liberè, & licitè possitis, auctoritate Apost. & ex certa scientia tenore præsentium de speciali dono gratiæ indulgemus. Quibus constat hanc facultatem expresè illis impartiri.

17. Obiicies. Trident *sess.*23. *cap.*10. dictis Abbatibus solum dat facultatē conferendi Tonsuram, & Quatuor Minores, *& cap.*12. vult vt Episcopus examinet Regulares præsentatos ad sacros Ordines susciendos ad probandum si digni sunt, cum clausula reuocatoria priuil. Regularium. Respondetur, quòd in locis, in quibus Trident. non est receptum nulla est super hoc difficultas, vt de Gallia affirmat Tambur. *tom.*2. *de iure Abbat. disp.*2. *quæst.*5. vbi approbat vsum illius priuilegij in dictis Abbatibus, ex eo quod illorum Abbatiæ in Gallia sunt sitæ, licet existiment hoc priuilegium per Tridentinum esse reuocatum. Vbi verò Tridentinum viget, dubium oritur si clausula illius Concilij reuocet hoc priuilegium: Probauimus autem in 1. *tract.* hanc clausulam non sufficere, quod etiam in hac speciali materia censet Nauarr. *conſ.*13. *de priuil.* cùm asserit: Illam clausulam non esse ita expressam, quin illius coniecturæ dissolui possint; ac proinde, cùm sit dubium de reuocatione illius priuilegij, stat priuilegium in suo robore, vt alibi diximus, & probauimus dicto tract. Denique post Trident. illud priuilegium fuit confirmatum, vt inferiùs dicetur, quod videtur omne dubium prorsus tollere, ac propterea asserendum posse dictos Abbates illo vti, non solùm erga Regulares, & sæculares subditos; sed etiam erga non subditos, sicut de Minoribus Ordinibus superius ostendimus, cùm sit in vtrisque par ratio.

18. Quibus sic stantibus, insuper probatur propositio; quoniam vt alibi probauimus, priuilegia communicantium cum illo ordines confirmata sunt; ergo sunt in suo firmo robore; ergo Abbates communicantes possunt illa facultate vti. Ac sic tenet Ioannes de la Cruz *de Statu Relig. cap* 8. *dub.*1. *concluſ.*1. *ſub finem*; & alij, qui, vt videbimus infra, sustinent in reliquis prædictæ Bullæ, *Expoſcit*, participare: Cur enim potius in vno, quàm in alio participent? Non potest assignari ratio sufficiens. Imò cùm sit eadem ratio in his, ac in illis, debent in omnibus priuilegiis participare, & non ab huius communicatione excludi. Nec dicas hoc priuilegium concessum fuisse ob specialem notam Abbatum, aut Abbatiarum huiusmodi, quæ non reperitur in cæteris; Nam respondetur illam notam in eisdem reperiri, vt videre est in motiuo, quo Innocentius ad illud concedendum impulsus fuit, quod constat partim ex verbis priuilegij superius insertis, partim ex iis, quæ in principio Bullæ in qua emanauit, continentur, talia sunt. Expoſcit tuæ deuotionis sinceritas, & Religionis prometur honestas, vt tam te, &c. Et quamuis hæc nota in illis non inueniretur, valeret pro eisdem Abbatibus, cum æquè principaliter in hoc priuilegio, sicut in aliis communicent: verum cùm vsus illius facultatis non vigeat in proximè dictis Abbatibus, non audeo hoc priuilegium illis absolutè concedere, licet non habeam pro contraria sententia rationem, qua ei assentiri cogar; quo circa meum iudicium doctiorum iudicio submitto. Hæc omnia P. Bruno vbi supra.

Sed aduersus supradicta extat Decretum Sacræ Congregationis Concilij auditis Regularibus, quod ego apposui per extensum *in part.*7. *tract.*11. *ref.*42. facto verbo cum Sanctissimo; Et ideò hodie nimis temerarium esset sententiam Bruni defendere.

Quæ hic est supra Resol. &c.

RESOL. LXXXVI.

An Regulares possint ordinari ab Episcopis extra tempora à iure statuta? Ex p.3. tract.2. Resol.31.

§.1. ALiqui respondent negatiuè, quia Gregor. XIII. qui concessit hoc priuilegium Patribus Societatis IESV, vetat expresè. vt aliæ Religiones possint in tali priuilegio participare, etiam si habeant participationem priuilegiorum dictæ Societatis. Et ita docet Perinus *in priuileg. Minimor. tom.*1. *conſtit.*12. *Sixti IV.* §. 11. *num,* 39. Suarez *de legibus, lib.*8. *cap.*17. *num.*8. Miranda *in manuali Prælat. tom.*1. *q.*38. *art.*4. Vasquez *in* 3. *part. to.*3. *disp.*246. *c.*5. *n.*50.

Pro omni contento in hoc Resol. supra in Resol. 84. latè à §. Difficultas. & in Resol. 85. §. Asserit quarto, & infra in duabus Resol. seqq. & in Resol. 94. §. vlt. & in tom. 7. tr. 1. Resol. 259. §. 1.

2. Sed

2. Sed contrariam sententiam probabilem esse existimo, & tutam in praxi; sicut aliqui Episcopi cũ nostris obseruarunt, & ideo illam docet Portel, qui etiam testatur de praxi *in dubiis Regul. ver. Ordines sacram. n. 4.* Villalobos *in summ. to. 1. tr. 11. difficul. 12. n. 8. & diffic. 13. n. 6.* Io. de la Cruz *de statu Relig. lib. 2. cap. 8. dub. 1.* Homobonus *de exam. Eccl. to. 1. tr. 2. c. 1. quæst. 3.* Moneta *de commut. vlt. volunt. cap. 10. num. 188.* Barbosa *de potest. Episcopi, part. 2. alleg. 17. n. 7.* Emanuel Rodriguez *in qq. Regul. to. 3. quæst. 23. art. 5. & tom. 1. quæst. 55. art. 17.* & hoc non solùm per priuilegium supradictum, concessum Societati, non obstante illa prohibitione: quia alij Pontifices successores Gregorij concesserunt priuilegia Societatis, nostræ Religioni, & aliis, sine vlla limitatione, vt tenent Doctores citati, sed etiam per priuilegium Clement. VIII. concessum die 23. Nouemb. 1596. Patribus Congregationis S. Ioannis Euangelistæ in Portugallia; quod testatur vidisse Portel in compendio illius Religionis, & per priuilegia Alexandri VI. Eugenij IV. concessa Religionibus D. Hieronymi, & Benedicti; quæ reuocata minimè esse tenet à Concilio Tridentino, & probat ex Rodriguez Vallalobos *loco citato*; & ideo, vt dixi, possunt Episcopi sine vllo scrupulo ordinare Regulares extra tempora. Vide etiã Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. cap. 8. num. 2.*

Sup hoc in Resol. 1. not. præteritæ à prædicto §. & signanter à § clausam. & infra in Resol. sequ. & in aliis §§. & versic. eius primæ not.

RESOL. LXXXVII.

An Ordines Regularium habentes priuilegium, vt possint ordinare Regulares extra tempora, possint eo vti, vbi Concilium Tridentinum receptum est?

Et an vero pertineat ad Episcopum, vel ad Superiores Regularium dispensare in interstitiis? Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Resol. 57.

Sup. hoc supra in Resol. 84. §. Claudam. & in fine Resol. 86. & infra ex Resol. 94. lege §. vlt. & Resol. & §§. eius not. & in to. 7. tr. 1. ex lata doctrina Resol. 255. §. vlt. ante medium, à versic. quale est priuilegiũ.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet doctus & amicissimus P. Magister Lezzana *in sum. quæst. Regul. cap. 14. num. 19.* vbi sic ait. Regulares non possunt modò post Concil. Trident. extra tempora ordinari. Ratio est, quia licèt de hoc varia fuerint priuilegia Religionibus concessa, vt patet *compend. priuileg. ver. Ordines sacri.* Concilium tamen Tridentinum *sess. 23. cap. 8.* id prohibet fieri, & consonant constitutiones Pij II. & Sixti V. & praxis Ecclesiæ, maximè, quia ipsum Concilium *sess. 25. cap. 22.* præcipit omnia & singula in suis decretis contenta obseruari à Regularibus, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, &c. Sic ille. In Tridentino autem sic decernitur. Hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta obseruari sancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium, &c. non obstantibus eorum omnium, ac singulorum priuilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis, &c.

2. Verùm probabilius est, quòd vti possint suo priuilegio, & quod generalis illa derogatio sit applicanda locis Concilij, in quibus derogatur priuilegiis Religiosorum, non verò se extendat ad omnia decreta, quæ etiam sine derogatione priuilegiorum sint edita. hoc sensu sancta Synodus vult omnia supradicta decreta seruari etiam cum derogatione priuilegiorum, quando ea in aliquo decreto est apposita, quasi illa generalis derogatio sit apposita ad maiorem inculcationem particularium, non verò respiciat ea decreta, in quibus non fuit derogatum priuilegiis. Et ita docet Ioan. Præpositus *in 3. part quæs. vnic. de sacram. Ordinis, dub. 15. num. 156.* & ideo *in compend. nostrorum priuileg. verb. Dispensatio. §. 11.* sic habetur. Cum licentia & dispensatione admodũ R. P. Generalis possunt Nostri suscipere Ordines etiam sacros, & etiã Presbyteratus extra tẽpora à iure statuta, tribus tamen diebus Dominicis, vel aliis festiuis vtcumque continuis à quocumque Antistite, non obstante Concil. Trid. decreto, Gregor XIII. Societat. laus, quod incipit, *Pium, & vtile*, &c. sub die 12. Septembr. 1582. Pontificatus sui anno 11. quódque refert Emanuel Rodriguez *in sua collectione priuilegiorum Bulla 25.* sub Greg. XIII. & in Bullario Romano etiam refertur, *tom. 2. Bulla 77. fol. 460.* quæ incipit, *Pium, & vtile*, &c. Et licèt in hoc priuilegio adsit clausula prohibitiua communicationis, & participationis, *nobis non obstat*, vt obseruat Peregrinus *in collectan. lio.* quin vti possimus dicto priuilegio, vt clarè patet ex priuilegio Greg. XIV. apud dictum compendium in introductione §. 7. & ita docent etiam Doctores quos ego adduxi *in 3. part. tract. 2. resol. 31.* & licèt hodie nouissimè hanc sententiam docet Cœlestinus *in compend. Theolog. moral. tr. 8. cap. 4. quæst. 4.* quicquid in contrarium asserat Lezzana *vbi supra*, vnde plures ex Nostris vigore supradictorum priuilegiorum fuerunt à multis Episcopis ad Ordines extra tempora admissi, & in casu contingenti vltra præsentem resolutionem, ne deseras videre supradictam *resol. 31. part. 3. tract. 4.*

An verò pertineat ad Superiores Regularium dispensare in interstitiis, diximus *in 3. p. tract. 2. resol. 32. & in 4. p. tract. 4. resol. 209.* Nunc verò addam pro sententia affirmatiua Sanchez *in opusc. 3. lib. 7. cap. 1. dub. 54. num. 8.* & Cœlestinum *in compend. Theolog. moral. tract. 8. cap. 4. quæst. 4.* & pio negatiuam sententia Lezzanam *vbi supra num. 15.*

RESOL. LXXXVIII.

An Regulares possint dispensare cum suis subditis quoad interstitia, & vt ordinentur extra tempora?

Et an priuilegia Regularium quoad facultatem suscipiendi duplicem ordinem sacrum eodem die, & ab Episcopo in aliena Diœcesi absque licentia proprij, sint reuocata à Concilio Tridentino?

Et an quando alicui priuilegium conceditur, vt extra tempora in tribus Dominicis, vel diebus festiuis ordinetur, quin additum fuerit Duplicibus, *vel* Semiduplicibus, *intelligi debeant de festis diebus, qui à clero, & populo sub obligatione præcepti celebrantur?*

Et an priuilegia Regularium reuocata à Concilio Trid. intelligantur etiam reuocata in foro conscientiæ, ita vt Regulares vti illis non possint? Ex part. 9. tract. 8. & Misc. 3. Resol. 28.

§. 1. ALibi contra Vasquez, & alios, excommunicatione priuilegij Societatis, affirmatiuam sententiam probabiliter docui, quam nouissimè tãquam probabilem etiam admittit P. Castrus Palaus, non ex meo principio, sed ex alia ratione: & ideò apponam hic eius verba, quæ nimis grata Regularibus, & plausibilia erunt: sic itaque asserit *to. 4. tr. 27. diff. vnic. punct. 13. n. 13.* [Satis probabile existimo, quod tradit Rodriguez, sibi contrarius, *tom. 3. qq. Regul. quæst. 23. art. 5.* Villalobos *tract. 11. de ordine, diffic. 12. in fine, & diffic. 13. num. 6.* nempe, Prælatos Religionum vti posse facultatibus in hac parte ante Tridentinum concessis; neque per Tridentinum esse derogatas. Etenim, Alexander VI. concessit, quòd prior Generalis Ordinis S. Hieronymi, & singuli Priores eiusdem Ordinis præsentes, & futuri possent eligere quemcumque Episcopum Catholicum, communionem Sedis Apostolicæ habentem, qui

quarto, & §. Asserit quinto. & lege infra in hoc ipsomet §. Locũ Cõcilij, à vers. De facultate autem. & vide supra ex Ref. 28. §. vlt. signanter. in fine.

qui personas singulorum Monasteriorũ huiusmodi ad id idoneas, ad omnes etiã sacros & Presbyteratus Ordines, etiam extra tempora à Iure statuta, tribus diebus Dominicis, siue festiuis duplicibus successiuè promouere possit, Diœcesanorum licentia super hoc requisita. Sic refertur in Compend. Mendicant. *tit. Ordines sacri*, §. *fin.* Item, Eugenius IV. concessit, vt singuli Monachi præsentes, & futuri S. Benedicti ad id idonei, quos Prior sui Monasterij ad hoc elegerit, siue nominauerit, semel duntaxat anno quolibet, omnes etiam sacros Ordines, vna, & eadem die, etiam extra tempora à Iure statuta, à quibuslibet Catholicis Antistitibus gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus (cuiuslibet super hoc licentia minimè requisita) suscipere, dictiq; Antistites eisdem Monachis Ordines huiusmodi conferre possint. Sic habetur in dicto Compendio Mendicantium, *tit. Ordines Sacri* §. 8. quibus priuilegiis fruuntur Religiones Mendicantes, & aliæ, quæ in priuilegiis Religionum communicant. Hæc ergo priuilegia, quoad facultatem concedendi extra tempora, & dispensandi in interstitiis, affirmãt Rodrig. & Villalob. *supra*, non esse à Concilio derogata; benè tamen quoad facultatem suscipiẽdi duplicem Ordinem sacrum eodem die, & ad Episcopo in aliena Diœcesi absque licentia proprij. Etenim de hac facultate suscipiẽdi duplicẽ Ordinem sacrum, eodem die, inquit Concil. Trid *sess.* 23. *c.* 13. *de reform. in fine.* [Duo Sacri Ordines eodem die, etiam Regularibus, non cõferantur, priuilegiis, ac indultis quibuslibet concessis nõ obstantibus]de facultate autẽ se promouendi ab alieno Episcopo, inquit Tridentinum *cap.* 8. [Quòd si quis ab alio, quam à proprio Episcopo promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiuslibet generalis, aut specialis rescripti, vel priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus permittatur.] Et *sess.* 21. *de reform. c.* 5. ait: [Nulli Episcopo liceat cuiuslibet priuilegij prætextu, pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij expressa licentia,] & in personas eidem Ordinario subiectas, seu habentes à suo Ordinario dimissorias, vt benè explicuit Rodrig. *tom.* 3 *qq. Reg. q.* 24 *art.* 2 Cùm ergo de facultate Religiosis facta concedendi extra tempora, dispensandique in interstitiis, nulla adsit à Cõcilio derogatio, dicendũ est in suo robore persistere.

Sup. his in Resol. & §§. not. præterita.

Sup. hoc lege supra in hoc §. priuilegia posita à vers. Etenim. & §§. eius annot. quæ est prima post præteritam.

2. Neque verùm est, per clausulam illam generalem derogatoriam appositam *sess.* 25. *c.* 22. *de Reg.* derogata esse omnia priuilegia Regularibus concessa, aduersa Trid. statutis: nã illa derogatio, vtpote odiosa, nõ ad omnia contenta, & dispositа in Trid. sed ad contenta, & dipositа in illa Trid. sessione extendi debet: neque est vllũ fundamentum, ratione cuius debeat extendi ad omnia in Trid. contenta. Nam, si Trid. vellet omnia priuilegia Regulariũ aduersa Trid. Decretis derogare, in vltimo Decret. *sess.* 25. *de reform.* prædictam derogationem constituere: quod tamen nõ præstitit. Igitur nulla alia priuilegia, quã aduersa Decretis *illius sess.* 25. illa clausula derogantur; ac proinde priuilegiũ concedendi extra tẽpora, & dispensandi in interstitiis ab Alex. & Eugen. concessum. firmum persistit, Neque ex eo, quòd Greg XIII. & Xystus V. confirmauerint Religionum priuilegia, quæ Trid. aduersa non erant, infertur, derogasse aduersa; sed solùm infertur noluisse ea confirmare, & locum opinionibus relinquere, an essent reuocata. Minùs obstat Motus proprius Xysti V. qui, vt *superiùs* dictum est, fertur contra male promotos, quia tales censeri non debent promoti ex Sedis Apostolicæ priuilegiis. Item, ille Motus reuocatus est, & ad terminos Iuris communis redactus. Neque denique obstat prohibitio facta à Gregorio XIII. ne alij Religiosi aliorum ordinum communicationem in dicto priuilegio suscipiendi Ordines extra tempora, & non reseruatis interstitiis, communicaret: nam hæc prohibitio solùm infert, non posse priuilegio vti Religiosos aliorum Ordinum via communicationis; non tamen impedit, quin eo vti possint, si aliunde est illis concessum; vti concessum est ab Alex. VI & Eugen. IV. Neque prædicta prohibitio tollit, quin alij Pontifices successores eam communicationem facere possint, vti fecit Greg. XIV. sicuti probat Rodrig *tom.* 1. *qq. Reg.* 55. *art.* 17. Adde, esto, per Trid. reuocata essent priuilegia Alex. VI. & Eugenij IV. at Clement. VIII. speciali concessione innouata esse censentur, teste Rodr. *dict. tom.* 3. *qq. Reg. q.* 25. *art.* 5. *fine*, & Villalob. *tr.* 11. *de Ordin. diffic.* 12. *in fine*, & *diffic.* 13 *n.* 6. & approbat Barbos. *in Remiss. Conc. sess.* 23. *c.* 8. Affirmantque Rodrig. & Villalob. non solùm in tribus Dominicis, sed etiam in tribus diebus festiuis duplicibus, vel semiduplicibus promoueri Religiosum posse pb concessionem Alex. V I. & declarationem Clement. VIII. Quod credo probabiliter sustineri posse; tametsi verius censeam, quoties alicui priuilegium absolutè conceditur, vt extra tẽpora in tribus Dominicis, vel diebus festiuis ordinetur, quin additũ fuerit, *duplicib. vel. semidupl.* intelligi debere de festiuis diebus, qui à Clero, & populo sub obligatione præcepti celebrantur: quia, vt dixi, dies hi secundùm communem hominum acceptionem festiui nuncupantur, non illi, quos Clerus officio duplici, vel semiduplici honorant. Et hæc omnia docet Palaus *vbi supra*, quæ quidem secundùm eius mentem dicta esse volo, & ideò illa aliis iudicanda relinquo.

Sup. his seqq. priuilegiis infra in §. vlt. Ref. 24. & in aliquibus Ref. eius not. & supra in Ref. 84. §. Clauadam.

Sup. hoc infra in Resol. 98. §. Sed his. ad medium. à vers. Rogabis. sed lege eam per totam, & §. eius primæ not. & supra in Ref. 84. §. Sed an.

3. Qui etiam sciant, hanc sententiã præter citatos Doctores, docere P. Leand à Murcia *in Reg. S. Franc. c.* 6. *q.* 19. *n.* 1. vbi sic ait: [Quando el Papa confirmãdo los priuilegios dize: *Dummodo non sint contra Conc. Trid.* no es su mente reuocar todos los priuilegios contrarios al Concilio Trid. en qualquiera manera, sino solamẽte aquellos, que de tal manera le son cõtrarios, que en proprios terminos, y expressamẽte sõ reuocados del, como de hecho los reuoca en particulares lugares, porque si en proprio terminos, y directamẽte no fueren reuocados del Trid. aunque por otro camino se le oppongan, no estan reuocados, y por la misma razon son confirmados del Papa, aunque en la cõfirmacion ponga la dicha clausula. Esta cõclusion es de Manuel Rodrig. *en el tom.* 1. *q.* 8. *art* 6. el qual dize, que assi fue respõdido de los Doctores de la Vniuersidad de Salamãca, consultados en este caso; y pone este exemplo Rodrig. ordenarse extra tẽpora, es contra el Trid. *en la sess.* 23. *en el c.* 8. però con todo esso, porque el Cõcilio no reuoca los priuilegios, que los Regulares tienen en cõtrario, los dichos priuilegios quedã enteros, y en su fuerça, y vigor, aunque contrarios al Concilion, porque alli en quãto à esto no estan derogados, però porque el mismo Tridentino, *en la misma sess. en el cap.* 12 expressamente derogat los priuilegios de los Regulares, por los quales podian recibir Ordenes sacros antes de la edad, que alli señale el Concilio, por esta causa estos priuilegios alli derogados, en quãto à la anticipació de la edad, nõ son licitos à los Regulares: y assi se han de entender los demas priuilegios contrarios el Concilio Tridẽtino: y la dicha clausula: *Dummodo non sint contraria Cõcilio* se ha de explicar, añadiendole, *& nõ sint ab ipso reuocata, secus si sint reuocata.* [ita ille, qui posteà diligenter enumerat omnia priuilegia à Tridentino Regularibus reuocata; & posteà inquit, an dicta priuilegia reuocata à Cõcilio, intelligantur reuocata etiam in foro conscientiæ, ita vt Regulares vti illis non possint: & cum Rodriguez, Henriquez, Sorbo, & aliis, negatiuam sententiam probabilẽ pu-

Sup. hoc in tom. 7. tr. 1. Ref. 126. & lege §§. eius primæ annot. & si p̃ã ceretian secundæ.

tat: sed contrarium communiter docent Doctores. Vide Portel. *in dub. Regular. verb. Priuilegij cessatio per non vsum, n.64.* & alios. Nota tamen, quod post hæc scripta inueni Peyrinum *de Prælato, q.3. c.7. num. 11.* docere, dictum priuilegium concessum à Gregorio XIII. Societati Iesv, fuisse postea derogatum à Sixto V. vnde hodie neque Patres Societatis posse vti dicto priuilegio; sed de ipsis, & de omnibus aliis Regularibus contrarium docet, me citato. Grauantus *in addit. Man. Episcop. verb. Ordo in genere, num.8.* Et ego scio in societate dictum priuilegium hodie extare in viridi obseruantia, & in nostra sententia hodie illo vti possunt alij regulares.

RESOL. LXXXIX.

An dispensatio interstitiorum pertineat ad Episcopum, etiam respectu Religiosorum?

Et aduertitur, quod iuxta Bullam Greg. XIII. generales Societatis Iesu possunt & ab illis delegati, dispensare cum suis subditis in interstitiis.

Et notatur suscipientes Ordines non seruatis interstitiis nullam incurrere censuram, vel irregularitatem. Ex p.3.tr.2.Ref.32.

Sup contento in hoc §. 1.& seq. inf. in Ref.90 §. 1.&2. & in Resol 92. §. Nota etiam. per tot.& supra in Ref. 87. §. vlt. & in Ref.88.

§.1. AFfirmatiuè respondet Bonacina *de sacram. disput.8.quæst.vnic. punct.6. n.34.* qui citat Riccium, Barbosam, & Quarantam, idem etiam docet Ledesma *in sum. tom.1. de sacrament. Ordin.cap.8. concl.11. in fine.*

2. Sed non desunt Doctores contrariam sententiam docentes ex Bulla Gregor. XIII. concessa Societati Iesv. Et ita docet Villalobos *in sum. tom. 1. tr.11. diff.22.n.8.* & Ioannes de la Cruz *in direct. conscient.p.2.de sacram.Ord.dub.5.concl.2.* vbi sic ait: Iuxta Bullam Gregor.XIII.pro Societate Generales Ordinum, & ab istis delegati possunt cum suis subditis dispensare in interstitiis. Et hanc sententiam etiam probabilem vocat Ledesma *vbi suprà.*

Sup.hoc inf. in Ref.92.§. vlt. & in to. 5. tr.3. Ref. 45.

3. Notandum est etiã hîc contra Henriquez *lib. 6.c.10.n.3.in gloss.lit.Q* suscipientes Ordines non seruatis interstitiis, nullam incurrere censuram, vel irregularitatem, quia nulla talis censura in iure inuenitur expressa. & ita docent Riccius *in collect. decision. p.3.collect.176.* Zerola *in praxi p.2.verb.Ordo.n.8.* Villalobos *in sum.tom.1.tr.11.diff.12.n.2.* & alij.

RESOL. XC.

An pro Episcopis in dispensatione interstitiorum cum Regularibus sufficiat sola attestatio Superiorum?

Et an Regulares possint ordinari non seruatis temporum interstitiis?

Et an ex priuilegio Clem.VIII. concesso Patribus Congregationis S.Ioannis Euangelistæ in Portugallia, possint Regulares ordinari extra tempora, & per quemcumque Episcopum tribus Dominicis, vel Festis continuis, vel interpolatis, non seruatis interstitiis à Concilio Tridentino designatis? Ex p.3.tr.2.Ref.112.

Sup.contento in hoc, & seq.§.in Ref. præterita, §. 1.& 2.& inf. in Ref.92.§. Nota etiam. per totum,& pro parte supra in Ref. 87. §. vlt. & in Ref.88.

§.1. AFfirmatiuè respondeo, & sic declarauit sacra Cardinalium Congregatio sub his verbis: Non posse dispensare super interstitiis Regularium ordinandorum, sed id pertinet ad Episcopum ordinantem, qui tamen quoad causam dispensationis iudicium suum formare debet ex attestatione Superiorum Regularium, & hanc declarationem Cardinalium inuenies apud Peyrinum *in priuil. Minim. tom.1.constit.2. Sixti IV.§.11.n.35.*

2. Non desinam tamen hîc adnotare, quod Villalobos *in sum.tom.1. tract.11. diff.12. num.8.* refert quoddam priuilegium cõcessum Societati Iesv, cuius etiam meminit Emanuel Rodriguez *in qq.Regul. tom.2.q.13.art.5.* nempe vt possint Religiosi promoueri ad sacros Ordines, etiam Presbyteratus, absque vlla functione in ipsis Ordinibus, aut obseruatione interstitiorum. Quo priuilegio frui possunt aliæ Religiones communicantes, non obstãte prohibitione communicationis huius gratiæ expressè factã à Gregor. XIII. in dicta constitut. vt probat Emanuel Rodrig. *art.6.circa fin.* quem sequitur nouissimè Hieronymus Rodrig. *in comp.qq.Regul.res.106.n.20* & licet Villalobos *vbi suprà*, sentiat debere in hoc Religiosos se conformare consuetudini propter constitutiones Pontificum contra malè promotos, quod tutius & consultius videtur, licitum tamen & tutum esse ait Hieronymus Rodrig. *vbi suprà*, vti dicto priuilegio, quod nõ est reuocatum, sed potiùs confirmatum, vt latè probat Emanuel Rodrig. *loco citato.*

3. Adde quod Laurentius Portel *in dub. Regular. verb. Ordines sacri, num.4.* testatur se vidisse in Compendio Religionis Patrum Congregationis S. Ioannis Euangelistæ in Portugallia priuilegium Clementis VIII. concessum dictis Patribus die 23. Nouembris 1596. vt possint ordinari extra tempora, & per quemcumque Episcopum tribus Dominicis, vel festis continuis, vel interpolatis, non seruatis interstitiis à Concilio Tridentino designatis, quæ ait Portel *loco citato*, est amplissima, & magna concessio pro hac materia, & ideo illam mente teneant Regulares, & Domini Episcopi.

RESOL. XCI.

An constitutio Pij II. circa susceptionem Ordinum ante tempus, vel sine dimissoriis, & licentiis necessariis, comprehendat Regulares? Ex part.8.tract.7.& Misc. Ref.59.

§.1. NOn incurrere Regulares in pœnas dictæ Bullæ, putat nouissimè Santorus *in comm. ad constit. Minor. cap.2. stat.57. concl.3.* vbi sic ait: Probabilis est sententia, quod in Extraua. Pij II. non includantur Regulares, contra quod senserunt Mirand. *cit. art.6. concl. vnic.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg.16. num.14.* Rodrig. *tom.3.q.24. art.8.* Rodriguez alter *resol.106.n.10* Marchinus *tract.1.part.5.num.6.* Quaranta *verb. Ordo pag.376. §. quibus sic specialiter*, qui citat Mandosium, dicitque esse rem inhibitam. Portel *verb. Ordines sacri, v.13.* Ratio est; quia in eã non fit mentio de Regularibus, & in odiosis nomine Clerici non veniunt Monachi, vel Regulares, vt latè idem Miranda in oppositum adducit.

2. Nec eorum responsio peruincit, quod etiam Regulares sunt Clerici, & materia Ordinum est communis; quia si hoc valeret, in multis comprehenderentur Regulares, in quibus ex allato principio non comprehenduntur. Nec etiam valet aliorum responsio, quod Sixtus V. confirmando Bullam Pij II. illam expresè ad Regulares extendit; quia, vt dictum est, fuit reuocata in omnibus, & redacta ad terminos iuris, & Bullæ Pij II. in quibus non fit mentio de Regularibus, & ita cessauit extensio, sicuti & censuræ, vnde Clem. VIII. illam reuocans ait, supradictas literas ad terminos sacrorum Canonum, ac constitutionis reu. mem. Pij Pap. II. & ad dispositionem decretorum S. Concilij Trident. restringimus, & reducimus. Nec non censuras, & pœnas in iisdem Sixti literis contra quoscumque, &c. moderamus, & abolemus. Hucusque

Hucusque P. Santorus: sed stante praxi S. Pœnitentiariæ non recederem ab affirmativa sententia, quam etiam communiter tenent Doctores.

RESOL. XCII.

Quæ causa sit sufficiens, vt Episcopus possit dispensare in interstitiis ordinum Presbyteratus?

Et notatur, quod recipiens Ordines non seruatis temporum interstitiis absque dispensatione, non incidit in suspensionem, neque in irregularitatem, neque Episcopus illum ordinans?

Et obseruatur facultatem remittendi interstitia concessam Episcopo ex causis transire in capitulum, seu eius Vicarium Sede Vacante, quando tamen ex Decretis Concilij potest concedere licentiam ordinandi?

Et docetur solos Generales Societatis Iesu, & ab ipsis deputatos posse ex Bulla Greg. XIII. dispensare cum suis subditis Regularibus in interstitiis?

Et an cæteri Superiores Regulares possint quemadmodũ Episcopi sess. 25. Trid. cap. 11. & 13. dispensare super temporum interstitiis cum suis subditis? Ex part. 4. tr. 4. &. Misc. Resol. 209.

Sup. hoc in Resol. seq. & in Resol. 1. post seq. à §. 1.

§. 1. CONcilium Tridentinum *sess. 25. cap. 11. & 13.* vt Episcopus dispenset in interstitiis, requirit vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, quæ quando adsit, vel non, remittit Episcopo iudicandum: sed Doctores vt plurimum non explicant in particulari, quando Ecclesiæ vtilitas, vel necessitas postulat, vt quis ordinetur non seruatis temporum interstitiis, vt dispensari possint Episcopi: qui quidem hoc in casibus contingentibus scire cupiunt, & ideo quia casus est quotidianus, ponam hîc verba P. Gaspris Hurtadi *de Sacram. tract. de Ordine, difficult. 23.* sic asserentis: Iudicio Episcopi relinquitur, vt in interstitiis dispenset, prout necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ postulauerit, quæ verè postulat vt ordinetur, qui habet beneficium: aut Capellaniam cum obligatione celebrandi Sacrum, & etiam (vt Congregatio Cardinalium declarauit) vt ordinetur qui in literis, aut in virtute magnos fecit profectus, quia is ordinatus erit vtilis Ecclesiæ. Ita ille. Vide etiam Hieronymum Rodrig. *in compend. qq. regul. resol. 106 n. 23.* & Barbosam *in collect. DD. super Concil. Trid. sess. 23. c. 14. n. 2.* asserentes, hanc necessitatem, & vtilitatem moraliter debere pensari, non enim in puncto indiuisibili consistunt: sed recipere debent eam latitudinem, quæ in aliis rebus moralibus abitrio boni viri attendi solet.

Sup. contento in hoc §. latè in tom. 3. tr. 5. Resol. 16.

2. Obseruandum est etiam hîc, facultatem remittendi interstitia concessa Episcopo ex causis supradictis transire in Capitulum, seu eius Vicarium Sede Vacante, quando tamen ex decretis eiusdem Concilij potest concedere licentiam ordinandi. Ita sacra Congregatio, teste Armendario *in addit. ad recopilat. legum Nauarræ lib. 1. tit. 18. leg. 7. de Episcopis, num. 57.* & Marta *de iurisd. part. 2. cap. 9. num. 13.* cum Homobono de Bonis *vbi suprà.*

Sup. contento in hoc §. in Resol. not. seq.

3. Nota etiam, Hurtadum *vbi suprà* affirmare solos Generales Societatis Iesv, & ab ipsis deputatos posse ex Bulla Gregorij XIII. dispensare cum suis subditis Regularibus in interstitiis, tamen alij hoc priuilegium ad alias Religiones extendunt. Vide Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 12. a num. 21.* cui adde Villalobos, & Ioan. de la Cruz, quos ego ipse citaui *in 3. part. tract. 2. resolut. 32.* Verùm hoc desinam hîc adnotare, quòd Homobonus *in consult. cas. conscient. tom. 2. part. 5. respons. 211.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. disput. 2. qu. 25.* & Lauretus de Franchis *de controuersiis inter Episcopos, & Regulares*, ponunt declarationem sacræ Congregationis tenoris sequentis: An Superiores Regularium possint quemadmodum Episcopi, vt *in sess. 25. Trid. c. 11. & 13.* dispensare super temporum interstitiis cum subditis suis? Sacra Congregatio censuit, Superiores Regulares non posse dispensare super interstitiis Regularium ordinandorum, sed id pertinere ad Episcopum ordinantem, qui tamen quoad causam dispensandi iudicium suum formare debet ex attestatione superiorum Regularium.

Sup. hoc in Resol. not. præcedenti, & in aliis eius primæ not.

4. Et tandem nota, quòd recipiens Ordines non seruatis temporum interstitiis absque disputatione non incidit in suspensionem, neque in irregularitatem. Ita Lauretus *vbi suprà, quæst. 32. fol. 84.* Campanili *in diuers. ius. Canon. rubr. 6. cap. 3. num. 13.* & alij; quos citat, & sequitur Baboſa *loco citato cap. 13. num. 12.* neque Episcopum illum ordinantem, Barbosa *num. 11.*

Sup. contento in hoc §. supra in Resol. 89. §. vlt. & in tom. 1. tr. 5. Resol. 45.

RESOL. XCIII.

Quæ causa requiratur ad dispensandum in interstitiis pro Sacerdotio assumendo? Ex part. 6. tr. 8. & Misc. 3. Resol. 23.

§. 1. RESpondeo, vtilitas vel necessitas Ecclesiæ; sed ego adnotaui aliqua quoad hoc *in part. 4. tract. 4. resol. 209.* nunc verò non deseram apponere verba Ioannis Baptistæ Tiberij Societatis Iesv, quia Codex non ampliùs inuenitur, sic igitur asserit *in instruct. pro Ordinandis, cap. 8. quæst. 3.* vbi sic ait. Quamuis Sorbo ex S. Antonino *3. part. 1. 14. cap. 16. §. 18.* necessitatem Ecclesiæ dicat esse, cum non sunt alij, qui ordinentur, & Ecclesia indiget Ordinatis: Vtilitatem, cum, etsi sint alij, Ecclesia tamen indiget. Hic tamen videtur nimius rigor; & S. Antoninus loquitur de causa sufficiente ad cogendos clericos ad Ordines sumendos: Minor autem sufficit ad dispensandũ. Quare hoc iudicium arbitrio Episcopi remittendum est. Neque enim requiritur necessitas extraordinaria, aut publica, vt etiam notauit Barbosa *2. p. allegat. 18 n. 5.* Sed etiam eminens doctrina, vel morum probitas, & ordinandi merita sufficere videntur, spectat enim ad Ecclesiæ vtilitatem, & necessitatem, vt eorum ratio habeatur, quibus ipsa eget, vt ait Vasquez citandus.

Quæ hîc est Resol. antecedens, & in Resol. seq. à §. 2.

2. Immò valdè probabile existimo particulam, *ac*, quæ habetur *in cap 14.* sumendam esse disiunctiuè, non copulatiuè; cum enim in aliis dispensationibus etiam maioris momenti, sæpè sufficiat Ecclesiæ vtilitas; immò, & ipsius dispensati, non apparet cur hîc non sufficiat. Aut certè verbum, necessitas, latè sumendum provt magnam importat vtilitatem: & ita videtur velle Vasquez *3. part. disp. 246. num. 50.* & Filliucius *tract. 9. num. 3. versic. 5.* Et putarim posse Episcopum absque scrupulo dispensare cum eo, qui causa studiorum, vt in iis magis proficiat, post ea distulit Sacrorum Ordinum susceptionem, quia Ecclesiæ summoperè vtiles & necessarij sunt docti Ministri. Et hæc omnia dicta volo secundùm mentem Tiberij.

RESOL. XCIV.

An ad dispensandum in interstitiis à Diaconatu ad Presbyteratum sit necessaria vtilitas, & necessitas Ecclesiæ copulatiue?

Et apponuntur quinque causæ, vt ex qualibet earum

possit Episcopus cum prædictis dispensare.
Et an ad minores Ordines, & Tonsuram merè arbitriũ Episcopi sufficiat ad dispensandum?
Et docetur posse Episcopum eodem die primam Tonsuram, minores Ordines, & Subdiaconatum conferre.
Et notatur Episcopum non posse dispensare ab interstitiis familiarem suum aliàs non sibi subditum.
Et aduertitur posse Regulares omnes ex priuilegiis vbique extra tempora à iure statuta ab Episcopus ordinari, & quibuscùis Ordines initiari? Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Res. 10.

Sup. hoc in duobus præcedentibus Res.

§. 1. CAsus est practicabilis. Suppono quod cautæ dispensandi in interstitiis duæ referuntur à Tridentino, *sess. 23. cap. 11. 13. & 14. de reform.* nempe necessitas & vtilitas particularium Ecclesiarum. Per Ecclesiæ vtilitatem intelligit, quando pauci sunt Ministri Ecclesiastici idonei : & tunc vtile est Ecclesiæ aliquos ordinare ad Ecclesiæ ministerium, & maiorem etiam ornatum, ac splendorem. Per necessitatem intellexit, quando deficerent Ministri, nec possent suppleri per iam ordinatos Ecclesiæ onera, tam in Missarum celebratione, quàm in aliis Ecclesiasticis ministeriis ; sed iudicare quænam sit Ecclesiæ vtilitas, aut necessitas, Episcopi abitrio relinquitur.

2. Hoc supposito, ad quæstionem propositam affirmatiuè respondet Castrus Palaus *tom. 4. tract. 27. punct. 13. num. 7.* Marchinus *de sacram. ordin. tract. 2. part. 2. cap. 3. num. 2.* vbi sic ait : Debet Episcopus maiorem causam vtilitatis, aut necessitatis expostulare in eo cum quo dispensaret in interstitiis à minoribus ad Subdiaconatum, vel à Diaconatu ad Presbyteratum, quàm à Subdiconatu ad Diaconatum, quod etiam Concilium ponderasse videtur : nam vbi *cap. 11.* in ascensu à minoribus ad Subdiaconatum meminit Ecclesiæ vtilitatis, aut necessitatis disiunctiuè, postea *cap. 13* agens de promouendo à Subdiaconatu ad Diaconatum, dispensationem ab huiusmodi interstitiis soli Episcopi arbitrio relinquit. Sed *cap. 14.* agens de promouendo à Diaconatu ad Presbyteratum, vtramque causam copulatiuè his verbis exegit. *Ad Presbyteratus ordinem non assumatur, nisi qui ad minus per annum integrum in Diaconatus ministrauerint, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur.* Vbi vides, Conciliũ in Presbyteratu vsum esse particula copulante : at in ascensu à minoribus ad Subdiaconatum, vsum fuisse particula *aut*, quæ significat disiunctionem, vt multo maiorem in Presbyteratu suscipiendo, quàm in aliis Ordinibus dispensationis causam exigendam denoraret. Ita Marchinus. Bonacina etiam *de sacram. disp. 8. q. 5. punct. 6. num. 2.* grauiorem causam putat requiri in dispensatione interstitiorum inter Diaconatum, & Sacerdotium, quàm inter cæteros Ordines : nam Tridentinum in dispensationibus interstitiorum inter minores Ordines requirit solùm arbitrium Episcopi ; in dispensationibus verò interstitiorum inter minores, & maiores Ordines exigit necessitatem, aut Ecclesiæ vtilitatem, ac tandem in dispensatione inter Diaconatum, & Presbyteratum postulat Ecclesiæ vtilitatem, & necessitatem. Vnde colligit Bonacina non sufficere vtilitatem, requiri etiam necessitatem propter particulam, *Et*, coniunctiuam.

3. Sed Dicastillus *de sacrament. tom. 1. tractat. 6. disp. 1. dub. 23. num. 351.* docet, quantum attinet ad minores Ordines, & Tonsuram merè arbitrium Episcopi sufficere, dummodo non sit causa, quæ rationabiliter cogat ad negandum : nimirum docet, Principium Ecclesiasticum etiam in his rebus posse gratia prosequi, & fauores accelentes, & postulantes, alioquin non indignos. Ideoque merito Concilium hoc permisit arbitrio Episcopi, maximè quando ordinandi sunt aliunde venientes ex aliis oppidis, seu locis eiusdem Diœcesis : nec enim oportet illos cogere pro vnoquoque gradu ex quatuor minoribus ire, & redire : atque ad summum hæc solùm causa (si causa requiritur) sufficiens est. Quod verò attinet ad minores Ordines mihi placet maiori consideratione opus esse ab ipsa eadem eam gratiam non expectando interstitiis sufficit tamen, etiam inter Diaconatum, & Presbyteratum, sola vtilitas, etiamsi non sit necessitas : illa enim particula coniunctiua, *Et*, non solùm copulatiue, sed distributiuè potest sumi ; ita vt sufficiat vtilitas, & sufficiat necessitas, vt alterutra postulatur fiat : quidquid in contrarium sentiant aliqui, etiam ab eodem Bonacina. Hæc omnia Dicastillus

4. Verùm Auersa *de sacrament. Ordinis, quæst. 3. sect. 9.* & alij communiter, asserunt, quod Concilium requirit coniunctiuè vtilitatem, & necessitatem ; ideò non audeo ab ista sententia discedere. Non putant tamen aliqui sententiam Patris Dicastilli improbabilem. Et ideò Trullench *de Sacramentis lib. 6. capite vnico, dub. 9. numero 6.* sic ait : Bonacina, & Barbosa obseruant in dispensatione interstitiorum inter Diaconatum, & Sacerdotium petere Concilium non solùm vtilitatem Ecclesiæ, sed etiam necessitatem : nam docent particulam, *Et*, esse copulatiuam ; etsi alij recentiores oppositum non improbabiliter sentiant, nempe sufficere etiam, tum vel vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, provt expedire iudicauerit Episcopus. Ita ille.

5. Et quia casus dies accidit, nota primò cum Leandro *de sacrament. tom. 2. tract. 6. disp. 11. quæst. 21.* quod prima causa, vt Episcopus dispenset in interstitiis est necessitas, & vtilitas Ecclesiarum. Per necessitatem Ecclesiæ intelligit Concilium, quãdo deficiunt omnino ministri ; ita vt per ordinatos onera Ecclesiæ tam in Missarum celebratione, quàm in Ecclesiasticis ministeriis suppleri nequeant. Per vtilitatem verò, quando pauci sunt ministri idonei. Secunda causa dispensandi in interstitiis, est atas prouecta ordinandi, cum grauitate, & integritate coniuncta. Tertia est arctatio recipiendi Diaconatum, & Presbyteratum, ratione Beneficij recepti, vel recipiendi, ex Tridentino *sess. 7. capit. 10. de Reformatione.* Quarta est, magna virtus ordinandi, aut excellentes in litteris profectus. Quinta denique causa dispensandi ab interstitiis cum aliquo, est studium in aliqua vniuersitate ; vt scilicet, media Missarum celebratione, se possit in studiis sustentare.

6. Nota secundò, quod Dicastillus *vbi supra, n. 352.* docet etiam, quod ego *in part. 9.* satis firmaui ; posse scilicet Episcopum eadem die primam Tonsuram, minores Ordines, & Subdiaconatum conferre : & testatur se sæpius ab Episcopis hoc fieri vidisse.

7. Nota tertiò, quod Marchinus *de sacram. Ordinis, tract. 1. part. 7. cap. 4. num. 3.* nominatim contra me, & Ioann. de la Cruz Dominicanum, tenet, Episcopos non posse dispensare ab interstitiis familiarem suum, aliàs non sibi subditum. Sed me citato, pro nostram sententiam contra Marchinum tenet Pater Auersa *de sacram. Ordinis, quæst. 3. sect. 9. §. Relinquitur tamen.*

8. Nota quartò, me sæpius docuisse, posse Regulares omnes ex priuilegio vbique extra tempora à iure statuta ab Episcopis ordinari. Et ita nouissimè

§. supra in Resol 84. §. Difficultas tamen, & in Resol. 85. §. Asserit quar. to. & in Resol. 86. 87. & 88. & pro omnibus priuilegiis contentis in hoc §. lege §. Neque per totum, Resol. huius anno. & pro parte vide supra ex Resol. 84. §. Claudam. & ex Resol. 90. §. vlt. & in to. 7. n. 1. ex Resol. 259. §. 1.

simè me citato mordicus docet, & firmat Leandrus *de sacram. tom. 2. tract. 6. disput. 11. q. 23.* Primò, ait ille, quia hoc priuilegium fuit olim concessum Mendicantibus, & postea à Clemente VIII. absque limitatione confirmatum. Secundò, quia idem priuilegium concesserunt Alexander V I. & Eugenius IV. Monachis S. Hieronymi, & S. Benedicti. Tertiò, quia simile priuilegium concessit Clemens V I I I. Congregationi S. Ioannis Euangelistæ in Portugallia. Quartò denique, quia idem priuilegium concessit Societati I E S V Gregorius XIII. die 21. Septembris 1582. qui licet prohibuerit illud communicari aliis Ordinibus, communicant tamen multi: nam alij Summi Pontifices sucessores Gregorij XIII. priuilegia Societatis I E S V multis Ordinibus absolutè concesserunt. Et nouissimè nobis discalceatis, ipsorum priuilegia, nec non & Monachorum S. Hieronymi, & S. Benedicti, & aliorum Ordinum, & Congregationum, à S. D. N. Vrbano VIII. absolutè, & pariformiter concessa, communicata fuerunt anno Domini 1634. die 28. Martij. Possumus ergo nos, & omnes alij Regulares, virtute priuilegiorum, à quocumque Episcopo per extra tempora, quibuscuis Ordinibus initiari. Hucvsque Leandrus, cui adde, me etiam citato, Patrem Auersam *vbi supra, de Sacrament. Ordinis, quæst. 3. sect. 9. §. Qui vero aliquem*, vbi asserit hanc opinionem esse tutam in praxi, & testatur se vidisse illâ practicatam in pluribus Diœcesibus, & in Romana ipsa vrbe.

RESOL. XCV.

An Episcopus beneficij possit dispensare in interstitiis? Et quid de illegitimitate ad minores Ordines? Ex p. 8. tr. 2. Resol. 25.

Sup. hoc supra in Resol. 14. §. Sed si.

§. 1. NEgatiuè respondet Marius Antoninus *var. resol. lib. 1. resol. 112. cas. 28.* cùm non possit iudicare de necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ non suæ: & ita etiam docet Nauarrus *lib. 1. de temp. ordin. cons. 26.*

2. Sed affirmatiuè respondeo cum Garcia *de benefic. tom. 1. part. 2. cap. 4. num. 14.* vbi sic ait: Ampliatur, vt non solùm possit eum ordinare Episcopus beneficij, sed etiam cum eo dispensare in interstitiis, & etiam in illegitimitate ad minores Ordines: nam, cùm ratione beneficij sit subditus illius, quoad Ordines, est etiam subditus quoad omnia concernentia Ordines, & illis annexa, ad *l. 2. ff. de iurisdict. omn. ind.* Ita ille, & post illum Squillante *de priu. Cler. cap. 4. num. 244.* Acugna *in Decretum Gratiani, part. 1. dist. 17. num. 7.* & Machadus *de perfect. Confess. tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 3. docum. 4. n. 5.* vbi sic ait: [La quarta dificultad es, si el Obispo donde alguno tiene beneficio Eccleſiastico, no solo le pueda ordenar, sino tambien darle reuerendas, dispensar con el en los interſticios, e ilegitimidad, &c. Garcia, y otros defienden que si; fundanse en que si por razon del beneficio, se le sugeta, quanto à las Ordines, tambien ha de quedar sugeto à todas las cosas concernientes à las Ordenes: puede segun principio de derecho; *Concesso aliquo, omne id concedi videtur, sine quo illud existere non potest.* No obstante, que Nauarro, y ottos son de contrario parecer, porque el Obispo, donde esta el beneficio, no puede hazer juyzio en la dispensacion de los interſticios, &c. de la necessidad, ò vtilidad de Iglesia, que no es suya.] Ita ille: sed opinio Nauarri mihi non placet.

Sup. hac illegitimitate. earum in fine Resol. not. præterita.

RESOL. XCVI.

An ex aliqua iusta causa possit Episcopus conferre maiores Ordines die Dominica?

Et supponitur, quod maiores Ordines non nisi in Sabbatho Quatuor Temporum anni, aut in Sabbatho Sancto, aut in Sabbatho ante Dominicam Passionis dari possint.

Et notatur, quod minores Ordines Episcopus conferre potest tribus, aut etiam pluribus in qualibet Dominica, aut festiuo die, dummodo non videatur facere Ordinationem generalem.

Et consuetudo recepta Episcoporum concedit, vt Feria sexta vespere ante Sabbathum, in quo Sabbatho iure possunt omnes Ordines conferri, liceat dare Ordines minores.

Etiamque aduertitur primam Tonsuram quouis anni tempore, quouis die, hora, & loco dari posse?

Et an minores Ordines simul cum Subdiaconatu eodem die, eidemque conferri possint? Ex part. 2. tract. 16. & Misc. 2. Resol. 28. alias 30.

§. 1. SVpponendum est ex communi doctrina, cum Vasquez *in 3. part. tom. 5. disp. 246. c. 5. n. 25.* Bonacina *de Sacram. disp. 8. quæst. vnica, punct. 6. num. 1.* & aliis, quòd maiores ordines, non nisi in Sabbatho quatuor temporum anni, aut in Sabbatho sancto, aut in Sabbatho ante Dominicam Passionis dari possunt. Hoc supposito, respondet affirmatiuè ad casum propositum Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 11. dub. 13.* vbi sic ait. [Hase de aduertir, que tambien se pueden hazer los ordenes el Domingo siguiente por la mañana, con tal que el, que ordena, y el que se ha de ordenar continuen el ayuno del Sabado antes, porque entonces la mañana del Domingo, se trae al Sabado por la continuacion del ayuno, como dize vn texto. Mas esto no lo ha de hazer el Obispo sin necessidad, laqual seria si el Sabado no las pudo hazer, por hallarse enfermo, que entonces podra, diferir las para el otro dia.] Ita ille ex Henriquez quẽ ipse minimè citat *lib. 10. c. 12. n. 12.* vbi ita asserit. Potest Episcopus maiores Ordines Dominica sequenti post Sabbathum prædictum conferre, si causa subsit, dummodo ieiunium Sabbati continuet vsque ad Domminicam, quod continuari dicitur post Missam Sabbathi, nisi sumpserit absolutionem.

2. Notandum est etiam circa præsentem materiam de temporibus ordinandorum, quod minores Ordines Episcopus conferre potest tribus, aut etiam pluribus in qualibet Dominica, aut festiuo die, dummodo non videatur facere ordinationem generalem, & consuetudo Episcoporum recepta concedit, vt feria sexta vespere ante Sabbathum, in quo Sabbatho iure possunt omnes Ordines conferri, liceat dare Ordines minores. Ita Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tr. 1. c. 5. n. 26.* Henriq. *vbi supra.* Villalabos *n. 4.* & Vasquez, qui notat primam Tonsuram quouis anni tempore, quouis die, quauis hora, & loco dari posse, & contra Nauarrum, & alios non esse iure vetitum, eodem die quatuor minores Ordines. & vnum sacrum recipere, & aliquando testatur se vidisse minores Ordines simul cum Subdiaconatu, in eodem die eidem conferre. Ita ille *vbi sup. n. 47. & 48.* quidquid in contrarium asserat Reginaldus *loco citato, n. 28.* & alij.

Sup. hoc infra in Resol. 99. §. 1. & 2.

Sup. hoc ibidem §. 2. ad mediũ. vers. La primera: Sup. hos minores Ordines simul cũ Subdiaconatu in Resol. seq. & aliis eius primæ not.

RESOL. XCVII.

An seclusa consuetudine, si adest alicubi, possit Episco-

pus eadem die conferre minores Ordines simul cum Subdiaconatu eidem ordinando?

Et in dicto casu, an Episcopus debeat prius interstitia dispensare? Ex part.9. tract.6. & Misc.1. Res. 57. aliàs 58.

Sup. hoc in fin. Res. præcedentis, & suprain Res. 94. breuiter in §. Notase-cundo. & infra in Res. 99. §. Nota hic. & in to. 5. tr. 3. Res. 45. cuiſim in fin. §. 1. sed lege eam per totam, signãter §. 2. post medium, à verſ. Et quã uis, & in res. 56. §. vlt. & in fine §. 1.

§. 1. NEgatiuè respondent quatuordecim Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *in opusc. lib. 7. cap. 1. dub. 53. num. 2.* quibus ego addo Reginaldum *in praxi tom. 1. lib. 30. cap. 5. num. 270.* Ioan. Baptistam de Febris *in Manual. de sacr. Ordin. cap. 8. n. 13.* & Layman *lib. 5. tract. 9. cap. 8. num. 7.* vbi sic ait: [Non est permissum, vt simul eidem Ordines minores, & Subdiaconatus conferatur, vt satis colligitur *ex cap. 2. de eo qui furtim Ordines recepit.* & Tridentino *sess. 23. cap. 11. & 13.* Et accedit Ecclesiarum consuetudo vim legis habens.] Ita ille, & alij communiter. Vnde ante factum semper Episcopis hanc sententiam consulendam esse arbitror.

2. Sed quia contrariam sententiam affirmatiuam satis probabilem existimo; ideò sentio post factum non esse damnandum Episcopum, si illam in praxi sequutus fuerit. Hanc affirmatiuam opinionem ante omnes solidè firmauit ingeniorum Phœnix, Pater Gabriel Vasquez in *3. part. D. Thomæ, tom. 3. disput. 246. c. 5. n. 47. & 48.* & post illum Pater Gaspar Hurtado *de Sacram Ordinis, disput. 23.* Pater Ioannes Præpositus *in 3. p. D. Thomæ, quæst. vnic. de Sacr. Ordinis, dub. 15. n. 151.* Pater Castrus Palaus *tom. 4. tr. 27. punct. 13. n. 15.* & Pater Baunyus *in Theologia mor. tom. 1. tr. 7. q. 11. §. Quintò*, omnes viri doctissimi ex Societate Iesv, quibus ex Religione Clericorum Regularium adde Patrem Molfesium *in sum. tom. 1. tract. 2. c. 14. n. 3.* & Patrem Leonem *de cens. recollect. 6. n. 582.* Vide etiam Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 11. disp. 12. n. 7.* cuius verba *infrà* apponam; & Marchinum *de sacram. Ordinis, tract. 1. part. 7. cap. 1. num. 13. & 14.*

3. Probatur hæc sententia ex responsionibus ad argumenta contraria: vnde ad primum adductum à Laymã, Sanchez, & aliis, desumptum ex authoritate *cap. 2. de eo qui furtiuè*, &c. Respondeo cum Vasq. & aliis, *vbi suprà*, in illo capitulo solùm punitur vt irregularis, vel vt alij volunt, vt suspensus, qui acceptis minoribus Ordinibus, posteà furtiuè, & contra mandatum Episcopi Subdiaconatum in eodem die, aut ieiunio suscepetit: quod nos etiam fatemur. Sed non sequitur ex hoc, quod Episcopus, si velit, non possit in eodem die minores Ordines, & Subdiconatum conferre: & in tali casu ordinatus nec suspensionem, nec irregularitatem incurreret: quia non susciperet minores Ordines, & subdiaconatum ausu temerario, vt dicit Pontifex in textu: sed volente, & consentiente Episcopo. Quod etiam patet, vt obseruat Pater Leo, & Marchinus *de sacr. Ordin. tract. 1. p. 7. cap. 1. n. 17.* ex titulo, sub quo situatur dictus text. videlicet, *De eo qui furtiuè* (& sic contra ordinantis voluntatem) *Ordinem suscepit.* Quod etiam notauit Glossa *ibi*, & Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Irregularitas, n. 42.* & etiam docet Rebuffus *in praxi benef. tit. de Cleric. ad sacros Ordines malè promotis, gloss. 1. num. 18.* Castr. Pal. *tom. 6. disp. 4. punct. 10. §. 1. num. 8.* & Lessius *in 3. part. D. Thomæ, cap. 6. de irregular. dub. 3. n. 50.* Dicendum est itaque, textum adductum ex capit. 2. *de eo qui furtiuè*, non facere pro sententia negatiua, quia hæ duæ propositiones non sunt contrariæ: *potest licitè Episcopus eodem die conferre minores Ordines cum Subdiaconatu, & si quis furtiuè, contra mentem Episcopi, in eodem die sumit Ordines minores, & Subdiaconatum, in suspensionem incurrit.* Hæ, inquam, duæ propositiones sunt ambæ veræ, & stare simul possunt; & ideò sine fundamento ex secunda deducitur contrarium contra primam: non enim valet hoc argumentum: Pontifex docet *in c. 2. de eo* &c. sumentem Ordines minores cum Subdiaconatu in eodem die furtiuè, & contra mentẽ Episcopi, incurrere suspensionem. Ergo Episcopus in eodem die non potest conferre Ordines minores, & subdiaconatum, & ita in tali casu ordinatus incurrit suspensionem. Neganda est enim hæc consequentia, vt rectè negauit illam Vasq. & alij Doctores superius citati: nam primum determinat quidam Canones, secundum verò minimè: neque hoc ex illo rectè infertur, & sequitur. Non est igitur tollenda potestas sacris antistitibus, & pœna ordinatis ponenda sine textu claro, & rotundo.

4. Notandum est etiam hic quod Syluester *verb. Ordo 2. q. 7.* & alij adducunt ad firmandam primam sententiam cap. *Literas*, & cap. *Dilectus, de temp. ord.* sed malè: nam vt rectè obseruat Vasquez *loc. cit.* solũ sermo est de duobus Ordinibus sacris, & præcipitur, ne in eodem die ab eodem recipiantur. Canones autem, *Qui aliquo, 51. dist.* & *Quis in Ecclesiasticis. dist. 56.* & *Si qui Episcopi, 1. q. 1.* qui allegantur etiam à Syluestro, de hac re non loquuntur, sed de alio malo genere Ordinationis.

5. Ad secundum argumentum adductum à Layman, & desumptum ex Concil. Trident. *sess. 23. cap. 13. & 11.* Respondeo cum Hurtado *de sacram Ordin. disput. 23. quod in cap. 13.* Concilium præcipit, duos Ordines sacros in eodem die non esse conferendos: ergo neque Episcopus potest dare in eodem die Ordines minores, & Subdiaconatum. Nego consequentiam, vt negauit Vasquez *supra*, respondens ad cap. *Literas*, & cap. *Dilectus, de temp. ordin.* præcipientes id quod Tridentinum *suprà* præcipit, nempe, duos Ordines sacros non esse dandos in eodem die.

6. Ad cap. verò 11. Concilij, respondeo, quod vt legentibus patet, nihil in eo de hac re definitur: loquitur enim ibi textus, vt obseruat Turrianus *de censuris, lib. 5. disputat. 46. dub. 1.* & Sinnez *de censur. disput. 31. sect. 1. num. 41.* sicut loquutus erat Pontifex *in cap. 2. de eo*, &c. nempe de suscipientibus, non autem de ordinante: vnde potius res ista *in dict. 11.* arbitrio Episcopi relinquitur, vt notat Marchinus *de sacram. Ordin. tract. 1. part. 7. cap. 1. n. 14.* Quo Episcopus dispensando in interstitiis, poterit, vt docet Castrus Palaus *vbi suprà*, eodem die minores Ordines, & Subdiaconatum conferre, & ita factum fuisse in Hispania testatur. Vnde Villalobos *in summa, tom. 11. disp. 52. num. 7.* ita asserit: [Tambien se aduierte, que dispensando el Obispo en los interticios, podra dor los Ordenes minores con la Epistola, que el Concilio solo prohibe que se den los Ordines mayores iuntos.] Hæc ille.

7. Ad tertium argumentum, quod Layman, & alij adducunt, respondet Vasquez, talem consuetudinem non esse introductam, vt vim legis habeat: & ita testatur ipse se vidisse aliquos Episcopos, minores Ordines cum Subdiaconatu in eodem die ministrasse. Quod etiam, vt visum est, testatur Castrus Palaus. Et ideò Pater Ioannes Præpositus *in 3. part. quæst. vnic. de sacram. Ordin. dub. 15. num. 151.* sic ait: [Probabilius censeo, primam Tonsuram posse conferri eodem die cum minoribus Ordinibus; imo & minores cum Subdiaconatu: quia iura in contrarium citari solita, de hac re non agunt, neque vlla est consuetudo contraria vim legis obtineris, & obligans.] Ita ille, & sic remanent soluta argumenta Layman, & aliorum, adducta in confirmationem negatiuæ sententiæ.

8. Patet igitur ex supradictis, sententiam asserentem, posse scilicet Episcopum in eodem die ministrare

nistrare Ordines minores cum Subdiaconatu ; & sic ordinatum nullam incurrere suspensionem, esse satis probabilem. Sed de hac quæstione, suppositâ consuetudine, ego *alibi* egi, &, me citato, nouissimè agit Leander *de Sacrament. tom. 2. tractat. 6. disput. 11. quæst. 13.*

Alibi in Resolutionibus, & §§. annot. primæ huius Ref.

RESOL. XCVIII.

An Minores Ordines possint conferri diebus festiuis duplicibus, non tamen seruatis à populo ex præcepto ?
Et quid de Ordinibus sacris ex priuilegio Papæ, sumendis, vt conceditur in tribus diebus festiuis ?
Sed difficultas est, quid sub nomine diei festiui intelligatur ?
Et supponitur minores Ordines posse dari quolibet Dominico, & quouis die Festo. Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Ref. 97.

Sup. hoc lege doctrinã 9. not. seq.

§. 1. CAsus est quotidianus, & satis practicabilis, cuius discussionem composui ad instantiam Abbatis la Farina, viri quidem omni laude dignissimi, & literis præsertim politioribus ornatissimi, pro cuius decisione suppono cum Henriquez *lib. 10. cap. 12. n. 2.* Reginaldo *tom. 2. lib. 30. tract. 1. cap. 5. num. 26.* Ochagauia *de Sacramento Ordinis, quæst. 9. n. 8.* Filliucio *tom. 1. tract. 9. cap. 4. num. 85.* Castaldo *in praxi Cur. lib. 2. sect. 15. cap. 3. num. 3.* & Layman *lib. 5. tract. 10. cap. 8. num. 1.* Angelo *verb. Ordo num. 7.* Armilla *eodem verbo, num. 6.* Tabiena *verb. Ordo, 2. qu. 3.* Salzedo *in practica Diaz, cap. 26. §. Minores.* Alzedo *in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. num. 21.* Madio *de Sacramento Ordinis, cap. 3. num. 4.* Honorio *in Decretal. lib. 1. tit. 11. n. 1.* Campanili *in diuers. iur. Canon. rubr. 6. cap. 2. num. 1.* Ioanne Suarez *in Enchirid. casuum conscientiæ, lib. 5. verb. Ordo, §. datur prima Tonsura*, & aliis, Ordines minores posse dari quolibet die Dominico, & quouis die festo. Sed difficultas est, quid sub nomine diei festi intelligatur. Nam aliqui tenent intelligi festum de præcepto, & ita docet Naldus *in summa, verb. Ordo, num. 15.* Barbosa *de potestate Episcopi, part. 2. allegat. 11. num. 22. & in collect. ad ius Canon. tom 1. lib. 1. tit. 11. cap. 3. num. 5.* Azorius *part. 2. lib. 1. cap. 17. quæsito vltimo*, malè pro contraria sententia à Barbosa citatus ; & à fortiori hanc sententiam docet etiam Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 11. difficult. 13. num. 4.* Viguerius *in inst. cap. 16. §. 6. vers. 6.* Rosella *verb. Ordo, 2. n. 4.* Diuus Antoninus *3. part. tit. 4. cap. 16. §. 16.* Syluester *verb. Ordo, 2. quæst. 2.* Bartholomæus à Ledesma *de Sacramento Ordinis, dub. 15.* Paludanus *in 4. distinct. 25. quæst. 2. num. 15.* Zanard. *in Director. part. 1. de Sacramento Ordinis, cap. 3.* asserentes Ordines minores dari posse in diebus Dominicis, & aliis festis principalibus, quod etiam docet Vega *in speculo, part. 2. cap. 14. §. 9. num. 56.* Et, vt verum fatear, Doctores suprà citati, asserentes Ordines conferri posse die Dominico, aut alio die festiuo, videntur docere hunc diem debere esse festiuum de præcepto, sicuti sunt dies Dominici. Confirmatur hæc sententia ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij*, vbi dum dicit denunciationes matrimonij faciendas esse in diebus festiuis ; Concilium Prouinciale Mediolanense, & Basilius Pontius *de matrimonio, lib. 5. cap. 30. n. 7.* cum aliis asserunt, dies festiuos intelligendos esse de his, qui Ecclesiæ præcepto seruantur. Ratio huius sententiæ erit, quia ille dicitur vulgariter dies festus, quem populus, & Clerus pro feriato ab operibus seruilibus habent ; & summus Pontifex accipit diem festum, quando concedit aliquem ordinari posse, vt passim & communiter accipi solet, loquitur enim vt communiter loqui homines consuescunt.

Sup. hoc in Ref. seq. lege §. Sed dicta, & vide etiam §. not. seq.

2. Sed his non obstantibus contrariam sententiam aliqui tenent, nempe dictos dies festiuos tam in Ordinibus minoribus, quàm in maioribus ex priuilegio sumendis sufficere, vt sint de festo duplici, licèt non seruetur Ecclesiæ præceptum, neque in illis abstineatur ab operibus seruilibus. Et quia hæc opinio erit satis plausibilis omnibus ordinandis, & etiam, vt reor, Dominis Episcopis, ponam hîc per extensum verba doctorum, qui illam docent. Ioannes Propositus Societatis Iesv *in 3. part. D. Thomæ, quæst. vnic. de Sacramento Ordinis, dub. 15. num 150.* sic ait. Quod autem *in cap. de eo, de tempor. ordinat.* dicitur, minores Ordines dandos esse diebus festis, non tantùm videtur intelligendum de festo, quod seruatur in populo, sed etiam de eo quod seruatur in choro. Ita ille. Cui adde ex Societate eadem Stephanum Fagundez *pr. 1. cap. 1. num. 15.* vbi hæc asserit. Rogabis an cùm summus Pontifex concedit priuilegium alicui vt possit extra tempus à iure statutum tribus diebus festiuis ad tres sacros Ordines Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotij promoueri, nomine diei festi intelligatur festus dies, ac feriatus, in quo populus laboribus, & operibus seruilibus cessat : an sufficiat quòd sit dies duplex, licèt non sit feriatus ? bipartita est sententia de hac re. Prima docet necesse esse hos dies esse à laboribus, & operibus seruilibus feriatos, & non sufficere quòd sint duplices, & festi in ordine ad Officia diuina. Secunda tamen sententia verior, & probabilior docet sufficere, quòd sint dies duplices, & festi in ordine ad Officia diuina ; licèt non sint à laboribus feriati. Hæc Fagundez, qui pro hac sententia citat Rodriguez *in quæst. regul. tom. 3. quæst. 23. art. 5.* quibus etiam ego addo Homobonum de Bonis *in responsione casuũ conscientiæ, volumine 2. part. 5. responsione 207.* & tandem hanc sententiam docere Pontificale Romanum obseruat Gauantus *in enchiridio Episcoporum, verb. Ordines minores, num. 15.* & Tannerus *tom. 4. disput. 7. quæst. 3. dub. 2. num. 44.* asserentes ex dicto Pontificali minores Ordines posse dari singulis Dominicis, & festiuis diebus duplicibus, quod nouissimè notat etiam Franciscus Hallier *de sacris Ordinibus, part. 2. sect. 7. cap. 1. art. 1. num. 2.* Vnde nescio quare quidam Episcopi Theologus cum ipso olim de hac opinione in praxi seruanda nimium scrupulis agitaretur : est enim hæc opinio satis probabilis, & ideo, me consulente, ne timeant Episcopi illam in praxi deducere.

Sup. hoc sup. pta in Ref. 84. §. Sed an. & in Ref 88. §. Neque, prope finem, à vers. Assirmantque.

RESOL. XCIX.

An Episcopus possit conferre Ordines minores quatuor, vel quinque personis in diebus Dominicis, vel diebus festiuis ?
Sed difficultas est, an sit necessarium esse dies festiuos de præcepto ?
Et docetur, quod in rigore iuris non videtur vetitum quacumque die, etiam feriali minores ordines conferre ?
Et an secluſa consuetudine ex causa iusta minores ordines, & simul Subdiaconatum eodem die Episcopus conferre possit ?
Et notatur suscipientes minores Ordines ante susceptum Sacramentum Confirmationis, nec ipsos, nec Episcopum peccare mortaliter? Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Ref. 66.

§. 1. NEgatiuam sententiam nominatim contra me tenet nouissimè Martinus de San Ioseph

in Monit. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 5. de Ordine, num. 2. vbi sic ait:[Los quatro menores Ordenes se puedendar en qualquiera dia de Domingo,y ne qualquiera dia festiuo à vna ,ò dos personas. Assi lo dize el pontifical Romano , que lo tomò del *cap. De eo: de temporib. ordinat.* Gaspar Hurtadus *vbi proximè*; però no podran ordenar por este capitulo los Obispos en dichos dias, sino à vno , ò à lo mas dos;porque expressamente lo señalan el Pontifical, y *el cap. De eo citat.* Vazquez *disp.246. cap.5.*Hurtadus *disp. 23. in princ.* Y es de admirar , que diziendolo tam claro el Derecho,afirmen algunos Autores,que puede ordenar mas que dos, no parezca, que haze Ordenes generales.] Sic Diana *2.par.tract.16. resol.28.* Siluest. *verb.Ordo 2.num.6.*Reginaldus *lib.50.n.26.* Y no dichos bien, pues in claris non est locus coniecturalis. Hucusque Martinus;cui adde etiam nominatim contra me Leandrum *de Sacram.tom.2.tract 6. disp. 11. quæst. 5.* qui tamen magis liberalis , quàm Martinus, extendit ordinationationem ad tres.

Quæ hic est supra Res. 96. §. 2.

2. Sed ego non discedo à sententia,quam docui, & puto,in hoc nó tam scrupulosè ab Episcopis procedendum : nam illa verba Textus *cap.3.de temporib. ordin.* non sunt apposita taxatiuè , sed exemplificatiuè , & ideò asserit Castrus Palaus *tom. 4. tract. 27. punct.15.n.2.* Bassæus *in Floribus,verb.Ordo 4.num....* cum aliis , Ordines Minores priuatim posse conferri, modò non sint tot Ordinandi , vt generalis Ordinatio videatur. Vnde doctissimus , & amicissimus Pater Quintanadueñas *in instruct. Ordin. Hispalen. part.3. §. 4. num.10.* sic ait. [La primera Tonsura se puede dar qualquier dia ,y assi se vsa. Las Ordenes Menores , fuera de las Temporas, se pueden dar todos los Domingos,y fiestas, *cap. De eo de temp. ord. Pontificale*, Angelus *Ordo 4. num.10.* Tabiena *Ordo 2. quæst.3.* Armilla *ord.num.7.* Salzedus *prac.*Bernardus Diaz, *cap. 26.* Rebuffus *praxi de Cleric. gloss.1. n.3.*Sanchez *lib.7. consc. cap.1. dub.52. num. 5.* Y no solo se puede à algunos,sino à muchos dar estas Ordenes estos dias, como no parezcan se celebran Ordenes generales ; que esto pretende prohibir el Derecho, *cap. De eo* quando dize, se den à vno,ò dos.] Ita ille, & ego : quibus adde Doctores,quos citat,& sequitur Sanchez *in Opusc. tom.2.lib.7.cap.1.dub.52. n.8.* & alios, quos adducit Leandrus *vbi suprà.*

Sup.hac prima Tonsura in Res. not. præteritæ §. vlt. post medium , vers. qui notat, & præteritis minoribus Ordinibus ibidem in §. 1.

3. Sed dictum est , Ordines Minores conferendos esse diebus Dominicis , vel diebus Festiuis ; difficultas est, an sit necessarium , esse Festiuos de præcepto?Et affirmatiuè respondet Leandrus *loco citato, quæst.3.* cum aliis, quibus adde Lezanam *verb.Ordines Sacri num.9.* Sed in alio extremo se ponunt aliqui, & docent, quòd in rigore iuris non videtur vetitum quacumque die Minores Ordines conferre, & ita tenet Eligius Bassæus *in florib. verb. Ordo 4. n. 4. in fine* , & nouissimè idem tenet Martinus de San Ioseph *vbi suprà in mon. Confess.tom.1. lib.1. tract. 5. de Ordine,num.3.& 4.*vbi sic ait.[Iuzgo quees muy probable , que pueden los Señores Obispos dar los Menores Ordenes en qualquiera dia, aunque no sea de fiesta; porque aunque el Pontifical Romano , y *el cap.de eo* , solamente señalan los dia de Domingo ò festiuos ; no reuocaron *el cap. Quando dist.5.* que dize: Quando & vbi licitum fuerit , vsque ad Subdiaconatus Officium ordinentur Clerici: & Iura iuribus expedit concordari,*leg. præcipimus in fine.Cod. de appellat.leg.Vnica. Cod. de Inofficios.dot.leg.* Sed & posteriores *ff de legib.leg. non est nouum ff.eod.tit. cap. Cum expediat.de electionibus lib.6.*] Ita ille qui citat Zerolam , Marchinum , & Ledesmam , quibus adde Ludouicum de San.Iuan.*in Summa,quæst.2.art.9. de Sacrament. Ordin.1.dub.1. concl.1.* sic asserentem.

Sup. hac difficultas in Res. præterita §. 1. ante medium , vers. Sed difficultas , & vide eam à principio , & §§. eius secundæ not.

[Las Ordenes Menores se pueden dar en qualquier tiempo, que al Obispo le pareciere, ora sea Domingo , ò otra fiesta , ò en otros dias feriales, como las celebre dentro de su Obispado,] Hæc ille.Sed hanc sententiam impugnat Leandrus *loco citato , quæst. 1.* putat tamen esse probabilem ; nam suam vocat tantum probabiliorem.

4. Nota hîc obiter , etiam secluſa consuetudine licere Episcopo eidem eadem die ex causa iusta Minores ordines & simul Subdiaconatum cõferre Rario est , quia id nullo Iure Canonico est veritum, & in Tridentino *sess.23. cap. 13. de Reform.* sollim prohibetur, duos Ordines Sacros eidem eadem die conferri. Ità me citato , & aliis , tenet Bassæus *in floribus verb. Ord.3. num.7.*

5. Nota etiam , Suscipientes Ordines Minores ante susceptum Sacramentum Confirmationis nec ipsos nec Episcopum peccare mortaliter. Ita, me citato, tenet Martinus de San Ioseph *vbi supra,tract. n.9.* & me citato,Bassæus, *verbo Ordo 3.n.6.*

RESOL. C.

An Episcopus peccet mortaliter , si ordinet aliquem qui Sacramentum Confirmationis non susceperit?

Et an qui Ordine sacro initiatur ante Confirmationem, peccet tamen venialiter?

Et an eo ipso, quod quis habeat dimissoria à suo Episcopo , vt possit ordinari , possit etiam ab Episcopo confirmari?

Et docetur Episcopum confirmantem alienum subditum,in sua Diœcesi non peccare, & consequenter non incurrere in censuram aliquam.

Et notatur Episcopum non confirmatum posse valide alios confirmare, neque hoc faciendo peccare mortaliter? Ex part.10. tr.11. & Misc.1. Res.14.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam videtur docere Moura *in Medulla cas. Conscient. part.3. cap.3.§.5.num.1.* & omnes qui docent peccare mortaliter , qui Sacris Ordinibus initiatur ante Confirmationem , vigore præcepti Concilij Tridentini, *sess.23. cap.4. de Reformatione.*

2. Sed de his alibi contrarium Ego teneo de Episcopo,cum Soto, Nauarro, Torreblanca , & aliis, quos citat , & sequitur Leandrus *de Sacram.tom.1.tract.3.disp.1. quæst.9.* Quibus ego addo amicissimum Patrem Dicastillum,*de Sacram. tom.1. tract.3.disp.vnica,dub.10.n.100.*vbi sic ait.Aliqui Recentiores putant,non esse præceptum aliquod suscipiendo Confirmationẽ ante Ordines;quamuis enim in Trident.*sess.23.cap.4.Confirm.*dicatur, *Prima Tonsura non initientur , qui Confirmationem non susceperint* : in his tamen verbis nullum putant contineri præceptum , vel suscipiendi Confirmationem ante Primam Tonsuram , vel quo Episcopi prohibeantur Primam Tonsuram dare non Confirmato. Quæ doctrina vera est,si loquantur de peccato graui;si tamen velint, nec venialiter peccare;omninò falsum dicit: apparet enim non contemnenda inordinatio,non sequendo directionem Tridentini;cùm id fieri posset. Ideò non rectè dicitur , non esse præceptum id ita faciendi;sed non esse præceptum in materia grani.Ita Dicastillus.Et ideò non mihi placet opinio doctissimi Granadi *in 3. part. tract.4. disp.1.n.9.* qui putat, sumentem Ordinem ante Confirmationem, neque venialiter peccare,puto enim culpam venialem committere,non autem mortalem; & sic nouissimè docet Castrus Palaus. *tom.4. tract.20. punct.8. num.6.*

3. Sed cum Casus in facti contingentia accidisset , Episcopus nolebat conferre Ordines cum pec-

cato

cato veniali: & ideò tunc ego consului potuisse confirmare Ordinandum: nam eo ipso, quòd habebat Litteras Dimissoriales à suo Episcopo, vt posset ordinari, hoc ipso poterat etiam ab eo Episcopo confirmari: etenim qui concedit finem, concedit consequenter quæ sunt necessaria ad finem. Et ita, me citato, docet Leandrus *de Sacram. tom. 1. tract. 3. disp. 2. quæst. 10.* & me etiam citato, Caspensis *in Curs. Theolog. tom. 2. tract. 27. disp. 2. sect. 3. num. 11.* Dicastillus, *vbi suprà, dub. 11. num. 130.* & Palaus, *tom. 4. tract. 20. punct. 10. num. 7.* & Auersa *de Sacram. Confirmat. quæst. 72. sect. 5.*

Sup. hoc in tom. 1. tr. 2. Res. 12. & in tom. 3. tr. 3. Resol. 61. à lin. 4. vers. Hic.

4. Adde, quòd Leandrus, *vbi suprà quæst. 8.* me citato, docet Episcopum confirmantem alienum Subditum in sua Diœcesi, non peccare; & consequenter, neque incurrere in censuram aliquam; quia credendum est, hoc esse ratum, & gratum, proprio Episcopo; quod sufficit in præsenti: nam cùm iurisdictio non sit de necessitate huius Sacramenti; facilius præsumi potest ratihabitio, quàm in Sacramento Pœnitentiæ, vbi requiritur iurisdictio de præsenti; licèt contrarium asserat Dicastillus, *loco citato.*

Sup. hoc in tom. 1. tr. 2. Res. 10. 11. & in Res. 12. §. Adde, & in tom. 3. tr. 3. Res. 1. post medium, à vers. Notandum.

5. Nota tamen hic obiter, Episcopum non Confirmatum posse valide alios confirmare. Ita Dicastillus, *n. 126.* neque hoc faciendo, peccare mortaliter contra nonnullos; sed tantùm venialiter. Ita Leandrus *vbi supra quæst. 6.*

Sup. hoc in Res. seq. cursim in fine §. 2. & in tom. 1. tr. 1. Res. 4. in principio, & in §. penult. & vlt. & in tom. 4. tr. 8. Res. 46. §. vlt.

RESOL. CI.

An qui suscipit Ordinem Diaconatum ante Confirmationem, quæritur an peccauerit mortaliter?

Et an non solum suscipiens Ordinem ante Confirmationem peccet mortaliter, sed etiam incurrat irregularitatem?

Et docetur Episcopum non peccare mortaliter ordinando non confirmatum, aut etiam antequam ipse confirmatus sit, Confirmationem, aut Ordines conferendo? Ex part. 2. tr. 16. & Misc. 2. Res. 4.

Sup. hoc in Res. præterita, & infra in Res. 111. §. 2. & in aliis eius annot.

§. 1. DIdacus Nugnus *in addit. ad 3. part. tom. 2. quæst. 35. art. 4.* Martinus Fornarius *tract. de ordine, cap. 3. num. 3.* & Bonac. *de Sacram. disp. 8. quæst. vnica, punct. 5. num. 10.* Tolet. *in summ. lib. 1. cap. 71. num. 6.* & Maiol. *de irregul. lib. 4. cap. 12.* docent peccare mortaliter, cùm faciat contra Tridentini præceptum *sess. 22. cap. 4. de reform.* vbi ait, prima tonsura non initientur, qui Confirmationem non susceperint.

2. Verior tamen est opposita sententia, quam hoc nostro æuo communiter sequuntur. Ita Sotus *in 4. dist. quæst. vnic. art. 8.* Victoria *de Sacram. Ordinis, quæst. 232.* Candelabrum aureum *de confir. num. 41.* Auila *de censuris, part. 7. disput. 9. sect. 1. dub. 3.* Suar. *tom. 3. in 3. part. disp. 38. sect. 1.* Valent. *tom. 4. disp 5. quæst. 2. punct. 3.* Nauarr. *in manu. cap. 22. num. 8.* Molfes. *in sum. tom. 1. tract. 2. cap. 11. num. 7.* Azor. *part. 2. lib. 3. cap. 48. quæst. 1.* & Coninch. *de Sacram. disp. 20. dub. 10. num. 103. & quæst. 72. art. 8. num. 90.* vbi asserit. Addunt aliqui esse peccatum mortale, suscipere Ordines ante Confirmationem, sed meliùs Negat Nauartus, qui docet etiam Episcopum non peccare mortaliter ordinando non confirmatum, aut etiam antequam ipse confirmatus sit, Confirmationem, aut Ordines conferendo.

Sup. contentis in istis vtribus vltimis in Resol. 1. not. præteritæ. §. 2. & vlt. & in Res. 2. §. 2. in fine, &c.

3. Ad argumentum Bonacinæ & aliorum respondetur, quòd in verbis Conc. Trid. nihil præcipitur initiandis, sed præscribitur Episcopis quid facere debeant: quamuis nec hic stricta aliqua obligatio imponatur, quia nullum est verbum, quo strictum præceptum indicetur. Nota verò, quod Toletus & Maiolus *vbi suprà*, putant non solùm suscipientem Ordinem ante Confirmationem peccare mortaliter, sed etiam incurrere irregularitatem. Sed hæc opinio meritò reiicitur à Suar. *in 3. part. tom. 4. disp. 42. sect. 3. n. 14.* Nauar. *in sum. cap. 22. num. 9.* Henriquez *lib. 14. cap. 6. num. 3.* Soto *in dist. 24. quæst. 1. art. 4.* Auila *vbi suprà*, & aliis.

RESOL. CII.

An in supputanda ætate Ordinandorum enumerandus sit dies Bissextilis vel omittendus?

Idem est in ordine ad professionem pro anno probationis Nouitiatus? Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Resol. 67.

§. 1. DIem Bissextilem, in ætate Ordinandorum, & profitendorum supputanda semper includendam esse, puto. Ducor Primò, quia in Ordinationibus accipiendus est annus Ecclesiasticus secundùm variationem temporum: at ritu Ecclesiastico dies bissextilis computatur: ergo. Secundò, eadem ratio est de vno anno bissextili, ac de cæteris: sed tot anni Bissextiles iam præteriti connumerandi sunt; secùs parere possent varietatem non modicam: ergo etiam includi debet dies præsens bissextilis. Tertiò, in iure vtraque, dies bissextilis pro vnica habetur, *leg. Cùm bissextus, ff. de verb. signif. & cap. Quæsiuit, eod. tit.* ergo necessariò computanda, ne necessaria ad perfectam ætatem dies desideretur. Quartò, in complendo anno probationis dies bissextilis est necessariò includendus; secùs Professio esset nulla ob non seruatam Tridentini formam, *sess. 25. cap. 15. de Regularibus* vt sustinent Iacobus de Graffis, *tom. 1. cons. lib. 3. cons. 6. num. 2. de Regularibus.* Rodriguez, *tom. 3. de Regul. quæst. 15. art. 4. & 5.* Molina *tom. 2. de Iustitia, tract. 2. disp. 573. §. Atque, vt à minori ætate.* Lessius, *lib. 2. de Iust. cap. 41. dub. 7. num. 59.* Sanchez *de Matr. tom. 1. lib. 2. disp. 24. num. 22. & tom. 2. Operis Moral. lib. 5. cap. 3. num. 31.* & clariùs *cap. 4. num. 4.* Miranda *in manuali Præt. tom. 1. quæst. 12. art. 3.* Bartol. de Vecchis *tract. de admittendis ad Religionis Statum Nouitiis disp. 11. dub. 4. n. 5.* & alij.

2. His non obstantibus, contrariam sententiam docent aliqui, asserendo diem bissextilem non esse necessariò computandum, tam in Ordinationibus quam in supputando anno Nouitiatus integro. Quare, si Nouitius compleat annum probationis die 24. Februarij, etiam occurrente tunc mense bissextili, poterit eadem die Professionem emittere; nec necesse erit expectare sequentem diem, nempè vigesimum quintum bissextilem. Probatur hæc opinio: Annus à iure determinatus constat ex diebus 365. qui est annus ordinarius, quem per se leges intendunt; quòd si eo anno contingat superaddi his 365. diebus diem aliam bissextilem, tanquam de rebus per accidens, laborandum minimè videtur. Et ita præter Doctores, quos citat, sequitur Barbosa *de Potest. Episc. part. 2. allegat. 101. num. 13.* hanc sententiam tenet nouissime Martinus de San Ioseph. *in monita Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 6. de ordine, num. 22.* vbi sic ait: [Para la edad de los ordenes legitima se ha de incluir en ella el dia del año bisiesto, como lo tiene Sanchez, *lib. 2. de matrim. disp 24. num. 22.* hablanda da la Profession, y lo mismo es para la edad de los Ordenes, y se prueua, porque el dia del bisiesto es el acomplimiento de los quatro años precedentes, que, faltaua para el circulo entero del Sol por el Zodiaco y porque el dia 28. y 29. de Febrero se computan por vno, *cap. Quod sicut de verb signif. & 3. §. Minorem,*

Sup. his Nouitiis in to. 7. tr. 1. Res. 138. §. vlt.

rem, ff. de minoribus, & leg. Cùm bissextus ff. de verb. signif. pero tengo por muy probable la opinion contraria de Siluestro verb. ætas, num. 5. de Panormitano in cap. Quæren. de Offic. deleg. que dize, que en las cosas odiosas no se ha de computar el dia del año bisiesto, sino solamente se ha de contar el año de 365. dias, cayga bisiesto, ò no cayga: y parece que esto se determina en la ley cum hæres, §. Stichus, ff. de stat. lib. ita ille: cui adde etiam doctum, & eruditum Iurisconsultum Didacum de Narbona in Annal. Iurisconj. n. 25. quæst. 55. num. 6. qui citat pro se Henriquez, Riccium, & Acugnam: vnde ego cum Leand. de Sacram. tom. 2. tract. 6. disp. 6. quæst. 20. vtramque sententiam probabilem esse puto.

RESOL. CIII.

An in ætate requisita ad Ordines suscipiendos detur parvitas materiæ?

Et notatur, quod si esset quis in principio sequentis dici, v.g hodie impletur ætas 24. annorum post dimidiam noctem, potest ordinari Sacerdos?

Et cursim infertur, quod licet requiratur septennium completum ad sponsalia, si tamen sunt in vltimo die septennij, sat est, si ille sit inceptus? Ex part. 5. tr. 5. Res. 17.

Sup. hoc in Res. seq. §. Hæc, & in Res. 1. post seq.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Basilius Pontius *de matrimon. lib. 7. cap. 65. num. 1.* vbi sic ait. Non enim hîc locum habet illa regula, Quod parum distat, nihil distare videtur, sicut neque in aliis, in quibus ius tempus præfinitum exigit, vt in ætate ad Ordines, si enim vel vnus dies, aut hora desideretur, vitiat factum. Ita ille, cui etiam adde Henriquez *lib. 7. cap. 20. num. 2. in gl. lit. O.* vbi dicit non debere deesse diem.

2. Nec obstat, quòd parum pro nihilo reputatur, quia id est verum, quando non inde pendet tota impletio præcepti, v.g. breuissimum spatium est dimidietas salutationis Angelicæ, & tamen si nocte Iouis, postquam immediatè sonuit duodecima noctis hora, aliquis carnes comederet, peccaret mortaliter, & tamen non peccaret, si ante talem horam, etiamsi solùm esset post dimidietatem temporis salutationis Angelicæ, manducaret.

3. Nota tamen quòd si esset in principio sequentis diei, v.g. hodie impletur ætas 24. annorum, post dimidiam noctem potest ordinari Sacerdos. Ratio, quia, vt docet Nauarrus *eodem consil. 6.* in fauorabilibus dies cœptus habetur pro completo. *l. qua ætate, ff. de testament.* Faciunt pro hac sententia Mandosius *de ætate minori, cap. 40. num. 11.* Panormit. *cap. attestationes, de respons. impub.* vbi dicunt, quòd licèt requiratur septennium completum ad sponsalia, si tamen sunt in vltima die septennij, sat est si ille sit inceptus. Patet hoc etiam, quia ille reuera iam dicitur attigisse 25. annum, & ita docet Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 33. num. 6. & 7.* Vide etiam Naldum *in summa verb. ætas, num. 3.*

Sup. hoc latè infra in tr. 6. Res. 3. & 4.

RESOL. CIV.

Quidam Religiosus inchoauit annum vigesimum tertium hora vigesima tertia diei, sed mane in eodem die recepit Ordinem Diaconatus, quæritur, an peccauerit, & in suspensionem inciderit tanquam ordinatus ante legitimam ætatem?

Et notatur, quod stando in rigorosa sententia, quod annus debeat esse inceptus, sufficit tamen ad singulos Ordines, vel per vnum medium diem annum inchoatum fuisse? Ex part. 2. tract. 16. & Misc. 2. Res. 29. alias 29.

§. 1. SVppono ex Tridentino, & communi DD. sententia, cum Filliucio *tom. 1. tract. 9. cap. 4. num. 84.* Miranda *in man. Prælat. part. 1. quæst. 39. art. 2.* ad licitè suscipiendos Ordines requiri ætatem legitimam; nam ad primam tonsuram, & minores Ordines requiruntur saltem septem anni completi, ad Subdiaconatum viginti duo inchoati, ad Diaconatum viginti tres inchoati, & ad Presbyteratum viginti quinque, vnde si aliquis initiaretur Ordinibus sacris ante dictam ætatem, in suspensionem incurreret, latam in Bulla Pij II.

2. His suppositis affirmatiuè ad casum propositum respondet Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 1. dub. 11. num. 2.* vbi sic asserit. [Estos años basta, que sean commençados. Mas no bastaria si le faltasse vno, ò dos dias para cumplir la edad, segun la mas probable opinion (aunque à algunos parece lo contrario) porquè de derecho de verdad el tal no esta en el incepto, y ansi non habetur pro completo. Mas si llega à la verdad el dezir, que si à caso le faltasse medio dia, se podria ordenar. Mas lo contrario tengo por mas cierto, porque esse aunque esté medio dia, no mas, antes de entrar en el año, aun no esta en el año, lo qual es necessario.] Ita ille, & ante illum Nauarrus *tom. 1. de tempore ordinand. cons. 5.*

3. Hæc sententia est probabilis, sed non minus probabilem contrariam existimo, quòd etiam concedit ipse Villalobos, vt suprà apparet, & illam in terminis docet ita Ledesma *in sum. tom. 1. tract. de sacram. Ord. cap. 7. fol. mihi 430.* ita asserens. [Si vno huuiesse de cumplir la edad el mismo dia de los ordenes à la tarde, ò de noche si se ordenasse à la mañana, ò vna cosa assi semeiante no parece à mi, que hauria mucho escrupulo, de otra suerte no lo tengo por seguro, y acertado.] Sic Ledesma. Ex his apparet dictum Religiosum non incurrisse suspensionem illam, de qua suprà, saluo semper meliori iudicio.

4. Notandum est tamen, quòd stando in rigorosa sententia, quòd annus debeat esse iam inceptus, sufficit tamen ad singulos Ordines, vel per vnum medium diem, annum necessarium à Concilio Tridentino, suprà, inchoatum fuisse. Et ita docet Coninch. *de Sacram. disp. 20. dub. 10. num. 102.* & Bonacina etiam *de Sacram. dist. 8. quæst. vnica, punct. 5. num. 11.*

RESOL. CV.

An qui vespere ingreditur annum assignatum pro illo, quo Ordine suscipiendo, possit mane præcedenti illum sumere?

Et notatur ad recipiendum v.g. Subdiaconatum sufficere viginti duos annos non per vnum integrum diem, nec per vnam horam, sed sufficere si sint inchoati per vnum, vel dimidium quadrantem horæ?

Et docetur Episcopum posse dispensare, si deficiant vndinando duo, vel tres dies ad ætatem debitam ad suscipiendos Ordines? Ex part. 9. tr. 9. & Misc. 4. Res. 51. alias 50.

§. 1. SEntentiam affirmatiuam, quam docuit Primarius Professor S. Theol. in Acad. Salmanticæ Petrus de Ledesma Dominicanus, ego olim probabilem esse dixi. Sed nouissimè Pater Pasqualigus qui cautè vt omnes alij debere aliorum opiniones censurare, nominatim contra me putant *in 4. Cent. 2. quæst. 122. num. 5.* hanc sententiam omni probabilitate carere. Verum, me citato, probabilem esse putat Trullench. *de Sacram. lib. 6. cap. vnico, dub. 10. num. 4.*

num. 4. Et ita hanc sententiam, præter Doctores adductos, tenet me citato Marchinus *de Sacram. Ordinis, tract. 1. part. 5. capit. 2. num. 7.* & etiam me citato Leandrus *de Sacrament. tom. 2. tract. 6. disp. 8. quæst. 8.* quia in casu de quo loquimur, vespera diei trahitur ad mane, cùm ex vtroque, vna dies fiat, vnde morali continuatione, qui sic ordinatur, dicitur ordinari in anno vigesimo secundo, tertio, aut quinto constitutus. Videat modò Pater Pasqualigus, si sententia tantorum virorum sit improbabilis, quare illam adduxit *in Praxi de Ieiunio decis. 443. num. 13.* ad confirmandam quandam opinionem quam ibi docet? quasi robur mea sententia, suæ sententiæ adiiceret; ergo tunc illam probabilem existimauit; non debebat igitur postea improbabilem vocare; verum ipse sciat Leandrum asserere, qui hanc sententiam improbabilem esse asseruerit, improbabiliter loqui. Imò ipse putat hanc sententiam debere dici probabiliorem: sed ego, vt verum fatear, puto contra Pasqualigum esse tantùm probabilem; at contrariam existimo probabiliorem.

Sup. hoc lege §. vltim. Res. 2. not. præteritæ, quæ est antecedens.

2. Nota etiam hîc obiter, dictum Patrem Leandrum docere *quæst. 7.* ad recipiendum v.g. Subdiaconatum sufficere viginti duos annos inchoatos, non per vnum integrum diem, vt vult Coninch, & alij, nec per vnam horam, vt ego volui cum Pontio; sed sufficere si sint inchoati per vnum vel dimidium quadrantem horæ; quia ait Leandrus, qui per dimidium quadrantem horæ, viginti duos, tres, aut quinque annos attigit, verè constitutus est in anno 22. 23. & 25. à Tridentino præscripto. Ergo, &c.

3. Et tandem non deseram hic adnotare Michaelem Zanardum Dominicanum *in direct. Theol. part. 1. de Sacram. matrim. cap. 40. §. 14* docere Episcopos posse dispensare si deficiant ordinando duo, vel tres dies ad ætatem debitam ad suscipiendos Ordines; quia moraliter parua distantia, pro non distantia habetur, quia quod parum distat, nil distare videtur. Ita Zanardus, sed tu cogita, licet supradicta opinio Zanardi satis confirmet probabilitatem nostræ sententiæ, contra Pasqualigum.

RESOL. CVI.

An si aliqua ordinatione Officialis Episcopi protestetur Episcopum nolle ordinare irregulares, v.g. carentes patrimonio, &c. tales, hoc non obstante, ordinentur?

Et quid est faciendum, quando ita casus acciderit in praxi?

Et notatur, quod non debent Episcopi accedentes ad Ordines prohibere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne accedant cum impedimento occulto censuræ, irregularitatis, &c. quin potius debent illos absoluere & dispensare in casibus, quibus possint eos dispensare, & absoluere: Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Res. 66.

§. 1. AD hanc quæstionem respondet Ioannes de Lugo *de Sacram. disp. 8. sect. 7. num. 119.* vbi sic ait. Infero secundò quid dicendum sit de protestatione, qua aliqui Episcoporum Officiales solent ante Ordinum collationem publicè protestari Episcopum non habere intentionem ordinandi eos, qui cum aliquo legitimo impedimento ad Ordines accedunt, v.g. irregulares aut carentes patrimonio & beneficio, vel legitimis literis dimissoriis, &c. Nam si reuera Episcopus habet talem intentionem, proculdubio qui illis impedimentis fuerint ligari, non recipient verum Ordinem. Aliqui tamen existimant protestationem illam fieri solùm ad terrendum; Episcopum autem habere absolutum animum ordinandi eum, qui accedit, quicumque ille sit. Ego quidem vsum talis protestationis nullo modo probo, tum quia in ritibus Ecclesiasticis fundamentum non habet, nam licèt in Pontificalibus antiquis & modernis apponatur formula, qua ordinandi moneantur ex parte Episcopi ne vllus accedat irregularis absque ætate, vel facultate legitima, &c. in nullo tamen Pontificali legitur & inuenitur talis protestatio de defectu intentionis, quare Officiales Episcopi, dum illam protestationem addunt, id de suo addunt, & non iuxta formulam in Pontificali constitutam; tum etiam, quia licèt existente grauissima causa posset aliquando Episcopus habere intentionem sub conditione vt fatetur Vasquez *dist. cap. 7. num. 86.* de ministro absolutionis. Si, v.g. aliquis simulans se alium petat ordinari, cùm multum referat hunc non ordinari. Cæterùm eiusmodi voluntas conditionata vniuersalis cum omnibus haberi non potest absque grauissimis inconuenientiis, propter dubia quæ inde oriuntur circa valorem Ordinis. Potest enim contingere in primis quòd aliquis tale impedimentum habeat, illudque vel ignoret, vel eius actu non recordetur. Potest item suboriri dubium, an reuera habuerit aliquid ex iis impedimentis; denique dato quòd illud habuerit, & cognouerit, dubitabit meritò de intentione Episcopi, an fuerit conditionata, vt verba priora sonabant, an absoluta, prout debebit esse. Non debet autem res adeò grauis his dubiis exponi. Vnde si casus accederet, ego Sacerdoti eo modo ordinato cum tali impedimento consulerem, vt si commodè potest, adeat eumdem Episcopum, eiusque intentionem exploret, qualis fuerit. Quòd si hoc fieri non possit, recipiat iterum sub conditione Ordinem; ne maneat in illo dubio, cum periculo inualiditatis aliorum Sacramentorum, quæ ex Sacerdotio dependent. Huc vsque Lugo.

2. Sed quando casus acciderit, nullum in eo ponit scrupulum Ioan. Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. vnic. de Sacram. Ord. dub. 17. num. 171.* sic enim asserit. Aduerte Episcopum solere interdicere sub pœna anathematis ne quis se ingerat susceptioni Ordinis nisi sit ad hoc canonicè examinatus, admissus, approbatus, descriptus, & nominatus, quæ excommunicatio comprehendit etiam extraneos aliàs Episcopo non subiectos, qui in hoc actu subiiciuntur, quod potest aliquo modo confirmari ex *cap. præterea de officio delegati, citato.* Quòd si Episcopus dicat non intendo, vel nolo ordinare excommunicatos irregulares, &c. intelligitur si aliquem talem esse cognoscat; vnde propter huiusmodi clausulam non debet aliquis se existimare non ordinatum, si fortè erat excommunicatus, &c. ignotus tamen, vel occultus, quia non obstante tali protestatione Episcopus verè intendit Ordines conferre examinatis, admissis, nominatis, de quorum defectu nullam habet notitiam. Ita Præpositus, cui ego libenter adhæreo.

3. Notandum est etiam hîc, quòd non deberent Episcopi accedentes ad Ordines prohibere sub excommunicatione latæ sententiæ, ne accedant cum impedimento occulto censuræ irregularitatis, &c. quin potiùs deberent ad cautelam in generali illos absoluere, & dispensare, vt si quis deinde fuerit recordatus se habuisse aliquam censuram irregularitatem, &c. non teneretur de his absolutionem quærere, si poterat Episcopus in dictis casibus absoluere, & dispensare. Ita Filliucius *tom. 1. tract. 9. cap. 5. num. 99.* Henriquez *lib. 10. cap. 20. num. 1. & 2.* & post illos Peyrinus *in priuil. Minimorum tom. 1. constit. 1. Iulij II. §. 18. num. 41. & 42.*

RESOL.

RESOL. CVII.

An census redimibilis sufficiat ad patrimonium Clerici?

Et an sufficiat patrimonium ab alio donatum sub conditione, vt cesset statim, ac Ordinando de sustentatione prouisum sit?

Et notatur, quod hoc passim admittendum non est?

Et aduertitur aliquem non posse promoueri ad sacros Ordines ad titulum beneficij, si titulus sit de futuro?

Et an quis possit Subdiaconatum, vel Diaconatum recipere ad titulum beneficij præsentis, licet fructibus illius non statim potiretur, sed solum post receptum Presbyteratum illius frui inciperet?

Et an aliquis possit promoueri ad Ordines ad titulum coadiutoriæ?

Et quid maxime, si coadiutoria habeat de præsenti congruam sustentationem?

Et aduertitur, quod impetrato beneficio, sed prohibita possessione a iudice seculari non posse aliquem sumere sacros Ordines? Ex part. 9. tract. 8. & Misc. 3. Resol. 25.

§. 1. NEgatiuam sententiam tenet Vgolinus *de potest. Episc. cap.* 26. §. 10. *num.* 2. & §. 12. *num.* 3. cum Bonacina *de Sacram. disp.* 8. *quæst. vnica, punct.* 5. *num.* 32. Quia venditor potest illum redimere, quo casu res fit mobilis, quæ non sufficit ad patrimonium.

2. Sed optimè Ioannes Baptista Tiberius *in Instruct. ordin. cap.* 9. *quæst.* 68. Garcia *de benef. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 95. Parisius *de Resig. lib.* 2. *quæst.* 6. *num.* 15. Azorius *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14. *quæst.* 7. Castrus Palaus *tom.* 4. *tract.* 27. *disp. vnica, punct.* 11. *num.* 9. asserunt, censum redimibilem sufficere ad patrimonium: quia annui census inter immobilia computantur, Clementina, *Exiui.* §. *Cumque annui redditus. de verborum significat.* Neque obstat, quòd redimi, & extingui possit, quia obligandus est ab Episcopo talis ordinatus ad conuertendum pretium in alia bona fructifera: & hoc casu posset etiam alius cum ipso fundari, vt Nauar. *de vsuris, num.* 87. Lessius *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 77. Itaque in tali casu, si redemptio fiat, deponatur pecunia ex Iudicis decreto apud idoneas personas, vt iterum census constituatur: si enim hoc est sufficiens pro constitutione vinculi, & maioratus perpetui, vti tradit Molina *de Hispan. primogen. lib.* 1. *cap.* 10. *nu.* 6. cur non sufficiet pro titulo ad Ordines requisito? illa enim cautione periculum extinctionis vitatur. Et licèt illo tempore, dum pecunia deposita est, nec se offert occasio constituendi, non possit ordinatus ex ea alimenta suscipere; non obinde censendus est insufficiens titulus esse census constitutus: quia illud tempus, moraliter loquendo, breue esse solet, ac proinde in considerationem non venit; ideóque reputatur census perpetuus, ac si redemptio non contigisset. Et ita nouissimè hanc sententiam, præter Doctores citatos, tenet Pater Garcia *in Summ. mor. tract.* 1. *difficul.* 1. *dub.* 5. *punct.* 5. *num.* 33. Machadus *tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 1. *tract.* 7. *docum.* 7. *num.* 6. & Marchinus *de Sacram. Ordin. tract.* 2. *part.* 6. *capit.* 7. *difficul.* 2.

3. Sed hîc incidenter quærendum est, an sufficiat patrimonium ab alio donatum sub conditione, vt cesset statim, ac ordinando de sustentatione prouisum sit? & an sit passim admittendum? Dico primò, de rigore esse admittendum: quia patrimonium, etiam absolutè datum, renuntiari potest de Episcopi licentia, obtenta aliunde decenti sustentatione; sed Episcopus admittendo talem conditionem, dat licentiam: ergo. In actu tamen, quo renunciatur, deberet Episcopus interuenire, vt iudicet, an aliunde sit prouisum sufficienter. Dico secundò: licèt patrimonia ab alio donata reiici non possint ex Sacræ Congregationis responso; reuerà tamen frequenter sunt insufficientia; cùm enim ad minus donator speret fore, vt ordinatus alimenta non petat, ideò is, ne illum offendat, nil audet exigere: vnde cogitur, si non mendicare, saltem indecorè viuere, vestire, laïcis inseruire, &c. & ideò etsi talia patrimonia, cùm omni suspicione carent, non sint reiicienda; non tamen frequenter putarim admittenda; maximè quia, cùm Episcopus neminem ad titulum patrimonij teneatur ordinare, nemo conqueri potest, si patrimonio ab Episcopo requisito carens non admittatur. Et hæc omnia docet Tiberius *in Instruct. Ordin. cap.* 9. *quæst.* 71.

4. Notandum est tamen hîc obiter communiter *de cens. lib.* 10. *cap.* 14. *num.* 19. Campanil. *in diuer. Iur. Rubr.* 8. *cap.* 4. *num.* 10. aliquem non posse promoueri ad sacros Ordines ad titulum beneficij, si titulus sit de futuro: sententia enim supradictorum est contra Concilium Tridentinum, quod præcepit titulum de præsenti iam pacificè possessum, hoc est Pacificè possidere, *cap.* 2. *sess.* 21. *de reformat.* Ergo non sufficit titulus de futuro. Ita Garcia *de benef. part.* 5. *cap.* 5. *num.* 130. qui tamen notat, fuisse Sacræ Congregatione resolutum, quòd poterit quis Subdiaconatum, vel Diaconatum recipere ad titulum beneficij præsentis, licèt fructibus illius non statim potiretur, sed solùm post receptum Presbyteratum illis frui inciperet. Sed hæc decisio videtur difficilis Marchino *de Sacram. Ordin. tract.* 2. *part.* 6. *cap.* 6. *difficul.* 3. *n.* 10. nam ex ea fieret, promotum ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, si non habeat, vnde viuat, cogi interim mendicare: quod, vt à clericali honestate alienum, Sacri Canones abhorrent. Vnde ex his cautè legendus est Gonzalez *de Regul. Cancel. Gloss.* 9. §. 9. *num.* 8. qui absolutè docet, aliquem posse promoueri ad titulum coadiutoriæ: nam exponendus est de coadiutoria perpetua habente de præsenti congruam ad victum sustentationem. Vide Montam *de optione Canon. c.* 4. §. 8. *num.* 169.

5. Hinc etiam contra Rodriguez *in Summa, par.* 2. *cap.* 15. *num.* 11. dicendum est, quòd impetrato beneficio, sed prohibita possessione à Iudice seculari, non posse aliquem Sacros Ordines sumere: nam Concilium ante ordinationem, pacificam beneficij possessionem prærequirit. Vide Marchinum, *vbi supra, difficul.* 4.

RESOL. CVIII.

An Episcopus in Regno Sicilia possit ordinare Subdiaconum, qui pro matrimonio tantum vncias vndecim annuales habet, & multa alia circa patrimonium?

Et notatur, quod si aliquis Subdiaconus initiatur Diaconatu, aut Sacerdotio ostendens testimonium patrimonij renunciati, vel alienati, & taceni renunciationem factam, non incurrit pœnas statutas contra eos, qui absque patrimonio ordinantur?

Et docetur Gradnatum in iure Canonico, aut in Sacra Theologia sine titulo, aut patrimonio posse ordinari?

Sed an vero contra hoc obstet declaratio Cardinalium? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Res. 52.

§. 1. DE hoc casu olim per litteras interrogatus fui ab Innocentio de Maximis Episcopo Catanensi, & affirmatiuè respondi, licèt nullius Doctoris authoritate fretus, quia licèt hodie in Sicilia patrimonium

patrimonium pro Subdiacono ordinando communiter determinatur constare ex vnciis duodecim annualibus, vt patet ex Synodo Panormitana *part.2. c.6. n.19.* tamen si in modico deficiat, non obstat quin Episcopus in tali casu possit Clericum ordinare, quia de modico non est curandum, vt habetur *in l. si oleum. §. fin. cum l. seq. ff. de dolo, & in l. in rebus. § possunt ff. commodati*, modica enim non nocent, vt patet ex *cap. si proponente*, vbi glossa, *de rescript.*

Sup. hoc ad literam in Resl. seq.

2. Verùm postea prædictam sententiam ex eodem principio inueni docere Thomam Sanchez *in opusc. tom.2. lib.7. cap.1. dub.35. num.8.* & quia casus frequenter potest accidere, ponam eius verba; sic itaque asserit. Secundò nota quòd si modicum deficiat, ad honestam sustentationem parum facit, quia de modico non est curandum, *cap. reuera, de consecrat. dist.2. l. scio ff. de in integr. restit.* Secus si sit notabilis, qualis erunt quinque respectu vigintiquinque. Ita Sanchez, qui citat Nauarrum ergo cùm quinque respectu vigintiquinque est defectus notabilis, summa duorum ducatorum & tarenorum non erit notabilis defectu respectu 30. ducatorum.

3. Notandum est tamen hîc obiter circa materiam patrimonij, quòd si aliquis Subdiaconus initiatus diaconatu, vel sacerdotio, ostendens testimonium patrimonij renunciati, vel alienati, & tacens renunciationem factam, non incurrit pœnas statutas contra eos, qui absque patrimonio ordinantur, quia talis verè habet patrimonium, cùm renunciatio, vel alienatio facta sit nulla & inualida, licèt peccauerit in ea facienda. Ita Sanchez *vbi suprà dub.40. iuncto dub.38.* & de hoc casu his diebus in facti contingentia consultus fui, & *vt suprà* respondi.

Sup. hoc in tom.5. tr.3. Resl.49. §. vlt.

4. Notat etiam Henriquez *lib.13. cap.17. num.2. & lib.10. cap.17.* & alios, quòdve magis miror, Gonzales *in rep. Cancell. 8. glos. 4. num.36.* & nouissimè Mauricium Alzedo *in praxi Episcop. part.2. cap.5. n.6.* docere, graduatum in iure Canonico, in sacra Theologia sine titulo, aut patrimonio posse ordinari, quia tali non defuturum est vnde viuat, & sic adimpletur mens Concilij; sed hanc sententiam non approbat Sanchez *dub.35. num.10.* & alij. Ego verò si non obstaret declaratio Cardinalium quam affert Emanuel Sà correctus *ver. Ord. numero 27.* hanc opinionem libenter consulerem in Collegialibus ex aliquo Collegio maiori Salmanticensi, aut Complutensi. nam in dictis Collegiis, quæ ego voco equos Troianos doctorum hominum, recepto gradu certum est citò graduatum habiturum plusquam congruam sustentationem, & ita tenet in specie Corduba *in summa quæstione 36.*

RESOL. CIX.

An in patrimonio necessario ad sumendos Ordines sacros detur paruitas materiæ? Ex part.5. tractat.5. Resl.20.

Sup. hoc ad literam in §. Verum. Resol. præterita, Sed lege etiam eius §.1.

§.1. REspondeo affirmatiuè cum Sanch. *in opusc. tom.2. lib.7. cap.1. dub.36. num.8.* vbi sic ait. Nota quòd si modicum deficiat ad honestam sustentationem, parum facit, quia de modico non est curandum, *cap. re vera, de consecr. dist.2. l. scio, ff. de in integr. rest.* secus si sit notabilis defectus, qualis erunt quinque respectu vigintiquinque. Ita ille, & ante illum Nauarr. *de temp. ord. conf.17.*

RESOL. CX.

An Clericus possit alienare patrimonium absque licentia Episcopi, si aliunde acquisiuit beneficium, vel alia bona sufficientia pro victu?

Et an, si absque Episcopi licentia patrimonium vendas, permutes, obliges, aut aliquo modo alienes, antequam habeas vnde viuere possis, nulla sit talis alienatio?

Et aduertitur bona patrimonialia, ad quorum titulum ordinatus es, non ob inde fieri bona Ecclesiastica, tametsi priuilegio fori bonorum Ecclesiasticorum gaudeant. Ex part.9. tr.8. & Misc.3. Resl. 23.

Sup. hoc in tom. 5. tr.3. lege doctrinam Resl.5 r. signanter cursim ad medium.

§.1. DIscordant in hoc Doctores. Prima opinio negat. Et ita docet Hugolinus *de potest. Episcop. cap.26. §.13. num.4.* Gauantus *in Enchir. Episcop. verb. Ordines maiores, num.13.* Præpositus *in 3. part. q. vnica, de Sacram. Ordin. lib.18. n.178.* Tiberius *in Instruct. ordinand. c.9. q.74.* Cenedus *in qq. Canon. lib.1. q.11. n.9.* vbi sic ait: [Sciendum tamen est pro intellectu *dicti c.2. sess.21.* minime irritam censeri præfatam patrimonij alienationem, absque licentia Ordinarij factam, si ipse alienans tempore alienationis habeat congruam sustentationem, quia tunc temporis, secundùm dispositionem Concilij, licentia Ordinarij poterit bona, ad cuius titulum ordinatus fuit, alienare: quia in hoc casu cessat ratio finalis Concilij, ibi: *Ne cogantur mendicare.* & sic debet cessare illius dispositio, *l. Adigere. §. Quamuis ff. de iur. patron. c. Cùm cessante, de appellat.* Quam interpretationem confirmant verba Concilij, ibi: *Donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, vnde viuere possint.*] Ita aduertit Flaminius *de resignat. lib.2. quæst.6. n.16. & 36.* Grassius *lib.2. cap.97. n.65. vers. Quod intellige.* Ceuallus *in pract. q.527. n.8. & quæst.561. ex n.30.* & sic cùm constituatur regula in Sacro Concilio Tridentino quòd bona, ad cuius titulum Clericus ordinatur, non possint alienari sine licentia Episcopi, & posteà sequatur limitatio, donec sufficiens beneficium Ecclesiasticum sint adepti; sequitur, quòd in hoc casu non requiritur prædicta licentia, imò ab ipso Concilio permittitur, cùm exceptio debeat esse de regula, ex l. *Cùm Prætor. de iudic.* aliàs enim tam regula tradita in Concilio, quàm eius exceptio, idem disponeret, quod esset absurdum. Ita Cenedus. Quibus adde Castrum Palaum *to.4. tract.27. punct.11. n.11.*

2. Sed secunda opinio affirmat: & ita sentiunt Garcia *de benef. tom.1. part.2. cap.5. num.186 & seq.* Ludouicus de San Iuan *de Sacram. quæst.2. art.10. d. ficul.2.* Gratianus *in disceptat. forens. cap.139. n.14.* Molfesius *in Summa, tom.1, tract 2. cap.18. num.31.* Azorius *tom.2. lib.3. cap.4. quæst.3.* Parisius *de resignat. benef. lib.2. q.6. n.16.* & alij. Et ratio est: quia dictio illa, *donec*, apposita in Concilio, est restrictiua temporis, habétque naturam suspensiuam, donec aliud emergat, id est, dato beneficio, vel alia hæreditate, ex qua promotus decenter viuere possit, nõ prohibetur patrimonij alienatio absque alia Episcopi licentia: & ideò hanc non esse necessariam in casu congruæ sustentationis aliunde acquisitæ. Itaque, sicut fundus dotalis, durante matrimonio, alienari non potest, quoniam data est dos ad onera matrimonij sustentanda; ita nec patimonium alienari potest, donec habeat Clericus, vnde commodè viuat.

3. Quid ego sentiam, dicam breuiter. Secũda opinio est satis probabilis: mihi verò probabilior prima apparet: & ideò, præter Doctores citatos, illam tenet nouissimè doctus Pater Hieronymus Garcia *in Sum. morali. tr.1. diffic.1. dub.5. pun.5. n.38.* [Quia (ait ille) el patrimonio erigido en titulo para ordenarse,

es conumerado entre los bienes Ecclesiasticos y goça de sus priuilegio; ni puede el Principe secular cosa sobre el; luego este patrimonio sin licentia del Obispo es inagenable. Lo segundo, porque si el ordenado, por solo que tiene que comer sin el patrimonio, pudiese por su mera liberalidad, y gusto, deshazerse del sin licentia del Obispo, superfluo fuera dezir el Concilio, que no pueda enagenarlo *absque Episcopi licentia*, y que esto no se entienda, quãdo no tiene de otra parte con que sustentarse el ordenando, sino aun teniendolo. *Patet*: porque sino lo tuuiesse, como podria dar licentia el Obispo, pues era forçoso, que si la daua, quedar el obligado à darle à comer; y pretender esto el Concilio, ni es creible, ni lleua camino luego habla del caso, quando y a el ordenado tiene que comer por otra parte que aun en tal caso le ha de pidir licencia para deshazerse del. Lo vltimo se prueua *ab inconuenienti*. Demos, que vn Subdiacono se ordenò à titulo de patrimonio, y luego obtuuo beneficio, ò le dieron hazienda equiualente al patrimonio, con loqual se deshizo del patrimonio con que se ordeno, si luego despues le impetrassen el beneficio, ò por alguna censura se lequitasen, ò se gastase lo subrogado en lugar de patrimonio, seria fuerça repetir al que se lleuò el patrimonio, que lo buelua para poderse ordenar de Diacono: estos son absurdos, è inconuenientes grandes: luego no se puede resignar patrimonio, y *a fortiori* beneficio, à cuyo titulo se ordenò, sin licencia del Obispo, como se manda en el Concilio.] Hæc Garcia. Dicendum est igitur, alienationem patrimonij factam absque licentia Episcopi, esse illicitam, etiam si promotus de nouo habeat sufficiens beneficium, vel congruam sustentationem. Et quidem si ordinatus habens aliunde, vnde viuat, posset absque Episcopi sui licentia patrimonium, ad cuius titulum fuit sacris initiatus, pro libito suo alienare: ergo Tridentinũ ineptè, & frustratoriè apposuisset illa verba, absque Episcopi licẽtia: siquidem iuxta oppositam sententiam sensus esset, tunc solùm prærequiri Episcopi facultatem ad alienandum dictum patrimonium, vbi qui non aliunde haberet, vnde viueret: nam, si habeat, vnde aliunde viuere congruenter possit, nolunt Doctores aduersæ sententiæ, necessariam esse hanc Episcopi licentiam. Quare, si hæc propositio negatiua est falsa, affirmatiua erit vera. Quòd si factam illationem coacti admittant, rursus rogo, ad quid Episcopi licentia eo casu necessaria à Tridentino exigitur, cùm illã Episcopus daturus non sit: quia, si illã ob quamlibet causam daret, teneretur ipse suis sumptibus promotum sustentare? Duo ergo his verbis Concilium prærequirere videtur: vnum, quòd in locum patrimonij, sufficiens beneficiũ, vel congrua pensio pro decenti victu subrogetur: alterũ, quòd Episcopus post diligẽs examen de tali sufficientia iudicet: qua existente, pro dicti patrimonij alienatione suũ præstet consensum.

4. Sed hîc oritur difficultas, an, si absque Episcopi licentia patrimonium vendas, permutes, obliges, aut aliquo modo alienes, antequàm habeas, vnde viuere possis, nulla sit talis alienatio, vt colligitur ex Tridentino prohibente prædictam alienationem sub verbo, *nullatenus*, quod tollit potentiam alienandi, & reddit actum nullum ex Glossa *in Clement. 1. verbo, Nullatenus, de sequestrat. possess.* & in Auth. *Si qua mulier verbo, Nullatenus, Cod. ad Senatusconsult. Velleianum, & ex verbo. Non possit*, quod etiam inducit nullitatem, vtpote quod omnem potentiã ad actum refert, teste Bart. l. *Cum lex. n. 6. & 7. ff. de fideiussorib.* Iason, *l. Frater à fratre. n. 44. vers. Tertia difficultas. ff. de condict. indebiti*, & pluribus aliis exornat Sanch. *lib. 6. de matrim. disp. 38. num. 20.*

Sup. hoc verb. *Non possit.* latissime in to. 6. tr. 1. Ref. 30. & in aliis eius primæ not. & infra

5. Verùm his non obstantibus, licèt hæc opinio sit probabilior, & illam teneat Ioannes Præpositus *in 3. part. quæst. vnica, de Sacram. Ord. dub. 18. n. 178.* Sanch. *vbi supra, disp. 32. n. 7.* Auila *de censuris, part. 3. disp. 5. dub. 5. concl. 2.* Molina *disp. 238.* Garcia *part. 2. c. 5. n. 177.* & alij: tamen contraria sententia non videtur carere probabilitate, quam tuetur Suarez *de censur. disp. 31. sect. 1. n. 38.* & Petrus Ledesma *de Sacr. Ordin. c. 7. conc. 7 difficult. 1.* Quia Concilium solum hanc alienationem prohibuit, sed factam non irritauit: sicuti fecit in alienatione beneficij, quam sine licentia Episcopi factam irritam esse decreuit. Cùm ergo in alienatione patrimonij, & pensionis hoc Decretum irritans non addiderit, & indicasse videatur, validam fore, si de facto fiat. Sed hæc parui momenti sunt, vt à communi sententia recedamus. Nam etsi Concilium in alienatione patrimonij, & pensionis non apposuerit expresse clausulam irritantem; apposuit tamen illam virtualiter sub illo aduerbio *Nullatenus*, iuncto verbo, *possit*, quod omnem potestatem tollit, & actũ contra factum irritat, & annullat. Ergo, &c. Neque obstat verbũ, *nullatenus*: quia multi docent, non habere vim decreti irritantis, quando actus aliàs posset fieri ab eo, qui prohibetur. Sic Angelus. *Excomm. 7. fine*, Syluester *Excom. 2. fine.* Armilla, *excomm. casu. 35.* & alij apud Tiraquellum *in leg. Si vnquam verb. Reuertatur, n. 69.* Neque verbum, *possit*: quia non possumus, quod licite non possumus; & ideò non semper omninò actum habentis potestatem irritat, vt Couarr. *in cap. Quamuis pactum. 2. part. de pactis, n. 10.* Suar. *5. de leg. cap. 31. n. 14.* Salas *de legib. disp. 16. sect. 8. n. 33.* Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 5. part. 7. §. 5. num. 17. vers. Hoc.*

Sup. hoc verb. *Non possit* in fine. Sanch. *in sum. to. 11. tr. de sacr. Ordin. c. 7. conc. 3. fol. mihi 435.* Ledesma *in sum. to. 11. tr. de sacr. Ordin. c. 7. conc. 3. fol. 435.* Ref. 30. & in aliis eius primæ not. & infra

6. Et tandem, bona patrimonialia, ad quorum titulum ordinatus es, non obinde fieri bona Ecclesiastica; tametsi priuilegio fori bonorum Ecclesiasticorum gaudeant; aliàs alienari nõ possent ex sola Episcopi licentia, vti permittitur in Trid. Sed necessaria esset solemnitas à iure requisita alienationi bonorum Ecclesiasticorum, de qua in cap. *Sine exceptione, 12. 12. q. 2.* & cap. *Nulli. 5. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Gaudent autem priuilegio fori, non quia Ecclesiastica sunt; sed, quia sunt bona personæ Ecclesiasticæ. Vide Gratianum *disceptat. forens. c. 139. n. 27.* Menochium *de recuperand. possess. rem. 35. n. 21.* Ceual. *commun. q. 527.* Cenedo *practic. q. lib. 1. q. 11. a n. 5.*

RES OL. CXI.

An qui suscipit primam Tonsuram, vel minoribus Ordinibus initiatur, animo non ascendendi ad alios Ordines, sed gaudendi priuilegio fori, & exemptione à tributis, peccet mortaliter: Ex part. 2. tr. 16. & Misc. 2 Res. 20. aliàs 22.

§. 1. NOuissimè August. Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 11. n. 12.* cum Bannez *in 2. 2. q. 12. art. 1. in 2. diffic. concl. vlt.* partem tuetur affirmatiuã, & præter ipsos, tenet etiam hanc sententiam Ledesma

Sup. hoc verb. *Non possit.* latissime in to. 6. tr. 1. Ref. 30. & in aliis eius primæ not. & infra

qui citat Nauar. Et ratio est, quia Conc. Trid. *sess. 23. c. 4.* ait. Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant, & de quibus probabilis coniectura non sit eos nó sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

2. At contraria sententia semper visa est mihi probabilior, & illam ex neotericis amplexi sunt Villalobos *in sum. tract. 12. diffic. 14. n. 2.* Sanchez *de matrim.*

matrim. tom.2. lib.7. disp.31. num.16.& 17. Conich *de Sacr.tom.2. disp.20. num.104. & 105.* & alij.

3. Ad authoritatem Concilij Tridentini respondetur, solum ostendere, quid ipsa decentia, & illius status reuerentia postulet, & ideo nullis vtitur verbis præceptiuis, ad peccati mortalis obligationem sufficientibus.

RESOL. CXII.

An suscipientes primam Tonsuram, & Ordines minores solum causa euadendi iudicem sæcularem, peccent mortaliter?

Et quæritur obiter, an suscipientes Ordines minores sine confirmatione peccent mortaliter, vel Episcopus illos ordinans? Et part.10.tra.16.& Mic.6.Resol.61.

§.1. AFfirmatiuè nominatim contra me respondet P. M. Ghetius *in suo Thesauro Animæ, tom.1. verb. Clericus, quæst.* 10. vbi sic ait: Peccat mortaliter, qui recipit Minores Ordines, vel primam Tonsuram cum intentione euitandi forum sæculare. Hoc expresse habemus ex Concil. Trid. *sess.23. c.4. de reform.* & sic docet Bañez 2.2.*q.*22.*art.*1. Quidquid in contrarium dicat Diana *tract.*16. *Miscell.*2. *resol.*22. qui respondet ad authoritatem Concilij, dicens ipsum solum attendere quid ipsa decentia, & illius status reuerentia postulet, & ideò nullis vtitur verbis præceptiuis ad peccati mortalis obligationem sufficientibus. Sed iste hallucinatur; sicut enim non confirmatus peccat mortaliter, si prima initiatur Tonsura, sic qui Tonsura initiatur, vt euitet forum sæculare. Ita Ghetius.

Quæ hic est Resl. antecedens, & in alio §. & vers. eius not.

2. Sed ego, his non obstantibus, iterum docerem, Clericum non peccare mortaliter, si Minores Ordines suscipiat, habens propositum recedendi, & interim à iudicio sæculari immunem esse: nam verba Concilij Tridentini, vt patet, rigorosum præceptum non indicant; & ad id quod asserit Ghetius, suscipientem Ordines Minores sine Confirmatione, vt vult Concilium, peccare mortaliter; ergo etiam peccabit mortaliter, si quis suscipiat Ordines ad fugiendum forum Laicale. Respondeo negando antecedens, nam vt ego docui *in 2. part.tract.2. Miscell. resol.*4. Ordines suscipientes nondum confirmari, citra tamen contemptum, non peccant mortaliter, quia verba Concilij strictum non continent præceptum. Et ita pro hac sententia alibi adduxi Magistrum Serra Dominicanum, cui nunc addo Reuerendiss. Candidum *tom.*3. *disp.*1. *art.*8. *dub.*20. Idem etiam docent Sotus, Victoria, Ledesma, Viuald. Suarez, Coninch, Ochagauia, Granatus, Layman, Hurtadus, Henriquez Rodriguez, Moure, Nauarrus, Torreblanca, Marchinus, Molfesius, Reginaldus, quos omnes, me etiam citato, adducit, & sequitur Leandrus *de Sacram.tom.1.tract.3.disp.1 quæst* 8. quibus ego addo, me citato Barbosam in Concilium Trident. *sess.23. cap.4. num.2.* Et me citato Stephanum de S. Gregorio *de Sacram.lib.3. cap.*18.*num.*10. & me citato Trullench *de Sacram.lib.2.cap.vnico.de Confirmat. n.*13. Ragucium *in Lucerna Parochorum, de sacram.Confirm.q.*25. Ioan. Franc. Suarez *in Enchir. Casuum Conscientiæ, tract. de Contractib. lib.5. verb. Confirmatio.* Bizozerum *de Sacram.part.3.cap.4.n.2.* Tiberium *in instruct.Ordinandor.c.*8.*q.*58. Gesualdum *in Theol.mor.tom.1.tract.5.c.2.n.*8. Dicastillum *de Sacram.tom.1. tract.3. disp.vnic. dub.*10. *n* 100. Eligium Bassæum *in floribus Theolog.verb. Confirmationis Sacram.n.*12. Petrum à Sancto Ioseph *in Theologia Sacramentali, c.*14.*resol.*4. Zambellum *in repert.moral. verb.consecratio, n.*1. Lessium *in 2 part.D.Thomæ q.*72. *art.*8.*dub.*12.*num.*32. Possentium *in Summula de Sacram.Confirm. verb.Susceptor, n.*3. Martinum de San-Ioseph *vbi infrà, tract.2. de Confirm. n.*16. Præpositum *in 3.part.quæst.*72.*art* 8. *num.*49. Quintanaduenam *in Theolog.moral.tom.*1. *tract.*2.*sing.*4 *num.*3. & Ioannem Vvigers *de Sacram. quæst.*72.*art.*8.*num.*32. cum aliis. Quid respondebit Magister Ghetius ad tantam nubem testium? qui omnes asserunt, verba Concilij Tridentini non imponere præceptum, ita vt sumentes Ordines ante Confirmationem, peccent mortaliter, & hoc plures ex suptadictis Doctoribus extendunt etiam ad Episcopum illos ordinantem, qui volunt neque ipsum in hoc casu peccare mortaliter.

Sup. hoc cursim in duabus primis Resl. not. præteritæ, & magis latè supra in Resl.100.& in Resol.4. not.præteritæ, à lin.4.& in fine §. Melius.& in §. vlt. & in Resl.5.in eodem §. & in Resl.6. §.vlt. & in Resl. 8. in eodem §. & in Resl vltim. §.1. & signanter 2.

Quæ hic est supra Resol. 101. & in Resl.99.§.vlt. & lege etiã §.1.& 2.Resl. 100.& in to. 2.& 2.Resl.4. à lin.4. & in Resl.12. §. Notaui.& in tom.3.tr.1. Resl.9. §.Sed difficultas.& in tom.1. tr. 3.Resl.26. §. Confirmatur. & in to. 3.tr.1. Resl. 27.5 Itaque. ad medium, à vers.In ipsomet. & late in tom.4. tr.8.Resl.46. à lin.3 & §. seq.

3. Itaque ex his contra Ghetium assero, suscipientes primam Tonsuram, solum ad declinandum forum iudicis Laici, lethalis culpæ reos minimè esse, & ita præter Sanchez, & Coninch à me citatos hanc nostram sententiam tenent Nauarrus, & Rodriquez, quos citat & sequitur Layman *in Theol. moral.lib.5.tract.9.cap.7.num.*2. Idem tenet Naldus *in Summa, verb. Ordo, num.*15. Bonacina *de Sacram. Ordinis, disp.*8. *quæst. vnic. punct.vlt.* Ioan. Baptista de Fabris *in manu. Ordin. de Sacram. Ordinis, cap.*4. *quæst.*7. Hurtadus *de Sacram.Ordinis, diffic.*22. Escobar *in Theolog.moral, tract.*7.*exam.*8. *cap.*4. *num.* 73. Homobonus de Bonis *in Exam.Eccles.part.*1.*tract.*3. *quæst.*2. Villalobos *in Summa, tom.*1.*tract.*11.*diffic.*14. *num.* 2. & nouissimè me citato Raphaël Auersa *de Sacram.Ord.quæst.*4.*sect.*2. & me citato Martinus de San Ioseph *in Mon. Confess. tom.*1. *lib.*1. *tract.* 3. *de Ord. num.*5. vbi sic ait: [El que se ordena de prima tonsura, y de los quattro menores Ordenes con sola intencion de gozar del fuero Ecclesiastico, y huir del seglar, y de no pagar tributos, ni ir à la guerra, por mandado del Principe, ò de obtener algun Beneficio, iuzgan graues Autores, que pecan mortalmente, que iuzgan se va contra precepto del Concilio Tridentino *sess.*23.*c.*4.*de reform.* quando dize, que el que se ordenare de prima tonsura, sit de illo probabilis coniectura, quod eligat hoc genus, vt Deo fideliter seruiat, & non vt declinet iudicium sæculare. Iuzgo pro mucho mas probable que estas palabras no inducen precepto, sino amonestacion, y que los arriba dichos nunca pecaran mortalmente, porque no van contra precepto alguno, y toman buen estado, aunque el fin no sea perfetto. Y es cosa dura condenar à pecado mortal pudiendo librar del, & sententia dura non est tenenda, neque admittenda, *l.filio pater* 89.*ff.de l.*1. & sententia humanior est tenenda, *l.pro hærede* 20 §.*si quid.*& *ibi* Gloss. *humanior, ff.de acquir.hæred.* Ita Martinus. Et tandem hanc sententiam docet Castrus Palaus *t.*4. *tr.*27. *punct.*8.*n.*7. Et ratio est, quia, ait ille, rationi consonum est, Ordinem suscipere sub intentione omnium, quæ Ordini annexa sunt: at Ordini annexa est exemptio à sæculari iudicio; ergo suscipere Ordinem sub hac intentione non est dissonum rationi. Neque huic intentioni obstat Concilium: quia in hac intentione nullam fraudem ordinandus committit: quippe vtitur iure sibi concesso. Illum ergo excludit Concilium ab ordine suscipiendo, qui non, vt fidelem cultum Deo præstet, ordinatur; sed sæcularis iudicij fugiendi fraude: fraus autem non est censenda committi, nisi graui aliqua causa apud sæculare iudicium, inceptâ initiaretur: tunc enim censeretur ordinandus fraude vti in sæculari iudicio fugiendo.

4. Nota etiam, quod post hæc scripta inueni Machadum *de perfecto Confess.tom.*2.*lib.*4.*part.*1.*tract.*1. *docum.*2.*num.*5. me citato nostram sententiam tan-

quam probabilem docere. Et ideo me citato Leandro *de Sacram. tom. 2 tract. 6. disp. 7. q. 11.* & me citato Garzias *in Summa, tract. 1. diffic. 1. dub. 14. n. 3.* sententiam affirmatiuam, quam ipsi cum Ghetio tenent vocant tantum probabiliorem. Poterat igitur Magister Ghetius nostram sententiam, si non probabiliorem, vt puto, saltem tanquam probabilem admittere, & non asserere tam petulanter, me illam tenendo hallucinatum fuisse. O lepidum caput!

RESOL. CXIII.

An ordinatus Ordinibus sacris ante pubertatem, teneatur continere?

Et quid, si adeptus pubertatem votum castitatis in Ordine sacro contento non ratificauit?

Et an predictum votum à Parentibus, vel tutoribus absque causa aliqua irritari possit?

Ex quibus deducitur votum solemne expressum in Religione approbata ante pubertatem emissum, nisi post pubertatem ratificetur, non obligare.

Imo hodie votum expressum solemne professionis non valet vsque ad decimum sextum annum completum; & ideo idem dicendum erit de initiato ante decimum sextum annum, nempe eum non teneri continere.

Et an sic validum votum, & inualidum matrimonium contractum ab eo, qui Ordinem sacrum accepit, ignorans illi annexum esse votum castitatis?

Et quid est dicendum si quis suscipiat sacros Ordines, cum intentione expressa non vouendi castitatem, an hoc non obstante teneatur castitatem seruare? Ex part. 10. tr. 16. & Misc. 6. Res. 84.

Sup. doctrina contenta in hoc & seq. §. in to. 1. tr. 7. Res. 74. §. Sed ad. & signanter §. Quæro secundo. & quamuis nõ plene sup. hoc lege tamen aliam Resol. ex §§. earum annotationũ.

§. 1. NEgatiuam sententiam tenet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 30. n. 8.* nisi adeptus pubertatem votum ratificet. Et ratio est, quoniam votum solemne expressum in Religione approbata, ante pubertatem emissum, nisi post pubertatem ratificetur, non obligat, *c. 1. & cap. illud 20. q. 1. & cap. ad nostram, de regular.* Ergo nec votum solemne tacitum emissum in Sacri Ordinis susceptione. Dices, hoc votum solemne non tantæ esse efficaciæ: cum non sit per se, & ex natura rei solemne. Id fateor, at vere constituit in statu iure Ecclesiastico incompatibili cum matrimonio: & quamuis Pontifex possit dispensare, at summa cum difficultate dispensabit, & propter causam valde publicam, quare non est credendum velle Ecclesiam voto tanti momenti alligari puerum impuberem. Quamuis enim votis simplicibus ligari possit, & facillimo negotio illi ætati consulitur: cum possint omnia illa impuberum vota à parentibus vel tutoribus absque causa aliqua irritari. Imò hodie cum votum expressum solemne professionis non valeat vsque ad decimum sextum annum completum, iuxta Trid. *sess. 25. de regul. c. 15.* idem dicendum erit iuxta hanc sententiam de initiato Ordinibus Sacris ante decimum sextum annum, nempe, eum non teneri continere. Quia ratio tradita ab hac sententia prorsus militat in hoc casu.

12. Sed hanc opinionem refellit Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 29. num. 15.* & post illum Martinus *de Sacram. tom. 5. disp. 75. sect. 2. n. 23.* Quia votum emissum cum sufficienti vsu rationis, obligat quantum est ex se, & ex natura rei, nisi Ecclesia reddiderit hoc votum irritum. Vsus autem rationis sufficiens ad vouendum, est idem qui sufficit ad peccandum mortaliter: & Ecclesia nusquam irritauit votum ordinati ante pubertatem, sicut irritauit professionem factam ante annum 16. ætatis. Quare talem obligatum irrimeritò censet. Vnde patet responsio ad argumentum, quod adducit Sanchez: Ego verò vtrumque sententiam probabilem esse puto.

3. Verùm, si aliquis hic obiter quærat, An sit validum votum, & inualidum Matrimonium contractum ab eo, qui Ordinem Sacrum suscepit ignorans annexum esse votum Castitatis. Negatiuè respondet Vasq. & Caiet. quos citat, & sequitur Pontius *loc. citato, n. 14.* Sed ego puto esse validum Votum, & consequitur inualidum Matrimonium. Quia eo ipso quod sciens, & volens Ordines Sacros suscipit, licet ignorauerit, votum annexi, emisit tacitè votum. Quia qui vnum sciens, & prudens efficit, & vult facit, & vult subinde ei annexa. Ita Sanchez *ubi supra, disp. 27. n. 11.* & Candidus *tom. 1. disquis. 8. art. 4. dub. 6.* cum aliis, & Martinus de San. Ioseph.

4. Sed quid dicendum, si suscipiens Sacros Ordines cum intentione expressa, non vouendi Castitatem, teneatur Castitatem seruare? Negant Valquez *in 3. part. tom. 3. disp. 247. cap. 7. num. 99.* & Basilius Pontius *vbi supra, n. 14.* Sed affirmatiuæ sententiæ adhæret cum Sanchez, & Candido Pater Leandrus *de Sacrament. tom. 2. tract. 9. disp. 17. q. 7.* vel ex solo constitutione Ecclesiæ, vel etiam ex voto, eo quod id sit annexum ex constitutione Ecclesiæ Ordini Sacro independenter ab Ordinantis voluntate: Et ideò ad hæc duo posteriora dubia consuluit nobiscum etiam P. Martinus de San Ioseph, *in Mor. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 31. de Matrim. num. 4.*

RESOL. CXIV.

An sacer Ordo susceptus per vim, & metum imprimat characterem.

Et deducitur, quod si Ordinatus per vim, & metum recipit Ordinem sine voluntate recipiendi Sacramentum, sed solum simulate, hic quidem Ordinem non suscipit, quia inualidè ordinatur.

Item, cum quidam Ordinatus Subdiaconus obtinuisset ab Episcopo declaratoriã fuisse Ordinum per vim, & metum, sed postea petens dispensationem à Summo Pontifice, vt ad alios Ordines sacros promoueri posset, dubitatum fuit à quibusdam in dataria, an iste talis debeat saltem sub conditione sumere Ordinem Subdiconatus?

Item quæritur, an ordinatus per vim, & metum teneatur ad votum continentiæ?

Et an prædictus possit licite contrahere matrimonium?

Et an etiam teneatur ad recitandum Officium Diuinum?

Et docetur, quod quocumque metu initiatus, quantumuis graui, si postea ratificet verbo, aut facto semel vtens Ordine accepto sine vlla coactione, non erit iam in posterum sibi integrum redire, sed continentiæ, & obligationi Officij Diuini subiacebit, sicut cæteri sponte ordinati; & hoc autem intelligendum est, si sciens & prudens exerceat; secus vero si per errorem, quo quis ad Ordinis obseruantiam existimat se esse adstrictum.

Et infertur, quod professio debet fieri à sciente, & volente, & quod professio tacita inducitur faciendo propria opera professorum. Ex part. 10. tr. 13. & Misc. 5. Res. 18.

§. 1. SI vis est absoluta quia vi detinetur, negatiue est respondendum, si autem vis est conditionalis, puta vt euadat cruciatũ, mortem, &c. tunc Ordinem characterem imprimere dicendum erit. Et ratio discriminis est, eo quod in coactione quam conditionalem Doctores appellant, adest vo-

luntas

iuntas saltem indirecta *ex capite Meritò* 15. *q.* 1. quæ in absoluta coactione deficit. Et ita hanc sententiam sustinet Sylvester, *verb. Ordo I V. n.* 1. *Secundò*. Barbosa *de Potestate Episcopi. part.* 2. *allegat.* 2. *n.* 5. & 6. Comitolus, *lib.* 1. *q.* 55. *n.* 1. qui testatur de communi sententia Theologorum, & Canonistarum.

2. Sed aduersus superiùs dicta insurgit Antonius Cabreros, *de Metu, lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 8. vbi absolute ad quæstionem propositam negatiue respondet, & probat hanc sententiam pluribus argumentis. Primò, vbi de substantia actus est libertas voluntatis, tunc actus annullatur ipso iure, *l. Si mulier.* §. *si dos, ff. hoc tit. cap. Cum locum de sponsi.* coactio enim repugnat arbitrij libertati in substantia voluntatis, ita voluit Baldus *in Rub. extr. hoc tit.* illudque dicitur libero arbitrio fieri, quod nullo cogente imperio, & nulla necessitate fit *leg. Si quis maior. Cod. de transact.* Ergo cùm metus remoueat voluntatem ab actu, sequitur apertè tam vi absoluta, quàm conditionali ordinum adsumptionem non tenere. Secundò, vbicumque in aliquo actu requiritur voluntas qualificata, si adest illa, & non adstat qualitas, non est legi satisfactum *cap. Vbi periculum* §. *Caterum, in vers. Voluntas, & libertas, de elect. lib.* 6. Sed in adsumptione Ordinum debet interuenire voluntas, & libertas, vt per se patet, ergo si adest sola voluntas, & non libertas, non est legi satisfactum: & de necessitate talis adsumptio non subsistet. Tertiò, votum metu factum est ipso iure nullum, *cap. licet de voto.* Sed in adsumptione Ordinum inest votum continentiæ, vt in *cap.* 1. *& 2. qui Cleric. vel. Vouent. cap. Ante triennium* 31. *dist.* Ergo nullus fuit ipso iure Ordo adsumptus. Quartò, quotiescumque duo regulariter æquiparantur à iure, ius disponens de vno habet locum in reliquo, *leg.* 1. *de leg.* 1. glossa *in leg. Si quis seruo. Cod. de furt. & in cap. Si postquam.* § *fin. de elect. in* 6. *& in cap.* 2. *de confess. eod. lib. & in cap.* 1. *de Rescript. cum. multis*, Velasc. *in Axion. Iur. lit. A, num.* 180. adsumptio Ordinis, & Professio regulariter sunt à iure æquiparata, *cap.* 1. *in vers. Per susceptionem Sacri Ordinis, aut Professionem. de Voto in* 6. Sed professio debet fieri à sciente, & voluntarie, ita decidit Text. *in cap. Constitutionem, in vers. Sciens.* ac voluntarius perseueret, *& in cap.* 1. *& cap. Non solum, in vers. Si de sua voluntate processerit, de reg. lib.* 6. Ergo sicut debet esse voluntarius professus Religionem, eodem modo adsumens Ordines. Quintò, habitus Religionis sponte susceptus deseri nequit, *cap.* 1. *capite* 2. 20. *quæst.* 3. ergo si per coactionem suscipitur, desertio locum habere poterit. Sextò Ordo receptus non potest deseri, *cap. Eos* 20. *quæst.* 3. ergo si non sponte susceptus, relinqui valebit. Septimò, facit expressus Textus *in cap. Præsens* 20. *quæst.* 3. vbi Clericus inuitus non subiicitur Ordinibus metu receptis, ibi: *Clericum nomine Lambertum minime debere existimauimus sub tali violentia fieri Monachum.* Quod enim quis non eligit, nec optat, profecto non diligit, quod autem non diligit, facile contemnit, nullum quippe bonum nisi voluntarium. Ergo distinctio respuenda est; & generaliter tam vi absoluta, quam conditionali Ordinum adsumptionem non tenere affirmandum extitit. Octauò probatur ex Textu in *cap.* 2. *de regul.* vbi si filius efficiatur Clericus post legitimos annos, & nec ipse, nec eius parentes intra annum reclamauerint, in Clericatu permanet, ibi: Si verò post legitimos annos per vim Clericus factus est, & nec ipse, nec parentes eius intra annum ad memoratas personas reclamauerint, in Clericatu permaneat. Ergo si intra annum reclamatio fiat, non permanebit in Clericatu, nec Ordo tenebit. Vltimò, nullus dubitat metum cadentem in constantem virum facere inuitum, quando, aut mors ipsa, aut corporis cruciatus graui, aut vniuersorum bonorum, aut partis eorum amissio interminatur, *cap.* 1. *cap. Ad audientiam, & cap. Cum dilectus. hoc tit. leg. propter litem. ff. de excus. tut.* aut subtractio magni lucri, vt docet Cynus *in leg. interpositas. Cod. de transact.* Sanchez *de Matrim. lib.* 4. *disp.* 5. *n.* 27. Sayrus *de Censuris, lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 32. Sed in vi conditionali adest metus iustus, vt omnes fatentur: ergo Ordo ille adsumptus non valebit: alioquin metus cadens in constantem virum nullum sortietur effectum, contra expressa iura in *leg.* 1. *& 2. cum seqq. ff. hoc tit.* Rursus, si metus constans & ius facit inuitum, nulla voluntas in vi conditionali adest, cùm propter periculum minitatum consentiatur: igitur nullo modo distinctio procedit. Et hæc omnia docet Cabreros *vbi suprà*. Sed ego nolo à communi sententia recedere, quam præter Doctores citatos tenet etiam Marchinus *de Sacram. Ordinis, tract.* 2. *part.* 6. *cap.* 8. *difficult.* 9. *n.* 12. Dicastillus *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 1. *dub.* 19. *n.* 424. Auersa *de Sacrament. Ordinis, q.* 4 *sect.* 8.

3. Respondeo itaque ad casum propositum magis clare; quod si ordinatus per vim & metum recepit Ordinem sine voluntate suscipiendi Sacramentum, sed solum simulatè, hic quidem Ordinem non suscipere, quia inualidè ordinatur, & si indiuidualiter obseruat Coninch, *de Sacram. disp.* 20. *dub.* 14. *num.* 143. & Marchinus *vbi suprà num.* 1. Secus autem dicendum de eo, qui est inuitus tantum secundum quid, vt sunt hi, qui metu inducuntur, vt suppono esse in casu nostro ad suscipiendum ordinem, ita vt vere illud velint suscipere, & si id nollent, si abesset metus.

4. Hi enim Ordinem suscipiunt, quia hi habent absolutam intentionem suscipiendi Sacramentum, & tantum sunt inuiti secundum quid, vt bene notat idem Coninch *vbi supra, quæst.* 64. *art.* 8. *dub.* 5. *n.* 99. cum aliis communiter. Et hoc dicere voluerunt DD. citati cum aliis communiter de coactione absoluta, & conditionali; ex his cum quidam Ordinatus Subdiaconus obtinui set ab Episcopo declaratoriam fuisse ordinatum per vim, & metum; sed postea petens dispensationem à summo Pontifice, vt ad alios Ordines sacros promoueri possit, dubitatum fuit à quibusdam in Dataria, an iste talis debebat saltem sub conditione sumere Ordinem Subdiaconatus: & ego de hoc casu interrogatus respondi, quod si talis ordinatus per vim & metum habuit voluntatem non suscipiendi dictum Ordinem Subdiaconatus, quod vtique illum teneretur suscipere, quia tunc non fuit valide ordinatus: Si autem quando suscepit Subdiaconatum, voluit vero ordinari, licet si non adesset metus, Ordinem quidem non susciperet; & in hoc casu valide Subdiaconatum recipit, & characterem, & ideo non est denuo ordinandus, neque sub conditione, sed potest ad Diaconatum promoueri: Itaque secundum distinctionem à nobis positam, quoad primam partem procedit opinio negatiua Cabreros; quoad secundam partem, opinio affirmatiua Sylvestri, & aliorum.

5. Sed ex his oritur difficultas, an ordinatus per vim & metum teneatur ad votum continentiæ: & pugnantes sententias me citato adducit Marchinus *de Sacram. Ordinis, tract.* 2. *part.* 6. *cap.* 8. *difficult.* 9. *num.* 12. qui negatiuæ sententiæ adhæret satis quidem probabiliter licet affirmatiua sit etiam probabilis. Stantes autem in sententia negatiua, cui nouissime adhæret doctus Dicastillus *vbi suprà num.* 4, 8. multa deducunt, & ideo ipse sic asserit: Infertur primò, posse prædictum licitè contrahere Matrimonium

Sup. hoc in Ref. seq. signanter ad lin. 4. & in tom. 1. tr. 7. ref. 74. §. vlt. & lege etiã Ref. not. primæ huius Ref.

Sup hoc in Ref. seq ad lin. 5.

nium, quia solum impedire posset votum, eiusque obligatio ad castitatem, quæ tamen nulla est. Quam sententiam putat esse omnium Doctorum, quos pro nostra sententia refert, atque in termino id expressè concedunt Henriquez *lib. 10. de sacram. Ordin. cap. 14. num. 3.* Infertur secundò, non teneri prædictum ad recitandum Officium Canonicum; est enim onus adiunctum Ordini sponte assumpto. Ita Nauarrus *in summa Latina, cap. 22. num. 51.* Vivaldus, & Sà apud Sanchez *suprà*. Addit alter Sanchez cum Nauarro *lib. 1. consiliorum, de iis quæ vi, cons. 3 num. 4* in priori editione; in posteriori verò, *consil. 5. num. 4.* adhuc non teneri continere ordinatum per metum, etiamsi metus non sit cadens in constantem virum; dummodo talis sit, vt præ timore illo initiatus fuerit, quo secluso non fuisset initiandus; id quod multi non improbabiliter sentiunt de Matrimonio simili metu inito, quod dicunt esse in foro conscientiæ nullum; & probabile putat Sanchez *lib. 4. disp. 17. num. 3. & 4.* quamuis probabilius putet oppositum. Quæ doctrina mihi placet, eamque sequuntur plurimi Auctores, quos refert idem Sanchez *libro 7. disputat. illa 29. numer. 5. & 8.* Et hæc omnia docet Dicastillus *loco citato*, qui etiam postea subdit, quod quicumque metu initiatur, quantumuis graui, si postea ratificet verbo, aut facto, semel vtens Ordine accepto sine vlla coactione, non erit iam in posterum sibi in integrum resilire; sed continentiæ subiacebit, sicut cæteri sponte ordinati. Iam enim per illam liberam gratificationem virtualiter elegit in eo Ordine permanere, perinde atque professio tacita inducitur faciendo propria opera professorum. *cap. Vidua, de Regularibus.* Ita Sanchez *num. 9.* cum Ostiensi, & aliis, quos refert. Hoc autem intelligendum est, si sciens, & prudens exerceat: secus verò, si per errorem, quo quis se ad Ordinis obseruantiam existimet adstrictum; tunc enim non censetur ratificare, nunquam enim est ratificatio actus nullius, dum ignoratur actum fuisse nullum, iuxta doctrinam eiusdem Sanchez *lib. 1. disputat. 16. num. 7.* & in nostro casu docent Nauarrus *lib. 1. consiliorum, titulo, de iis quæ vi, in priori editione, consilio 2. num. 8.* & in posteriori. *consil. 4.* Vega *in summa capite 57. casu 6.*

Sup. hoc inf. in tr. 6. Res. 141. § Notādum est.

Sup. hac professione in tom. 7. tr. 2. ex Res. vnic. §. Denique ad med. vers. Deniqne. & pro doctrina seq. in hoc §. lege etiam præcitatū §. Denique. Per totum, & non pigebit.

RESOL. CXV.

An Ordo per vim, & metum susceptus impediat, & dirimat matrimonium?

Et an sic ordinatus teneatur ad seruandam castitatem, vel possit validè contrahere? Ex pa. 3. tr. 4. Res. 192. alias 193.

§. 1. NEgatiuam sententiam communiter docent DD. quos citant, & sequuntur Sanchez *tom. 2. lib. 7. disp. 29.* Azorius *tom. 1. lib. 13. cap. vlt q. 8.* & Rebellius *part. 2. lib. 1 q. 5.* Et ideò asserunt, sic ordinatum ad seruandam continentiam non teneri, & posse validè matrimonium contrahere, quia votum ex metu graui factum nullum est ipso iure, ex *ca. per latam, cap. cùm dilectus, de iis quæ vi,* &c.

Sup. his duabus difficul. magis, latè in Res. præterita, §. vlt. à princip. sed lege eā per totam, & nō pigebit, & in tom. 1. tr. 7. res. 74. §. vlt.

2. Non reticeam tamen affirmatiuam sententiam nouissimè docere Basilium Pontium *de matrim. lib. 7. cap. 29. n. 3.* vbi sic asserit: Ego, qui multitudinem Doctorum parum curo, cùm sciam multos sine vllo examine, aliorum dictis adhærere, sed tantùm fundamenta, atque rationes considero, longè probabilius iudico, si rationum attendamus merita, votum continentiæ valere in eo, qui ordinatur ex metu graui, & inhabilem esse ad matrimonium, esse dignum tamen, vt cum eo facilè dispensetur. Ita ille, qui multas rationes solidè, & acutè, vt semper solet, adducit, & respondet ad Canones pro contraria sententia adductos, quam quidem his non obstantibus probabilem etiam esse existimo, & illam cum Sanchez tenent nouissimè Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 14. diffi. 14. n. 4.* & Bonac. *de matrim q. 3. punct. 3. n. 11.* cum duodecim Doctoribus, quos citat, & sequitur Barbosa *in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 42. cap. 2. n. 18.*

RESOL. CXVI.

An vir, consentiente vxore possit ad Sacerdotium promoueri, si ipsa Religionem non ingrediatur, etiamsi iuuenis, dummodo voueat castitatem?

Et notatur semper esse necessariam professionem vxoris in Religione, siue sit senex, siue iuuenis, vt possit ad Episcopatum promoueri.

Et quid si ad Cardinalatum vir promoueatur? Ex pa. tr. 4. & Misc. Res. 129.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Sotus *in 4. disp.* [illegible] *37. q. 1. art. 2. post 2. conclus.* Coninch *de sacrament. disp. 35. dub. 6. n. 32.* & Sanchez *demori, lib. 7. disp. 39. n. 6.* vbi sic ait: Si vxor est senex, non suspecta de incontinentia, sufficit votum continentiæ ipsius in sæculo; secus si iuuenis, tunc enim desideratur ingressus ipsius in Religionem. Ita ille, & Odonis alij penes ipsum, quod probatur *in cap. Episcopus, distinct. 77.* vbi sic habetur; Sanè si coniugati iuuenes consenserint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda est, vt sequestrato mansionis cubiculo, Religione promissa postea quam pariter conuersi fuerint, ordinentur. Probatur etiam ex periculo incontinentiæ, quod vxor iuuenis manens in sæculo, aut etiam vterque incurret, cùm vir iam ordinatus, ex antiqua cum ea consuetudine facilè possit inflecti, vt iterum coniuge vteretur, si in sæculo permanentes haberent liberum ad se mutuò accessum.

Sup. [illegible] Tom. 7. tr. 2. vers. Vt sanè.

2. His tamen non obstantibus, contrariam sententiam tenet nouissimè Gaspar Hurtado *tract. de matrimon. disput. 11. difficult. 9. num. 19.* vbi sic ait: Vt vir possit ad sacros Ordines promoueri, sufficit, vt contra Sanchez docent Nauarrus, & Sa, si ab vxore castitatem in sæculo vouente absoluatur à debito thori, & cohabitationis, quia *in cap. coniugati, de conuers. coniugat.* id tantùm requiritur: quod verò *in canone Episcopus, distinct. 77.* dicatur requiri promissionem Religionis, non obstat, quia præterquam quod id Canon est Concilij Agathensis, quod non fuit generale, nomine Religionis non incongruè intelligitur castitas, vt exponit glossa. Ita Hurtado, & ante illum Basilius Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 25. num. 7.* vbi sic asserit: Denique dixerim neque antiquo iure, neque nouiori requisitum fuisse, vt vxores eorum qui ad alios sacros Ordines præter Episcopatum promouebantur, Religionem profiterentur, sed tantùm, vt continentiam in sæculo vouerent, siue in senili, siue in iuuenili ætate essent constitutæ. Ita ille, qui explanat omnes textus tangentes præsentem materiam, & hanc opinionem esse probabilem fatetur ipsemet Sanchez *loco citato, num. 2.* & ita ego etiam sentio stando in puncto iuris.

3. Nota etiam, contra Sotum *in 4. distinct. 27. quæst. 1.* semper esse necessariam professionem vxoris in Religione, siue sit senex, siue iuuenis, vt possit vir ad Episcopatum promoueri, & ita tutum esse docet Pontius *vbi suprà, num 6. in cap. fin. de conuers. coniugat.* Vnde infertur viro effecto teleo-

Sup. [illegible] Tom. 7. Res. [illegible] sim. Subdi. & late 1. tr. 2. §. per vir.

gioso

gioso, vxore vetula manente in sæculo cum castitatis voto, si vir ad Episcopatum promouendus esset, necessarium fore, vt vxor illa Religionem ingrediatur vt obseruat Ancharanus *in d. cap. sanè, in fine.* Et tandem nota contra Maiolum *lib. 1. de irregular. cap.* 34. *num.* 2. quòd vt possit maritus ad Cardinalatum promoueri, non desideratur semper vxoris ingressus ad Religionem; sed non ampliùs desiderari puto quàm ad Ordines à viro assumendos. Ita Sanchez *vbi sup. disp. 41. num. 4.*

Sup. hoc magis latè in tom. 9. tr. 7. Res. 21.

RESOL. CXVII.

An Clerici sacris Ordinibus initiati peccent mortaliter, si non deferant habitum clericalem, & coronam in capite?

Et quid, si cum ense, vel aliis similibus supradicti Clerici Sacris initiati incedant? Ex part. 3. tract. 4. Res. 182. alias 183.

Sup. hoc pro Tonsura in tom. 8. tr. 3. Res. 28.

§. 1. AD istam difficultatem respondeo cum Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 11. diffic. 16. n. 5.* vbi sic asserit [Dize Sylvestro *ver. Clericus*, §. 2. que el Clerigo peca mortalmente si no trae habito clerigal. y la corona abierta, mas Cayetano *in sum. ver. Clerici peccata*, dize, que en esto solo le ay auiendo temeridad, y contumaçia, ò menosprecio, cuya sentençia me pareçe muy probable, y se puede seguir, porque es mas mansa, quando truxesse algun señal, en que se echasse de ver que es clerigo, mas si no truxesse ningun señal de suerte que no se chasse de ver que era clerigo, como si truxesse espada, y otras cosas semeiantes, no se ezcusaria de pecado mortal, si no es que fuesse por breue tiempo, ò por alguna iusta causa.] Ita ille, & ego; licèt contrarium probabiliter aduersùs Caietanum doceat etiam Ledesma *in summa tom. 1. de Sacram. Ordinis, cap. 11. concl. 2. per totam.*

RESOL. CXVIII.

An Diaconus, & Subdiaconus peccent mortaliter frequenter canentes Epistolam, & Euangelium in peccato mortali?

Et quid, si longo tempore tales actus exerceant in peccato mortali?

Et obiter notatur Diaconum ministrantem Eucharistiam in peccato mortali, non peccare mortaliter. Idem est de Sacerdote? Ex part. 3. tract. 4. Res. 194. alias 195.

Sup. hoc in tom. 7. tr. 4. Res. 29. cursim ad medium, vers. Subdiaconus, & latè in to. 1. tr. 2. Res. 5. §. penult. & vlt.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Filliucius *tom. 1. tract. 1. cap. 6. num.* 87. & à fortiori docebunt etiam hanc sententiam Doctores, asserentes absolutè tales peccare mortaliter, vt inter neotericos docent nouissimè Cabrera *de Sacram. quæst. 64. art. 6. disp. 1. §. 6. num.* 48. & Sylvius *in 3. part. quæst. 64. art. 6. quæritur 1. concl. 5.* vbi sic air. Si Diaconus, aut Subdiaconus in mortali exercent actum sui Ordinis, probabilius est, quòd mortaliter peccent, quia sunt actus Sacramento peculiares, & maximè ad Eucharistiam accedentes, ad quos sunt consecrati. Ita ille, qui citat D. Thomam, Nugnum, Sylvestrum, Angelum, Toletum, Victoriam, & Molanum; quibus adde Sà *verb. Ordo, num.* 31. Caietanum *q.* 64. *art. 3. ad 1.* & Nauarrum *cap. 25. num. 72:*

2. Sed ego contrariæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam docent Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 4. difficul. 10. num. 7.* Fernandez de Heredia *disp. de Sacram. in genere, part. 10. dub. 3. num. 4.* Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 136. cap. 4.* Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 1.* Valentia *to. 4 disp. 9. quæst. 1. punct. 4. ad 4.* Coninch. *de Sacram. quæst. 64. art. 6. dub. 1. n. 38.* Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 16. sect. 4.* & alij. Et ratio est, quia talis actio non est dispensatio meritorum Christi, vt sunt Sacramenta, aut opus in se tam sanctum, vt adsit tam grauis obligatio exercendi illud in gratia.

3. Et ita hanc sententiam ego veram etiam existimo contra Filliucium *vbi supra*, licèt longo tempore tales actus exerceantur cum peccato mortali, quia sæpiùs velle peccare venialiter, non efficit peccatum mortale; & hi actus sunt planè separati inter se, nec relinquunt effectum post se, ratione cuius prior coalescat cum posteriori. Nec valet asserere, sæpiùs talia facere in peccato mortali, includere implicitum contemptum, nam hoc non est verum, quia non est vlla ratio, qua iudicetur in eo actu frequentato magis includi virtualem contemptum, quàm in frequentatione mendacij iocosi, aut negligentiæ in repellenda distractione inter orandum. Hæc omnia Coninch; vnde, vt diximus, non est audiendus Filliucius.

4. Notandum est etiam hìc obiter contra Layman *in Theol. mor. lib 5. tract. 1. cap. 5. num.* 8. & alios, Diaconum ministrantem Eucharistiam in peccato mortali non peccare mortaliter. Et ita docet inter alios Io. de la Cruz *in direct. consident. part. 1. de Sacram. in genere, quæst. 4. dub. 3. concl* 1. quod etiam de Sacerdotibus nos *in tractatu de celebratione Missarum*, satis probabiliter docuimus.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 1. Res. 8. prope finem.

In Res. 25. quæ hic est supra in tr. 2. Res. 25. & in multis aliis eius not.

RESOL. CXIX.

An Acolythi, qui solemniter cereos ferunt in peccato mortali, peccent mortaliter?

Et cursim docetur hoc etiam locum habere in eo, qui capitulum, & collectam pronunciat in choro, qui id facit tanquam Presbyter?

Et an minores Ordines sint vera Sacramenta? Ex par. 3. tr. 4. Res. 195. alias 196.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Philippus Faber *de Sacram. Ordinis, in 4. sent. dist. 24. quæst. 1. disp. 1. cap. 3. num.* 80. qui citat Angelum, & Sylvestrum. Idem docet Nauar. *in manuali, cap. 27. num.* 163. *& de Horis canonicis, cap. 7. num.* 41. qui etiam hoc docet locum habere in eo, qui capitulum, & collectam pronunciat in choro, qui id faciat tanquam presbyter.

Sup. hoc primo lege §. 1. not. seq. ab eius principio.

2. Sed bonus, & doctus senex nimis scrupulosè loquitur. Ideo contrariam sententiam veram esse existimo, quam docet Cabrera *de Sacram. in 3. part. quæst. 64. art. 6. disp. 1. §. 6. num. 55:* vbi ait, non esse mortale, exercere functiones minorum ordinum in peccato mortali, quia, vt *supra* dictum est, non est certum, imò oppositum est multum probabile, minores ordines non esse vera Sacramenta, atque adeò illorum ministros non esse ad huiusmodi functiones consecratos, vel saltem est valdè probabile, eos non esse consecratos per gratiam, ac characterem sacramentalem, ac proinde ex sanctitatis defectu in ministro colligi non potest mortale peccatum. Secundò, licèt Ordines minores sint Sacramenta, eorum tamen officia non sunt perfecta in genere sacri mysteriij, & ex consequenti propter leuitatem materiæ non erit culpa mortalis. Cæteras rationes vide apud dictum Cabreram.

Supra non talis quæstio. Sed infra in Res. quæ inuenietur in to. 3. tr. 3. Res. 80. §. penult. magis latè ibi in tr. 1. Res. 65. §. 2. à lin. 10. & 10. & in aliis eius not.

RESOL. CXX.

An Concionatores prædicantes, in peccato mortali peccent mortaliter, etiam si peccatum sit occultum?
Et quid, si publicum sit peccatum?
Idem quod dictum est de Concionatore dicendum est de Lectore Sacræ Theologiæ, & Sacræ Scripturæ? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 196. alias 197.

Quoad hoc in tom. 7. tr. 4. Resol. 28. & cursim in alio vers. eius primæ annot.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docent D. Thom. *in 4. sent. dist. 19. quæst. 2. art. 2. num. 2. ad 4.* Paludanus *in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 3.* Caietan. *in 2. 2. quæst. 187. art. 3.* Nauar. *in manuali, cap. 21. num. 141.* Angelus *verb. prædicator, num. 7.* & alij, asserentes esse peccatum mortale prædicare in peccato mortali, non solùm publico, sed etiam occulto, non habita priùs contritione.

2. Sed tu contrariam sententiam tene cum Soto *in 4 dist. 2 quæst. 5 art. 6.* Suarez *in 3. part. to. 3. disp. 16. sect. 3.* Valent. *tom. 4. disp. 3. quæst. 5. punct. 3.* Cabrera *de Sacram. quæst. 64. art. 6. d sp. 1. §. 7. num. 67.* Dicendum est igitur, non esse peccatum mortale prædicare in peccato mortali occulto; sed tantùm in peccato mortali publico; quia actus prædicandi ex sua natura, neque est consecratus, vt actus Sacramentorum, cùm gratiam ex opere operato non conferat, vt conferunt Sacramenta; neque est conferatus ex aliqua institutione Ecclesiæ, nequecerto ordini deputatus iure diuino, vel positiuo humano, cùm & Prophetæ in lege veteri prædicauerint, & in nouo Testamento multi nondum sacris Ordinibus initiati prædicare soleant. Ergo, &c.

3. Idem quod dictum est de Concionatore dicendum etiam de Lectore sactæ Theologiæ, & sactæ Scripturæ (& in hoc differt à Concionatore) si sit in peccato publico, dummodò absit scandalum, quinquid in contrarium asserant D. Thom. & Palud. *vbi supra*, Sylvest. *verb. correctio, quæst 16.* Angel. *verb. correctio, num. 4. & verb. prædicare, num. 7.* sed nostram sententiam docent Cabrera, & Suarez *loco citato*, & alij.

TRACTATVS SEXTVS
De Sacramento Matrimonij.

RESOLVTIO PRIMA.

An maior vsus rationis requiratur ad contrahenda sponsalia, quam ad peccatum mortale? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 272. aliàs 273.

Sup. hoc infra in Resol. 5. §. Sed hic.

§. 1. AFFIRMATIVE respondet Bonacina *de matr. quæst. 1. punct. 4. n. 4.* & alij penes ipsum; quia ad peccatum mortale sufficit consensus, & aduertentia mali præsentis; ad sponsalia verò requiritur cognitio futurorum.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Basilio Pontio *de matrim. lib. 4. cap. 1.* vbi sic asserit. Ea deliberatio, siue ea libertas cum ea consideratione necessaria est ad contractum matrimonij, & ad sponsalia, quæ necessaria est ad peccatum mortale. Ita ille, & ante illum Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 16. num. 16.* Et ratio est, quia si ea futurorum prouidentia, quam postulat Bonacina, & alij, desideraretur in contrahendis sponsalibus, incautè à iure præscriptum esset tempus septem annorum, vt ineantur sponsalia, quod decernitur *in l. sponsalib. 2. ff. de sponsalib. & in c. literis, c. accessit, c. ad dissoluendum, de desponſ. impub.* Deinde si is vsus rationis, qui in septennio communiter adest, sufficit ad obligandum pro voto solemnis Ordinis sacri, & pro voto Religionis, quæ est obligatio status perpetui. Ergo maiori ratione sufficiet ad contrahenda sponsalia. Vide Fernandez *in exam. Theol. mor. part. 3. c. 17. §. 1. n. 6.* Coninch *de Sacram. disp. 21. dub. 5. num. 49.* & alios.

RESOL. II.

An sit peccatum mortale contrahere sponsalia ante septennium completum? Ex part. 3. tractat. 4. Resol. 274. aliàs 275.

§. 1. DIximus in superiori resolutione validè allo quando ante septennium expletum contrahi sponsalia. Nunc videndum est an contrahantur illicitè. Affirmant Syluius *in 3. part. q. 43. art. 1.* Rebellius *part. 2. lib. 4. quæst. 5. n. 4.* Bonacina *de matrim. quæst. 1. punct. 4. num. 6.* Henriquez *lib. 11. cap. 11. n. 13.* & alij, & ratio desumitur ex præcepto posito in *cap. 2. de desponſ. impuberum.* vbi sic habetur. Districtiùs inhibemus, ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem Canonibus determinatam non peruenerint, coniungantur, nisi forte aliqua vrgentissima causa necessitate interueniente, vtpote pro bono pacis talis coniunctio tolleretur.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto, & quoad pueros patet nullum esse peccatum, nam vt asserit Pontius *de matrim. lib. 12. cap. 5. n. 2.* si malitia supplet ætatem, illa sponsalia valent; si non supplet, nihil agunt, neque iniuriam inferunt alicui sacramento; ergo nullo modo peccant. Et hoc vltimum probat etiam neque parentes peccare, quia cùm sponsalia non sint Sacramentum, nec Sacramento, nec alicui alteri efficitur iniuria, cùm ex illis sponsalibus non oriatur obligatio, saltem respectu illius, qui doli capax non est, nec aliquid illicitum permittitur. Ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet Coninch. *de Sacrament. disp. 21. dub. 5. concl. 2. num. 53.* Villalobos *in summa tom. 1. tract. 12. disp. 4. num. 7.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1 cap. 7. n. 259.* Sanchez *tom. 1. lib. ... disp. 17. num. 4.* Gutierrez *de matrim. cap. 2. num. 14.* & nouissimè Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 2. cap. 2. num. 4.* qui omnes respondent ad ca. 2. Nicolai Pontificis *de desponſ. impuberum.* Sed mihi magis placet responsio noua, quam adducit Pontius *vbi suprà*, qui intelligit textum de coniunctione, hoc est, habitatione in eadem domo. Vel dicendum est ante Clementem III. valuisse matrimonia de

de præsenti inter impuberes, quæ erant veluti conditionalia matrimonia. Nicolaus autem, qui multis annis præcessit Clementem III. ea prohibuit, nisi magni alicuius diffidij vitandi causa fierent, atque ius istud *in dict. cap.* 2. non corrigit alia iura, quæ matrimonium de præsenti inter impuberes resoluunt in sponsalia, cùm sit antiquius; sed statuit ne talis contractus de præsenti inter impuberes fiat, nisi ex magna causa, quem contractum de præsenti inter impuberes posteriora iura Clementis, Lucij, & Innocentij III. vim tantùm sponsalium re ipsa habere vel declararunt, vel denuo statuerunt. Ita Pontius.

RESOL. III.

An septennium requisitum ad contrahendum sponsalia esse debeat omnino completum?

Et quid, si duo, tres, octo, vel decem dies ad complendum septennium desint?

Et an in foro conscientiæ valida sint sponsalia, etiam multo ante septennium contracta, si malitia suppleat ætatem? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 273. alias 274.

Sup. contento in hoc, & seq. §. in Resol. seq. per totam, & supra in tr. 5. ex doctrina Resol. 103. §. vlt. ad medium.

§. 1. AD hanc quæstionem affirmatiuè respondet Coninch *de Sacra. disp.* 21. *dub.* 5. *n.* 51. quia sicut quando iura alicui rei præscribunt certum pretium, hoc constitit omnino in indiuisibili, ita etiam quando alicui actioni præscribunt certam ætatem agentis; quia ideo certum pretium, ac ætatem agentis præscribunt, ne quisquam suo iudicio possit ea mutare; sufficeret tamen inchoatum esse vltimum diem anni septimi, quia eodem modo requiritur ætas septem annorum ad sponsalia, sicut requiritur in maribus ætas quatuordecim annorum ad condendum testamentum, sed in fauorem testamenti, ad hoc sufficit inchoasse vltimum diem anni 14. vt patet *in l. qua ætate, ff. de testam. & qui testamenta*, &c. Ergo idem sufficiet in sponsalibus, quæ non sunt minus fauorabilia; Ita Coninch, & hanc sententiam docet etiam Pontius *de matrim. lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 3. Sanchez *tom.* 1. *lib.* 1. *disp.* 16. *num.* 4. & alij. Hæc opinio est probabilis.

Sup. hoc in Resol. 1. not. præteritæ §. Sed hæc.

2. Sed ego contrariam probabilem etiam esse existimo, quæ asserit sufficere septennium moraliter esse completum, vt si, ait Guttierrez *de matrim. c.* 22. *num.* 6. duo, vel tres dies, deficerent. Sed plus addit Rebellius *part.* 2. *lib.* 4. *quæst.* 5. *concl.* 2. *num.* 2. qui citat Sotum, Victoriam, Veracruz, Sylueſtrum, D. Antoninum, & D. Thomam, nempe valida esse sponsalia, etiamsi octo, vel decem dies ad complendum septennium desint.

Sup. hoc plus in Resol. 1. not. primæ huius Resol. in eius §. vlt.

3. Et hæc omnia intelliguntur in foro externo, & quando non constat malitiam supplere ætatem; nam in foro conscientiæ valida erunt sponsalia etiam multo ante septennium contracta, si malitia suppleat ætatem, cùm eam sufficiens vsus rationis præuenerit. Et ita ex multis docet Rebellius, & Pontius *locis citatis*, quidquid in contrarium asserat Richardus *in* 4. *dist.* 27. *art.* 3. *q.* 1. Durandus *q.* 3. *art.* 2. & Argentina *art.* 4. existimantes septennium ita esse requisitum, vt si vterque sponsus, vel alter sit minor septennio, irrita sint ipso iure sponsalia.

Sup. hoc latè infra in Resol. 5.

RESOL. IV.

An sufficiat ad valide contrahendum sponsalia diem vltimum septennij inceptum esse?

Et asseritur, quod ad valorem sponsalium non requiritur ætas mathematice completa, vnde septennium non physicum, sed morale requiritur?

Et an ob defectum duorum, vel trium dierum, aut vnius hebdomadæ, vel dimidij anni defectus impedimentum non sit, quin septennium completum esse dicatur? Ex part. 9. tr. 7. & Misc. 2. Resol. 65.

Sup. hoc in Resol. præterita §. & 2. & in alio §. eius primæ not.

§. 1. NEgatiuè respondet Gaspar Hurtado *de matrimon. disp.* 1. *difficultat.* 14. *num.* 59. Castrus Palaus *tom.* 5. *disput.* 1. *punct.* 6. *num.* 6. vbi probat, diem inceptum non sufficere; sed necessariò completum esse debere: quia vsquequò completus sit, non integer dies, & consequenter neque integer, & completus mensis, qui ex integris, & completis diebus coalescit. Deinde, quia, quoties tempus est à Iure determinatum, currit de momento ad momentum, argum. leg. 3. §. *Minorem ff. de minorib.* & *ibi* Glossa, & Doctores, *l. Pater.* §. *Sexaginta ff. de adulteriis.* & *ibi* Bart. *l. Eos.* §. *Sin autem, C. de appellationib.* & *ibi* Baldus *leg.* 2. §. *Dies ff. quando appellandum sit*, & *ibi* Glossa. Et probari potest ex bimestri concesso ad deliberandum de Religionis ingressu, cap. *Ex publico, de conuersione coniug.* & ex ætate ad Professionem requisita, *cap.* 15 *sess.* 25. *de Regularibus*, in quibus dies inceptus non habetur pro completo, vti probat Thomas Sanchez *lib.* 2. *disput.* 24. *num.* 22. ergo idem est dicendum in septennio pro sponsalibus requisito. Neque obstat textus in l. *Qua ætate*, quia *ibi* est specialis dispositio, quæ ad alios casus extendi non debet, præcipuè cùm non sit eadem ratio: quippe testamentum testatori fauorabile est, & nullatenus onerosum. At sponsalia, sicut & Religionis Professio, partim fauorabilia sunt contrahentibus, partim onerosa: meritò ergo in testamento dies inceptus pro completo reputatur; secùs in sponsalibus, & Religionis Professione.

2. Sed affirmatiuæ sententiæ adhæret Poncius *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 5. Coninch *disp.* 21. *dub.* 5. *num.* 51. Guttierrez *cap.* 2. *nu.* 5. Et ratio est: quia non minùs fauorabile est matrimonium, quàm testamentum: sed ad testamentum vltima dies incepta censetur pro completa, vt statuitur l. *Qua ætate* &c. ergo. Et ita hanc sententiam tenet etiam Texeda *in Theol. moral. tom.* 2. *lib.* 4. *tract.* 1. *contr.* 2. *num.* 57. & Pater Perez *de matr. disp.* 5. *sect.* 5. *num.* 6. Fateor tamen sententiam Hurtadi satis probabilem esse, licèt ipse immeritò affirmatiuam falsam vocet.

Sup. hoc in Resol. præterita §. 1. post medium.

3. Adde, vt *alibi* adnotaui, non deesse Doctores asserentes, quod ad valorem sponsalium non requiritur ætas mathematicè completa: vnde septennium non physicum, sed morale requirunt: Quorum autem dierum defectus morale complementum impediat, non conueniunt Doctores. Nam Ioan. Andreas *cap. Litteras, num.* 2. *de desponsat. impuber.* Henriquez *cap. Accessit, eodem nu.* 3. & Vega *lib.* 6. *Summ. casu* 101. asserunt, ob defectum duorum, vel trium dierum, non impediri. Eman. Rodriguez 1. *tr. Sum. cap.* 244. *num.* 2. censet neque vnius hebdomadæ defectum. Sotus verò *in* 4. *distinct.* 27. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 3. Viuald. *Candelab.* 1. *part. de sponsalibus cap.* 2. *num.* 15. rem ampliùs extendunt: Quinimò Guttierrez *dicto cap.* 2. *num.* 8. audet affirmare, dimidij anni defectum impedimentum non esse, quin septennium completum esse dicatur, vt sponsalia valida sint, & præsumantur.

Alibi in Resol. præcrita, & etiam pro omni contento in hoc §. ibidem §. 2.

RESOL. V.

An sponsalia valida sint, si vsus rationis ante septennium in contrahentibus reperiatur?

Et an ad sponsalia valide contrahenda sufficiat ratio-

nù vsus, qui ad lethale peccatum sufficit ?

Et notatur sponsalia ob defectum ætatis, vel vsus rationis nulla posse postea fieri valida, si post legitimam ætatem, & vsum rationis expresè, vel tacitè ratificentur à sponsis, modo sponsi sciant à se ipsis antea inita, sponsalia fuisse inualida ?

Quod si nesciant sponsalia fuisse inualida, non fient valida per ratificationem simul habitando, vel sibi oscula tanquam sponsis impingendo, vel mittendo munera, &c. sed debent consentire de nouo ? Ex part. 9. tr. 7. & Misc. 2. Resol. 63.

Sup. hoc supra in Resol. 3. cursim in §. vlt.

§. 1. NEgatiuè respondent Hurtadus *de matrimon. disp. 2. dissic. 14. n. 61.* Castrus Palaus *tom. 5. disp. 1. punct. 6. num. 8.* & Pater Vasquez interrogatus de hac sententia. Et ratio est: quia aliàs dispositio iuris, præscribens septennium, esset frustratoria: quia ex vna parte, quando est vsus rationis perfectus ante septennium, validè fiunt sponsalia secundùm aduersarios: & ex altera, quando non est talis vsus rationis, etiam post septennium completum, non fiunt validè: ergo ad nihil deseruit dicta dispositio, quam si malitia supplet ætatem, sponsalia eodem modo fiunt, aut non fiunt validè, siue ea dispositio extet, siue non extet. Ratio autem à priori est: quia quamuis pro matrimonio iure ipso fiat exceptio malitiæ supplentis ætatem; non tamen pro sponsalibus: ergo absque iure, imò contra ius ipsum absolutè absque exceptione requirens septennium ad valorem sponsalium, admittitur dicta exceptio, quæ non fuit facta à iure: quia frustra fuisset facta dicta præscriptio ætatis pro sponsalibus, quæ non fit frustrà in matrimonio: quia malitia supplens ætatem in matrimonio, non tantùm est vsus rationis perfectus, vt est in sponsalibus; sed etiam potentia ad generandum expedita, quæ non solet esse expedita ante ætatem requisitam pro matrimonio; ac proinde si ante eam est vsus rationis perfectus, & potentia expedita, validè fiet matrimonium, & post eam etiam validè fit, si vsus sit rationis perfectus, quamuis non sit potentia ad generandum expedita.

2. Sed, his non obstantibus, communiter affirmatiuæ sententiæ adhærent Doctores, quos citat Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 16. num. 9.* quibus adde Coninch *disp. 21. dub. 5. num. 51.* Poncius *lib. 12. cap. 5. num. 5.* Rebellius *lib. 4. quæst. 5.* & alij. Et ratio est: quia septennium præscribitur, quia ante illud tempus vsus rationis perfectus non præsumitur. Si ergo de vsu rationis præsumptio fuerit, vel potiùs certitudo, cessat finis legis, & consequenter illius dispositio. Et fortè ob hanc causam dixit Iurisconsultus *in leg. In sponsalibus, la 1. ff. de sponsalib.* ad sponsalia satis esse, quòd sponsi, quid agant, intelligant. Et confirmatur exemplo matrimonij, pro quo contrahendo, esto, à iure requisitus sit in fœminis duodecimus annus completus, & in viris quartusdecimus. At si malitia, hoc est, potentia generandi, & discretio ante illam ætatem alicui adueniat, validum matrimonium contrahet, cap. *De illis, el 2. de desponsat. impuber.* quia in eo cessat ratio, ob quam illa ætas 12. & 14. annorum præscripta est: at eodem modo cessat in habente ante septennium perfectum vsum rationis. Ergo sponsalia ab eo contracta valida esse debent.

Sup. hoc supra in Resol. 1.

3. Sed hîc rectè quæritur, an ad sponsalia validè contrahēda sufficiat rationis vsus, qui ad lethale peccatum sufficit. Negat Henriquez *lib. 11. cap. 13. n. 9.* Rebellius *2. part. lib. 4. quæst. 5. n. 1* Bonacina *qu. 1. punct. 4. n. 4* Quia ad peccatum mortale sufficit consensus, & aduertentia mali præsentis: ad sponsalia verò requiritur cognitio futurorum, cùm sponsalia sint promissio futuri matrimonij. At maior requiritur vsus rationis ad prouidentiam futurorum, quàm ad consensum alicuius actus præsentis. Cæterùm affirmatiua sententia tenenda est, quam tuetur cum Sanchez, & Mœracio P. Perez *de mat. disp. 5. sect. 6. num. 4.* quia vsus rationis ad culpam lethalem sufficiens satis est ad obligandum se Deo per votum simplex Religionis: ergo & ad quidpiam homini promittendum ætergo & ad promittendum matrimonium: non enim ad hoc contrahendum sub grauiori peccato obligabitur, quàm ad illud faciendum, quod Deo vouerit nec faciliùs huius voti relaxationem, quàm promissi matrimonij consequi poterit. Ergo, &c.

4. Nota tamen, sponsalia ob defectum ætatis, vel vsus rationis nulla, posse postea fieri valida, si post legitimam ætatem, & vsum rationis expresè, vel tacitè ratificentur à sponsis. Quod fit consentiendo de nouo, vel simul habitando, vel sibi oscula, tanquàm sponsis, impingendo, vel mittendo munera, quæ à sponsis mitti consueuerunt; modò sponsi sciant à se ipsis antea inita sponsalia fuisse inualida. Quòd si nesciant sponsalia fuisse inualida, non fient valida per ratificationem: sicut etiam ad ratificandam Professionem, vel votum inualidum, requiritur in ratificante scientia voti facti, vel professionis, & nullitatis eius. Vnde, si quis ex errore, quo putat, priora sponsalia fuisse valida, ea ratificet, nihil prorsus efficiet: & pariter si ex dubio de valore eorum ea ratificet, non tenebitur, vbi nouerit fuisse nulla: quia ea ratificatio fuit ex errore, nec præsumenda est voluntas se obligandi absoluta, sed solùm ex suppositione falsa valoris priorum sponsalium; nisi cuiliter voluisse ita se obligare, etiamsi sciret priora sponsalia fuisse nulla. Et ita docet Texeda *in Tract. moral. tom. 2. lib. 4. tract. 1. num. 67.* & alij communiter.

RESOL. VI.

An sponsalia metu graui contracta valida sint, si iuramentum accedat, vel iuramentum seruandi sit dimittendum, nisi relaxetur ?

Et an tale iuramentum minime obliget, & ideò non indigeat relaxatione ?

Et notatur iuramentum metu extortum non solùm confirmare contractus alias inualidos, sed nec etiam obligare, & proinde nulla indigere relaxatione? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 277. alias 278.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Henriquez *lib. 11. cap. 9. num. 6.* & alij pene Sanchez *infrà, num. 2.* saltem quoad obligationem iuramenti, quia iurans soluere vsuras, tenetur obseruare iuramentum, ex *cap. debitores de iure iur.* quamuis iuramentum confirmet contractum. Ergo, &c.

2. Hæc sententia, vt ait Aragon *in 2. 2. quæst. 89. art. 7. circa solutionem ad 3. §. sed vltra*, est satis probabilis: sed ego contrariam probabiliorem etiam esse puto, quam tuetur Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 21. num. 3.* & post illum Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 2. cap. 11. n. 2.* vbi sic ait: Nota quòd sponsalia metu graui contracta non firmantur iuramento, nec ratione illius obligant, aut relaxatione indigent. Sic ille. Igitur dicendum est sponsalia metu contracta esse inualida, nec effici valida accedente iuramento, quia iuramentum metu extortum cùm non confirmet contractum, relinquit illum in pristino valore, aut nullitate: quare ex illis nullum oritur publicæ honestatis impedimentum. Vnde dicendum est etiam tale iuramentum minimè obligare, & ita non indigere relaxatione. Probatur hæc opinio ex *cap. ex litteris, de desponsat. impub.* per quam irrita sunt sponsalia metu contracta, & Alexander de Ne-

uo *ibi num.*5.explicat in casu de quo loquitur Summus Pontifex in dicto textu interuenisse iuramentum.

3. Adde quòd dum contractus aliquis ob publicam vtilitatem prohibetur, si iuramento stabiliatur, iuramentum nullam parit obligationem,nec relaxatione indiget. Sed hoc accidit in casu proposito. Ergo, &c. Vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ;nam contractus vsurarius prohibetur principaliter ad bonum priuatum,non enim interest reipublicæ, siue hic ciuis, siue ille pecuniam per vsuram extortam comparet, sponsalia verò coacta ob publicam vtilitatem interdicuntur.

4. Non relinquam hic tamen admotare in gratiam Confessariorum, esse probabilem illam sententiam, quæ asserit iuramentum metu extortum, non confirmare contractus aliàs inualidos, sed nec etiam obligare, & proinde nulla indigere relaxatione. Et ita docet Sanchez *tom.* 1. *lib.*4. *disp.*20. *num.*3. *in fin. & disp.*21. *num.*5. *in fin.* licèt ipse contrariam sententiam putet probabiliorem. Vnde stante probabilitate alterius sententiæ multa iuramenta non obligabunt, si metu extorta sunt, & facta ad confirmandos contractus ipso iure nullos.

Sup. hoc in tom. 6. tr. 5. Resol. 117. & tom. 8. tr. 4. lege doctrinam Resol. 5. & plurium Resol. 55. etiis annotatorum.

RESOL. VII.

An in sponsalibus sufficiat consensus fictus?

Et Resolutio huius dubij pendet ex illa quæstione: an promissionis contractus sine animo se obligandi vero, sed tantum ficto, obliget promittentem?

Et cursim docetur eum, qui ficte promisit aliquam ducere, tantum teneri ratione damni illati si corrupit, non aliter?

Et etiam deducitur, quod qui ficte promisit, & sub ea spe virginem decepit, teneri implere promissum, etiam si disparis conditionis sit, vel in nobilitate, vel in diuitiis, dummodo reuera nullum aliud signum exterius fuerit, quo indicaret dolo promittere? Ex part.3. tr.4. Resol.104. alias 205.

§. 1. REsolutio huius dubij pendet ex illa quæstione, an promissionis contractus sine animo se obligandi vero, sed tantùm ficto obliget promittentem;& communiter negatiuè respondent DD.Ita Sanchez *de matrim.tom.*1.*lib.*1.*disp.*9.*num.*5.& vniuersim de omni pactione docent Angel.*verb.pactum, num.* 4.Sylvest. *eodem verb.quæst.*4. Armilla *ibidem, num.*2. Tabiena *ibid. quæst.* 2. & de promissione ad sponsalitia, Veracrux *part.* 3. *speculi*, *art.*19.*post* 5. *concl.*3. Corduba *lib.*1.*quæst.*13.*dict.*2. vbi alios citat, & vniuersè de omni contractu docet Richardus *in* 4. *distinct.*27. *art.* 1. *quæst.* 2. Guilielmus de Rubeis *quæst.*1.*art.*1. Gabriel *quæst.*1. *art.*1. *notab.*3. Docent igitur eum, qui fictè promisit aliquam ducere, tantùm teneri ratione damni illati, si corrupit, non aliter. Vide etiam Molinam *de iust. tom.*4. *disp.*352. Et ratio horum omnium est, quia obligatio promissionis prouenit ex lege positiua, quam quis sibi imponit.Sed nulla lex obligat,nisi legislator velit vt obliget. Ergo quando quis promittit animo non se obligandi, promissio, quæ est lex priuata, non obligat.

Sup.hoc lege Resol.seq.

2. Sed aduersùs hanc sententiam insurgunt duo lumina ætatis nostræ, Basilius Pontius *de matrim. lib.*2.*cap.*4.*& lib.*12.*cap.*2.& Gabriel Vasquez *disp.*6. *de matrim. cap.* 3. hanc sententiam secutus est etiam Turrianus *in* 2.2.*tom.*2.*disp.*64.*dub.*15. Probant igitur hi Doctores, quòd eo ipso, quòd quis profert verba promissionis, & quæ scit esse promissionis, & illi, cui fit promissio, sunt insinuata, ex naturali iure tenetur ad seruandam veritatem,cùm promissio debeat esse fidelis; itaque qui promisit, non potest sua voluntate, tollere eam naturalem obligationem, & non potest esse voluntas proferendi externa signa promissionis,siue contractus, siue implicito animo se obligandi.Et hæc omnia probat validissimis rationibus Pontius *vbi suprà*,quæ etiam procedere in votis demonstrat.

3. Ex quibus patet responsio ad argumentum Sanchez.Nam respondetur obligationem promissionis non oriri ex voluntate promittentis, sed ex naturali iure, quòd debet esse coniuncta verbis veritas in futurum, quam non potest auferre à verbis, qui promittit. Vnde infert Pontius eum, qui fictè promisit,& sub ea spe virginem decepit, teneri implere promissum, etiamsi disparis conditionis sit, vel in nobilitate vel in diuitiis, dummodo reuera nullum aliud signum exterius fuerit,quo indicaret cùm dolo promitti:disparitas enim illa conditionis non est argumentum sufficiens doli, neque fictionis. Et hæc omnia solidè, vt semper solet, conatur probare. Sed his non obstantibus primam sententiam Sanchez, & aliorum nempè promissionem fictam non obligare, puto in praxi tutam,& probabilissimam esse, quam nouissimè tenet Villalobos *in sum.to.*1.*tr.*21.*diffic.*2. *num.* 1. Coninch *de Sacram. disp.* 21. *dub.* 2. *num.*7. Molin.*de iust.tom.*2.*tract.*2. *disp.*352.*num.*4. Layman *in Theol. moral.lib.*5.*tract.*10. *part.*1. *cap.*2. *num.* 10. & alij.

Sup. hoc inf. in Resol. 148. §. vlt. & Resol. 149. & 150. & etiam Resol. 151.

RESOL. VIII.

An si in sponsalibus fictis iuramentum apponatur non tamen animo se obligandi, oriatur obligatio præstandi, quod promissum est?

Et an ex hoc non oriatur obligatio iustitiæ erga compartem, vel per talem promissionem non inducatur impedimentum publicæ honestatis? Ex part.5.tr.14.& Misc.2. Resol.33.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Ioan. Præpositus *in* 3.*part. D.Thomæ quæst.*9. *de sponsal. dub.*4. *num.*41. quia obligatio iuramenti non oritur ex eo, quòd aliquis se velit obligare,sed ex eo,quòd re ipsa voluntarie Deum assumat in testem rei futuræ, nam reuerentia Deo debita obligat,vt id præstemus,quod sub diuina attestatione nos facturos promisimus,ne alioquin Deum testem falsi accersere censeamur. Igitur quamuis vi promissionis nulla oriatur obligatio erga compartem, oritur tamen obligatio religionis erga Deum faciendi id, quod iurauimus, cùm res sine peccato fieri possit, & legibus non prohibetur. Ita ille, & ante illum Caietanus *in* 2.2.*quæst.*19.*art.*7. *ad* 4. Couarr. *de pactis, part.*1. §.5. *num.* 2. Sotus *de Iust.lib.*7.*quæst.*1.*art* 7.*ad* 4. Aragon,*in* 2.2. *quæst.*89. *art.*7. Henriquez *lib.*11.*cap.*13.*num.*2.*in glossa lit. Z.* & alij. Hæc sententia est probabilis.

2. Sed contrariam non minus probabilem esse puto, quam cum multis tuetur Sanchez *de matr.lib.* 1.*disp.*9. *num.*9. quibus addo Mercerum *in* 3 *part.D. Thom.quæst.*43.*de matr.dub.*1.non enim Deus acceptat iuramentum nisi secundùm hominis intentionem,ex *can.humanæ aures* 22.*quæst.*5.Nota tamen quòd stando etiam in prima opinione, ex illa non oritur obligatio iustitiæ erga compartem, vel per talem promissionem induci impedimentum publicæ honestatis, quia in ratione sponsalium nulla est promissio, defectu consensus, quod docet Præpositus *vbi suprà* & est valde notandum.

Sup. hoc latè infra in Resol. 23. §. Verum, & in Resol. 24.

RESOL.

RESOL. IX.

An sponsalia impuberum ita firmentur iuramento, vt neutri liceat pubertatem adepto resilire?
Et quid maxime in prædicto casu parte inuita? Ex part.3.tr.4. Resol.345. alias 346.

Sup. hoc in Resol. seq.

§. 1. NOn posse resilire mordicus docet Sanchez *de matrim.tom...lib.1.disp.51.quæst.3.n.22.* & adducit *cap. ex literis el 2. de sponsa.* affirmatiuam tamen sententiam tenet Basilius Pontius *de matrim. lib.12.cap.9. num.7.* vbi sic ait. Quæres quid dicendum sit, si impuberum sponsalia iuramento confirmentur? Nonnulli dicunt resilire non posse, etiamsi ad annos pubertatis peruenerit, docet cum aliis Sanchez. Addit tamen, vt eiusmodi iuramentum confirmet sponsalia, necessarium esse, vt sint proximi pubertati. In quo non loquitur consequenter, sed euertit sententiam quam primò defenderat. Sed mihi longè probabilius videtur, etiamsi iuramentum interponatur, adhuc remanere sponsalia impuberum eiusdem rationis, quia iuramentum sequitur naturam obligationis cui adiungitur; sed sponsalia impuberum iure communi dissoluuntur, altero eorum reclamante, cùm ad pubertatem peruenerit. Ergo idem etiam est quamuis iuramentum accedat. Vt enim dicamus alium effectum habere iuramentum, deberet esse in hoc specialis iuris dispositio, quæ non est. Ita Pontius, qui multas alias rationes adducit adversùs Sanchez. Et hæc opinio videtur mihi satis probabilis, vnde impuberes possunt à sponsalibus resilire post annos pubertatis, licèt sponsalia iuramento firmauerint.

2. Nota tamen quòd opinio Sanchez est etiam probabilis, & illam etiam tenet Ægidius de Coninch *de Sacram.disp.23.dub.2. concl.3. num.9.* vbi sic asserit, Impuberes contrahentes sponsalia, si ea iuramento confirment, non possunt postea parte inuita iis renuntiare.

RESOL. X.

An impuberes possint resilire à sponsalibus iuramento firmatis, postquam ad annos pubertatis peruenerint? Ex part. 3. tractat. 4. Resol. 287. alias 288.

Sup. hoc in Resol. præterita.

§.1. NEgatiuè respondent communiter Doctores ex *cap. ex literis 2. de sponsalibus*, contrariam tamen sententiam probabilem esse docet Villalobos *in sum. tom. 1. tract.12. diffic.12. num.27.* vbi sic ait. [Algunos tienen probablemente, que si los desposorios se confirmaron con juramento, se pueden dissoluer, porque el juramento sigue la naturaleza del acto à que se interpone, como dize la ley fin. *C. de non num. pecun.* y assi parece que estos desposorios incluyen esta tacita condicion, saluo si llegando à la edad resistiere, assi lo tienen Iuan Andres, y Paludano.] Sic Villalobos, qui tamen negatiuam sententiam tenet, & quidem meritò, si impuberes, quando sponsalia iuramento firmarunt, erant, vt supponimus, doli capaces.

RESOL. XI.

An quis puber factus possit statim resilire à sponsalibus, non expectata alterius pubertate?
Et notatur factum puberem, si vult, debere statim reclamare, alias si in mora fuerit, censebitur tacite sponsalia confirmare, & statim dicitur fieri, quod intra triduum fit? Ex part.3. tract.4 Resol.281. alias 282.

§. 1. EX neotericis noster Pater Antonius Nidoria vir quidem doctus, *in summa ver. sponsalia num. 1.* negatiuam sententiam docet ex *cap. de illis de sponsi.impub.* & eandem sententiam tenet ibi glossa & Cardinalis *num.2.*

2. Sed hæc sententia non est admittenda, & affirmatiuam prorsus tenendam esse puto, quam tuetur Pontius *de matrim.lib.12. cap.9. num.1.* Coninch *de Sacram disp.23. dub.2.num.6.* Gutierrez *de matrim. cap.29. num.2.* Barbosa *in collect. tom.2.lib... tit.2. cap.7.n.6.* quibus adde Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *tract.1. lib.1. disp.51. num.9.* Et ratio est, quia frustrà expectatur euentus cuius nullus est effectus, *cap. cum contingit, de off. deleg.* ergo si prius factus puber potest altero pubertatem adepto resilire, poterit etiam statim. Textus verò in *illis, in vers. si verò*, loquitur quando is, qui impore sponsalium erat impuber, factus puber reclamat, at verò *in verb. mulier*, quando sponsalium tempore puber erat, & reclamat altero impubere existente, qua distinctione posita apparet verus nostræ sententiæ, & responsio ad argumentum Nidæ *ex dicto cap. de illis.*

3. Notandum est verò hîc cum Couch, & Sanchez *vbi suprà*, factum puberem, si vult, debere statim reclamare, aliàs si in moras fuerit, censebitur tacitè sponsalia confirmare, statim autem dicitur fieri, quod intra triduum fit, ex *l. finali, C. de errore adocat. & l. finali, C. de iudiciis*; in foro verò conscientiæ satis est eum reclamare ad tollendam obligationem, qui interiùs statu tempore dissentit, etsi externus id non exprimat.

RESOL. XII.

An in contractu sponsalium valide apponatur pœna persoluenda ab iniuste resiliente?
Sed notatur iniuste resilientem non teneri soluere pœnam ex pacto resilienti impositam, etiamsi iuramento firmetur? Ex part.3.tr.4.Resol.210.alias 211.

§. 1. NEgatiuè communiter respondent Doctores, quos citant, & sequuntur Sanchez *tom.1. lib.1.disp.30.* & Gutierrez *de matrim.cap.27.* docentes resilientem etiam iniustè non teneri eam pœnam soluere. Probant id ex *cap. gemma 29. de sponsi. & l. Titia, ff. de verb. obligat. & l. mulier, C. de sponsi.* vbi eiusmodi stipulationes dicuntur non obligare, quia matrimonia debent esse libera.

2. Sed ego puto cum Basilio Pontio *de matrim. lib.12.cap.19 num.8.* & Coninch *vbi infra*, in sponsalibus licitè apponi posse pœnam iniustè resilienti, tam iure ciuili, quàm canonico, vt ipse Pontius nolidissimis rationibus totum hoc probat, ad quem me remitto. Verùm propter iura *suprà* citata, & maximè propter communem ferè Doctorum sententiam satis probabile est, vt notat Coninch *de Sacram. disp. 22. dub. 5. concl. 2. num. 29.* & Layman *in Theol. moral. tract. 10. part. 1. cap. 10. num.8* iniustè resilientem non teneri soluere pœnam ex pacto resilienti impositam; etiamsi iuramento firmetur, vt tenet Sanchez *disp.33.num.21.* & alij contra Lessium *lib.2. cap.17. dub. 7. numer. 56.* & Molinam *tom.1. tract.2. disputat.151. num.22.*

RESOL.

RESOL. XIII.

An sponsa possit resilire à sponsalibus, quando sponsus promittit se ab alia impudice tangi per oscula, & tactus, amplexus, &c?

Et quid, si huiusmodi oscula, & tactus forte essent frequentes?

Et an sponsalia, etiam si iurata sint, dissoluantur, si alter ex contrahentibus fornicationem admiserit? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 282. alias 283.

§. 1. NOtandum est ex *cap. quemadmodum 23. de iureiurand.* si alter ex contrahentibus fornicationem admiserit, sponsalia dissolui, etiamsi iurata sint, dissoluuntur tamen in fauorem innocentis, & ideo si innocens adhuc velit contrahere, alter tenetur. Et hoc procedit, etiamsi sponsa per vim cognita fuerit, & omnino renuens. His suppositis ex Basilio Pontio *de matrim. lib. 12. cap. 17. nu. 3.* & aliis communiter, quæritur an sicut sponsus potest resilire à sponsalibus, quando sponsa permittit se impudicè tangi per oscula, amplexus, &c. an, inquam, hoc sit licitum sponsæ, quando sponsus id efficeret. Respondeo negatiuè cum Reginaldo *tom. 2. lib. 31. cap. 36. num. 262.* & Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 55. num. 5.* quia id sponsæ non est dedecus, nec est mutatio alicuius momenti, & solùm pares sunt ratione mutuæ fornicationis ad dissoluenda sponsalia. Verum de hac sententia dubitat Guttierrez *de matr. c. 31. n. 1. in fine*, & illam limitat Coninch *de Sacram. disp. 23. dub. 7. n. 56.* & Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10 p. 1. c. 2. n. 11.* nisi fortè eiusmodi oscula & tactus essent frequentes ita vt indicarent propensum valdè sponsi in alterum animum, vt meritò possit timeri, ne ipse minus sit sponsam amaturus, aut fidem ei non seruaturus.

Sup. hoc in Res. seq.

Sup. hoc in Res. not. præteritæ, §. 2. in fine.

RESOL. XIV.

Fœmina Nobilis contraxit sponsalia cum Caio, quæritur, an possit ea dissoluere propter oscula, & tactus impudicos cum altera?

Et difficultas est, vtrum liceat vtrique sponso & sponsalibus resilire, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia?

Et notatur cum sponsalia valida sunt, tunc si post cognitam causam ad dissoluenda sponsalia, quis cognoscat carnaliter sponsam, amittit ius dissoluendi sponsalia?

Idem est, quando viri copulatus matrimonio cum vxore post cognitum eius adulterium eam cognoscit, quod amittit ius petendi diuortium?

Et quid, si supradicta sponsalia erant nulla ipso iure, an per copulam valida fiant, si contingat ipsa copula cum scientia illius defectus, qui erat in sponsalibus?

Et quid, si sponsus ignorat ius resiliendi, & cum ea ignorantia cognoscit sponsam, an censeatur sponsalia ratificare?

Et notatur, quod in foro interiori conscientiæ sponsus non amittit ius resiliendi, si accedat ad sponsam sine animo perseuerandi in sponsalibus?

Et an accedens ad sponsam absque animo cedendi proprio iuri, possit resilire à sponsalibus & solum compensare damnum?

Imo non tenetur recompensare damnum illatum, quando accedens protestatur sponsa se ad ipsam accedere cum voluntate non renunciandi iuri resiliendi à prioribus sponsalibus?

Et an quæ supradicta sunt de fornicatione carnali, locum habeant in spirituali, scilicet in hæresi, & maxime quando Hæretici cohabitatio est innocenti periculosa? Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Resol. 18.

§. 1. DE hoc casu interrogatus, probabiliter affirmatiuè respondi, nixus auctoritate Castri Palai, & rationibus ab ipso adductis *tom. 5. disp. 1. punct. 25. num. 8.* cui addo Leandrum *de Sacrament. tom. 2. tract. 9. disput. 2. quæst. 37.* & Hurtadum *disp. 2. difficul. 11. num. 42.* & Ochagauiam, *tract. 1. de matrim. quæst. 23. num. 1.* eò quòd prædictis osculis, & tactibus fides in sponsalibus data violetur. Quippe contrahentes sponsalia promittunt nedum corpus suum non tradere alteri in matrimonij vsum, sed sibi inuicem reseruare, vt matrimonio contracto, eo vti possint: quam tamen sponsionem admittens oscula, & tactus, violat: ergo illi fides non est necessariò seruanda, quia frangenti fidem fides seruanda non est. Præterea, esto ex prædictis osculis & tactibus sponsus, spectata hominum conditione, non reputetur vilior, sicuti reputatur sponsa; at negati non potest, reputari impudicum; & suspicionem non leuem ingerere, sponsam minus esse amaturum, & fidem non seruaturum: quæ videntur sufficere ad sponsalium dissolutionem.

Sup. hoc in Res. præterita.

2. Non nego tamen, opinionem negatiuam esse probabiliorem, quam olim ego docui, & tuetur nouissimè Pater Perez *de matrim. disput. 9. sect. 16. num. 8.* & alij, asserentes, hoc procedere, si ex parte Fœminæ oscula, & tactus fuerunt admissi; secùs autem ex parte viri; vt erat in casu nostro: quia ob prædicta oscula, & tactus vilior redditus non est, nec probrum est Fœminæ cum illo contrahere. Excipit tamen Coninch, nisi oscula, & tactus ita sint frequentes, vt indicent propensum valdè sponsi in alteram animum, & meritò timeri possit, quòd sponsam non sit amaturus, aut fidem non seruaturus. Idem tenet Layman, *lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 2. num. 10.*

Docuit in Res. not. præteritæ.

Sup. hoc ibidem in fine.

3. Sed difficultas etiam est, vtrùm liceat vtrique sponso à sponsalibus resilire, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia? Sanchez *lib. 1. disp. 55. num. 10.* sequutus Henriquez, *lib. 11. de matrimon. cap. 14. num. 6.* & Coninch *disp. 23. dub. 7. num. 65.* sentiunt, non fœminam, sed solùm virum posse in eo euentu ab sponsalibus resilire. Probant, quia ex parte sponsi in eo casu datur compensatio delicti, non autem respectu sponsæ; quia delicta sunt valdè imparia. Hæc sententia est satis probabilis: sed non minus probabilem affirmatiuam esse existimo, quam tenet Palaus *vbi supra num. 10.* & Perez, *sect. 16. num. 2.* cum Leandro, *quæst. 34.* Ratio est, quia in causa matrimonij vterque sponsus æqualis est: ergo mutua fornicatio compensatur, ita vt delictum vnius compensetur cum delicto alterius. Firmo, quia cùm vterque coniux post contractum matrimonium, commisit adulterium; vir adulter non potest mulierem adulteram repudiare, quamuis adulterium vxoris sit grauius adulterio viri, vtpote ignominiosius, & periculosius; ergo similiter nec sponsus potest repudiare, seu dissoluere sponsalia, quando vterque commisit fornicationem post sponsalia; tametsi sponsus subeat maiorem ignominiam, ac damnum per fornicationem sponsæ, quàm subeat sponsa per fornicationem sponsi.

Sup. hoc in Res. seq.

4. Respondent aduersarij, longè difficiliorem esse separationem tori, quàm sponsalium. Sed contra est, quia licet multo facilius soluantur sponsalia, quàm matrimonium, quoad totum, sponsalia enim ob quamlibet notabilem mutationem superuenientem dissoluuntur; separatio verò tori non ita facilè fieri potest: attamen quoad, fornicationem æquiparantur in iure, scilicet ex *cap. Quemadmodum de iureiurando*; vt nimirum sicut fornicatio;

quæ matrimonio superuenit, dissoluit ipsum quoad torum ; ita vt omninò dirimat sponsalia : ergo sicut fornicatio ex parte vtriusque coniugis compensatur, ita vt neutri liceat separatio tori : ita & fornicatio ex parte vtriusque sponsi. Quod ampliùs firmatur iuxta sententiam Sanchez, & omnium Doctorum, tenentium fornicationem solius sponsi sufficere, vt sponsa possit sponsalia dissoluere : ergo vterque sponsus æqualis est quoad hunc effectum dissolutionis sponsalium : ergo optimè poterit dari iusta delicti compensatio vtroque fornicante, vt nemini liceat sponsalia dissoluere; sicut datur ex parte vtriusque coniugis adulterantis compensatio delicti adulterij.

5. Notandum tamen est hîc, Primò ad ornatum huius materiæ, quòd, cùm sponsalia valida sunt, tunc si post cognitam causam sufficientem ad dissoluenda sponsalia quis cognoscat carnaliter sponsam, amittit ius dissoluendi sponsalia. Patet, quia si vir matrimonio copulatus cum vxore, post cognitum eius adulterium eam cognoscat, amittit ius petendi diuortium ; vt docet D. Thomas *in 4. disp. 35. quæst. vnica, art. 1. in corpore*; vt patet ex *lege si vxor. 13. in fine, ff. ad leg. Iuliam de adulteriis*. Ergo similiter sponsus per talem copulam amittit ius dissoluendi sponsalia, & hoc etiamsi habeat voluntatem non remittendi ius suum; quia hæc remissio non fit ab homine, sed à iure; si autem sponsalia ipso iure erant nulla, per copulam valida fiunt, si contingat ipsa copula cum scientia illius defectus, qui fuit in sponsalibus ; & cum consensu permanendi in prioribus sponsalibus, cognoscendo esse irrita. Patet, quia iste consensus sufficiens est ad sponsalia de nouo celebranda ; cur ergo ea non celebrabit ? Quod si ignorat ius resiliendi, & cum ea ignorantia cognoscat sponsam; non censetur sponsalia ratificare ; quia ex leg. si per errorem : nihil est magis contrarium consensui; quam error. Ita Ochagauia, *tract. 1. de Sacramento matrim. quæst. 23. n. 13.* & alij. Vnde ego his diebus consului, non potuisse quendam à sponsalibus resilire ; quia post fornicationem sponsæ, illam carnaliter cognouerat.

Sup. hoc cursim infra in Resol. 231. §. Sextus, & si scire velis quid è cõtra in hoc casu lege ibi §. Sed hic obiter quæro.

6. Notandum est tamen hîc cum amicissimo, & doctissimo Patre Martino Perez *vbi supra sect. 17. num. 6.* quod in foro interiori conscientiæ sponsus non amittit ius resiliendi, si accedat ad sponsam sine animo perseuerandi in sponsalibus. Ita sentit Hurtado, *disp. 2. difficul. 16.* Et ratio est, quia copula nullo iure continet explicitam, vel implicitam voluntatem renuntiandi proprio iuri ; nam potest fieri sine ea voluntate, imo cum expressa voluntate opposita non renuntiandi : ergo accedens absque animo cedendi proprio iuri, poterit resilire ab sponsalibus ; & solùm tenebitur recompensare damnum illatum, si alia via, quam ducendo sponsam potest damno illato satisfacere. Imo existimo, non teneri ad compensandum damnum, quando accedens protestatur sponsæ, se ad ipsam accedere cum voluntate non renuntiandi iuri resiliendi à prioribus sponsalibus ; quia scienti, & volenti nulla fit iniuria. Dixi in conclusione : in Foro interiori ; nam quæ dixi, vera sunt pro foro interno ; pro externo verò semper iudicabitur, virum accessisse cum animo renuntiandi proprio iuri.

Sup. hoc latè infra in Resol. 120.

7. Sed an ea, quæ supradicta sunt de fornicatione carnali, locum habeant in spirituali, scilicet in hæresi ; fere omnes Doctores affirmant ; vti videre est apud Sanchez *disp. 55. num. 3.* Guttierez *cap. 31. in fine num. 5.* Basilium Ponce, *lib. 12. cap. 17. num. 3.* Sed hoc intelligendum est, tum quando hæretici cohabitatio est innocenti periculosa : tum quando hoc delictum contingit illis in partibus, in quibus delinquentem infamem reddit, vt in Hispania, Sicilia, aliisque Catholicis regnis.

RESOL. XV.

An liceat virique sponso à sponsalibus resilire, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 283. alias 284.

§. 1. NEutrum posse in tali casu à sponsalibus resilire, docet Martinus Bonacina *de matr. Reg. part. 1. punct. 8. n. 6.* & Paludanus *in 4. sent. dist. 27. qu. 1. art. 3. n. 17.* Primò, quia delictum vnius compensatur cum delicto alterius. Secundò, quia quando vterque coniux post contractum matrimonium commisit adulterium, vir non potest facere diuortium, quamuis adulterium fœminæ sit grauius adulterio viri. Ergo neque sponsus potest facere diuortium, seu dissoluere sponsalia, quamuis sponsus maiorem subeat ignominiam per fornicationem sponsi. Hæc omnia Bonacina, probabiliter quidem.

2. Mihi verò contraria sententia magis placet, asserens solum virum posse in eo euentu à sponsalibus resilire. Et ita docet Coninch *de Sacram. disp. 23. dub. 7. conc. 6. num. 63.* Henriq. *lib. 11. cap. 14. num. 6.* Reginald. *in prax. tom. 2. lib. 31. cap. 36. n. 160.* Gutierrez *de matrim. cap. 31. n. 4.* Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 49. num. 9.* quibus nouissimè addendus est Basilius Pontius *de matrim. lib. 12. cap. 17. num. 3.* & Layman *lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 2. num. 12.*

3. Nec argumenta Bonacinæ sunt satis firma; nam ad primum respondeo, quòd non potest in tali casu dari compensatio, quia delicta sunt valde impar ia, longéque ignominiosius est sponso talem ducere, quàm sponsæ tali nubere, & ex fornicatione sponsæ longè grauius damnum sponso imminet propter incertitudinem secuturæ prolis. Ad secundum argumentum, quòd vir adulter non possit vxorem adulteram repudiare, respondeo, hoc simile non habere locum, quia longe difficilior est separatio tori, quam sponsalium.

RESOL. XVI.

Virum sponsus possit contrahere matrimonium, quando aliquo occulto vitio laborat, cuius si alter conscius esset, possit iustè à sponsalibus resilire?

Ex quo infertur quamdam virginem post sponsalia corruptam potuisse sponsum defectus occulti ignarum cogere matrimonium contrahere, & stare sponsalibus ?

Et cursim deducitur, an adulter ex iustitia possit licite exigere debitum à coniuge illius adulterij ignara?

Ex part. 3. tr. 4. Resol. 286. alias 287.

§. 1. HÆc quæstio est satis practicabilis, & ego olim de illa interrogatus fui, quia sponsa virgo non erat. Ideo assero cum Basilio Pontio *de matrim. lib. 12. cap. 18. num. 5. & 6.* & Coninch *de Sacram. disp. 23. dub. 12. n. 91. & seq.* quòd distinguendi sunt defectus in duplici genere. Primum est eorum defectuum, qui insunt vni ex contrahentibus, siue cum culpa, aut sine illa, qui reddunt nuptias minus appetibiles, non tamen perniciosas. Vt si mulier, quæ existimatur pulchra, quia absens est, sit deformis, & quæ existimatur honesta, non sit virga, sed corrupta, vel vi, vel sponte, quando tamen studeret in posterũ honestè viuere: si enim id non proponeret, iam nuptiæ nõ solùm essent minus appetibiles, sed etiã pernitiosæ,

ciosæ, morbus scilicet contagiosus, improbi mores, à quibus desistere non vult, grauis infamia, siue personalis, siue generis, quæ possit honestam familiam deturpare. Si ergo sunt defectus primi generis, dico non teneri contrahentem aperire eos. Nota tamen, quòd patienti huiusmodi defectus nullo modo licet, vel dicto, vel facto positiuè simulando contrarium, alterum vana spe ad nuptias suas allicere. Dixi *positiuè simulando*, quia tales defectus, maximè quando cum aliqua infamia coniuncti sunt, quis non tenetur manifestare, & ideo etiam interrogatus potest eiusmodi defectus dissimulare. Vnde recens nupta licitè, & consulto potest vti aliquo artificio, quo impediat ne vir deprehendat corruptam, imò, etsi fœmina malefaciat promittenti sibi nuptias, concedendo vsuram corporis, tamen aut nullo modo, aut leuiter peccat tali artificio tegendo se esse corruptã, ne alter hoc deprehendens eius nuptias auersetur; nam in tali casu non propriè se fingit virginem, sed vitium occultat, & etiamsi apertè diceret se esse virginem, non credo per hoc præcisè peccaturam mortaliter, nisi esset periculum ne vir postea eam corruptam deprehenderet. Si verò defectus sunt secundi generis modo quo *suprà* dictum est; non licet cum horum ignaro contrahere, nisi similes defectus pateretur. Ex his facilè colligitur an is, qui defectum aliquem patitur, possit ignarum eius defectus renuentem implere sponsalia, cogere vt adimpleat. Et quidem si sunt defectus posterioris generis, non potest, etiamsi post sponsalia in eos defectus inciderit. Et idem dicendum est de patiente defectus primi generis, si dolo induxit illum ad sponsalia contrahenda. At si patiens defectus primi generis non illum induxit ad contrahendum, probabile satis est posse cogere, vt impleat; probabilius tamen videtur non posse illum resilientem cogere. Et hæc omnia desumpta sunt à Pontio, & Coninch *vbi suprà*, qui horum omnium rationes adducunt in aliis libris non ita passim obuias.

2. Ex his infertur, me olim rectè consuluisse contra Villalobos *in summa tom. 5. tract. 12. diffic. 14. n. 3.* quandam virginem post sponsalia corruptam potuisse sponsum defectus occulti ignarum cogere matrimonium contrahere, & stare sponsalibus. Nec valet argumentum Villalobos, nempe adulterum ex iustitia non posse exigere debitum à coniuge illius adulterij ignara: nam ego puto adulterum licitè debitum exigere in tali casu, & ita docet Coninch *vbi suprà, n. 87.* qui citat Caietanum, vtrumque Sotum, & Henriquez, quidquid cum Villalobos sentiat Nauarrus *cap. 22. n. 23.* Couarruuias *in 4. decret. part. 1. cap. 7. n. 4.* Armilla *verb. Adulterium, n. 8. in fine*, & Angelus *ibidem n. 3.* sed tu tene nostram sententiam, quam etiam docet Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 68. n. 4.*

RESOL. XVII.

An si sponsa tempore sponsalium pulchra esset, dissoluantur sponsalia, ea facta notabiliter deformi?

Et an valde magna deformitas debeat esse sponsi, quæ de nouo accidens det sponsæ ius resiliendi?

Idem est de vehementi suspicione morbi Gallici, & de oris graueolentia. Ex part. 3. tractat. 4. Resol. 284. aliàs 285.

§. 1. NOtandum est sponsum non teneri contrahere matrimonium, si sponsa oculos, vel oculum, aurem, seu nasum amiserit, vel si morbus contagiosus, paralysis, vel lepra superueniat. Idem dicendum est de vehementi suspicione morbi Gallici, etsi non plenè probetur, & de oris graueolentia, quando immedicabilis est. Et hæc omnia habentur & deducuntur ex *cap. quemadmodum, de iureiurando.* Hoc supposito, difficultas est de superueniente deformitate. Affirmatiuam sententiam docet Sanchez *to. 1. lib. 1. disp. 57. n. 4.* quia tes non in eodem status permanet, estque notabilissima mutatio, & talis, qua à principio existente sponsus non contraxisset, & ideo Innocentius *in dicto cap. quemadmodum n. 3.* ait. Dissoluuntur sponsalia, quando notabilis deformitas superuenit, quia non manet res in eodem statu, cùm non sit fœmina apta facere id propter quod ducitur, scilicet tollere viro fornicandi occasionem, quia ad eam tam deformem accedere non valet. Ita Innocentius, & Sanchez.

2. Sed aduersùs illud nouissimè insurgit Ioannes Guttierrez *de matrim. in c. 21. n. 5.* quia textus *in dict. cap. quemadmodum*, tantùm permittit dissolui sponsalia ob oculorum, vel nasi amissionem, vel ob paralysim. At deformitas, de qua nunc agimus, vt aduersatur pulchritudini vultus præcedenti, non est huiusmodi. Ergo, &c. Nec obstant verba Innocentij, quia de deformitate textus *in dict. cap. quemadmodum*, intelligenda sunt, non verò de alia inferiori diuersi generis, nempe [por auerse hecho de hermosa sea sin perder los ojos, y narizes, ni tener otra enfermedad de las expressas en derecho.] Siquidem patet virum posse accedere ad non pulchram, imò frequenter contingit viros habentes pulcherrimas mulieres cum aliis non pulchris fornicari. Nec valet dicere, quòd illæ infirmitates *in dicto cap.* proponuntur, exempli gratia: nam respondeo esse extendendas ad alias similes eandem rationem vel grauiorem habentes; non autem ad deformitates procedentes ex defectu pulchritudinis, quæ multo inferior est, & minimè comprehensa sub dispositione dicti *cap. quemadmodum.* Hæc omnia Guttierrez contra Sanchez, vbi citat pro sua sententia Couarruuiam, Carrerum, Mattienzo, & Lopez.

Verùm his non obstantibus sententia Sanchez mihi probabilissima videtur, quam post illum docet Basilius Pontius *de matr. lib. 12. cap. 17. n. 5.* & Filliucius *tom. 1. tract. 12. diffic. 12. num. 18.*

3. Notandum est tamen hîc, quòd Doctores loquuntur communiter de sola deformitate accidente sponsæ, quia in viris non ita requiritur pulchritudo. Quare valdè magna debet esse deformitas sponsi, quæ de nouo accidens det sponsæ ius resiliendi, qualis posset fortè esse, si totum omnino nasum perderet, aut si tota facies fœdè exureretur, aut alia ratione ita fieret deformis, vt spectantibus horrorem aliquẽ incuteret, aut si vnà cum deformitate accedat aliud malum, vt si perdat oculum, & sit periculum, ne perdat secundum; aut si ineptus reddatur ad suum opificium exercendum, aut officium acquirendum ad sustentationem familiæ necessarium. Aliàs quando deformitas non est excessiua, non dat sponsæ iustam causam resiliendi. Et hæc omnia adnotauit Coninch *de Sacram. disp. 23. dub. 8. num. 66.*

RESOL. XVIII.

An nulla dotis promissione præuia possint dissolui sponsalia ob paupertatem sponsæ superuenientem?

Et quid, si illa sponsalia essent iuramento firmata?

Et notatur, quod si sponso subito accedat noua hæreditas, qua eius status plurimum melioretur, ita vt sponsa sit iam multum inæqualis illi, non ideo potest sponsalibus renunciare.

Eadem est ratio, si sponsæ noua hæreditas accedat. Ex part. 3. tract. 4. Resol. 285. aliàs 286.

§. 1. NEgatiuè respondet Paludanus *in 4. dist. 27. q. 1. art 2 n. 14* Lopez, Rodrig. & alij, penes Sanch. *de matrim. to. 1. lib. 1. disp. 59. n. 3.* quia sibi sponsus imputare debet, quòd nullum de dote tradenda pactum inierit. Et hanc sententiam probabilem esse docet Sanchez *loco citat. in fine*, & Villalob. *vbi infra.*

2. Mihi verò contraria sententia placet, quam tuetur Basilius Pontius *de matrim. lib. 12. cap. 17. n. 8.* Villalobos *in summa tom. 1. tract. 12. diffic. 12. num. 19.* Henriquez *lib. 11. c. 14. n. 6.* Sanchez *vbi suprà n. 4.* & alij. Et ratio est, quia negari non potest, quin hæc non sit notabilissima mutatio, quæ si à principio existeret, sponsalia non contraherentur; adde quòd promissio intelligitur facta rebus in eodem statu permanentibus, ex *cap. quemadmodum, de iureiurando.* Ergo, &c. Et hæc sententia procedit, etiamsi illa sponsalia fuissent iuramento confirmata, quia iuramentum intelligitur rebus notabiliter non mutatis, ex *eodem cap. quemadmodum.*

3. Notandum est tamen hîc, quòd si sponso subitò accedat noua hæreditas, qua eius status plurimum melioretur, ita vt sponsa sit iam multum inæqualis illi: non ideo potest sponsalibus renunciare, quia per hoc non potest dici deceptus in sponsæ conditione, aut per errorem in eam consensisse, quia non errauit circa obiectum consensus, sed circa propriam conditionem, circa quam consensus non fertur; eadémque est ratio sponsæ, si ipsi noua hæreditas accedat. Et hanc sententiam priùs solùm Sanchez *vbi suprà n. 7.* auctorem habebat, nunc verò illam docet Coninch *de Sacram. disp. 23. dub. 8. n. 69.* Guttierrez *de matrim. cap. 33. n. 4.* & Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 31. cap. 1. num. 363.*

4. Notandum est etiam hîc à Confessariis, an iurans se aliquam ductum, nulla dotis promissione præmissa, teneatur ipsam ducere, si cùm ipse dives sit, nullam ei dotem assignare velit. Quidam affirmant teneri, quando vir dives esset, & onera matrimonij sustinere posset. Alij verò negant, ego vtramque sententiam probabilem esse puto, vide Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 60.* & Guttierrez *de matrim. cap. 33. num. 5.*

RESOL. XIX.

An sponsalia inter consanguineos inita cum conditione, si Papa dispensauerit, sint valida, & obligent in conscientia, impetrata dispensatione?

Et an liceat vtrique contrahenti ante, & post impetratam à Pontifice dispensationem, altero inuito, à sponsalibus resilire?

Et an hoc etiam procedat, si talis promissio fuerit iuramento confirmata?

Et an si magnæ expensæ factæ sint causa talis promissionis pro impetranda dispensatione, resiliens à dictis sponsalibus teneatur illas restituere?

Et inferitur consanguineos contrahentes matrimonium per verba de præsenti sub conditione, si Papa dispensauerit incurrere in excommunicationem latam in Clementina vnica de consang. Ex part. 3. tr. 4. Res. 289. aliàs 290.

Vt melius doctrinæ cõtentę in hoc, & seq. §. dissoluantur lege infra Res. 25. signanter à §. Et dato, & Res. 143.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam mordicus tenet Adrianus *in 4. sent. tract. de sponsalib. dub. 10.* quem ex recentioribus sequuntur Basilius Pontius *de matr. lib. 3. c. 15. num. 5.* Coninch *de Sacram. disput. 29. dub. 1. concl. 5. num. 18.* Paulus Comitolus *in resp. mor. lib. 1. quæst. 145. per totam*, Rebellius *part. 2. lib. 2. qu. 10 sect. 6. num. 46.* quibus adde DD. quos citat, & sequitur Sanchez *tom. 1. lib. 5. disp. 5. q. 3. n. 12.* Et ratio est, quia earum rerum, quæ suapte natura nec malæ sunt, nec vlli iustæ legi repugnantes, fulta ac firma potest esse pactio, sed pacisci de futuris nuptiis inter propinquos, ex concessione Romani Pontificis, nec turpe est, nec vllam legem perfringit; ergo inita de ea re pactio rata esse debebit, quandiu Romani Pontificis non infirmetur auctoritate. Deinde non est verum illud fundamentum, quod pendens à voluntate Principis est impossibile, quando Princeps illud concedere solet, vt accidit in casu nostro. Ergo, &c. Adde quòd ideò institutio spiritus facta sub conditione, si Princeps eum legitimauerit, est valida. Secundò, feuditio rei feudalis, seu maioratus simpliciter facta inualida est, valet tamen si fiat sub conditione, si dominus feudi, aut Princeps voluerit. Tertiò, votum Episcopi transeundi ad Religionem, si Papa dispensauerit, validum est. Quartò, quando est controuersia super aliquo beneficio, licèt non possint pacisci simpliciter de pensione (alias esset simonia) si tamen faciant pactum super ea cum conditione, si Pontifex consenserit, suspendo dictam pensionem in euentum, quo Papa consentiat, licita est conuentio, & ita quotidie practicatur. Et tamen supradictæ conditiones pendent à Principis voluntate. Ergo, &c. Vnde ex his omnibus apparet, hanc sententiam esse satis firmam, & probabilem.

2. Verùm contrariam sententiam esse etiam probabilem existimo, & ita illam vocat Sanchez *vbi supra*, & illam absolutè tenet nouissimè Iounes Valerus *in differentiis vtriusque fori, verb. matr. diff. per totam.* Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 5. cap. 9. n. 11.* & Riccius *in praxi part. 1. resol. 217. num. 2.* Genuensis *in praxi cap. 13. num. 5.* Molfesius *in sum. tom. 1. tract. 4. c. 5. num. 34.* Ragueus *in Lucrina Parochorum de matr. q. 127.* Henriquez *lib. 11. cap. 12. n. 4.* quibus addo Sotum, Ledesmam, Graffium, Vualdum, quos citat Sanchez *loco cit. num. 5.*

3. Dicendum est igitur secundùm hos DD. tales promissionem esse nullam, & proindè licitum esse vtrique contrahenti ante, & post impetratam à Pontifice dispensationem altero inuito à sponsalibus resilire. Et hoc etiam procedit, si talis promissio fuerit iuramento confirmata. Verùm si magnæ expensæ factæ sint causa talis promissionis pro impetranda dispensatione, resiliens à dictis sponsalibus teneatur illas restituere. Et rationes horum omnium inuenies apud Valerum *loco citato.* Ex his infert Guttierrez *qq. canon. lib. 1. cap. 22. num. 17.* consanguineos contrahentes matrimonium per verba de præsenti, sub conditione, si Papa dispensauerit, incurrere in excommunicationem latam *in Clem. vnic. de consang.* quia ea conditio tanquam impossibilis reiicitur, & ideo manet purum matrimonium. Sed Doctores primæ sententiæ hoc negant, quia secundùm illos ea conditio reputatur possibilis.

RESOL. XX.

An pactum appositum in contractu matrimonij, vel sponsalibus, quod vir perpetuo habitet in domicilio vxoris, sit validum?

Et an si pactum fuerit iuramento confirmatum, liceat resilire, & mulier teneatur virum sequi?

Et obiter notatur valere pactum, nequis possit ingredi ciuitatem, quod frequenter fit in remissionibus iniuriarum, & hoc etiam si non solum pactum sit temporale, sed etiam perpetuum? Ex part. 3. tr. 4 Res. 211. alias 212.

§. 1. HIc casus frequenter solet accidere, & ideo ad illum affirmatiuè respondeo cum Doctoribus, quos citat, & sequitur Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 40.*

*disp.*40.*n.*2.quibus ego addo Layman *in Theol.moral. lib.*5.*tr.*10.*part.*2.*cap.*2.*n.*3.& Basil.Pontium *de matr. lib.*12.*cap.*20.*n.*8.& in tali casu si contraueniatur,posse exigi pœnam tenent multi,neque hoc repugnare libertati coniugij. Limitanda tamen est hæc doctrina, nisi noua causa emergat mutandi domicilij , tunc enim etiamsi pactum sit iuramento confirmatum , licebit resilire, & mulier tenebitur virum sequi.

2. Notandum est tamen hîc obiter cum Pontio *vbi supra,num.*9.contra Ancharanum *cons.*75.*num.*3. Alciat.*cons.*34.*n.*3.*lib.*5. & alios, valere pactum , ne quis possit ingredi in aliquam ciuitatem , quod frequenter fit in remissionibus iniuriarum.Et hoc non solùm si pactum sit temporale,sed etiam perpetuum. Et rationes pro supradictis adduxit Pontius *loco citato*,vnde Confessarij sedabunt multas conscientias,& respondebunt ad querelas partium.

RESOL. XXI.

An sponsalia iurata dissoluantur ex mutuo consensu, etiam si iuramentum intuitu pietatis emissum fuerit?

Et supponitur sponsalia ex mutuo consensu contrahentiũ dissolui ; & hoc intelligendum est, de sponsalibus puberum;nam de impuberum sponsalibus alia est iuris dispositio ; quippe impuberes sponsalia contrahentes resilire non possunt, quousque pubertatem nacti sint, & merito,ne passim resiliant,& passim contrahant.

Et aduertitur, quod adueniente pubertate,qui prius illam attigerit resilire potest,nec opus habet expectare pubertatem alterius ; quinimò statim ac pubertatem attigerit reclamare debet, alioquin sponsalia firmauit, ac si post pubertatem contraxisset.

Et an pro foro conscientiæ sufficiat, si interius reclamatio fiat , vel an teneatur illam manifestare coram Episcopo , vel eius Vicario , & ipsis deficientibus coram honestis personis ? Ex part.9.tr.7. & Misc.2. Ref.77. alias 76.

§. 1. SVppono , sponsalia ex mutuo contrahentium consensu dissolui ex textu in cap. 2. *de sponsalibus*, vbi Innocentius inquit : *Videtur , quòd instar eorum,qui societatem interposita fide contrahunt, & posteà eandem sibi remittunt , hoc possit in patientia tolerari.* Res enim per quascunque causas nascitur, per eas dissolui potest , si solubilis est , vt regula Iuris, & cap. *Omnis res* 27. *quæst.*2. & obligationes, quæ consensu contrahuntur , contraria voluntate dissoluuntur , §.*vlt. Institut. Quib. mod.oblig.tollant.* Debet autem huiusmodi remissio sponte fieri , non coactè , alias nulla erit. Ex hac doctrina procedit, quòd etiamsi iuramento sponsalia confirmata sint, possunt ex mutuo consensu dissolui : quia iuramentum , quod in fauorem alterius factum est , tacitam imbibit conditionem, nisi alius remiserit.

2. His suppositis , quæritur, an si iuramentum sponsalibus adiectum,esset principaliter in honorem Dei factum , possint sponsalia confirmata mutuo consensu remitti:vt,si Titius,v.g.iuret Caiæ paupe-
Quoad hoc ne deseras legere in to. 8.tr.4. latam doctrinam Ref.50.& 51. quamuis nõ plene dicant sup. hoc casu.
ri se eam ducturum , vbi tota promissio cedit in fauorem Caiæ:& affirmant Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.*25.*n.*8.Henriquez *lib.*11 *de matrim.cap.*14. *n.*8. posse sponsalia mutuo consensu dissolui, etiamsi iuramentum sit principaliter in honorem Dei factum.

3. Sed contrarium videtur tenendum ex mente D.Thomæ *in* 2.2.*quæst.*89. *art.*9.*ad* 2.in illis verbis: *Quòd homo potest alteri promittere aliquid dupliciter. Vno modo,quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatem ipsius,puta si sub iuramento promittat se seruiturum ei,vel pecuniam daturum;& a tali promissione potest absolui ille,cui talis promissio facta est.intelligitur enim iam soluere promissionem, quando facit secundum voluntatem eius. Alio modo , quando promittit aliquis alteri ; quod pertinet ad honorem Dei , vel vtilitatem aliorum, puta , si aliquis sub iuramento promisit alicui se intraturum Religionem,vel aliquod opus pietatis facturum : & tunc ille, cui promittitur, non potest absoluere promittentem:quia promissio non est facta ei principaliter , sed Deo.* Hæc D.Thomas , vbi affirmat expresse, cùm aliquid promittitur intuitu pietatis , & Religionis principaliter, remitti non posse. Eandem sententiam sequitur Sotus *lib.*8.*de iust.quæst.*1. *art.*9. *ad* 2.Ledesma *de matr.quæst.*43. *art.*13.Sylvest. *verb. Iuramentum,*9.*qu.*5.Nauar.*in Summa,c.*22. Couarru. *de pact.*1.*par.*§.3;*n.*1. Et probatur manifesta ratione: quia,quando iuramentum est principaliter in honorem Dei præstitum , confirmando aliquam promissionem homini factam;Deus est principalis creditor, cui ex merito talis iuramenti fuit acquisitum ius: ergo sine authoritate Dei,vel eius,qui eius vicem gerit , nequit remitti, nec relaxari. Confirmatur : quia iuramentum factum Deo intuitu pietatis , & principaliter propter honorem eius , æquiualet voto , vt benè Sotus : ergo,cùm in voto nulla persona priuata possit dispensare , eò quòd soli Deo sit ius acquisitum, nec etiam in eo iuramento.

4. Nec obstat dicere , quòd quamuis iuramentum Deo sit præstitum,ipse Deus recipit illud in vtilitatem partis, ergo pars, cui debetur, remittere potest;sicut alia debita condonare. Respondetur enim, hanc rationem esse valdè sterilem : & ideò, concesso antecedente distinguo consequens:nam , si iuramentum propriè, & principaliter intuitu partis præstitũ est,verum est:si autem intuitu pietatis, & Religionis principaliter , & in honorem Dei illud acceptantis; falsum est. Quare egregiè dixit Sotus in huiusmodi promissionibus homini factis sub iuramento semper esse inquirendam promittentis , seu iurantis intentionem:atque si fuerit principaliter in fauorem partis , cui fuit facta promissio ; iuramentum per consensum eius potest relaxari ; si verò principaliter in honorem Dei,ac intuitu pietatis ; minimè potest. Et benè addit D.Thom.2.2.*quæst.*88.*art.*3. promissionis iuramentum confirmatorium erga hominem præstitum, relaxari non posse sine eius,cui fuit præstitum, consensu : quia per illud iuramentum , ius homini acquisitum est : quo iure priuari non debet sine eius consensu, sicut nec de aliis bonis propriis.

Verùm , licèt huic opinioni ego adhæream , sententiam tamen Sanchez , tanquàm probabilem, admitto:quam etiam tuetur Pontius *de matr. lib.* 12. *c.*9.*n.*2.Guttierrez *cap.*24.*n.*1. Coninch *disp.*23.*dub.* 1. & Castr.Palaus *tom.*5.*disp.*1.*punct.*17.*n* 4. & alij.

5. Notandum est tamen,quòd licèt *supra* dixerimus , quòd sponsalia mutuo consensu dissoluuntur; tamen hoc intelligendum est de sponsalibus puberum : nam de impuberum sponsalibus alia est dispositio, vt constat ex cap. *De illis,el* 1.cap. *A nobis,de sponsalib.impuber.* quippe impuberes sponsalia contrahentes resilire non possunt,quousque pubertatem nacti sint : & merito ne passim resiliant , & passim contrahant. Adueniente pubertate , qui priùs illam attigerit, resilire potest:neque opus habet expectare pubertatem alterius, cùm solùm ex eius dissensu post pubertatem permisso sponsalia dissoluantur. Quinimò statim ac pubertatem attigerit,reclamare debet, alioquin sponsalia firmauit, ac si post pubertatẽ illa contraxisset. Hunc tamen dissensum, & reclamationem, esto, Thomas Sanchez *n.*16.& Guttierrez *n.*7. censeant , pro foro conscientiæ sufficere , si interiùs fiat , mihi contrarium placet : nam, sicut ad contrahenda sponsalia non sufficit interior consensus , nisi
Sup. contento in hoc vers. Adueniente, & sequẽti Quinimò magis latè supra in Ref. 11.

exteriùs manifestetur: sic nec sufficere potest ad contracta dissoluenda dissensus interior, nisi manifestetur exteriùs: vti notauit Pontius *dicto cap. 9. num. 5.* Manifestari autem expedit coram Episcopo, vel eius Vicario; &, ipsis deficientibus, coram honestis personis, iuxta textum *in cap fin. de appellationib.* & tradit, aliis relatis, Sanchez *lib. 1. disp. 51. num. 17.* & Gutierrez *cap. 28. num. 7.*

RESOL. XXII.

An si sponsalia communi consensu dissoluantur, hoc non obstante, oriatur ex eis impedimentum publicæ honestatis?

Et breuissime deducitur, quod durat impedimentum publicæ honestatis etiam post mortem alterius sponsi. Ex part. 3. tract. 4. Res. 221. alias 222.

Sup. hoc in Res. seq.

§. 1. DE hoc casu olim magna altercatio fuit, nam quidam contraxit sponsalia cum filia, & postea illis ex communi consensu dissolutis cum matre contrahere volebat, tunc sine Summi Pontificis dispensatione hoc efficere minimè posse asseruerunt multi Theologi, nam ita docet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 65. n. 21.* & probat hanc sententiam, quia nulla maior sponsalium dissolutio accidere potest, quàm alterius sponsi morte, sed in tali casu durat etiam impedimentum. Ergo.

Sup. hac morte ibidem, ad medium §. 2.

2. Sed ego tunc contrarium consului; & in meam sententiam attraxi multos viros doctos ex Dominicanorum familia, & ex Societate Iesu, & præter Sà *verb. Matrimonium. n. 12.* citatum à Sanchez, adduxi pro hac opinione Basil. Pontium *de matrim. lib. 7. cap. 36. num. 9.* Gutierrez *de matrim. cap. 103. num. 11.* & Rebellium *part. 2 lib. 3. quæst. 14. n. 3.* qui citant declarationem Cardinalium sic asserentem. Si sponsalia soluuntur de consensu, Congregatio censuit esse inualida. Ad rationem verò, quam adducit Sanchez, respondebam, quòd adest dispar ratio inter vtrumque casum; quia in morte qui contraxit sponsalia, censetur in eadem voluntate decessisse, vel saltem debuisse decedere, quamdiu alter non dissentit, quod non accidit in casu nostro; nam adest voluntas expressa dissolutionis sponsaliorum. Non est ergo audiendus Sanchez, licèt vir doctissimus, in hoc casu, sed omnino dicendum est cum supradictis Doctoribus, ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis nullum nasci impedimentum.

RESOL. XXIII.

An si sponsalia dissoluantur ex mutuo consensu cesset impedimentum publicæ honestatis ortum ex illis?

Et quid est dicendum, si morte alterius dissoluerentur?

Et an hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus ficte celebratis, videlicet oretenus absque consensu interiori?

Idem est de matrimonio ficte contracto ex defectu consensus. Ex part. 11. tract. 5. & Misc. 5. Res. 12.

Sup. hoc in Res. præterita.

§. 1. NEgatiuam sententiam docent duo viri docti ac strictæ amicitiæ vinculo mihi coniuncti, Reuerendissimus Candidus, & Auersa: Ille *tom. 1. disquisit. 28. art. 11. dub. 2.* Iste *de Sacrament. Matrim. quæst. 17. sect. 5.* Idem etiam docet Layman *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 9. num. 3.* Trullench *de Sacram. lib. 7. cap. 9. dub. 13. num. 8.* Bassæus *verb. Matrimonium 7. num. 56.* Dicastillus *de Sacrament. tom. 3. tract. 10. disp. 7. dub. 39. num. 406.* & amicissimus P. Perez *de matrim. disp. 8. sect. 2. num. 4.* vbi sic asserit; Dico secundo; quando sponsalia dissoluuntur mutuo consensu contrahentium, adhuc non esse impedimentum publicæ honestatis contractum ex sponsalibus validis, & certis. Ita opinor eum Doctoribus primæ sententiæ, & ratio meo iudicio efficacior hæc est, quia impedimentum matrimonij non dependet à voluntate contrahentium, sed ab Ecclesia, quæ constituit, vt impedimentum publicæ honestatis consurgat ex sponsalibus validis; sponsalia verò non eo id non fuerunt valida, quod posteà dissoluantur, vt constat. Ratio autem motiua, propter quam inductum est ab Ecclesia impedimentum publicæ honestatis, adhuc militat, quando sponsalia mutuo consensu dissoluuntur, eo quod non deceat matrimonium contrahi inter aliquas personas, quæ sibi factæ sunt propinquæ per sponsalia: aliàs enim posset hoc impedimentum cessare quoque post mortem alterius sponsi: non enim sponsalia videntur magis dissolui per mutuum consensum, quam per mortem, per quam perpetuo dirimuntur, vt ostensum est. Nec valet dicere cum Hurtado esse discrimen: nam sponsalia quæ mutuo consensu dissoluuntur, euanescunt immediatè, & ratione sui, & sponsis viuentibus vnus definit ad alium pertinere, & è contra; ritus verò quæ morte alterius dissoluuntur, quia illa mediatè tantum, & ex defectu subiecti, & ipsis viuentibus semper vnus pertinuit ad alium, & è contra, ac proinde ex istis vtpotè perpetuis & semper validis oritur hoc impedimentum, & non ex illis. Non, inquam, valet, quia sponsalia per mortem etiam euanescunt, imò etiam magis, quia per mortem perpetuo dissoluuntur; at dissolata per mutuum consensum, iterum per nouum consensum contrahi possunt. Immediate etiam, & ratione sui per mortem euanescunt, quia immediate euanescit omnis consensus, & radix illius, nempe humana. Vnde sicut sponsis viuentibus, vnus definit ad alterum pertinere per mutuum consensum, ita multo magis mortuo alterutro. Non ergo est peculiaris ratio, nec speciale discrimen. Ita Perez, & ante omnes Sanchez.

2. Sed ego de hoc casu interrogatus ab Eminentissimo Domino meo Cardinali Franciotti, inter purpuratos Patres pietate & doctrina conspicuo, affirmatiuè respondi, Sancta declaratione Sacræ Congregationis Concilij à Pontio adducta, vt ego alibi obseruaui, de qua etiam ex Cornejo mentionem facit & sequitur Leander *de Sacrament. tom. 2. tract. 9. disp. 19. quæst. 4.* Hanc etiam sententiam tenet Castrus Palaus *tom. 5. disp. 4. punct. 10. num. 8.* Martinus de San Ioseph *in Monit. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 33. de matrim. nu. 5.* Remigius *in praxi Confess. tract. 5. cap. 8. §. 14. num. 4.* Calpensis *in curs. Theol. tom. 1. tract. 26. disp. 9. sect. 11. num. 69.* Oparatius *de Sacram. tract. de matrim. disp. 4. quæst. 7. num. 31.* Meteerus *de Sacram. in supplem. quæst. 57. dub. 2. num. 4.* & me citato Hermanus Busenbaum *in medulla Theologiæ moral.* & ratio est, quia talia sponsalia mutuo consensu soluta, sunt nulla & inualida. Secus dicendum est si morte alterius dissoluerentur; nam in eo casu, sponsalia illa perpetua censerentur: nam ille qui obiit iudicaretur in eadem voluntate decessisse. Et ideo Ioan. Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 7. de impedimen. matrim dub. 14. n. 122.* sic ait; Petitur an hoc impedimentum oriatur, si sponsalia valida mutuo contrahentium consensu dissoluantur? Respondeo non oriri vbi Tridentinum receptum est: Ita respondit Congregatio, quæ censuit esse inualida, quod videtur intelligendum ad hunc effectum, vt ex iis hoc impedimentum non oriatur, & ita existimo peculiarem esse dispo-

dispositionem pro eo modo dissolutionis sponsalium : si enim dissoluantur morte vnius partis ante matrimonium contractum , vel iudicis sententiam, nihilominus pariunt hoc impedimentum, cum subsequens dissolutio non obstet, quominus fuerint valida. Ita ille, & iterum ego.

Sup. hoc in Res. seq. & supr. cursim in fine Resol. 8.

3. Verùm, quia hîc sermo incidit de impedimento publicæ honestatis, quæro primo, an oriatur ex sponsalibus fictè celebratis , videlicet oretenus absque consensu interiori , & affirmatiuè respondet Leander *de Sacram. tom.2. tract. 9. disp.19. quæst.3.* cum Sanchez *lib.7. disp.68. num.* 14. Pontio *lib.7. cap. 36. num. 16.* & aliis penes ipsum, asserit enim, quod valeat promissio sponsalitia in tali casu, eo ipso, quod exterius liberè & seriò absque ioco proferatur, obligetque tam ex iustitia, quam ex fidelitate, & quod sponsalia validè celebrentur per consensum debitum. Deinde motiuum ob quod statutum est ab Ecclesia hoc impedimentum, fuit impedire scandala & publicam indecentiam, vt constat *ex cap. inuenis 3. de sponsalibus*; sed hæc æquè eueniunt quando sponsalia exteriùs apparent valida, & solus consensus internus ad eorum valorem desideratur, cum defectus ille interni consensus lateat omnes : ergo quando defectu consensus non constat exterius , prædicta sponsalia inducent illud impedimentum.

4. Sed negatiuam sententiam sustinet Hurtadus *de matrim. disp.21. difficul.1.* Rebellius *lib.4. quæst.14. num.3.* Coninch *de Sacram. disput.12. dub.5. num.69.* Mascardus *tom.1. lib.3. part. 1. tractat.11. docum.8. n.2.* & Cornejo *in 3. part. D. Thom. tom.2. tract.6. de impediment. matrim. dub. 30. quæst.2.* vbi sic ait : Ex quibus infero, non oriri hoc impedimentum, quando sponsalia aut matimonium inualida sunt defectu consensus interni , quiquid dicat Sanchez *lib. 7. disp.68. n.14. & disp.70. num.11.* Probatur, quia Concil. Tridentinum loco citato, & iura relata definiunt, non oriri ex sponsalibus quacumque ratione inualidis : ergo Concilium comprehendit omnem inualiditatem, etiam eam, quæ prouenit ex defectu consensus , non solum externi & apparentis , vt in infante , aut furioso , sed etiam iure interno : ergo in foro conscientiæ non dirimit matrimonium sequês, nec etiam in exteriori, si probari possit. Ita ille ; cui adde Martinum Perez *de matrim. disp.8. sect.3. n.3.* vbi probat ex sponsalibus inualidis solius interni, & occulti consensus defectu, nullum consurgere publicæ honestatis impedimentum. Moueor præcipuè, quia Concilium Trident. non potuit loqui clarius, & vniuersalius, quam cùm dixit se prorsus tollere illud honestatis publicæ impedimentum , dum sponsalia non erunt valida quacunque ratione , seu causa, verbis his vniuersalissimis omnem complectens causam inualiditatis eorum , ac proinde etiam interni consensus defectum ; quem profecto si cum cæteris comprehendere voluisset , nullis aliis clarioribus, aut vniuersalibus verbis vti potuisset

5. Respondet Sanchez Tridentinum intelligi quacunque ratione externa , & apparenti sint sponsalia irrita , oportere autem sic intelligi , quia tale impedimentum est institutum ob publicam honestatem ad vitandum scandalum ; atque ideò defectus consensus , ob quem non inducetur impedimentum debet esse externus. Sed contra est , quia Tridentini verba illa vniuersalia omnem nullitatem siue externam, & apparentem, siue etiam occultam comprehendunt. Præterea dictum *caput vnicum de sponsalibus in 6.* post Tridentinum manet illæsum quoad sponsalia irrita, defectu consensus , vt constat apud omnes : at ex sponsalibus inualidis solius interni consensus defectu , iuxta illud Bonifaci VIII. decretum non oritur tale impedimentum : ergo. Vnde ego huic sententiæ magis adhæreo. Non nego autem, vt optimè obseruat Dicastillus *de Sacram. to.2. tract.10. disp.7. dub. 19. num.403.* affirmatiuam sententiam probabilem esse.

RESOL. XXIV.

An ex sponsalibus nullis ex defectu consensus, vel ob aliud impedimentum occultum oriatur impedimentum publicæ honestatis ?

En an dato casu, quod sponsus de facto contraheret cum sorore sponsæ suæ de præsenti , teneatur ad priorem reddere, si autem coniunctio carnalis accederet cum secunda, tunc neutram possit accipere in vxorem, sin vero cum posteriori contrahat sponsalia, ea nulla sint, proinde que cum priori contraxit, solum sint valida?

Et notatur , quod ex sponsalibus conditionatis nullum oritur impedimentum publicæ honestatis, donec conditio fuerit impleta ? Ex part. 9. tr. 6. & Misc. 1. Res. 51. alias 52.

§. 1. Affirmatiuè respondent Sanchez *lib. 7. disp.68. num.14.* Pontius *lib.7. cap.35. n.10.* Layman *lib.5. tract.10. cap. 9. num. 4.* & alij : quia hoc impedimentum statutum est propter indecentiam , quam secum trahit matrimonium cum consanguinea in primo gradu illius , quacum sponsalia contraxisti : hæc autem indecentia semper oritur, quoties constat publice , sponsalia valida fuisse, tametsi de facto irrita sint. Vnde, cùm Concilium dicit, ex sponsalibus , quacunque ratione valida non fuerint, non contrahi hoc impedimentum ; intelligendum est verbum, *quacunque ratione*, quæ cognoscitur, & scitur.

Sup. hoc in Res. præterita §. Verùm, & supra cursim in fine Res. 8.

2. At mihi magis placet opinio negatiua, quam tenent Hurtadus *de matrim. disp.21. difficult.1. n.4.* Coninch *disput.32. dub.5. num.69.* Rebellius *lib. 3. quæst. 14.* Quia Concilium generaliter dixit , ex sponsalibus quacunque ratione inualida fuerint, nullum impedimentum contrahi : ergo absque fundamento restringitur ad ea, quæ sunt publice inualida: aliàs neque ex sponsalibus validis omninò occultis impedimentum oritur , siquidem nulla indecentia esset in tali contractu cum consanguineis sponsæ. Quapropter non est spectanda indecentia publica, quæ apud homines oritur ; sed quæ oritur spectato ipso contractu.

3. Et ideò Pater Perez *de matrim. disp.32. sect.2. num.1.* absolutè asseruit, impedimentum iustitiæ publicæ honestatis , quod ex sponsalibus oritur, tantùm oriri ex sponsalibus cum determinata persona, ac certa ; & ex absolutis , siue à principio , siue posteà impleta conditione, & tantùm ex validis, & non ex nullis, siue ex defectu consensus, siue ob aliquod impedimentum, quamuis occultum : prædictúmque impedimentum publicæ honestatis esse perpetuum, nec dissolui morte alterius , nec mutuo consensu, nec quia alter resiliuit. Ita ille, quibus omnibus adde Texedam *tom.1. lib.4. tract.2. contr.21. num.9.*

4. Sed nota hic obiter : Dato casu, quòd sponsus de facto contraheret cum sorore sponsæ suæ de præsenti, dico, quòd tenetur ad priorem redire : si autem coniunctio carnalis accederet cum secunda, tunc neutram potest accipere in vxorem : non priorem ; quia obstat affinitas : non posteriorem ; quia impedit publica honestas. Sin verò cum posteriore contrahat sponsalia, ea nulla sunt ; proinde quæ cum priori contraxit, solùm sunt valida.

5. Nota secundò : Ex sponsalibus conditionatis

nullum oriri impedimentum publicæ honestatis, donec conditio fuerit impleta: quia tum demum incipiunt esse vera sponsalia: consurgit autem, si coram Parocho, & testibus contractum fuerit conditionaliter matrimonium: quia hoc habet vim sponsalium vsque dum adimpleta fuerit conditio: nam posteà ex illo matrimonio oritur affinitas. Et hæc omnia docet Opatouius *de Sacram. tract. de matrim. disp. 4. quæst. 7. num. 31.*

RESOL. XXV.

De quibusdam sponsalibus? Ex part. 11. tr. 2. & Misc. 2. Res. 70.

Sup. hoc in Res. seq. & lege doctrinam Res. not. seq.

§. 1. PRiora sponsalia non officere, sed posteriora obseruanda esse firmiter existimo.

2. Moueor ad id tenendum, quia dicta Sponsalia fuerunt contracta cum impedimento dirimente, sine conditione, si Papa dispensauerit. Nec facit quòd tacitè subintelligatur conditio, sed est necesse, vt expressè apponatur *leg. conditiones extrinsecus, de cond. & demonstr. gloss. in cap. 1. §. ille verò, in verb. conditionem, de sponsalib. in 6.* Quod rectè docet Sacra Rota *in Valentina matrimony, die 10. Nouembris 1595. coram. Seraphino, tom. 2. decis. 1156. num. 1.*

Sup. doctrina contenta in hoc & seqq. §§. supra in Res. 19. & infra lege doctrinam in Res. 143.

3. Et dato, & non concesso, quòd dicta sponsalia fuissent contracta sub dicta conditione, si Papa dispensauerit, etiam sequuta dispensatione dicendum est, non posse suffragari, cùm post illam non interuenerit nouus consensus; & ratio est, quia ius perpetuò prohibet dicta sponsalia, & propterea nec sub conditione contrahi potuerunt, *l. inter stipulantem 82. §. Sacram. ff. de verb. oblig.* vbi si res à commercio eximatur, super ea obligatio non contrahitur, & contracta extinguitur, nec reuiuiscit impedimento cessante, *l. continuus 137. §. cum quis ff. eodem tit.* Deinde vt actus retro extendatur, oportere quod potuerit intercedere à principio, *l. si is qui pro emptore ff. de vsu cap.* Sed matrimonium, & sponsalia non potuerunt esse à principio temporis quo fuerunt inita, obstante impedimento, ergo non potuerunt retrotrahi. Secundum affero rationem, quòd ex facto à iure improbato non potest oriri aliqua obligatio, *l. cum lex ff. de fideiussor.* Sed in contractu conditionali sola spes est in obligatione, & propter illam spem contractus retrotrahitur, sed in nostris terminis nulla fuit obligatio ratione prædicta, ergo opus est nouo consensu.

4. Dicendum est itaque quod intentio Papæ, quando dispensat in gradu prohibito, sit solùm dandi facultatem contrahendi, non autem approbandi, & ratum habendi quod illicitè gestum est. Card. *in c. super eo*, & ibi Abbas *num. 8.* & Præpos. *num. 5. de cond. appos.* Aret. *cons. 142.* Syluester *in verb. matrim. lib. 3. q. 9.* Sotus *super 4. distin. 29. q. 2. art. 1. & alij.*

5. Et ita nostram sententiam, præter Doctores quod hîc ad satietatem possim adducere, Sacra Rota Romana perpetuò docuit, vt patet apud Seraphinum *vbi suprà*, & apud Manticam *decis. 205.* & apud Gregorium XV. *decis. 410.* & in causa Taurinensi sponsalium die 2. Decembris 1594. coram Gypsio, & in causa Vlixiponen. matrimonij 21. Iunij 1613. coram Sacrato, & in causa Colimbrien. sponsalium 26. Octobris 1616. coram Buratto, & in Bononien. transactionis 5. Decembris 1607. coram Coccino *decis. 374. n. 6. & 7.* & nouissimè coram eodem in vna Hispalensi sponsalium die 6. Martij 1637. cuius decisionem omninò videndam inuenies

Quæ nunc

adducuntur ad satietatem Doctores pro hac sententia, & validissimis rationibus confirmatur, ac respondetur ad argumenta contraria.

6. Deinde, dato & non concesso, supradicta sponsalia priora fuisse valida, nec consensus nouus esset in illis necessarius; tamen dicendum est, adhuc obseruanda esse secunda sponsalia, vtpotè contracta cum copula: & ratio est, quia quando duo contendunt, vnus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potius fauendum est, quàm primo: sed secunda fœmina damnum patitur, & id agit, vt damnum euitet; prior verò vt lucrum acquirat; ergo illi potius fauendum est, quia prior, vel nullum, vel leue patitur nocumentum; & confirmatur exemplo contractus venditionis, in quo secunda venditio, sequuta traditione, præualet primæ, *quoties C. de rei vendic.* Et ideò hanc sententiam tenet, me citato Leander *de Sacram. tom. 2. tract. 9. disp. 2. quæst. 19.* & me citato Bossius *de matrim. cap. 9. §. 28. num. 90.* & me citato Martinus de S. Ioseph *in monit. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 6. de matrim. num. 15.* Idem docet Pontius *de matrim. lib. 12. cap. 14. num. 4.* Caspensis *in Curs. Theol. tom. 2. tract. 26. disp. 1. sect. 11. §. 6. num. 88.* & ex Societate Iesv Rebellus *l. 4. q. 8. sect. 4. num. 56.* Coninch *de Sacrament. disp. 23. dub. 4. concl. 4. n. 34.* Castrus Palaus *tom. 5. disp. 1. punct. 22. num. 6.* Lessius *in 3. part. D. Thom. c. 3. de Sacrament. matrim. dub. 5. num 53.* Reginaldus *tom. 2. lib. 30. n. 118.* & Escobar *in Theol. moral. tract. 7. exam. 9. cap. 6. num. 106.* & alij penes ipsos.

7. Nec aduersus superiùs dicta obstat opinio Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 46. n. 5.* Trullench *de Sacram. lib. 7. c. 2. dub. 8. memb. 4.* Vvigers *in Supplem. 3. Partis q. 43. dub. 5. n. 14.* Texedæ *tom. 2. lib. 4. tract. 1. controu. 5. q. 2. num. 260. & aliorum*, asserentium prima sponsalia valere, etiam si posteriora fuerint contracta cum copula, non inquam hoc obstat: nam respondeo primò, nostram sententiam esse probabiliorem, vt patet ex decisionibus Sacræ Rotæ.

8. Respondeo secundò opinionem Sanchez, & aliorum non obstare in casu nostro, sed potius fauere: nam dictam opinionem Sanchez, & alij limitant in casu, quo secunda fœmina cognita, & ignara priorum sponsalium notabile damnum pateretur, sed hoc damnum in casu nostro contingeret, vt luce meridiana clarior est, ergo, &c.

9. Et tandem, dato quòd omnia superiùs dicta non extarent, sed prima sponsalia essent firma; tamen hodie adesse iustam causam ab ipsis resiliendi, Sup. apertissimè pater, propter superuenientes simultates, & odia orta inter sponsum, & sponsam, quæ quidem præbere causam resiliendi à sponsalibus tradunt communiter Doctores; Ita Hurtadus *de Matrim. disput. 2. difficul. 14. num. 51. & 53.* Perez *de matrim. disp. 9. sect. 11. n. 5.* Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 9. de sponsalibus dub. 9. n. 87.* Vvigers *in 3. part. Suppl. quæst. 43. art. 3. causa 10. num. 2.* Ragucius *in Lucerna Parochorum, de Sacram. matrim. quæst. 13. num. 7.* Alarius *in Canon. Conscien. lib. 5. verb. sponsalia, num. 14.* Bizozerus *de Sacram. part. 2. cap. 1. memor. 3. num. 14.* Mercerus *in Supplem. 3. partis, quæst. 43. articul. 3.* Opatouius *de Sacram. tract. de matrim. disp. 4. quæst. 8. num. 105.* & alij penès ipsos.

10. Et ideò, vt habetur in Praxi Genuensis *c. 14. num. 5.* fuit decisum in Rota Romana in vna Tenetana matrimonij die 27. Ianuarij 1595. coram Serra Delphino, & in alia Aquilegien. sponsalium 10. Decemb. 1599. coram Pamphilio, abstinendum esse à coactione, non obstante, quod sponsalia essent inita, ex quo testes, sponsi dicebant, ipsum abhorrata, ex quo testes, sponsi dicebant, ipsum abhorrere nuptias, & asserere, omne malum potius elec-

turum,

cturum, quàm illam in vxorem ducere. Sed totum hoc accidit in casu nostro, ergo, &c. Nota verò, quod quando Iudex desistere debet à conditione ob scandali timorem, vt est in casu nostro, non est necesse, vt ad iuridicè sibi constet, sed sufficiunt circumstantiæ extraiudiciales. Ita contra Ledesmam docet Pax Iordanus *in Var. Elucubr. Tom. 1. l. 3. tit. 7. num. 203.* Sanchez *de Matr. to. 1. l. 1. cap. 20. n. 6.* cum aliis.

11. Dicendum est itaque ex omnibus superiùs dictis, sponsalia posteriora, de quibus loquimur, esse obseruanda; & sponsum habere iustam causam à prioribus resiliendi, & ideo non posse cogi, nec excommunicari.

12. Primò, quia priora sponsalia fuerunt contracta cum impedimento dirimente, & absque conditione, si Papa dispensauerit, & licet postea fuerit obtenta dispensatio, tamen non fuit iterum renouatus consensus.

13. Secundò, quia posteriora sponsalia coniuncta fuerunt cùm copula, ac ingens, & irreparabile damnum mulier pateretur, si priora firma remanerent.

14. Tertiò, quia post prima sponsalia contracta, grauia dissidia, & capitales inimicitiæ ortæ sunt inter sponsos, ergo, &c.

RESOL. XXVI.

An si post sponsalia cum prima, sequantur sponsalia cum secunda vna cum copula, dissoluantur prima? Et quid, quando fœmina secunda, quæ cognita est, & violata sub spe coniugij notabile damnum pateretur? Et notatur, quod quando ex aliquo casu cessant prima sponsalia, an seruanda sint secunda? Ex part. 3. tr. 4 Ref. 209. alias 210.

Sup. hoc in Ref. præterita signanter à §. Deinde.

§. 1. NOn dissolui putat Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 49. num. 5.* nisi secunda fœmina quæ cognita est, & violata sub spe coniugij, notabile damnum pateretur; tunc enim posset iudex obligare ad contrahendum cum secunda. Ratio verò, quare in dicto casu non dissoluantur sponsalia, hæc est, ait Sanchez, quia iniuria illata posteriori non aufert ius suum priori.

2. Sed in tali casu dissolui sponsalia ex parte vtriusque, & cogendum esse ad ducendum secundam tenet Basilius Pontius *de matrim. lib. 12. cap. 14. n. 4.* quia quando duo contendunt, vnus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potiùs fauendum est, quàm primo. Sed secunda fœmina damnum patitur, & id agit, vt damnum euitet, prior verò vt lucrum acquirat. Ergo huic quæ damnum passa est, fauendum potius, quàm alteri, quæ nullum, vel leue patitur. Ad argumentum Sanchez respondetur, posteriorem iniuriam, & traditionem prævalere prioti promissioni, est enim fortius vinculum, & strictior obligatio resarciendi iniuriam, quam vinculum primæ promissionis; & ideo prævalet, etsi posterior. Hæc Pontius aduersùs Sanchez. Sed vtraque opinio est probabilis, & cum Sanchez consentit nouissimè Villalob. *in sum. to. 1. tract. 12. diffic. 12. num. 12.* cum Pontio verò tenet Rebellius *lib. 4. quæst. 8. sect. 8. num. 56.* Coninch *de Sacram. disput. 22. dub. 4. concl. 4.* & ego.

Quoad hoc in Ref. seq. lege doctrinam §. 2. à fin. 4.

3. Notandum est etiam hic obiter, quòd quando ex aliquo casu cessant priora sponsalia, an seruanda sint secunda, dissentiunt Doctores, affirmat Couarruuias *part. 1. de matrim. cap. 4. §. 1. n. 10.* & Rebellius *lib. 4. q. 8. sect. 8. concl. 1.* & alij; sed negant Sanch. *lib. 1. disp. 55. n. 6.* Coninch *de Sacram. disp. 22. dub. 6. concl. 8.* & Pontius *vbi suprà, n. 2.* quibus ego adhæreo, quia si nulla fuit prior obligatio, non est quòd copuletur.

RESOL. XXVII.

Virum ex matrimonio, valido dissoluantur sponsalia? Et an dissoluto matrimonio, teneatur, qui ita contraxit priora sponsalia implere? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 208. alias 209.

§. 1. CErtum est dissolui quoad eum, qui non contraxit matrimonium, difficultas est quoad eum qui contraxit. Pater Sanch. *de matrim. tom. 1. lib. .... disp. 48. n. 3.* affirmat in tali casu omnino dissolui, vt nulla prorsus maneat obligatio; ex *cap. 1. de sponsa duorum, cap. sicut, & si inter, cap. veniens, cap. is qui fidem, de sponsalibus.*

2. Sed negatiuam sententiam sustinet Basilius Pontius *de matrim. lib. 12. cap. 15. num. 4.* vbi docet obligationem sponsalium in casu, quo alter expectet, non extingui, sed suspendi, ita vt eo matrimonio dissoluto, teneatur priora sponsalia implere, quia obligatio nata ex sponsalibus in tali casu, non extinguitur iure positiuo, nam in canonibus allegatis à Sanchez, tantùm dicitur eum, qui post sponsalia contrahit matrimonium cum aliqua, debere manere cum illa. An verò extinguatur omnino obligatio sponsalium, non diffinitur, solúmque indicatur illum ea de causa non posse cum prima contrahere, quia iam impossibile est, contracto coniugio cum secunda. Neque etiam extinguitur talis obligatio ex ipsa rei natura, quia quando priori vinculo supervenit aliud fortius diuersæ rationis, vel aliud impedimentum, quo minus primum impleatur, non extinguitur, sed suspenditur. Vt cùm quis votum Religionis emisit, & postea contraxit coniugium, & consummauit, non extinguitur voti obligatio, sed dissoluto matrimonio tenetur Religionem ingredi. Hæc Pontius aduersùs Sanchez, cuius tamen opinio his non obstantibus non caret probabilitate, quam nouissimè sequitur Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 12. diffic. 12. num. 11.*

Quoad hoc lege §. vlt. Ref. præteritæ.

RESOL. XXVIII.

An adstrictus sponsalibus iuratis, si postea emittat Religionis votum, possit adhuc contrahere matrimonium animo ingrediendi Religionem ante consummationem?

Et an si votum Religionis ante sponsalia emisisti, & fœminam defloraſti sub fide data de matrimonio, tenearis illam ducere, omisso voto?

An sponsus, qui post sponsalia votum castitatis emisit, committat aliquam culpam? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Ref. 76. alias 75.

Sup. hoc infra lege doctrinam Ref. 153.

§. 1. NEgatiuè respondet, & peccare mortaliter ex Sanch. & Guttierrez docet Castr. Pal. *to. 5. disp. 1. punct. 16. n. 8.* eò quòd sic contrahens manifestissimo periculo te obijcere censeris; quòd illicitum est, nisi aliqua causa graui excusetis? qualis esset, si alia via non tibi pateat aditus securus Religionem ingrediendi; vel honori fœminæ, aut prolis bono consuli non possit.

Sup. hoc signanter ibidem.

2. Verùm non peccare mortaliter, imò esse ei licitum ex Caiet. Ledesma, & Rodriguez docet Texeda *in Theolog. moral. tom. 2. lib. 4. tract. 1. num. 237.* Quia, qui voto Religionis adstrictus matrimonium

contrahit,

contrahit, non peccat contra votum, & manifestum est: quia votum Religionis, seu castitatis, solùm obligat ad non contrahendum cum animo consummandi; aliàs nunquam esset licitum absque obtenta priùs dispensatione eo animo contrahere, quod falsum est, vt constat in eo, qui voto ligatus Religionis aliter non potest votum suum implere, nisi priùs matrimonium inundo, vt si percluſus detineatur, & timeat amittere vitam. Secundò, quia aliàs, si sententia horum Authorum esset vera, sequeretur, quòd qui eo animo contraxit, teneretur postea non ingredi Religionem. Tertiò, quia nulla iniuria ex matrimonio sic contracto infertur alteri coniugi, nec Sacramento: ergo, &c. Probatur antecedens pro vtraque parte: nam, qui matrimonium contraxit, potest absque iniuria alterius ad Religionem transire: nam ex sententia omnium Doctorum, & est expressum in Iure, coniugatis conceditur bimestre, intra quod possunt ad Religionem transire, relicto statu matrimoniali: cùm enim Religiosus status excellentior sit statu matrimoniali; in ipso contractu matrimonij, aut sponsalium, clauditur conditio hæc, nisi alter sponsus velit ad Religionem migrare; & eadem exceptio subintelligitur in iuramento, cùm nemo præsumatur contra id, quod est consilium euangelicum, iurare velle: ergo voto Religionis adstrictus sic matrimonium contrahendo, nullam iniuriam infert alteri coniugi: imò si aliqua esset, illa sequitur per accidens, cùm vouens vtatur iure suo. Quod etiam nec irrogetur iniuria Sacramento, ostendo: quia copula, seu matrimonij consummatio, non spectat ad substantiam eius: ergo benè potest stare verum Sacramentum matrimonij absque eius consummatione: & ideò vtramque sententiam satis probabilem existimo. Sed stando in affirmatiua, infertur contra Sanchez *lib.* 1. *disp.* 43. *numero* 11. & Guttierrez *cap.* 225. *num.* 3. licitum esse ei, qui sponsalia iurauit, etiam nullo voto adstrictus, matrimonium contrahere cum animo ingrediendi Religionem ante eius consummationem: quia ex tali modo contrahendi matrimonium, nulla per se sequitur iniuria alicui, & aliàs ipse contrahens vtitur iure suo: imò si quæ iniuria alteri contrahenti sequatur, illa est per accidens, cùm alter coniux possit, & teneatur præuidere, non obstante matrimonio inito, licitum esse alteri coniugi ad Religionem transire gratia melioris frugis, & meliorandi vitam, & statum: quod quidem etiam ipsi concessum est.

3. Sed, quid dicendum, si iuramento sponsalia firmata sint? Potéstne iurans, sponsa deserta, Religionem ingredi? Negat Rebellius *lib.* 4. *quæst.* 8. *sect.* 6. *concl.* 2. Sed mihi magis placet opinio Pontij *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 9. & aliorum, asserentium posse: quia iuramentum sequitur naturam actus, cui adhæret, cap. *Quemadmodum, de iureiurando. leg. fin. Cod. de non numerat. pecun.* At natura promissionis matrimonij, cui iuramentum adhæret, imbibit conditionem, nisi promittens velit Religionem ingredi; quæ conditio cùm non insit sponsalibus ex iure positiuo, sed ex naturali, aut diuino priuilegio; nequit ab Ecclesia ab sponsalibus iuratis excludi: siquidem sponsalia iurata exequi non est ita perfectum, ac est Religionis status: aliàs ex matrimonio rato iurato non esset licitus transitus ad Religionem, quod non est dicendum. Certum est tamen apud me, quòd si votum Religionis emisisti ante sponsalia, & fœminam defloraſti sub fide data de matrimonio; teneris illam ducere, omisso voto. Ita contra Nauarrum, Rodriguez, & alios tenet Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. Coninch *disp.* 23. *dub.* 3. *concl.* 6. & alij non ob promissionem præcisè, sed ob traditionem sui corporis tibi bona fide factam sub conditione, de pacto matrimonij futuri, & sub illius spe: æquitas namque naturalis non pateretur, vt cum tanto damno proximi in Deum liberalis existas.

Sup. hoc infra in Resol. 155. 156. & 157.

4. Et tandem quæram etiam hîc obiter, an sponsus, qui post sponsalia votum emisit castitatis, committat aliquam culpam? Circa quam difficultatem Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 46. *num.* 10 Lyman in *Summa, tract.* 10. *de sponſ. num.* 6. affirmant, huiusmodi vouentem non liberari post sponsalia vouendo castitatem ab aliqua culpa; & ideò dicunt, sponsum post sponsalia votum castitatis emittendo, peccare mortaliter, nisi vouendo intendat transire ad Religionem: & ideò fatentur, huiusmodi votum non esse licitum. Cæterùm omninò affirmandum est cum Soto *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *art.* 3. Couarruuia *in Epitom. de sponsal. cap.* 3. huiusmodi votum esse licitum, nec proinde sponsum sic vouendo aliquam committere culpam. Ratio est: quia huiusmodi votum est de meliori bono: ergo est licitum, nec proinde vouendo peccat. Nec obstat dicere, quòd sponsus nequit vouere in præiudicium alterius sponsi, excepto voto Religionis: ergo, cùm votum castitatis sponsalibus superueniens præiudicet alteri sponso, nequit valide, & absque peccato fieri. Respondetur ex dictis, quòd in sponsalibus subintelligitur exceptio id est, claditur hæc conditio, *nisi aliter sponsus velit ad perfectiorem vitam transire:* & ideò liberè est vtrique coniugi votum simplex castitatis facere, aut assumere Ordines: quare sponsus illud votum emittens, nec alteri sponso damnum infert, nec illicitè facit, cum vtatur iure suo, atque adeò nullo modo vouendo peccat.

Sup. hoc infra in Resol. 155. 156. & 157.

RESOL. XXIX.

An sponsalia dissoluantur per solum ingressum Religionis, vel sit expectanda professio?

Et an sit licitum Religionem ingredi post sponsalia, etiam iuramento confirmata? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 206. alias 207.

§. 1. PRima opinio asserit, non dissolui nisi per professionem. Sic Couarruuias *part.* 1. *de matrim. c.* 5. *n.* 15. Nauar. *in manuali, c.* 22. *n.* 16 & alij, quia re vera non est textus, vnde colligatur ante professionē dissolui, & aliàs ex natura rei non videntur dissolui, cū possit maritus egredi, & implere sponsalia.

2. Secunda opinio distinguit, scilicet quoad eum, qui in sæculo remanet, sponsalia dissolui, non verò quoad illum qui Religionem ingreditur, quia si ille alter velit cum eo egrediente contrahere, tenetur. Ita Gabriel *in* 4. *dist.* 27 *quæst.* 2. *art.* 1. *conſ.* 6. Rebellius *lib.* 4. *quæst.* 8. *sect.* 6. & alij.

3. Tertia opinio est aliorum, qui docent sponsalia dissolui solo Religionis ingressu, quoad vtrumque. Sic Toletus *lib.* 7. *cap.* 26. Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* .. *disp.* 41. *n.* 1 & 5. cum aliis penes ipsum. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles.

4. Notandum est hîc obiter, regulariter, & absolutè loquendo licitum esse Religionem ingredi post sponsalia etiam iuramento confirmata, dissoluentur enim iuxta supradictas opiniones. Nec facit contrà *cap. commissum* 16. *de sponſ.* vt fusè illud explicat Basilius Pontius *de matri. lib.* 12. *c.* 10. *n.* 9. *& seq.*

RESOL. XXX.

An peccet, qui contraxit sponsalia, si suscipiat Ordines sacros? Ex

Et notatur votum suscipiendi sacros Ordines dirimere sponsalia, & licite post illa potest quis tale votum emittere? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 207. alias 208.

§. 1. AFfirmant Rebellius *lib. 4. quæst. 8. sect. 5.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 47.* & alij; sed mihi contraria sententia magis placuit, semper enim quando contrahuntur sponsalia, videtur subintellecta conditio melioris status. Et quamuis propositum cœlibatus sit melioris boni, attamen, quia non est status melior, ideo non videtur subintellecti conditio cœlibatus. At clericalis ordo status est immobilis, & ideo ex ipsa natura rei subintelligitur ea conditio in sponsalibus. Vnde dicendum est nullum peccatum committere eum, qui contractis sponsalibus ad sacros Ordines promoueri curat. Et ita docet nouissimè Basilius Pontius *de matrim. lib 12. c. 11. n. 3.* Sotus *in 4. dist. 27. q. 1. art. 5.* & Nauarrus *in man. cap. 22. num. 25.*

2. Notandum est etiam hîc contra Sanchez *vbi suprà*, votum suscipiendi sacros Ordines dirimere sponsalia, & licite post illa potest quis tale votum emittere. Sic Pontius *vbi supra, cap. 12. num. 3.* qui citat Azorium. Non est tamen negandum opinionem negatiuam Sanchez esse probabilem.

Sup. hoc lege §. not. seq. & signanter in fine.

3. Negatiuè respondet Sanchez *de matrim. to. 1. lib. 1. disp. 46. num. 9.* vbi etiam asserit post sponsalia, tale votum emittere illicitum esse.

Sup. hoc supra in Resol. 28. §. Et tandem.

4. Sed affirmatiuam sententiam docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 12. cap. 12. num. 4.* vbi fic asserit. Quod attinet ad votum castitatis superueniens sponsalibus, nonnulli censent eo non dirimi sponsalia, neque eiusmodi votum post sponsalia licitum esse. Ego tamen existimo votum castitatis emissum post sponsalia esse validum, vel non; hoc secundum dici non potest, ex eo quod fatetur idem Sanchez, vouentem obligatum manere ad non petendum, & peccare contrahendo matrimonium. Si ergo validum est votum, non possunt sponsalia consistere, quia incompossibilis est obligatio absoluta voti cum obligatione sponsaliorum. Ita Pontius, qui respondet ad omnia argumenta Sanchez, cuius tamen opinio, quam etiam tenent Villalobos *in summ. to. 1. tract. 12. diffic. 12. n. 9.* Coninch. *de Sacram. disp. 23. dub. 3. concl. 1. n. 25.* & Laym. *in Theol. moral. lib. 5. tra. 10. part. 1. c. 2. num. 6.* videtur etiam mihi probabilis, licèt cum Pontio consentiant Suarez *lib. 2. de voto, cap. 4. n. 13.* Vasquez *opusc. de rest. cap. 3. §. 2. dub. 1. n. 17.* & alij.

RESOL. XXXI.

An quando aliqui pro aliis præsentibus, & tacentibus contrahunt sponsalia, horum taciturnitas sit signum sufficiens interni consensus?

Et an hoc procedat, etiamsi parentes contrahant sponsalia coram filiis emancipatis, & spuriis? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 269. alias 270.

Sup. contento in hac Resol. dempta vltima diffic. in Resol. not. seq. Sup. hac diffic. in Resol. seq. §. 1. paulo post initium, à vers. Et hanc sententiam.

§. 1. SVppono eam taciturnitatem sufficere, quãdo illi ex horũ mandato contrahunt. Secundò, certũ est etiam quando parentes ita contrahunt pro filiis, horum taciturnitatem esse sufficiens signum consensus, & hoc habetur expressè *in cap. vnico, de desponsi. impuberum in 6.* Difficultas est quando contrahit non pater, vel mater, sed alij. Prima opinio negat, & ita docet Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 22. n. 7.* cum aliis, penes ipsum; quia *in cap. vnico*, tanquam quid speciale hoc de parentibus statuitur. Et ita tenet nouissimè hanc sententiam Molin. *de ritu nupt. lib. 1. compar. 61. num. 38.* & Barbosa *in collect. tom. 4. lib. 4. sexti Decret. tit. 2. capit. vnico, numero 12.*

2. Secunda opinio affirmat, quam tuetur inter recentiores Basilius Pontius *de matrim. lib. 2. cap. 14. num. 7.* & illam non solùm procedere in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo esse amplectendam demonstrat.

3. Sed mihi opinio Sanchez magis placet, neque vrget illa regula iuris, quòd qui tacet consentire videtur: nam respondeo tacentem censeri consentire, quantum est in sui fauorem, non verò in sui præiudicium, vt est in casu nostro. Non est tamen negandum sententiam Pontij esse probabilissimam, quam tenent Doctores quos citat, & sequitur Henriquez *lib. 11. cap. 2. n. 6. iuncto comm. littera P.* vnde immeritò illam falsam vocauit Guttierrez *de matr. cap. 13. num. 2.* contra quem etiam teneo probabilẽ esse sententiam Ægidij Coninch *de Sacram. disp. 21. dub. n. 37.* asserentis id quod prima opinio Sanch. asserit de patre, & matre, asserendum esse de tutoribus: secus autem de iis, quorum curæ illi non sunt ea ratione commissi, vide etiam Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 2. n. 13. in fin.* Et omnia suprædicta procedunt, etiamsi parentes contraherent sponsalia coram filiis emancipatis, & spuriis.

Sup. his tutoribus in Resol. not. præteritæ à principio.

RESOL. XXXII.

An Tutor, vel Curator, si respondeat pro puella, valida sint in vtroque foro sponsalia, vel matrimonium, ipsa præsente & tacente?

Et quia ius canonicum tanquam quid speciale id de parentibus asserit, quæritur etiam an sufficiat signum consensus in sponsalia, vel matrimonium, si nomine filiorum persona extranea respondeat? Ex part. 10. tr. 13. & Misc. 3. Resol. 21.

Sup. contento in hac Resol. in resol. 1. not. seq. signanter sup. hoc ibidem. in fine, & pro matrimonio in Resol. 2. per totam.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Rebellius, *part. 2. lib. 2. quæst. 10. num. 8.* vbi sic ait: Taciturnitas interdum sufficiens etiam est ad consensum exprimendum, ac adeò si consensus sit de præsenti, nec desint cætera, Matrimonium fiet: Si enim viro consensum exprimente, puella taceat, pro ea tamen pater, vel mater, vel alius puellæ curam gerens similem exprimendo consensum respondeat, silentium puellæ sufficit ad consensum exprimendum, ac proinde si illa de præsenti consentiat, Matrimonium erit. Ita ille. Et hanc sententiam à fortiori tenent hi, qui asserunt sufficiens signum consensus in sponsalia, vel Matrimonium esse, si nomine filiorum persona extranea respondeat; vt sustinet Glossa. *in cap. vnico de sponsal. in 6. verb. Sponsalia.* Hostiensis ab eadem Glossa allegatus, Imola, Geminianus & alij *in d. cap. Vnicum.* & ex Theologis Ricardus *in 4. distin. 27. art. 1. q. 2.* Soto *ibidem. q. 1. art. 4. vers. Præsens autem.* Victoria *in Summa, de Matrim. n. 250.* Petrus Ledesma, *quæst. 45. art. 2. dub. 3.* & alij quos referunt Sanchez *disp. 23. num. 6.* Guttierrez *d. cap. 13. num. 2. vers. Vnde glossa*, quibus adde Basilium Pontium, *de Matrimonio lib. 2. cap. 14. num. 7.* quia æquè expressiua consensus filij, vel filiæ sunt verba externi iuncta præsentia, & taciturnitate, sicut verba parentis, immo magis, nam si puella velit contradicere, liberius id faciet coram externo, quam parente. Confirmatur; quia si verba extranei puella præsente, & tacente, non essent de se sufficiens signum ad exprimendum consensum de præsenti: Summus Pontifex *in dicto capite Vnico.* non potuisset statuere, quod verba parentum pro filia sufficerent, cùm contractus Matrimonij constare debeat consensu extetius sufficienter expresso, ex eo quod est

Sup. hoc in Resol. præterita à lin. 6. hoc est pro consensu in sponsalibus; sed pro isto consensu in matrimonio ipso, & pro omnibus personis contentis in hac Resol. infra in Resol. 31. per totam.

contractus

contractus humanus, & Sacramentum sensibile.

2. Sed ego non recedo à negatiua sententia, quam tuetur Sanchez *de Matrimonio lib.4.disp.23.* Guttierrez, *cap.13.* Bossius, *cap.3.§.39.num.167.* quia Textus *in cap.Vnico de Sponsal.in 6.* Loquitur tantum de parentibus, & verè non videtur similis ratio: Vnde si tutor contraheret pro suo minore tacente, requireretur, vel expressus consensus, vel ratihabitio per aliquod aliud signum. Et contra Doctores superius citatos dicendum est non esse sufficiens signum consensus in sponsalia & Matrimonium, si persona extranea respondeat pro Contrahentibus, vt tenet me citato Leandrus *de Sacram. tom.2.tract.9. disp.1.q.50.* & alij penes ipsum, & penes Sanchez: Quia ius Canonicum tanquam quid speciale id de parentibus asserit, innuens à contrario sensu secus esse in Extraneis: Tum quia ratio curæ & dilectionis paternæ, & obedientiæ filiorum erga parentes, dum parentes pro filiis præsentibus, & tacentibus contrahunt, & ius præsumit filios tacite consentire, non habet locum in extraneis; ac proinde licet taciturnitas dum parentes cõtrahunt, habeatur pro sufficienti signo taciti consensus, non reputabit tamen, dum extraneus id facit, & pro alio pro quo extraneus respondet, & consensum exprimit præcesserit, quod vna cum subsequente taciturnitate indicet consensum expressum, vel tacitum; vel nisi appareat clarè ei pro quo respondet, & contrahit, in eius commodum, & fauorem contrahere. Itaque in hoc casu puto in vtroque foro supradicta sponsalia, & matrimonium non esse valida, vide Bossium *loc. cit.*

RESOL. XXXIII.

An quando Parentes, & Tutores pro filiis, & pupillis absentibus contrahunt sponsalia, & hi postea scientes non contradicunt, censeantur consentire? Ex part.3. tr.4.Res. 270. alias 271.

§. 1. PRima opinio affirmat, sic Henriq. *lib.11. cap.13. n.5.* Sotus *in 4.dist.24.quæst.2.art.2. ad 1.* & alij. Et ratio est, quia eadem prorsus est ratio, ac quando ipsi præsentibus, & tacentibus parentes contrahunt.

2. Secunda opinio negat, ita Basilius Pontius *de matrim.lib.2.cap.14.num.14.* Sanchez *tom.1.lib.1. dist.44.n.16.* quia textus *cap. vnic. de despons.impub. in 6.* agit de sponsalibus à parentibus nomine filiorum præsentium, & tacentium contractis, ideo in nostro casu non sufficit postea scientes non contradicere, sed requiritur, vt hi iam certiores facti sponsalia à patribus absentibus contracta, tacitè, vel expresè aliquo signo sufficienti ratificent.

3. Tertia opinio est Ægid.Coninch *de Sacram. disp.21.dub.3.n.39.* asserentis, quòd quando hi rescisciunt per aliquem ad quem non pertinet rem gestam ad eos referre, ipsos tacendo non censeri consentire, quia non tenentur huic vllo modo assentire. Quando verò id ipsis proponitur per ipsos parentes, aut curatores, si taceant, censeri consentire, quia tenentur his talia iis proponentibus mentem suam aperire, atque ita vel contradicere, vel consentire; quod censentur facere dum tacent: quare si rem ipsis proponant coram parte, fient statim sponsalia; secus est si eam hac absente, iis proponant: tunc enim non erunt sponsalia, donec pars per ipsos minores, aut alium ab iis ad hoc destinatam cognoscat eorum consensum, eúmque acceptet. Ita Coninch. Mihi verò secunda sententia magis placet, licèt alias probabiles esse existimem.

RESOL. XXXIV.

Quando teneatur implere, qui contraxit sponsalia, nullo præfixo tempore, & termino? Ex part.3. tr.4. Res.244. alias 245.

§.1. ITa respondet Sanchez *de matrim.tom.1.lib.3. disp.28. num.2.* si dies apposita minimè sit obligationi, nec alia conditio, non teneri promissorem statim implere, sed tantùm requirente eo cui promissio facta est, tunc verò cùm alter petit, teneri contrahere. Ratio est, quia id generale est in omni debito absque diei præfixione, solùm enim tenetur debitor à creditore requisitus, soluere, vt constat ex *l.debitores præsentes, C. de pignoribus.* Ita Sanchez.

2. Sed hæc opinio displicet Basilio Pontio *de matrim.lib.12.cap.6. n.1.* vbi sic asserit: Incipit obligatio adimplendi sponsalia à momento contractus, *l. in omnibus obligationibus, ff. de regulis*, cuius oppositum immeritò docuit Sanchez, argumento textus *in l. debitores, C. de pignoribus*, ex quo textu constat debitorem non teneri soluere, nisi requisitum, quando non est debito soluendo præfixus terminus, sed id perperam ex dicta lege colligitur; nam ibi agitur de distractione pignoris, quod creditor habet: non enim valent pacta de pignore propria auctoritate distrahendo. At quando conuenit, ne pignus debitoris distrahatur, & perpetuam moram soluendi faciat solemniter, ac cum testibus denunciare eidem possunt, vt pignus liceat distrahere, vt *in d.l.debitores*; itaque perperam suam doctrinam ex dicta lege colligit Sanchez. Quod autem attinet ad eam doctrinam, quam affert, verum quidem est quando aliquis mutuam pecuniam dedit, nec terminum præfixit, intelligi debere necessariò aliquem terminum arbitrio iudicis, vt vtile sit mutuum, alias nulla mutuatarij vtilitate datum mutuum esset, si statim repeteretur, sicut etiam idem dicitur de precario. At in nostro casu longè diuersa ratio est, non enim est necessarium tempus expectandi, in quo sit vtilis promissio, est enim vtilis à principio, & vtilis adimpletio, & ita etiam alio non petente adimplenda est, nisi alter adimplectionem differri ex causa posluler. Ita Pontius aduersùs Sanchez.

3. Sed his non obstantibus, opinionem Sanchez probabilem esse puto, quam post illum tuetur Villalobos *in summa tom.1.tr.12.diffic.9.num.2.* vbi sic ait: [El que le despoſo sin terminar el tiempo, en que le auia de casar, obligacion tiene pudiendolo hazer commodamente, quando la otra parte lo pidere, porque assi acontece en las demas deudas, que se contraen sin señalar el termino de la paga.] Et hanc sententiam docet etiam Coninch *de Sacram. disp.21. dub.1. num.2.*

RESOL. XXXV.

Quidam contraxit sponsalia, & postea adimplere noluit, quæritur an sit per censuras compellendus? Ex part.3.tr.4.Res.205.alias 206.

3. Et tandem hîc obiter animaduerte, quod si sponsa duodennis intra bimestre transeat ad Religionem, tenetur sponsus expectare vsque ad decimum sextum annum sponsæ, donec profiteatur ; & si intraret in Religionem Sancti Francisci de Paula, vsque ad annum decimum octauum ; vt bene aduertit Basilius Pontius, *de matr. lib. 9. cap. 9. n. 2. & 3.* Henriquez *lib. 12. c. 5. num. 8. litt. F.* notat sic fuisse decisum in Regia Cancellaria Vallisoleti, in quam ite.

RESOL. XLIII.

An filij nati ex fornicario concubitu habito à sponso, vel sponsa de futuro, sint naturales an spurij? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Res. 70.

§. 1. COntra Sanchez, esse spurios, constanter affirmat Texeda *in Theol. mor. tom. 2. lib. 4. tr. 3. contr. 1. num. 33.* quia illa fornicatio, quamuis non sit adulterium perfectum, est tamen imperfectum : nam sponsa de futuro nõ est soluta, sed desponsata, id est, alteri fide astricta, cui reuera promisit fidelitatem seruare, à qua recedere fas non est, neque durante eo statu potest ad nuptias transire : & ideò filij ex eo nati adulterini sunt, loquendo de adulterio imperfecto : & propterea, quia attento iure canonico, soli illi filij dicebantur naturales, qui ex vna concubina domi retenta procedebant, inter quem, & inter quam tempore conceptionis, aut natiuitatis filij nullum erat impedimentum ad contrahendum, vt decidit Innocentius III. in cap. *Nisi cùm pridem. §. Persona. de renunc.* & affirmat Menoch. *de arbit. lib. 1. cons. 4. casu* 396. & Salyc. *in Praxi crimin. cap. 14. part.* 35. Anton. Gomez *lib. 11. Tauri, num. 91.* ergo, si inter sponsam, & riualem suum erat impedimentum ad contrahendum, filij ex eo concubitu nati, sunt illegitimi.

2. Obiicit Sanchez : Tempore conceptionis poterant parentes, sponsalibus non obstantibus, matrimonium validè contrahere, quamuis non absque culpa : ergo filij nati ex sponsis de futuro per fornicationem sunt naturales. Respondetur, sufficere sponsos habere impedimentum, vt ad nuptias transire non possint, vt filij nati ex illis, per copulam fornicariam nasci dicantur, & sint adulterini ; & ideò l. *Si vxor. in princip. ff. ad leg. de adulter.* conceditur facultas sponso, vt possit accusare de adulterio cubantem cum sponsa de futuro : ex quo constat, talem concubitum esse adulterinum, imò si spousus de futuro reperiret Clericum cum sponsa sua de futuro, quamuis illum percutiat ; liberatur ab incursione excommunicationis, vt *ibi* dicitur : quia in ea fornicatione cum sponsa de futuro reperitur enormis iniuria sponso illata, & illa fornicatio potest dici alieni thori violatio.

3. Sed, his non obstantibus, ego sententiæ negatiuæ, quam docet Sanch. adhæreo, cui etiam adhæret Coninch *de Sacram. disp. 22. dub. 1. n. 7.* Guttier. *de matr. cap. 1. n. 22.* & Castr. Palaus *tom. 6. disp. 1. punct. 7. n. 10.* Basil. Pontius *lib. 11. c. 2. n. 7.* Molina *de iust. tr. 2. disp. 167.* & alij. Quia sponsalia de futuro solùm impediunt, ne licitè matrimonium celebretur ; at celebratum non annullant, & consequenter filius procedit ex habilibus ad validè matrimonium contrahendum. Ergo est naturalis, & non spurius.

4. Nec obstant rationes contrariæ : nam, esto, illius filius ex coïtu sacrilego sit genitus, & ex parentibus impeditis ad legitimè contrahendum : quia tamen sacrilegium illud, & illud impedimentum non annullant matrimonium contrahendum ; ea de causa filius inde genitus non est spurius. Cum verò lex Tauri disponit, filios naturales debere procedere à parentibus, inter quos iustè absque dispensatione matrimonium esse poterat, verbum illud, *iustè*, intelligi debet, id est, *validè*. Præterea, non solùm ex solutis, sed etiam ex matrimonio ligatis, potest filius illegitimus nasci : si enim parentes impediti essent petere, neque obligati reddere, vt contingere posset, cùm alter illorum Professionem in Religione emiserit ex alterius consensu, & in illo statu filium procreassent, illegitimus, & spurius reputandus esset : quia procedit ex coïtu sacrilego, & à personis aliàs inhabilibus ad validè contrahendum, si de facto matrimonium non esset contractum. Sic post alios antiquiores Azorius 2. *part. Instit. moral. lib. 2. cap. 6. q. 8. circa finem.* Suarez *tom. 5. de irregular. disp. 50. sect. 2. n. 5.* Sanchez, aliis relatis, *lib. 9. de matr. disp. 38. n. 5.*

RESOL. XLIV.

An sponsalia inter impares valeant, vt inter fœminam nobilem, & virum ignobilem?

Et an, quando ex matrimonio contrahendo scandalum timetur, inter consanguineos, debeat iudex illud impedire?

Idem est dicendum, quando est timor probabilis pessimi exitus, vt ódij capitalis inter ipsos contrahentes.

Ex quibus colligitur posse Patrem impedire sponsalia filij, vel filiæ contra eius voluntatem inita, interueniente graui scandalo, non vero alias. Ex part.9. tract.7.& Misc.2. Res.71.

Sup. hoc infra ex Res. 135.lege doctrinam à medio eius §.Nota tamen.

§. 1. AFfirmatiuè ex Molina, & aliis, respondet Sanchez *de matrim.to.1.lib.1.disp.14. n.2.* Quia,cùm contrahens sit dominus rei promissæ, & conscius notabilis excessus; videtur velle liberè cedere iuri suo, & excessus donationem facere. Et ideò quamuis puella nobilis,& diues malè faciat sponsalia contra patris voluntatem cum ignobili, aut paupere contrahendo, eò quòd exequutio esse nequeat sine aliorum scandalo, & ipsius puellæ dedecore,& ita prodigè, & cum peccato promiserit; tenent tamen sponsalia; & neminem video audere affirmare oppositum, eò quòd est contra Ecclesiæ praxim huiusmodi fidem seruare cogentis.

2. Sed aduersùs Sanchez insurgit Texeda *in Theol. moral tom.2.tract.1.n.79.* [Quia,ait ille,fœmina illa cum tanto dedecore patris, & propinquorum scandalo implere non tenetur promissionem,neque matrimonium exequi:quia iustitiæ virtus obligare non debet ad actum, qui sine peccato impleri non potest;qualiter interuenit,si puella illa tam nobilis, cũ tam inæquali viro matrimonium contrahat cum tanto scandalo, & propria ignominia,& patris mœrore. Quare dicendum est, quòd quamuis doctrina à nobis tradita vera sit,& sponsalia clandestina de futuro post Concilium Tridentinum sint valida, & obligationem inducant implendi:nihilominùs patitur exceptionem, quando ex matrimonio contracto oritur graue scandalum, & ignominia alterius contrahentis: quod quidem colligitur expressè ex cap. *Cum in tua,de sponsal.* vbi agitur de fama,& scandalo, vbi Gloss. *verb. Scandalo*, & Abbas *ibi n.4.* dicunt, quando ex matrimonio contracto scandalum timetur inter consanguineos,debere Iudicem illud impedire: quapropter benè potest pater matrimonium filij impedire contra eius voluntatem, quando ex illo timetur scandalum, discordiæ, & inter parentes odium, & inimicitiæ, ob indignitatem, & vilitatem; vt ita dicam, sponsæ] Hæc omnia Texeda.

3. Sed non benè inuehitur contra Sanchez:nam Sanch.*n.3.* vt legentibus pater,limitauit suam sententiam in casu,de quo loquitur Texeda,nempe,si scandalum magnum ex eo matrimonio probabiliter timeatur. Quia virtus iustitiæ obligare nequit ad actum,qui sine peccato impleri non potest:sed contrahere matrimonium cum magno illo scandalo, est apertè lethalis culpa,cùm notabiliter charitas proximi lædatur, dissoluatur parentum pietas, & cognatorum amicitia: ergo, &c. Vnde, vt dixi,non debebat Texeda Sanchez impugnare. Cuius sententiam sequitur etiam Mart. Perez *de matr.disp.5.sect.3,n.2.*

4. Nota tamen, quòd cautè considerandum est hoc scandalum: non enim quodcumque sufficiet: sæpè enim vanæ minæ iactantur, terroréque opponuntur, & discordiarum pericula intentantur, quæ tamen,experientia teste,statim ac cessat ille impetus, & matrimonium celebratur, in nihilum recidunt, facileque animi conciliantur,sedatúrque omnis tempestas. Idem dicerem, quoties est timor probabilis pessimi exitus, vt odij capitalis inter ipsos contrahentes. Et ita docet Menochius *vol.1. cons.1. n.66.* Guttierrez *in qq.can.lib.1. cap.20.num.23.*

5. Ex his collige,posse patrem impedire sponsalia filij,vel filiæ,cótra eius voluntatẽ inita,interueniente prædicto graui scandalo,non verò aliàs:quia,cùm filius teneatur fidẽ seruare,non potest pater tuta conscientia impedire, ne filius exequatur, quod debet.

RESOL. XLV.

An Pater teneatur dotare filiam, etiam si aliunde habeat dotem competentem?

Et supponitur tanquam certum, Patrem teneri dotare filiam.

Et an pater teneatur filiam emancipatam dotare?

Et an Pater teneatur dotare filiam iam nuptam, quæ nupsit, inconsulto Patre,viro digno,& etiam quamuis nupserit viro indigno?

Et notatur Patrem teneri ad secundam dotem constituendam filiæ, priori amissa, quod intelligi, si secundo nubat. Ex part.11. tract.4.& Misc.4.Res.44.

§. 1. SVppono tanquam certum, Patrem teneri dotare filiam, & patet ex *leg.19.ff.de ritu nupt. l.final.Cod.de dot.promis.§.neque enim leges,* & docet Molina *disp.424.* Rebell. *lib.5.q.4.n.1.* & alij.

2. Sed difficultas est, anne pater cogatur filium locupletem ac diuitem dotare? Et pro negatiua puguant Alciat.*l.18.paragr.cap.3.* Connanus *l.8.Dott. de dote cap.1.* Corasius *ad l.qui liberos n.13.ff.de rit. nupt. cap.8. num.7.* Bartolus *ad l.22.§.4.ff.ad Trebell.* quorum rationes hæ sunt.

3. Cessante ratione æquitatis, quæ suadet filiam dotari, cessat quoque æquitas & lex filiam dotare iubens, *leg.plane ff.famil.ercis.l.adigere§.quamuis ff.de inre patr.cap.cessant. de appell.*

4. Atqui in filia diuite cessat æquitas, & ratio iuris, quæ filias dotari cogit,quæ hæc est,vt possint eo honestioribus nubere maritis.

5. Igitur cessat etiam in diuite filia lex iniungens patri dotare filiam.

6. Si pater filiæ non cogitur alimenta præstare, quando filia est locuples, sequitur quod nec dotem, quæ præstationi alimentorum comparatur, diuiti filiæ constituere possit.

Atqui verum est prius,*l.si quis à liberis§.sed si filius ff. de agnosc.lib.*

7. Igitur nec dotem cogitur parens locupleti filiæ dare.

8. Deindè specialiter, & iure singulari inductum est contra regulas iuris communis, fauore videlicet matrimonij, vt pater viuens teneatur aliquid filiæ præstare dotis nomine. Quo circà hoc strictè accipiendum, & ad eum casum restringendum,quo non habet filia,vndè se dotet:Interpretatio autem omnis ita facienda est,vt ius commune minùs lædatur,*cap. cum dilectus, de const.*

9. Postremò si cogeretur Pater dotare filiam diuitem frustra in *dict.leg.final. Cod. de dot promis.* dubitaretur, vtrum pater filiam,cuius bona administrabat, de suo dotasse censeatur,an de bonis filiæ?

10. Verùm, his non obstantibus,affirmatiua sententia mihi placet,nam regula iuris est,quod ea quæ in fauorem, & commodum alicuius sunt introducta,ea non debent in odium,& detrimentum eius detorqueri,*l.quod fauore.C.de legibus.*

11. Atqui ad commodum filiæ pertinent ea, quæ mater, vel alij filiæ reliquerunt; Igitur non debent ea in odium filiæ detorqueri, id quod fieret, si propter isthæc bona filiæ dos non deberetur.

12. Accedit, quod generaliter,& indistinctè traditur, patris esse officium filiam dotare,*l.final. C.de dot.promis l.19 ff.de rit.nupt.* à quo officio non immunis præstatur pater propter aduentitium peculium filiæ, quod non tam inspiciendum, quam officium patris.

13. Insu

13. Insuper in *d.l.final.C.de dot.promis.* filia habebat bona aduentitia, & tamen dicitur, quod omninò ad patris spectet officium eam filiam dotare.

14. Non obstant superius in contrarium adducta, quod nempè cesset ratio in filia diuite, quæ alias suadet filias dotari, hoc quippè negatur.

15. Dos enim ad hoc constituitur & datur, vt eo facilius fœminæ maritos nanciscantur.

16. Deinde datur dos, vt onera matrimonij sustinere maritus valeat.

17. Atqui constat bona vxoris paraphernalia non seruire oneribus matrimonialibus sustinendis, etiamsi ea amplissima fuerint.

18. Quo circa ratio dandæ dotis in locuplete filia non deficit.

19. Ad secundum respondetur, consequentiam negando, procedit enim à diuersis & separatis; filiæ diuiti alimenta non tenetur pater suppeditare, quia finis alimentorum hîc deficit: Nec enim opus habet dines filia vt alatur; Dotis autem finis omninò deficit in diuite, vt supra ostensum fuit.

Non obstat tertium, desumptum ex *d.l.22.§.ff.ad Trebell.*

Obseruandum enim, quod illic proponitur dos iam constituta mulieri post illius mortem.

20. Deinde cùm præstatio dotis ex priuilegio singulari descendat, amplissima eius est facienda interpretatio, *l.pen.ff.de constit. princ.*

Maximè cùm publicam vtilitatem concernat, *l.1. ff.solut. matr. & l. 2. ff. de iur. dotal.* denique est regula iuris, quæ iubet in dubio pro dotibus respondere.

Et ita hanc posteriorem sententiam affirmatiuam tuetur Anton. Guibert. Constantin. *in tract. de dot. cap.3. num.13.* Andreas Gaill.2. *obseruat.95. num.14.* Roger. *de dot. cap.3. num.4.* Nouellus *de dot. part.6. priuil.4* Mynsing.5. *obseruat.32. num.2.* quibus adde ex Theologis Fragosum *in Republica tom. 3. lib.2. disp.5.§.1. num.11.*

21. Non desinam tamen hic annotare, Castrum Palaum, licet doceat hanc sententiam esse veram, & in praxi tenendam, & consulendam, attamen ait ipse probabilitate non caret, patrem deobligatum esse filiam diuitem dotare; tametsi obligatus sit ei excedenti 25. annos maritum quærere. Quæ fuit opinio Barthol. *in l.mulier §. cum proponeretur ff. ad Trebellian.* Alciat. *in l.1. num.65. ff. soluto matrimon.* Andr. Fachinei *lib.10. cap.38.* eo quod pater non tenetur filiam diuitem alere, *l. si quis à liberis ff. de liberis agnoscendis.* At dos loco alimentorum succedit. Ergo non tenetur dotem præstare. Quod si dicas cum Anton. Gom. *l. 50. Tauri num.23. in fine*, alimenta habenti cessat patris obligatio, dos verò fauore publico deberetur, ne mulieres maneant indotatæ, obstat, quia strictior est obligatio alimentorum, quàm dotis; cum illa sit à natura, hæc ex lege, at illa obligatio conditionem imbibit, si aliundè alimenta non habeantur. Ergo hæc obligatio dotis eamdem conditionem continere debet, cùm vtraque obligatio in necessitate fundetur, quæ cessat, cùm aliunde dos & alimenta suppeditantur: neque refert legitimam debitam esse, quia hæc debetur post mortem, cùm tamen dos viuente Patre concedenda sit, *lex verò final. C. de dotis promis.* hanc sententiam indicat, cùm tantùm dicat officium esse paternum, quod liberalitatis est, non necessitatis, iuxta *l. commodatum §. sicut, ff. commodati*, ibi *volumus*, & officij magis est, quàm necessitatis commodari, *& dict.l. vltim. dicitur*: liberalitas itaque talis maneat vera & irreuocabilis, vt & puro nomine liberalitas, & debitum suam sequantur fortunâ. Huc vsque Palaus.

Sed nostram sententiam ne deseras, & ità in foro fori, & poli obseruatur.

22. Sed ex his oritur alia difficultas; An Pater teneatur filiam emancipatam dotare? Affirmatiuè respondet Castrus Palaus *vbi supra num.4.* Sed contrarium videtur dicendum ex *leg.19. ff. de ritu nupt.* Ibi enim expressè asseritur, quod Pater qui in potestate filiam habet, eam dotare cogatur. Vnde inferri potest, patrem, qui filiam amplius in potestate non habet, non cogi filiam dotare, argumento à contrario sensu, quod in iure fortissimum est, *l.1. princ. ff. de offic. eius cui mand. est iurisp.* Etsi emancipatam filiam æquè atque in potestate existentem cogitur dotare, ad quid obsecro in *l.19.* nominatim, & expressè asseritur, quod eam quam in potestate habet parens dotare compelletur.

23. Accedit huic, quod extraneus non teneatur extraneam dotare *l. profectitia ff. de iure dot.* Atqui patria potestate per emancipationem dissoluta, emancipata pro extranea habetur *§.3. instit. de hæret. qualit. & differ.* Igitur emancipata à Patre non est dotanda.

24. Deinde in *l.51 ff. de iur. dot.* dicitur, id quod filiæ emancipatæ à patre donatum fuerat, eidem posteà à patre in dotem esse datum; eoque casu non censeri dotem à patre, sed à filia profectam: Ex quo rursus relucet, quod pater emancipatam non teneatur dotare.

25. Verùm, his non obstantibus ego puto non esse recedendum à sententia Castri Palai, quam (licet ipse pro se nullum authorem adducat) tenent Franciscus Hotomanus *in disp. de dote cap. 3. num. 21.* & Gregorius Obrecht. *in disput. de dote, Thesi 88. cum sequen.*

26. Quibus adde Doctores, quos citat & sequitur Fragosius *in Republica t. 3. l. 2. disput. 5. §. 1. num. 7.* qui etiam optimè notat, an Pater teneatur dotare filiam iam nuptam, quæ nupsit inconsulto patre, viro digno? Affirmat Bald. *in l. 1. num.9. ver. sed si nupsit filia ff. solut. matrimon. & in auth. res quæ n.10. C. comm. de leg.* & Aret. *in d.l.1. num.6. vers. sed quæritur ff. soluto matrim.* Curt. Senior *cons.27. nu.35. & cons.39. num.8.* quam sententiam vocat veriorem Soccin. sen. *cons.57. num.2. vers. sed contraria opinio lib.4.* immò Ioann. Andreas, & Imol. *in cap. accedens de procurat.* hoc extendunt, quamuis filia nupserit viro indigno, sequitur Soccin. sen. *d. cons.57. ad finem*; idem tenet Ripa *in l. 1. num. 59. ff. solut. matrim.*

Sup. contento in hoc §. lege infra doctrinam Resol. 58. signanter cursissime in lin. penult. §. 3. & Resol. eius not.

27. Nota etiam cum Rebellio *part.2. lib.5. qu.4. num.21.* quod quando dicitur, Patrem teneri ad secundam dotem conferendam filiæ, priori amissa, intellige, si secundò nubat; nam constante primo marito, non obligatur Pater ad nouam dotem refundendam, etiamsi sine culpa filiæ, prima sit amissa, *l. Pater filia ff. de euictionibus.*

RESOL. XLVI.

An Pater teneatur dotare filiam naturalem, & spuriam?

Et notatur, quod nec ab hoc onere dotandi excusatur Pater filiam incestuosam, etiam de redditibus Ecclesiasticis beneficij.

Et ex his oriuntur duæ difficultates, Prima an dos data filiæ spuriæ ad ipsius hæredes transeat?

Secunda, an in euentu, quod Pater plus dotis dedit filiæ spuriæ, quam valeant totius vitæ alimenta, possint constante matrimonio, repeti quoad excessum? Ex part.11. tractat. 4. & Misc.4. Resol. 25.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam tenet Corrasius *in comment. ad leg.19.num.58.de ritu nupt.* Probatur Primò hæc opinio ex *cap. cum haberet*, de eo qui duxit in matrimonium, quam polluerat per adulterium, scribit Pontifex, patrem teneri prouidere filiis spuriis de necessariis.

2. Atqui dotem filiæ esse necessariam, quo nubere, & ita stupra turpisque vitæ fœditatem effugere possit, nemo dubitat. Naturalis igitur filia dotanda est à patre,

3. Quicumque alere tenetur, is quoque tenetur dotare, cùm dos constituatur eum in finem, vt maritus onera matrimonialia sustineat, vxorem & liberos alat, *l. pro oneribus C.de iur.dot.* Atqui pater cogitur alere spurios, & liberos naturales inopes; igitur eosdem quoque tenetur dotare.

4. In dubio ea semper est arripienda, & tenenda sententia, quæ est humanior, quæ benignior & æquior, *l. in ambiguis ff. de reg. iur.* & in dubio pro dotibus respondendum est *l.87.de reg.iur.*

5. Atqui filias naturales, & spurias esse à patre dotandas, benignior, æquior, & humanior est sententia. Igitur pro ea respondendum, eaque hic retinenda erit.

6. Cæterum negatiuam sententiam sustinet Antonius Guibert. Constan. *in 1.de dot.cap.3. num.9 & seqq.* Fr.Hotoman. *in disp. de dot. cap.3.num.22.* Obrecht. *in d. disp. de dote th.90.* veriorem esse iudico.

7. In *l. 8. C. de natur. lib.* expresè Iustinianus scribit patribus indulgeri vt liceat eis nulla legitima sobole, vel matre subsistente dotem vsque ad sex vncias constituere: Vnde colligitur, quod nulla patribus naturalibus incumbat necessitas filias spurias dotandi, quod enim potestatis, & arbitrij est, hoc necessitatem nullam inducit, *l. sæpè ff. de offic. Præsid. l. non quidquid ff. de Iud.* Igitur Pater non cogetur filias naturales, etiam inopia laborantes dotare.

8. In *l.41.§. pater, naturalis 11. ff. de leg. 3.* dicitur dotem datam à patre naturali filiæ, compensari cum fideicommissis eidem filiæ naturali à patre, relictis. Atqui si dos deberetur filiæ naturali à patre, certè non posset cum fideicommisso compensari, sed pater præter dotem, etiam fideicommissum filiæ naturali relictum præstare cogeretur.

9. Pater dotare cogitur filias, quas habet in potestate, *l.19.ff. de rit.nupt.* Atqui spuriæ non sunt in potestate patris naturalis, vsque adeo, vt ne quidem patrem naturalem habere censeantur, *§. pan. instit. de nupt.* igitur à naturali patre non sunt dotandæ.

10. Denique filia naturalis etiam successionis ab intestato est expers, *l. humanitatis 8. C. de naturalibus l. except. duabus vnciis, quas ex nouell. 89. c. 12.* percipere potest. Si autem triens legitimus, qui est pars successionis ab intestato, filiæ naturali non debetur, nec dos debebitur, quia illius vicem obtinet, *l. quoniam 29. C. de inoffic. testam.*

11. Verùm mihi inter has pugnantes sententias placet adhærere opinioni Doctorum quos affert, & sequitur Castrus Palaus *to.7. tr. 32. disp.19. punct.5. §.1. n.6.* Dico igitur quoad filias naturales, & spurias attinet, si fortè cogendus est pater dotem illis constituere, excedere non debet alimentorum quantitatem, ad quæ submini strandaiure naturali astrictus est, vt pluribus comprobat Molin. *lib. 2. de primog. cap.15. num.50.* Boërius *decis.127. num.2.* Incertum tamen est, an dotem constituere teneatur, cùm nullibi id cautum sit, communior tamen sententia, quam refert, & sequitur Couar. *2.par. de sponsalibus c 8.§.6. n.11.* Molina *l.2. c.15. num.45.* Barbos. *4.par. l.1.n 65. ff. solut. matr.* Rebell. *l.5.q.8. num.3.* astruit obligatum esse dotem constituere pro quantitate alimentorum, ne illarum pudicitia periclitetur. Illud vero est certum, si aliunde habeant, vel possint aut, aut viribus quibus hæc comparare possint deobligatum esse, argum. *l. si quis a liberis, §. sed filius ff. de liber. agnosc.* & tradit Barbosa *4. l.1. num.61. ff. solut. matr.* quem sequitur Rebell. *l.5. q.4. n.27. & 28.*

12. Et ideò hanc sententiam præter Doctores citatos ex Theologis, tenet etiam ex pluribus Iurisconsultis Ioannes Baptista Fragosus *tom.4.2. disp.4. §. 1. n. 13. cum seqq.* qui etiam optimè notat, quod neque ab hoc onere dotandi excusatur pater filiam incestuosam etiam de redditibus beneficij, vt Abbas *in cap. peruenit n.1. de arbitris*, vbi indistinctè tradit cum bona conscientia id facere posse Bartol. *in l. vltim. n.7. §. de his, quibus, vt indignis.* Couar. *par.2. cap.8.§.6. a princ. & num.11.* Molin. *de primog. lib.2. cap.15. num.42.* Gomez *l.49, tauri n.37. & 44.*

13. Sed ex his oriuntur duæ difficultates, an dos data filiæ spuriæ ad ipsius hæredes transeat? & an in euentu, quo pater plus dotis dedit filiæ spuriæ, quàm valeant totius vitæ alimenta possit constante matrimonio repeti quoad excessum.

14. Et ad illas respondet Rebellus *p.2.l.5. qu.8. sect.3. & 4.* & quoad primam firmat hanc conclusionem, quòd dos spuriæ data à patre, non secus, ac in fundus spurio, vel quoduis aliud pro alimentis relictum, designatumve à patre, ad filios, vel hæredes non transit, sed ad patrem si res extet, ei mortua vertere debet, eiusque hæredes, vti fundus mortuo spurio. Quòd si filios ex se relinquat, ita indigentes sustentatione, vt nec ex aliis bonis patentum, nec alia ratione commodè ali possint, ius habent non tanquam hæredes, sed ex propria persona, vt suus auus, qui pater spuriæ erat ex eadem dote, vel alimede congrua ipsis alimenta constituat.

15. Quoad secundam difficultatem asserit, quòd si gener sciebat vxorem esse spuriam, statim potest dos quoad excessum reuocari, cùm non permittatur ignorare dispositionem, *Auth. ex complexu C. de incestis nuptiis*, per quam spuria redditur incapax bonorum paternorum, nec per ius Canonicum lex hæc fuit abrogata, nisi qua ex parte mensuram congruam alimentorum spuriis denegabat. Quare excessus ille dotis ipso iure est nullus, ac proinde ab hæredibus soceri poterit reuocari.

16. Tota ergo controuersia est, quando gener ignorabat vxorem esse spuriam, & bona fide dotem excedentem alimenta recipit in quo euentu dotem reuocari non posse constante matrimonio, tenet Bartol. *l. fin. §. si a socero ff. quæ in fraudem credit.* Vbi Iurisconsultus hoc discrimen constituit inter generum consciumfraudis commissæ, & ignarum illius, quòd in priori euentu etiam constante matrimonio dos reuocari possit; non ità in secundo: Ratio est, quia cum gener dotem habeat ex causa oneroſa, si fraudis à socero dotante commissæ particeps non est, iniquum est, vt ab eo reuocetur constante matrimonio, locum si fraudem participauit, eademque distinctio fit, *l. penultima C. de his, quæ fiunt in fraudem cred.* soluto verò matrimonio, doteque restituta filiæ spuriæ, adiungit Bart. excessum dotis reuocari posse; eo quod habeat dotem ex causa Lucratoria: Bartoli sententiæ iuxta præfatam iuris distinctionem admittunt Couar. §.6. *cit. n.11.* & Anton. Gomez *ad l.9. tauri n.4.* Nau. *Apologia de reddit. q.2. monito 26. num.2.* & alij.

17. Contraria verò sententia contra Bartolum verisimilior est, quæ tenet etiam constante matrimonio, & inscio genero, excessum illum alimentorum in dotem datum, repeti posse quam sequitur Palac. *repet. cap. per vestras de donat. inter virum, & vxorem 3. notab. §.24. num.3.*

18. Ratio

18. Ratio est, quia collatio illa alimentorum inualida est quoad excessum ex dispositione Authen. ex complexu, ergo statim tamquam nulla reuocari potest, iuxta *l. non dubium C. de legibus.* Accedit, quia etiam quantumcumque pater velit, ac consentiant filij legitimi, non potest validè ex bonis paternis filius spurius habere amplius, quàm congrua alimenta, vt docet Angelus *cons.* 223. *num.* 2. Alexand. *consil.* 229. *num.* 15. *l.* 6. Ergo nec etiam bona fides mariti facere poterit, vt dos excedens alimenta, valida sit quoad excessum.

RESOL. XLVII.

An auus teneatur dotare neptem?
Et quid in casu, quo neptis patrem inopem habeat, si tamen mater diues est?
Et an patruus nequaquam, obligetur sobrinas dotare?
Et an frater teneatur dotare sororem?
Et quid, si tantum soror vterina sit?
Et quid, si sit consanguinea, v. g. ex eodem patre, sed ex alia matre fratri coniuncta?
Et aliqua circa has sorores, & etiam sorores Clericorum pro dote, & alimentis illarum discutiuntur in textu huius Resolutionis? Ex part. 11. tract. 4. & Misc. 4. R. 126.

§. 1. VIdetur dicendum, quòd non solùm pater filiam, sed auus quoque paternus neptim dotare tenetur. Imperator enim Iustinianus in *l. fin. §. vtramque C. de dot. promis.* ait paternum esse officium progeniem suam dotare *l. fin. §. vtramque C. de dot. promis.* progeniei autem verbo non filij modò, sed & nepotes, & pronepotes significari dicitur *in l. final. C. de emancip. liber.*

2. Accedit, quòd Marcianus *in libro 19. ff. de rit. nupt.* generaliter & indistinctè scribit, qui liberos in potestate habent, eos cogi in matrimonium collocare, & dotare: liberorum autem verbo omnes descendentes contineri, indubitatum est *l. sed si hac §. fin. ff. de in ius vocand. l. liber. ff. de verbor. signif.*

3. Et in *libr. 6. de collat. bon.* dicitur ad officium aui spectare, neptim dotare, & subiungitur, quia pater filiæ ideò auum propter filium nepti dotem dare debere, cogitur itaque auus paternus neptim dotare.

4. Et sanè quæ ratio suadet à patre dotari filiam, eadem quoque in auo locum sortitur: cum aui non minus atque patris interfit nuptui elocari neptim, ne cùm maximo generis & familiæ probro turpem vitam eligere cogatur.

5. Limitat tamen hanc assertionem Obrechtus, vt tunc demum auus paternus cogatur dotare neptim, quando pater propter inopiam qua laborat, dotem filiæ præstare nequit, vt tunc inopiæ patris auus succurrere teneatur; Idque ipsum Ioannes Corrasius *in d. leg. 19. num. 60.* hac ratione confirmat, quòd ex officio patris erga filium id pendeat vt auus neptim dotet, *l. 6. ff. de collat. bonor.* Vnde cùm auus non obstringatur nisi propter filium, auus non nisi secundariò teneatur; obligatio autem secundaria cessat, vbi principalis est soluendo, *Authent. præsent. C. de fideiussor.* ergo.

6. Sed in casu contingenti, ne deseras videre Castrum Palaum *tom. 7. disp. 9. punct. 5. §. 2. num. 2.* vbi firmat obligationem adesse auo paterno dotandi ex eius bonis neptes etiam diuites, si in sua existant potestate.

7. Sed casu quo neptis patrem inopem habeat, eius tamen mater diues sit, verius est potiùs matrem; quàm auum paternum teneri neptem dotare.

8. Patruus nequaquam obligatur sobrinas dotare; quia nullibi hæc obligatio etiam in subsidium indicatur. Quòd efficacius procedit, si verum est quod ipse Molina *lib. 2. de primog. cap. 15. num. 67.* Costa *select. lib. 2. cap. 20. n. 2.* Rebell. 2. *part. lib. 5. qu. 4. n. 26.* astruunt, nempè patruum non esse specialiter obligatum sobrinis alimenta præstare. Nam hæc magis necessaria sunt, quàm dotis constitutio.

9. Verùm hic oritur aliud dubium, An frater teneatur dotare sororem? De sorore vterina ex alio patre nata res expedita est, quòd frater eam dotare non teneatur, etsi inops sit, & aliter nubere non possit: sic enim Paulus Iurisconsultus *in l. 12. ff. de administrat. tut.* sed non dabit (tutor) dotem sorori (pupilli) alio patre natæ, etiamsi aliter ea nubere non potuit.

10. De consanguinea, hoc est ex eodem patre, sed alia matre fratri coniuncta, sicut etiam de germana ex vtroque parente ipsi coniuncta, quæritur anne dotari à fratre debeant, si inopes sint? Communiter hoc affirmatur ex ea ratione, quòd frater teneatur alere sororem consanguineam, & germanam *l. si quis à liberis §. vtrum ff. de cognosc. lib.* Igitur etiam teneatur dotare.

11. Et si verò hoc argumentum planè infirmum sit, nec etiam Textus expressus occurrat, quo demonstretur consanguineam, & germanam à fratre esse alendam, quia tamen *in l. 12 §. 3 ff. de admin. tutor.* nominatim, atque in specie dicitur, tutorem non teneri dotem constituere sorori pupilli sui ex alio patre natæ, haud obscurè ex eo colligitur quòd ex eodem patre natæ sorori dotem constituere teneatur, argum. *l. 1. ff. de offic. eius cui mandat.* vbi dicitur argumentum, quod à contrario sensu ducitur esse validissimum, & argum. *l. 12. in pract. ff. de iudic.*

12. Vide Doctores, quos citat, & sequitur Castrus Palaus *vbi supra §. 3. num. 1. & 3.* firmans, quòd frater teneatur sororem ex eodem patre, quamuis non sit ex eadem matre, dotare, si ipsa sufficientem dotem aliunde non habeat. Sed sororem vterinam tenetur frater dotare secundùm tamen qualitatem alimentorum.

13. In euentu verò, quó frater obligatur dotem sorori constituere, non excusatur ex eo, quod minor sit; & necessitatem habeat alienandi aliqua immobilia ad dotem; nam hæc est causa vrgens à iure communi approbata, ac proinde interueniente decreto iudicis fieri alienatio potest, quin locus sit restitutioni, *l. final. C. de in integr. restit.*

14. Neque etiam excusatur quòd à patre soror exhæredata sit; neque item excusatur ex eo, quod Clericus sit nullaque alia bona habeat, nisi quæ ex beneficiis colligit: Nam ex horum fructibus alere, & dotare sorores inopes rectè potest, cùm opus sit pietatis, & naturalis obligationis, & iuri maximè conforme.

15. Excusatur tamen frater ab hac obligatione alendi & dotandi sororem inopem, si adsit eius mater, vel auus paternus, aut maternus, qui dotem, & alimenta constituere valeat.

16. Et ratio est, quia omnes ascendentes præferuntur fratri in successione, *Auth. defuncto C. ad Tertull.* ergo præferri debent in obligatione. Præterea deficiente patre, obligatio alendi & dotandi filias matri diuiti competit, *l. si quis à liberis §. vtrum ff. de liber. agnoscend.* neque fratri competit nisi in subsidium.

17. Et hæc omnia docet etiam Rebellius *part. 2. l. 5. quæst. 4. n. 13. cum sequen.* & rectè obseruat quòd si frater administrasset bona sororis ex quibus dos

constiteri

constitui posset, non cogetur eam dotare, vnde si ei dotem constituat, censebitur dotare ex bonis sororis; si modò separata sint; nam si indiuisa, & communia sint, censebitur in foro externo habuisse animum donandi quoad partem dotis, quæ eum tangeret, iuxta *l. vnicam, § accedit C. de rei vxor. action.* Vide Menoch. *lib. 2. de arbitr. casu* 88. *n.* 47. & Barbos. 4 *p. l. 1. ff. solut. matrim. num.* 141. in foro tamen conscientiæ standum erit intentioni dotantis. Si enim de bonis sororis tantum dotare intendebat, nihil de suis bonis præstare tenebitur.

RESOL. XLVIII.

An filius teneatur dotare matrem nubere volentem?

Et deducitur, quod mater obligata non est per se filias dotare, aut donationes propter nuptias filiis constituere, nisi vrgens aliqua, & rationabilis causa intercederet?

Et notatur probabilius esse in neutro foro licitum esse viro, inuita vxore, dotare filiam prioris matrimonij ex bonis non solum immobilibus, sed etiam mobilibus, aut pecuniis per secundam vxorem adductis?

Et cum pater præomnibus coniunctis obligatus sit filias alere, & dotare, an illius hæres eadem obligatione teneatur? Ex part. 11. tt. 4. & Misc. 4. Res. 27.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Franciscus Hotomanus *in disp. de dote cap. 3. num.* 23. & Georgius Obrechtus *disp. de dote thesi* 109. *cum seq.* Probatur hæc opinio primò, nam si frater sorori egenti dotem dare cogitur; sanè, & filius cogi poterit ad matrem dotandam. Atqui verum est prius, igitur, & posterius.

2. Pietas, ad quam filius iure diuino, & humano matri obstringitur, postulat vt filius matris adhuc iuuenis pudori, & existimationi consulat; maximè cum ipsius quoque filij interfit vt mater, quæ se continere non potest, elocetur, ne cum maximo generis, & familiæ probro turpem vitam eligere cogatur.

3. Itaque huc pertinet Imperatoris Antonini rescriptum *in l. 1. C. de alien. liber.* Parentum necessitatibus liberos succurrere iustum est. Dotem autem necessariam esse matri ob incontinentiam ad secunda vota transeunti expeditum est. Igitur inopi matri succurrere tenetur filius in hac necessitate, dotem ipsi constituendo.

4. Si filius tenetur inopem matrem alere; eique ad victum necessaria præstare; sequitur, quòd teneatur etiam inopem matrem dotare, quia dos est species alimentorũ. Atqui verũ est prius *l. 13. § 2. ff. de administrat. tut.* Verum igitur est quoque posterius.

5. His tamen minimè obstantibus, negatiuæ sententiæ adhæreo; probatur hæc opinio. Primò, nam si filius non tenetur matri nuptialia munera mittere: sequitur quod nec dotare matrem teneatur. Iam autem verum est prius. *l. 13. §. final. ff. de admin. tutor. l. 1. § præterea ff. de tutor. & ration. distrahend.* Sequitur itaque posterius.

6. Ad hæc iniquum foret ad illationem suæ iniuriæ aliquem cogi quippiam conferre, *l. qui accusare C. de eden. l. nimis graue C. de testib.* Atqui mater secundò nubendo, filiis infert iniuriam, *nou. 2. c. 1. & c. 1. de secund. nupt.* igitur non tenetur filius matri ad secundas nuptias conferre.

7. Quin etiam si dotaret filius matrem secundò nubentem, grauiter offenderet patrem, vt cuius anima secundùm viduæ suæ nuptiis contristatur *n.* 22.

8. Denique *in l. si vineæ C. de præscript. long. temp.* mater ad secunda vota transiens, & vitrico in dotem dans res filij, nihil filio præiudicat; præiudicaret autem filio, si hic ad matrem dotandam foret obstrictus, Corasius *ad l. 19. num.* 63. *de vit. nupt.*

9. Nec huic opinioni præcedentis sententiæ argumenta quicquam detrahunt; ad primum enim, quod frater sororem inopem dotare teneatur: igitur multò magis matrem. Respondeo consequentiam negando, quia diuersissima est quoad præsens negotium ratio matris, & sororis: coniugium enim, quod init soror non pertinet, vel ad fratris, vel ad patris iniuriam, sicut secundum matris coniugium.

10. Ad secundum respondetur, filium teneri in necessitatibus succurrere matri, ita postulante pietate, ad quam obstrictus est filius matri: verùm non cogi matri, sua, & parentis cum iniuria succurrere, inque eo matrem iuuare quod ad ipsius filij, & patris iniuriam spectet.

Ad tertium, eadem planè est responsio,

11. Ad quartum, & vltimum respondetur, argumentum ab alimentis ad dotem planè inualidum esse, & vt aliàs concluderet, hic tamen nullam vim haberet, quia diuersissima est alimentorum, & dotis ratio: alitur inops mater sine filij, & defuncti coniugis iniuria: dotatur verò cum iniuria filij, & defuncti mariti.

12. Et ita hanc sententiam tenet et Theologis Rebellius *de obligat. iust. part. 2. l. 4. quæst. 8. num.* 31. vbi sic ait. Filius non tenetur ad dotandam matrem inopem nubere volentem; etiamsi ille diues sit, ita Barbos. 4. *p. l. 1. ff. soluto matrim. n.* 126. post Bald. Alex. Ripam, & alios quos citat præfatam responsionem elicientes *ex l. si vineæ C. de præscript. long. temporis.* Confirmatur etiam, quia quamuis ad matrem alendam cogendus sit, iuxta *l. 1. § 1. ff. de tutelis, & rationibus distrahendis*; non tamen ad eam dotandam compelli debet, cùm illud nouum matris connubium in iniuriam ipsius filij quodammodo cedat.

13. Ita Rebellius, quem sequitur Caltrus Palaus *tom. 7. disp. 9. punct. 5. § 1. n.* 8. qui *num.* 7. optimè notat, quod mater obligata non est per se filias dotare, aut donationes propter nuptias filiis constituere, quia hæc obligatio patri est, non matri, vt expressè habetur *l. neque mater C. de iure dotium, lege 9. tit. 11. part. 4.* Excipe, nisi vrgens aliqua, & rationabilis causa intercederet, vt in prædicta lege adnotatur; quam causam censerem esse, si eius pudicitia periclitaretur, ni nuberet, & aliunde dotem non haberet: sicuti ex communi sententia resoluit Molin. *disp.* 424. *in princip.* Rebell. 2. *part. lib. 3. quæst. 4. n.* 2. Deinde excipe, nisi mater hæretica esset aut infidelis, & filia fidelis, & Catholica, nam in eo euentu ob fauorem religionis compellitur mater dotare filiam vsque ad legitimam portionem ei competentem, tametsi ex patre aut aliunde dotem habeat, vt deciditur *l. cognouimus C. de hæretic.*

14. Notandum est hîc obiter cum eodem Rebellio *quæst. 5. num.* 10. *cum seqq.* probabilius esse in neutro foro licitum esse viro regulariter, inuita vxore dotare filiam prioris matrimonij ex bonis non solum immobilibus, sed etiam mobilibus, aut pecuniis per secundam vxorem adductis, quod si faciat (soluto matrimonio) de bonis propriis vxori eam partem refarci re debet.

15. Si autem per traditionem filiæ in matrimonium in totam familiam, & in totam vtilitatem secundæ Societatis coniugalis magnum bonum, & euidens vtilitas redundet, quo damnum secundæ vxoris compensetur, non erit iniurium, si pater filiam prioris matrimonij ex bonis mobilibus, & ex pecuniis secundæ vxoris etiam inuitæ dotet.

16. Quan

Sup. hoc in tom. 6. tr. 7. lege doctrinā Resol. 57. prope finē, à vers. quibus infert.

16. Quando pater ex bonis lucratis in secundo matrimonio, filiam ex primo dotauerit, vel filio ad nuptias donauerit, cauebit præiudicium tam quoad legitimas cæterorum filiorum, quàm quoad dimidiam partem lucratorum secundæ vxoris, alioquin damnum resarcire tenebitur.

17. Sed vtrum vxor sine consensu viri dotare valeat filiam siue communem, siue prioris matrimonij, eodem modo dicendum est, quo id vero sine consensu vxoris permissum est.

18. Vide etiam Rebellium *quæst. 6. per totam*, in qua latius hæc firmat, videlicet. Primò, quando communi consilio vxor, & maritus simul promittunt dotem filiæ communi, vel si eam promissionē ab vxore factam postea vir ratam habeat, valida est promissio; etsi bona lucrata desint, vt dos impleatur, ex bonis vtriusque impleri debet, & quomodo in bonis vxoris executio fieri possit.

19. Secundò, si vxor sine consensu viri aliquid filiæ, siue propriæ, siue alienæ nomine dotis promittat, inualida erit, & illicita promissio, si tamen vir factus conscius eam ratam habeat, valida erit.

20. Tertiò, si promissio vxoris præfata sine consensu viri facta in tempus soluti matrimonij referretur, valida foret.

21. Quartò, quando consensus alterius pro forma actus exigitur vt præcedat: si non præcedat, non reconualescit talis actus aduenientе postea consensu; secus si pro vitando dumtaxat alterius damno exigatur.

22. Nota etiam cum Castro Palao *loco citato* §. 4. hæredem obligatum esse (æquè ac defunctus obligabatur) illius personam repræsentare, & consequenter illius obligationem suscipit: sicut colligitur *ex l. postulante ff. ad Trebellian.* Vnde cùm pater præ omnibus coniunctis obligatus est filias alere, & dotare, illius hæres eadem obligatione tenebitur.

23. Hoc tamen procedit, cùm hæres integram substantiam, ex qua dos constituenda erat, accipit; quòd si hæres fiscus sit, non obinde obligatione præstandi alimenta, & dotem filiabus excusarur, sicuti pluribus comprobat Petr. Barbosa *dict. 4 part. leg. 1. num. 84. ff. soluto matrimonio*, quia hæc est obligatio bonis paternis annexa, quam fisus recipiendo bona exutere non valet.

Sup. hoc magis latè in tom. 5. tr. 10. Resol. 119.

24. Licet filiabus hæretici fiscus neque dotem, neque alimenta præstare tenetur.

25. Interim autem, ac delictum declaratum est, neque dos, neque alimenta sunt deneganda.

26. Et hæc omnia sufficiat dixisse circa obligationem constituendi dotes, & ne credas illa solum Iurisconsultis scitu necessaria esse, sed maximè etiam confessariis, ex his, quæ rectè obseruat, & docet Rebellius *part. 2. lib. 5. quæst. 4. num. 30.* vbi sic ait: Ex dictis habes quinam puellas volente nubere, dotare teneantur secundùm dispositionem legum, quam necessitatem legalem appellat Menoch. *lib. 2. de arbitr. casu 182. num. 67.* num verò huiusmodi necessitas inducat obligationem peccati mortalis, non facile est diiudicare: crediderim tamen sine præiudicio rectius sentientium, quando secundùm iura, ac Doctores, aliquis compelli debet ad dotem præstandam, subesse obligationem peccati mortalis, saltem ex genere suo, & multo magis post sententiam Iudicis, licet autem hæc necessitas legalis non fundetur in debito de iustitia commutatiua, fundatur tamen non tantum in caritate, sed etiam in speciali vinculo pietatis, qua inter se prædicti sanguine coniuncti tenentur, quæ inducit obligationem non purè ex charitate, sed quasi de iustitia; quia tamen sæpissimè interueniunt causæ, quæ rationabiliter deobligant parentes, & consanguineos, vel absolutè, vel saltem ab accelerata præstatione dotis, non erunt temerè peccati lethalis damnandi à confessariis. Ita Rebellius, & ego.

RESOL. XLIX.

De his, quæ in nuptiis data sunt à consanguineis, vel amicis sponsi, & è contra, cui acquirantur? Ex parte 11. tract. 4. & Misc. 4. Resol. 28.

§. 1. CAsus in praxi quotidianus, & occasione matrimonij initi inter filiam Excellentissimi Domini mei Connestabilis Principis Columnæ, & filiū excellentissimi Marchionis Spinulæ, in quo munera magni valoris (vt par erat in nuptiis tam inclitis) sponsæ largita sunt, de illo à parentibus interrogatus fui, & inter Iurisconsultos (postea dicemus de Theologis) tres sententias inuenio; nam Vladaricus Zasius *1. singul. intellect. 9.* Ludouic. Romanus *consil. 172. n. 2.* contendunt, ea, quæ sponsæ donantur, etiamsi consanguineis mariti, & eius contemplatione, donata sunt, ad vxoreni tamen, & eius hæredes, non ad maritum pertinere. Cùm in donationibus non tam cuius contemplatione illæ fiant, sed cui inspiciendum sit, & quod quis amico, & cognato donare cupit, ipsi dare facilè possit, nec opus habeat eiusmodi circuitu, vt sponsæ, vel vxori eius det, quod ipsum habere velit. Et hanc opinionem probat, & sequitur etiam Daniel Mollerus *dict. l. 2. semestr. c. 42.*

2. Sunt deinde, qui statuant ad vtrumque coniugem spectare ea, quæ die nuptiarum illis donantur: quoniam contemplatione vtriusque illa donata censentur, cùm præsertim plerisque in locis modo sit receptum, vt munera, quæ offeruntur, vtriusque coniugi ab hospitibus donari, & offerri soleant.

3. Alij sequuti Bartolum *in l. sed etsi plures §. arrogato ff. de vulgar. & pupillar. substit.* marito illa tribuunt, quæ ab amicis, & cognatis eius donantur, vxori verò, quæ illi cognati donarunt, quæ distinctio teste Iasone à plerisque approbatur, itaut durum sit in practica ab illa recedere.

4. Plenius distinguit Matthæus Vuesembecius *in paratit. ff. de donat. inter vir. & vxor.* vt nempe ea, quæ à consanguineis vxoris sunt donata, vxori acquirantur, quæ vero à consanguineis mariti donata sunt, marito cedant. Quæ ab extraneis oblata fuerunt munera, sint vtrique coniugi communia: Rationem videtur hæc opinio habere perspicuam. Nam quæ à cognatis donantur ob propinquitatem, & contemplatione cognationis donare videntur, quæ ab extraneis ob affectionem erga vtrumque coniugem parem.

5. Et quidem non videtur obstare ratio Zasij, & Danielis Molzeri supra adducta, quod in donationibus non tam spectetur cuius contemplatione, quàm cui donatio fiat.

Hoc quippe principium dilucidè refellitur *text. l. 5. §. 2. de iure dot.* quo in loco Vulpianus scribit, *quod si quis patri donaturus dedit*, Marcellus *l. 6. Digest.* scribit, *hanc quoque à patre profectam esse, & est verum.* Vult proinde Vulpianus post Marcellum, dotem esse profectitiam, quæ non à patre ipso, sed contemplatione patris datur filiæ. Dum verò profectitia dicitur, innuitur quod patri acquiratur §. 1. *instit. per quas personas non acquir.* At non erat patri donata, sed filiæ; at contemplatione patris: igitur in donationibus non tam spectatur, cui res detur, quam cuius contemplatione donatio fiat.

6. Et hæc sunt placita Iurisconsultorum, quos pro Theologis hîc visum est adducere; nunc verò

Theologos

Theologos pro Iurisconsultis adducam ; & hi sunt præcipuè Sanchez *de matr.* l.6.*disp.* 26. Molina *tr.*2. *disp.* 430. & Castrus Palaus *tom.* 5. *disp.*1. *punct.*13. §. 1. Martinus Perez *de matrim.*

7. Dico itaque, quòd cum consanguineus, vel amicus sponsi, vtrique scilicet sponso, & sponsæ donat, non est difficultas vtrique acquiri, & inter vtrumque esse donatum diuidendum, satis enim donans suam voluntatem expressit,aliàs si vni tantùm vellet donatum explicari, non vtrique coniunctum donatum concederet.

8. Similiter idem est si donans vni tantùm ex sponsis, sibique consanguineo donaret, ei tantum acquireretur, nisi aliter de donantis mente constaret,quia tunc pro donatario adest ipsius donationis, & consanguinitatis præsumptio : neque hanc præsumptionem infirmat, esto sit donans vtriusque sponsi consanguineus in eodem gradu, satis enim est, quod sit donatarij consanguineus, vt pro illo tantum sit præsumptio.

9. Verùm si nulla ex supradictis causis existit; sed sola adest consanguinitas sponsi, dubitant Doctores, an eo casu donatio facta sponsæ acquiratur sponsæ, vel potius acquiratur sponso, & sponsæ solus vsus concedatur ? cui dubitationi breuiter respondeo, Verius, & probabilius esse sponso acquiri, cuius contemplatione sponsæ donum factum est, nam cum consanguineus sponsi ob fauorem, quem suo consanguineo præstare intendit, eius sponsæ donet, ea donatio potius censenda est fieri sponso, quàm sponsæ. At si sponsæ non solùm vsus, sed dominium donati concederetur, integrè ea donatio in fauorem sponsæ fieret, & nullo modo saltem immediatè in sponsi fauorem.

Et hæc omnia auctoritate Iurisconsultorum confirmauit Sanchez,Molina,Palaus, & Perez *loc.cit.*

RESOL. L.

De donis datis à sponso sponsæ.
Idem est de donis, quæ socer nurui concessit, & largitus est. Ex part.11.tr.4.& Misc.4.Res.29.

§. 1. DIximus de donis factis à consanguineis,vel amicis, nunc dicendum est de donis factis à sponso sponsæ, quando non constat de animo donantis ; Molina *tract.*2.*disputat.* 290. §. 4. *dubium*, tenet ea omnia, quæ sponsus siue de præsenti, siue de futuro sponsæ mittit,censenda esse missa, vt sponsa ornatior ad virum accedat,atque ad eam honorandam, animique affectum illi ostendendum, qualiter matrimonij tempore sit ab eo tractanda ; non vt dominium earum rerum ad eam pertranseat : nam donatio numquam præsumi debet,quoties ex alia causa,quam donationis intelligi potest collatum,vt tradit Glossa *l. cùm quidam ff. si cert. pet.*& pluribus firmat Gregor. *leg.*36. *verbo bienes tit.*12.*part.*5.Mascard.*de probation. conclus.*555. At in præsenti ex prædictis causis relatis præsumi possunt collata, quæ à sponso sponsæ mittuntur, non igitur præsumenda sunt donata. Secundò, in his, quæ traduntur gratia tradentis, non præsumitur donatio *leg. si vt certò* §. *si duobus si commodati* : at sponsus gratia sui mitti sponsæ munera, tum vt ad ipsum ornatior accedat, tum ne ipse vilis, & auarus reputetur.

2. Verùm mihi magis placet opinio Castri Palai *tom.*5. *disput.*1.*punct.*13.*n.*3.& Sanch.*lib.*6. *disp.*25. *num.*18.asserentium in hoc casu distinguendum, aut munera,quæ mittit sponsus sponsæ,sunt ita exigua, vt si constante matrimonio darentur, censerentur donata, & non commodata, vel sunt ita magna, & pretiosa, vt si darentur constante matrimonio, non censerentur donari, sed illorum vsum commodari, eo quod non ad communem vxoris ornatum,sed ad singularem,& extraordinariam deseruiant. Si munera prioris sint generis, præsumenda sunt donata ; secus si posterioris.

3. Et ratio huius distinctionis est, quia hæc munera mittuntur à sponso sponsæ in signum amoris, & testimonium qualiter constante matrimonio ab eo tractanda sit, vt ipse Molina fatetur ; at si solum vsum, & non dominium muneris cuiuslis exigui concedit, signum exigui amoris præbet, & testimonium manifestum asperè constante matrimonio esse sponsam tractandam: Quæ ratio non procedit in muneribus pretiosis, & quorum dominium constante matrimonio non conceditur, sed solus vsus,hi confirmo,si munera, quæ mittuntur à sponso eius generis sunt,vt & constante matrimonio necessaria reputentur sponsæ ad eius communem, & decentem ornatum,cum hæc maritus vxori concedere teneatur, præsumendum est concessa tempore sponsaliorum anticipatè voluisse concedere.

4. Nota tamen, quòd si in aliqua Prouincia adesset consuetudo,vt ea quæ sponsus mittit, esto pretiosa sint, non repetantur, censendus est sponsus ea donare cùm mittit, quia præsumendus est mittere secundùm Regionis consuetudinem, cum aliud non exprimit.

5. Immò plus addit Sanch. *l.*6.*disp.*25.*num.*17. nempè idem esse dicendum,quando mittuntur munera à sponso, quorum nulla est consuetudo vt mittantur, vel mittuntur abundantiora & pretiosiora, quàm sit consuetudo ; eo namque ipso quod præter consuetudinem munera sponsus mittit sponsæ, donare censendus est, argum.*l. donare ff. de regul. iuris.*

6. Sed optimè contra illum hoc non admittit Castrus Palaus *tom.*5.*disp.*1.*punct.*13.§.1.*num.*4.nam hæc doctrina euertit conclusionem ab ipso superius positam, asserentem munera pretiosa commodari, non donari, quia in horum solius vsus concessione abundè liberalitas exercetur.

7. Faciliùs tamen videtur probandum,quod n.8. Sanchez subiungit, munera à sponso missa pretiosi donata, si sponsa ei aliqua misit, quia adest præsumptio remunerationis argum.*l. si verò non remunerandi* §.*inde Papinianus ff. mandati.* At deberet constare sponsâ animo donandi mittere,eaque sponsum non satis remunerari solo vsu pretiosorum concesso.

8. Obseruandum est etiam, quòd ea quæ superius diximus de muneribus missis à sponso sponsæ, idem dicendum esse de donis, quæ socer nurui concessit, & largitus est ; quod probat Sanchez *num.*3. & Palaus *n.*9. quibus adde Guttierrez *in quæst. pract. lib.*2.*quæst.*10.*num.*1.

RESOL. LI.

De vestibus, & ornamentis datis sponsæ à sponso ante nuptiarum ?
Et sup. hoc tria tempora distinguuntur, ante nuptias, post nuptias, & post nuptias ?
Et tandem concluditur, quod circa hoc maxime est attendenda consuetudo ? Ex part.11.tr.4. & Misc.4. Res.30.

§. 1. MAgna difficultas est inter Doctores : An vestes, & ornamenta muliebria à matito vxori data, irreuocabiliter acquirantur vxori ? Bartolus *in leg. si mulier* §. *si vir ff. de donat. inter virum & vxorem*,

vxorem, & in leg. penult. §. 2. n. 3. vers. tertia opinio ff. solut. matr. quem sequuntur Iacobus Menochius *lib. 2. arb. iudic. quæst. cap. 218.* Iulius Clarus *l. 4. sent. §. donatio quæst. 10. vers. succeßiuè*, Alciatus *respons. 241.* statuit, vestes quotidianas quibus quotidie mulieres vtuntur, donatas censeri; Vestes verò & iocalia, siue ornamenta, quæ ad ornatum potiùs corporis comparata sunt, quàm ad corporis vtilitatem, & quæ magni sunt valoris, donata non præsumi.

2. Scipio Gentilis *in tract. de donat. inter virum & vxorem lib. 2. cap. 12.* ait, circa propositam quæstionem accuratè, tria tempora esse distinguenda; ante nuptias, in nuptiis, post nuptias: ante nuptias, ideſt cùm sponsalia tantum contracta sunt, vt aliarum rerum, sic & vestium licitam donationem esse *leg. 1. ff. de donat. inter virum & vxorem*, eamque donationem etiam præsumi in ipsis nuptiis, cum scilicet matrimonium perfectum est consensu, & nuptialis instituitur pompa, puta deductio in mariti domum, vel alia solemnia nuptiarum celebrantur, vestes à sponso sponsæ datas præsumi donatas ait, easque ad vxorem pertinere, nec restituendas esse, *d. l. penult. ff. de don. inter virum, & vxorem*, quia & consuetudo & humanitas siue affectio sponsi erga sponsam faciunt, vt tales vestes à viro donatæ in pompa nuptiali ad vxorem pertineant, eidemque acquirantur, nec marito eiusdemve hæredibus restitui debeant.

3. Post nuptias consummatumque matrimonium, quæ vestes dantur à viro mulieri in domum mariti iam collocatæ, si quotidianæ, & ad vsum mulieris necessariæ fuerint, illæ statim efficiantur mulieris, nec marito sint restituendæ. Sin ad certi dumtaxat temporis vsum datæ fuerint, & pretiosiores, tum eas; vtpotè à marito ornatus tantum causa, & honoris sui vxori comparatas, quo comptior, atque honestior esset, non tam donasse, quàm commodato, aut precario datas præsumi; & ideò non adquiri vxori, sed restituendas esse marito, aut eius hæredibus.

4. Sed Hulrico Hunnio *in commen. ad Treutlerum vol. 2. disp. 7. thes. 9. quæst. 46.* placet absque distinctione ista temporum, solùm circa vestes, vtrum quotidianæ & necessariæ atque viles sint, an pretiosæ, & ad certum temporis vsum comparatæ, distinguendum videtur, vt illæ quidem donatæ, ac per donationem vxoris propriæ effectæ censeantur; hæ verò non item, quocumque etiam tempore fuerint mulieri datæ. Et ita etiam Menochius, Iulius Clarus, Andreas Alciatus, & cæteri ab hiſce allegati statuunt.

5. Pro hac verò distinctione facit in primis *leg. vtrum ff. de donat. inter vir. & vxor.* vbi ex modo & ex genere impensæ, non difficilem esse coniecturam, Celsus scribit, Vtrum negotia vxoris gerens; an officio mariti ductus in rem eius impenderit vir. Si enim magna impensa fuerit, nego videri eum gessisse, sin parua, donauisse.

6. Et quòd vestes quotidianas intelligatur maritus donasse, confirmat amplius *l. ex annuo ff. de donat. inter virum, & vxorem*, nam & ibi Vlpianus ex annuo inquit, vel menstruo, quòd maritus vxori præstat, tunc quòd supereſt, reuocabitur, si satis immodicum est, id est supra vires dotis: distinguit nimirum iurisconsultus inter id quod modicum, quodque immodicum vxori à marito præstitum est, vt illud quidem donatum vxori censeatur, hoc verò non item, sed marito sit restituendum.

7. Sed audiamus Theologos, quærit itaque Castrus Palaus *tom. 5. disp. 1. punct. 13. §. 3. num. 8.* cùm vestes & alia ornamenta pretiosa ante consummationem matrimonij data sponsæ in ipso nuptiarum die vel illi proximo censeantur sponsalitia largitas, ac proinde sponsa eorum medietatem per osculum acquirat, & integrè per copulam, vel potiùs marito, eiusve hæredibus, dissoluto matrimonio sint restituenda.

8. Et affirmatiuè respondet, videlicet prædictas vestes, & ornamenta sponsalitiam largitatem esse, eorumque medietatem lucrari sponsam per osculum, per copulam integrè.

9. Solùm ab hac doctrina excipit Sanchez *lib. 3. disp. 23. num. 10.* annulum, sponsæ datum in Ecclesia tempore benedictionum, quia hic non voluntate donandi, sed ex voluntate seruandi Ecclesiæ ritum censendus est conferri. Ex his solum est oppositum fundamentum; negamus namque sponsum dare eas vestes, & munera ea præcipuè intentione, vt obligationi, quam statim subiturus est alendi vxorem satisfaciat: si enim id intenderet, debebat exprimere, alioqui præsumitur consuluisse animo significandi suum amorem, & vt ipsa eo die nuptiarum honoretur.

10. Verùm liber hîc apponere verba Martini de San Ioseph *in mon. confeſſ. tom. 1. lib. 1. tr. 8. de matr. n. 10.* sic enim ait: [Los vestidos preciosos, ò cotidianos y otras qualesquiera cosas que embia la esposa al esposo, ò el esposo à la esposa, despues de los esponsales ò despues del matrimonio de presente (como no se a ya consumado) pertenece à la que llama el Derecho, sponsalitia largitas, y adquirere la midad la esposa por el beso; y ambos esposos lo que recibieron enteramente por la consumacion del matrimonio, quando no costa que la voluntad del que lo embiò fue de donat.

11. Aunque la muger no lleue dote, haze suas las donas ò vistas, enteramente por la copula quando se consuma el matrimonio, ò la midad de llas por el beso.

12. Despues de recibidas las donas, si el matrimonio no tuuiere efecto por culpa del esposado laspierde, y se queda con ellas la muger; verò si per culpa della se dexò el matrimonio deue voluer las entamente al desposado; però se el matrimonio se dexa de hazer sin culpa de ambos por alcun caso fortuito, ò por auerse muerto el vno dellos, se han de boluer las donas al desposado, ò à sus herederos; saluo si el desposado huuiere besado à la desposada, que por el beso gana ella la midad de las dichas donas, y solamente hà de boluer la otra midad.] Ita ille.

13. Verum est, quod aliqua ex superius dictis procedunt in Regno Castellæ, & ideo in hac materia standum puto consuetudinibus cuiuscunque Prouinciæ, & Regni: & quidem ego non existimo improbabilem sententiam Azeuedi *lib. 5. Recopil. tit. 2. leg. 4. n. 27. & 32.* Guttierrez *pract. quæst. lib. 2. quæst. 19. num. 1.* Hunnij, & aliorum asserentium, quod suprà dictæ vestes, & ornamenta præsumi debent donata, & collata in tempus matrimonij, iuxta *legem quod sponsæ C. de donat. ante nupt.* Cùm enim videat sponsus statim subiturum esse obligationem alendi sponsam, tradit illi vestes, & ornamenta, vt prædictæ obligationi satisfaciat: & sponsa eo die nuptiarum honoretur: ergo horum traditio sponsalitia largitas censeri non potest, quia non est facta sponsæ vt sponsæ, sed potius sponsæ vt vxori: si quidem non est facta ea præcipuè intentione, vt sponsæ tempore sponsalium ea munera deseruiant, sed vt deseruiant tempore matrimonij.

Et ideò, vt dixi, maximè attendenda est consuetudo locorum.

RESOL. LII.

Quinam dicantur infantia, & qui pubertati proximi?

Ei quibus quæritur in matrimonialibus, quinam sunt proximi pubertati ad hoc, vt eis matrimonium concedi debeat? Ex part. 11. tr. 7. & Misc. 1. Res. 39.

§. 1. QVæstio hæc deseruiet pro resolutione multorum casuum. Hulricus Hunnius *de pactis cap. 3. quæst. 4.* putat, infantes dici impuberes vsque ad annum septimum completum *l. 18. pr. C. de iure delib. lib. 1. §. 2 ff. de adm. tut.* vbi illi, qui fari possunt, dicuntur minores septem annis. Reliquos verò impubertatis annos in duas æquales partes secandas, quarum prima dicatur infantiæ, ab initio anni octaui vsque ad annum decimum cum dimidio completum: Ab hoc verò vsque ad annum decimum quartum completum dicatur proximus pubertati: Fœmina verò infantiæ proxima dicatur à septimo anno completo ad annum nonum cum dimidio completum: ab eoque annum duodecimum proxima pubertati: Nam post infantiam vsque ad pubertatem sunt in masculo septem anni, & in fœmina quinque, quare ex quo excessit quis dimidiam huius temporis partem magis pubertati, quam infantiæ proximus dici debet.

2. Accedit huic, quod experientia testatur masculus, postquam annum decimum, & sex menses; fœmina verò nouem cum semestri compleuerint, regulariter, atque communiter incipere ea ætate habere aliquem intellectum eorum, quæ agunt, proinde ab ea ætate meritò proximi pubertati dicentur. Cùm illi, qui, quod agunt, intelligunt, proximi pubertati in iure dicantur *d. §. 18. de oblig. quæ ex delict. nasc.* Hæc Hunnius.

3. Aliqui verò hoc omne iudicis arbitrio relinquunt; Probatur, quia à iudicis arbitrio pendere debeat, quod in iure nostro determinatum, ac definitum non est *l. 1. in fine ff. de fun. delit. cap. vlt. extr. de transact.* Nullibi autem in iure definitum, ac determinatum reperiatur quinam sit pubertati proximus, & qui proximus infantiæ, proinde istud arbitrio, & discretioni iudicis relinqui debeat.

4. Verùm ego puto, suam habere probabilitatem sententiam illorum, qui statuunt illos esse pubertati proximos, qui ad plenam pubertatem sex menses adhuc distant.

5. Probatur primò, quod *in l. non tantum 17. ff. de excusat. tutor.* ætas illa dicatur propè pubertatem esse, cui ad pubertatem tantùm semestre tempus reliquum fuerit.

6. Secundò, quod idem etiam confirmet *l excipiuntur ff. ad Sylanian.* vbi proponitur Trebatium Germanum legatum, supplicium sumi iussisse de eo impubere qui à pubertate non multum abfuerit. Atque de proximo dumtaxat pubertati sumi supplicium potest, *§. in summa ff. de obl. quæ ex del ct. nasc.* Et non multum à pubertate abesse dicitur Is, cui ad pubertatem adhuc semestre deest. Igitur pubertati proximus dicendus videtur, cui sex menses adhuc ad puberem ætatem absunt.

7. Tertiò, cùm dicto *propè*, item *proximè* ad semestre tempus ab ipso Iustiniano referantur *in l. properandum §. & si quidem C. de ind. d. l. non tantum 17. ff. de excusat. tut.* sequuntur inde quod proximus pubertati sit, cui desunt sex menses, siue semestre.

8. Quartò *in c. continebatur 6. extra de dispens. impub.* puella dicitur pubertati proxima, quæ in anno vndecimo, vel circa annum duodecimum est constituta, hoc est, cui sex menses adhuc ad pubertatem desunt.

Sup. hoc lege infra doctrinam Res. 56. & 57.

9. Sed Hunnius pressus hoc argumento sic ait, In matrimonialibus, quæritur, quinam proximus sit pubertati, ad hoc vt matrimonium ei concedi debeat, rectè dici proximam illam esse pubertati, quæ sit in vndecimo anno, vel circa duodecim, quia tunc vt plurimum solet malitia supplere ætatem. Ac proinde adductum *cap. continebatur extra terminos*, in quibus loquitur non extendendum existimo. Præterea si rectè consideretur, probat hanc opinionem, quod nempe proximus tantùm ille sit pubertati, cui deest semestre. Vndecimus enim annus, cuius meminit *d. cap. continebatur*, de anno vndecimo cœpto, non de penè perfecto intelligi debet; quia si verba illa, quæ subsequuntur (vel circa duodecimum) intelligenda sunt de semestri, vt volunt dissentientes ante finem anni duodecimi, necessariò sequitur illa verba (in vndecimo) solùm cœpto, & non dimidiato. Ita Hunnius, cui adhæret (quod valde notandum est.) Gaspar Hurtadus *de matrim. disp. 22. diff. 11. n. 46.* vbi sustinet *in d. cap. continebatur*, pubertati proximum eum dici, cui non deficit plusquam integer annus.

10. Verùm, vt dixi, communiter docent Authores, quod pubertati proximus dicatur qui tantùm per sex menses ab ætate 14. annorum completorum distat, & ita tenuit Rota, & aliquos adducit, sequitur nouissimè Episcopus Marantan *in suæ sponsionibus part. 5. resp. 14. n. 7.* confirmantur superiùs dicta ex doctrina Bartoli *in §. si verò, num. 1. Authen. de Monach.* vbi docet, quod testis dicat, quod Titius possedit per viginti annos, quod testis probat de decem, & nouem annis cum dimidio, vt dicto propè intelligatur per sex menses.

11. Et ita etiam ex aliis obseruat Cenedus *super. l. 81. num. 7.* & Barbosa *dict. 291. num. 2.* Vnde ex his elapsis diebus ego consului legatum relictum eidam, quando esset propè 16. annos, potuisse illud consequi in anno 15. cum dimidio.

RESOL. LIII.

An quod dictum est de sponsalibus, dicendum sit de matrimonio, videlicet, vt sit validum, si illud parentes contrahunt, præsentibus & tacentibus filiis?

Et an sit validum, matrimonium, quando puella tacet, & nullus pro ea respondet, vel opus sit, vt respondeat pater, vel mater, aut tutor?

Et quid in tali casu, si extranei repromittant? Exp. tract 4. Res. 271. alias 272.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam tenent communiter Doctores ex auctoritate Bonifacij *in d. cap. vnic. de despons. impuber. in 6.* dummodo tale matrimonium sit contractum coram Parocho & testibus.

2. Tamen in gratiam studiosorum non reticebo hîc adnotare ea, quæ adducit Basilius Pontius *de matrim. lib. 2. cap. 14. num. 3.* vbi sic ait An dispositio Bonifacij locum etiam habeat in matrimoniis, quæstionem habet; video communem esse Doctorum sententiam in illis locum habere, nonnullis exceptis. At nisi me tot Doctorum auctoritas detineret, planè cum his paucis sentirē, nempe hanc Bonifacij constitutionem non habere locum in matrimonijs, sed tantùm in sponsalibus de futuro; inductus duobus fundamentis. Primum est ex verbis ipsius constitutionis, si enim in ea planè agitur de sponsalibus de futuro, cur ad matrimonium extenditur? Agere autem Pontificem de sponsalibus de futuro, planè constat ex omnibus, quæ in ea constitutione continentur, nam in §. 1. planum est cùm per Innocentij III. constitutionem *cap. fin. de despons. impuber.* inter septemnes non matrimonia, sed sponsalia,

sponsalia esse possint. In §. autem 2. speciatim agit de matrimoniis eorum impuberum, quæ tantùm fictione iuris sunt sponsalia. In 3. quoque §. id plenissimè constat, quia agitur de sponsalibus contractis in filiorum absentia, & illis ignorantibus. Quis autem dicat matrimonium contrahi in filiorum absentia, & illis ignaris? neque id vlli in mentem venire potest. Præterea, quia vel Pontifex in isto §. agit de sponsalibus, & matrimoniis, vel tantùm de sponsalibus, ad matrimonium autem extenditur à Doctoribus Primum dici non potest, vt probatum est; neque secundum, non enim ea quæ de sponsalibus dicuntur, ad matrimonia etiam extendi semper debent; cùm enim strictior sit obligatio matrimonij, quàm sponsalium, multo plura requiruntur exactiùs ad matrimonium quàm ad sponsalia. Hæc enim multis de causis dissolui possunt, matrimonium autem indissolubile est. Vnde quamuis sponsalia à parentibus celebrata, præsente filio, atque tacente sustineri possint, & sic statuat Pontifex, non idem de matrimonio dicendum videretur, cùm ad matrimonium plena libertas requiratur, & facillimum sit filium, vel filiam metu reuerentiali impediri, metum autem reuerentialem impedire matrimonium dicam postea. His accedit, quòd cùm tota hæc dispositio de valore sponsalium, quæ celebrant parentes pro filiis, illis tacentibus, & præsentibus, nitatur in quadam præsumptione consensus tacentis, non est firmum aliquod fundamentum eos iudicasse eam taciturnitatis præsumptionem sufficientem ad iudicandum validum matrimonium, cùm sit res longè maioris momenti, & quæ magis veritate ipsa decidenda est, quàm præsumptionibus, aut illis efficacissimis, & vrgentissimis. Ita Pontius solidè, & subtiliter, vt semper solet.

3. Doctores verò, qui asserunt constitutionem Bonifacij *in d.c.vnico*, agere tantùm de sponsalibus, & non esse extendendam ad matrimonium, hi sunt, Gabriel *in 4. dist. 27. p. 1. art. 2. concl. 4.* Angelus *ver. matrimonium 2. num. 5.* & nonnulli recentiores, quos refert Petrus de Ledesma *de matrim. q. 45. art. 2. dub. 3.* & ex Theologis Societatis Iesv Henriquez *lib. 11. cap. 2. n. 6. iuncto commento in litt. P.* vide etiam Bassol. *in 4. dist. 27. q. 1. art. 1.*

4. Sed stando in prima opinione, quæ, vt diximus, est communis, hoc non obstante, non erit validum matrimonium, quando puella tacet, & nullus pro ea respondet, quia consensus ipsius non sufficienter exprimitur per taciturnitatem, nisi parentes pro ipsa respondeant. Dixi, nisi parentes pro ea respondeant; nam non sufficit alium extraneum repromittere, sed opus est, vt respondeat pater, vel mater, aut tutor; nam hi censentur agere in gratiam, & fauorem puellæ, cuius curam gerunt, & consequenter, tunc valet regula, quòd qui tacet consentire videtur; & ita obseruat doctus Bonacina *de matrim. quæst. 2. punct. 1. n. 8.* & alij, licèt Syluius *in 3. p. q. 45. art. 2.* contrarium doceat, nempe in tali casu valere matrimonium, etiamsi extranei repromittant.

5. Verùm pro coronide huius resolutionis ponam hîc verba Ioannis Guttierrez *de matrim. c. 13. num. 9.* sic asserentis. Vide in praxi obseruari pro securiori cautela, quòd etiamsi parentes sint tempore contrahendi matrimonij, & illi hæc aperiant Parocho cum testibus; nihilominus ipse Parochus interrogat filios contrahentes, eorumque exquirit consensum, non verò parentum, conformans se cum dispositione Concilij Tridentini, ibi, *Vbi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto*, &c. Interrogatio igitur ipsorum contrahentium requiritur. Verùm si hoc non fieret, sed potiùs parentes interrogarentur à Parocho coram testibus præsentibus & intelligentibus ac tacentibus ipsorum filiis, contraherent matrimonium nomine ipsorum filiorum; quia præsentia, & taciturnitas filiorum quorum nomine eorum parentes contrahunt matrimonium, sufficiens externum signum est consensus interni, iuris præsumptione, & dispositione *in cap. vnico, de desponsat. impub. in 6.* quod Concilium Tridentinum non corrigit, nec de hoc casu loquutum est, sed frequentiori, regulari; scilicet quando ipsimet coniungendi matrimonialiter per se contrahant, nulla facta mentione de parentibus. Nostet igitur casus, tamquam omissus, remanet sub dispositione iuris communis, argumento *l. commodissimè, cum simili ff. de liber. & posthumis.* Ita Guttierrez.

RESOL. LIV.

An saltem peccet venialiter, qui loqui valens contraheret matrimonium per signa, & nutus? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 247. alias 248.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Sanchez *de matrim. tom. .... lib. 3. disp. 31. num. 10.* vbi ait. Fateor culpam esse venialem non exprimere verbis, sed solis signis consensum in matrimonio contrahendo, nisi iusta causa excusaret.

2. Sed contra illum nullam culpam venialem in tali casu agnoscit Basilius Pontius *de matrim. lib. 2. cap. 7. num. 14.* vbi sic asserit. Ego non video aliquod præceptum Ecclesiasticum de verbis adhibendis, & Pontifex *in cap. tua fraternitati, & cap. licet, de sponsal. duor.* non intendit excludere alia signa sensibilia expressiua consensus, & ipse Sanchez admittit nullum in dictis capitibus contineri præceptum. Quòd si nullum agnoscit præceptum in dictis cap. quomodo potuit consequenter affirmare, esse peccatum veniale in omissione verborum, cum peccatum tam mortale, quam veniale, non possint esse, nisi vbi lex, & præceptum est? Nec verò ex Trident. *sess. 24. c. 1. de reform. matr.* colligi potest necessitas verborum, cùm dicitur, *vbi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum consensu intellecto*, &c. Neque enim dicit Concilium, vt interrogatio fiat per verba, cùm surdi, & muti Parochi verba percipere non possint, & quando Parochus interrogat eos, qui loqui possunt, & audire, non definit Concilium, neque præcipit, vt responsio etiam verbis fiat, sed solùm vt Parochus intelligit contrahentium consensum, potest autem ex signis æquiualentibus intelligi. Ita Pontius contra Sanchez.

3. Sed in illius fauorem stant nouissimè Coninch *de Sacram. disp. 24. dub. 9. num. 66.* & Filliucius *tom. 1. tract. 10. p. 1. c. 3. num. 82.* qui asserunt tales contrahentes peccare venialiter: non sunt tamen audiendi Petrus de Ledesma *in summa, de matrim. quæst. 45. art. 2. concl. 2.* Rodriguez *in summa, tom. 1. cap. 216. num. 5.* qui putant supradictos contrahentes peccare mortaliter, quod etiam docet nouissimè Syluius *in 3. p. quæst. 4. art. 2.*

RESOL. LV.

An contrahere matrimonium ante legitimam ætatem sit peccatum mortale? Ex part. 3 tractat. 4. Ref. 275. alias 276.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 14. difficul. 22. num. 8.* vbi sic asserit. [El contraher matrimonio de presente

sin tener edad legitima, esta prohibendo en derecho en el *cap.2. de despons.impub.* y hazer lo contrario es pecado mortal, como se vzen à quellas palabras districtiùs inhibemus.] Sic ille, & ante illum Coninch *de Sacr.disp.21.dub.5.n.54.* Guttierrez *de matr. cap.2.n.16.* Bonacina *de matrim.quæst.1.punct.4.n.7.* Filliuc.*tom.1.tract.10.part.1.cap.7.n.259.* & hanc sententiam docet etiam nouissimè Basilius Pontius *de matrim.lib.7.cap.6.n.3.* & docuerat antea Henriquez *lib.11.cap.13.n.13.* vnde non est dubium esse probabiliorem, & communiorem.

2. Non reticeam tamen negatiuam sententiam docere Thom.Sanchez *de matr.to.1.lib.1.disp.17.n.6.* quia à iure antiquo recedendum non est absque textu expresso, & quòd iuris correctio est odiosa, & omnino vitanda, *l.præcipimus, C.de appell.* Sed matrimonium de præsenti inter impuberes est permissum multis canonibus, & interpretantur, quasi essent verba de futuro, *cap.fin. de despons.impub.cap.vnic.§.idem quoque, eod. tit. in 6.* Ergo non est dicendum, *cap.2.* quod citat correxisse hæc iura, cùm optimè possit interpretari ne corrigat. Item, quia Panormitanus *eod.cap.2.n.5.* & Præpositus *ibi num.2.* explicant illum textum, vt tantùm prohibeat, ne impuberes, vel puberes cum impubere contrahant matrimonium, simúlque copulæ carnali dent operam, ne postmodum de matrimonij valore dubitetur. Quòd si vrgeas, textum permittere hanc coniunctionem propter pacis bonum; non posse autem permitti copulam; respondeo, permitti quidem posse quando iudicio Episcopi probabile esset malitiam præuenire ætatem; vrgentissimáque causa concurrente, quamuis de potentia ad copulam dubium esset aliquale, & si experientia facta compereretur, nondum adesse potentiam, esset illud matrimonium sponsalia, iuris interpretatione. Hæc omnia Sanchez.

3. Sed stando in prima sententia, moderanda est cum Paludano *in 4.dist.28.quæst.2.art.2.num.8.& 10.* Angelo *ver.matrimonium 3.impedim.16.n.7.* Tabiena *ver.matrimonium 2.q.6.num.7.* Henriquez & Filliucio *locis citatis*, nisi cum Episcopi licentia, & iusta interueniente causa, matrimonium ante legitimam ætatem celebretur, ex *c.2. vbi supra.* Item stando etiam in dicta opinione quæritur.

RESOL. LVI.

An sit peccatum mortale contrahere matrimonium, vltimo die quo completur legitima ætas?

Et an satis sit, si non solum prima dies anni duodecimi in fœmina, & decimi quarti in viro sit incœpta, sed etiam si tres dies, aut etiam decem dies ex ea ætate deficiant?

Et notatur validum esse matrimonium contractum ante legitimam ætatem, si malitia suppleat ætatem. Ex part.3. tr.4. Resol.276. alias 277.

Sup. hoc in Resol. seq. & supra ex Resol. 52. lege doctrinam §. Sed Hunnius.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Basilius Pontius *de matrim.lib.7.c.65. nu.1.* vbi sic ait. In dubio præfinitum tempus completum sit, inhabiles iudicat Ecclesia, etiamsi exigua temporis distantia sit, neque enim hîc locum habet illa regula, *quod parum distat, nihil distare videtur*, sicut neque in aliis, in quibus ius præfinitum tempus exigit, vt in animo probationis Religiosi, & in ætate ad Ordines si enim vel vnus dies, aut hora desideretur, vitiat factum. Cùm enim ius præfiniat tempus, exigátque illud esse completum, nisi malitia suppleat, non est locus paucorum dierum supplemento. Quòd si illa suppleat, parum refert, an duo, vel tres dies, aut etiam plures deessent. Imò existimo, nec satis esse, vt impleta ætas censeatur vltimum diem inceptum esse, quando malitia non suppleat ætatem; vt de anno probationis dicendum est. Neque obstat, quòd iure ciuili alia sit dispositio in testamentis, nec enim à iure ciuili ad canonicum in hac re argumentum desumi potest, aut à testamentis ad matrimonia, vbi est expressa decisio Pontificum. Ita Pontius.

2. Contrariam tamen sententiam tenet Barbosa *in collect.tom.2. lib.4. tit.3. cap.14. n.2.* & Villalobos *in summa, tom.1. tract.14. diffic.22. num.1.* & alij penes ipsum, vbi sic asserit. [Esta edad ha de ser complida, como dize el *c.ex litteris*, en estas palabras Donec compleat puer annum decimum quartum. Verdades, que bastaria si estuuiesse en el vltimo dia, como tiene Syluestro, Ab Alexandro de Neuo, Sanchez, y otros Iuristas, y es la razon, porque se determina assi en fauor del testamento en la ley *quæsitum, ff.de testam.* y no es menor el fauor de matrimonio. Mas no abstaria si faltassen tres dias, como con otro tiene el mismo Sanchez, y lo mismo siento si faltasse vn dia, porque mortalmente no seiuzga por complido año, como se juzgaria estando en el mismo dia.] Sic Villalobos.

3. At Ioannes Guttierrez (attende lector) *de matrim.cap.2. num.20.* hoc vltimum contra Villalobos admittit, sic enim ait. Satis enim erit septima dies anni duodecimi in fœmina, & decimi quarti in viro sit incepta, quinimo & idem erit dicendum quamuis tres dies ea ætate deficiant, ex eo quòd moraliter censeatur tunc completa: non enim metaphysicè compleri requiritur, vt tenet Hostiens. *in cap.impuberes, num.5. de despons.impub.* & Veracruz *in specul. part.1. articu.26.* Imò Martinus Ledesma *in 2.part.lib.4. sent. quæst.60. art.1. col. penult. verb. hasitabis*, vlteriùs dicit satis esse quamuis decem dies desint. Ita Guttierrez.

4. Notandum est tamen hîc obiter validum esse matrimonium contractum ante legitimam ætatem, si malitia suppleat ætatem; vt ex multis notat Barbosa *in collect.tom.2.lib.4.tit.2.cap.9.num.2.* & patet ex *cap.de illis 2.de despons.impub.*

RESOL. LVII.

An in ætate requisita ad matrimonium detur paruitas materiæ?

Et notatur ad valorem matrimonij non requiri, vt dicta ætas sit mathematicè completa, sed moraliter, vt quando contrahentes ab ea distarent non solum per tres, aut decem dies, sed etiam per vnum aut alterum mensem? Ex part.5.tr.5.Resol.16.

§.1. REspondeo affirmatiuè, & ita aliqui asserant sufficere eam ætatem ad matrimonij valorem quamuis tres dies ex ea deficiant, sic Hostiensis *in cap.puberes, num.5. de despons.impub.* & plus addit Martinus Ledesma *in 2.part.4.quæst.60. art.1.* docens satis esse, quamuis decem dies desint. Sed communiter Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *de matrimon.tom.2.lib.7.disput.104.num.2.* & 3. affirmant sufficere in tali casu, quòd vltima dies anni duodecimi in fœmina, & decimiquarti in viro sit incepta, quamuis non sit completa.

2. His tamen non obstantibus contrariam sententiam docet ex Pontio Gaspar Hurtadus *de matrim.disp.22.difficul.12.n.45.* vbi sic ait. Alij docent requiri dictam ætatem esse mathematicè completam, & meritò, quia iure præscribitur, seu taxatur, ac proinde debet in indiuisibili consistere. sicut peccium iure præscriptum in indiuisibili consistit. Vnde regula

regula illa, Quod parum distat, &c. non habet locum in taxatis a iure. Id verò, quod addit Sancius, nempe sufficere vltimum diem, quo dicti anni præscripti complentur, esse inchoatum, falsum est, vt optimè Basilius. quia quousque sit completus, dicta ætas non est mathematicè completa, neque in indiuisibili consistens. Ita Hurtadus. Vnde puto vtramque sententiam probabilem esse etiam per Doctores, quos ego adduxi *in 3. part. tract. 4. resolut.* 277. quos omninò videbis.

3. Non desinam tamen hîc adnotare Rebellium *lib. 3. qu. 16. sect. 2. n. 16.* docere ad valorem matrimonij non requiri, vt dicta ætas sit mathematicè completa, sed moraliter, vt quando contrahentes ab ea distarent per vnum, aut alterum mensem, qui vulgariter finis anni dicitur, quod enim parum distat, nihil distare videtur; sed in hoc nimis largè loquitur Rebellius, vt optimè obseruat Naldus, *in summ. verb. ætas, num.* 1.

RESOL. LVIII.

An filius teneatur contrahere matrimonium, quod pater promisit, aut præcepit?

Et notatur licite filios posse inire hoc, vel illud matrimonium, parentibus inuitis, aut resistentibus; erit tamen illicitum contrahere matrimonium, illis non certioribus factis.

Et cursissime docetur parentes non posse exhæredare filios, neque eis dotem negare, quia contrahunt matrimonium, illis inuitis.

Et aduertitur parentes, qui coactione sufficienti ad mortale compellunt filios ad matrimonium, non incurrere excommunicationem latam in Tridentino, sess. 24. cap. 9.

Et an Tridentinum loquatur tantum de Dominis temporalibus, & Magistratibus habentibus iurisdictionem in foro exteriori sæculari; vnde neque Parochus, neque Episcopus, si compellerent ad matrimonium, in dictam excommunicationem non incurrerent.

Imo, neque Reges & Imperatores, quamuis habeant dictam iurisdictionem. Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Resol. 132.

Sup. hoc in tom. 9. tr. 2. Resol. 343. §. 6. in fine, & hic infra lege doctrinam Resol. seq.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Cardinal. Bellarmin. *lib. 1. de matrimon. cap. 19.* Rebellius, & Nauarrus penes Hurtadum *vbi infra*, dummodo filius non eligat meliorem statum, & quòd matrimonium à patre promissum, aut præceptum non sit filio indignum, & hoc deduci videtur ex *cap. 1. de despons. impub.* vbi dicitur, postquam filius ad perfectam ætatem peruenerit, omnino debet hoc implere.

2. Sed mihi contraria sententia magis placet, quam tuetur Hurtado *tract. de matrim. disp. 6. diffic. 9. num. 32.* cum Riccardo, Sanchez & Coninch penes ipsum, qui rationes pro hac firmanda sententia adducit, & rectè respondet ad supra citatum cap. 1. nam illa verba omnino debent à glossa & aliis communiter exponi de debito honestatis, non autem præcepti, seu obligationis.

Sup. hoc in Resol. 1. nor. præteritæ à §. 3. & seqq. & vide etiã Resol. 2. not. præteritæ.

3. Notandum est etiam contra Bellarminum, Rebellium, & Sotum licitè filios posse inire hoc, aut illud matrimonium parentibus inuitis, seu resistentibus; erit tamen illicitum contrahere matrimonium illis non certioribus factis, nisi quando filij timent parentes iniustè impedituros dictum matrimonium, aut quando adest rationabilis causa occultandi parentibus matrimonium, & hæc omnia docet Hurtado *loco cit. difficul. 10. num. 35. & 36.* cum Sanchez, Coninch, & Vasquez, vbi etiam docet parentes non posse exhæredare liberos, neque eis dotem negare, quia contrahunt matrimonium ipsis inuitis.

4. Non desinam tamen hîc adnotare parentes, qui coactione sufficiente ad mortale compellunt filios ad matrimonium, non incurrere in excommunicationem latam in Tridentino *sess. 24. cap. 9.* Ita contra Lopez & Albornos docet Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 22.* Coninch *de Sacram. disp. 28. dub. 5.* & alij; quia Tridentinum loquitur tantùm de dominis temporalibus, & Magistratibus habentibus iurisdictionem in foro exteriori sæculari, vnde neque Parochus, neque Episcopus si compellerent ad matrimonium, in dictam excommunicationem incurrerent, quia non habent iurisdictionem in foro externo sæculari. Ita etiam Hurtado *diffic. 8. n. 29.* Imò neque Reges & Imperatores, quamuis habeant dictam iurisdictionem, quia isti exprimi debent vt exprimuntur in eodem Tridentino *sess. 22. de reform. cap. 11.*

Sup. hoc in tom. 9. tr. 2. Resol. 223. §. Notandum est, in fine, & pro dote, hic supra in Resol. 45. §. Quibus. Et sup. contento in hoc vlt. §. Non desinã. infra in Resol. 141. §. vlt. in principio.

RESOL. LIX.

An filius peccet mortaliter, si non ducat dignam, quam pater vult, sed aliam ducat æquè dignam?

Et notatur filium Magnatis, quem pater non vult alere, secundum qualitatem personæ, non peccare mortaliter, si inscio atque inuito patre fœminam diuitem, & nobilem ducat genere aliquantulum inferiorem. Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Resol. 21.

§. 1. PEccare mortaliter asserit Fagundez *in Decal. tom. 1. lib. 4. cap. 4. n. 4.* vbi sic asserit. Ego illam opinionem sequor, quatenus asserit esse peccatum mortale filium contrahere contra voluntatem, & consensum Patris: quia in re graui ei non obedit; & aliunde Pater æquè dignam, & diuitem ei ducendam proponit, ac illam, quam filius sponte sua elegerat. Ita ille.

Sup. hoc lege doctrinã Resol. præteritæ, & vide etiam §. eius primæ not.

2. Sed ego olim in facti contingentia negatiuæ sententiæ adhæsi, quam tuetur Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 23. num. 10.* cui adde nouissimè Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 1. dub. 2. n. 13.* vbi sic ait. Dico filium teneri partem consulere, si commodè fieri potest, & non longè abest, aut si non timet malitiosè impedimentum; non tamen tenetur consilium sequi, nisi ducat indignam: at si ducat dignam, non tenetur sequi Patris voluntatem, ita Trullench. Vide etiam Toletum *in summa lib. 5. cap. 1. n. 6.*

3. Notandum est etiam hîc obiter, quòd Fagundez *vbi suprà, n. 5.* fatetur filium Magnatis, quem Pater non vult alere secundùm qualitatem personæ, non peccare mortaliter, si inscio, ac inuito parente fœminam diuitem & nobilem ducat, genere aliquantulo inferiorem.

RESOL. LX.

An matrimonium inter absentes contractum per Procuratorem, vel per literas coram Parocho, & testibus sit Sacramentum?

Et infertur contrahentes sub peccato mortali teneri curare, vt sint in gratia illo tempore, quo Procuratores eorum nomine contrahunt.

Et notatur ætatem, & diuersitatem sexus nullius esse momenti in Procuratore; & ideo fœmina potest contrahere in tali casu matrimonium pro viro.

Etiamque aduertitur, quod Procurator nõ debet excedere suum mandatũ, alioquin matrimonium est nullum.

Et cursim docetur, quod dicta Procuratio nõ est necesse;

vt efficiatur coram Parocho ac testibus, licet coram dictis postea sit ineundum matrimonium?

Idem, quod dictum est de matrimonio per Procuratorem contracto, dicendum est, si per literas contrahatur? Ex part. 3. tr. 4. Res. 249. alias 250.

Sup. hoc cũ eodem Rebellio infra citato infra in Res. 118. §. 2 post medium, à verſ. Et ideo.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet nouissimè Gulielmus Estius *in 4. sent. dist.* 19. § 5. & Franciscus Syluius *in 3. part. D. Thomæ quæst.* 42. *art.* 1. *quæritur* 3. *concl.* 2. qui citat Caietanum, Victoriam, & Canum. Et ratio est, quia sicut collatio Sacramenti est actio personalis, ita eius receptio est personalis passio negatiuè; neque dici potest hoc esse matrimonio, vtpote contractui, peculiare, quia præter naturam contractus etiam habet rationem Sacramenti, quod proinde similiter, vt alia Sacramenta, requirit, vt minister applicet formam ad materiam in subiecto præsente. Confirmatur, etiamsi pœnitentialis absolutio sit iudicialis, possit autem aliquis iudicialiter absolui etiamsi sit absens; quia tamen est Sacramentum, non potest in absentem proferri. Deinde sequeretur alioquin, quod Sacramenta conferant gratiam absenti, & sic occupatio circa alia, vt nec ipse de Sacramento cogitet, nec circa ipsum fiat actio sacramentalis.

2. Sed contrariam sententiam docent Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 11. *q.* 2. *num.* 20. quibus ego addo Villalobos *in summa tom.* 1. *tract.* 13. *diffi.* 9. *n.* 3. Ioan. de la Cruz *in direct. part.* 2. *de matrim. ante quæst* 1. Basilium Pontium *de matrim. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 2. Valentiam *tom.* 4. *disp.* 10. *quæst.* 1. *punct.* 6. Coninch *de Sacram. disp.* 24. *dub.* 2. *concl.* 5. *num.* 23. & alios, vnde inferunt supradicti DD. contrahentes sub peccato mortali teneri curare, vt sint in gratia illo tempore, quo procuratores eorum nomine contrahent, ne Sacramentum viuorum in peccato mortali suscipiant; secus de procuratoribus, qui alieno nomine agunt, nec vllum Sacramentum suscipiunt.

3. Quid ego sentiam, dicam breuiter cum Rebellio *part.* 1. *lib.* 2. *q.* 5. *concl.* 2. *num.* 9. quòd etsi valde probabile sit, matrimonium inter absentes contractum, non posse esse Sacramentum nouæ legis, seu gratiæ; sine periculóque defendi posse videatur, omnem collationem, receptionémque cuiusuis Sacramenti exigere præsentiam conferentis, ac recipientis, vt habet prior opinio; attamen posterior tenenda est, vt communior, ac securior, quæ absolutè ait, esse Sacramentum, si videlicet contrahentes intendunt saltem implicitè, facere Sacramentum; id autem intendere sunt censendi, quoties intendunt quod Ecclesia intendit in coniugandis fidelibus.

4. Et licet Villalobos *in summa tom.* 1. *tract.* 13. *diffic.* 9. *num.* 3. optimè asserat: [Que hazen bien los contrahentes, que despues en presencia se bueluen à casar para quitar escrupulos, porque el matrimonio por la parte que tiene de contracto, se puede repetir à manera de los demas contratos, y no se reytera aquel Sacramento, porque esto solo es confirmar el contrato, y no hazerle de nueuo.] Vnde sic faciendo si fortè non receperunt Sacramentum, postea illud recipiant; attamen ego puto cum Rebellio *vbi suprà.* 10. quòd tam Sacerdos, quàm contrahentes, cùm in facie Ecclesiæ iterum iunguntur, ad faciendas solemnitates omissas, implicitè hoc facere saltem intendunt; siquidem rem, vt de iure licet, peragere volunt, quod est valde notandum ad tollendos scrupulos.

Sup. hoc infra in Res. 91. §. Ex his.

5. Notandum est tamen hîc cum Syluio, & Pontio, & aliis *vbi suprà*, diuersitatem sexus nullius esse momenti in procuratore, cùm sit tantùm instrumentum ministrans verba, quibus contrahitur matrimonium, & ideo fœmina potest contrahere in tali casu matrimonium pro viro.

6. Notandum est etiam, quòd procurator non debet excedere suum mandatum, alioquin matrimonium est nullum; [Mas non obstante esto, ait Villalobos *vbi supra n.* 2. aunque en el poder le digan, que contrayga guardando la forma del Concilio Tridentino, si hizo al contrario sin moniciones, con todo vale; porque tambien valdria, si el mismo, que da el poder, le hiziera assi] Ita ille, qui etiam aduertit, [Que se puede dar poder al procurador, aunque no sea con escritura, ni tan poco es necessario, que tenga edad determinada.] Nota quòd dicta procuratio, Sup. hoc non est necesse, vt efficiatur coram Parocho, ac testibus; licèt coram prædictis postea sit ineundum matrimonium.

7. Idem quod dictum est de matrimonio per procuratorem contracto, dicendum est, vt notat Barbosa *in collect. tom.* 4. *part.* 2. *decreti, causa* 30. *quæst.* 5. *nec illud, num.* 2. cum aliis communiter, si per literas contrahatur, & ad hoc efficiendum à Villalobos *vbi suprà, diffic.* 10. *num.* 2. facilis via præbentur, [La vna, si el que escriue la carta, embia mensagero con ella, dandole poder à el, ò otra persona, que en su nombre acete el contrato, loqual no solo seria contraher por carta, sino juntamente con ello por procurador. La secunda manera (& hic est modus facillimus) que en carta escriua, que desde entonces aceta la tradicion, que la otra parte le hiziere, y si leyda la carta delante del parocho y testigos, da su consentimiento, la otra parte, y es el matrimonio vale, y este modo es facil.] Notentur hæc, quia in praxi possunt non semel accidere.

RESOL. LXI.

An Procuratore misso ad contrahendum, si mandans in amentiam incidat, matrimonium sit validum?

Ex quo infertur, quod Baptismus furiæ tempore receptus, petitus ante furiam validus est?

Idem est in Sacramento Pœnitentiæ, quod potest enim absolui, qui ante amentiam dedit signa contritionis?

Ex part. 3. tr. 4. Res. 248. alias 249.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 11. *n.* 12. vbi sic ait: Hinc infertur si procuratore misso dans mandatum in amentiam incidat, & talis perseueret dum procurator nomine suo contrahit, valere matrimonium, manet enim virtute prior consensus, cum reuocatus non sit: sicut Baptismus furiæ tempore receptus, petitus ante furiam, validus est, ex *cap. maiores de Baptismo*, sicuti, si tunc temporis esset dormiens, valeret matrimonium. Ita Sanchez. Sup. hoc infra Res. 91. §. Ex his. Basilio Pontio *de matrim. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 14.

2. Sed hæc sententia displicet Basilio Pontio *de matrim. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 14 quia pro forma, & causa contractus est consensus. Ergo nullum est matrimonium: adde si moreretur mandans, eo tempore nihil ageret procurator, ipsa enim morte cessaret consensus. Ergo etiam amentia, quæ æquiparatur morti, quoad consensum: in quo videtur longè diuersam esse rationem de mandato, si in amentiam incidat, aut si dormiat; ille enim incapax est habendi consensum, hic verò minimè. Neque simile est, quòd Baptismus petitus ante amentiam, validè conferatur in amentia. Nam vt Baptismus effectum habeat, satis est voluntatem præcessisse, neque reuocabeat, satis est voluntatem præcessisse, neque reuocetur, eo enim ipso posita materia ponitur effectus: at in matrimonio necessarius est consensus persecurans, etiam in ipso fieri contractus, quia consensus per verba expressus, vel signa est forma matrimonij. Idem

Idem est in sacramento Pœnitentiæ, potest enim absolui, qui ante amentiam dedit signa contritionis; neque enim necesse est simul sint in pœnitentia, materia, & forma eius Sacramenti. Atque id, quod dicimus, intelligitur facilè, si quæramus, an cum illo in amentiam incidente, & præsente, licèt explicasset antea consensum, contraheretur matrimonium? Minimè. Ergo neque per procuratorem contrahi poterit, si mandans in amentiam incidat. Sic Basilius contra Sanchez.

Sup. hoc supra in tr.2. ex doctrina Resol.94. signanter à lin. 2.

Sed Sanchez sententiam tenet Henriquez *lib.*11. *cap.*4.*n.*4.* & nouissimè doctus Bonacina *de matrim. quæst.*2.*punct.*5.*num.*13.

RESOL. LXII.

An, si omittantur denunciationes, matrimonium sit validum?

Et notatur primo contrahentes ante denunciationes factas peccare mortaliter, & ita dicendum est de Parocho tali matrimonio assistente?

Secundo quod in tali casu videlicet, quando denunciationes ante nuptias factæ non sunt, post nuptias ante consummationem matrimonij faciendas esse ex Concilio Trid. vt si forte impedimentum dirimens subsit, ante copulam fornicariam detegatur, nisi Episcopo consulto, videatur eas omnino intermitti?

Tertio, quod non possunt sola authoritate Parochi prætermitti denunciationes, si timetur malitiosè matrimonium impediendum, licet postea efficerentur, antequam dictum matrimonium consummetur, quia hoc spectat ad Episcopum, cum facile possit adiri? Ex part.3.tr.4.Resol.240.alias 241.

Sup. hoc in tom.1. tr.3. Resol. 26. §. Secundo idem. & lege etiam Resol. & §§. annot. seq.

§. 1. NEgatiuè respondet Cephalus *lib.*4. *cons.* 421. & Menochius *lib.*1. *cons.*79.*num.*70. sed omnino contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docent communiter Doctores (vt Sarmiento *lib.*1.*select.cap.*6.*num.*7. Molinus *de ritu nupt. lib.*2.*diff.*11.*num.*45. Guttier. *pract. qq.lib.*2. *part.*4. *num.* 15. Riccius *in praxi tom.*1. *resol.* 224. *num.* 6. Chamerota *de Sacram. tract.*12. *de matrim. dub.*17. Campanili *in diuer.iurlcan. rub.*11.*cap.*13. *num.*143. Leo *in Thes. for. Eccl.p.*2. *cap.*6. *num.*45. Villalobos *in sum. tom.*1. *tract.*13. *diffic.*24.*num.*2. vbi ita ait declarasse sacram Cardinalium Congregationem his verbis, Denunciationes si omittantur, per hoc matrimonium irritum non est, seruatis tamen cæteris requisitis.

2. Notandum est tamen contra Sotum *in* 4. *dist.*28. *q* 1. *art.*2. contrahentes ante denunciationes factas peccare mortaliter, & ita dicendum est de Parocho tali matrimonio assistente. Ita Villalobos *vbi suprà*. Guttierez *de Sacram. Confirm. part.*1. *cap.*51. *num.*29. Sanchez *de matrimonio lib.*3.*disp.*5.*n.*6. & alij.

3. Notandum secundò cum Layman *in Theolog. moral. lib.*5.*tract.*10.*p.*2. *cap.*4. *num.*11. quòd in tali casu, quando videlicet denunciationes ante nuptias factæ non fuerunt, post nuptias ante consummationem matrimonij faciendas esse, ex Concil. Trident. vt si fortasse impedimentum dirimens subsit, ante copulam fornicariam detegatur, nisi Episcopo consulto videatur eas omnino intermitti.

Sup. hoc lege doctrinā §.vltim.Resol. seq. & alterius & Resol. & §. eius not.

4. Notandum tertiò cum Coninch *de Sacram. disp.*27.*dub.*5.*num.*52. quòd non possunt sola auctoritate Parochi prætermitti denunciationes, si timetur matrimonium malitiosè impediendum, licèt postea efficerentur, antequam dictum matrimonium consummetur; quia hoc spectat ad Episcopū cùm facilè possit aditi, licèt Viualdus *in candel. par.*1. *de matr. num.*243. cum quibusdam aliis doceat posse hoc efficere Parochum. Sed tu tene primam sententiam; nam vt notat Henriquez *lib.*11.*cap.*15.*num.*5. ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio, vide Sanchez *de matrim. lib.*3.*disp.*7. *num.*7.

RESOL. LXIII.

An quando matrimonium initum est absque denunciationibus, sit peccatum mortale consummare antequam præmittantur?

Et an coniux teneatur debitum reddere alteri coniugi petenti ante denunciationes?

Et notatur, quod si contingat casus in quo matrimonium statim contrahi bono communi, vel speciali contrahentium expediat maxime, neque sit recursus ad Ordinarium, qui in prædictis denunciationibus dispenset, poterunt contrahere absque vlla culpa matrimonium coram Parocho & testibus; Parochusque, & testes adesse poterunt? Ex part.9. tr. 8. & Misc.3. Resol.19.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Sanchez *de matrim. lib.*3. *disp.*11. *num.*3. & alij penes ipsum. Quia ex præcepto Concilij Trident. *sess* 24. *cap.*1. non solùm tenebantur hi contrahentes præmittere denuntiationes contractui; sed, si tunc omissæ sunt, præmittere illius consummationi: ergo, sicut illas non præmittere matrimonio absque iusta dispensatione, esset peccatum lethale; etiam vbi contrahentes adhiberent diligentiam, vt nossent, an laborarent aliquo impedimento; ita erit mortale non præmittere consummationi, eadem adhibita diligentia: cùm idem præceptum violetur. Deinde, quia matrimonium intrinsecè ordinatur ad copulam, & prohibetur ante denuntiationes, vt euitetur copula, ne forsan, si impedimentum subsit, admittatur fornicatio: ergo à fortiori prohibetur ipsa consummatio, non præmissis denuntiationibus. Tandem, quia Parochus tenetur sub mortali curare, vt tales denuntiationes fiant ante consummationem, quando à principio factæ non sunt: ergo & ipsi coniuges peccant mortaliter consummando, iis non præmissis.

2. Verùm, his non obstantibus, Sotus, Ledesma, Rodriguez, Veracruz, & alij, quos citat, & sequitur Texeda *in Theol. moral. tom.*1. *lib.*4. *tract.*1. *n.*49. asserunt, contrahentes in tali casu non peccare mortaliter prima vice consummando matrimoniū ritè celebratum, iuxta determinationem Concilij, si contrahentes sint certi inter eos nullum subesse impedimētum. Probatur ex verbis Concilij, quæ talia sunt: *Vt si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes dimittantur.* Ex quibus Concilij verbis sic infero: ergo, cùm certum est, moraliter loquendo, nullum subesse impedimentum, non agunt contrahentes contra Decretum Concilij, matrimonio rectè, & benè celebrato, prima vice consummando illud, etiamsi id faciant absque causa; Probatur hoc: quia Concilium petit, quòd postquàm matrimonium est initum omissis denunciationibus, si id visum fuerit Ordinario expediens ante consummationem, tenentur contrahentes matrimonium publicare, quando dubitari potest de impedimento; ergo, si certum sit, nullum subesse impedimentum, non agūt contrahentes contra Decretum Concilij, ante publicationem prima vice consummando: quia vtuntur iure suo, & nemo vtens iure suo peccat.

3. Obiicit Sanch. Peccant mortaliter contrahentes contra Decretum Concilij, matrimonium

contrahendo, omissis absque causa denuntiationibus : ergo etiam peccant mortaliter contra Decretũ Concilij, si post contractum matrimonium illud prima vice consumment absque causa ante denuntiationes. Hoc est totum argumentum in forma huius moderni, quamuis illud satis dilatet, & confundat. Sed respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam : quia in primo casu Concilium absolutè præcipit non esse absque causa denunciationes omittendas, & ideò si absque causa contrahentes illas omittant ; antequam matrimonium contrahant, peccant mortaliter contra Decretum Concilij ; in secundo tamen casu Concilium Tridentinum satis se explicat, dum dicit: *Vt si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur.* loquitur enim sub conditione, quòd fuerit aliquod impedimentũ, quod detegi debet. Et ideò, si certè constet, nullum subesse impedimentum, contrahentes prima vice consummando non peccant, sicut nec secunda. Quare benè aduertit Caiet. *tom.1. opusc. tract.13. de vsu matrim. q.2.* quòd, quamuis ante Decretum Concilij Tridenitni matrimonium consummare ante denuntiationes esset illicitum, & mortalis culpa; post Decretum tamẽ Concilij, si matrimonium fuerit validè initum, illud consummare ante denuntiationes, nullum peccatum esset, dummodo adsint duo : Primum, quòd certum sit, nullum subesse impedimentum. Secundum, quòd contrahentes vtantur matrimonio cum intentione illud publicandi. Hæc omnia Texeda *vbi suprà*.

4. Sed extat dubium, an coniux teneatur debitum reddere alteri coniugi petenti ante denuntiationes? In qua difficultate affirmat Henriquez *in Summa, lib.11. de matrim. cap.16. num.1.* & asserit duo: Primum, non teneri coniugem reddere debitum. Secundum, quòd si fuerit matrimonium semel consummatum, reddere tenetur: sicut vouens Religionẽ, peccaret prima vice reddens; at deinceps reddere tenetur: quia semel consummato matrimonio, habent coniuges plenam potestatem, & vsum corporis. Idem tenent alij Neoterici docti : sed ducuntur hac ratione : quia iam hi violarunt Ecclesiæ præceptum nec possunt resarcire sicut qui die ieiunij primomane scienter comedit, deinceps non peccat, comestiones multiplicans. Sed meritò hanc sententiam impugnant Sanchez, *vbi suprà, n.5.* & Texeda *n.52.* quia eadem præcepti vis vrget in ordine ad denuntiationes omissas in prima consummatione, quæ in secunda : ergo, si in secunda tenetur coniux reddere debitum, tenetur etiam prima vice : vel si non tenetur reddere prima vice, neque etiam in secunda. Deinde, quia per matrimonium verè, & rectè contractum transfertur ius, quod habet quilibet coniux in corpus alterius : ergo matrimonio vtendo non peccat.

5. Ad exempla adducta respondeo, non esse similia : non enim est simile de Religionis voto: quia, semel consummato matrimonio, ratione fortioris matrimonij consummati vinculi, redditur vouens impotens ad implendum votum ; & ideò reddere tenetur : at verò, quia adhuc potest coniux implere præceptum Tridentini, abstinendo, donec fiant denuntiationes ; nec tenetur contra præceptum illud reddere. Nihil etiam probat secunda differentiæ ratio : quia ieiunium individuum est, nec commodam patitur diuisionem, cùm eius substantia in vnica comestione consistat : quare, ea fracta, deinceps obseruari nequit : at præceptum non consummandi matrimonium est diuisibile, vt præceptum abstinendi à carnibus : nam in qualibet copula militat eadem ratio Tridentini, vt probauimus : sicut ligatus castitatis voto peccat qualibet vice petendo ; non tamen peccaret qualibet vice comedendo, sed sola prima, si ieiunium vouisset.

6. Notandum est hìc obiter, quòd si contingat casus, in quo matrimonium statim contrahi bono communi, vel speciali contrahentium expediat maxime, neque sit recursus ad Ordinarium, qui in præ-dictis denuntiationibus dispenset, poterunt contrahentes absque vlla culpa matrimonium contrahere coram Parocho, & testibus, Parochusque, & testes adesse poterunt : quia leges ecclesiasticæ non censent eo rigore obligare, vt benè docent Sotus in *4. dist.28 quæst.1. art.2. concluſ.3.* §. *Ex his*, Ludouicus Lopez *1. part. instruct. c.39* §. *Ex prædictis*, Conineb *disput.27. de matrim. dub.5 num.12.* Sanchez, aliis relatis *lib.3. disp.10. n.27.* Layman *tract.10. 2. part. cap.4. n.10.* Indicat Guttierrez *cap.57. de matrim.* & docet Palaus *tom.5. disp.2. punct.13.* §.3. *num.3.*

RESOL. LXIV.

An prætermittere vnam de dictis denunciationibus sit peccatum mortale, vbi plura de denunciationibus?

Et an Parochus, qui id suo arbitrio fecerit, grauiter puniendus esset ab Episcopo?

Et notatur denunciationes non posse fieri extra Ecclesiam, etiam si locus sit aptus, vt ad multorum notitiam perueniant?

Et an vero in tribus diebus festiuis continuis, vt in Paschate possint fieri dictæ denunciationes?

Et an sit peccatum mortale, si Parochus efficeret dictas proclamationes in tribus diebus festiuis, sed interpolate? Ex part.3. tr.4 Ref.235. alias 236.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Sanchez *de matrim. to.1. lib.1. disp.5. num.8.* sed adiecsùs illum insurgit Basilius Pontius *de matrim. lib.5. cap.30. num.3.* & Coninch *de Sacram. disp.25. dub.5. num.51.* quia omissio vnius proclamationis non est materia leuis, vt constat ex fine, ad quem ordinantur ; quare Parochus, qui id suo arbitratu faceret, grauiter puniendus esset ab Episcopo. Neque satis erit ad excusandum à mortali culpa, quòd esset causa denunciationum in aliquo peculiari casu, vt dixi *suprà* vniuersè de legibus, in præsumptione fundatis. Ita Pontius.

2. Sed his non obstantibus, Sanchez opinionem ego probabilem existimo, quam tuetur post illum Barbosa *de potest. Episcop. part.2. alleg.32. num.4.* Guttierrez *de matrim. c.57. num.1.* & Villalobos *in sum. tom.1. tr.el.13. disp.24. num.5.* vbi ita ait: [Aunque Sanchez, que no seria pecado mortal dexar vna denunciation, donde mortalmente hablando no huuiesse peligro de impedimento, porque es leue materia, y partial del precepto.] Sic ille, & alij.

3. Nota etiam, quòd Pontius putat denunciationes non posse fieri extra Ecclesiam, etiamsi locus sit aptus, vt ad multorum notitiam perueniant, sed Villalobos *vbi suprà num.4.* contrarium docet, & citat Sanchez, quibus adde Layman *in Theol. mor. lib.5. tract.10. part.2. cap.4. num.10.*

4. Debent etiam fieri dictæ denunciationes in tribus diebus festiuis, sed Villalobos *loco cit.* asserit ex Sanchez, [que aunque no fuesse en fiesta, si estuuiesse iunto el pueblo de la manera que suelen las fiestas. se podrian hazer, porque malitia la misma razon, y se guarda el intento del Concilio.] Ita ille, sed contrariam docet Pontius *vbi suprà num.7.* Et an verò in tribus diebus festiuis continuis, vt in Paschate, possint fieri dictæ denunciationes, negandum est, & ideo Layman *vbi suprà*, ex respondendum

Sanchez

Sanchez notat oportere aliquod, saltem duorũ dierum interuallum, inter vnã, & alteram denuntiationem, intercedere, & ita docet Riccius *in praxi part.1. resol.224. n.4.* & Segura *in direct.indic.p.2.c.16.n.20.*

5. Notandum est etiam, quod Henriquez lib.11. *c.7. num.1. in glossa littera C.* docet quòd esset peccatum mortale, si Parochus efficeret dictas proclamationes in tribus diebus festiuis, sed interpolatè, v. g. in die Dominica facit vnam proclamationem, in altera verò minimè, & postea in aliis duabus Dominicis facit alteras duas denunciationes. Sed ego puto contrarium cum Villalobos *vbi suprà num.3.* ita asserente. [Ne sera pecado mortal, en no se hazer las denunciaciones en tres fiestas continuas, aunque no huuiesse grande espacio de tiempo entre la vna y la otra.] Vide etiam Coninch *de Sacrament. disp.27.dub.5.num.47.*

RESOL. LXV.

An denunciationes faciendæ sint in vtraque Parochia in qua diutius commorati sunt sponsi, vel sufficiat illas facere in Parochia in qua breui tempore commorantur? Ex part.3. tract.4.Res. 234. alias 235.

§. 1. FAciendas esse in vtriusque Parochiis, vbi diutiùs versati sunt, & principaliorem habuere larem, docet Sanchez *de matrim. tom.1. lib.3.disp.6. n.6.* & Coninch *de Sacram disp.27.dub.5.n.50.* Et ratio est, quia denunciationes efficiuntur, vt contrahentium impedimenta detegantur. At cùm breuem moram in aliqua parochia sponsi contraxere, ignoti sunt, & impedimenta ignorantur. Ergo, &c. Et ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem testatur Segura Daualos *part.2.direct.cap.16.num.19.*

2. Sed his non obstantibus, si ego, ait Basilius Pontius *de matrim.lib.5.cap.50.num.5.* viderem declarationem Cardinalium, istorum opinioni acquiescerem. Cæterùm neque lego in his quas ediderunt. Farinacius atque Rebellus, quin potiùs ex his quæ excusæ sunt, ego colligo in eis tantùm Ecclesiis debere fieri proclamationes, de quatum parochia sunt; nam cùm Concil. Trident. dicat eas debere fieri à proprio Parocho, declarant Cardinales propriũ Parochum esse, in cuius parochia contrahentes habitant, tempore, quo matrimonium contrahitur; & in alia declaratione expresè dicitur, vt quando matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, qui à paruo tempore in aliquo loco habitant, & non sunt de vagabundis, proprium Parochum esse, in cuius parochia habitant tempore quo contrahunt matrimonium. Existimo itaque de iure in prædictis Parochiis præcisè debere fieri; an verò in aliis, vt voluit Sanchez, etiam fieri expediat, relictum existimo Episcoporum iudicio. Hæc Pontius *vbi suprà*; sed tu tene sententiam Sanchez, quam nouissimè tenet Io. Maria Nouarius *in pract.iur. Pont. conclus.74.num.3.* & Barbosa *de potest. Episc. part.2. alleg.32.num.10.* Guttierrez *de matrim.cap.56. num.5.* & alij.

RESOL. LXVI.

An quando contrahentes sunt ex diuersis Diœcesibus, & Ordinarius vnius dispensat in denunciationibus, sufficiat hoc, ne fiant in Parochia alterius? Ex part.3. tr.4. Res.238. alias 239.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Sanchez *de matrim. tom.1. lib.7.disp.7.num.7.* vbi asserit, quòd quando contrahentes sunt ex diuersis diœcesibus, vtriusque Prælatum posse cum vtroque dispensare, & vnius dispensationem sufficere, quia in hac re coniuges censentur quasi vna persona, & ratione connexionis causæ vterque alterius Prælato censetur subiectus. Ita ille.

2. Sed Basilius Pontius *de matrim. lib.5.cap.31. num.9.* valde dubitat de huius dicti veritate, quia sæpe potest contingere, vt impedimentum; quod in vna diœcesi notum non est, sit notum in alia, & ita ex dispensatione denunciationum in vna diœcesi, non sequitur per connexionem, & colligationem aliquam, dispensatio in alia, in quo est valde diuersa ratio de matrimonio, & denunciationibus; nam in matrimonio, cùm sit necessariò vinculum duorum, necessariò etiam fit, vt qui vnum coniungere potest, possit & alium, est enim mutua coniunctio: at in denunciationibus non est ita necessaria colligatio, & consequentia, vt satis constat. Sic Pontius.

His tamen non obstantibus, sententiam Sanchez tenet Guttierrez *de matrim.cap.46.num.10.* Reginaldus *in praxi tom.2.lib.31. cap.32. num.232.* & Coninch *de Sacram.disp.27.dub.6. num.54.*

RESOL. LXVII.

An Ordinarius possit dispensare, vt omittantur denunciationes, & quid intelligendum est sub nomine Ordinary in Concilio Tridentino sess.24.de matrimon. cap.1.

Et quænam vero sint iustæ causæ, vt dispensetur in denunciationibus? Ex part.3. tractat.4. Resolut.236. alias 237.

§. 1. REspondeo, non posse Parochum omittere denunciationes, sed id spectare ad Ordinarium, si ipse expedire iudicauerit; quia non potest sine causa. Quænam verò sint iustæ causæ, vt dispensetur in denunciationibus, vide Basilium Pontium *de matrim.lib.5.cap.32.num.2.* & Layman *in Theol.mor. lib.5.tract.10.part.2. cap.4. num.11.* cum Coninch *vbi infra num.56.* Sed quis nomine Ordinarij intelligatur, vt possit dispensare in hoc casu, magna quæstio est, nam Sanchez *de matrim. tom.1. lib.3. disp.3. num.4.* Coninch *de Sacram. disp.27. dub.6. num.54.* & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episc. part.2.allegat.32.num.30.* putat sub nomine Ordinarij intelligi eos, quos quasi Episcopalem iurisdictionem habere dicunt Doctores.

Sup. hoc in nra lege latissimam doctrinam Res. 90. per totam.

2. Sed contrariam sententiam docet Basilius Pontius *de matrim. lib.5. cap.31. num.3.* vbi docet hanc potestatem dispensandi in denunciationibus solis Episcopis iure Tridentino concessam, & non his qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent, vt Abbatibus, aut Vicariis sancti Ioannis, vel similibus. Et ita determinauit sacra Cardinalium Congregatio his verbis. Non permittitur hæc facultas Commendatario, licèt eius Abbatia iura Episcopalia habeat, cuius Abbas appellatione Ordinarij venit, iuxta glossam *in cap.fin. de offic.ordin.in 6.* dixit enim sanctissimus Dominus noster, quòd Ordinarius hîc non intelligitur nisi Episcopus, attamen Cardinali Farnesio Farcensis Monasterij commendatario fuit permissum, non autem eius Vicario. Et hanc declarationem non solùm adducit Pontius, sed etiam Villalobos *in sum.tom.1.tract.13.diffic.23.num.6.* vbi tamen addit. [Vease lo que esta en pratica acerca desto que esso se prodra sequir.]

Sup. hoc in Res. not. præteritæ in §. Verum ex his.

RESOL.

RESOL. LXVIII.

An saltem Vicarius Episcopi possit dispensare, ne ex iusta causa denunciationes efficiantur?

Et breuissime notatur hoc non procedere in Vicariis foraneis. Ex part.3.tr.4.Resol.237. alias 238.

Quoad hoc infr. ex Resol. 90. lege latam doctrinam §. An verò, & seq.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam tenet Thomas Sanchez *de matrimon.tom.1.lib.3.disput.7. num.111.*quia hæc potestas in Tridentino conceditur Ordinario. Vicarius autem Ordinarius est: ergo, &c. Limitat tamen hanc sententiam Sanch. *n.*13.nisi Episc.hanc facultatem dispensandi sibi reseruauerit.

2. Sed aduersus Sanchez, contrarium docet nouissimè Basilius Pontius *de matrimon.lib.5.cap.31.*& ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem, testatur Henriquez *lib.11. cap.5. num.5.* Igitur sub nomine Ordinarij in hoc casu non intelligitur Vicarius Episcopi, & ita illum non posse has denunciationes remittere, nisi specialiter committatur.

3. Ad argumentum verò Sanchez respondetur quod Cardinales ad quos spectat declarare Concilium,declararunt,vt dictum est, in illis verbis Concilij non intelligi Vicarium. Et ea limitatio quam adducit Sanchez, sententiam ipsam, quam docet, euertit.Si enim Vicarius eo ipso quod Vicarius constituitur, habet à Tridentino potestatem denunciationes remittendi, non posset per Episcopum tolli, sicut quamuis resistat, & contradicat Episcopus, non potest tollere Parocho licentiam assistendi matrimonio, neque potestatem concedendi alteri licentiam. Quod ergo Episcopus denegare potest Vicario, cui generalem administrationem committit, signum est non esse illi concessum à Concilio, eo ipso quod Vicarius est.Et hæc omnia asserit Pontius contra Sanchez.

4. At non reticeam opinionem Sanchez tenere nouissimè Aloysium Riccium *in praxi tom.1.resolut. 226.num.2.*Coninch *de Sacrament. disput.27.dub.6. cap.55.* & Villalobos *in summa tom.1.tract.13.diffic. 24. num.7.* vbi sic asserit. [El Vicario general del Obispo tambien puede dispensar en las denunciaciones, porque es ordinario, como queda dicho, y el Concilio comete esto al Ordinario, saluo si el Obispo lo reseruasse, que lo puede muy bien hazer, como tienen Sanchez, y otros.] Sic ille, quos citat ad satietatem, & sequitur Barbosa *de potest Episcop. part.2. allegat.32. num.9.*

Quoad hoc lege doctrinã à §. Hæc autem. Resol. nor. præteritæ.

5. Notandum est tamen hanc sententiam non procedere in Vicariis foraneis,ita Guttierrez *in can. qq.lib.1.cap.19.num.16.*Didacus Spin.*de testam.gloss. 15. num.29.* & alij.

RESOL. LXIX.

An quis ex vi denunciationum teneatur denunciare impedimentum matrimonij occultum, quod non potest probare?

Et asseritur delato ad Ordinarium impedimento, si vnus tantùm testis sit absque aliis adminiculis, non posse interdici matrimonium,nec deberi. Ex p.3.tr.4. Resol.220. alias 221.

§. 1. HIc casus frequenter potest accidere,& affirmatiuam sententiam docet Sanchez *de matrim.tom..lib.2.disp.13. n.2.* qui citat Paludanum, Driedonem, Nauarrum, Couarruuiam, Guttierrez, Henriquez, Rodriguez, Vegam, & vtrumque Ledesmam, quibus ego addo Fagundez *prec.2. lib.6. cap.5.num.4.* Henriquez *lib.3.de pœnit.cap.21.n.3.* Aragon. *in 2.2.quæst.70. art.1.ad 2.argum.*Lopez *in instruct. part.1.cap.37.§. pen.*Layman *in Theolog.mor. lib.3.sect.5. tract.3.cap.4. num.9.* Barbosam *de potest. Episcop.allegat.96. num.51.* Genuensem *in praxi Archiepisc.cap.2. num.2.*Lazarium *de ministeriis, sect.2. quæst.12. num.23.* & Bonacinam *de matrimon. disp.2. quæst.6.punct.1.num.9.* vbi testatur de communi. Ratio est, quia ex *cap. præterea, de sponsa.* vnus testis sufficit ad impediendum matrimonium contrahendum, & hoc Barbosa *in collect.tom.2. lib.4.disinct.2. c.12.n.12.*cum Guttierrez *de matri.c.36.n.2.*& sequent. ampliant, etiamsi testis non fuerit citatus, sed per partem oblatus, & quamuis esset denunciator, seu accusator, allegaretque turpitudinem suam.

2. Sed his non obstantibus doctissimus Basilius Pontius *de matrim. lib.5. cap.34. num.5.* contrariam sententiam tenet, vbi sic asserit: Mihi placet sententia, quæ negat obligationem esse detegendi impedimentum matrimonij,si illud est omnino occultum,& ipse solus nouit; ita vt probari nullo modo possit. Quam sententiam tenuit Ioannes Maior *in 4. sent. distinct. 22.quæst.2.art.3* & eadem mihi sententia placet, eamque per partes explicare, & probare conabor, vt magis constet eius veritas. Ita Pontius qui posteà fusè hanc sententiam explicat, & probat,vnde quando acciderit casus, lege illum, & omnia solidè pertractata inuenies: nam ego in his meis laboribus breuitati studeo.

3. Nota etiam, quod dictus Basilius *num.11.* respondet ad argumentum contrarium desumptum ex *cap. præterea, de sponsa.* qui postea *in c.36. num.2.* sic etiam asserit,Delato ad Ordinarium impedimento, si vnus tantùm testis sit absque aliis adminiculis, censeo non posse interdici matrimonium, nec deberi per ea, quæ adduxi *supra cap.4.* vnus enim testis, etiam in causa matrimoniali non probat, etiam quoad effectum impediendi matrimonium, quidquid dicant multi; grauesque Doctores ita ille, quæ omnia valdè notanda sunt, quia noua, & practicabilia.

RESOL. LXX.

Pater volens impedire matrimonium filiæ contrahit Episcopum, vt interdiceret Parocho,ne tali matrimonio assisteret,& facta fuit interdictio,sed minimè observata est, tunc à me quæsierunt,an tale matrimonium fuerit validum?

Et quid, quamuis ea prohibitio à Pontifice Parocho facta esset?

Sed difficultas est, quid est dicendum,si Episcopus non solum interdicat Parocho,ne illi matrimonio assistat, sed etiam addit clausulam irritantem ipso facto matrimonium illud, si secus factum fuerit?

Ex quo infertur,an possit Episcopus prohibere Parocho, ne absoluat ab aliquo peccato,& irritet aliter factum?

Et quid est dicendum,si Episcopus Sacerdoti potestatem habenti audiendi confessiones fœminarum, prohibeat, ne illas audiat; an per illam simplicem prohibitionem, si confessiones fœminarum audiat, valida sint tales confessiones?

Et tandem docetur, non posse Episcopum matrimonij impedimenta constituere, inducere, nec apponere, quia potestas hæc iam reseruata est Summo Pontifici. Ex part.10. tr.13.& Misc.3.Resol.13.

§. 1. REspondi affirmatiuè. Nam cùm Parochus habeat à iure potestatẽ assistẽdi matrimonio,

fra in Resol. 85. §. vl. ad medium, & in alio §. eius annot. & lege doctrinã §. Quæro sextò. Resol. 88. & ad roborandã doctrinam huius quæst. Vide in tom. 7. tr. 1. resol. 159. & alias eius primæ not. & signãter sup. hoc eius §. Potest etiam, ante medium, vers. optimè docet. Et pro contento ad med. huius §. & vers. immo idem. in tom. 3. tr. 1. lege doctrinam resol. 92. & signanter §. 2. ad lin. 16. vers. & etiam Parroch, & pro contẽto post med. huius §. à vers. Hic fit, vt. in to. 7. tr. 1. Resol. 159. §. Potest etiã. ad med. vers. & inter alia. Pro contento in hoc §. Sed difficultas. infr. lege doctrinã §. Quæro sextò. Resol. 88. &c.

nio, non censetur restricta per illam simplicem prohibitionem. Sic Henriquez *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 4. Reginaldus *lib.* 3. *num.* 179. Guttierrez, *de matrimonio, cap.* 62. *num.* 25. Filliucius, *tract.* 10. *cap.* 6. *quæst.* 6. *n.* 215. & alij communiter. Et ita declarasse Sacram Congregationem Cardinalium, referunt Salzedo *in Practica Diaz, cap.* 73. §. *Primum dubium.* Petrus de Ledesma, *de Matrimonio, quæst.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 2. *versũ Primum dubium*, & Rodriguez, 1. *parte, Summæ in* 2. *editione, cap.* 219. *numer.* 4. & colligitur etiam *ex cap.* 2. *de Matrimonio contracto cont. interd. Eccles.* Immò idem dicendum est, quamuis à Pontifice ea prohibitio Parocho facta esset, vt benè probat Sanchez, *lib.* 7. *de Matrimonio, disp.* 2. *num.* 10. quia militat eadẽ ratio. Hinc fit vt si Episcopus Sacerdoti, potestatem habenti audiendi Confessiones, præcipiat, ne audiat Confessiones fœminarum, validæ adhuc sint Confessiones, illi factæ à fœminis: nam cum aliàs Sacerdos ille habeat potestatem, validè audiendi Confessiones, etiam fœminarum, non debet censeri restricta per illam simplicem prohibitionem, nisi expresè dicatur. Et hanc opinionem sequuntur Ioannes Medina, *tract.* 2. *de Confess. quæst.* 1. *de Sacerdotibus alienis per Paroc. eligen. ad finem*, Palatius *in* 4. *dist.* 17. *disp.* 7. *vers. Rursus etiam.* Henriquez, *lib.* 6. *de Sacram. cap.* 6. *num.* 6. vbi alios refert, Salas *de legibus, disp.* 16. *sect.* 10. *num.* 43. Ferdinandus de Castro, *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 2. *punct.* 9. *num.* 6.

2. Sed difficultas est si Episcopus non solum interdicat Parocho, ne illi Matrimonio assistat, sed etiam addat clausulam irritantem ipso facto Matrimonium illud, si secus factum fuerit. Sanchez *de Matrimonio, lib.* 3. *disp.* 32. *num.* 2. tenet in hoc casu Matrimonium prædictum fore irritum, ex vi clausulæ irritantis. Sed ego contrarium sentio, & puto tale Matrimonium esse validum, quia tenenda est illa opinio, Episcopum non posse condere leges irritantes: ergo neque poterit prohibere ne aliquod Matrimonium fiat, addendo clausulam irritantem, si secus factum fuerit. Patet consequentia. quia parum refert, siue prohibitio fiat per modum legis, siue per modum simplicis præcepti, vt fatetur idem Sanchez *lib.* 7. *de Matrimonio, disp.* 2. *num.* 13. Secundò, nam si Episcopus posset præcipere Parocho, ne certum Matrimonium celebrare præsumat, & irritare illud, si aliter fiat; poterit etiam prohibitionẽ facere ipsis contrahentibus, ne inter se Matrimonium ineant, & addere clausulam irritantem. Similiter, posset prohibere habenti votum simplex Castitatis, vel Religionis, ne vxorem ducat, & irritare matrimonium contra talem prohibitionem factum; & consequenter posset Episcopus in sua Diœcesi, statuere noua impedimenta irritantia matrimonium, præter ea, quæ ab Ecclesia statuta sunt, quod est manifestè falsum, vt benè probat idem Sanchez *d. lib.* 7. *disp.* 1. *num.* 9. *ex communi opinione.* Quod si dicas, potest Episcopus prohibere Parocho, ne absoluat ab aliquo peccato, & limitare aliter factum: ergo idem poterit in casu nostro; quia nulla sufficiens discriminis ratio, videtur assignari posse. Quoniam, sicut Parochus habet à iure, vt possit auctoritatem præstare matrimonio, contrahendo, ita etiam habet à iure potestatem absoluendi à peccatis, vt omnes concedunt. Respondeo esse disparem rationem: nam, cum Episcopus, iure permittente, possit sibi aliquos casus reseruare, etiam respectu Parochorum, vt dicunt communiter Doctores, & praxis ipsa testatur, eo ipso, quod prohibet alicuius casus absolutionem cum clausula irritante, censetur in actu exercito, sibi illum reseruare, & per consequens impedire iurisdictionem Parochi, ne ad eum casum se extendat. Hæc autem ratio non militat in casu matrimonij, quia nullo iure probatur, posse Episcopum id irritum reddere; supposito quod fiat cum omnibus solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis.

3. Nec aduersus superius dicta valet afferere, Pontium, Turrianum, Villalobos, Ochagauiam, Hurtadum, Sanchez, & alios, quos citat, & sequitur Leandrus *de Sacrament. tom.* 2. *disp.* 9. *tractat.* 9. *quæst.* 5. docere, posse Episcopum matrimonij impedimenta inducere, atque apponere: Nam contrarium tenet Suarez *de Cens. tom.* 5. *disp.* 7. *sect.* 4. *num.* 5. & Coninch *de Sacramen. disp.* 30. *dub.* 1. *num.* 3. & 8. Sed quicquid sit de iure, & ex vi sui muneris, hodie certum est, vt fatetur ipsemet Leandrus *vbi suprà quæst.* 6. & citati Doctores, non posse Episcopos impedimenta matrimonij constituere, quia potestas hæc apponendi impedimenta iam reseruata est Summo Pontifici: vnde satis remanet firmata nostra sententia contra Sanchez, nempè non posse Episcopum prohibere cum clausula irritante, ne Parochus assistat alicui matrimonio.

Sup. contento in hoc §. infr. in Resol. 95. cursim in fine, & latè in tom. 3. tr. 1. Resol. 88. signãter §. vlt.

RESOL. LXXI.

An propter magnam necessitatem possit contrahi aliquando matrimonium sine præsentia Parochi?

Et notatur, quod quando in articulo mortis quis vellet concubinam ducere, idque omnino videatur necessarium ad legitimandum prolem ex ea susceptam, & ad adimplendam fidem ei datam, posse Parochum omittere denunciationes? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 233. alias 234.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docuit Iacobus de Graffis *decis. quæst. lib.* 2. *cap.* 86. *num.* 9. vbi ait, quòd quando necessitas adeò esset vrgens, vt copia Parochi, & testium haberi non possit, vt puta quando quis est in articulo mortis, vel quando aliqua virgo sub tutela iniqui tutoris constituta timet quòd ipse eam viro ignobili, & indigno tradet in vxorem, posse quidem in his casibus, per mutuum consensum contrahi matrimonium sine præsentia Parochi.

Sup. contento in hoc. & seq. §. latè in Resol. seq. & in Resol. 1. post seq. post med. à vers. Vnde refellendus, & in tom. 3. tr. 1. Resol. 91. §. vlt. à princip. vsque post medium.

2. Sed aduersùs Graffium, & meritò, insurgit Petrus Cenedo *quæst.* 30. *n.* 15. & 16. vbi docet adeò strictè ad literam seruandum fore decretum Concilij Tridentini, videlicet vt nullo modo contrahatur matrimonium sine Parocho, & testibus, vt procedat ipsius decisio, etiam vrgente maxima necessitate; vt si morti vicinus vellet concubinam ducere, idque omnino videatur necessarium ad legitimam prolem ex ea susceptam, & adimplendam fidem ei datam.

3. Notandum est tamen cum Sarmiento *lib.* 1. *select. cap.* 16. *num.* 7. Henriquez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 7. & aliis, apud Cenedum *vbi suprà*, in supradicto casu, quando quis in articulo mortis contrahit, posse Parochum omittere denunciationes. Et hanc sententiam docet etiam nouissimè Layman *in Theol. moral. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. & alij penes ipsum.

Sup. hoc magis latè in Resol. 2. not. præteritæ, à principio, & vide §§. eius primæ annot.

RESOL. LXXII.

An ex aliqua iusta causa, & magna necessitate posset quis inire matrimonium absque Parochi præsentia?

Et pro praxi huius quæstionis adducuntur aliqui casus in textu huius Resolutionis, in quibus hoc fieri potest? Ex part. 10. tr. 13. & Misc. 3. Resol. 15.

§. 1. De

Alibi in Reſ. præterita, & in aliis eius Primæ annot.

§. 1. DE hac quæſtione alibi à nobis petractatum eſt ; ſed quia quando ego iterum aliquid pertracto, ſemper aliquid boni , vel noui affero: ideo nunc aſſero ad propoſitum dubium negatiue me citato, reſpondere Leandrum *de Sacram. tom. 2. tract. 9. diſp. 7. quæſt. 7.* qui poſtea *quæſt.* 8 quærit, an oppidis, aut pagis, vbi nequit haberi Parochus, nec de proximo ſperatur haberi, poſſit valide ſine ipſo matrimoniũ contrahi Et affirmatiue reſpondet cum Conninch, ſuppoſita quadam declaratione Clem. VII. ſecluſa tamen dicta declaratione, negatiuæ ſententiæ adhæret.

2. Sed nouiſſime doctus, & nunquam ſatis laudatus Pater Amicus, *in Cur. Theolog. tom. 9. diſput. 7. ſect. 13. num. 135. & 139.* affirmatiue reſpondet in tribus caſibus. Primus eſt quando Parochus haberi ſimpliciter non poteſt. Secundus, quando non ſine maximo, vel ipſius Parochi vel contrahentium periculo. Tertius, quando maxima vrget contrahendi neceſſitas, quæ vſque ad Parochi præſentiam differri non poteſt ; Quò ad priores duos, clara eſt ſacræ Cardinalium Congregationis deciſio, quæ conſulta ab Epiſcopo Tricaric. circa formam matrimoniorũ, quæ in partibus Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ contrahuntur, examinatis ac perpenſis rationibus ſibi ab Epiſcopo propoſitis, poſtquam declaraſſet, irrita eſſe matrimonia hæreticorum, celebrata coram Miniſtro hæretico, vel Magiſtratu in loco, vbi Tridentinum eſt publicatum, ſubiungit. Si verò Parochia, in qua fuit aliquando obſeruatum Decretum, proprio Parocho careat, & cathedralis itidẽ Epiſcopo, & capitulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nulluſque alius ibi ſit, qui vices Parochi, aut Epiſcopi ſuppleat, Matrimonium valet abſque præſentia Parochi, ſeruata tamen in eo, in quo poteſt, forma Concilij, nempe adhibitis ſaltem duobus teſtibus. Si verò extent quidem Parochus, & Epiſcopus, ſed nullo conſtituto Vicario, vterque metu hæreticorum lateat, ita vt vere ignoretur vbi ſit, vel eodem metu à Diœceſi abſit, nec ad alterutrum ſit tutus acceſſus, validum eſt Matrimonium contractum abſque Parocho, adhibitis tamen duobus teſtibus. Hæc Sacra Congregatio, quæ duos priores caſus hac ſua declaratione apertè comprehendit, vel quando Parochus ſimpliciter haberi non poteſt ; vel quando non ſine ipſius, aut contrahentium periculo. Neque ab hac ſententia alienus Sanchez, dum ex declaratione Clementis affirmat, valere Matrimonium abſque Parocho contractum in oppidis, aut pagis, vbi nullus Paſtor, aut vicem eius gerẽs haberi, aut in proximis locis adiri poteſt. Intelligi enim debet de aditu non ſolũ phyſico, ſed etiam morali, ſcilicet, vt Cardinalium Congregatio, abſque vitæ periculo. Eoſdem caſus admittere tenetur Layman, qui *lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 7. & 8.* docet, validum eſſe Matrimonium à Catholico ſine Parocho contractum, in locis, vbi expulſis Catholicis, nullus adeſt proprius Paſtor. Item Matrimonium eorum Catholicorum, qui inter hæreticos permixti viuunt, intelligendum, quando non eſt tutus acceſſus ad proprium Parochum, alioqui etiam ſi ſimul habitent cum hæreticis, tenentur Catholici coram proprio Parocho contrahere, ſi illum ſine periculo habere poſſunt. Item docet, poſſe Sacerdotem Catholicum aſſiſtere Matrimonio hæretici. Quod diſtinguo, ſi hæreticus ſeruet Tridentini Leges, alioqui ſi vellet contrahere contra Tridentini decretum in loco vbi illud eſt receptum, non poſſet Catholicus Sacerdos tali Matrimonio aſſiſtere, cum non poſſit aſſiſtere Matrimonio, in quo non ſeruantur Tridentini leges, vbi Tridentinum eſt receptum, eſſet enim cooperari in eorum peccatum, & Matrimonij inualiditatem.

Sup. his duobus caſibus infra in Reſ. 77. per totã, & in Reſ. & §§. eius duarum annotationum, & etiam pro omni doctrina ſeq. in hac Reſ.

3. In eadem ſententia venit Cardinalis Bellarminus ex quodam ipſius reſponſo dato Octauio Carafæ Nuntio Apoſtolico, quod refert citatus Sylueſter De Matrimoniis, inquit, contractis, vbi nulli ſunt proprij Paſtores, iam olim actum fuit cum S.D. N. & cum Congregatione Concilij Tridentini, & ſententia communis fuit, illa eſſe rata, nec ad ea tenere Decretum Concilij, cum in huiuſmodi locis obſeruari non poſſit. Non video ergo (concludit) cur ea Matrimonia non debeant tolerari, cum conſtet, Concilij Decretum, quod iuber Matrimonium fieri coram Parocho, non ſe extendere ad ea loca, vbi nulli ſunt Parochi. Hæc Bellarminus, qui hoc reſponſo excludit eorum effugium ; qui dicunt hoc factum eſſe Pontificis diſpenſatione: cùm verba Bellarmini ſignificent, ex ſenſu Pontificis, & Sacræ Congregationis, Decretum Tridentini ad eiuſmodi matrimonia non extendi.

4. Ex his duobus caſibus à Sacra Congregatione declaratis, colligo tertium : ſi non tutus acceſſus ad Parochum excuſat contrahentes, quo minus teneantur formam Tridentino in contrahendo adhibere, cur non excuſabit maxima neceſſitas, qualis eſſet, ſi contrahentes in metu mortis, vel amiſſionis proprij ſtatus, cum ingenti iactura ſubditorum, cogerentur contrahere abſque Parochi præſentia? vt ſi Princeps aliquis concubinam haberet, ex qua filium ſuſcepit, ſitque in euidenti periculo mortis, qui ſi abſque legitimo filio decedat, totus eius principatus cum maxima ſubditorum iactura deuoluatur ad Principem hæreticum: nec in huiuſmodi euentu poterit ille abſque Parocho Matrimonium cum concubina contrahere, legitimando filium ex ea ſuſceptum, qui poſſit Principatui ſuccedere, & ſubditos in vera fide, & Religione conſeruare. Quis negabit, hunc caſum maioris fore momenti, quam non poſſe ad Parochum tutum habere acceſſum ; quod ſi ille non cenſetur in Decreto Concilij comprehenſus, potiori ratione nó cenſebitur iſte. Itẽ ſi quis ad euitandam mortem, ſibi in aliquo iniuſtè intentatam, ni ſtatim contrahat, & conſummet Matrimonium, modo mors non intentetur in legis contemptum, poterit hic ſine Parocho contrahere. Ratio : potuit Concilium cum hac limitatione ſuum decretum condere. Quod cum hac illud condiderit, nobis perſuadet, tum relata Cardinalium declaratio, tum ratio ipſa, cùm non ſoleat Eccleſia ſuas leges tanto cum damno & detrimento ſubditorum ſeruandas ferre. Hucuſque Pater Amicus.

5. Sed circa declarationem Clementis VIII. ab Amico allatam, Hurtadus *de Matrimonio, diſp. 5. diffic. 3. n.* 10 dicit hanc declarationem fuiſſe diſpenſationẽ. At Caſtr. Palus, *t. 3. diſp. 2. punct. 13. §. 8. n. 8.* nó admittit dictam declarationẽ; tum quia conſtat authentice de prædicta declaratione ; vel diſpenſatione, tum quia eſto conſtaret, debebat publicari publicatione legis, ne legem vniuerſaliter latam reſtringeret vt ex communi firmat idem Palaus *tom. 1. diſp. 1. punct. 10. n. 5.*

6. Verum ſcirca omnia ſuperius dicta magis ample loquitur nouiſſime Martinus de San Ioſeph *in monita Confeſſariorum, to. 1. lib. 1. tract. 14. de Matrimonio, n. 5.* vbi me citato, ſic aſſerit. [Algunos Doctores, como ſon Veracruz, Sotus, Vega, Graffius, affirman que en caſo, que no puede ſer auido el Parroco, pueden los contrayentes celebrar ſin el Matrimonio delante de tres teſtigos, ſi los ay quando alguno eſtà en el articulo de la muerte, y ſe quiere caſar con ſu concubina, para cumplir la palabra, y legitimar los hijos, y en otros caſo ſemeantes, fundaſe eſta opinion, en que el Concilio no quiſo incluir caſos tan apretados, y dexarlos ſin remedio.

La

La verdad es, que es mucho mas probable, que ni aun en estos casos no valdrà el mutuo consentimiento de los contrayentes, sin presencia del Paroco, y testigos por la razon dada en el numero primero, de que no guardando en el la forma, corruit actus, y porque la palabra del Concilio: Omninò inhabiles reddit. No admite epicheya. Henriquez dixe que era mucho mas probable, porque no se puede negar, que la de Veracrux sea probable, y por tal la tiene Villalobos *tractatu 13. de Matrimonio, numer. 3.* y que tambien lo en los lugares de los herejes, y en las Indias, donde no ay copia de Pazocos, y que vn año entero no se puede auer, que aqui no se quiso prohibir totalmente el Concilio el Sacramento del Matrimonio, y ya hemos dicho diuersas vezes, que en caso de graue necessidad se puede seguir la opinion menos probable, y assi si el Matrimonio estuuiesse ya contraido sin Paroco en alguno destos casos se auia de sustentar, y defender, porque la opinion que defiende el Matrimonio ya hecho, aunque no la ampare mas que vn Doctor con alguna probabilidad se ha de defender contra la opinion de otros muchos, como dixe arriba. Ita ille.

Sup. hac opinione infr. in Resol. 74. prope finem, & in aliis eius vic. not.

7. Sed ego extra casus superiùs declaratos à Sacra Congregatione, & Clemente VIII. de quibus vide etiam Iacobum Marchant. *in Resolution. Pastor. tract. 8. c. 2. q. 1.* & Opatouium *de Sacrament. tract. de Matrim. disp. 2. q. 12. n. 110. & 111* Præpositum *in 3. part. D. Thomæ. q. 4. de Matrim. clandest. dub 8. per totam*, non audeo alios admittere, nec sententiam Veracruz, & aliorum puto probabilem, vt putat Martinus de San Ioseph: casum verò Patris Amici, tertio loco oppositum, nec reprobo, nec approbo, sed illius resolutionem Purpuratorum Patrum sacro consensu remitto. Sed post hæc scripta inueni Patrem Marchant. *in Tribun. Sacrament. tom. 3. part. 2. tract. 1. rit. 7. q. 9. & 10.* quæstionem huius Resolutionis latè pertractare, & ideò illum lege.

RESOL. LXXIII.

An in articulo mortis Parochus possit celebrare matrimonium sine testibus, & denunciationibus?

Et in corpore huius Resolutionis quatuor apponuntur casus, in quibus valet clandestinum coniugium, etiam sine Parocho, & testibus celebrato. Ex part. 5. tract. 3. Res. 98.

Sup. hoc supra in Res. 71. §. vlt. & ex Res. 62. lege eius §. vlt. & melius in §. vlt. Res. 63.

§. 1. Respondeo, quod si in articulo mortis quis velit contrahere cum aliqua, vel ad legitimandam prolem ex ea susceptam, vel ad tollendam infamiam, & dedecus fœminæ, vel simile incommodum, possunt licitè omitti monitiones ex licentia Parochi, si Ordinarius adiri commodè nequeat, quia tunc est euidens epiixia intentionis Concilij pro necessitate illius articuli, non tamen ex hoc sequitur licere in articulo mortis vnquam contrahere sine Parocho, & testibus, neque ad hoc potest dare licentiam Episcopus, quia hoc nunquam concessit Concilium Tridentinum Episcopo. Imò tacitè negauit, dum concessit posse remittere denunciationes, & nihil concessit circa præsentiam Parochi, & testium, quod est verum, etiamsi priùs matrimonium fuerit contractum inualidè coram Parocho, & testibus, si impedimentum est publicum, vel dispensatio est obtenta in foro exteriori. Et ita docet Zambranus *de sacrament. matrimon. cap. 7. dub. 3. n. 1. & 2.* Cui adde Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. to. 1. lib. 3. disp. 17.* quibus ego addo Marchinum *de peste part. 6. c. 4. n. 5.* vbi docet, quod si pestiferatus in articulo mortis velit concubinam ducere vel ad prolem legitimandam, vel ad maiorem suæ conscientiæ tranquillitatem, esse denunciationes relinquendas. Vide etiã Homobonum de bonis *in consult. to. 2. part. 5. resp. 310.* Marchantium *in resolut. pastor. tract 8. de denunciat. c. 1. q. 1.* Guttierrez *de matrim. c. 61. n. 4.* Hurtadum *de matrim. disp. 5. difficult. 3.* Coninch *de Sacrament. disput. 27. dub. 1.* Vnde est refellendus Sotus *in 4. distinct. 22. quæst. 1. artic. 2.* existimans esse casus aliquos, in quibus valeat clandestinum coniugium, etiam sine Parocho, & testibus celebrato, quam etiam sequitur Iacobus à Graffis *lib. 2. decision. aur. cap. 86.* Primus est, quando virgo sub tutela est iniqui tutoris, & clandestinè contrahit, ne tutor eam tradat viro ignobili. Item si quis lethaliter vulneratus fœminam concubinam, vt filios legitimos reddat, & faciliorem viam paret ad salutem, clandestinè cum illa contrahat, quia copia Parochi, & testium haberi non potest. Tertiò, si concubinarij iter facientes, vel alia ratione comprehensi, si in pericula ob concubinatum inciderent, subitò matrimonium contraherent secretò, vt affirmarent se esse coniuges. Quartò, si aliqui, quibus maximè expediret nubere, & valde metuerent illo tempore impediendos esse, ne contrahere possint, tunc secretò in matrimonium consentirent animo postea publicandi. Sed hæc omnia refelluntur à Pontio *de matrim. lib. 5. cap. 6. num. 3.*

Sup. hoc iã Res. 1. not. præteritæ, §. 1 & 2. & latè in Resol. præterita, & in tom. 3. tr. 1. Res. 91. §. 1. à principio vsque ad medium.

RESOL. LXXIV.

An habitantes in ea Parochia, vbi Concilium Tridentinum de clandestinis matrimonijs publicatum est, & seruatur, si transeat v. g. in Galliam non animo ibi habitandi, sed cum animo ibi contrahendi, ac mox ad locum habitationis redeundi, an inquam, in tali casu matrimonium sit validum?

Ex quo sequitur, cum statutum sit, vt quis semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, & vel ex consuetudine, vel ex declaratione Eugenij IV. peregrinus possit confiteri illi Parocho, in cuius Parochia habitat, non quidem ex commissione proprij, sed tanquam proprio Sacerdoti; ideò dicendum est, etiam si quis animo confitendi solùm illi Parocho eo accedat, & a sua domicilij Parochia recedat, illi etiam licet alteri confiteri, dum extra suam Parochiam est? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Res. 29.

§. 1. Nouissimè negatiuè respondet eruditus Franciscus Sylu. *in suis resol. variis, verb. Matrimonium* 8. Quia tales vel contraxerunt coram Parocho loci, ad quem venerunt, vel clandestinè: vtrumuis dicatur matrimonium est nullum, quia de illis ita contrahentibus verificatur quod aliter, quàm coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus contraxerint: nam Parochus in decreto Concilij, non intelligitur Parochus loci, in quo fit contractus, sed Parochus contrahentium, seu alterius eorum, vt ex contextu Concilij patet, & affirmatur à Nauarro *lib. 4. consiliorum, consil. 7. ad tit. de clandestina desponsatione.*

Sup. hoc inf. in Res. 78. & 89. §. Nota hic. & seq. & in tom. 1. tr. 3. Res. 117. in fine, & in to. 4. tr. 3. ex doctrina Resol. 163. signanter in principio §. Confirmatur.

2. Si dicas Decretum Concilij non habere robur in locis vbi non est publicatum, matrimonium verò de quo quæritur, esse contractum in loco, vbi non est publicatum. Respondetur, assumptionem esse veram respectiuè ad personas locis illis subiectas; scilicet, vt decretum non habeat robur in locis: seu in personis loca illa habitantibus, vbi non

est publicatum Concilium. Quantum verò ad loca, vbi fuit publicatum, in illis habet robur circa omnes eas personas, quæ talia loca inhabitant. Clausula enim decreti spectans eius publicationem designat tempus & loca, quando & vbi incipiat habere robur: personarum autem non facit expressam mentionem, & ideò intelligitur habere robur circa personas respectiuè ad tempus & loca, id est, personas comprehensas intra illud tempus, & intra illa loca, vbi ratione publicationis factæ cœpit obligare. Atqui personæ, de quibus quæritur, sunt comprehensæ intra tempus & locum, in quo facta fuit publicatio: ponuntur enim habitare in ea Parochia, in qua decretum est publicatum, & seruatur.

Sup. hoc infra in §. vlt. huius Resol. & in to. 1. tr. 3. Resol. 117 & si placet lege alias Resol. eius primæ not. quâuis pro reseruatis in istomet casu.

3. Confirmatur: qui de vna Diœcesi transit ad aliam eo animo, vt non confiteatur suo Parocho, sed Pastori Ecclesiæ eius ad quem venit statim postea reuersurus, non validè confitetur: & hoc ideò, quia manet subditus illi Parocho, & illi Ecclesiæ, vnde venit, & ad quem redit, & consequenter alius Parochus caret iurisdictione in ipsum, iuxta Suarez *to. 4. disp. 25. sect. 2. num. 9.* Vasquez *quæst. 93. art. 2. dub. 4. in fine*, & communem aliorum sententiam: ergo transitus in fraudem factus non facit aliquem non esse subditum loci, vnde venit, ac per consequens transeuntes de vna Diœcesi in aliam, non desinunt esse subiecti Diœcesi, ex qua veniunt, nisi veniant animo habitandi. Huc vsque Syluius.

4. Sed affirmatiuam sententiam tenet Coninch *de Sacram. disp. 27. dub. 1. n. 14.* & Ioannes Vviggers *de Sacram. ad supplementum 3 part. D. Thom. quæst. 50. cap. 5. dub. 14. num. 40.* cui adde Sanchez *tom. 1. lib. 3. disp. 18. num. 28.* Basilium Pontium *de matrim. lib. 5. cap. 9. per totam*, & alios penes ipsos. Et ratio est, quia Peregrini à domicilio absentes non tenentur legibus sui domicilij; si in loco, vbi se recipiunt, vigeant leges contrariæ, saltem quoad solemnitates adhibendas in contractibus. Deinde quando inhabilitas est constituta absolutè & simpliciter in aliaquam personam, tunc sequitur personam quocunque euntem; secus quando est constituta per modum legis: sicut enim lex illa non obligat in aliis locis, ita inhabilitas & annullatio actus non obtinent vim in aliis locis; neque sequuntur personam, nisi dum est in locis, in quibus ea lex vim obligandi habet: neque enim incipit ligare, & irritare immediatè & principaliter ratione personarum, vt notat Henriq. *lib. 11. cap. 3. num. 8.* Sed ob locum Parochiæ, vbi authoritate Ordinarij legitimè decretum est promulgatum. Vnde Concilium sic concludit: decernit insuper vt huiusmodi decretum in vnaquaque Parochia suum robur post 30. dies habere incipiat, &c.

5. Et hanc doctrinam veram esse dicendum est, etiamsi aliqui in fraudem legis Concilij Tridentini, & vt contrahant sine Parocho & testibus, eò proficiscantur, vt etiam docet Thomas Sanchez *disput. citat. num. 29.* Idque constat, tum quia contractus non læditur ex bona, vel mala intentione, ea enim permanet in affectu, nec transit in contractum exteriorem. Hinc enim communi sensu Doctores docent ex praua intentione non oriri restituendi obligationem, si reuera non est illatum damnum. Tum etiam, quia cùm quis vtitur iure suo, non dicitur dolo malo facere, textus *in l. nullus videtur 55. de regul. iur.* Nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur, & *leg. 3. §. is, tamen, ff. de liber. homin. exhib.* Dolo malo non videtur agere, qui iure suo vtitur; & *leg. cùm creditor 55. ff. de furt.* Cùm creditor rem sibi pignoratam aufert, non videtur contrectare, sed pignori suo incumbere: cum aliis citatis per glossam *in dicta leg. 3.* At iste vtitur iure suo, neque fraus illicita est, vel dolus malus, quia non est prohibitum aliò proficisci vbi liceat sine testibus & Parocho contrahere: igitur iste non facit dolo malo. Sicut si quia statutum est, ne Salmanticæ natus obtineat Collegium Salmanticense; & fœmina aliqua in fraudem legis egrederetur Salmantica partus tempore, in loco vicino paritura, iure suo vti diceretur.

6. Vnde ex his sequitur: Cùm *in cap. omnis vtriusque sexus de pœnitent. & remissionib.* statutum sit, vt quis semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti; & vel ex consuetudine, vel ex declaratione Eugenij IV. Peregrinus possit confiteri illi Parocho, in cuius Parochia habitat, non quidem ex commissione proprij, sed tanquam proprio Sacerdoti, &c. inquam, idem dicendum esse, etiamsi quis animo se solùm confitendi illi Parocho, eò accedat, & à sua proprij domicilij Parochia recedat: illi enim licet illud confiteri, dum extra suam Parochiam est. Et hanc omnia docet Sanchez & Pontius *vbi supra*; ex quibus patet responsio ad argumenta, quæ in fauorem suæ sententiæ adducit doctus Syluius. Quid ego sentiam dicam breuiter; fateor huic sententiæ affirmatiuæ me semper adhæsisse, tam vt ex multis obseruat Castr. Palaus *to. 1. disp. 2. punct. 2. n. 11. in effectu* opinionum illa est tenenda quæ fuerit vbique inconcussa; sed quia nouissimè Franciscus Zypæus in *consult. Canonicis, lib. 4. tit. de Sponsal. & matrimon. consult. 2.* testatur ann. 1628. Sacram Congregationem ipsi petenti respondisse, matrimonium de quo est quæstio esse nullum, ideo puto suppositâ dictâ declaratione à prima sententia non esse recedendum.

RESOL. LXXV.

An impedimenta matrimonij per Concilium sublata censeantur etiam sublata in Prouincia, vbi illud non est publicatum. Ex part. 6. tract. 8. & Miscell. Resol. 26.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet nouissimè doctus Franciscus Zypæus *in sui consultationibus Canonicis, lib. 4. tit. de Congregatione spirituali, consult. 1.* vbi sic ait. In lege derogatoria alterius legis quid prohibentis, aut irritantis promulgationem non ita solemnem, seu in singulis prouinciis requiri, sed regulariter sufficere factam in Curia, seu Concilio, sentit Vasquez *disp. 156. 4.* vnde dicendum est quòd, vbi Concilium Tridentinum non est publicatum, verbi gratia in Scotia, valida esse matrimonia contracta in 3. aut 4. gradu affinitatis ex copula illicita, vigore legis, *in c. 4. §. 12. de mat. Concil. Trid.* derogatoriæ veteris iuris impedimentum dirimens eo gradu etiam ex copula illicita statuentis: quia huiusmodi lex derogatoria extremam illam solemnitatem non exigit. Liberatio multis modis faciliùs contingit quàm obligatio, fauorabilis sanè est libertas omnis, quæ à natura est. Dum legislator quid iubet fieri, vt populus facere obligetur, meritò plura requiruntur quàm dum legislator tantùm tollit impedimentum, quod ipse actioni posuerat, permittit, quod vetuerat: eius hic tantùm voluntas notificata sufficit; sed dum subditorum actio exigitur, plura requiruntur, vt agere obligentur. Sed & res facilè dicitur reuerti ad primæuam naturam, & quod lubet agendi libertatem, contra quam prius illud ius matrimonij impedimenta induxit, quæ Trident. sustulit.

2. Neque his videtur obstare, quod Bulla promulgationis Concilij Tridentini indifferèter obser-

uanda proponit onerosa, & fauorabilia decreta, vt non liceat horum commodum sentire, quin illorum onus acceptetur, *cap. qui sentent. tit. de reg. in 6.* quia tametsi desideret Concilium omnium receptionem, & obseruantiam, tamen vbi non omnium obtinere potest, gaudet fieri saltem possibilium: vtile ab inutili non vitiatur: raræ sunt extra Italiam prouinciæ, vbi Concilium Tridentinum quoad omnia decreta sit receptum, minimè in Francia, sed neque quoad omnia in Hispania, aut Belgio; nemo tamen rectè negauerit, quoad aliqua recipi potuisse, & obseruari, quomodo refertur, & Pium V. declarasse Tridentinum quoad fauorabilia à Catholicis Angliæ obseruari posse.

3. Iterum neque mouet, actus non operari vltra intentionem agentium: at Pontificis Tridentinum promulgantis intentionem fuisse, vt Concilium locum haberet vbi Catholici sunt Episcopi, qui regimen spirituale exerceant: nam eorum opera receptionem fieri mandat, *sess. 25. cap. 2.* qui etiam discernant difficultates, quæ se possunt offerre, easque ad Pontificem referant. Qui parati sumus, inquit Bulla, omnium prouinciarũ necessitatibus ea ratione, quæ commodior nobis visa fuerit, prouidere: at illæ etiã contingere possunt circa obseruantiã fauorabilium decretorum; neque priuato arbitrio Catholicorum discernendum deferri debet, quæ recipi, quæ reiici debeant. Dum solet vulgus incertum esse, & studia, in contraria scindi. Vnde præsertim inter hæreticos Angliæ, etiam scandalum oriri posset. Quia respondendum est primò ex iis legibus priorum prohibentium, & irritantium derogatoriis nullam actionem deferri vulgo, omnem consistere in voluntate legislatoris, prohibitionẽ, obicem, impedimentum tollente; quia redit ad agendi quidlibet libertatem, quã sibi obtingere quomodocumque nemo queri potest.

4. Respondetur secundò, tametsi Concilium, & Pontifex desideret receptionem, & obseruantiam Concilij fieri per Episcopos; non tamen eas gentes, quæ sub hæreticis, aut infidelibus gemunt, excludi à solatio, & beneficio eiusdem Concilij, quin iis ad maiorem Dei gloriam in moribus, & directione, quantum per locorum, & temporum iniuriam licet, vti possint, Hucusque Zypæus.

5. Nec deseram hîc adnotare Zypæi sententiam tanquam probabilem ante illum etiam admittere ex Soc. Iesv Ioan. Præpositum *in 1.2. D. Th. q. 95. disp. 1. dub. 7. num. 27.* vbi ita asserit: Censent aliqui legem, quæ reuocat aliam irritatoriam, nõ obtinere vim in aliqua prouincia, si in ea non fuerit promulgata. Ratio est quod hæc lex reuocans ponat nouũ ius, quod probabiliter non ligat vbi non promulgatur. v. g. olim lex irritabat matrimonium contractum cum affine in tertio gradu ex copula illicita, quod impedimentũ sublatum est per Trid. *sess. 24. c. 4. de reformatione matrim.* seu lex quoad hunc gradum est reuocata. Censent verisimile, vbi lex Tridentini non est promulgata adhuc perdurare hoc impedimentum dirimens, etsi matrimonium initum cum tali affini in tertio gradu dissolueretur, & partes aliis coniungerentur, posterius matrimonium esse dissoluendũ.

6. Sed contrarium videtur verius quando lex reuocatoria nõ inducit aliquod onus, sed solùm reuocat ius antiquum, & restituit antiquæ libertati. Vnde licet ea lex dici possit nouum ius, id non refert, quia id solùm verum est, quod à legislatore ita sit sancitum, non autem quod aliquid imponat de nouo populum grauans.

7. Aduerte, cùm sentio non requiri promulgationem, non propterea sentio sufficere nudam internam voluntatem: is enim modus non sufficit ad directionem humanam, sed solùm existimo non requiri solemnem consuetam promulgationem, sed sufficere solam mentis declarationem, qua velit priori legi derogarę.

8. Ad id quod ex Trid. affertur. Respond. id fieri posse, quod vbi Tridentinum non est receptum, ius antiquum in suo robore permaneat. Censent tamen aliqui non esse dissoluendum quod reductio Concilij Tridentini etiam locum habere potuit, vbi Concilium non est promulgatum, quod non est improbabile. Ita Præpositus; cui etiam adde Malderum *in 1.2. D. Thom. q. 90. ar. 4. dub. 2.* Verùm licet hæc sententia affirmatiua non improbabilis mihi videatur, puto tamen eius resolutionem petendam esse à Summo Pontifice, vel à Sacra Congregatione Concilij Tridentini.

RESOL. LXXVI.

An clandestinè contrahens, copula interueniente teneatur saltem ratione iniustitiæ vir fœminam in vxorem ducere? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Resol. 72.

§. 1. NEgatiuam sententiã tenet Sanch. *de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 20. n. 5.* quando animo decipiendi sic contraxit, licet virginem defloraverit: quia quoties virgo intellexit, vel potuit & debuit intelligere se decipi, non tenetur deceptor eam ducere: sed in hoc casu fœmina scire debuit se decipi, cùm forma contrahendi matrimonium, tradita à Tridentino deficiat; & sit tam vulgaris, vt sit crassissima ignorantia id nescire. Ergo. Sup. hoc lege doctrinã Resol. not. sequ.

2. Sed plus addit, videlicet, non teneri eam ducere, licèt vero animo contraxerit illud matrimonium, & eam defloraverit. Probatur, quia non tenetur ratione contractus, qui prorsus irritus fuit; nec ratione iniuriæ illatæ, quia ipsa sciuit, vel scire debuit, matrimonium esse nullum, & pœna grauissima dignum. Et confirmatur, quia maiorem intulit iniuriam, quando fictè contraxit: nam vltra defloration em, interfuit iniuria doli: ergo si quando fictè contraxit, non tenetur, vt probaui, à fortiori quando verè: cùm in vtroque euentu contractus fuerit nullus, & in priori grauior fuerit iniuria. Confirmatur, quia secundum aliquos, certum est, promittentem consanguineæ matrimonium, si Papa dispensauerit, eamque defloratem non teneri, Papa dispensante, eam ducere, eo quod contractus est iure reprobatus: cùm tamen valde dubium sit, eum contractum esse reprobatum: ergo à fortiori in nostro casu non tenebitur, cùm constet matrimonium clandestinum iure reprobatum esse, & redditum prorsus nullum.

3. Sed his non obstantibus, affirmatiuam sententiam docet Texeda *in Theolog. mo. tom. 2. lib. 4. tract. 1. n. 88.* putat enim in tali casu virum teneri titulo iustitiæ ratione iniuriæ fœminæ illatæ, damnum illud compensare, vel illam ducendo, vel iterum matrimonium cum illa contrahendo: quia Concilium Tridentinum, statuens non valere matrimonium clandestinum, non abstulit à contrahentibus obligationem, quam aliàs alio titulo iustitiæ habebant. Nec valet si dicas fœminam illam fuisse conscią nullitatis illius matrimonij clandestini, & ideò sibi imputare debere damnum ex sua defloratione ortum: quia fœmina illa semper sperauit ab eo, cum quo contraxit, (& ob id se deflorandã obtulit) remedium, & sui status augmentum; imò & ratione promissionis implicitè, & contractus ibi reperti tenetur is, qui cum tali fœmina contraxit, vel illam per alium actum legiti-

mum matrimonialem ducere, vel ad dotem addere. Ita ille: qui etiam subdit, si contrahentes clandestinè tempore contractus intentionem habuere se obligandi eo modo, quo possunt, manere obligatos, non quidem in ratione contractus matrimonialis, cùm nullus fuerit; sed in ratione sponsalium, propter promissionem singularem in actu illo repert.ã; quia sponsalia non sunt prohibita clandestinè fieri: & ideò diximus, minorem sexdecim annorum solemniter profitentem, non manere voto solemni ligatum, attento decreto Concilij Tridentini; manere tamen voto simplici castitatis adstrictum, si tempore professionis intentionẽ habuit se obligandi eo modo, quo potest. Quod tamen ego iterum limito, dũmodò talis Professus tẽpore profitendi intentionem determinauerit ad profitendã castitatem, paupertatẽ, & obedientiam eo modo sibi possibili. Hæc Texeda.

Sup. hoc infra in Resol. 80. quamuis ibi copula non interuenerit pro hoc casu.

4. Quod tamen etiam, quoad hoc vltimum, non admittit Sanch. *n.6.* Quia contractus externus omninò nullus est; intentio autem sola sine actu externo valido intentionis significatiuo non potest obligare ad sponsalia, quæ sunt contractus inter homines. Nec obstat dicere, in matrimonio virtute claudi sponsalia, & ex alia parte adesse legitimam intentionem: quia, quando explicatur intentio inter puberes per sola verba de præsenti; consensus de futuro sub eo inclusus, omninò corruit: vnde sola manet intentio destituta signo aliquo externo sufficienti, ad producendam obligationem inter homines. Nec est simile de professione: quia obligatio voti simplicis est in ordine ad Deum, cui omne cor patet: quare sola intentio sufficiens fuit ad obligandum. Vnde ex his puto, vtramque sententiam, quoad omnia, tam Texedæ, quàm Sanch. probabilem esse.

RESOL. LXXVII.

An commorantes in terris Infidelium possint contrahere matrimoniũ, non seruata forma Concilij Tridentini?

Et docetur, & si in aliqua ciuitate Decretum Concilij publicatum fuerit, modo tamen expulsis Catholicis Sacerdotibus non adsint Parochi proprij, valide coram Hæretico prædicante, vel sine prædicante matrimonium contrahi. Ex part.6.tract.7. & Misc.2. Resol. 30.

Sup. hoc in Resol. seq. §. Ex superius. & seq.& infra in Resol. 89. §. Nota secundo.

§. 1. AD hoc dubium satis quidem practicabile sic respondet Pontius *de matr. lib.5. c.9. num.7.* Mihi fit valde verisimile eos, qui inter infideles commorantur, vel mercium congregandarum causa, vel alia ratione, aut inter Turcas captiui detinentur, etiamsi ex his locis sint oriundi, in quibus promulgatum & receptum est Tridentini Decretum, nó teneri contrahere iuxta formam à Concilio præscriptam. In eo enim casu locum habet Epiikeia, deficit enim lex contrariè, & vitiosa esset obseruatio legis, cùm vel compellendi essent vitam seruare cœlibem, vel auferendum illis, quod in remedium infirmitatis est, matrimonium. Curandum illis tamen, vt seruent antiquas leges Ecclesiasticas quoad fieri potest, scilicet testes adhibendo, quibus probari cõiugia possint: instrumenta etiam de eo publica conficiendo, quandoquidẽ nec Parochi copia, nec denũciationibus, ac benedictionibus Ecclesiasticis locus: facto etiam examine sufficienti, an illis obstet aliud Canonicum impedimentum. Hæc Pontius.

2. Nota verò quod ex rationibus supradictis Stephanus Bauny *in Theol. moral. part. 1. tract. 12. de matrim. clandestino, quæst.1.* & Layman *lib.5. tract 10. part.2.cap.4. num.7.* docent, etsi in aliqua ciuitate, Decretum Concilij publicatum fuerit, modò tamen expulsis Catholicis Sacerdotibus non adsint proprij Parochi, validè coram hæretico Prædicante, vel sine Prædicante matrimonia contrahi; quia veri speciem habet non modicam, Papam in decreto Concilij in huiusmodi euentu dispensare ob Presbyterorum inopiam. Secundò cùm in eorum defectu, ac rentiáque, Concilij Tridentini sanctio seruaret, abhorret à recto credere matrimonij capessendi libertatem impeditam esse. Verùm optarem hæc omnia à Summo Pontifice declarari, cùm Doctores communiter asserant nullum matrimonium inter Catholicos validè esse contractum sine Parocho & tribus

Sup. contra eo

RESOL. LXXVIII.

Ex Belgio ad locum, vbi Tridentinum non est susceptum, aliqui transierunt, vt ibi matrimonium clandestinum contraherent, quæritur, an fuerit validum?

Et cursim deducitur, quod in conflictu opinionum illa est amplectenda, quæ fauet valori matrimonij.

Et quid est dicendum de matrimonio Christianorum in terris Turcarum habitantium, an valide contrahant sine Parocho, & testibus?

Et quid de matrimonio Hæreticorum, non quidem in locis, vbi Tridentinum non est promulgatum, sed vbi iam promulgatũ est, & adhuc est Parochus Catholicus, qui possit assistere matrimonio; an valeat ibi contractum ab Hæreticis sine Parocho, & testibus?

Quæritur etiam, an tale matrimonium valeat celebratum coram prædicante, & Ministro hæretico, vel sine prædicante, & absolute sine vllo Ministro & Parocho? Et in §. Respond. huius Resol. aliqua cursim circa hoc resoluuntur ex Declaratione Sacræ Congregationis. Ex part.11. tr.8. & Misc.8. Resol.56.

§. 1. DE hoc casu à confessario contrahentiũ et Belgio per litteras interrogatus fui, qui adducebat duas meas Resolutiones, in quibus affirmatiua, & negatiua sententia habetur, & quidem pro negatiua maximam vim affert decisio Sacræ Congregationis ibi à me adducta; vnde hanc difficultatem perttractat Dicastillus *de Sacram. tom.3. tract.10. disp.3. dub.6. num.42.* vbi me citato sic ait. Addendum præterea videri posse cum Sanchez, Rebello, & Coninch locis citatis, adhuc verum esse, validè contrahi matrimonium ab incolis loci, in quo Tridentinum viget, in loco, in quo non viget, etiam si eò transierint ob finem clandestinè contrahendi, quidquid in contrarium dicant non pauci, quos refert Sanchez *supra num.29.* in quarte postea eundem Sanchez sequitur Pontius, quem refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.6. resolut.28. in fine,* & non solùm validè, sed licitè posse fieri seruando in aliis ius antiquum. Quamuis enim in eum finem transierint, vt non obligentur Tridentini decreto, quo obligabantur in proprio loco, cuius erant incolæ, non ideo obligatio legis ad ipsos, & cum ipsis transfertur ad locum, quò sunt profecti, neque censentur propriè id facere in fraudem legis. Habent enim ius eundi ad illum alium locum, qui autem vtitur iure suo, non censetur operari in fraudem: neque bona, aut mala intentio etiamsi sufficiat ad excusandum, vel committendum peccatum, sufficit ad annullandum, vel validandum actum, cùm intentio maneat in mente; neque effectum influat in opus externum. Ac proinde si matrimonium secluſa ea intentione esset validum, etiam cum illa validum esset. Post hæc scripsa

scripta incidi in huius rei quæstionem more suo erudite à Diana resolutam 6. *parte tract. at. septimo, resolut.* 29. vbi in fine fatetur semper fuisse huius sententiæ, non tamen putare iam recedendum à præcedente, quia nouissimè Franciſus Zipæus quem refert, testatur anno 1628. Sacram Congregationem ipſi petenti respondisse, matrimonium, de quo est quæstio, esse nullum. Verùm adhuc non video hoc testimonium satis esse, quia plura possunt concurrere in tali casu particulari, vt ita censeret Congregatio, Quidquid sit de auctoritate priuatæ cuiusdam responsionis ad priuatam interrogationem: & ideo post hæc tenet Perez hoc ipsum *disp.* 39. *sect.* 3. *num.* 5. propter rationem datam. Decisionibus autem Cardinalium sæpè opponuntur Doctores, imò Decisiones sibi sunt contrariæ frequenter. Quid ergo fit? Multò magis iam in hac re vrget similis alia resolutio Cardinalium, qua resoluunt sic transeuntes non validè contrahere. Quæ resolutio robur accepit maximum ex Breui Pontificio Vrbani Octaui ad instantiam Archiepiſcopi Colonienſis, dato 1627. 14. die Augusti, vbi cùm Eminentissimi in sua responsione dixissent suam sententiam circa tria quæsita, quorum primum, & secundum erat an tales retinentes domicilium in loco, in quo Concilium in hoc puncto est promulgatum, validè possint contrahere, vbi non est promulgatum: Item si solo animo absque Parocho, & testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes. Responderunt ad primum, & secundum, non esse legitimum matrimonium inter se contrahentes cum fraude. Hanc responsionem Pontifex laudat, & approbat in illo Breui dum ait, Resolutionem huiusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus. Subiungit deinde omnes firmitates adhiberi solitas eiusmodi Breuibus, & Bullis cum derogatoriis contrariorum quorumcumque etiamsi scienter, vel ignoranter à quoquam contingat aliquid in contrarium attentari: Huic resolutioni, quæ iam ipsiusmet Pontificis est standum erit. Solùm aduerto, quod cùm declaret non esse legitimum, addita illa particula *cum fraude*, (quæ tamen in quæsito non continebatur) requiri videtur fraus. Vnde si non adsit animus fraudulentus, sed existimatio, quod hoc fieri sic possit, non apparet, cur sit inualidum matrimonium ex vi huius declarationis. Item si (vt supra indicabam) ille animus non significetur exterius, sed sine vllo signo externo sola sit interna intentio, non est fraus, quæ possit iudicari in foro externo. Vix tamen potest contingere quod sic facientes, non præbeant aliquod signum externum talis animi, & finis. Res itaque iam est valdè periculosa, & tale matrimonium rebus vt nunc, valdè dubium, aut inualidum (probabiliter saltem) vt sic maneat porta ad resiliendum, nisi reualidetur legitimè, aut ad iudicandum contra illud. Hucusque Dicastillus.

Quæ hic est supra Resol. 74. & in Resl. not. præteritæ, & infra in Resl. 89. §. Nota hic. & seqq. & in tom. 4. tr. 3. ex doctrina Resol. 163. signanter in principio §. Cõfirmatur.

Sup. hoc supra in Resol. 74. §. vlt. prope finem & in aliis eius annot.

2. Verùm ego considerabam in casu proposito, quod in conflictu opinionum illa est amplectenda, quæ fauet valori matrimonij, vt communiter asserunt Doctores. Ergo in casu nostro amplectenda esset opinio affirmatiua; Nec obstat declaratio Sacræ Congregationis, quia de illa non constat authenticè, & si constaret, non desunt Doctores asserentes non esse necessariò standum illi, licet ego contrarium sentiam. Sed hic non obstantibus ego rescripsi consulentibus quod ad Sacram Pœnitentiariam recurrerent.

Sup. hoc in principio

3. Ex superius verò dictis oritur quæstio, quid dicendum de matrimonio Christianorum in terris Turcarum habitantium an validè contrahant sine Parocho, & testibus. Negat Petr. Ledesma *quæst.* 45. *artic.* 5. quia prædicti non habent Parochiam nisi in propria Prouincia, in qua nati sunt, in ea verò Decretum Tridentini obligat. Quam sententiam etiam approbat Henriquez *lib.* 11. *cap.* 3. quando prædicti Christiani habitant in illis Prouinciis infidelium absque animo ibi permanendi; tunc enim retinent propriam Parochiam in propria sua Prouincia, in qua viget Tridentinum. Idem quoque sentiebat olim Vasquez dummodo ante profectum dictorum Christianorum ad infideles Decretum Tridentini iam vigeret in sua Prouincia, & Parochia, secus verò, si nondum vigebat.

Resl. præteritæ, & infrà in Resl. 89. §. Nor secundo.

4. Verùm mihi magis affirmatiua sententia placet; dico igitur absolutè, & absque vlla distinctione, matrimonium horum captiuorum esse validum, præsertim si non interueniat fraus, de qua diximus, qua non interueniente non declarat, aut decernit aliquid in contrarium declaratio Cardinalium; & eis roboratio facta in breui Pontificio ibi citato. Ideo etiamsi in his Prouinciis absque animo ibi permanendi tunc sint, & quamuis eò venerint post receptionem Tridentini in sua Prouincia validè contrahent sine Parocho, & testibus. Ratio est quia contrahentes quoad contractus sortiuntur forum loci in quo contrahunt, & tantùm legibus illius loci contrahere debent etiam si tantùm transeunter, & per modum hospitij ibi sint: ergo prædicti validè celebrant contractum matrimonij in illis locis, etiamsi careant solemnitate Parochi, & testium, quæ solemnitas ibi necessaria est. Et ideò hanc sententiam docet Martin. Perez *de matrim. disp.* 39 *sect.* 6. *num.* 4. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 18. *n.* 15. Pontius *lib.* 5. *cap.* 9. Rebellius *lib.* 2. *quæst.* 7. *sect.* 3. & alij.

5. Posset etiam aliquis hic quærere de matrimonio Hæreticorum non quidem in locis vbi Tridentinum non est promulgatum; sed vbi iam promulgatum est, & adhuc adest Parochus Catholicus, qui possit assistere matrimonio, an valeat ibi contractum ab Hæreticis sine Parocho, & testibus. Quæri ergo potest, an tale matrimonium valeat celebratum coram Prædicante, & Ministro Hæretico, vel absolutè sine vllo Parocho? Ad hoc dubium sic respondet Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 7. & si in aliqua Ciuitate Decretum Tridentini promulgatum fuerit, modò tamẽ, expulsis Catholicis Sacerdotibus absint proprij Pastores, valide sicut prius coram Prædicante, vel sine Prædicante matrimonia contrahi poterunt. Cum enim in his locis tali rerum statu decretum Tridentini seruari non possit, non est existimandum libertatem matrimonij validè contrahendi impeditam esse: sicuti Cardinalis Bellarminus respondet apud Chapeauille *cap.* 6. *q.* 15. hæc Laym. & postea subiungit, licet in Ciuitatibus Germaniæ quibus Lutherani cum Catholicis permixti viuunt, v. g. Augustiani Ciues, reuera in spiritualibus subsint Episcopo suo, imò etiam Parocho Augustano; tamẽ existimandum non est Summorum Pontificum voluntatem esse, vt Tridentini decretum se extendat ad matrimonia illorum sine legitimo Pastore celebrata, ne multa incommoda oriantur, si eorum filij legitimè nati non sint, nec capaces officiorum, dignitatum, & Sacrorum Ordinum. Hæc etiam Layman.

Sup. hoc infrain §. Nec. huius Resol. & in alio §. eius annot.

Sup. doctrina seq. ab hinc vsque ad fin. huius Resl. leg. §. vlt. Resl. præteritæ, & §. 1. Resol. seq. & supr. ex Resl. 72. à §. Sed nouissimè & §. not. seq. huius Resl.

6. Nec à supradictis dissentire videtur Tannerus *to.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 3. *dub.* 9. *n.* 122. vbi loquentes de matrimoniis Hæreticorum sic ait: In locis verò, & Parochiis, vbi Concilium Tridentinum est promulgatum, & Hæretici impunè inter Catholicos tolerantur, nec dum quidem inualida censeri à Doctoribus, quamuis sine vero Parocho contrahantur

Sup. hoc lege Resl. not. præteritæ, & infra ex Resl. 89. §. Sed limitandã.

propter tacitam dispensationem Pontificis, qui scies eiusmodi matrimonia, non contradicit, neque irrita declarat. Hæc Tannerus. Quam doctrinam docuerat prius idem Auctor anno 1601. *disput. de matrim. Thes.* 56. quam loco citato refert. Et hæc omnia non displicent Dicastillo *de sacram. tom.* 3. *tract.* 10. *disp.* 3. *dub.* 10. *num.* 84.

7. Verùm post hæc scripta inuenio Hermannum Busenbaum *in medul. Theol. mor. lib.* 6. *tr.* 6. *c.* 3. *dub.* 2. circa præsentem difficultaem sic asserere: Quæres quid censendum de matrimoniis, quæ concontrahuntur in partibus hæreticis.

8. Respond. circa ea Congregatio Cardinalium resoluit sequentia. Primò vbi hoc decretum Concilij nondum publicatum est in Parochia, verbi gratia in Saxonia, & Anglia, valere matrimonium contractum absque forma præscripta. Publicatio autem decreti facta præsumitur, si id aliquo tempore in Parochia tanquam decretum Concilij fuit obseruatum. Secundò, hæreticos, in quorum Parochia dictum decretum fuit publicatum, verbi gratia in Hollandia, Frisia, &c. teneri formam præscriptam seruare. Vnde consequenter ipsorum matrimonia absque forma Concilij, quamuis coram Ministro hæretico, vel Magistratu contracta, videntur esse nulla. Layman tamen *lib.* 5. *tit.* 10. *part.* 1. *cap.* 4 putat eam non esse mentem summorum Pontificum propter grauissima incommoda inde subsequutura. Tertiò si Parochia, in qua aliquando decretum fuit obseruatum, proprio Parocho, & Episcopo careat, nullusque istinc sit, qui vices Episcopi, vel Parochi suppleat. matrimonium valere absque præsentia Parochi, seruata tamen in quibus potest forma Concilij, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Item est si Parochus, & Episcopus metu hæreticorum lateat, ita vt verè ignoretur vbi sit, vel eorum metu absit à Diœcesi, & ad neutrum sit tutus accessus. Et hæc omnia obseruat Busenbaum *vbi suprà*.

9. Vide etiam circa præsentem quæstionem Stephanum Baunium *in Theol. mor. tom.* 1. *tract.* 12. *de matrimon. clandest. quæst.* 1. Et hæc omnia adnotare volui in gratiam Lectorum, quia passim in aliis Auctoribus non inueniuntur pertractata, & propter plures casus, qui Romæ passim in dies veniunt discutiendi ex Germania, Hollandia, &c.

RESOL. LXXIX.

De quodam matrimonio in Hollandia contracto, & de quadam Monialis professione postea post dictum matrimonium facta.

Et deducitur, quod si aliquis emisisset professionem cum conditione, pacto, seu modo de retinendo, seu habendo proprio independenter à Superiore, dicta professio non valet, &c. Ex part. 11. tr. 6. & Misc. 6. Resol. 1.

§ 1. CAsus ad me adductus non est ita clarè, vt ego desiderarem expositus: reducitur tamen ad duas difficultates, videlicet ad nullitatem matrimonij carnalis, & spiritualis. Et quoad primum respondeo, casum decidendum esse ex verbis declarationis factæ Congregationis Concilij sub die 19. Ianuar. 1605. ad Episcopum Tricatiensem tenoris sequentis: *Si verò Parochia, in qua fuit aliquando obseruatum decretum, Parocho careat, & Cathedralis itidem Episcopo & Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi, aut Episcopi suppleat. matrimonium valet absque præsentia Parochi, seruata tamen in eo, in quo potest, forma Concilij, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Si verò extent quidem Parochus, & Episcopus, sed nullo constituto Vicario, vterque metu hæreticorum lateat, nec ad alterutrum ius tutus accessus, validum est matrimonium absque Parocho, adhibitis tamen duobus testibus.* Hæc ibi, in quibus verbis duas firmo Conclusiones: Prima, si constet decretum esse publicatum, sed Ecclesia Parochialis careat Parocho, & Cathedralis Episcopo, & Capitulo habentibus facultatem delegandi alium Sacerdotem, & nullus sit alius, qui vices Parochi suppleat, matrimonium clandestinum sine præsentia Parochi validum erit, modò seruetur forma præscripta per Concilium quantùm fieri potest, scilicet adhibendo duos testes. Secunda, si exter quidem Parochus, & Ordinarius, sed vterque nullo constituto Vicario lateat propter metum hæreticorum, & ignoretur vbi sit tutus ad eum accessus propter prohibitionem sub graui multa, valebit matrimonium contractum sine forma Concilij, adhibitis testibus duobus. Itaque assero si aliqui in partibus Hollandiæ, vel aliis matrimonium contrahant absque præsentia Sacerdotis habentis potestatem matrimonio assistendi, vel eo quod nullus sit talis, vel vtè ignoretur, vel non sit tutus ad illum accessus, validum futurum matrimonium; non futurum autem validum, si possint talem Sacerdotem sine magno periculo adire, & coram eodem contrahere. Et ita hanc sententiam, vt supra explicatam in terminis terminantibus loquendo de matrimoniis contractis in Hollandia, tradit, & tenet Ioan. Præpositus in 3. *part. D. Thom. quæst.* 4. *de matrim. clandest. dub.* 8. n. 30. Petrus Marchant *in Tribun. Sacram. tom.* 3. *p.* 2. *tract.* 1. *tit.* 7. *quæst.* 10. *conc.* 5. Amicus *in curs. Theolog. tract.* 9. *disp.* 7. *sect.* 53. *à num.* 135. & Lessius *post p.* 2. *D. Thomæ in Auct. cas. conscien. verb. matrim. dub.* 1. *num.* 35. & 36. Vide etiam Franciscum Syluium *in supplem. ad* 3. *part. D. Th. q.* 43. *art.* 5. *quæritur* 4. *in* 3. *editione Duacena*, Eligium Bassæum *in floribus Theolog. Pract. verb. matrim.* 5. *num.* 1. Guillelmum Mercerum *in supplem. ad* 3 *part. D. Th. quæst.* 60. *dub.* 2. Ioannem Vvigers *in supplem. ad* 3. *part. D. Th. q.* 50. *cap.* 5. *dub.* 14 *num.* 44. Iacobum Marchant *in qq. Pastoralibus tract.* 8. *c.* 2. *quæst.* 2. Adamum Oparouium *de Sacram. tr. de matrim. disp.* 2. *quæst.* 112. *num.* 10. & 11. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. Chapeuillam *de Sacramentis ministran. tempore pestis, vbi de matrim. q.* 15. Respondeo igitur ex his ad difficultatem propositam, quod si oratores, qui contraxerunt matrimonium in Hollandia potuerant habere Parochum, vel alium Sacerdotem delegatum, modo quo supra dictum est, absque eorum præsentia, & testibus contraxerunt, matrimonium quidem fuit nullum, sin aliter, matrimonium fuit validum, dummodo saltem coram duobus testibus contraxissent.

Sup. hoc primo casu supra in Resol. 77. §. vlt. & in Resol. 78. §. Posset etiã, à lin. 7. & §§. seqq. & in Resol. 72. §. Sed nouissimè.

2. Ad secundum verò dubium, respondeo, quòd si dictum matrimonium fuit validum, vtique professio subsequens erit inualida ex communi sententia Doctorum apud Patrem Lezanam *in Summa tomo* 4. *verb. Professio regularis n.* 15. Si autem dictum matrimonium fuit nullum, videnda esset forma professionis emissæ; nam vt obseruat Pater Bordonus *in Consiliis Regularium, tom.* 2. *resolut.* 92. *num.* 1. in aliquibus Religionibus, quando emittitur professio, exprimitur tantùm votum obedientiæ, sub quo tamen includitur votum castitatis, & paupertatis. Sed liberat nos ex istis tricis factum exhibitum ab ortrice; nam videtur supponere se emisisse professionem absque animo obseruandi paupertatem, vt de facto retinuit sibi annuos redditus disponendos ad sui libitum absque licentia superioris, si, inquam, talis professio, ita emissa fuerit, non est ambigendum

dum fuisse inualidam, ex *cap. cum ad monasterium de statu monachor. in fine*, & ex Concil. Tridentin. *sess. 25. cap. 1. de Regularibus.* Quod obseruant communiter Doctores, & Garzias *in Polit. Regul. tract. 3. difficult. 1. dub. 4. num. 1.* Sanchez *in Summa tom. 2. lib. 5. cap. 1. num. 16.* Bordonus *in Consiliis Regularibus, tom. 2. resol. 85. num. 5.* & alij, asserentes, professionem validam constitui ex tribus votis, Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis; vnde sequitur, quod si aliquis emisisset professionem cum conditione, pacto, seu modo de retinendo, seu habendo proprio independenter à superiore, dicta professio non valeret, vtpotè contra substantiam illius. Et ita ex Abbate, Menochio, Spino, & aliis resoluit Aloysius Riccius *in Decisionibus Curiæ Archiepiscopalis, part. 4. decis. 340. n. 11.* Quibus adde Vecchium *in praxi nouitiorum, disp. 13. dub. 1. num. 11.* Hieronymum Rodriguez *in Compendio resol. 102. nu. 58.* & Lessium *de Iust. lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 62.* Itaque si Orattix emisit professionem cum intentione non vouendi paupertatem, & cum retentione annuorum redditum absque dependentia Superioris, dictam professionem fuisse inualidam dicendum erit. Ita ego sentio, suppositis tamen veritate facti, ita etiam senserunt interrogati de hoc casu Pater Valentinus Mangionius Societatis Iesu & P. M. Lezana Carmelitanus, viri doctissimi, & amicissimi.

RESOL. LXXX.

An matrimonium contractum sine præsentia Parochi, & testium transeat saltem in sponsalia de futuro?

Et an hoc procedat, etiam si illud matrimonium fuerit iuramento confirmatum?

Et an dicti contrahentes possint discedere à tali contractu matrimonij sine vlla iudicis authoritate, & cum aliis contrahere, nec indigent iuramenti absolutione? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 257. alias 258.

Sup. contento in hac Resol. supra lege doctrinam Resol. 76. per totã, quamuis ibi copula interueniente in hoc casu.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Henriquez *lib. 11. cap. 5. num. 4.* Vega *in sum. tom. 2. cap. 34. cas. 25.* Layman *in Theol. moral. lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 1. num. 18.* Coninch *d. disp. 21. dub. 4. concl. 18.* Rebell. *part. 2. lib. 2. quæst. 9. num. 3.* & alij.

2. Sed opinionem contrariam tenendam esse existimo, quam tuetur Guttierrez *de iuram. confirm. part. 1. cap. 51. num. 26. & seq.* Spino *de testam. gloss. 15. num. 75. & seq.* Ledesma *de matr. quæst. 45. art. 5.* & alij, quos citat Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 32. num. 143.* & ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem testatur Petrus de Cenedo *in 99. canon. quæst. 30. num. 28.* & hæc sententia procedit, etiamsi illud matrimonium fuerit iuramento confirmatum, vnde dicti contrahentes possint discedere à tali contractu matrimonij, sine vlla iudicis auctoritate, & cum aliis contrahere, nec indigent iuramenti absolutione. Et ratio horum omnium est, quia attento decreto Concil. Trident *sess. 24. cap. 1. de reform. matr.* tale matrimonium non solùm non tenet tanquam de præsenti, sed neque etiam tanquam sponsalia de futuro. Nam cùm sic contrahentes peccent, & contraueniant dispositioni Concilij, & præcepto superioris videntur potius facere actum illusorium, quàm aliquo modo validum. Ergo, &c.

RESOL. LXXXI.

An Parochus communiter ita reputatus sine tamen titulo, qui à principio fuit intrusus, valide matrimonio assistat?

Et quid, si à contrahentibus inhabilitas cognoscatur?

Et resolutio harum quæstionum pendet ex illa, an aliquis sine titulo, & authoritate Superioris in officio iudicis, Parochi, aut Confessoris se intrusit, si tamen communis error accedat, gesta per illum quoad vtrumque forum spectantia valida sint? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Resol. 45.

§. 1. NEgatiuam sententiam mordicùs tenet nouissimè amicissimus Pater Perez *de matr. disp. 40. sect. 5. num. 5.* & alij, cuius sententiam existimo communem, & probabiliorem.

Sup. hoc inf. in Resol. 91. §. Et tandem, & in tom. 1. tr. 3. Resol. 19. & in Resol. 20. §. Imò, & sequ. & ex doctrina Resol. 21. & in tom. 3. tr. 1. Resol. 5. à §. Sed difficultas, & in 10. 8. tr. 1. Resol. 5. §. Sed audiamus, cursim ad medium, vers. Insuper.

2. Affirmatiuam tamen Basilij Poncij, & aliorum, puto satis probabilem esse, quicquid parum modestè nominatim contra me dixerit Escobar à Corro, & ideò iterum contra illum adducam duos præstantissimos Theologos Societatis Iesu: sic itaque respondens ad casum propositum *in titulo huius Resp onsionis* asserit Castr. Pal. *tom. 5. disp. 2. punct. 13. §. 10. num. 9.* [Si Parochus intrusus sit in beneficium absque titulo à legitimo Superiore concesso, communis sententia tenet, nullatenus valere matrimonium, cui ipse assistit: quia deficit titulus coloratus, quem ius requirit, vt gesta ab inhabili valida reputentur, vt latè probat Sanchez *d. disp. 22. n. 49. & 50.* tametsi probabile sit, & rationi consonum solùm communem populi errorem sufficere ad iurisdictionem concedendam, vt latè probat Basilius Ponce *lib. 5. cap. 20. num. 2.* quia præscriptione, & consuetudine iurisdictio acquiritur; eamque tribuere potest, qui est in possessione delegandi, tametsi verum titulum non habeat: arg. text. in Auth. *de Tabellionib. seu nouella 44. cap. 1. in fine*, ibi: *Documentis propter vtilitatem contrahentium non infirmandis: quippe vtilitati publicæ maximè expedit, ne gesta ab eo, qui communiter potens existimatur, inualida sint*; cum Respublica defectum supplere possit. Ita Palaus.

3. Sed doctissimus, & amicissimus P. Bardi hanc affirmatiuam sententiam non solùm probabilem, sed probabiliorem putat in Bullam Cruciatæ, *p. 2. tr. 5. cap. 1. sect. 12. num. 157.* Quia, quando adest communis error, etiamsi nullus præcesserit titulus collatus à Superiore, viget illud ipsum adæquatum motiuum, per quod ius commune disposuit valida esse gesta ab eo, qui caret prædicto titulo, circa quem versatur communis error: ergo Confessarius, intrusus, carens omni titulo præcedente, si ex errore communi putatur legitimus Confessarius, validè absoluit. Consequentia est certa: nam euidenter deducitur ex illo antecedente. Tota autem difficultas est in ipso antecedente, quod sic probatur: Motiuum adæquatum, per quod iura voluerunt valida esse gesta, quando cum errore cõmuni est titulus à Superiore collatus, quamuis irritus, est bonum commune, exigens dispositionem illam ad vitanda inconuenientia, quæ sequerentur: sed hoc ipsum prorsus motiuum viget, quando est error communis sine titulo: ergo manet idem motiuum adæquatum in vtroque casu: neque facilè percipere possum, quod operetur titulus iste inualidus, collatus à Superiore, dum enim est inualidus, perinde est, ac si non esset. Multas alias rationes adducit Bardi in confirmationem huius sententiæ, & respondet ad argumenta in contrarium: adi illum, & non pigebit. Itaque circa casum propositum *in hac Resolutione*, negatiuæ sententiæ adhæreo, & Puto, Parochum sine titulo, cum solo errore communi, inualidè matrimonio assistere, licèt satis probabiliter contrarium sustinere quis posset ex doctrina *superius* allata, quam, præter Doctores à me *alibi* in fauorem Basilij Poncij citatos, tenet nouissimè Leander *de Sacram. to. 1. tr. 5. disp. 5. q. 81.* & Carolus Baucius *de casibus singularibus conscientiæ, cas. 225.*

Alibi in Resolutionib. not. primæ huius Resol.

4. Certum est tamen in vtraque sententia, si Parochus beneficium parochiale obtinuit, inualidè tamen, quia excommunicatus, vel irregularis erat; vel, si validè obtinuit, postèa fuit illo titulo priuatus, vel à iure, vel per sententiam, sed non beneficio spoliatus; stante communi errore vulgi putantes probabiliter, ipsum verum Parochum esse, tam matrimonium, quàm alia gesta per ipsum valida sunt; iuxta leg. *Barbarius Philippus, ff. de offic. Prætor.* & cap. *Infamis. 3. quæst. 7.* Ius namque propter vitanda scandala, grauiaque inconuenientia, quæ ex nullitate actuum oriri possunt, tribuit potestatem iis, qui communiter habere iurisdictionem existimantur. Quod verum est, tametsi à contrahentibus inhabilitas cognoscatur: quia singularis scientia communem errorem non impedit, ob quem iurisdictio conceditur, argum. leg. *Nam de ea ff. de legib.* vt notauit Guttierrez *de matrim. cap. 62. num. 26.* & Sanch. *lib. 3. disp. 22. num. 42.* cum aliis.

RESOL. LXXXII.

An matrimonium initum cum licentia, dolo, & mendaciis à Parocho extorta, sit validum?

Idem asseritur, si licentia fuerit à Parocho metu cadenti in constantem virum extorta? Ex part. 9. tr. 8. & Misc. 3. Res. 20.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Texeda *in Theolog. moral. tom. 2. lib. 4. tract. 1. num. 33. & 34.* vbi sic ait: [Si roges, an validum sit matrimonium, cui Sacerdos assistit; si licentia assistendi à Parocho fuerit impetrata dolo, & mendaciis? In hac difficultate affirmat Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 39. num. 14.* & idem asserit, si licentia fuerit à Parocho metu cadenti in constantem virum extorta. Cæterùm oppositum firmiter asserendum est, imò existimo, Sanchez sententiam esse contra mentem Concilij Tridentini, quod petit ad valorem mattimonij præsentiam Parochi, vel alterius Sacerdotis de eius licentia: sed licentia dolo, fraude, & mendaciis, aut metu graui extorta, non est licentia Parochi vera, sed subreptitia, ab illo Sacerdote arrepta, & non concessa: sicut licentia Religiosi à Prælato concessa dolo, aut metu graui ad consummandum aliquas pecunias, non est licentia: & ideò si ex vi illius Religiosus illas consumat, peccat mortaliter contra votum paupertatis: quia consumpsit illas absque legitima Prælati licentia; cum licentia ab eo concessa fuerit subreptitia, & nullius valoris: ita, quando dolo, & mendaciis, aut metu graui licentia assistendi matrimonio Sacerdoti conceditur à Parocho, & dolo, aut metu graui ab eo extorquetur; talis licentia non reputabitur pro licentia.] Ita Texeda.

Sup. hoc inf. in Resl. 88. §. Quæro quartò.

2. Sed hæc sententia ita absolutè prolata mihi non placet: nam casus appositus à Sanchez est iste, an, si quis falso nomine alicuius Magnatis, vel Principis, petat à Parocho, vt concedat licentiam certo Sacerdoti, vt assistat tali matrimonio; talis licentia sic dolo, & mendacio extorta: valida censenda sit? Et meritò contra Texedam affirmatiuè respondet: nam in dicto casu dolus non versatur circa substantiam, vel causam finalem, sed impulsiuam. Et ita cum Sanchez tenet Perez *de matrim. disp. 41. sect. 6. num. 5.* vbi sic asserit: [Si illa falsa existimatio Principis, vel Magnatis (ecce casum Sancij) talem facultatem petentis, fuit vnica, & totalis causa finalis & motiua prædictæ concessionis, tunc in eo casu validam non fuisse licentiam. Hoc etiam videtur certum, quia tunc ille dolus, & mendacium tollit omninò consensum, qui est simpliciter necessarius ad liberam talis licentiæ concessionem. Vnde ex defecta consensus erit nulla talis licentia, cùm absolutè non consentiat voluntariè, nec velit nisi ob eam causam, vt veram ab ipso apprehensam, cùm tamen reuerà sit falsa. Regulariter tamen loquendo, non in contingere solet, vt velit Parochus suam licentiam esse nullam, si allegata falsa sit. Patet causa quia non videtur rationi consonum, vt ea sit mens Parochi concedentis licentiam, vt, nimirum, velit eam esse irritam, ea petitione falsa existente, ob damnum graue, quod inde sequitur, vt, videlicet, matrimonium passim irritetur. Quod maximè firmo: quia Parochum, vel Ordinarium concedentes prædictas licentias, si sint viri docti, & prudentes, non latet, frequèntes mendaces esse, & fictitias similes Principum, & Magnatum petitiones. Vnde non illis innituntur, vt eas concedant, sed quia tenentur ex officio per se, vel alium assistere, atque adeò validè concedunt. Sciendum autem dicendum est in eo casu, in quo mendacium, & dolus esset circa substantiam, vel concedens exprimeret deficiente veritate talem licentiam non concedere: certum enim est, concessionem inualidam fore. Hoc negari non potest; quia in primis, si putaretur Petrus petere sibi hanc facultatem, & non Paulus, esset error, vel dolus circa substantiam; quia deest substantialis consensus, cùm non consentiat in illum quem putat, sed in alium. Et ita, præter Perez, tenet etiam Auersa *de matrim. quæst. 6. sect. 4.* Castrum Palaus *tom. 5. tract. 28. disp. 2. punct. 13. §. 2. n. 2.* Antonius Escobar *in Theolog. mor. tract. 6. exam. 9. cap. 2. n. 76.* Hurtadus *de Sacram. matrim. disp. 5. difficult. 21. n. 39.* Stephanus à S. Gregorio *de Sacram. lib. 3. cap. 98. num. 2.* Cuspensis *in Curs. Theolog. tom. 2. tract. 26. disp. 4. sect. 5. num. 23.* Trullench *tract. de iure Parochi, cap. 8. n. 5.* Noguerolus *tom. 2. allegat. 14. n. 187.* Coninch *de Sacram. disp. 27. dub. 3. n. 37.* Barbosa *de potestat. Episcop. part. 2. allegat. 32. num. 133.* Reginaldus *tom. 2. lib. 31. n. 182.* Bonacina *de matrim. qu. 2. punct. 8. n. 17.* Bossius *de contr. matrim. cap. 4. §. 46. n. 126.* Carolus Buccius *tract. 1. de cas. miscell. quæst. 46. part. 11.* & alij. Itaque opinio Sanchez contrà Terèdam vetatet: quia dolus in impetranda licentia à Parocho versatur tantùm circa causam impulsiuam; secus autem si versaretur circa substantiam, & in hoc casu procederet opinio Texedæ.

3. Nec obstat dicere, quòd falsitas circa eiusmodi finalem dispositionis, ipsam vitiat, sed in hoc casu est falsitas circa causam finalem, quia Parochus illa ratione cessante nullo modo concessisset eam licentiam: ergo. Secundò, dispensatio ex falsa causa obtenta est subreptitia, & nulla, cap. *Quia, de consanguinitate*, sed prædicta licentia conceditur ex falsa causa, & est quædam dispensatio: ergo est nulla. Tertiò, deest consensus Parochi in ea licentia: ergo est inualida. Antecedens probatur: quia nihil magis contrarium consensui, quàm error, l. *Si per errorem, ff. de iurisd. omnium Iudic.* Non obstat hæc dicere: nam ad illa respondet Perez *vbi supra.* Et ad primum iam dictum est, causa finali vnica cessante, & falsa existente, non valere eam licentiam. Cæterùm id moraliter non contingere, iam explicatum est *supra*; nam error, & falsitas non contingit circa causam finalem, sed circa solam impulsiuam. Ad secundum, maior est vera, quia est ita dispositum in iure, & à Pontifice declaratum. Minor verò est falsa: quia talis facultas datur ex vera causa motiua, & finali, tametsi aliqua falsitas subsit in causa impulsiua. Ad vltimum negatur antecedens: nam lex illa adducta in argumento, vbi dicitur nihil tam esse contrarium consensui, quam errorem; apertè de errore substantiali loquitur. Præterea, quando concedens limitat

suam

suam concessionem asserendo, si vera sunt, quæ proponuntur, clarissimum est, deficiente veritate, concessionem esse nullam. Atque hæc est ratio, cur rescripta Pontificum dolo obtenta, sint nulla: quia Pontifex hoc in iure apertè declarauit. Quod non procedit in casu nostro. Ergo, &c.

RESOL. LXXXIII.

An Parochus excommunicatus non toleratus valide assistat matrimonio?

Et an valeat matrimonium coram testibus excommunicatis non toleratis celebratum? Ex part.5.tract.9. Resl. 78.

Sup. hoc inf. in Resl.92. §. Nota verò.

§. 1. NEgatiuè respondet Auila *part. 2. cap. 6. disp. 3. dub.1.conclus.5.* quia, ait, illi actus, quos excommunicatus non toleratus exercet ratione publici officij sunt nulli, vt tradit Sylu. *ver. excommunicatio 3.n.2.& 3.* Nauarr.*cap.27.n.36.ad 6.* Sed in matrimonio assistit Parochus ratione publici officij, & publicæ potestatis, ergo. Minor probatur, nam assistit in quantum Parochus formaliter, cuius rei signum est, quòd licèt loco Parochi adhibeantur mille testes, non valebit matrimonium. Secundò contractus, in quibus secundùm ius requiritur de substantia præsentia tabellionis, sunt inualidi, & nulli, si tabellio sit excommunicatus non toleratus, sed de substantia matrimonij requiritur post Tridentinum præsentia Parochi, ergo si sit non toleratus, erit nullum. Maior habetur ex glossa *cap. decerninus de sententia excommunicationis in 6. in fine*, quam sequitur Geminianus *ibi n.6.* Francus *n.7.* Ancharanus *columna antepenult.* Sylvester. *verb. excommunicatio 3. n.2. circa finem*, & communiter Canonistæ; secus dicendum est de testibus, nam licèt sint excommunicati non tolerati, valet matrimonium coram illis celebratum, quia non assistunt vt personæ publicæ, nec ratione publici officij, sed vt personæ priuatæ.

Sup hoc inf. in Resl. 91. cursim ad lin. 6. §. Sed communis, & magis latè in Resl.92. à princip. & in tom.5.tr. 1.Resl.112.§. vlt.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto cum Cornejo *in 3.part.tract.5.de excommun.disp. 10.§.1. dub. 5.* certum est enim assistentiam Parochi non esse actum Ordinis, cùm ipse non sit Minister huius Sacramenti, vt suppono, neque esse actum iurisdictionis, vt latè probat Sanchez *lib.3. de matrimonio disp 1.* Sed solùm esse necessariam, vt authoritatem præstet matrimonio. ergo, &c. Et hanc sententiam tenet etiam Raynaudus *de monit. part.2. cap.2. n.23.* Hurtado *disp. 5. de matrimonio, difficult.8.n.16.* Coninck *de Sacrament.disp.27. dub.2. n.24.* & Pontius *de matrimonio, lib.5.cap.17.§. vnico, n.9.* qui respondet ad omnia argumenta, quæ suprà pro sententia Auilæ adducta sunt, & citat pro hac sententia Vasquez, Suarez, & Sanchez.

RESOL. LXXXIV.

An Parochus excommunicatus assistens matrimonio, peccet?

Et supponitur Parochum excommunicatum etiam non toleratum suspensum, & irregularem valide assistere matrimonio?

Et an excommunicatus toleratus nullam culpam contrahat assistens matrimonio?

Et notatur certum esse nullum peccatum committere Parochum excommunicatum, quando in articulo mortis esset necessarium assistere matrimonio?

Etiamque aduertitur Parochum excommunicatũ, etiã non toleratum valide posse aliis licentiam dare, vt matrimonio assistant? Ex p.3.tr.4.Resl.232.alias 233.

§. 1. SVppono Parochum excommunicatum validè assistere matrimonio posse, item suspensum, & irregularem, etiamsi sit excommunicatus non toleratus, & nominatim denunciatus, difficultas est, an peccet? Aliqui affirmatiuè respondent, vt Vasquez *in 3.part.tom.4.tract.de excom.dub.7.num.7.* imò Basilius Pontius *de matrim. lib.5. cap 17. dub. vnic.n.11.* putat esse peccatum mortale, est enim communicatio in re graui, & sacra.

Sup. hoc in Resl. seq. & infr. in Resl. 87. §. Nota tamen.

2. Verùm Sanchez *de matr.tom.1. lib.3. disp 21. num.* 8. contrarium docet, quia cùm spectet ad suum munus, communicat in re necessaria, & licèt ex alia parte videatur peccare, quia videtur actus iurisdictionis benedicere sponsos illis verbis quæ præcipit Concil. Trident. *sess.24.de matr. cap.1. Ego vos coniungo*, &c. non tamen excedet venialem culpam, quia in nullius est præiudicium, & res est parui momenti, nec necessaria ad Sacramentum, & si omitterentur ea verba, tantùm esset veniale. Hæc omnia Sanchez, quæ tamen conatur referre Pontius *vbi suprà*, tamen cum Sanchez concordat nouissime Villabos *in sum.tom.1. tract. 13. diffic. 18. num. 7.* vbi sic ait: [Afirmde Sanchez que el excommunicado si es tolerado no peca en esto, y si no lo es, peca venialmente, no porque assista al matrimonio, sino porque benedize à los contrayentes diziendo, *Ego vos coniungo.*] Ita Villalobos.

Sup. excõm. tolerato in Resl. 2. not. præteritæ, & in eodem §. ante med. à vers. Imo Leandrus.

3. Vnde apparet sententiam Sanchez esse satis probabilem, & excommunicatum toleratum si assistat matrimonio, nullam culpam contrahere, secus autem non toleratum, nam peccatum veniale efficeret. Nota tamen cum Suarez *de cens. disp.11. sect. 1. num.* 24. certum esse nullum peccatum committere Parochum excommunicatum, quando in articulo mortis esset necessarium matrimonio assistere.

Et sup. contento à lin. 4. huius §. Vnde, in to. 1. tr.1. Resl. 15. in fine, vers. Tertius. Et pro contento in hoc §. vlt. infr. in Resl. 86. & 87. à lin. 8.

4. Notandum est hîc obiter excommunicatum etiam non toleratum validè posse aliis licentiam dare, vt matrimonio assistant. Ita Sanchez *vbi suprà, n.7.* & Basil, Pontius *nu.14.* quidquid in contrarium asserat Layman *in Theol.mor.lib.5.tract.10.part.2. cap.4. n.3.* & Coninch *de Sacram.disp.26. dub.7.concl.8.*

RESOL. LXXXV.

An Parochus excomunicatus non toleratus licet valide tamen illicite assistat matrimonio?

Et an in prædicto casu, nec ipsi contrahentes peccent, dum coram illo contrahunt?

Et an tamen, si Parochus ab Episcopo, aut ab alio competente iudice prohibitus sit assistere matrimonio, aut licentiam conferre, si id efficiat quamuis peccet, valide tamen efficiet, quia simplici prohibitione non priuatur dicta potestate? Ex part.5.tr.9.Resl.79.

Sup. hoc in Resl. præterita, & infra in Resol. 87. §. Nota tamen.

§. 1. PEccare in tali casu Parochum, docet Basil. Pontius *de matrim.lib.5.cap.17.§.vn.num.11.* vbi sic ait. Tertiò colliges Parochum excommunicatum assistentem matrimonio peccare quidem ex vi eius iuris, in quo prohibita est excommunicato communicatio cum fidelibus sentit nobiscum Gabriel Vasquez *de excommunicatione dub. 7. num. 7.* est enim communicare quidem non in Sacramentis, ea enim communicatio tantùm est inter sumentem, & ministrantem, sed in Sacris, qualis communicatio est in diuinis Officiis, Missa audienda, & aliis huiusmodi, quam communicationem etiam Couarruuias, asserit esse mortale peccatum. Nec verò dici potest Parochum illum communicare in re necessaria, & ideo excusari, vt indicare videtur Thom. Sanchez *lib.3 disp.21. num.8.* neque enim Sacramentum matrimonij videtur esse necessitatis, idque exemplo testis

testis idonei excommunicati, tamen confirmari potest. Imò addiderim non esse venialem culpam, est enim communicatio in re adeò grauis & sacra. Ita Pontius.

2. Sed ego aduersùs illum & Vasquez contrariam sententiam teneo, & ita præter Sanchez adductum hanc opinionem docet Hurtado *disp. 5. de matrim. difficult. 8. num. 27.* vbi firmat Parochum excommunicatum, quamuis non toleratum, non tantùm validè, sed etiam licitè assistere matrimonio, quia quamuis in his duobus communicet cum aliis, id tamen efficit ob vtilitatem, imò ob necessitatem contrahentium, quia absque eo, aut absque eius licentia nequeunt contrahere, vnde nec ipsi contrahentes peccant dum coram illo contrahunt. Si tamen Parochus ab Episcopo, aut ab alio competente iudice prohibitus sit assistere matrimonio, aut licentiam conferre, si id efficiat, quamuis peccet, validè tamen efficiet, quia simplici prohibitione non priuatur dicta potestate, imò priuari nequit quamdiu manet Parochus (quamuis sit ad nutum amouibilis) nisi à Papa, aut Concilio generali, quia ab his accipit potestatem ad dicta absque subordinatione ad Episcopum quoad eorum valorem, quando verò Parochus tantùm est prohibitus Sacramenta administrare, potest validè & licitè assistere matrimonio, & licentiam ad id conferre, quia neutrum est Sacramentum administrare.

Sup. hoc in Resol. 2. not. præteritæ, & in eodem §. 21 pro diffic. seq. in hoc §. à vers. Si tamen. supr. in Resol. 70. & in aliis eius primæ not. & infr. in Resol. 87. §. vltim. prope fin. à vers. Nota, & pro parte in Resol. 88. §. Quæro sexto.

RESOL. LXXXVI.

An Parochus excommunicatus non toleratus valide licentiam conferat Sacerdoti, vt assistat matrimonio? Et notatur non solum valide Parochum excommunicatum licentiam hanc præbere, sed etiam licite, quod est valde notandum? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 80.

Sup. hoc supra in Resol. 84. §. vlt. & infra in Resol. seq. à lin. 8.

§. 1. NEgatiuè respondet Ledesma *de matr. q. 45. art. 9 punct. 3. dub. 4.* & Coninck *de Sacr. disp. 27. dub. 2. n. 25.* quia Concilium dicit eum debere dare alteri licentiam assistendi, quod videtur esse actus superioritatis, & iurisdictionis. Nemo enim potest dare alteri licentiam aliquid faciendi, nisi habeat aliquam iurisdictionem, aut dominium, vel in eum cui dat licentiam, vel in rem circa quam dat licentiam aliquid faciendi, vt patet in omnibus similibus locutionibus. Confirmatur, quia hæc licentia non tantùm requiritur ne iuri ipsius Pastoris præiudicetur, sicut requiritur licentia vt possit quis non subdito dare Extremam-Vnctionem, sed vt assistens qualificetur, atque idoneus fiat vt assistat. Qualificare autem aliquem videtur omnino esse actus iurisdictionis.

2. Verùm affirmatiuam sententiam tenendam esse puto, quam tuetur Hurtado *disp. 5. de matr. d ffic. 8. num. 27.* qui citat Sanchez, Pontium, Henriqu. & Rebell. & ratio est, quia collatio dictæ licentiæ non est actus iurisdictionis, quia non est institutio iudicis, sed tantùm est quædam designatio spectatoris matrimonij, vt possit de eo testificari, facta ex ordinatione Tridentini, à quo Sacerdos dicta designatione suppositа accipit potestatem ad id, & non à Parocho, quia ea suppositа Sacerdos qualificatur à Tridentino ad id, sicut & ipse Parochus, & non à Parocho. Vnde collatio dictæ licentiæ non est actus potestatis Parochi vt Parochus est, sed auctoritatis à Tridentino annexæ officio Parochi.

Sup. hoc in Resol. seq. §. Nota tamē, à lin. 7.

3. Notat etiam idem Hurtado contra Pontium non solùm validè Parochum excommunicatum licentiam hanc præbere, sed etiam licitè, quod est valde notandum.

RESOL. LXXXVII.

Quidam Parochus publice grauiter percussit clericum, & statim dedit licentiam Sacerdoti ministrandi omnia Sacramenta suis Parochianis, quæritur, an matrimonia, quibus præfuit, fuerint valide contracta? Et an in tali casu contrahentes non peccent?

Et notatur, Parochum excommunicatum, etiam non toleratum, non solum validè, sed etiam licitè assistere matrimonio.

Et notatur Parochum excommunicatum toleratum, & non declaratum, si assistat matrimonio, vel det licentiam assistendi, non peccare neque venialiter, & si non est toleratus, peccabit tantum venialiter?

Et aduertitur, quod si aliquis habet alicubi domicilium, & migrat ad illum recreationis causa vbi diturus, possit contrahere coram Parocho illius loci habitationis, seu temporis, &c? Ex part. 11. tr. & Misc. 5. Resol. 10.

§. 1. CAsus iste accidit in ciuitate N. & de illo ego interrogatus respondi ad duas difficultates se restringere. Prima, an excommunicati denuncieti, vel publici percussores Clericorum valide possint præbere licentiam assistendi matrimonio. Secunda, an in illa licentia administrandi omnia sacramenta includatur etiam matrimonium. Et ad primum dubium negatiuè respondet Dicastillus *de Sacrament. tract. tom. 2. tract. 10. num. 75.* vbi docet contra Sanchez, etiamsi assistentia ipsius Parochi sit actus iurisdictionis, nihilominus collationem ipsam facultatis, aut commissionem assistendi matrimonio censeri posse actum alicuius iurisdictionis: Sæpè enim iurisdictionis actus est collatio facultatis, aut habitatio ad aliquem actum qui in se non sit actus iurisdictionis, v. g. emptio aut venditio facta à minori ante legitimam ætatem sine consensu tutoris, aut curatoris sæpè non valet, nisi accedente facultate: quamuis autem actus vendendi, aut alienandi non sit actus iurisdictionis, sed dominij, actus nihilominus ipse conferendi siue dispensationem, siue facultatem, & veniam, vt actus ille vim habeat, proculdubio est actus iurisdictionis, ac proinde in matrimonio, licet assistentia ipsa non sit actus iurisdictionis, ipsa tamen collatio licentiæ seu facultatis ad validè assistendum potest esse iurisdictionis actus, quo argumento vti sumus loco notato de censuris. Et rectè quidem nemo potest alteri dare licentiam aliquid faciendi, nisi habeat aliquam iurisdictionem, aut dominium, vel in eum cui dat licentiam, vel in rem ipsam, circa quam dat licentiam aliquid faciendi. Quam etiam sententiam docet Layman *tract. 10. p. 2. cap. 4. num. 5.* referens alios, maximè Nauarrum *cons. 14. de clandestina dispensatione num. 6. ad 3. in 2. edit.* vbi postquam docuit esse exercitium iurisdictionis dare alteri licentiam, qua is, alioqui qualificatus, idoneus redditur ad legitimum valorem actus; docet in particulari pro nostro casu, dare licentiam assistendi matrimonio esse actum iurisdictionis voluntariæ. Hæc omnia Dicastillus, & ante illum Coninch *de Sacram. disp. 27. num. 25.* Suarez *de censur. disp. 14. sect. 1. n. 7. & de Pœnit. disp. 27. sect. 1. num. 5.* Guttier. *de matrim. cap. 2. num. 89.* Victoria, Sotus, Syluester, & alij penes ipsos.

2. Sed licet hæc sententia sit satis probabilis, ego non recedo à sententia quam olim docui: nam Sanchez, & nunc me citato docet Leander de Sacram. *tom. 2. tract. 9. disp. 7. quæst. 26.* qui citat Pontium, Henriquez, Sà, Rebellum, Hurtadum, Bonacin. quibus adde etiam me citato Bassæum *verb. matrimonium*

trimonium 5. num. 5. & Machadum *tom. 2. lib. 4. part. 2. tract. 2. docum. 16. num. 4.* vbi sic ait; [Et tambien dudoso, y controuerso entre los Dotores, si el Paroco descomulagado, suspenso, &c. vitando, y no tolerado, pueda, validamente dar licencia à otro Sacerdote paraque en su nombre assista al matrimonio? Layman y otros dizen que no. Si bien Sanchez, Basilio, y otros defienden que es valido el matrimonio, cuya sentencia como mas probable sigue Diana: fundase en que la tal licencia no es acto de iurisdicion, sino vna mera designacion de la persona, hecha en virtud del Concilio Tridentino, paraque el Sacerdote te segun su decreto, pueda prestarle autoridad con su persona.] Ita ille.

Sup. hoc supra in Ref. 84. & 85.

3. Nota tamen hîc obiter, parochum scilicet excommunicatum, etiam non toleratum, non solum validè assistere matrimonio, sed etiam licite (quidquid in contrarium sentiat Basilius) imo si admittamus probabilem sententiam, quod validè conferat alteri Sacerdoti facultatem assistendi, eodem modo consequenter dicendum esset, etiam licitè conferre hanc licentiam, quia quamuis in his duobus communicet cum aliis, id tamen efficit propter vtilitatem, vel potius necessitatem contrahentium, cum absque parocho vel alio Sacerdote de licentia illius contrahere non possint, ac proinde neque ipsi contrahentes peccant. Vide Dicastillum *vbi supra num. 78.* Machadum *num. 3.* Imo Leander *quæst. 27.* putat in tali casu Parochum excommunicatum non declaratum si assistat matrimonio, vel det licentiam assistendi, non peccare neque venialiter, quod etiam ante ipsum docuerat Hurtadus *disp. 5. difficult. 8. num. 27.* & me citato docet Martinus de San Ioseph *in Mon. Confess. lib. 1. tract. 5. de Matrim. num. 11.* At Ioannes de Soria *in epilogo summarum part. 2. tract. 1. sect. 1. disp. 10. §. circa matrimonium clandestinum*, sic ait: validè matrimonio assistit Parochus, licet sit suspensus, excommunicatus, aut irregularis. Peccauitne assistendo? Respondeo cum distinctione, quod si est toleratus, nullo modo peccauit, sed si non est toleratus, peccat venialiter. Quare, si nulla iurisdictione vtitur; non ratione assistentiæ, sed propter benedictionem, quam illis communicat. Ita ille. Ego puto vtramque opinionem probabilem esse. Quoad secundum dubium respondeo, ea quæ speciali nota digna sunt, quando specialiter non notantur, censentur quasi neglecta *l. item apud Labeonem 15. ff. de iniuriis*: matrimonium autem est res grauissima, & ardua, iuxta *cap. finale de procuratoribus in 6.* & ex se patet: ergo est dignum speciali nota; ac proinde quando conceditur, censetur neglectum, & non concessum. Et ita etiam docet Dicastillus *de Sacram. vbi supra tom. 3. tract. 10. disp. 3. dub. 14. num. 105.* qui posteà *num. 111.* sic subdit; Verum quidem est, Congregationem Cardinalium aliquando censuisse in ea facultate administrandi Sacramenta, comprehendi etiam matrimonio assistere; sed tunc sequuti sunt opinionem probabilem, cuius oppositam nos cum aliis probabiliorem iudicamus. Ita Dicastillus. Sed si mihi constaret authenticè de tali declaratione, non recederem à sententia Purpuratorum Patrum.

Sup. hoc cursim in §. vlt. Ref. præteritæ.

Sup. hoc peccato supr. in Ref. 85. §. 2. ad medium.

Sup. hoc excom. declarato supr. in Ref. 84. in fine §. Verùm. & seq.

Sup. hoc tolerato ibid.

4. Notandum est hîc obiter, Leandrum nominatim contra me docere *tom. 4. de Sacram. tract. 9. disp. 7. quæst. 21.* Quod si quis habens alicubi domicilium migret aliò (recreationis causa) breui rediturus, possit contrahere coram Parocho illius breuis habitationis seu temporis. Quod etiam docet nouissimè P. Escobar *Theolog. Moral. tract. 7. exam. 9. cap. 8. §. 5. num. 157.* vbi sic asserit; Potestne celebrari coniugium in rurali domo, ad quam recreationis causa sponsi profecti essent, vno aut altero die commoraturi, si ditioni alterius parochi domus illa subdita sit? Asserit Sà *verb. Matrimonium, num. 2.* proprium Parochum in ordine ad matrimonium esse Parochum, in cuius parochia alteruter habitat, etiam ex paruissimo commorationis tempore. Ita ille. Sed hanc sententiam ego olim reprobaui, & nunc iterum reprobo, & ideo Dicastillus *de Sacram. tom. 3. tract. 10. disp. 3. dub. 8. num. 48.* sic ait: Ex quo fit, vt qui extra proprium domicilium minore tempore anni in eo loco habitat, tanquam hospes, seu animo citò redeundi, non habeat alium Parochum, adhuc in ordine ad matrimonium, quam Parochum sui domicilij, aut quasi domicilij, vt rectè probat Sanchez *citata disp. 23.* & Menoch. *cons. 378.* quicquid in contrarium sentiat Basilius *lib. 5. cap. 17.* & Sà *verb. Paroch. n. 2.* qui absque fundamento affirmant modicam seu breuem habitationem in Parochia alicuius, etiamsi recreationis causa fiat, sufficere vt quis in ordine ad matrimonium habeat illum, vt Parochum. Ita Dicastillus. Et hanc sententiam ex pluribus Doctoribus, me etiam citato firmat Angelus Bossius *de Matrim. cap. 4. §. 9. num. 17.* & *de Iubileo sect. 4. cas. 13. num. 34.* asserens, non esse audiendos Pontium, & Sà, & tu adde nunc Leandrum, & Escobar. Nota etiam hîc, quod Parochus interdictus seu prohibitus ab Episcopo assistere matrimonio, adhuc valide assistit; quia positio eo interdicto seu prohibitione, Parochus adhuc retinet iurisdictionem: idem dicendum quando huiusmodi prohibitio facta fuit Adiutori vel Vicario parochi. Imo Parochus cui vetitum fuit à Superiore administrare Sacramenta propter inscitiam, validè adhuc assistit matrimonio, quia huiusmodi assistentia non est propriè administratio Sacramenti, modo Parochus sit compos sui, & externo sensu percipiat consensum contrahentium, siue per se immediate, siue percipiat per interpretem, quod adeo verum est, etiamsi ibi per vim detineatur. Ita Bassæus *vbi supra num. 8.* Dicastillus, & alij.

Sup. hoc latè supra in Ref. 70. & in aliis eius primæ not. & in Ref. 85. §. vlt. ad medium, à versa Si tamen.

Sup. hæc vt in Ref. seq. 5. Et hanc à lin. 5. & seq. & in aliis §. eius annot.

RESOL. LXXXVIII.

De licentia, quam potest dare Parochus, vel Ordinarius assistendi matrimonio?

Pro quo varij, & curiosi casus apponuntur in textu huius Resolutionis, & etiam pro ipso Parocho tantum? Ex part. 11. tr. 3. & Misc. 3. Ref. 32.

§. 1. QVæro primò: an Parochus non Sacerdos possit concedere licentiam Sacerdoti assistendi matrimonio; Suppono Parochum non debere necessario esse Sacerdotem: sed valere matrimonium contractum coram Parocho, vel Ordinario non Sacerdote: nam Concilium solùm exigit assistentiam proprij Parochi: at sic est, quod quamuis hic Sacerdos non sit, vere Parochi nomen, & auctoritatem propriè retinet, ergo: sic declararunt Eminentissimi Cardinales, vt refert Basilius *lib. 5. cap. 17. n. 1.* cui adde Doctores, quo citat, & sequitur Leander *de Sacram. tom. 2. tract. 9. disp. 7. quæst. 22.* qui *quæst. 23.* firmat etiam neque peccare sic assistens matrimonio.

Sup. hoc quod hic supponitur melius, & magis latè infra in Resol. 90. §. Sed vt Vicarius ad med. & post med.

2. Quæro secundò: an licentia concessa pro ministrandis Sacramentis, includat licentiam assistendi matrimonio. Respondet negatiuè Hurtadus *de matrim. disp. 5. difficul. 11. num. 38.* vbi docet ad assistendum matrimonio non requiri licentiam specialem, sed sufficere generalem, quia conceditur facultas ad exercendum officium Parochi, quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium, & meritò, quia assistendo ex ea licentia, satisfit Tridentino, requirenti licentiam ad assistendum; quia ea est vera licentia

Sup. hoc in Ref. seq. §. Ego verò. Sed lege ibi à §. Quæro secundò.

Sup. hoc inf. in Ref. 89. §. Et tandem nota, & seqq. & in Resol. 112. per tot. magis latè.

Sup. hoc in Ref. not. seq.

centia adid, quamuis sub verbis generalibus collata; imò sufficit, quod licentia ad assistendum, siue specialis siue generalis, conferatur verbaliter, quia licentia verbalis est vera licentia, cui non obstat declaratio Cardinalium, in qua dicitur sufficere licentiam generalem in scriptis datam, quia non dicitur requiri, sed sufficere.

3. Ea verò, quæ speciali nota sunt digna, tunc censentur omissa, quando non conceduntur specialiter, aut modo æquialente concessioni speciali, concessio autem facultatis generalis ad exercendum officium Parochi æquialet licentiæ speciali ad assistendum matrimonio, quia hæc includitur in illa; concessio verò facultatis ad administrandum omnia Sacramenta non æquialet, nec sufficit, quia assistere matrimonio, non est Sacramentum matrimonij administrare: quia nec Sacerdos assistens, nec Parochus est minister, sed tantùm ipsi contrahentes. Ita Hurtadus, qui citat Henriquez, & Coninch. Sed ex Basilio Pontio, Castrus Palaus, *tom. 5. disput. 2. punct. 23. num. 1.* aliter procedit, affirmans sufficienter prædictis verbis licentiam assistendi matrimonio esse concessam, quia esto in rigore matrimonium non administretur a Parocho, vel Sacerdote, impropriè tamen ministratur, quatenus eius præsentia nomine Ecclesiæ matrimonij administrationi necessaria est; sicque fuit à Sacra Congregatione decisum, teste Farinac. *vol. 4. pag.* 275. ibi requiritur commissio generalis administrandi Sacramenta, vel si hæc absit expressa, vel specialis licentia.

Et licet Hurtadus asserat, Congregationem sequi opinionem communium tanquam probabilem, illa tamen suppositа, puto non esse ab ea recedendum.

Sup. hoc in Resp præterita §. Nota. post mediũ. vers. Quoad secundum. Sed lege pro hac quæst. supra à §. Quæro secundo huius Resp.

4. Ego verò, vt meam sententiam promam, dico non sufficere si Parochus concedat alicui licentiam ministrandi omnia Sacramenta; nam talis licentia intelligenda est, sicut clausula Bullæ Cruciatæ concedens similem licentiam, quæ intelligitur de Sacramentis pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quæ sunt maximæ necessitatis. Placet tamen quod rectè obseruat Sanchez *disp. 35. n. 8.* prædictam doctrinam esse verã, quando Parochus præsens eam licentiam concederet; nec est coniectura probabilis voluisse includere etiam matrimonium; secus quando Parochus in absentia relinquit substitutum, tametsi solum illi dicat, vt administrat Sacramenta vice ipsius; tunc enim sufficiens est illi licentia ad matrimonium, quia est illum Vicecuratum substituere, dum ipse abest. Et hæc omnia docet Perez *de matrim. disp. 41. sect. 1. n. 8.*

5. Quæro tertiò: An Parochus non proprietarius ab Episcopo delegatus, & amouibilis ad nutum illius, possit matrimonio assistere, & ad id licentiam, conferre; posse ipsum assistere non est dubium, difficultas est; an etiam possit licentiam ad id conferre, Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3.* & Bartholomæus Ledesma *de pœnitentia dub. 13.* docent, non posse, quia prædictus est delegatus; qui autem est delegatus, nequit alterum subdelegare.

6. Sancius verò *lib. 3. disp. 31.* Henriquez, & plures alij docent, posse, quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium, & meritò: quia ille est verè Parochus, quamuis delegatus; ergo potest ad id licentiam conferre, quia ex Tridentino sufficit licentia Parochi. Et idem ob eandem rationem dicendum est de Vicecurato plenè delegato à Parocho proprietario, vt contra Basilium aduertit Sancius, quod verum credimus non solùm in absentia, sed etiam in præsentia Parochi proprietarij, quia etiam in præsentia illius est verus, & proprius Parochus, quamuis non proprietarius; sed delegatus, & mercenarius.

7. Quòd autem delegatus non possit iurisdictionem subdelegare, non obstat, quia eam licentiam concedere, non est subdelegare iurisdictionem, quia assistere matrimonio, ad quod conceditur, non est actus iurisdictionis; præsertim quod delegatus, quamuis nequeat iurisdictionem ad omnem causam sibi delegatam delegare, potest tamen ad vnam, vel ad alteram, ac proindè posset ad assistendum matrimonio, quamuis id esset iurisdictionem concedere.

Et hæc omnia docet Hurtadus *de matrim. disp. 5. difficul. 10. num. 34. & 35.* cui adde Castrum Palaum *tract. 5. disp. 2. punct. 13. num. 8.*

8. Quæro quartò: An sufficiat ad validitatem matrimonij licentia Parochi extorta per vim, & metum. Respondeo affirmatiuè, quia contractus iurat. tiui, in quibus nihil rependitur, vt sunt simplex promissio, & donatio, tametsi metu graui extorti, vitiũ sunt iure naturæ, & iure positiuo. Nam sunt simpliciter voluntarij; Qui enim metu coactus consensit, absolutè consentit voluntariè, omnibus enim consideratis vult. Est etiam in illis contractibus titulus iustus; nam in contractu donationis v.g. titulus legitimus est ipsemet titulus donationis, qui solum importat donationem liberalem, id est nullo pretio recepto. Et quamuis hic titulus reperiatur cum admixtione inuoluntarij ratione metus, dicitur titulus iustus, ideſt titulus cui ius non resistit, ipsum annullans, metu verò iniuriæ, quæ in tali donatione intercedit, nihil obest; tum quia iniuria non est immediata causa contractus, sed consensus contrahentis, tum etiam quia tametsi iniuria possit esse sufficiens causa ad reuocandum consensum, & contractum irritandum, non tamen est sufficiens vt ipsum reddat omninò irritum, vt constat in contractu cui dolus causam dedit, qui etsi iniuria interuenit, non est tamen iure naturæ irritus, sed irritandus, quia talis dolus versatur non circa substantiam contractus, aut materiæ, sed circa causam contrahendi, quæ est extrinseca rei, & accessoria, ac proinde non nollit consensum, qui sit sufficiens ad naturam contractus.

9. Itaque per hanc assistentiam nihil conceditur Sacerdoti, quod in eius dominium transeat, quippe solùm conceditur eius personalis assistentiæ valor, vt matrimonium firmet, cùm ergo prædicta licentia sic extorta non irritetur à iure, efficitur validam esse,

10. Et hanc opinionem tenet Sanchez *l. 3. d. 39. n. 23.* Coninch. *disput. 27. dub. 3. num. 29.* Perez *de matrim. d. 41. sect. 5. n. 2.* Hurtadus *disput. 5. diff. 11. num. 39.* Castrus Palaus *tom. 5. disp. 2. punct. 13. n. 3.* & alij pènes ipsum. Ex quo infertur validum esse matrimonium quando testes, vel Parochus dolo vocati, aut vi adducti, & contra eorum voluntatem detenti, assistunt matrimonio & intelligunt consensum; ita ex pluribus docet Leander *de Sacram. tom. 2. tract. 9. disp. 7. q. 39.* qui *quæst. 40.* quærit an in tali casu valeat matrimonium, si Parochus assistens inuitus, & affectans non intelligere, aures & oculos occludens, nihil eorum, quæ agebantur vidit.

11. Et contra Sanchez *lib. 3. disp. 39. num. 6.* & Bonacinam respondet valere dictum matrimonium; & ita respondit Sacra Congregatio in hæc verba; Et quid si Parochus adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, vel, audiuit, vtrum tale matrimonium sit nullum? Respondit Congregatio, matrimonium non valere, si non intellexit, nisi ipse Parochus affectasset non intelligere. Et quidem meritò (addit Basilius) ita responsum est. Nam eò ipso quod Parochus affectat non intelligere, admonitus primò velle matrimonium contrahere eos qui adsunt, tamè iam ignorare non potest consensum contrahentium, atque adeò testis esse potest eius consensus

apud

apud Ecclesiam. Huic tam apertissimæ decisioni frigidè respondet Thom. Sanch. inquit enim, horum verborum sensum esse, nisi Parochus consulto, & data opera, fingat se non intelligere; cùm tamen reuera non intellexisset; quasi qui vocatus ad hoc vt adsit matrimonio, & monitus à contrahentibus se velle contrahere, potuerit non intelligere matrimonium ab illis contrahi, quamuis postea aures occludat. Hucvsque Basilius *lib.5. cap. 21. n.12.* cui adde Martinum de San Ioseph *in Mon.Confess. to.1. lib.1. tract.15.de Sacram.matr.n.18.* vbi sic ait: [Es valido el matrimonio aunque sea prohibido por el ordinario, en que assistieron el Paroco, y testigos llamados por engaño, ò traidos por fuerça, y que con ella los detuuieron, y entendieron el consentimiento de los contrayentes.

12. Y lo dicho es verdad aunque el Paroco: despues de enganado procure no ver ni entender el consentimiento de los que se casan, que delante del se da tapando las orejas, y cerrando los ojos: porque en diziendole que quieren contraher matrimonio; no puede ignorar antes entiende el consentimiento dicho, y puede ser testigo del, contra Pontium *loco citato num.5.*]

13. Quæro quintò. An licentia, concessa assistendi matrimonio sufficiat, si sacerdos ignoret licentiam datam esse, si à suo Nuncio fuerit acceptata. Et negatiuè respondet Pontius *lib.5. cap.28.n.8.* vbi sic ait; concessa tamen licentia vti non potest is cui conceditur, nisi illi innotescat, nec enim satis est, quod concessa iam fuerit ad eius petitionem, & innotuerit Nuntio, vel Procuratori, vt latè ostendo in *tract.de confess.* contra Sancium. Vnde neque satis existimo, si contrahentes dicant se licentiam habere, vt eos iungere matrimonio possit, solent enim in eo innumeræ fraudes interuenire: nisi forsan adeò virtute, & auctoritate polleret qui diceret, vt de eius veritate nullo modo dubitari posse videatur, de quo Thomas Sanchez *disp.* 37. Ego tamen peterem licentiam ostendi etiam à quocunque viro quantumuis virtute præstanti; nec enim in hoc vlla irrogaretur iniuria, quod in re tanti momenti, & ex qua valor matrimonij pendet diligenter conaretur extraneus sacerdos suo muneri satisfacere, quibus fauet decisio Rotæ apud Seraphinum 1099. Quando autem reuocatur, debeatne innotescere ei cui conceditur, & quando expiret, vel reuocatione, vel concedentis morte, definiri potest ex his, quæ dixi supra isto libro, & ex his quæ dico in tractatu de confessione in simili de licentia ad audiendas Confessiones. Ita Pontius; cui adde Hurtadum *de matrim. disp.3. diffic.13.*

14. Sed sententiam affirmatiuam Sanchez, post illum tenet Coninch *disp.27. dub.3. n.3.* & Castrus Palaus *tom.5. disp.2. punct.13. n.6.* quia cuiuslibet beneficij, priuilegij, dispensationis, facultatis, & gratiæ concessio, à puncto acceptationis factæ à Nuncio ad id specialiter destinato habet effectum, vt communiter Doctores tradunt, & colligitur ex *cap. si tibi absenti, de prab. in 6.* Ergo idem est dicendum de prædictæ licentiæ concessione, cum nullum sit fundamentum aliam conditionem nouam exigendi; nã quod Sacerdos ea vti non possit licitè quovsque sibi innotescat esse concessam per accidens est, neque valorem licentiæ impedit, sicut neque cuiusuis alterius facultatis.

15. Verùm ego non recederem à sententia Basilij Pontij negatiua, quam etiam tuetur Martinus Perez *de matr. disp.41 sect.2. num.5.* & ideò dico, licentiam illam assistendi matrimonio concessam à Paroco non valere Sacerdoti, donec ipse sciat eam esse sibi concessam; nec satis esse quod fuerit concessa ad eius petitionem, & innotuerit Procuratori vel Nuncio. Ratio huius conclusionis eadem est, ac præcedentis, quia credi non potest Tridentinum, & Parochum velle vt licentia concessa valeat, & sit vera licentia quovsque is, cui conceditur, possit eâ licitè assistere, quia ad id conceditur. Atqui ignorat licentiam esse sibi concessam, quamuis iam acquisitam acceptatione à nunc, nequit licitè ea assistere matrimonio.

6. Secundò, quando prædictam licentiam à Parocho petit Sacerdos per litteras, vel Nuncium ab eo missum, & ipse Parochus eam concedit, non valere à tempore, quo id Nuncio intimatur, sed vt valeat, oportere, vt ipsi Sacerdoti nota sit talis licentia per litteras Parochi mandato scriptas, vel per Nuncium ab eo directum.

17. Tertiò, idem puto dicendum de prædicta licentia obtenta per Procuratorem non valere à tempore, quo id Procurator intelligit, sed à tempore, quo priuilegiatur, habet notitiam per illum.

18. Quartò, assero non esse facilè credendum contrahentibus se habere licentiam, vt alienus Sacerdos matrimonio assistat, nisi sint personæ valdè fide dignæ; ita communiter Doctores; Ratio est, quia in his, quæ pertinent ad forum externum, vt pertinet dicta licentia, est difficile credendum partibus. Firmo, nam licet in foro pœnitentiali ad quem pertinent Confessio, Eucharistia, & Extrema-Vnctio credatur se habere licentiam dicendi, at in foro externo, & in rebus spectantibus ad ipsum non creditur, vt constat *ex cap. sicut, de sentent.excomm.* Vbi probatur non adhiberi fidem excommunicato, dicenti se absolutum esse ab excommunicatione, nisi excommunicatus litteras absolutionis ostendat, aut alio modo legitimè de eius absolutione constet: non alia de causa, nisi quia pertinet ad forum externum; & ad externam Ecclesiæ gubernationem non creditur dicenti se habere licentiam, nisi aliàs personæ sint valdè timoratæ, & fide dignæ; Nam etiam notant Doctores, Paludanus, Angelus, Syluester, & Nauarrus, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.3. disp.37. num.3.* tametsi *in cap. sicuti de sent. excomm.* dicatur non esse credendum excommunicato dicenti se absolutum esse, nisi id legitimè ostendat; nihilominus tamen satis esse, si excommunicatus sit persona digna, & asserat se absolutum esse; ergo similiter in matrimonio est dicendum.

19. Quæro sextò: quid si Parocho interdictum sit ab ordinario, ne vlli Sacerdoti licentiam ad assistendum matrimonio concedat; Respondeo, concessionem, si fiat, illicitam fore: validam tamen esse dum prohibitioni non est adiectum decretum irritans, vt decisum à Congregatione Cardinalium testatur Sanchez *lib.3. disp.31. num.2.* Salzedo *cap.73. suæ practicæ §. primum igitur dubium*; Zeball. *qu.604. num.73.* Guttierrez *cap.67. per totum*, & colligitur manifestè ex *cap.2. de matrim. contr. contra interdict. Eccles.* Idem censeo dicendum de licentia concessa Sacerdoti sub onere præmittendi denunciationes, indagandi impedimentum, aliamve diligentiam præstandi, dum enim non additur decretum irritans, censeri debet prædictam diligentiam præcipi non in vi conditionis, sed oneris, & obligationis, maximè si sit diligentia quam ius commune postulat, vt tradit Sanchez *dicta disp. 32. & 33.* & Coninch *disp.27. dub. 3. num. 33.*

Sup. hoc supra in fine Ref.77. & in Ref.85. §.2. cursim ad medium, vers. si tamen. Et pro Decreto irritante hic appositio, lege supra doctrinã § Sed difficultas. Ref.70.

20. Sed Martinus Perez *de matrim. disput. 41. sect. 4. num. 4.* putat quòd si in commissione facta Sacerdoti dicatur, coniunge aliquos matrimonio, si per solertem indaginem inueneris eos non esse impeditos, dictum Sacerdotem inualide interesse; ea informatione non præmissa. Ratio est, quia illa

verba conditionem important alio modo quàm iure ineſt, & formam ſpecialem inducunt; nam aliud eſt dicere ſi fuerint idonei, tunc enim non inducitur conditio, quia iure ineſt, & exprimitur modo quo ineſt, aliud verò ſi inueneris eſſe idoneum, quia petitur informationem fieri, quod iure non inerat, & ideò talis clauſula inducit formam, & conditionem.

21. Ex his ego olim rectè interrogatus reſpondi, quod ſi Epiſcopus per ſe, vel per conſtitutionem Synodalem interdicat Parochis dare licentiam aſſiſtendi, niſi Sacerdotibus approbatis ab Epiſcopo, & Sacerdos cui data eſt licentia non ſit ex approbatis, ſit valida dicta licentia, aſſiſtentia, & matrimonium ipſum.

22. Reſpondi, inquam, validum id totum eſſe, niſi Epiſcopus, aut conſtitutio Synodalis expreſsè addat decretum irritans aliter geſta. Ratio eſt, quia id ſpeciale ſtatutum eſt in fauorem matrimonij, vt irritum non reddatur ex ſimplici prohibitione, ſic conſtat ex *cap.*2. ibi; licet enim contra interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debuerit, non tamen eſt conueniens, vt ob id ſolùm Sacramentum coniugij diſſoluatur. Igitur quamuis Epiſcopus, vel Synodalis conſtitutio ſimpliciter prohibeat, dum non addit decretum irritans, matrimonium non irritabitur. Firmo amplius: nam Tridentinum *Seſſion.*24. *de matr. cap.*7. præcipit Parochis ne interſint vagorum matrimonio, niſi præmiſſa diligenti informatione, & Epiſcopi licentia, & tamen ſi Parochus his non ſeruatis interſit eorum matrimonio, eſt validum. Ergo ſi coniungere aliquos matrimonio contra Concilij prohibitionem, vel dare licentiam alteri ad coniungendum abſque diligentia ibi præſcripta, non reddit illud irritum, à fortiori non reddet ſimplex Epiſcopi, vel Synodi prohibitio.

23. Nota hic obiter, Parochum criminoſum, & infamem infamia iuris, poſſe aſſiſtere in matrimonio. Vnde ſequitur primò, quod talis Parochus poſſit dare licentiam alteri Sacerdoti aſſiſtendi matrimonio, tradit Sà ſupra, & ſequitur ex variorum doctrina.

24. Sequitur ſecundò, infamem criminoſum, &c. poſſe ſubſtitui, quia Concilium ſolùm requirit conditionem ſacerdotij in ſubſtituto, & ita docet Præpoſitus *in* 3.*part. quæſt.* 4. *de matrim. cland. dub.*14. *num.*99. *fol.*927.

RESOL. LXXXIX.

*Quædam practicabilia circa Parochum, & eius licentiam aſſiſtendi matrimonio, ad ornatum Concilij Tridentini ſeſſ.*24. *cap.*1. *de reform.*

Pro quibus vary, ſingulares, & curioſi caſus adſcribuntur in corpore huius Reſolutionis. Ex part. 11. tr. 3. & Miſc. 3. Reſ. 34.

§. 1. IN ſequenti Reſolutione ſatis explicabitur, quis veniat ſub nomine Ordinarij ad aſſiſtendum matrimonio, nunc verò aliqua diſcutienda ſunt de Parocho, & de ipſa licentia aſſiſtendi matrimonio. Et ſuppono quod Parochus vnius contrahentis, ſi in eius Parochia matrimonium celebratur, validè, & licitè matrimonio aſſiſtit. Et hoc verum cenſeo, etiamſi Parochus extra propriam Parochiam aſſiſtat, ita contra Nauarr. *cap.* 25. *n.*144. Ludouic. Lopez 1.*p. inſtitut. cap.*86. §. *præterea, &* 2. *p. de matrim. cap.*39. Henriquez *lib.*11. *cap.*3. *n.*2. Rodriguez *p.*1. *ſum. cap.*218. *n.*5. Zeballos *d. q.*604. *num.*60. Baſil. Ponce *lib.*5. *cap.*16. *n.*4.

Sup. hoc inf. ex Reſ. 110. lege doctrinam §. Verùm à verſ. Vale el matrimonio. Sed lege eã per totam.

2. Et poſt alios docet Leander *de ſacram. tom.*2. *tract.*9. *diſp.*7. *quæſt.*16. Spino *de teſtam. gloſſ.*15. *n.*42. Sanchez *lib.*3. *diſp.*19. *num.*8 & 14. Coninch *diſp.*27. *n.*22 Guttierrez *tractat. de matrim. cap.*62. *n.*5.

2. Ratio videtur manifeſta, nam Concilium ſolùm exigit Parochi aſſiſtentiam, non autem exigit quod in propria Parochia aſſiſtat, neque eius fini neceſſarium erat, cùm eius aſſiſtentia vbicumque matrimonium celebretur clandeſtinæ nuptiæ vitantur, ob cuius cauſam aſſiſtentia Parochi à Concilio poſtulatur.

3. Sed difficultas eſt, an licitè extra propriam Parochiam aſſiſtat? Negant Salzed. *practic. cap.*73. §. *vndecimo, in noua edition.* Henriquez *lib.*11. *cap.*3. *num.*2. Rodriguez 1. *tom. ſumm. cap.*219. *num.*7. Baſilius Ponce *dict. lib.*5. *cap.*16. *num.*11. Coninch *diſp.*27. *dub.*2. *num.*19. Mouentur, quia nequit ſponſos benedicere: ergo neque eorum matrimonio aſſiſtere. Verius tamen ceſſante ſcandalo oppoſitum exiſtimo cum Spino *Gloſſ.*15. *num.*42. Segura Daualos *director. iudic. Eccleſiaſt.*2. *part. cap.*35. *num.*49. Sanchez *lib.*3. *diſp.*19. *num.*18. & 19. Guttierrez *cap.*62. *num.*6. eo quod prædicta aſſiſtentia nullibi prohibita inueniatur, & licet ſponſos benedicere non poſſit, vt tradit Concilium *ſeſſ.*6. *cap.*5. & *cap.*24. *ſeſſ.*1. *de reformat.* non inde infertur eorum matrimonio non poſſe aſſiſtere, cùm hæc aſſiſtentia magis vrgeat, & benedictioni ſolemni neceſſariò coniuncta non ſit. Verùm an etiam validum ſit illorum matrimonium, cui Sacerdos ex commiſſione Parochi aſſiſtit extra Parochiam committentis? Negant plures relati à Sanchez *lib.*3. *diſp.*34. *num.*1.

4. Quia eſtò Ordinarius exercere poſſit, extra territorium iuriſdictionem voluntariam, & delegatus inferior Principe eam exercere nequit, vt ex l.1. *de offic. proconſ.* tenent Barthol. *in l.*1. *n.*40. *Codice de Summa Trinitat. & fid. Catholic. & in dict. l.*1. *num.*1. Franciſcus Marchio *deciſion. Delphinat.*117. *in fin. part.*

5. Sed dicendum eſt ſimiliter delegatum aſſiſtere matrimonio poſſe extra Parochiam committentis, ac poteſt committens, quia ſuam illi poteſtatem delegat, neque eſt vllus textus, aut ratio ex quibus hæc delegatio reſtricta cenſeatur vt plurimum firmat Guttierrez *dict. cap.*62. *de matrimon. num.*10. neque verum eſt iuriſdictionem voluntariam, quam ex aſſiſtentia imitatur non poſſe extra locum committentis delegatum exercere; poteſt vtique tum in audiendis confeſſionibus, tum in conferendis beneficiis, vt probabilior fert ſententia apud Sanchez *lib.*3. *diſput.*34. *num.*2.

6. Et tandem obſerua aliquos docere, non ſufficere præſentiam Parochi vnius contrahentis in Parochia alterius, ſed neceſſariò requiri in Parochia viri præſentiam Parochi viri, & in Parochia fœminæ, præſentiam Parochi fœminæ; ſed contrariam ſententiam ego olim docui, & me citato nunc docet Leander *qu.*15. & omnia ſuperiùs dicta; præter Doctores citatos firmat Martinus Perez *de matrimon. diſput.*40. *ſect.*2. *per totam.*

7. Nota hic etiam primò, incolas loci in quo non viget Tridentinum, non poſſe validè matrimonium inire abſque Parocho, & teſtibus in loco vbi Concilium viget; ſecus autem dicendum eſt de incola loci, in quo viget Tridentinum: nam validè poteſt contrahere ſine Parocho, & teſtibus in aliis locis in quibus non viget: ita contra Henriquez, Rodriguez, Syluium, & alios docet ex pluribus Leander *de Sacr. tom.*2. *tract.*9. *diſp.*7. *quæſt.*11. qui notat procedere, etiamſi in fraudem legis Tridentinæ

contento in duobus seq. §§. supra in Resol. 74. & 78. & in to. 1. tr. 3. Resol. 117. in fine, & in tom. 4. tr. 3. Resol. 163. §. Confirmatur, in principio.

dentini proficiscantur ad locum vbi non viget, vt ibi sine Parocho, & testibus contrahant.

8. Quia probabilius est, quod si prædicti incolæ bona intentione contraherent, validè contraherent, vt nuper est habitum: ergo etiam validè contrahent, quamuis cum dicta mala intentione contrahant: nam contractus non læditur ex bona, vel mala intentione. Secundò, quia dicti incolæ in tali casu vtuntur iure suo; at qui vtitur iure suo, non dicitur in fraudem legis facere: ergo.

Vide etiam Martinum Perez *de matrim. disput. 39. sect. 6. per totum*, & Bossium *de matrim. cap. 4. §. 10. n. 18.* Præpositum *in 3. part. D. Thom. q. 4. de matrim. clandest. dub. 7. n. 42.*

9. Nota secundò dari casus in quo valeat epicheia, quoad decretum Concilij de præsentia Parochi, & testibus: nam ego modo certum existimo Christianos habitantes in prouinciis infidelium, & in eis natos, in quibus Tridentinum non fuit promulgatum, validè contrahere absque Parocho, & testibus. Ratio est manifesta, quia decretum Tridentini in eis prouinciis non habet vim ex defectu publicationis ab ipso Tridentino requisitæ ad id: idem dicendum est de Christianis captiuis, & mercatoribus, & quibuscumque aliis habitantibus in dictis prouinciis, & natis in prouinciis Christianorum, in quibus Tridentinum non est promulgatum, nec viget, quia etiam isti validè contrahunt absque Parocho, & testibus; cùm Tridentinum non habeat vim in suis prouinciis, neque in prouinciis infidelium, in quibus habitant.

Sup. hoc supra in Resol. 77. & 78. §. Ex superiùs.

10. Item puto validè contrahere captiuos apud infideles sine Parocho, & testibus, quamuis ad eas regiones ducti sint post publicationem, & receptionem in sua Parochia, nec animum ibi permanendi habeant.

11. Et ita, me etiam citato tenent Doctores, quos adducit, & sequitur Leander *de Sacram. tom. 2. tr. 9. disp. 7. q. 13.* qui cum Sanchez, & Pontio idem putant dicendum esse de matrimonio contracto inter Christianos mercatores, qui inter infideles commorantur, mercium congregandarum (vel alia ratione) causa.

12. Nec obstat dicere, si captiui possint in locis infidelium cõtrahere matrimonium absque Parocho, & testibus, quia ibi non est receptum, nec promulgatum Tridentinum decretum, certè nullis aliis legibus Ecclesiasticis ieiunij, abstinentiæ carnium, vel auditionis Sacri tenerentur, cùm ibi nec receptæ, nec publicatæ sint. Respondeo diuersas esse rationes, nam vt aliæ Ecclesiæ leges vbique obligent, sat est quod sint promulgatæ in qualibet fidelium Diœcesi, vel in Curia Romana: at decretum Tridentini vt obliget, specialem publicationem postulat in qualibet Parochia, vel loco habitantis. Cumque apud infideles hæc conditio deficiat in illis locis, hoc decretum nondum obligandi vires accepit, & consequenter qui in illis contrahunt, licet domicilium ibi non fixerint, non tenentur seruare solemnitatem in eodem decreto contentam, quia vt dictum est, cõtractus celebrandus est iuxta solẽnitates loci cõtractus.

13. Et ideò Præpositus, *vbi supra num. 45.* sic asserit; Ex his patet quid sit dicendum de Christianis captis à Turcis, vel commercij causa degentibus apud infideles, quos aliqui existimant non posse valide in illis terris contrahere sine Parocho, &c. si Tridentinum in loco domicilij sit receptum ante illorum captiuitatem: alij dicunt non posse, si non habeant animum permanendi, sed ex dictis patet posse quouis in loco. Ita ille.

14. Sed limitanda venit superior sententia in

locis, in quibus fuit promulgatum Concilium Tridentinum, licet postea in manibus infidelium, vel hæreticorum deuenerint, & sic hodie in Hollandia, vt ego alibi probaui: fideles non possunt contrahere matrimonium absque præsentia Parochi, & testium. Et ex dictis sequitur à fortiori Iudæos, qui aliquibus in locis habitant intra terminos Paræciarum, in quibus seruatur ea Tridentini constitutio, illa non adstringi; quod etiam dicendum de infidelibus commorantibus in dominio Regum Catholicorum, in quo Tridentinum hac in parte est receptum. Expediret tamen per ciuilem potestatem aliquem modum eis præscribi, quo de illorum matrimonio posset constare, quia etiam interest Reipublicæ ciuili, vt vitentur incommoda, quæ ex matrimoniis clandestinis nata sunt, hoc præmisso.

Alibi supr. in Resol. 78. §. Posset, in princip. & in aliis eius annot. & signãter ibi in §. Nec.

15. Dico primò, baptizati habentes domicilium in loco, in quo constitutio Tridentini est legitimè promulgata, & exacti sunt dies triginta à publicatione, & ibi contrahunt, necessariò debent seruare formam præscriptam, vt matrimonium validè ineant; est certa opinio, & apud omnes recepta, & ita docet Præpositus *vbi supra num. 31.*

16. Et tandem nota tertiò, magnam difficultatem adesse, quam habitationem contrahentes habere debeant in Parochia, vt eos Parochus coniungere possit: Basilius Pontius nimis laxè, dicit illius Parochiæ, in qua etiam per transitum habitas esse tuum Parochum, vt te possit in matrimonium iungere.

Sup. hoc inf. lege doctrinam per totam Resol. 112. & supra Resol. 87. §. Notandum est hic obiter.

17. Sed hanc sententiam tanquam improbabilem refellit Castrus Palaus, & alij communiter. Aliqui verò nimis strictè putant necessariò contrahi domicilium debere, vt possit Parochus illorum matrimonio assistere. Sic Rota *in nouis. decis. 643. num. 2. & 3. volum. 1.* Segura *2. part. direct. iudic. cap. 15. num. 48.* Man. Rodriguez *1. tom. sum. 2. edit. cap. 219. num. 6.* Henriquez *lib. 11. de matrimon. cap. 3. num. 3.* Spino *specul. testam. gloss. 15. num. 41.* Petrus de Ledesma *de matrimon. quæst. 45. art. 5. punct. 3. post dub. 4. §. dico tertiò.*

18. Mihi verò placet opinio media; & ideò assero non solùm illum verum Parochum tui esse ad matrimonium, in cuius Parochia habes domicilium, id est habitationem animo perpetuò manendi, dum commodior non se obtulerit, sed etiam illum, in cuius Parochia decernis maiori parte anni commorari animo postmodum in proprium domicilium reuertendi, qualiter procedunt Scholastici in Vniuersitate, & Mercatores in curia, & mercenarij locantes opera, sic latè probat pluribus relatis Sanchez *lib. 3. disp. 23. à num. 12.* Guttier. *cap. 63. de matrimon. à num. 13.*

Sup. his scholasticis lege doctrinam Resol. seq. & signanter §. vlt.

19. Quibus adde Præpositum *in 3. part. D. Thomæ quæst. 4. de matrimon. clandest. dub. 9. num. 58.* & Bossium *de matrimon. cap. 4. §. 2. num. 9.* Immo quoad hoc, vt valeat matrimonium inibi coram Parocho habitationis celebratum, non est opus expectare, vt maiori anni parte hi in Parochia, vel Diœcesi habitent, sed statim ac animum habitandi maiori anni parte habent, incipiunt habitare, efficiuntur Parochiani, & possunt ibi omnia Sacramenta, Ordine excepto, recipere ab Ordinario, vel Parocho habitationis. Ita Guttierrez *dicto cap. 63. num. 20.* Augustinus Barbosa *de potest. Episc. dict. alleg. 32. n. 64. & de Parochis dict. cap. 21. num. 35.* Sanchez *lib. 3. dict. disput. 23. num. 14.* Basilius Pontius *lib. 5. cap. 13. dict. §. 1. num. 4.* Et ego *dicto casu 13. num. 33.* ob eam rationem, quod sicut ad domicilium simpliciter acquirendum, nulla requiritur temporis habitatio, sed statim ac quis incipit habitare cum animo perpetuo manendi, illud acquirit. Ita statim ac incipit

quis habitare, animum habens habitandi non ad modicum, sed ad longum tempus, contrahit, seu acquirit quasi domicilium, & efficitur quasi incola, & Parochianus.

20. Et ideò ex Barbosa Bossius *vbi supra* §. 10. *n.*18. testatur, Sacram Congregationem in Senen. 17. Maij 1610. declarasse validum fuisse matrimonium cuiusdam inuenis cum meretrice, qui dubitauerat illud in propria Ciuitate contrahere, adhibendo Concilij Tridentini solemnitates; eo quod iuuenis parentes impedimentum eisdem facilè facturi erant, & propterea ad Vrbem Romam se transtulerunt, & coram testibus, & Parocho in Parochia, in qua aliquantulum morati erant, contraxerunt per verba de præsenti.

RESOL. XC.

Quinam sub nomine Ordinarij comprehendantur ad ornatum Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reformatione, & aliorum textuum & Canonum?

Et docetur Episcopum, & Archiepiscopum, in sua Diœcesi, & aliquando comparatione suffraganeorum; Cardinalem, respectu subditorum Ecclesiæ sui tituli; Legatum Pontificis in Prouincia suæ legationis; Capitulum Sede vacante, seu eius Vicarium; Abbates Ecclesiæ nullo Episcopo subiectæ, omnes prædictos comprehensos esse sub nomine Ordinarij.

Et an Vicarius generalis Episcopi, vel prouisor dicendus sit Ordinarius?

Et quid de Vicariis forensibus?

Et an vt Vicarius generalis queat per se assistere matrimonio, etiam debeat esse Sacerdos?

Et quid de Parocho?

Et quid est sentiendum de Abbatibus Commendatariis perpetuæ Abbatiæ, habentibus iura Episcopalia, vt est Abbatia Farfensis, &c.

Et an Magister Scholæ Salmantinus respectu Scholasticorum, qui in Matricula scripti sunt, an sit Ordinarius eorundem Scholasticorum, possitque valide assistere eorum matrimoniis, & aliis assistendi licentiam dare? Ex part. 11. tr. 3. & Misc. 3. Resol. 35.

Sup. hac generali quæst. lege supra doctrinam à medio §. 1. vsque in finem Resol. 67.

§. 1. DE hac quæstione latè agit Antonius Gomez *in Bullam Cruciatæ per cap. 4. per totum*, omnes verò conueniunt Episcopum, vel Archiepiscopum in sua Diœcesi esse ordinarium, non tamen comparatione subditorum suffraganeorum, quia comparatione horum ordinarius non est, nisi in casibus specialibus, vt decidit *cap. pastoralis in princ. de offic. ordinarij*. Casus autem speciales sunt primò, si actu visitaret suffraganeos; etenim eo tempore ordinarius censetur teste Henriquez *lib. 19. cap. 13. num. 3.* Sanchez *lib. 3. disp. 28. num. 3. & 4.* Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 25. sect. 1. n. 14.* Coninch. *de matr. disp. 27. num. 17.* Secundò extra tempus visitationis denegata ab Episcopo licentia, fueritque causa ad Archiepiscopum per appellationem deuoluta: tunc enim causa cognita & sententia prolata, cui locus appellationi non sit, poterit eo matrimonio assistere, vel licentiam concedere, sicut resoluunt Spino *de testam. gloss. 15. num. 39.* Segura *direct. iudic. Eccles. iust. 2. part. cap. 15. num. 50.* aliis relatis Sanchez *lib. 3. disp. 28. num. 4.* Guttierrez *de matrim. cap. 66. num. 3.* Deinde censetur ordinarius Cardinalis respectu subditorum Ecclesiæ sui tituli, quia habet iurisdictionem quasi Episcopalem ex *textu in cap. his quæ, de maiorit. & obedient.* & tradunt Nauarrus *lib. 4. consil. tit. de sponsal. consil. 47. alias tit. de clandestin. desponsat. consil. 14. num. 1.* Sanchez *dict. disp. 28. n. 7.* Guttierrez *cap. 66. num. 9.* Item sunt ordinarij omnes Legati Pontificis in Prouincia suæ legationis, possunt enim quidquid potest Episcopus, vt probat Sanchez *n.* 8. Guttierrez *n.* 10. & *lib. 1. canonic. quæst. cap. 11. num. 6.* Coninch. *disp. 27. dub. 2. n. 16.* Præterea censeri ordinarium capitulum Sede vacante, seu eius Vicarius resoluunt Spino *loco allegato*, & alij communiter. Item ordinarius censetur Abbas Ecclesiæ nulli Episcopo subiectæ, vt colligitur ex *cap. Ioannes de testament.* & tradit Henriquez *lib. 11. de matr. cap. 3. n. 4.* Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 45. art. 5. punct. 3. paulò ante dub. 4.* Sanchez *dict. disp. 28. n. 6.* Denique omnes illi, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent comparatione subditorum ordinarij censentur, vt benè cum probant Sanchez, Guttierrez, & Coninch. *loc. alleg.*

Sup. hoc in tom. 3. tr. 3. Resol. 8. & ibi in tr. 2. Resol. 29. 30. & 31.

Sup. hoc in fine Resol. 1. not. præteritæ, & in to. 3. tr. 2. Resol. 30. §. Nihilominus.

Sup. hoc in tom. 9. tr. 7. Resol. 50.

2. An vero Vicarius Episcopi Generalis in Hispania Prouisor dicendus sit ordinarius, negat Gomez, *vbi supra num. 21.* & Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 3. verbo circa concessiones*, Petrus de Ledesma *quæst. 45 de matrim. artic. 5. punct 3. dub. 4.* & ideò asserunt, secluſa speciali commissione, quòd non possit assistere matrimonio, nec Sacerdoti licentiam concedere. Mihi verò placet contraria sententia, quam tuetur Petrus Henriquez *lib. 11. cap. 3. num. 4.* Sanchez *lib. 3. disp. 29. num. 18.* Guttierrez Canon. *quæst. lib. 1. cap 19 num. 13. & tract. de matrim. cap. 66. num. 12. & cap 69. num. 9.* Coninch *disp. 27. dub. 2. num. 17* Layman. *lib. 5. Sum. tract. 10. 2 part. cap. 4. n. 5.* Basil. Pont. *lib. 5. cap. 11. n. 1.* Gaspar Hurtado *disp. 5. de matr. diffic. 9. num. 32.*

3. Et ratio est, quia ordinarius est qui habet iurisdictionem ordinariam, & iurisdictio ordinaria est, quæ vel lege, vel Canone, vel consuetudine conceditur, & habetur *l. 1. l. & quia ff. de iurisdict. omn. iud. l. 2. Cod. de officio eius, qui vicem alterius gerit, cap. 2. in dicibus* §. 2. *quæst. 6.* ibi ordinarij verò sunt, qui ab Apost. & Ecclesiasticis, vel ab Imper. vt sæculares legitimam potestatem accipiunt *cap. 1. & cap. sanquerente, de officio Ordinarij, & aliis capitibus eodem titul. in Decretalibus, & in 6.* quare cùm Episcopus dum Vicarium constituit generalem, ei non conferat iurisdictionem, sed supposita electione, & constitutione in Vicarium Generalem ei à Canone tribuatur, vt constat ex dicto *cap. licet. & ibi Gloss. & scribentibus de officio Vicarij in 6.* verè, & propriè est ordinarius, & consequenter vigore Tridentini potest assistere, & alteri licentiam assistendi matrimonio concedere.

4. Nec obstat dicere, quod inquit Tridentinum *sess. 24. cap. 20. de reformat.* cognitionem causarum matrimonialium ad solum Episcopum pertinere, tacitè eius Vicarium excludens. Respondeo, quòd estò asserat ad solos Episcopos pertinere causarum matrimonialium cognitionem, non obinde Vicarium excludit; oportebat namque expresè illum excludere, vti factum est *sess. 24. cap. 6.* ibi, eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum, sicuti annotant Flamin. *lib. 3. de resign. benefic. quæst. 12. num. 20. & 21.* Sanchez *lib. 3 disp. 29 num. 16.* Guttierrez *cap. 69. n. 7.* Adde etsi ex ratione Vicariatus non deberet causas matrimoniales Vicarius Episcopi cognoscere, adhuc non infertur valide assistere matrimonio non posse; siquidem Parochus causas matrimoniales non cognoscit, & tamen valide assistit, & licentiam concedit, quia est ordinarius.

5. Hinc notandum est, quoties in aliquo decreto mentio fit ordinarij, nisi subiecta materia aliud exposcat, intelligi non tantum Episcopum, sed omnes habentes iurisdictionem ordinariam; quòniam

nes illi ordinarij sunt : atque adeo nomine ordinarij comprehendi Vicarium Episcopi, cùm verè ordinarius sit, quare cùm in Tridentino mentio fiat ordinarij, comprehenditur quoque Vicarius Episcopi. Idem dic de Vicario Capituli Sede vacante, & aliorum habentium iurisdictionem Episcopalem, cùm verè ordinarius sit.

Quæ ad hoc in Ref. not. præteritæ in eius §. vlt.

6. Hæc autem non sunt extendenda ad Vicarium foraneum ; hic enim neque ordinarius est, nec per se assistere matrimonio potest, aut licentiam concedere, nisi ea potestas ei fuerit specialiter commissa, vt ex communi sententia docet Sanchez *dict. disp.* 29. *num.* 20. Guttier. *cap.* 67. *n.* 16. & *cap.* 69. *n.* 11.

7. Nam licet Vicarius Foraneus alicuius partis Diœcesis dicatur etiam Vicarius propriè in ea parte, in qua vices Episcopi gerit, iuxta *glossi. in clem.* 2. *verbo Foraneos, de rescriptis.* Bertachin. *tract. de Episc. part.* 8. *lib.* 4. *tit. de Vicario Episc. n.* 17. & alios quos citat Sbroz. *de Vicar. lib.* 1. *quæst.* 20. *dict. n.* 1. tamen, cùm non gerat vices Episcopi sui in eodem loco, in quo Episcopus non dicitur propriè Vicarius illius, Bartol. *in l.* 1. *ad finem ff. quis, & a quo* Couarruu. *pr. quæst. cap.* 4. *num.* 8. Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *quæst.* 12. *n.* 15. Spino, & Sbroz. *locis citatis.* Quare etiam non est ordinarius, cùm non habeat potestatem ordinariam, vt dixi in tractatu de triplici Iubilæi priuilegio *sess.* 3. *casu* 2. §. 3. *n.* 60 circa finem, Sed delegatam, nec cum Episcopo constituat idem tribunal, & auditorium, vnde ab eo ad Episcopum appellatur, quapropter Vicarius Foraneus neque matrimoniis validè assistere, neque aliis assistendi licentiam dare, ex vi sui officij, seu delegationis in Vicarium foraneum potest ; sed ad hoc ei specialis Episcopi commissio necessaria est assistendi, vel concedendi aliis licentiam assistendi. Si autem ei ab Episcopo causarum matrimonialium cognitio in genere concederetur ; tunc ex vi huiusmodi delegationis, & validè assistere, & aliis assistendi licentiam dare posset, vt tradunt Segura *in directorio* 2. *part. cap.* 15. *num.* 16. & *cap.* 16. *n.* 2. Sanchez, Guttierrez, & Pontius *locis proximè citatis*, quia si potest de causa principali cognoscere, multò magis de causa minus principali, & accessoria, ac de præambulis, Regula cui licet quod plus est, *de reg. in* 6. & præter Doctores citatos Stephanus Gratian. *tom.* 1. *discept. Forens. cap.* 83. *n.* 13.

8. Sed vt Vicarius Generalis queat per se assistere matrimonio, eum debere esse Sacerdotem affirmant Nauarrus *Consil. lib.* 1. *de officio ordin. consil.* 1. *in prima edit. & lib.* 4. *consil.* 10. *in* 2. *edit.* Salzedo ad Diaz *dict. cap.* 73. *versic.* 14. Iulius Sannazarius *dict. artic.* 4. *num.* 36. Ceuallos *tom.* 1. *quæst.* 604. *num.* 59. Cenedo *quæst.* 30. *num.* 46. Vgolinus *de potest Episc. cap.* 15. §. 10. *nu.* 5. Zerola 2. *part. praxi verbo Parochus* §. 3. Hieron. Vener. *lib.* 1. *exam. cap.* 39. *num.* 6. & Sayrus *decis.* 1. *sub tit. de offic. ordin.* & attestatur Salzedo, & Nauarrus S. Congreg. id declarasse de Parocho, quòd non possit iuxta Concilium assistere, nisi sit Sacerdos ; sed tenendum est, Vicarium Gener. non sacerdotem valide assistere, provt probabile putat Sannazarius *loco citato*, vt etiam Nauarrus ait de iure esse probabile, licet ob sacræ Congregationis declarationem secus sentiat, & absolutè tenent Bossius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 11. & Barbosa *de potest. Episc. part.* 2. *allegat.* 32. *num.* 120. quia etiam Parochus non Sacerdos validè assistit, vt dicemus infra, & declarauit Sacra Congregatio provt refert Bellarminus *ad dict. cap.* 1. *sess.* 24. in declarationibus, vltima declaratione, quæ sic habet, Parochus sufficit etiamsi non sit Sacerdos, dum expectatur manus. Vnde non est credendum emanasse declarationem in contrarium, quam allegant Nauarrus, & Salzedo *loco citato*, & ipsemet Nauarrus, licèt *loco citato* consuluerit quòd Vicarius Episcopi non Sacerdos non interfit matrimoniis, sed alium Sacerdotem deleget, nihilominus *consil.* 30 *de sponsal. in* 1. *edit. & consil.* 9. *de clandest. desponsat.* absolutè tenet non requiri Sacerdotium in Parocho.

Sup. hoc in Ref. not. seq.

Sup. hoc supra in Ref. 88. §. 1. à lin. 3.

9. Verùm ex his oritur difficultas, an quòd dictum est de Abbatibus titularibus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, sit extendendum ad Abbates commendatarios perpetuos Abbatiæ habentes iura Episcopalia, vt est hodie in Abbatia Farfensi Eminentissimus, & nunquam satis laudatus Princeps, & Dominus meus Franciscus Cardinalis Barberinus ; & videtur negatiuè respondendum ex declaratione Sacræ Congregationis ; quam refert, & sequitur Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 13. vbi sic ait, Quæret aliquis in hoc *cap.* An qui habet in commendam Abbatiam, quæ iura Episcopalia habeat, intelligatur in præsenti nomine Ordinarij : extat de hoc decisio Congregationis Cardinalium, quæ apud Farinacium *sess.* 24. *Concilij Tridentini cap.* 1. *de reformat. matr.* his verbis concepta est ; Non permittitur hæc facultas commendatario, licet eius Abbatia iura Episcopalia habeat, cuius Abbas appellatione Ordinarij venit iuxta *glossam in cap. fin. de offic. ordin. in* 6. Dixit enim S. D. N. quod Ordinarius hic non intelligitur nisi Episcopus, tamen Cardinali Farnesio Commendatario Farfensis Monasterij fuit permissum, non autem eius Vicario. Hæc ibi. Ex quibus discès neque commendatarium de iure posse, neque eius Vicarium, quamuis commendatario specialiter à Sede Apostolica concessum fuerit, nisi expressè etiam eidem Vicario Apostolica Sedes concesserit. Ita Pontius.

Sup. hoc supra lege doctrinam Ref. 67. signanter à medio §. 2.

10. Sed præfata declaratio ait Angelus Bossius *de matr. cap.* 4. §. 20. *num.* 56. videtur suspecta, cùm in ea dicatur solum Episcopum comprehendi nomine Ordinarij in dicto *cap.* 1. *sess.* 24. quare subdit Bossius, nisi mihi magis constet de mente eiusdem S. Congregationis, putat contrariam sententiam veram esse. Et illam obseruat docuisse Nau. Ceuall. Molin. & alios ; tum quia quicquid potest Titularis ratione dignitatis, potest illius commendatarius, Panor. *in cap. querelam de elect.* Dec. *in cap. edoceri de restitut.* Nauarr. & Molin. *locis citatis* ; tum quia decretum Concilij de Ordinariis loquitur indefinitè, & regula indefinita vniuersali æquipollet, Glossa communiter recepta in *cap. vt circa, de elect. in* 6. At verò Abbas Commendatarius ordinarius dicitur, Gloss. & Text. *in cap. ordinar. de offic. ordinarij in* 6. Ergo, &c.

Ideò puto magis diligenter de veritate supradictæ Cardinalium declarationis inquirendum esse, vt posteà necessario illam sequi debeamus.

Quãuis non plene sup. hoc, lege tamen doctrinam §. Mihi, Ref. præteritæ.

11. Verùm quid dicendum est de magistro Scholæ Salamantinæ respectu Scholasticorum, qui in matricula descripti sunt ; An sit Ordinarius eorundem Scholasticorum, possitque validè assistere eorum matrimoniis, & aliis assistendi licentiam dare ? Negat Basilius Pontius *dict. leg.* 5. *cap.* 12. *n.* 8. & *sequent.* vbi plutibus contendit dictum Magistrum habere in Scholasticos Salamantinos laicos iurisdictionem tantùm sæcularem ; Sanchez verò *lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 6. & Guttierrez *cap.* 56. *num.* 9. referunt opinionem Manuelis asserentis dictum Magistrum comprehendi *in dict. cap.* 1. *sess.* 24. nomine ordinarij, haberéque in dictos scholasticos omnem iurisdictionem quasi Episcopalem, ac proinde posse remittere denunciationes matrimoniales, assistere matrimonio, & aliis assistendi licentiam dare, & concedere.

RESOL. XCI.

De testibus necessariis ad contrahendum validè matrimonium.

Et an sit necessarium hos testes esse rogatos?

Et an sufficiat, quamuis vi detenti, & repugnantes interfint, modo percipiant contractum celebratum?

Et an prædicti testes pro validitate matrimonij debeant esse omni exceptione maiores?

Et an testes simul cum Parocho interesse debeant matrimonio, vel sufficiat successiuè coram illis explicent contrahentes consensum?

Et an peccent mortaliter, qui contrahunt coram Parocho coacto, quod non procedit quoad testes?

Et an ad constituendum Procuratorem pro matrimonio contrahendo non sit necessaria certa ætas, nec qualitas alia præter eam, quam ius naturale exposcit ad explicandum consensum nomine alterius, nimirum vsum rationis?

Et an matrimonium initum coram testibus, & Parocho si iste sit intrusus, non obstante quod adsit error communis, an adhuc matrimonium sit validum? Ex part. 11. tr. 3. & Misc. 3. Res. 33.

§. 1. CErtum est, ad matrimonij valorem præter Parochum, vel alium Sacerdotem de licentia Parochi, requiri & sufficere duos testes, coram quibus contrahatur, nec sufficere vnum testem. cum eo. De Parocho patet, quia Tridentinum *sess. 24. de matrimon. cap. illo primo*, expresè irritat matrimonium non contractum coram Parocho, vel Sacerdote de eius licentia, & duobus, vel tribus testibus præsentibus. Est verò doctrina certa, quando statutum requirit ad certum actum duo personarum genera, personam vnius generis non posse vtriusque vicem gerere, atque adeò statuto, vt valeat actus coram presbytero, & tot testibus, presbyter ipse non potest esse vnus ex illis testibus. Cum ergo Tridentinum exigat duo genera personarum, nimirum Parochum, seu Sacerdotem de eius licentia, & duos saltem testes præsentes, non poterit Parochus, vel ille Sacerdos obire munus Parochi, & simul vicem alterius ex illis duobus testibus supplere.

2. Hos tamen testes necessarium non esse rogatos, quia ea qualitas à Concilio non exigitur, vt benè notarunt Gregor. Lop. *leg. 1. verbo sin testigos, tit. 3. part. 5.* Caldas Pereira *de empt. & vend. cap. 6. n. 22.* Henriquez *lib. 11. cap. 3. n. 9.* Sanchez *l. 3. disp. 41. n. 7.* Guttier. *de matrim. cap. 44. num. 77. & cap. 55. in fine:* Quinimò sufficiunt, quamuis vi detenti, & repugnantes interfint, modo percipiant contractum celebratum, sicut de parocho diximus, quia ea vis non impedit, quin possint de matrimonio testari, vti tradit Zeball. *in suis quæst. pract. quæst. 604. n. 81.* Sanch. *l. 3. d. 39. n. 9.* Coninch. *d. 27. n. 44.* Cenedo *pr. & Can. quæst. lib. 1. quæst. 30. num. 108. ad finem.*

Sup. hac vi supra in Resol. 88. § Et hanc à lin. 5. & cursim in fine alterius Res. eius not. pro parte Parochi.

3. Nota tamen, eos qui contrahunt coram Parocho coacto, per se loquendo peccare mortaliter. Probatur, quia grauem iniuriam irrogant ipsi Parocho, vt ministro Ecclesiæ ab ipsa deputato ad auctorizandum matrimonium; ergo peccant grauiter contra Religionem, vel contra duliam Sacram. Peccant verò contra iustitiam, aut mortaliter, aut venialiter pro quantitate violentiæ. Dixi per se loquendo; nam posset contingere, vt esset grauis necessitas contrahendi, & absque iusta causa nollet Parochus assistere; tunc enim posset dolosa æquiuocatione vocari Parochus, non tamen vi cogi, quia priuati nequeunt id efficere.

Sup. hac vi in §. & lin. not. præteri-

4. Tamen hoc non procedit quoad testes, & ideò assero eos qui contrahunt coram testibus, coactis, vel dolo adductis, non peccare grauiter contra Religionem, sed solùm venialiter: Patet, quia ipsi non gerunt vices Ecclesiæ, auctoritatem præstando ipsius nomine, matrimonio, quod Parochus præstat, sed solum obeunt testium ministerium, quod æquè præstare possunt vi detenti, aut ad aliud dolo vocati; esset tamen culpa venialis contra Religionem, quia non seruatur debita reuerentia Sacramento. Peccant verò contra iustitiam aut mortaliter, aut venialiter pro quantitate violentiæ ipsis illatæ; huius enim ex qualitate iniuriæ pensanda est, an sit mortalis; similiter dico de testibus, si absque iusta causa nollent assistere, & esset grauis necessitas contrahendi, possent vocari dolosa æquinocatione, sed nulla vi cogi; id enim officium est non priuatæ, sed publicæ potestatis. Ita Perez *de matrim. disp. 40. sect. 10. num. 6. & 7.*

5. Nota etiam, Parochum, & alios duos testes simul interesse debere matrimonio, nec sufficere si successiuè coram illis explicent contrahentes consensum. Patet, quia Tridentinum copulariuè exigit assistentiam Parochi, & testium, vt possint testificari de matrimonio, tanquam de vno, & eodem contractu; at non plenè constat, quando non sunt simul physicè Parochus, & testes, cum sint testes singulares; Vnde non sufficiet simultas moralis, vt sufficit simultas materiæ, & formæ in alia Sacramentis; quia hìc assistentia Parochi, & testium deliberatur à Tridentino, vt per eos possit plenè constare de contractu matrimonij inito.

6. His suppositis difficultas est, an dicti testes pro validitate matrimonij debeant esse omni exceptione maiores, videtur affirmatiuè respondendum eò quod Concilium eorum præsentiam exigat, vt de matrimonio constet ex eorum testimonio, at testes minus idonei non plenè probant. Quinimò sæpè à testimonio dicendo repelluntur, vt sunt infames, aut alio vitio notati. Vt ergo fini Concilij fiat satis, necessario testes omni exceptione maiores debent adhiberi, quales, spectato iure antiquo ad probationem matrimonij requirebantur, iuxta textum, *in cap. super eo el 2. de testibus, & leg. 16. titul. nona, part. quarta*, & tradit aliis relatis Mascard. *de probation. conc. 1023. num. 4.* Anton. Gab. *tom. 3. comm. opin. lib. 1. titul. de testibus conclus. 8. num. 3. versicul. contrarium.* Adde, causa matrimonialis est causa ardua, & grauis, neque debet tractari per quoscumque iudices ex Textu, *in cap. 1. in fine de consanguin. & affin.* At in causa ardua non admittitur testis, cuius fides ob aliquam rationem infirmari possit *cap. licet § quamquam autem, de probat.* ergo.

7. Sed communis sententia est in contrarium, & ideò Martin. de San Ioseph *in mon. confess. tom. 1. lib. 1. tract. 15. de matrim. n. 22.* ait; [No es necessario que los testigos sean mayores de toda exception como tengan vso de razon, basta que sean qualesquiera, aunque sean infames, descomulgados, padres, parientes, mugeres, y aun infieles, porque estos quando son puestos por testigos en escritura o instrumento son sufficientes, aunque no lo sean para deponer en iuizio por las tachas que los pone el Derecho *glos. Authent. de testibus, §. & licet verò de supplic. iis*, Baldus *l. parentes num. 1. versicul. sed sic loquitur in Codice de testibus.* Anton. Gabriel alios referens *tom. 1. commun. lib. 1. titul. de testibus con. 10. num. 50 & con. 13. num. 13.* demas deque la autoridad del Parocho, ò otro Sacerdote, que ha de assistir con ellos, suple los defectos de los testigos.] Traille, qui citat Henriquez, Sanchez, & Hurtadum. Et ratio est, tum quia testes omni exceptione maiores difficilè inuenirentur;

nirentur ; & sic daretur occasio maioribus damnis, & litibus, quibus Ecclesia intendit obuiare in contractu matrimonij ; tum etiam, quia cùm ius Tridentini sit odiosum,& nullus testis in eo excipiatur, non est cur restringendum sit ad dictos omni exceptione maiores, præsertim cùm matrimonium fauorabile sit;tum denique,quia secluſa prohibitione legis admitti possunt testes inhabiles ex mutuo consensu partium, seu contrahentium, vt constat ; hîc verò in matrimonio nec lex aliqua vetat, nec sine consensu contrahentium admittuntur ; ergo.

Sup. his supra in Resol. 60.§.Notandum est tamen.& in fine §.Notandum est etiam.

8. Ex his ego consului ad constituendum procuratorem pro matrimonio contrahendo non fuisse necessarium certam ætatem, nec qualitatem aliam, præter eam, quam ius naturale exposcit ad explicandum consensum nomine alterius, nimirum rationis vsum, vt de testibus diximus. Ratio est, tum quia in procuratore tametsi requiratur certa ætas, vt annorum vigintiquinque ad iudicia ; sed non in Procuratore ad matrimonium ; iudicium enim est inter contrahentes, contractus verò inter consentientes celebrantur ; Vnde quælibet ætas in procuratore ad illos constituta, est idonea, dummodo sit capax consensus, tum etiam quia tametsi ad alia negotia desideraretur in procuratore certa ætas ; non ideò requiritur in procuratore ad matrimonium, quia nulla prorsus eius industria desideratur, quia tantum explicat consensum absentis. Vnde durissimum videtur posse puerum quatuordecim annorum se ligare matrimonio,& ad id capacitatem sufficientem habere & non ad exprimendum consensum alterius contrahere volentis ; tum denique quia cùm matrimonij contractus sit cæteris fauorabilior, non quæcumque cæterorum contractuum valorem impediunt matrimonij, nisi iure exprimatur de ipso matrimonio, vt constat de muto, surdo à natura, qui nullum contractum inire potest iure cõmuni id prohibente, & tamen in illa prohibitione generali contractuum non includitur matrimonium ; nam mutus simul & surdus, si intellectum habeat perspicacem ; ita vt signis edoceri possit quid sit matrimonium, & signis indicare consensum, validè contrahit illud, sicut & potest confiteri,& absolui.

Et hæc omnia docet etiam Martinus Perez *de matrim. disp.*40.*sect.*10.*num.*7. & Præpositus *in* 3. *part.quæst.*4.*de matrim.clandestino dub.*14. *num.*95.& 98. Reginaldus *in Praxi tom.*2.*lib.*31.*pre.*23. Rebellius *p.*2.*l.*2. *quæst.*8.& alij penes ipsum.

9. Et tandem pro complemento dictorum in superioribus Resolutionibus,quæro hîc, An matrimonium initum coram testibus, & Parocho, si iste sit intrusus, non obstante quòd adsit error communis, an adhuc dictum matrimonium sit validum:negatiuè respondet Sanchez, Perez,& alij Ego autem satis probabiliter contrarium sentio ex his,quæ alibi adduxi, ideò nouissimè nostram sententiam probabilem dicit Martinus de San Ioseph *in mon. confess. tom.*1.*lib.*1.*tract.*5. *de matrim.n.*14.cui adde Castrum Palaum *tom.*5.*disp.*2.*punct.*13.§.10.*num.*9. quia præscriptione, & consuetudine iurisdictio acquiritur, eamque tribuere potest qui est in possessione delegandi, tametsi verum titulum non habeat, *argum.textus in Auth.de tabellionibus,seu nouella* 44. *cap.*1.*in fine*,ibi documentis propter vtilitatem contrahentium non infirmandis, quippè vtilitati publicæ maximè expedit, negesta ab eo qui communiter posse existimatur, inualida sint,cum Respublica defectum supplere possit.

Albi supra in Resol. 81. & in tom. 1. tr.3.Resol.19. & in Resol.20. §.Imo, & seq. & ex doctrina Resol.21. & in tom.3. tr.1. Resol.5. à §. Sed difficultas. & in tom.8.tr.1. Resol.5.§.Sed audiamus, breuiter. ad medium. vers. Insuper.

10. Vide etiam, me citato, eruditum, & amicissimum Patrem Laurentium Longum *in tabulis Sacramentorum*, *tab.*2. *cap.*59. & me citato. Possentium *in recollect.quæst.moral.cap.miscell.pr.regularib. sect.*3.*n.*17. & me citato Busenbaum *in medulla Theologiæ moral. lib.*6. *tract.*4. *insp.*2.*dub.*5.*n.*8. & plures alios,quos ego alibi adduxi contra Escobar à Corro, qui parum modestè hanc sententiam sigillatus est.

Alibi signanter in Resol.1. not.præteritæ,& in aliis eius not.

RESOL. XCII.

An excommunicatus vitandus sit admittendus vt testis in causis matrimonialibus ?
Et quid si sit toleratus ?
Et in causis fidei non est dubitandum.
Et notatur, quod assistentia Parochi excommunicati, etiam non tolerati contrahentibus matrimonium valida est. Ex p.11.tr.4. & Misc.4. Resol.21.

§. 1. Affirmatiuè respondet Bonacina *de censuris disp.*2. *q.*2. *punct.*7.*num.*12. vbi sic ait. Excommunicatus toleratus licitè potest ferre testimonium. Ratio est, quia actus testandi ex natura sua vergit in fauorem illius pro qua præstatur ; excommunicatus autem toleratus licitè potest actus in fauorem aliorum præstare, & exercere, modò non sese ingerat sua sponte, vt patet ex supradictis, & ex *c. decernimus, de sentent.excommunic. in* 6.*ex cap. veniens,&c. testimonium de testibus.* Excommunicatus verò vitandus non potest licitè ferre testimonium, eo quod prohibita sit cum ipso communicatio, Excipitur causa fidei in qua potest testari, & accusare, *cap. in fidei fauorem de hæretic.in* 6.Excipi etiam posse videtur causa matrimonij, quæ est valde fauorabilis, vt colligitur ex *cap.final.de sententia & de re iudic.*

Sup. hoc tom.5. tr.1. Resol.83.§.1. in fine,& in Resol. 91.§.Sed cõmunis. cursim ad lin.6. & in tom.5. tr.1.Resol.114. §. vlt.

Sup. hoc in tom.5. tr.10. Resol.41. ad lin.2. & cursissimè in alia lin. eius not.

2. Sed ego sententiæ negatiuæ adhæreo. Dico igitur certum esse in causa fidei non solùm validè, sed licitè excommunicatum vitandum testem esse, vt habetur *cap. in fidei fauorem, de hæreticis in* 6. & notant ibi Doctores,Geminian. Ancharan.Franc. in *cap. decernimus, de sentent. excomm.* Sayrus *lib.*2. *de excomm. cap.*8. *num.*1. vt docet Hurtadus *de excom. disp.*9. *difficult.*1. Coninch. *de Sacram. disp.* 14. *dub.* 11. *num.*110. Suarez *de cens. disp.*16.*sect.*6.*num.*6. & alij.

3. Hoc tamen contra Bonacinam negandum puto in causis matrimonialibus, quia Doctores solum in causa fidei concedunt excommunicato vitando, vt se in testem, actorem, & accusatorem ingerere possit;quia solum in causa fidei, vt pote grauissima id expressum inuenitur,& cùm sit exceptio, à generali regula ; non debet ad alios casus extendi præcipuè cum ratio longè diuersa sit. Neque obstat causam matrimonialem esse fauorabilem, quia non est æquè fauorabilis,ac causa fidei.Et casu quo æquè fauorabilis esset ; id solum probat debere huiusmodi causæ eundem fauorem concedi,qui causæ fidei concessus est, non tamen probat quod de facto concessus sit. Adde,si in causa matrimoniali permittendum esset excommunicato, vt se in testem, & actorem ingerat, quia est causa fauorabilis, potiori ratione id permitti debet in causa pupilli, viduæ, Ecclesiæ, & similium, quod nullatenus à Doctoribus conceditur.

4. Nota veto, quod assistentia Parochi excommunicati etiam non tolerati contrahentibus matrimonium valida est,quia hæc assistentia etsi authoritate publica præstetur, non est actus iurisdictionis, cùm sufficienter præstetur ab inuito, quod alienum est à iurisdictionis vsu, sed est executio cuiusdam conditionis à Concilio Tridentino requisitæ pro matrimonij valore, quæ cùm nullibi annulletur

Sup. hoc sup. pra in Resol. 83.

facta ab Excommunicato vitando, valida censeri debet, vt benè Sanch. *lib.3 de matri. disp.21.* Henriq. *lib.11.c.3.* Rebell. *lib.2. de obligat. instit. q.9.n.9.* Bonacina *de matrim. q.2. punct.8. n.21. & de censur. disp.2. punct.5.n.1.* Gaspar Hurtado *disp.7. diffic.2.* Paul. Layman *lib.1. summ. tract.5. part.2.c.3.n.13. in fine.* Coninch. *disp.27. dub.2. conclus.7.* Neque obstat excommunicatum vitandum testem esse non posse: quia Parochus matrimonio assistens non est testis deponens, sed inspiciens; inspicere autem matrimonium, illique præsentem esse, vt postmodum testificari possit, validè potest ab excommunicato vitando præstari.

5. Et tandem nota, quod Marianus Soccinus *in cap. sacris n.405. de sement. excom.* Vasquez *de excom. dub.5.* Gaspar Hurtado *disp.8. difficult.6.* negant esse fidem adhibendam in testimonio excommunicato vitando, iuxta textum *in cap. nullus 3. quæst.4.*

6. Sed mihi placet opinio contraria, tametsi ope exceptionis dicta depositio irritari potest, vt docent Coninch. Suarez, & alij *vbi suprà*, & colligitur apertè ex *c.1. de exceptionibus in 9. & ex cap. excommunicamus §. credentes de hæreticis*, vbi testimonium excommunicati ob hæresis fautoriam nullum declaratur tacite innuens ob aliam causam valere. Etenim actus annulliatio asserenda non est absque manifesto textu, & ratione, nullibi autem inuenitur testimonium excommunicati irritum; ergo. Quod autem prædicto testimonio non sit necessariò fides adhibenda; sed possit ope exceptionis elidi, id solum probat eius valorem non esse firmum, non tamen conuincit validum non esse, dum non excipitur; Interim namque fides ei est adhibenda.

RESOL. XCIII.

An ad valorem matrimonij sufficiat, vt Parochus, & testes audiant contrahentes, vel opus sit illos videre?
Ex part.8.tr.7. & Misc. Res. 68.

§.1. NOn sufficere illos audire, docet Franciscus Molinus *de rit. nupt. lib.2. differ.11.n.120.* & post illum Augustinus Barbosa *de potestat. Episcop. part.2. allegat. 32. num.86.* vbi sic ait. Infertur præsentiam Parochi in matrimonio ita requiri, vt nedum intelligere oporteat, cùm quid agitur, sed vt videat: nam insufficiens erit si contrahentes matrimonium à tergo essent alicuius parietis, vel vbi Parochus infirmitate, seu alio casu cæcus effectus esset, & non videret; quia ideò Parochi præsentia requiritur, vt ea tot mala & scandala, quæ in dies oriebantur, ex clandestino matrimonio cessarent. Atque ideò licèt cæcus retineat dignitatem, *l. qui furore ff. de statu homin. lib. cæcus ff. de iudiciis*, licèt etiam possit testificari de his, quæ ante cæcitatem vidit, vbi notas contrahentium voces audiuit; in his autem, in quibus facilè decipi posset, non integer testis est, quo in casu multum iudicis arbitrio tribuendum est. Hucusque Barbosa.

2. Sed ego contrariæ sententiæ adhæreo, quam tuetur Sanch. *de matrim. lib.3 disp.39.n.3.* Guttierrez *c.69. n.4* Filliucius *to.1. tract.10.c.6.n.224* Rebellius *part.2. lib.2. quæstio. 8. num.7.* Fernandez *in exam. Theol. part.3. cap. 18. §. 1. num.9.* Basilius Pontius *lib.5. cap. 21. num. 8.* quibus omnibus adde sacram Rotam *decis.634. num.4.* apud Buratum, & *ibi* doctum & amicissimum Ferentillum *litter. A.* vbi docet non esse necessarium testes videre partes contrahentes, sed sufficere illos verba contractus etiam intermedia cortina, vel pariete audire, quando habent notam vocem contrahentium. Vide etiam circa præsentem quæstionem Gratian. *to.5. c.849. n.20. & seq.*

3. Ad id verò quod asserit amicissimus Barbosa respondeo, quòd licèt cæcus regulariter repellatur à testimonio in iis, quæ cæcitatis tempus concernunt, & sit communis Canonistarum, & Legistarum sententia, quòd solus auditus in testibus non sufficit, sed requiritur præsentia, & visus; vt tradunt Mascardus *de probationibus, verb. cæcitas, conclus.278. num.7.* Farinacius *de testibus, quæst.61. num.19. & seqq.* & Doctores ab iisdem citati. Nihilominus hæc communis sententia, seu regula limitatur, vt non procedat in his, quæ non visu percipiuntur, sed auditu; de quibus potest cæcus esse legitimus testis, dummodo loquentium voces habeat notas, vnde potest testificari super verbis stipulationis, & contractus à contrahentibus prolatis; si modò vocem loquentis notam, & probè cognitam habeat: ita Mascardus *disp. concl.178. num.10. & 16.* Menochius *de arbitrar. casu 475. num.16. & 22.* Farinacius *disp. quæst.61. num.14. & quæst.69 num.164.*

RESOL. XCIV.

An sit validum matrimonium initum coram Parocho ad id non specialiter vocato, sed casu ibi forte existente?
Et in textu huius Resolutionis adducitur quidam dubium, & factum pro praxi prædicta difficultatis?
Ex part.10. tr.13. & Misc.3. Res.16.

§.1. NEgatiue respondet Leandrus *de Sacrament. tom.1. tract.9. disp.6. quæst.38.* quia, vt Parochus dicatur præsens Matrimonio requiritur necessario, vt sit ad eum casum formaliter adhibitus, vocatus, & rogatus: Vnde si Parochus, casu adfuerit, etiamsi coram illo contrahatur matrimonium, nullum erit, nisi forte Parochum transeuntem moneant prius contrahentes, se velle contrahere, quia tunc valebit gradum tunc Parocho sustinente, & videnti contrahere. Sic declaratum fuit non semel, ac iterum à Congregatione Cardinalium; quorum declarationes extant apud Farinacium. Prima, *pagina 268.* Secunda, *pag. 273.* quam etiam adducit Rebellius *2. part. in fine lib.4. pag. mihi 394.* Quæ sic se habet: *Parochus ita præsens Matrimonio debet esse, vt appareat à contrahentibus hac de causa adhibitus fuisse.* Tertia *pag.276.* Vnde, si quis transeunte illac Parocho, ita altè proferret verba contractus, vt audiret Parochus, nihil ageret. Sic Basilius *lib.5. cap.21. num.4.* dicens, post tot declarationes Cardinalium, amplius de hoc dubitare non licere. Hucusque Pater Leandrus, qui citat etiam Bonacinam; quibus ego addo Campanilem, *in Diuer. Iur. Can. Rubrica 1. fine.* Vallensem *in Decret. lib.4. tit.3. num.8.* Gonzalez *in Regul. Cancell. glossa 48. à num.32.* Bortellum *in Summa, decis. tom.3. tit.2. num.366.* & nouissime Amicum *in Cur. Theol. tom.9. disp.7. sect.11. num.102.* & Petrum Marchant *in Tribun. Sacram. tom.3. part.2. tract.1. tit.7. quæst.5. concl.1.*

2. Sed ego puto non esse discedendum ab affirmatiua sententia, quam teuentur Layman *lib.5. tract.10. part.2. cap.4. num.6.* Sanchez *lib.3 disp.39. num.11.* Filliucius, *tom.1. tract.10. cap.6. num.224* Gratianus *in Addit. decis.37. num.8. & 9. in tom.1. discept.* Barbosa *de Officio Parochi, cap.21. num.50.* & plures alij, quos citat, & sequitur Bossius *de Matr. cap.3. §.B. num.6.* qui testatur ita fuisse decisum in facti contingentia, nam cum Medionali in quadam Ecclesia Parochiali, Parochus, qui ex prohibitione sibi facta ab Ordinario, nolebat post factas denunciationes assistere Matrimonio duarum personarum habilium

habilium, Missam celebraret, sponsi vnà cum duobus testibus accesserunt ad Altare, vbi Parochus celebrabat; & cum Parochus finita Missa recederet ab Altari nihil sciens, neque cogitans de hoc, expressè coram ipso, & duobus testibus adductis, mutuum consensum de præsenti. Quod Matrimonium Mediolani, & Romæ fuit pronunciatum validum; licet ipsi contrahentes fuerint nonnullis pœnis mulctati. Et ratio est, quia si sufficit præsentia Parochi coacta, & dolosa: ergo sufficit etiam fortuita. Deinde, cùm Parochus, & testes in casu nostro vere aduertant, sufficienter dicuntur præsentes, cum præsentia ad valorem Matrimonij petita contenta sit sola intellectus aduertentia, qua rite testimonium cõtracti Matrimonij prohiberi possit. Firmo; nam in aliis contractibus, qui casu adest, potest testificari de eis: ergo & hic in contractu Matrimonij; quia ius Tridentini est correctorium, vnde intelligi debet de præsentia, quæ minus corrigat, dummodo humana sit, & sufficiens ad finem Tridentini, qualis est dicta: nam casu transeuntes ita testificari possunt, si aduertant ac si data opera interessent.

3. Nota verò, quod pro vtraque sententia in hac quæstione adducuntur Declarationes Sacræ Congregationis, quæ videntur inter se pugnare; sed non est discedendum à sententia affirmatiua, & ad declarationem Sacræ Congregationis adductam pro negatiua sententia, ne videatur pugnare cum altera adducta pro affirmatiua, respondet Bossius vbi supra intelligendam esse quando Parochus casu præsens, vel ad id non expresse vocatus, vel præmonitus ex subitanea & fortuita præsentia non intellexit, vel potuit intelligere rem seriò agi, & animo contrahẽdi; nam tunc non censetur adhibitus ad illum actum. Cætera à Gonzalez, & Pontio obiecta, facile reiiciuntur: nam *lege Quæsitum. 78. §. final. de lege 3.* & alia iura, quibus Gonzales nititur probare, eum, qui casualiter adest, non censeri adesse; loquuntur de fictione iuris, & de præsentia tantum corporea, non de morali, quæ perfectissime etiam breuissimo tempore haberi potest, dum res, quæ coram agitur, probe percipitur. Quare dictum testis repentini est nullum, solum quando non est informatus, nec potuit probe rem percipere. *Lex* autem, *hæredes. §. in testamento. ff. Qui testam. fac. possunt*; quia Pontius probat adhibitum in iure dici, qui rogatur: loquitur de testibus quoad testamenta. Et ita nostram sententiam præter Bossium, & alios vbi supra citatos, tenet doctus, & amicissimus Pater Perez *de Matrimonio, disp. 40. sect. 10. num. 9.* qui respondet ad argumenta adducta à Leandro & Pontio, & explanat sensum Declarationum Sacræ Congregationis. Idem etiam docet Pater Auersa *de Matrimonio, quæst. 6. sect. 6.*

RESOL. XCV.

An sint à matrimonio arcendi, qui Fidei rudimenta nesciunt?

Et an saltem Pater noster, Aue Maria, Credo, *&* *Decalogum, debeant scire?*

Et cursim infertur statuere impedimenta matrimonij, non ad Episcopum, sed ad Papam spectare? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Resol. 85.

§. 1. AFfirmatiuè videtur respondendum per ea, quæ adducit Basilius Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 36. num. 8.* Vnde in prima Synodo Panormitana Eminentiss. Domini mei Cardin. ab Auria *part. 2. c. 7. n. 21.* sic habetur. Parochus moneat sponsos matrimonio minimè iungendos esse, quin fidei Christianæ rudimenta priùs nouerint, quod antea decreuerat Cardin. Paleotus *in Archiepisc. Bonon. part. 3. de sacram. matrim. fol. 157. col. 1.* vbi ita ait. Quæret Parochus an matrimonium facturi doctrinam Christianam sciant, aut saltem *Pater noster, Aue Maria, Credo, & Decalogum*; quod si vterque ea nesciat, aut eorum alter moneat illos se non ante ad tertiam denunciationem venturum quàm illa ab ipsis rectè memoria teneri & intelligi perspexerit. Sic ibi.

2. Verùm his non obstantibus negatiuam sententiam prorsus sustinendam esse puto, quam docet vterque Sanch. Thom. & Ioan. hic *in selectis disp. 28. num. 9.* ille verò *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 15. n. 19.* & nouissime Homobon. de Bonis *in exam. Eccles. part. 3. tract. 13. c. 11. q. 33. resol. 2.* vbi ita ait. Licèt nonnulli asseruerint aliquem à matrimonio contrahendo arceri posse si Christianam doctrinam ignoret, donec saltem Orationem Dominicam & Angelicam salutationem, Symbolum fidei & Decalogi præcepta memoria retineat, nisi præ senio, aut ingenij tarditate incapax esset. Aliis tamen verius videtur absolutè & per longum tempus prohiberi non posse, cùm matrimonij prohibitio regulariter nonnisi in casibus à iure expressis inducenda sit, & inter carmina in quibus coniugiorum impedimenta dilucidantur, vt sunt, error, conditio, &c. hoc impedimentum non extat. Expedit tamen suauiter absque vi bono modo & prudenti ratione ad breue tempus impedire vt sic doctrinæ addiscendæ curam habeant. Ita ille. & hoc modo intelligendæ sunt Synodi supradictæ, sin aliter, prohibitionem illorum non approbo; nam, vt notat Thom. Sanchez *vbi suprà*, statuere impedimenta matrimonij non ad Episcopum, sed ad Pontificem spectat; & hæc opinio apud me certa est, & contraria non puto probabilem, quod valde notandum est à Parochis & eorum Capellanis, nam hic casus frequenter potest accidere.

Sup. hoc magis latè sup. in Resol. 70. §. vlt. & in alia Resol. eius not.

RESOL. XCVI.

Quisnam est Minister Sacramenti matrimonij?

Et notatur Ministrum, id est Sacerdotem ante Concilium Tridentinum non fuisse necessarium, at postea esse necessarium, & pertinere ad essentiam matrimonij Ministrum talem, & testes? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 253. alias 254.

§. 1. NOtabilis est sententia Melchioris Cani *lib. 8. de locis, cap. 5.* asserentis ministrum huius Sacramenti esse sacerdotem ipsum proferentem verba, & coniungentem contrahentes matrimonio. Sed hanc Cani opinionem vsque ad sua tempora nullum defensorem habuisse testatur Sotus *in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 3.* & præter Gulielmum Parisiensem, & Theologos Concilij Colonienſis, nullum auctorem pro tali opinione allegari posse, notat Vasquez *to. 4. in 3. p. disp. 3. de matr. cap. 4. num. 41.* & ideò Basilius Pontius *de matrim. lib. 2. cap. 8. n. 2.* & Vasquez *loco citato, num. 46.* hanc opinionem improbabilem putat, & notâ dignam, vnde illam temerariam appellat Rebellus *p. 2. lib. 2. q. 4. sect. 2. num. 6.* Et patet ex Concilio Tridentino, & Florentino, vbi ex instituto propter nouas hæreses de matrimonij Sacramento agunt, nec aliam nouã materiam, formam, ac ministrum illius in ratione Sacramenti tradunt, quàm in ratione contractus sub omni lege ab initio fuerit requisitus. Constat autem non opus fuisse sacerdote ante legem nouam, nec hodie inter gentes, vt matrimonium in genere contractus validum sit. Ergo, &c. ita etiam hanc sententiam

sententiam improbabilem esse docet Coninch *de Sacrament. disp. 24. dub. 3. num. 29.*

2. His tamen non obstantibus Melchioris Cani sententiam; quam supradictis notis auctores citati inurunt, sequuntur nouissimè nostris temporibus duo viri doctissimi sacræ Theologiæ in Academia Duacena publici Professores, Guilielmus Estius *in 4. sent. dist. 26. §. 10.* Franciscus Syluius *in 3. part. D. Thomæ quæst. 42. art. 2. quæritur 1.* qui octo argumenta adducit ad probandum Sacramenti matrimonij ministrum esse solum sacerdotem. Et hanc sententiam tanquam probabilem videtur admittere Didacus Nugnus *in 3. part. to. 1. q. 64 art. 6. diffic. 1. concl. 2.* Sed an ita reuera sit, aliis iudicandum relinquo: mihi enim placet communis sententia, asserens ministrum huius Sacramenti esse ipsos contrahentes, vt alibi diximus.

Alibi infra ex doctrina Resl. 113. signanter in fine, & in alia Resl. eius annot.

3. Notandum est tamen hîc obiter, Toletum *lib. 7. cap. 6. num. 4.* docere ministrum in hoc Sacramento ante Concilium Tridentinum non fuisse necessarium, at postea esse necessarium, & pertinere ad essentiam matrimonij ministrum, & testes. Sed hæc verba continere multa absurda notauit Basilius Pontius *de matrim. lib. 1. cap. 8. num. 8.* nempe ante Tridentinum non fuisse necessarium ministrum in matrimonio: & tamen Sacramenta non perficiuntur sine ministro; deinde posse Ecclesiam alium ministrum constituere. Quæ omnia cùm sint absurdissima, & viro docto indigna; dicendum est contra Pontium sub nomine ministri Toletum intelligere sacerdotem assistentem cum testibus matrimonio, & sic omnia absurda cessant, nam præsentia Parochi ante Tridentinum non erat necessaria ad contrahendum matrimonium, postea verò sic.

RESOL. XCVII.

Quænam sit materia, & forma huius Sacramenti?
Et quænam sit materia, & forma in matrimonio contrahendo per Procuratorem inter absentes? Ex part. 3. tr. 4. Resl. 250. alias 251.

§. 1. PRima opinio asserit, internum consensum contrahentium esse materiam, verba autem esse formam. Ita Nauarrus *cap. 22. n. 20.* & Sylvester *verb. matrimonium, num. 1.* Secunda contra Nauarrum docet, nempe verba esse materiam, consensum formam. Ita Maior *in 4. dist. 26. quæst. 1. & 3.* Tertia tenet verba ab vno priùs prolata esse materiam, alterius verò verba esse formam. Ita Victoria *in summa, n. 245.* Quarta docet, verba contrahentium, esse sibi mutuo materiam, & formam, qua enim matrimonij contractum inchoant, & offerunt, materiæ rationem obtinent: qua verò eumdem acceptant, perficiunt, & complent, formæ rationem habent. Ita DD. quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. to. 1. lib. 2. disp. 6.* quibus ego addo Coninch. *de Sacram. disp. 24. dub. 3. num. 32. & 33.* Villalobos *in summa tom.... tract. 13. diffic. 6. num. 2.* & Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 2. sect. 1. asser. 1.* Quinta opinio asserit, materiam huius Sacramenti esse coniugum corpora mutuò tradenda, formam verò esse verba coniugum contrahentium. Ita Paludanus, Couarruuias, D. Antoninus, & alij, quos citat, & sequitur Layman. *in Theol. moral. lib. 5. tract. 10. punct. 1. cap. 2. num. 3.*

2. Mihi quarta opinio magis placet. Sed quænam sit materia & forma in matrimonio contrahendo per procuratorem inter absentes, vide Sanchez *to. 1. lib. 2. disp. 11. q. 4. n. 28.* cuius sententia displicet Basilio Pontio *de matrim. lib. 1. cap. 10. num. 6.*

RESOL. XCVIII.

An Parochus teneatur sub mortali interrogare sponsos de mutuo consensu?
Et notatur non teneri Parochum interrogare sponsos, & contrahentes, an aliquod impedimentum habeant, ne contrahere possint? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 293. alias 294.

§. 1. REspondeo quòd debet Parochus virumque sponsum interrogare de mutuo consensu ante contractum, an scilicet liberè consentiat, vt præcipit Concil. Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* cuius tamen omissio quando aliàs Parocho constat non liberè consentire, est leuis, & tantùm culpa venialis. Et ita docent Coninch *de Sacram. disp. 27. dub. 2. concl. 4. n. 74.* & Sanchez *tom. 1 lib. 3. disp. 38. num. 3.* Guttierrez *vbi infrà.*

2. Notandum est etiam hîc contra Veracruz *in speculo in appendice dub. 2. concl. 1. & 2.* non teneri Parochum interrogare contrahentes, an aliquod impedimentum habeant ne contrahere possint, & ita tenet Guttierrez *de matrim. cap. 69. n. 17.* & Sanchez *vbi supra num. 10.*

RESOL. XCIX.

An Parochus, si intellecto consensu contrahentium, non dicat, ego vos coniungo in nomine Patris, &c. peccet mortaliter? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 255. alias 256.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Rebellius *part. 2. lib. 2. q. 7. sent. 2. n. 4.* vbi sic ait. Opus est vt Parochus intellecto vtriusque consensu dicat, *Ego vos coniungo in nomine Patris, &c.* vel aliis verbis vtatur iuxta Prouinciæ consuetudinem. Quæ verba licèt non sint de necessitate Sacramenti, cùm sint forma ipsius, sunt tamen de necessitate præcepti sub mortali obligantis, adhibenda. Ita ille, & post illum Cenedus *in qq. Can. quæst. 30. num. 38.* & Zanardus *in direct. part. 1. de sacram. matri. c. 10. 427.*

2. At contrariam sententiam tenet Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 13. diffic. 6. num. 3.* sic asserens [No obstante, que el Concilio dize que el Parroco entendiendo el consentimiento de las partes diga aquellas palabras.] *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris,* &c. [ò otras segun el vso recebido de la tierra, loqual dize Rebellio que obliga à pecado mortal, mas yo soy de parecer, que obliga solo à venial, porque ni las palabras son de manera, que den à entender otra cosa, ni la materia es graue.] Sic ille, & ante illum Guttierrez *de matrim. cap. 69. n. 16.* Sanchez *tom. 3. lib. 8. disp. 38. num. 7.* & Coninch. *de Sacram. disp. 27. dub. 4. num. 45.* & ego hanc sententiam teneo.

RESOL. C.

An si Parochus, dum matrimonium contrahitur, sit distractus, & non aduertat ad ea, quæ tunc efficiuntur, dictum matrimonium sit validum?
Et quid est dicendum de testibus in præsentia eorum?
Et an, si Parocho contradicente celebratur matrimonium, sit validum?
Et cursissime infertur, an si Sacerdos proferat super materiam legitimam formam Sacramentorum, absque

que intentione, v.g. absoluendi, vel consecrandi etiam si postea intentionem adhibeat, nihil efficiat? Ex part. 10. tr. 3. & Misc. 3. Resol. 20.

§ 1. AD hoc dubium respondet Pater Amicus *in curs. Theol. tom. 9. disp. 7. sect. 11. num. 93.* vbi sic ait: Sed quid si intellectionem Parochus & Testes non adhibeant post celebratum Matrimonium, casus est, si dum contrahentes contraxerunt, Parochus sensu percepit, sed intellectu non aduertit ad ea, quæ tunc agebantur; sed post omnia peracta, reflectit se ad ea, quæ antea peracta fuere, an in huiusmodi euentu valeat Matrimonium? Ratio negatiua. Parochus & Testes debent intelligere, quando contractus Matrimonij celebratur, cùm vnum ex substantialibus requisitis, sit moralis præsentia Parochi, & Testium: vnde si tunc intellectio non adhibetur, matrimonium non fit. Confirmatur: si Sacerdos proferat super materiam legitimam verba absolutionis, absque intentione v.g. consecrandi, & absoluendi, etiamsi postea intentionem adhibeat, nihil efficiat, quia illam non adhibet tempore, quo reliqua ad Sacramenta substantialiter, requisita applicantur. Pro parte affirmatiua est; hoc sufficit ad morale iudicium de celebrato Matrimonio ferendũ.

2. Dico, valere Matrimonium si talis reflexio à Parocho, & testibus fiat, adhuc præsentibus contrahentibus, non autem si fiat illis absentibus. Primum probo: ex Concilio nihil aliud requiritur, quam moralis Parochi, & testium præsentia, vt de celebrato Matrimonio testificari possint: at ad hoc sufficit, si ipsis præsentibus Parochus, & Testes Iudicium formant de Matrimonio contracto: ergo etiamsi hoc iudicium paulo pòst forment in eorum præsentia, sat erit ad finem à Concilio intentum. Secundum ostendo: eo casu non verificaretur Concilij Decretum, quo statuit Matrimonium celebrandum coram Parocho, & Testibus, vtique moraliter præsentibus, nisi per reflexam saltem aduertentiam ad ea, quæ à contrahentibus aguntur, dum actu contrahunt. Confirmatur. Non potest Parochus dici physicè præsens contrahentibus, quando corpore: ergo nec moraliter, quando mente ab illis abest. Ex quo infertur contra Henriquez *lib. 11. de Matrimonio, cap. 3. num. 1. in comment. littera F.* non valere Matrimonium si Parochus aut Testes ad Matrimonium accedant animo attendendi, sed tempore contractus distrahuntur mentis euagatione; quia sufficit, inquit, vt habeant attentionem virtualem; quæ in cæteris Sacramentis sufficit. At contra: præsentia Parochi, & Testium in Matrimonio requiritur, vt possint de contracto Matrimonio si opus fuerit, coram Ecclesia, iuridicè testari: ad hoc autem non sufficit præcedens attentio actualis, virtute tantum perseuerans tempore contractus, quia per præcedentem attentionem non intellexerunt, quæ tempore contractus postea acta sunt: ergo nisi actualem actionem habeant, quando actu Matrimonium celebratur, aut paulò pòst per reflexam aduertentiam modò explicatam; inualidum erit. Nec est par ratio de reliquis Sacramentis, in quibus Minister non est testis, vel iudex, ad quos spectat actu aduertere ad ea, de quibus iudicium ferre debent. Vnde in Sacramento Pœnitentiæ non sufficit attentio actualis præcedens, quæ solùm virtute perseueret tempore Confessionis, sed requiritur actualis attentio, vt Sacerdos vt Euangelicus Iudex iudicium ferre possit de peccatis Pœnitentis. In reliquis autem Sacramentis, quia Minister non debet iudicium ferre de iis, quæ administrat, sed ea tantum humano modo peragere, sufficit attentio virtualis, vt in cæteris actibus humanis. Ad rationem negatiuam sufficit, vt in aliqua parte temporis quo Parochus est præsens contrahentibus, intelligat, quæ ab ipsis geruntur. Ad confirmationem, intentio Ministri in Sacramentis conficiendis requiritur vt principium moraliter influens in eorum existentiam; nisi enim verba Ministri proferantur, ex, & cum intentione conficiendi Sacramenti, nihil efficient; quia non efficiunt nisi humano modo prolata & applicata. Nec sat est, talem intentionem adhibere post prolata verba; quæ non sunt valida ad conficiendum Sacramentum, nisi vt à Ministro imperata: at intentio adhibita post, non potest esse principium imperatiuum verborum antea prolatorum, cùm nil, quod est extra nostram potestatem, vt sunt verba iam præterita, possit esse effectus nostri imperij. At iudicium Parochi, & Testium ad Matrimonium non requiritur, vt principium moraliter influens, cum non Parochus, aut Testes, sed ipsi Contrahentes sint huius Sacramenti Ministri; sed vt substantialis solemnitas ab Ecclesia requisita ad testificandum de Matrimonij celebritate. Quam ob causam non requiritur Parochi consensus; nam etiamsi ipso contradicente celebretur Matrimonium, validum erit, vt sacra Cardinalium Congregatio declarauit; non enim requiritur vt Sacramenti Minister, sed vt purus testis. Et hæc omnia docet Amicus *vbi supra* sententiam verò Patris Henriquez ab ipso improbatam, improbat etiam Martinus Perez *de Matrimonio disput. 40. section. 10. numer. 3.* & Leandrus, *de Sacrament. tom. 2. tractat. 9. disputat. 7. quæst. 37.* qui tamen illam esse probabilem videtur admittere; quod mihi non placet. Quia nisi Parochus & Testes acta aduertant, nequeunt certò testificari: quod initum sit Matrimonium: nam ad effectum testificandi de eo, perinde est: atque actu non aduertere, & non adesse. Firmo, quia Tridentinum pacificat præsentiam Parochi, & Testium; ibi: *qui aliter quam præsente Parocho, & duobus Testibus*, vbi conpula, & casus similes coniungit. At si Testes præmentis euagatione non aduerterent ad mutuum consensum, minimè sufficeret; quia reuera non essent Testes: ergo idem dicendum est de Parocho. Quare sicut Parochus Iudex Sacramenti pœnitentiæ, licet velit aduertere, si tamen actu non aduertat, nihil facit, quia nequit iudicare de peccatis confessis, ita neque hîc Parochus, vt Testes, quia nequeunt testificari de Matrimonio facto. Quod si Parochus consultò vellet non intelligere consensum, vt si occluderet aures & oculos; si reuera non attendit, nec intellexit consensus, nullo modo valeret Matrimonium; quia tunc reuerà non est præsens, nec potest testificari de Matrimonio. Nec huic doctrinæ obstat declaratio Cardinalium, quæ sic est intelligenda, vt velit fieri verum Matrimonium, cùm Parochus inuitè assistens, affectatè fingit, se non percipere, cùm tamen reuera perceperit, ac intellexerit, vt aduertit Amicus, & Perez *vbi supra*. Ergo, &c.

RESOL. CI.

An matrimonium initum coram Parocho & testibus sit validum, si consensus contrahentium intelligatur per interpretem?

Idem est, si fiat matrimonium per litteras ignotæ linguæ? Ex part. 10. tr. 13. & Misc. 3. Resol. 17.

§. 1. NEgatiue respondet Pontius, *libro 5. cap. 21. num. 10. & 11.* Qui ea de causa vult in Ecclesia Parochum, & testes esse præsentes, vt possint Ecclesiam certam reddere de Matrimonio contracto:

At

At si Parochus, & testes tantùm per interpretem intelligant quod agitur, nec possunt illi esse certi, neque Ecclesiam certam reddere, innumeris enim litibus pateret aditus. Pone enim vnum ex contrahentibus dicere interpretem esse mentitum in eo, quod explicuit ipsum consensisse, in quo casu interpreti etiam iuranti non est habenda fides, cùm interpreti in re dubia non adhibeatur fides, etiamsi contrahens nõ producat Testes alios, vt docuit Donellus *in lege* 1. Tum quia ille Interpres in eo testimonio vnus est, eius autem testimonio non creditur *lege Iurisiurandi. Cod. de Testibus.* Deinde huius Interpretis interest ita existimari, vt dicit, eius enim res agitur in eo testimonio, in sua autem causa nullus est testis. *lege Nullus ff. de Testibus*, & *leg. omnibus. Cod. eodem.* Quare duobus testibus, probare debet aliter contrahens, qui vtriusque linguæ periti fuerint & ibi interfuerint, alium, qui negat consensisse. In hoc ergo casu quomodo per Parochum probabitur Matrimonium apud Ecclesiam? Quamuis enim demus duos alios testes, qui cum Parocho adsunt, vtriusque linguæ peritos esse, & recte intelligere, an Interpres vere explicet Parocho, quid agant contrahentes. At Ecclesia non tantũ vo luit esse duos illos testes, sed tres, scilicet, Parochum etiam testem qualificatum. Testis autem esse non potest Parochus, nec potest affirmare se scire, neque se audiuisse, sed erit in eo casu testis ex auditu alieno, cuius testimonium ex regula generali non admittitur. *cap. Licet ex quadam* ibi; Præter communem formam, de testibus vt ibidem notant Canonistæ. Cuius regulæ generalis ea ratio à Doctoribus communiter affertur, quod testis debet deponere de his, quæ nouit, & quibus præsens fuit, & sic per proprium sensum & non per sensum alterius. *cap. Testes. 3. quæst. 9.* Quam rationem reddunt Ioannes Andreas, *in d. cap. licet.* Aliique non pauci. Addit etiam aliam rationem Baldus: Quia sicut exemplũ non probat, ita neque testimonium de alieno auditu. Et quidem in eo testimonio de auditu alieno causa scientiæ non est manifestior dicto, sed ignotior, & est quasi relatio relationis veritatis. Et quamuis nonnulli Doctores doceant testimonium de auditu alieno, aliqualem præsumptionem facere aliis concurrentibus, atque ita Parochum, licet sit testis de auditu alieno, tamen fidem facere concurrentibus aliis duobus testibus, hoc certe non satis mihi placet, quia licet in quouis alio Teste admitti posset, non tamen in qualificato, qualis est Parochus cuius præcipuũ debet esse testimonium. Quare ego existimo esse contra rationẽ testis, qui fidem facturus sit, vt per Interpretem intelligat quod agitur, sed per suum proprium sensum debet intelligere, aliàs infirmum eius testimonium erit: quod nõ ita repugnat Iudici, ad cuius officium exercendum solùm exigitur, vt causæ iudicandæ compos fiat, quã per se, vel per alium potest intelligere. Hucusque Pontius. Sed Leandrus *de Sacramentis, to. 2. tract. 9. disp. 7. q. 36.* media via incedit, & ait, non sufficere ad valorem Matrimonij intelligere consensum contrahentium, præcise per Interpretem, bene tamẽ casu, quo dictis Interpretis adiungantur aliqua signa contrahentium, exprimentia moraliter consensum ipsorum; quia in hoc euentu optime potest Parochus fidem facere de his, quæ nouit per Interpretem simul, & per proprium sensum, alias minime.

2. Verum ergo absolute contra Leandrum & Pontium adhæreo opinioni affirmatiuæ Patris Sanchez, *lib. 3. disp. 39. num. 3.* Hurtadi *de matrim. disp. ... difficult. 15. num. 48.* Ochagauia *tract. 3. quæst. 13. n. 1.* quibus addo Martinum de San Ioseph, *in monita Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 15. de matrimonio, num. 16.* & Martinum Perez, *de matrimonio, disp. 40. sect. 10. num. 2.* & probatur hæc opinio, quia Contrahentes satis explicant sibi consensus per Interpretem: ergo etiam explicant eos satis ipsi Parocho, & Testibus per eundem; patet consequentia, quia quod est sufficiens signum, vt Contrahentes percipiant suum consensum, est etiam sufficiens signum vt Parochus, & Testes possint de eo testificari; neque enim Tridentinum exigit maiorem notitiam consensus in Parocho assistente, vel in aliis Testibus contam ipsis Contrahentibus. Et sane si in aliis contractibus est satis Interpres ad eorum probationem, erit etiam in isto. Imo à fortiori in isto, cùm ius Tridentini sit correctorium, neque expresse exigens Testes per seipsos cognoscentes consensus; & non per Interpretem. Fitmatur amplius; nam Interpres vnam personam constituit cum Contrahente; exprimit enim consensum ipsius ex eius voluntate, nomine, & mandato: ergo Parochus, & alij Testes poterunt absolute testificari de consensu talium Contrahentium, quamuis ipsos non percipiant immediate ab eis, sicut nec percipit consensum qui datur per Procuratorem, & tamen recte testificatur de eo. Nec valet dicere, quando dantur consensus per Procuratorem adesse literas mandatis, & instrumenta manifestantia consensum. Non inquam, valet, quia illud mandatum non est sufficiens expressio consensus ad Matrimonium, nisi illæ literæ contineant postremo vt Procurator exprimat consensum; vel nisi sit non reuocata voluntas, quæ non constat Parocho, & Testibus. Adde si instrumẽta sint idiomatis ignoti à Parocho, & Testibus, isti indigebunt Interprete. Idemque erit si fiat Matrimonium per literas ignotæ linguæ; & tamen hæc Matrimonia valida sunt: ergo etiam & illud in quo Parochus, & Testes percipiunt consensus Contrahentium per Interpretem. Quod si in hoc casu sit aliquando periculum litis, id erit per accidens; nam etiam in aliis casibus potest esse idem periculum litium, & tamen id non obstat. Et ita nostram sententiam, post hæc scripta inueni docere Amicum *in Curs. Theol. tom. 9. disp. 7. sect. 11. num. 104.* qui respondet ad argumenta contraria adducta à Pontio contra Sanchez. Adi illum, & non pigebit: est enim vir doctissimus. Idem etiam contra Pontium docet Bossius *de matrim. § 52. n. 150.* nã Interpreti integra fides danda est, quia non se habet vt Testis ad communem consensum declarandũ. Neque etiam verum est, quod in tali casu Parochus, & Testes sint Testes de auditu alieno; nam verè sunt Testes de auditu proprio: quia vt dictum est, Interpres non fungitur vice testis, sed se habet tanquam vox ipsorum Contrahentium, declaratis eorumdem consensum ipsismet Contrahentibus, & Parocho, ac Testibus præsentibus. Quare sicut si ipsimet Contrahentes coram Parocho, & Testibus non exprimerent consensum propria voce, sed scriptura, Parochus, & Testes essent Testes de proprio sensu, quia scriptura est vicaria vocis Contrahentium, illámque repræsentat; ita cum exprimunt media voce Interpretis ad id ab ipsis electi, quia vox Interpretis est vicaria vocis eorundem Contrahentium, illámque repræsentat; Vnde corruunt argumenta Pontij. Vide etiam Guttierrez *de matrim. cap. 6. n. 5.* Barbosam *in Decret. tom. 2. lib. 4. tit. 1. cap. 7. num. 3.* & Bonacinam *de matrim. quæst. 2. punct. 8. num. 7.*

RESOL. CII.

An tempore Aduentus, & Quadragesimæ sit peccatum mortale traducere sponsam solemniter in domum sponsi, & conuiuia solemnia facere?

Et

Et asseritur omnem traductionem sponsæ in domum sponsi, etiam absque solemnitate interdictam esse Feriarum tempore.

Et an liceat hoc tempore Feriarum consummare matrimonium? Ex part.3.tr.4.Resol.265.alias 266.

Sup. hoc & benedictione nuptiarū contenta à lin. 3. huius textus cursim in fine Resol.seq.

§. 1. NEgatiuè respondet Sanchez *de matr.to.2. lib.7. disp.7.num.18.*vbi sic ait. Verùm vt meam sententiam explicem, solas nuptiarum benedictiones hoc tempore vetitas esse sub mortali existimo, quia generali consuetudine receptum esse video, vt sponsæ eo tempore in sponsi domum traducantur,conuiuiáque fiant, ac alia lætitiæ signa præbeantur conniuentibus Prælatis. Quare si hæc moderata sint, nullam culpam agnosco, si aliquantulus sit excessus, solam venialem,mortalem autem minimè, nisi vbi nimius esset excessus, ita vt sanctitati prædictorum temporum notabiliter detraheretur,& ansa notabilis iure optimo offensionis, ac scandali spectantium animis tribueretur. Ita Sanchez.

2. Sed contrariam sententiam tenet Basilius Pontius *de matrim. lib.6.c.8.n.10* vbi probat sponsum traducentem solemniter sponsam in domum suam, ac conuiuia facientem peccare mortaliter.

3. Verùm mihi opinio Sanchez videtur etiam probabilis, & illam nouissimè docet Villalobos *in sum.to.1.tract.14. diffic.2.n.4.*vbi ita asserit. [En este tiempo lleuar à la muger à casa con solennidad, y seña es de alegria, dizen muchos, que seria pecado mortal, aunque Sanchez con otros dize, que solas las benediciones serian pecado mortal, porque esta assi recebido en vso, laqual sentencia es mas mansa y probable, y se puede seguir.] Sic ille, & ego.

4. Ex his infertur non benè Sylueſtrum *verb. matrimonium 7.quæst.2.* Emanuëlem Sà *verb.impedimenta matrimonij non dirimentia,num.2.* Veracruz *in speculo, part.1. art.14. conclus.4.* Bartholomæum Ledesmam *de matrim.dub.60. concl.2.* Cucum *lib.instit. tit.12. num.9.* & alios, asseruisse omnem traductionem sponsæ in domum sponsi, etiam absque solemnitate, interdictam esse feriarum tempore. Et etiam parum probabiliter loquuti sunt Paludanus *in 4. dist.32.q.1.art.4.*D. Antonin. *part.3. tit.1.c.17. in fine.* Rosella *verb.impedimentum,imped.17.* Angelus *verb. debit.n.1.* Tabiena *verb.impedimentum,imped.14.q.2. n.3.in fine.* Caietan. *in sum.verb.matrimonium,cap.vlt. §. in publico autem loco.* Armilla *verb. matrimonium, n.64.* & alij asserentes non licere hoc tempore feriarum consummare matrimonium; nullum enim est peccatū, si his temporibus consummentur matrimonia, siue de prima consummatione, siue de sequentibus fermo sit, vide Basilium Pontium *vbi suprà, n.8.* Coninch *de Sacr.disp.30 dub.3. concl.4. n.37.* Sanch. *loco cit. num.23.*& penes ipsos, Filliuc. *to.1.tract.10. part.2.cap.9. num.271.*

RESOL. CIII.

An nuptiæ sint prohibitæ in die Sabbathi ante Aduentum?

Idem quæritur à Vesperis ante diem Cinerum.

Et an si tempore prohibito Aduentus,& Quadragesimæ adhibeatur solemnis benedictio nuptiarum, aut traducatur solemniter sponsa ad domum sponsi, aut adhibeant conuiuia, aut alia lætitiæ signa, peccent mortaliter sponsi talia facientes? Ex p.3. tract.4. Resol.201.alias 202.

Sup. hoc in Resol. seq.

§. 1. PRobabilem puto contra Sanch. *lib.7.disp.7.* opinionem Basilij Pontij *de matr.lib.6.c.8.*

n.5. vbi sic asserit. An dies præcedens Dominicam Aduentus,& diem Cinerum saltem à vesperis comprehendatur decreto Concilij Tridentini, ita vt in vespere eorum dierum nuptiæ celebrari non possint. Et quidem quod attinet ad diem Cinerum, conueniunt Doctores, non incipere prohibitionem nisi à media nocte, itaque integro die Martis solemniter nuptias celebrari posse. At quod spectat ad Aduentum Domini non pauci Doctores,& inter eos Thomas Sanchez existimant in vesperis præcedentis diei esse nuptias prohibitas,nisi vbi consuetudo aliud approbauerit.Ego tamen existimo verius etiam prohibitionem incipere à media nocte, atque in Sabbato integro ante Dominicam primam Aduentus nuptiarum solemnitatem non esse prohibitam. Ad id moueor, quia Concilium Tridentinum, & alia antiqua decreta dicunt, ab Aduentu Domini non posse solemniter celebrari nuptias, at Concilium Rauennatense secundum sub Clem. V. *cap.19.* expressè primam Dominicam Aduentus nominat,quam certum est à media nocte incipere. Ex quo decreto colligo, ea ratione intellecta semper fuisse antiquiora Ecclesiæ decreta,quæ ab Aduentu Domini nuptias prohibuerint. Ita vir doctissimus,qui *n.10.* putat, si dicto tēpore prohibito adhibeatur solemnis benedictio, aut traducatur solemniter sponsa ad domum sponsi, vel adhibeant conuiuia,aut alia lætitiæ signa, peccare mortaliter sponsos talia facientes. Sed in hoc Iacobus de Graffis *part.1. lib.2. c.85. n.28.*tantùm veniale peccatum agnoscit.

Sup. his sequentibus in Resol.præterita.

RESOL. CIV.

An nuptiæ prohibeantur à primis vesperis Sabbathi ante primam Dominicam Aduentus? Ex part.3.tr.addit. Resol.26.

Quæ hic est Resol. antecedens.

§. 1. PRo affirmatiua sententia *in part.3. tract.4. resol.202.* adduxi Sanchez, cui nunc addo Barbosam *de officio Parochi, cap.21.n.13.* & Petrum Ochagauiam *de Sacr.tract.3.de imped.matr.q.41.n.3.* vbi sic ait. *Prænotandum est tempus feriarum Aduentus incipere à primis vesperis Sabbati ante Aduentū, tunc enim communiter & quantum est de se Officium Aduentus solet incipere,tempus vero feriarū Quadragesimæ,incipere à media nocte dici Cinerum,quia Officium Quadragesimæ si in toto rigore perpendatur, tunc sumit exordium. Quæ doctrina vera est,nisi aliumodū incipiendi consuetudo legitima obtinuerit:tunc enim consuetudini stanendum est. Iste autē modus numerandi initium temporis feriati, conformis videtur rationi, quia numerari debet iuxta leges Ecclesiæ, in qua tempus incipere dicitur ab eo punctō, in quo Officium Ecclesiasticum proprium illius temporis incipit.* Ita ille.

2. Sed ego *in citata resol.* pro contraria sententia adduxi Basilium Pontium, cui nunc addo Caualcanum *part.2.decis.58.num.19.* & alios *vbi infra*, quia verba Concilij Trident.& alia antiqua decreta, licèt dicant ab Aduentu Domini non posse solemniter celebrari nuptias, at Concil. Rauennatense secundum sub Clement. V. *cap.19.* expressè primam Dominicam Aduentus nominat. Sed prima Dominica Aduentus incipit à media nocte; ergo,&c. Ex quo decreto colligit Pontius, ea ratione intellecta semper fuisse antiquiora Ecclesiæ decreta, quæ ab Aduentu Domini nuptias prohibuerunt. Et hanc opinionem Pontij visa est amplecti nostra prima Synodus Panormitana anno 1615. sub eminentissimo Domino meo Cardin ab Auria, vbi *part.2.cap.7.n.23.*ita asseritur: *Postremò meminerit à Dominica prima Aduentus vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria 4. Ciner.*

vsque ad Octauam Paschæ inclusiuè solemnitates nuptiarum prohibitas esse. In quibus verbis apertè appareret, quod sicuti prohibentur nuptiæ in Quadragesima à fer. 4. Ciner. ita prohibentur in Aduentu à Dominica prima Aduentus, sed feria 4. Ciner. incipit à media nocte, & non à vesperis feriæ 3. ita Dominicam primam Aduentus etiam à media nocte, & non vesperis Sabbati dicendum est incipere. Et ideo hanc sententiam præter Pontium & Caualcanum tenet etiam ex Societate IESV Reginaldus *tom. 2. lib. 31. cap. 25. num. 188.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. p. 2. cap. 9. n. 268.* Bonacina *de matrim. q. 3. punct. 14. n. 4.* vbi sic ait: *Ex Tridentino vetitum est celebrare matrimonium à primo die Aduentus Domini vsque in diem Epiphaniæ, & à 4. feria Ciner. vsque ad Octauam Paschæ inclusiuè, quod tempus incipit à media nocte præcedentis Dominicæ Aduentus, & à media nocte feriæ 4. Ciner. tunc enim incipit Aduentus & Quadragesima ritu Romano.* Ita ille, qui cum Filliucio pro hac sententia citat Sanchez, sed malè: nam contrariam sententiam docet, vt supra diximus.

RESOL. CV.

An Orationes, & cæremoniæ, quæ pro secundis nuptiis destinatæ sunt, possint tempore prohibito Aduentus, & Quadragesimæ ministrari?

Et notatur, quod licet adsit consuetudo, vt etiam secundæ nuptiæ benedicantur, quando alter coniux benedictionem non suscepit, sine sit vir, siue fœmina, attamen talis consuetudo non obligat sub mortali.

Et cursim assertitur benedictionum omissionem, secluso scandalo, & contemptu, non esse peccatum mortale. Ex p. 3. tr. 4. Res. 264. aliàs 265.

§. 1. AD hanc dubitationem ita respondet Basilius Pontius *de matrim. lib. 6. cap. 8. n 13.* Nonnulli viri docti huius Academiæ Salmanticensis existimarunt nullum incurrere pœnam Clericum qui temporibus prohibitis administrat ea, quæ Ecclesia designat pro secundis nuptiis, eo fundamento commoti, quod illa non sit nuptialis benedictio. Cæterùm si rem istam attentiùs considerassent, aliter respondissent. Mihi enim semper visum est neque eas cæremonias quæ pro secùdis nuptiis destinatæ sunt, posse tempore prohibito ministrari sine culpa, & pœnis iure latis. Et in primis ad id me mouet, quod proximè superioribus annis vidi in hac Salmanticési vrbe. Nam quidam nobilissimi vidui contrahere volebant matrimonium, & cùm esset quadragesimale tempus, dispensationem à Sedis Apostolicæ Nuntio postularunt, quam denegauit. Quod magno argumento est etiam eam cæremoniam, licet non appelletur nuptialis benedictio, esse prohibitam illo tempore. Deinde me mouet, quod iura & antiqua, & recentiora vniuersè loquuntur & de matrimonio, & solemnitate nuptiali. Sicut ergo antiquis Canonibus etiam viduorum coniugia erant prohibita, ita & solemnitas illa nuptialis in nuptiis viduorum de more Ecclesiæ adhibita, prohibita censetur. Præterea, quia Canones tam antiqui, quàm recentiores vniuersè prohibent solemnitatem nuptialem, & non solùm nuptialem benedictionem; illæ autem cæremoniæ, licet non sint nuptialis benedictio, sunt tamen pars solemnitatis nuptialis, vt satis notum est. Ergo, &c. Ita Pontius *vbi suprà.*

2. Notandum est tamen hîc obiter, quòd licèt adsit consuetudo, vt etiam secundæ nuptiæ benedicantur, quando alter coniux benedictionem non suscepit, siue sit vir, siue fœmina, attamen talis consuetudo non obligat sub mortali, quia eo rigore inducta non est, & ita docet Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. c. 4. num. 168.* qui citat Henriquez, & Sanchez.

3. Adde quòd Sotus *in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2.* Emanuel Sà *verb. matrimonium, num. 6.* & alij, vt *supra* visum est, probabiliter asserunt benedictionum omissionem secluso scandalo, & contemptu, non esse peccatum mortale, quia tantùm est omissio cuiusdam sacramentalis non tanti momenti. Vide etiam Filliucium *loco citato, num. 165.*

RESOL. CVI.

An sit saltem peccatum veniale consummare matrimonium, antequam recipiant benedictiones Ecclesiæ? Ex part. 3. tr. 4. Res. 239. alias 240.

§. 1. AD hanc dubitationem ita respondet Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 13. cap. 4. num. 12.* vbi sic ait. [No es pecado mortal ni venial consumar el matrimonio antes de las benediciones de la Iglesia. La razon es porque no es prohibicion para esto en derecho, porque el Concilio Tridentino solo dize, *Sancta Synodus hortatur*, &c. Y despues el *cap. nostrates 30. quæst. 5. cuncta* el Papa las cosas que concurren para las boda, y entre ellas la benedicion solennes añaden; hæc omnia non seruare non est peccatum, y aun no podria poner à cerca desto solicomunion el Obispo, y si la pudiesse, no ligaria; porque el Concilio solo habla exortando à cerca desto, mas no seria pecado mortal, el no pagar el debito, ante las benediciones, porque ay muchos Doctores que dizen, que es pecado venial consumar en este caso el matrimonio, y puede el casado seguir esta opinion.] Ita ille.

2. Dicendum est igitur absolutè, non esse neque peccatum veniale si coniuges ante benedictionem matrimonium consumment, & ita præter Villalobos citatum docet Sanchez *de matrimon. tom. 1. lib. 3. disp. 12. quæst. 7.* & Layman *in Theol. moral. lib. 5. tr. 10. part. 2. cap. 4. num. 12.* cùm aliis penes ipsos; quidquid in contrarium asserat vterque Sotus, Petrus, & Dominicus; hic *in 4. sent. dist. 28. quæst. 1. art. 2. ille lect. 24. de matrim. §. primum ius ipsum*, & alij, immò cùm Sanch. aliquando credo esse sanum consilium, consummare ante benedictiones, vt quando ex aliqua causa iusta differuntur, estque periculum incontinentiæ.

RESOL. CVII.

An liceat contrahere matrimonium tempore interdicti?

Et an tempore interdicti possint fieri matrimonij denunciationes? Ex part. 3. tr. 4. Res. 166. alias 267.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 8. num. 1.* quia ea sola Sacramenta censentur tempore interdicti vetita, quæ purè sacramenta sunt, & omnino spiritualia. Sed matrimonium est contractus quidam naturalis, cui per accidens adiecit Christus sacramenti rationem. Ergo, &c.

2. Sed more suo aduersùs Sanchez insurgit Basilius Pontius *de matrim. lib. 6. cap. 9. num. 3.* quia generali prohibitione vetitum est Sacramenta ministrari tempore interdicti, exceptis, Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & Eucharistia per modum viatici, vt patet ex *cap. alma mater, de sent. excom. in 6. cap. quoniam, eod. tit. cap. non est vobis, de sponsalibus, & c. quod in te, de pan. & remiss.* Cùm ergo matrimonium,

monium, verè, & propriè sacramentum sit, nec excipiatur alibi ab ea generali prohibitione, illa comprehendi censetur, argum. *Clem. §. 1. porrò, de verb. significat.* Neque obstat ratio Sanchez, nam cum iam verè, & propriè Sacramentum sit, & in ratione Sacramenti etiam spirituale sit, & Ecclesia generaliter prohibeat tempore interdicti ministrari Sacramenta præter supradicta, non est cur ab ea generali prohibitione excludamus sacramentum matrimonij: Ita Pontius.

3. Verùm ego vtramque sententiam probabilem esse puto, & ideò negatiuam cum Pontio tenet Suarez *tom. 3. disp. 32. sect. 1. n. 51.* Reginaldus *tom. 2. lib. 32. tract. 2. cap. 27. n. 28.* Filliucius *tom. 1. tract. 18. cap. 2. n. 51.* & alij. Affirmatiuam verò cum Sanchez tenet Coninch *de sacram. disp. 17. dub. 2. n. 47.* Auila *de cens. p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 6.* Villalobos *in sum. to. 1. tract. 19. diffic. 4. n. 10.* & alij.

4. Sed stando in opinione affirmatiua assero cum eodem Sanchez *num. 5.* quod nihil refert si contrahentes sint specialiter, & personaliter interdicti, possunt enim licitè copulari; quia sub illo interdicto non comprehenditur matrimonium, nisi sit expressum: & à fortiori dicendum est ex supradictis tempore interdicti fieri posse matrimonij denunciationes, vt docet Paludanus *in 4. distinct. 26. quæst. 2. art. 2. num. 12.* & alij.

RESOL. CVIII.

An tempore interdicti licitum sit contrahere matrimonium?

Et an in prædicto tempore benedictiones tamen nuptiales fieri non possint, quia sunt officia diuina? Ex p. 5. tr. 10. Resol. 82. alias 81.

Sup. hoc in Resp. præterita, & in alio §. eius not.

§. 1. NEgatiuam sententiam tenet Turrian. *lib. 6. disp. 48. dub. 3.* Portel *in dub. reg. ver. interd. n. 19.* Suar. *disp. 33. sect. 1. n. 51.* Philip Faber *de cens. in 4. sent. distinct. 25. q. 1. disp. 5. cap. 2. n. 32.* Cornejo *in 3. part. tract. 5. de interd. §. 1. dub. 7.* & Præpos. *in 3. p. quæst. 4. de interd. dub. 3. num. 23.* quia constat ex *cap. responso*, saltem in loco interdicto non licere ministrare Sacramenta, exceptis iis quæ ius excipit. Item ex *cap. si sententia, de sent. excomm. in 6.* Patet interdictos etiam generaliter nullibi posse recipere Sacramenta, exceptis casibus à iure expressis, idque planè supponit Bonifac. VIII. *c. Alma mater*, cit. atqui nullum est ius, quo permittatur matrimonium tempore interdicti generalis personalis, vel in loco interdicto.

2. His tamen non obstantibus affirmatiuam sententiam tuetur Auila *p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 6.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 19. diff. 3. n. 15.* Layman *lib. 1. tract. 5. p. 4. cap. 2. n. 1.* Sanchez *tom. 2. lib. 7. disp. 8. n. 8.* Sà *ver. interd. num. 17.* Henriquez *lib. 13. cap. 43. n. 3.* & Hurtadus *tract. de interd. diff. 8. n. 27.* quia quamuis *in cap. si sententia, de sent. excom. in 6.* generatim prohibeatur susceptio Sacramentorum, exceptis casibus in iure expressis, & sacramentum matrimonij non excipiatur, id tamè intelligitur de sacramentis commissis administrationi Ecclesiæ, administratio autem sacramenti matrimonij non est commissa Ecclesiæ, seu ministris ab ipsa ordinatis, aut deputatis; sed tantùm ipsis contrahentibus, benedictiones tamen nuptiales fieri nõ possunt, quia sunt Officia diuina. Adde quod *in cap. appellamus, de feriis* dicitur matrimonium quocumque tempore contrahi posse, ex quo videtur excipi sacramentum matrimonij ab illa generali prohibitione tempore interdicti facta. Deinde licet matrimonium sit sacramentum, tamen est contractus, & ita non videtur simpliciter prohibitum. Et ita hanc sententiam præter DD. citatos tenet etiam Coninch *de sacrament. disput. 17. dub. 2. num. 4.* cui ego libenter adhæreo.

Sup. his benedictionib. magis latè in Resp. seq.

RESOL. CIX.

An benedictio nuptiarum sit tempore interdicti illicita? Et an saltem in dicto casu benedictiones nuptiales fieri possint in diebus, in quibus permittuntur diuina Officia, vt Paschatis? Ex part. 5. tr. 10. Resol. 85 alias 84.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Henriq. *lib. 13. c. 45. n. 3.* & Nauar. *cap. 27. n. 19.* Verùm contrariam docet Sanch. *de matri. lib. 7. disp. 8. n. 17.* Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 19. diff. 3. n. 17.* Præpos. *in 4 p. q. 4 de interd. dub. 3. n. 23.* vbi sic ait: Addendum est etiam benedictionem nuptialem esse materiam satis grauem, quod in ministro Ecclesiæ satis appareat, sed etiam in ipsis contrahentibus erit grauis violatio, eo quod illa actio satis videatur grauis, & apta ad peccatum mortale.

Sup. hoc in Resp. præterita, §. vlt. post mediũ, vers. benedictiones tamen.

2. Non desinam hic apponere verba Fabri *de cens. in 4. dist. 25. quæst. 1. disp. 5. cap. 2. num. 30.* vbi sic ait: Dubium est, an benedictiones nuptiales sint prohibitæ tempore interdicti: nam communis opinio tenet eas esse illicitas, quia inter diuina Officia computantur, imò habent adiunctam Missam, & preces solemnes, quas tempore interdicti esse prohibitas certum est. Nihilominus Couarr. *in dict. cap. Alma, part. 2. §. 2. num. 7.* tenet has benedictiones licere tempore interdicti, si fiant eo modo, quo concessum est celebrare diuina tempore interdicti, scilicet clausis ianuis, quia etiam istæ benedictiones sunt quædam Officia sacra annexa cuidam Missæ, & proinde cum eisdem circumstantiis licebit. Sed obstat huic opinioni, quod in huiusmodi celebratione diuinorum permissa tempore interdicti debent excludi laici nedum interdicti, sed etiam non interdicti. Ergo sponsus, & sponsa non possunt illi Missæ interesse, & consequenter benedici non possunt, ideo sententia communis non videtur derelinquenda.

3. Nota tamen quod ex Suarez docet Turr. *lib. 6. disp. 49. dub. 4.* benedictiones nuptiales posse fieri in diebus, in quibus permittuntur diuina Officia, vt Paschatis, &c. quod est valde notandum, & notat etiam Mercerus *in 3. p. quæst. 24. de interd. dub. 3.* & Moscoso *in sum. tract. 16. cap. 8.*

Sup. hoc in tom. 5. tr. 4. prope finem Resol. 21.

RESOL. CX.

An validum sit matrimonium, cui proprius Parochus vnius contrahentis assistit in Parochia alterius, sibi non subditi?

Et an dictus Parochus, qui in aliena Parochia coniungit suum Parochianum peccet mortaliter, & puniendus sit? Ex p. 3. tr. 4. Resol. 231. alias 232.

§. 1. EXempli gratia, si Parochus Petri contrahentis assistat in Parochia Mariæ, cuius non est Parochus. Aliqui existimant, quemuis Parochum ex duobus contrahentium, & ita Parochum viri in parochia fœminæ, & è contra, posse illos matrimonio iungere, & ita docet Sanchez *de matrimon. tom. 1. lib. 3. disp. 19. n. 11.* qui multas rationes adducit ad firmandam hanc sententiam.

Sup. hoc supra in Resp. 89. §. Et tandem obserua, sed lege eam à principio.

2. His tamen non obstantibus, aduersus illum contrariam tenet Basilius Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 16. num. 4.* & alij penes ipsum, qui etiam adducit aliquas

aliquas Cardinaliũ declarationes. Prima ad Episcopum Brugnatensem sic ait. Si quando vir ad domum vxoris accedit pro contrahendo, & consummando matrimonio, is proprius Parochus sit, qui vxoris est, & illis benedictionem sacerdotalem dare poterit de iure. Secunda ad Episcopum Leonien sem, ita ait. Vt proprius Parochus sit, qui vxoris Parochus est, si in domo vxoris contrahitur, vel eius parochia, vt *suprà*, in vna Brugnatensi benedicere sponsos debeat; non obstante quacumque consuetudine contraria, & immemoriali. Et quamuis ad has declarationes posset quis respondere, in illis tantùm dici sufficere Parochum vxoris quando contrahitur in parochia vxoris, & non addi illum præcisè requiri, quasi eo ipso dicant vnum sufficere, non verò negari, quin alter possit esse præsens, hoc tamen responsum refelletur ex earum declarationum verbis rectè consideratis; nam quæstioni propositæ quis censendus esset in parochia fœminæ, verbi gratia, proprius Parochus, respondet Episcopo Brugnatensi, proprium Parochum esse vxoris, quando in parochia vxoris: cúmque Concilium dicat contrahendum coram proprio Parocho, & Congregatio declaret illũ esse proprium Parochum, manifestè sequitur coram alio non posse contrahi matrimonium; expendo etiam in secunda declaratione dictum esse, Parochum vxoris esse, qui in eius parochia benedicere sponsos debet. Nota verbum *debet*, non ergo alius potest, nec Parochus viri in parochia fœminæ, alias non vterentur Cardinales verbo *debet*, & hæc omnia asserit Pontius *vbi suprà*, qui respondet ad argumenta Sanchez.

3. Verùm sententia affirmatiua Sanchez, quam Pontius impugnat, sequitur nouissimè Layman *in Theol. moral. lib. 5. tr. 10. part. 2. c. 5. n. 3.* & Villalob. *in summ. tom. 1. tract. 13. diffic. 18. n. 2.* sic asserens. [Vade el matrimonio hecho delante de qualquiera de los Parochos de los contrayentes, aunque se haga fuera de su parochia, la razon es porque el Parocho à qui no exercita officio de iurisdicion, que solo es testigo, y aunque la exercitara, no pertineceria esto à iurisdicion contentiosa, sino à voluntaria, que es de consentimiento de la partes, laqual se puede exercitar fuera del territorio, y como el Concilio Tridentino no pone por sustancia, ni circonstancia deste contrato, que se haga en la propria parochia, no ay para que estenderlo à esso.] Ita ille; vnde remanet hæc sententia satis probabilis.

Sup. hoc in Resol. not. præteritæ à Principio.

4. Sed an dictus Parochus, qui in alia parochia coniungit suum parochianum, peccet mortaliter, & puniendus sit, negat Sanchez & Villalobos; affirmat verò Pontius, & Henriquez, at vtraque opinio est probabilis.

Sup. hoc ibidem lege §. Sed difficultas.

RESOL. CXI.

An Episcopi possint prohibere, ne matrimonia domi contrahantur?

Et an vt dicatur matrimonium in facie Ecclesiæ celebrari, sit opus, vt in Ecclesia ipsa materiali, vel eius limine celebretur, vel satis sit coram fidelium multitudine?

Et an hodie dicatur satis contractum in facie Ecclesiæ si coram Parocho & duplici teste, denunciationibus præmissis, matrimonium ineatur? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 278. alias 279.

§. 1. NEgatiuè respondet Barbosa *de potest. Episc. part. ... alleg. 32. num. 18.* & ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio his verbis. Ordinarius non potest prohibere, quin matrimonia domi celebrentur seruata Concilij forma. Sed cum maximè deceat, vt in Ecclesia celebrentur, id hortari debent, non præcipere. Et hanc declarationem adducit Rebellius *part. 1. lib. 2. quæst. 7. sect. 2. num. 11.* Et ratio est, quia vt obseruat Sanchez *tom. 1. lib. 3. disp. 15. num. 20.* Reginaldus *tom. 2. lib. 31. cap. 33. num. 242.* & alij, vbi nullum reperitur impedimentum, debet Parochus volentes contrahere matrimonio in facie Ecclesiæ coniungere, vt constat ex Concilio Tridentino *sess. 24. de matrim. cap. 1.* vbi si nullum legitimum apponatur impedimentum ad celebrationem matrimonij, in facie Ecclesiæ procedatur. Vt autem dicatur matrimonium in facie Ecclesiæ celebrari, non est opus vt in ipsa Ecclesia materiali, vel in eius limine celebretur, sed satis est coram fidelium multitudine, vt testatur Abbas *in cap. finali, de clandest. desponsat. num. 9.* vbi Propositus *num. 9.* Alexander de Neuo *in princ. n. 25.* Syluester *verb. matrim. 1. q. 17. dicto secundo*, & alij. Hodie autem dicitur satis contractum in facie Ecclesiæ, si coram Parocho, & duplici teste, denunciationibus præmissis, matrimonium ineatur. Ita Sanchez.

2. His tamen non obstantibus inuenio, vt obseruat Pontius *tract. de impedim. matrim. causa 30. quæst. 25. cap. 26. §. 2. verb. 3.* Patres Concilij Prouincialis Colonien sis 2. *cap. 33.* aliter decreuisse, & in nostra Synodo Panormitana 1615. *part. 1. cap. 22.* sic decretum est. Nullo autem alio in loco, nisi in Ecclesia, quæ propria Sacramentorum domus est, sponsos iungat Parochus, nisi iustam ob causam Archiepiscopo probatam. Quocirca caueant medici, ne facili negotio fidem faciant ipsos, aut propter ægritudinem, aut corporis imbecillitatem Ecclesiam adire non posse. Vide Rebellium *loco citato.*

RESOL. CXII.

An sponsi rus profecti recreationis causa possint ibi matrimonium contrahere? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 230. alias 231.

§. 1. REspondent communiter negatiuè, quia tale matrimonium non esset contractum, neque coram Parocho sponsi, seu sponsæ, neque de Parochi licentia, ergo erit nullum; & ita sentiunt Doctores, quos citat & sequitur Cenedo *de potest. Episc. part. 3. allegat. 32. n. 66.* Riccius *in prax. to. 1. resol. 214. n. 1.* & Menoch. *vol. 4. cons. 378.* qui pro hac sententia adducit quatuor Sacræ Rotæ decisiones.

Sup. num. 10. in fin. Ref. lege §. 1. ratio hic obiter & ex §. Resp. nota 1.

2. Sed his non obstantibus, aliqui sentiunt sufficere eum qui habet alicubi etiam parui temporis habitationem, posse contrahere, & coram Parocho habitationis & coram sui domicilij Parocho, si velit, & ita nouissimè hanc sententiam docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 5. c. 13. §. 1. n. 4.* & ante illum Emanuel Sà expurgatus à Magistro Sacri Palatij, vbi *verb. Parochus, num. 2.* sic asserit: De parochia efficitur quis acquisitione domicilij. Quantum ad pœnitentiam autem, & Eucharistiam, sufficit habitatio per sex menses secundùm quosdam. At melius alij sufficere quantum ad Sacramenta illic habitare, & non posse commodè ad proprium ire. Ad matrimonium verò sufficit, vel modica habitatio, & *verb. matrimonium, num. 2.* ita ait. Qui alicubi habitant non animo permanendi, quibusdam non videtur posse sub illo Parocho contrahere. At mihi videtur Congregatio Concilij aliud sentire, scilicet sufficere illic habitare dum contrahunt. Sic Emanuel Sà.

3. Declara

3. Declarationes verò Cardinalium hæ sunt, quas affert Pontius *num.5.* Proprius Parochus est, in cuius Parochia contrahentes habitant tempore quo matrimonium contrahitur: & alia sic asserit. Quando matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, & à paruo tempore in aliquo loco habitantes, qui tamen sint cogniti, & non sint comprehensi inter vagabundos, proprius eorum Parochus esse intelligitur, in cuius parochia habitant, & tempore quo matrimonium contrahunt. Vide lector, quàm sit difficilis hæc quæstio, cùm pro parte negatiua adsint Rotæ decisiones, & pro affirmatiua Cardinalium responsiones. Sed cùm de istis non constet authenticè, à prima opinione non discederem.

RESOL. CXIII.

An contrahentes matrimonium in peccato mortali peccent dupliciter; quia non solum suscipiunt, sed etiam ministrant hoc Sacramentum? Ex part.3. tract.4. Resol.198. alias 199.

Sup. hoc in tom.1. tr.1. Resol.11. in fine, & in to.4. tr.8. lege doctrinam Resol. 32. signanter à fin. 2. & vers. Probatur.

§. 1. PEccare dupliciter docent Pontius *de matr. lib.1. cap.8. num.11.* Vasquez *in 3. part. to.3. disp.136. cap.3. num.38.* Ledesma *de matrim. quæst.43. art.3. ad vltim. argum.* Nauarrus *in cap.1. §. Sacerdos, num.10. dist.6. de pœnit.* & alij. Et ratio est, quia ipsi non solùm suscipiunt, sed etiam ministrant Sacramentum. Ergo peccant dupliciter, & tanquam susceptores, & tanquam ministrantes.

2. Sed contrariam sententiam probabilem esse puto, quam tenet Fernandez de Heredia *disp. de Sacram. in genere, part.10. dub.13. num.4.* Filliucius *tom.1. tract.1. cap.6. num 87.* Ledesma *in sum. cap.6. tom 1. de Sacram. in genere, dub.9* Fernandez *in exam. Theolog. moral. part.3. cap.18. §.1. num.5.* qui citat Sotum, Guttierrez *de matrim. cap.41. num.3.* Sanchez *de matrim. tom.1. lib.2. disp.6. num.4.* Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. part.2. de Sacram. in genere. quæst.4. dub.3. concl.1.* Coninch *de Sacram. quæst. 64. art.6. dub.1. num.38.* Layman *in Theol. moral. lib.5. tract.1. cap.5. num.9.* Villalobos *in summa, tom.1. tract.4. diffic.4. num.5.* vbi sic asserit: [El que recibe el Sacramento del matrimonio en pecado mortal, no peca mas que vn pecado, como si recibiera otro Sacramento, porque aunque ambos los contrahentes sean ministros, con todo no estan deputados especialemente para esso.] Vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ.

Sup. his Ministris latè supra in Resol. 96. & infra cuesim ad medium Resol. 117.

RESOL. CXIV.

An censeatur matrimonium consummatum, si solus vir intra vas fœminæ naturale seminet, fœmina vero non seminante?

Ex quo infertur, quod si viro seminante fœmina non seminauerit, idque partibus constat, possint Religionem ingredi, & profiteri, & pars relicta in sæculo aliud matrimonium inire. Ex part.5. tract.13. & Misc 1. Resol.54.

Sup. hoc infra in fine Resol. 216. & in Resol. 238. §. Et ideo. & in to.5. tr.5. cusim in fine Resol. 151. Et vt melius dissoluatur

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docent Doctores quos citat Sanchez *vbi suprà num.10.* quibus ego addo Guttierrez *de matrim. cap.54. num.22.* vbi ex multis probat, quòd si solus vir intra vas naturale fœminæ seminet, consummatur matrimonium, quia semen fœmineum non est ad generandum necessarium.

2. Sed quamuis hæc opinio sit communior & probabilio, tamen contrariam probabilem etiam esse existimo cum Sanchez *de matrim. tom.1. lib.2. disp.21. num.11.* vbi ex pluribus Doctoribus probat per vtriusque seminis commixtionem fieri coniuges vnam carnem, & per consequens consummari matrimonium. Et ideo hanc sententiam mordicus tenet nouissimè doctus Alphonsus Caranza in eruditis suis commentariis *de partu humano, cap.20. q.1. n.6.* vbi firmat, fœmina semen non emittente, matrimonium non consummari; & ad argumentum affirmatiuæ sententiæ respondeo illud principium philosophicum, quòd semen fœmineum non sit necessarium ad generationem, non esse ita certum, vt probabiliter quis contrarium tenere non possit; & ita tenent præter Doctores, quos citat Sanchez *vbi suprà*, Leuinius Lemnius *lib.4. de occultis naturæ miraculis, cap.23.* Ambrosius Paræus *de anatom. lib. 23. cap.1.* Andræas Laurentius *de hist. anatom. lib.8. cap.2. quæst.5. & cap.4. quæst.11.* Iacobus Guillemaus *de generatione, fol.205.* Ioannes Baptista Saluaticus *in controuers. medic. cap.79.* Sancta Cruz *de Hippocrate philos. super text.73. de dieta.* Plutarchus *lib.5. de placitis Philosophorum, cap.5.* Lactantius Firmianus *de opificio Dei, cap.12.* Nemesius *lib. de natura hominis, cap.25.* Et hanc sententiam apertè docuit etiam Iustinianus (quod adhuc Iurisconsulti non obseruarunt) in Authentica. *de triente, & semisse*, quæ est Nouella 18. vbi sic ait, *Neque enim masculus ipse in se, nec fœmina solùm ad natiuitatis propagationem sufficiens est; sed vtrumque eorum coaptauit Deus ad generationis opus.* Idem Iustinianus *in §. sed hæc institutio, de exhæreditat. liberorum.* Ita vtraque persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur, quod ipsum antea suppositum fuerat in leg.12. tabularum *cap.14. de legitimis hæredibus*, & ab his intelligendus est Baldus, qui filium quoddam compositum appellat *in leg. fin. in fine. Cod. de seruis fugitiuis.* Sequitur Boërius post alios *decis.241. num.7.* & post Georgium Robalg. notat Andreas Dalnerus *de iure hominis, part.6. num.5.* nouissimè Thomas Actius post Syluam nuptialem *in tract. de infirmitate legali, cap.20. num.7.* Et tandem notandum est hanc sententiam confirmare sacrum textum in illis verbis Iob c.10. *Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti.* quibus in conceptu seminum maris & fœminæ concursus, & commixtio diuersorum, ac in caseo, (ad generationem humanam necessarius) velut exprimitur.

3. Cæteras verò rationes pro hac opinione videbis apud Caranzam *loco citato*, à quo supradicta sum mutuatus, quæ omnia satis confirmant id de quo olim Romæ à quodam Eminentissimo interrogatus fui, & quod probabiliter ego docui *in 4. part. tr.2. resolut.43.* cum Ioanne Præposito Theologo Societatis IESV, quòd si viro seminante fœmina non seminauerit, idque partibus constet, possent Religionem ingredi & profiteri, & pars relicta in sæculo aliud matrimonium inire. Vide etiam ibi ex probabilitate huius sententiæ alios casus decisos.

hæc quæstio lege infra doctrinam Resol. 243. & si vides alias Resol. & §§. eius annotationem doctrina repleueris.

Quænúe inuenietur in tom. 5. tr.5. Resol.153. Et cum eodem Præposito hic citato infra in Resol. 243. §. Secundo. & in Resol. 238. §. Et ideo. ante medium. vers. Ex quibus.

RESOL. CXV.

An, deficientibus hominibus sæcularibus, tenerentur Religiosi contrahere matrimonium?

Et notatur posse etiam nunc occurrere casum, in quo Religiosus teneretur matrimonium contrahere; vt quando sequerentur seditiones, & bella, nisi Principis filius Religiosus vxorem duceret; tunc enim sub peccato mortali matrimonium inire teneretur. Ex part.3. tract.4. Resol.288. alias 289.

Sup. hoc in tom 3. tr.1. lege doctrinam Res.78. & aliarum eius primæ annot.

§ 1. CVrioſa magis quàm vtilis erit hæc quæſtio. Negatiuam ſententiam docet Baſilius Pontius *de matrim. lib.1. cap.4. n.11.* Vaſquez *in 3. part.tom.4. diſp.1. de matr.cap.3.* Rebell.*part.2.lib.2. q.2.num.7.* Syluius *in 3.part.q.41. art.2. concl.2. ad argum.5.* & alij penes ipſos, putantes mundi iam finem inſtare in tali caſu, & ideò neceſſarium non eſſe matrimonium contrahi à Religioſis, vt per illos genus humanum reſtauretur.

2. Mihi verò magis placet ſententia affirmatiua quam docent DD. quos citat, & ſequitur Sanchez *tom.1.lib.2. diſp.3.n.4.* quibus ego addo Reginaldum *in praxi tom.2. lib.31. cap.2.n.8.* Villalobos *in ſumm. tom.1.tract.13. diffic.3.num.1.* Et ratio eſt vrgenti neceſſitate obligans, ſed in noſtro caſu maximè vrget, nec ſecluſa Dei reuelatione finem mundi adeſſe conſtare poterit. Ergo, &c.

Sup.hoc in tom.3. tr.1. Vide doctrinam Res.79. ſignanter in §. Ad ſecundum.

3. Notandum verò cum Sanchez, & Reginaldo *locis citatis*, poſſe etiam nunc occurrere caſum, in quo aliquis Religioſus teneretur matrimonium contrahere, vt quando ſequerentur ſeditiones, & bella, niſi Principis filius vxorem duceret: tunc enim ſub onere peccati mortalis matrimonium iniri teneretur, non ratione præcepti matrimonij. Sed ad caſus practicabiles veniamus, ideò quæro.

RESOL. CXVI.

An ſurdus, & mutus à natura poſſint contrahere matrimonium? Ex p.5.tr.6.Reſ.9.

§. 1. PRo parte negatiua poſſet quis dicere non poſſe, quia ius ciuile, vt dicemus infra prohibuit his contractus inire, quia facilè deciperentur. Ergo à fortiori idem dicendum erit de contractu matrimonij. Et ita tenet Ancharanus *in cap. cùm apud, de ſponſalib.n.5.* & *ibi* Abbas *n.6.* Bollus *in Oeconomia can.claſſ.2.c.4 §.7.lit.S.* Flaminius *de reſignat. benefic.lib.5.q.3.n.26.* Barbatia *lib.2. conſ.59. num.10.* Cardinalis Patiſius *lib.4.conſ.63.n.4.* & alij.

2. Sed contrariam ſententiam veram eſſe puto, quam tuetur ex multis Doctoribus Sanchez *de matrim. tom.1. lib.1. diſput.8. num.12.* vbi ſic ait: Verius exiſtimo, poſſe mutum ſimul ac ſurdum, ſi intellectum perſpicacem habeat, ita vt ſignis edoceri poſſit, quid ſit matrimonium, & ſignis indicare conſenſum, validè contrahere ſponſalia, & matrimonium: probatur ex *dict. cap. cùm apud*, vbi in reſponſione ſic dicitur: Videtur ſi talis, nempe mutus, & ſurdus, de quo erat quæſtio, velit contrahere, non debet ſibi denegari, vbi cùm loquatur in ſingulari, videtur intelligere de eodem vtroque morbo laborante. Præterea, quia aliqui muti ita ſunt perſpicacis, & acuti ingenij, vt multa explicatu difficillima facilè ſignis manifeſtent, aliaque ipſis ſignificata intelligant, vt experientia ipſa teſtatur: tandem, quia hi ſecundum omnes poſſunt confiteri, & abſolui; ergo & contrahere matrimonium. Ita Sanchez, cui addo Guttierrez *de matrim. c.8.n.3.* Franciſcus Mol. *de ritu nuptiarum lib.1. compar.31.* Barboſam *in leg. cùm prætor, §. fin. n.29 ff.de iudiciis.* Ripol. *var.reſol.c.18. n.207.* Naldum *in ſumma, ver. mutus,n.1.* & Hurtadum *de matri.diſp.3.difficul.3.n.8.* vbi ita aſſerit: Qui à natiuitate ſimul eſt ſurdus, & mutus, ſi ſit videns, & perſpicacis ingenij, poterit validè contrahere matrimonium, quia ſignis viſu perceptis, poterit percipere contractu matrimonij, quem videt aliquando celebrari, aliquid fieri ordinatum ad commixtionem carnalem, ac proinde in id conſentire, & de eo ſignis paciſci. Hæc ille, & ego. Et in tali caſu iudex colliget conſenſum legitimum ex geſtis, & ſignis, de quibus late Barrolus, & Doctores omnes *in l.nuntium, ff. de acquirend. hæreditat.*

RESOL. CXVII.

An mutus, & ſurdus, & ſimul cæcus à natura poſſe inire matrimonium?

Et quid ſi cæcitas non eſſet à natura, ſed ſuperueniſſet? Ex p.5. tr.6.Reſ.10.

§. 1. AFfirmatiuam ſententiam docet Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Cardinalis Panormitanus, Alexander de Næuo, Henricus, & alij, quos citat Ceuallos *tom.3. commun. opin. quæſt.750.num.55.* Guttierrez *de matrim. cap.8. num.4.* & ex Summiſtis hanc ſententiam docent viri doctiſſimi, Angelus *verb.matrimonium 3. imped. 18. in principio*, & Tabiena *eodem verb.2.quæſt.6.num.7. in fine*, vbi ſic eſſe rit: Sed quid de illo, qui eſt cæcus, mutus, & ſurdus? Reſpondetur ſecundum Panormitanum *in cap. cum apud, de ſponſal.* poſt Hoſtien. quod attendendum eſt, vtrum poſſit exprimere conſenſum ſuum, & ſic admittatur, ſi autem non poteſt, quod iudex arbitrabitur, vtrum poſſit exprimere, & tunc repellatur. Ita Tabiena.

2. Verùm ſententiam contrariam docet Sanchez *de matrimon. tom.1. lib.1. diſp.8. num.13.* quia mutus ſignis ſaltem edoceri poteſt, quid ſit matrimonium; ſecus autem ſigna hæc percipere nequit, nec etiam verba, cùm ſimul ſurdus ſit: ergo ex defectu auditus, & viſus nequit adhuc confuſè percipere contractum matrimonij, & eius primarium effectum.

3. Et poſt hæc ſcripta inuenio hanc ſententiam docere etiam Baſilium Pontium *de matrimon. lib.2. cap.12. num.16.* Ea, inquit, quæ hactenus diximus de ſignis conſenſus matrimonij, vera etiam ſunt in mutis, & ſurdis, cum edoceri poſſit, quid ſit matrimonium, ſicut & edocentur difficiliora alia. At ſi etiam ſimul cæcus eſſet à natura, non video quomodo diſcere poſſit, quid ſit matrimonium, aut ſignis exprimere conſenſum, ſecus ſi cæcitas non eſſet à natura, ſed ſuperueniſſet. Hæc Pontius. Vnde cùm hanc opinionem doceant Theologi, puto non eſſe audiendos Iuriſconſultos; licet ex ipſis nouiſſimè noſtram ſententiam ſequatur Antonius Rippol *variar, reſolut. cap.8. n.108.* vbi ſic ait. Si cæcus eſſet ſimul, qui mutus, & ſurdus à natura eſt, cùm deſit modus, quo poſſit ipſe percipere id quod fecit, certè talis non poſſet contrahere, cùm non adſit motus, per quem percipere ipſe poſſit quid agat. Ita ille.

RESOL. CXVIII.

An inter fideles poſſit eſſe matrimonium quod non ſit Sacramentum?

Sed nota, obſecro amice Lector, quod quando qui contraheret ſine formali, aut virtuali intentione faciendi, quod facit Eccleſia, licet illud matrimonium non ſit Sacramentum, quia in Miniſtro non fuit intentio neceſſaria, attamen validum manet intentione contractus: ita vt contrahentes non poſſint deinde nubere, neque in poſterum poſſe tale matrimonium effici Sacramentum. Ex part.3. tractat.4. Reſ.254. aliàs 255.

§. 1. Dixi

Quæ hic est supra Ref. 96.

§. 1. DIximus in superiori resolutione ministros huius Sacramenti esse ipsos contrahentes, & cùm omne Sacramentum perficiatur intentione ministri, quæritur modò, an si fideles contrahentes habeant intentionem celebrandi matrimonium, non tanquam rem sacram, sed tantùm vt contractum, reuera tale matrimonium non esset Sacramentum, valeat tamen ratione contractus? Nonnulli negant, quia ex Christi institutione inseparabilis est ratio Sacramenti à contractu matrimonij, vnde intentio conficiendi Sacramentum repugnat intentioni legitimè conficiendi matrimonium, quatenus est contractus. Sicut è contra qui intenderet facere Sacramentum, & non contractum, nihil efficeret, quia ex Christi institutione hæc duo sunt inseparabiliter coniuncta, & se mutuò ponunt, & destruunt. Ita Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 10 num. 6.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 2 n. 2.* Coninch. *de Sacram. disp. 24. dub. 1. concl. 4.* Petrus de Ledesma *de matrimon. quæst. 42. art. 1. dub. 7. ad 1. & 2.* cum aliis.

2. Mihi verò contraria sententia placet, quam aduersùs Sanchez non solùm tenet Basilius Pontius *de matrim. lib. 1. cap. 9. num. 3.* & Villalobos *in summa tom. 1. tract. 13. diffic. 6. num. 4.* sed ex ipsamet Societate Gabriel Vasquez *tom. 2. in 3. part. disp. 138. cap. 5. in princ.* & ante omnes Rebellius *part.... lib. 2. qu. 5. concl. 1.* Nam quæro à Sanchez, & aliis Doctoribus, vnde colligant eo modo factam à Christo institutionem, cùm eorum assertio ab institutione dependeat: eam enim non explicant Concilia, neque insinuant sancti Patres, neque etiam vnanimis Doctorum opinio. Et ideò plures Doctores, vt *suprà* visum est, docent, & docuerunt, matrimonium inter absentes, & per procuratorem esse firmum, atque legitimum, non tamen Sacramentum: & non pauci recentiores iudicant hanc opinionem adhuc post Concilium Tridentinum esse valde probabilem. Ergo, &c. Cæteras rationes videbis apud Rebellium.

Supra in Ref. quæ hic est supra 60.

3. Ex his omnibus [illegible] uitur (nota Lector) quòd quando aliquis contraheret sine formali, vel virtuali intentione faciendi, quod facit Ecclesia, licèt illud matrimonium non sit Sacramentum, quia in ministro non adfuit intentio necessaria, attamen manet validum in ratione contractus, ita vt contrahens non possit deinde alteri nubere, neque in posterum posset tale matrimonium effici Sacramentum. Et ita docet Pontius *vbi suprà de matrim. lib. 1. cap. 9. n. 8.* & Vasquez *tom. 2. in 3. part. disp. 138. cap. 5. & tom. 4. disp. 2. de matrim. cap. 10. num. 136.* sicut etiam diximus *suprà* matrimonium infidelium post Baptismum minimè fieri posse Sacramentum. Et ratio est, quia, ait Pontius & Vasquez, ratio Sacramenti matrimonij, annexa est fieri contractus, non vinculo remanenti post contractum. Consistit enim hoc Sacramentum in actione, sicut & alia omnia, excepta Eucharistia, & in eo fieri ipsius contractus datur gratia, non postea, vt certa sententia Doctorum est; post semel autem contractum validè matrimonium, non potest denuo esse aliud fieri eius contractus; vinculum enim matrimonij relictum, in nullo penitus iam dependet à consensu eorum, qui contraxerunt. Quare cùm etiamsi renouetur consensus, nihil efficiatur contra contractum antè validum, nec adhibeatur materia, & forma; cùm solum verbotenus renouetur consensus, & Sacramentum matrimonij tantùm consistat in fieri, nec possit esse, nisi re ipsa fiat contractus, quod iam factum est; ergo non potest iam ampliùs fieri Sacramentum.

Supra in Ref. quæ hic est infra 126. & in alio vers. eius annot.

RESOL. CXIX.

An matrimonium Catholici cum Hæretico sit licitum, cum periculo peruersionis, quando tamen ex magna aliqua causa contrahitur?

Ex quo infertur non esse peccatum exponere se periculo spiritualis salutis ex causa aliqua vrgenti?

Etiamque cursim deducitur posse hominem aliquod medicamentum sumere ad assequendam salutē quamuis probabiliter putet ex eo futuram seminis effusionem?

Et aduertitur, quod absolui potest, qui ex rationabili, & iusta causa non vult dimittere peccandi occasionem, modo proponat firmiter non peccare, etiam si aliquoties sit relapsus? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 268. alias 269.

§. 1. MAtrimonium Catholici cum infideli, hæretico vel pagano non esse ita intrinsecè malum, vt nulla circumstantia reddi possit licitum, sed aliquibus additis, vel mutatis circumstantiis licitè aliquando posse, & sine peccato contrahi, docuerunt Sanchez *de matrimon. tom. 2. lib. 7. disput. 72. num. 5.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 5.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. cap. 6. part. 2. quæst. 2.* Coninch *de Sacram. disp. 31. dub. 3. concl. 3.* Bellarminus *de matrim. lib. 2. cap. 23. propos. 4.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 23. num. 169.* Seratius *in opusc. de matrim. Cathol. cum hæret. num. 18.* & alij.

Quamuis non plenè sup. hoc, tamen in tom. 3. tr. 1. legè latam doctrinam Ref. 86. signanter à §. Sed quid dicendum.

2. Difficultas est, an etsi probabili periculo peruersionis dictum matrimonium sit licitum ex magna aliqua & eximia causa, puta vel augmenti, & propagationis Ecclesiæ, vel tranquilli eius status, vel libertatis Catholicorum, qui sub aliquo hæretico Principe, & Consiliariis hæreticis oppressi teneantur. Hoc dubium apud neminem inueni, nisi apud doctissimum Basilium Pontium *de matrim. in appendice, cap. 6.* vbi affirmatiuam sententiam ex pluribus tenet. Et ratio est, quia exponere se periculo salutis spiritualis amittendæ, quamuis peccatum sit, non tamen ex his peccatis est, quæ quauis circumstantia posita, vel detracta suam deformitatem retinet, sed eius malitia pendet ab his, vel illis circumstantiis. Vnde ea expositio periculi non erit peccatum, quando ex magna fiat, & vrgenti causa: tunc enim non est amare periculum, sed amare illud ingens bonum, ad quod sine eo periculo peruenīri non potest, & ideo periculum adeat inuitus, non amans. Sed totum hoc accidit in casu proposito Ergo, &c. Non esse autem peccatum exponere se periculo spiritualis salutis ex causa aliqua vrgenti, docet D. Thomas *in 2. 2. quæst. 10. art. 9. in corpore*, Armilla *verb. periculum*. Graffius *de arbitr. confess. 2. cap. 49. num. 5.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 8. num. 3.* Lopez *in instruct. punct.... part. 1. cap. 20. conclus. 1. & 4.* Nauarrus *in man. cap. 3. num. 14. & in cap. negotia, de pœnit. dist. 5. num. 8.* Henriquez *lib. 4. cap. 15. num. 3.* Sed audiamus de hac re disserentem Caietanum *in summa, verb. periculum*, sic enim ait. Secundò, eundo ad locum, siue societatem vbi est periculum peccandi mortaliter propter aspectum, persuasionis commoditates, aut aliquid huiusmodi, & hoc quidem si sine vrgenti necessitate fit, ad incautelæ peccatum spectat, non est autem ex suo genere peccatum mortale; quia in suæ libertatis arbitrio restat peccare mortaliter, etiam præsentibus talibus occasionibus peccandi. Ita ille, hinc Emanuel Sà *verb. absolutio, n. 12.* sic asserit. Item absolui potest, qui ex rationabili, & iusta causa non vult omittere peccandi occasionem, modò proponat firmiter non peccare, etiamsi aliquoties sit relapsus.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 6. ex Ref. 11. lege doctrinā à §. Non desinam, & seq. & Ref. earum annotationum. Et pro contento in vers. Non esse autem, huius textus, ibid. signanter in §. vlt. & in aliis eius primæ not. sed lege eas per totas, & alias earum annotatiō-num.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 3. Ref. 29. & latissimè in multis aliis eius primæ not.

Et pro contento in hoc §. Igitur in tom. 8. tr. 6. ex Res. 11. §. vlt. &c.

3. Igitur ex his omnibus apparet off erre se periculo peccandi, tunc esse peccatum, quod fit sine causa virgenti, vel necessitate ad id obligante, non verò si talis adsit causa, & causa etiam sufficit, esse non solùm pro bono spirituali, sed etiam pro aliquo bono temporali. Nec requiritur vt semper sit causa inuoluntaria, aut ex necessitate prouenies, sed satis est, etiam si sit causa voluntariè quæsita. Hæc omnia Basilius Pontius *vbi suprà*.

Et pro contento in hoc §. vlt. infra in Res. 107. §. vlt. & in tom. 8. tr. 6. Res. 15. & in alio §. eius not.

4. Ex quibus cum Vasquez *opusc. de restitut. cap. 3. §. 2. dub. 6. num. 23. & 24.* & aliis infert, posse hominem aliquod medicamentum sumere ad assequendam salutem, quamuis probabiliter putet ex eo futuram seminis effusionem.

RESOL. CXX.

In quodam Tribunali S. Inquisitionis N. fuit tanquam Hæreticus formalis publicè damnatus, quæritur, an quia Ecclesiæ se reconciliauit, eius vxor teneatur illum recipere, & secum cohabitare?

Et an supradicta opinio sit amittenda, si in occulto coniux hæreticus reconciliatur per Inquisitores?

Et notatur, quod in supradicto casu non desideratur specialis diuortij sententia, sed sufficit sententia Inquisitorum, qua declaratum fuit illum extitisse Hæreticum?

Et quæritur, an post sententiam, qua vxor hæretica declarata fuit, possit vir eius ordinibus sacris manens in sæculo initiari? Ex part. 6. tract. 7. & Misc. 2. Res. 25.

Sup. hoc supra ex doctrina Res. 14. §. vlt.

§. 1. CAsus potest frequenter accidere, & ad illum affirmatiuè respondet ex Societate Iesv Rebellius *lib. 2. quæst. 18. sect. 2. n. 5. & 9.* Ex Dominicanorum familia Sotus *in 4. dist. 39. qu. vnica art. 4. ad 3.* quibus adde Palatium *dist. 35. disp. vnica fol. 783.* Iulium Clarum *lib. 5 §. hæresis n. 15.* Surdum *de Alimen. tit. 7. qu. 21. n. 7.* & Simancham *in Cathol. instit. titul. 40. n. 16.* vbi testatur de communi, & asserit, quòd nisi vxor velit sanctimonialis esse, cogi potest, vt ad virum pœnitentem redeat. Probatur hæc opinio, quia *Matth. 19.* licitum est diuortium propter carnalem fornicationem, ergo non propter fornicationem spiritualem, quando vir est emendatus, quia cessat periculum subuersionis. Et hæc opinio videtur fauere matrimonio, cùm imponat obligationem ad cohabitandum: & fauet fidei: nam propter illam faciliùs hæretici se Ecclesiæ reconciliabunt. Ergo, &c.

2. His tamen minimè suffragantibus ego negatiuæ sententiæ adhæreo, quam tuetur Hurtadus de Mendoza *de fide vol 1. disp. 76. sect. 6. §. 206. & 207.* Stephanus Bauny *in Theolog. Moral. tract. 12. de obligationib. coniug. qu. 2.* Fragosus *in Regim. Reip. Christ. tom. 1. lib. 5. disp. 12. num. 328.* Sanchez *de matrimonio tom. 3. lib. 10. disp. 15. num. 9. & 19.* Henriquez *lib. 11. cap. 17. n. 6.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 7. n. 16.* Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 33. d. 1. n. 3.* Fagundez *in Decalogum tom. 1. lib. 4. cap. 8. n. 10. & 11.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 10. num. 396.* & sequitur Coninch *de Sacram. disp. 15. dub. 4. n. 24.* quibus etiam adde Pontium *de Matrim. lib. 9. cap. 22. num. 3.*

3. Probatur hæc sententia: quia cohabitare cum viro tanquam hæretico damnato est insuaue & infame: ponere verò obligationem coniugi innocenti in Religionem ingredi est nimis durum, & in fauorem hæretici, vt ipse in sæculo liber maneat: ergo sequitur minimè teneri coniugem recipere alterum coniugem, etiamsi sit emendatus, postquam de hæresi fuit damnatus. Alias rationes ex sacris Canonibus petitas recognosce apud citatos Authores.

4. Dicendum est igitur quòd hæreticum semel condemnatum quantumuis emendatum coniux postea non tenetur recipere: quia in pœnam hæresis, omninò suo iure, quod habebat, vt alter sibi cohabitaret, ac debitum redderet, iam priuatus est, remanente solo matrimonij vinculo. Et nota quòd in hoc casu non desideratur specialis diuortij sententia, sed sufficit sententia Inquisitorum, qua declaratum fuit illum extitisse hæreticum: qua sententia data sine vlteriori separationis sententia integrum est coniugi omninò diuertere, & in secluso si velit remanere, non enim cogitur transire ad Religionem. Et ratio est clara, quia cum hoc diuortium sit pœna hæresis, eo ipso quod coniux ex sententia Inquisitorum declaratus fuit hæreticus, damnatur hac pœna, sicut & amissione bonorum, & aliarum pœnarum. Ergo, &c.

5. Nec obstat locus *Matth. 19.* superiùs adductus, vbi dicitur coniugem ob solam fornicationem posse dimitti; quia ibi agitur de dimissione, quam ex vi contractus coniux per se facere possit, non autem de ea, quam in pœnam iudex facere possit: cum enim hic hæreticum possit priuare omnibus bonis, atque etiam vita, quare non poterit priuare iure, quod habebat in coniugem.

6. Sed ex his oritur difficultas, an supradicta opinio sit admittenda, si in occulto coniux hæreticus reconciliatur per Inquisitores. Negat Barbosa in *Rubrica 2. part. num. 21. & 22. ff. solut. matrimon.* Et videtur in hanc sententiam inclinare Sotus *in 4. dist. 39. quæst. vnic. ad 3.* Sed affirmatiuam sententiam docet Sanchez *vbi suprà tom. 3. lib. 10. dist. .. num. 20.* & post illum Fagundez *in Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 8. num. 11.* vbi sic ait. Nec opus est, quòd in actu publico condemnetur huiusmodi coniux de hæresi per iudicis sententiam: si enim reuera declaretur per illam illum fuisse hæreticum, & vt talis habito pœnitentiæ induatur, & reconcilietur: quamuis in occulto, & intra priuatos parietes id fiat, id sufficit: quia semper verificatur præcessisse Ecclesiæ iudicium, & sententiam declarantem hæresim, quam declarationem statim sequuntur pœnæ hæreticis in iure statutæ, quarum vna est diuortium perpetuum. Ita Fagundez. Cui ego libenter adhæreo.

7. Quærendum est tamen hîc incidenter, An post sententiam, qua vxor hæretica declarata fuit possit vir eius ordinibus sacris manens in sæculo initiari. Negat Anglez, Lopez, & alij penes Fagundez *loco citato, num. 12.* Sed ipse meritò affirmatiuam sententiam tenet cum Sanchez *vbi supra, num. 21.* quibus adde Sanctarellum *tr. de hæres. cap. 33. dub. 1. num. 8.* Et ratio est: quia eadem est omninò ratio de transitu ad sacros ordines, atque ad religionem: cùm vtrobique detur perpetuum votum solemne castitatis, & consequenter perpetua status mutatio. Vnde cùm in iure expressè concedatur coniugi Catholico transitus ad religionem inuito altero coniuge de hæresi in iudicio conuicto, & iam conuerso, consequenter etiam expressè conceditur transitus ad sacros ordines: maximè quia hoc est fauor Catholici innocentis, & fauores sunt ampliandi: & licèt sit pœna hæretici coniugis, iam reconciliati, parum refert, quia hæc pœna necessariò resultat ex pœna perpetui diuortij qua punitur, vt hactenus diximus. Neque est opus, vt coniux de hæresi damnatus, & reconciliatus similiter ad religionem transeat, vel in sæculo manens continentiam promittat, vt huiusmodi transitus ad sacros Ordines, vel religionem sit licitus coniugi Catholico: quia facultas concessa Catholico innocenti nullam debet vim inferre coniugi hæretico reconciliato.

8. Nec

8. Nec valet obiicere, quòd *in cap. coniugatus, de conuers. coniugat.* dicitur, non posse virum suscipere Ordines sacros, nisi vxor in sæculo remanens amittat votum castitatis: ergo cùm in casu nostro vxor hæretica, & emendata nolit emittere tale votum, vir innocens & fidelis non poterit ad ordines promoueri. Respondeo, dictum caput esse intelligendum, quando coniux non est liber ab onere coniugali, tunc enim non potest ingredi Religionem, nec suscipere ordines, quamuis vxor det facultatem, nisi illa remanens in sæculo emittat votum castitatis. secùs verò est dicendum, quando vir est omninò liber ab omni onere coniugali: tunc enim non requiritur, vt vxor promittat castitatem.

9. Nec etiam obstat dicere, quòd post matrimonium contractum nullus potest ad sacros ordines ascendere, nisi in illis casibus, in quibus per sacros Canones conceditur, vt habetur *in Extrauag. Antiquæ Ioannis 22. de voto:* at nullus extat textus Canonicus, in quo id concedatur in casu nostro: ergo, &c. Respondeo satis esse, si extet textus, in quo conceditur, vt per hæresim coniugis possit alter Catholicus ingredi religionem: nam eo ipso censetur etiam esse data facultas suscipiendi Ordines sacros: & ius coniugij sicut impedit, ne coniux ingrediatur religionem, ita impedit ne suscipiat Ordines sacros: cùm ergo hæreticus, postquam fuit de hæresi condemnatus, amittat omne ius coniugale, sicut potest alter coniux innocens & fidelis ingredi Religionem, ita etiam poterit ad Ordines sacros ascendere.

RESOL. CXXI.

An si coniux infidelis velit permanere cum coniuge fideli sine iniuria Creatoris, & scandalo, possit hoc non obstante, coniux fidelis nouum matrimonium inire?

Et notatur, quod tutius est in hoc casu Summum Pontificem consulere, & dispensationem petere?

At si aliquis hoc nollet efficere tenetur alterum coniugem monere, & inuitare ad Fidem, & aliqua alia quæ contingere possunt in supradicto casu, aduertuntur?

Et tandem docetur, quod idem, quod in dicto casu dictum est de matrimonio, dicendum est de ingressu Religionis, & de susceptione Ordinis sacri? Ex part. 3. tr. 4. Res. 251. alias 252.

§. 1. NEgatiuè respondet Rebellius *part. 2. lib. 3. quæst. 10. num. 10.* quia gratia non destruit naturam, ergo nec prior contractus per similem contractum in lege gratiæ sine culpa alterius coniugis soluetur. Idem docet Valentia *tom. 4. disp. 10. quæst. 1. punct. 7.* Toletus *in summa lib. 7. cap. 7.* Nauarrus *in manuali, cap. 22. num. 49.* & ex veteribus D. Bonauentura *in 4. dist. 33. art. 2. quæst. 1.* D. Thomas *ibidem quæst. vnica, art. 5.* Ricardus *art. 2. quæst. 2.* Paludanus *quæst. 1. art. 2.* Durandus *quæst. 2.* & alij, & adducunt textum *in cap. gaudemus, de diuortiis.*

2. Sed alij his non obstantibus putant absolutè coniugem ex infidelitate ad Catholicam fidem conuersam posse transire ad alias nuptias, quamuis alter coniux in infidelitate persistens pacificè, & sine iniuria cohabitare vellet. Et ita docet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 74. n. 9.* & alij penes ipsum.

3. Ad argumentum vero desumptum ex *cap. gaudemus*, respondet Coninch *de Sacram. disp. 26. dub. 5. num. 61.* quòd Pontifex ibi pro eodem sumit coniugem velle cohabitare manendo in sua infidelitate, & id velle cum contumelia creatoris, quia velle in infidelitate permanere, Dei contumelia est, præsertim quòd talis, vel exemplo filios ad infidelitatem facilè pertrahet, vel saltem erit infidelem, & hostem Dei fidelibus liberis dominari. Vnde hos duos casus, scilicet infidelem velle se conuertere, & nolle cohabitare fideli sine iniuria creatoris, aut ab ea discedere, ponit tanquam duo membra adæquatè genus diuidentia.

4. Nota quòd, verò Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 3. num. 4.* cum Veracruz *in speculo part. 2. art. 29.* putat ob auctoritatem Doctorum contrariæ sententiæ, longè tutius esse in hoc casu Summum Pontificem consulere, atque dispensationem petere.

5. At si aliquis hoc nollet efficere, tenetur alterum coniugem monere, & inuitare ad fidem. Vnde sequitur infideli petenti certum tempus ad deliberãdum de conuersione, id debere ei concedi, quia hoc rationabile est, nec antè potest constare eum esse pertinacem. Non tamen requiritur, vt per Ecclesiæ sententiam declaretur esse pertinacem, sed sufficit alia via id constare, & idem quod de matrimonio dicendum est de ingressu Religionis, & de susceptione Ordinis sacri. Coninch *vbi suprà num. 62.* & alij.

Sup. his latè infra in Res. 125. à principio, vsque ad §. Sed si.

RESOL. CXXII.

An coniux infidelis, qui fidelem coniugem sequi noluit, possit nouum sibi coniugem eligere?

Et an si postea conuertatur, possit ei concedi dispensatio, vt alteri nubat, si vir eius aliam duxerit vxorem? Ex part. 3. tr. 4. Res. 262. alias 263.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 77. num. 6.* vbi sic ait. Licet infideli dissoluto semel fidelis matrimonio ad aliud transire. Ducor, quòd nullo iure interdicatur infideli hic transitus, non enim humano Ecclesiastico, cùm Ecclesia careat iurisdictione in infideles: ius verò sæculare nullibi reperitur. Nec ius diuinum naturale id infidelibus prohibet, quia etsi peccat violans ius diuinum naturale legis prioris matrimonij, qua astringebatur sequi priorem coniugem ad fidem conuersum, at priori illo matrimonio iam penitus dissoluto, nulla lex diuina naturalis prioris matrimonij, quod iam nihil est, supereſt, qua hic infidelis arceatur ab alio matrimonio, nec aliud ius diuinum id vetans reperitur. Hæc omnia Sanchez.

Sup. contenta to in hac Res. infra in Res. seq.

2. Sed aduersùs illum tenet Basilius Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 48. num. 25.* vbi probat suam sententiam ex *cap. si infidelis 18 quæst. 2.* & ex D. Thoma *in 4. sentent. dist. 37. quæst. 2. art. 5. ad 3.* vbi sic asserit. Postquam fidelis contraxit, solutum est vinculum matrimonij ex vtraque parte, quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, sed quandoque claudicat quantum ad effectum. Vnde in pœnam vxoris infidelis ei indicetur, quòd non possit cum alio contrahere magis, quàm ex virtute matrimonij præcedentis, sed si postea conuertatur, potest ei concedi dispensatiuè, vt alteri nubat, si vir eius aliam duxerit vxorem. Sic D. Thomas.

3. Nota verò quòd hanc pœnam non Ecclesia, sed Deus infligit propter iniuriam, qua infidelis ipsum Deum, veram fidem, & veritatem Sacramenti afficit, cuius pœna Ecclesia est promulgatrix. Ex quibus facilè refelles, quæ pro sua sententia adducit Sanchez. Ita Pontius.

4. At his non obstantibus mihi opinio Sanchez probabilis etiam videtur, & illam nouissimè docet Filliucius *tom. 1. tract. 10 part. 2. cap. 7. num 248.* Barbosa *in collect. tom. 4. part. 2. decreti, causa 28. quæst. 2. cap. 2. num. 8.* & Coninch *de Sacram. disp. 26. dub. 5. concl. 2. num. 66.* vbi sic ait. Quod autem aliqui dicunt,

cunt, infideli in pœnam prohiberi secundas nuptias, sine fundamento dicunt. Ita ille, non rectè quidem; nam Pontij, & D. Thomæ opinio non caret etiam sua probabilitate.

RESOL. CXXIII.

An dissoluto matrimonio à fideli in casu sibi permisso, liceat absque culpa coniugi infideli aliud matrimonium inire?

Et aduertitur, quod si postea conuertatur, potest ei concedi dispensatio, vt alteri nubat, si vir eius alium duxerit vxorem?

Et cursissimè infertur, quod qui vxorem enecat, etiam mortua illa, non potest aliam ducere, nisi accedat dispensatio? Ex part. 9. tr. 7. & Misc. 2. Resol. 48.

Sup. hoc in Resol. præterita per totã.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam tenet Castr. Palaus *tom. 5. disp. 2. punct. 13. §. 3. n. 14* cum aliis, asserens licitè posse infidelem obstinatum, dissoluto iam matrimonio à fideli, aliud matrimonium inire: quia nullo textu, nec ratione firma, ostendi potest ademptam illi esse hanc potestatem. Si enim, mortuo fideli coniuge, omnes fatentur posse nouum matrimonium inire, etiam poterit illud inire dissoluto coniugio per aliud matrimonium à fideli initum: æquè enim ac per mortem dissolutum est.

2. Sed aliis magis placet opinio negatiua propter authoritatem S. Thomæ *in 4. distinct. 39. qu. vnic. art. 5. ad 3.* cui subscribit Sotus *ibi art. 4.* verba autem S. Doctoris sunt: Vnde in pœnam vxoris infidelis ei indicitur, quòd non possit cum alio contrahere, magis quàm ex virtute matrimonij præcedentis: sed, si postea conuertatur, potest ei concedi dispensatio, vt alteri nubat, si vir eius aliam vxorem duxit. Vbi D. Thomas fatetur, tali infideli esse interdictum secundum matrimonium in pœnam suæ perfidiæ: & reddunt rationem Sot. & Lop. 1. *par. instr. cap. 93. verb. Huiusmodi*, quia infidelis eo ipso, quòd non vult ad fidem conuerti eo tempore, quo alter conuersus est, peccat contra ius naturale, & diuinum, non sequendo in conuersione coniugem conuersum: nam peccat contra fidem, non recipiendo illam mediante Sacramento Baptismi; & contra matrimonium, non sequendo coniugem conuersum, vt habetur in Can. *Si infideles 22. q. 2.* quod est D. Greg. Itaque infidelis renuens conuerti, peccat in Deum, & in matrimonium, vt dixit Ambr. c. *Si infidelis, 28. q. 2.* Meritò ergo non iure Ecclesiastico, sed diuino arcetur à nouo coniugio contrahẽdo.

3. Nec obstant argumenta Castri Palai in contrarium adducta: nam ad primum, quod nulla est lex humana, nec naturalis, nec diuina, quæ obligat ad non nubendum infidelem, postquàm fidelis secundo nupsit. Respondetur, ex dictis falsum esse assumptum. Ad secundum, quòd dissoluto priori matrimonio post mortem coniugis conuersi, potest non conuersus secundum matrimonium celebrare: ergo etiam dissoluto per secundum matrimonium conuersi. Respondetur negando antecedens: quia infidelis nunquam potest secundum matrimonium contrahere, etiam mortuo fideli coniuge in pœnam perfidiæ, & ob proteruitatem est ei interdictum, vt non possit cum alia contrahere, vt docet D. Thomas: sicut, qui vxorem enecat, etiam mortua illa, non potest aliam ducere, nisi accedat dispensatio. Et ita hanc sententiam tenet etiam Basilius Pontius *de matrim. lib. 9. cap. 4. num. 15.* Itaque hanc sententiam puto probabiliorem; non nego tamen primam, quam cum Sanchez olim tenui, esse satis probabilem.

Tenuit in Resol. not. præteritæ.

RESOL. CXXIV.

An coniux infidelis volens post Baptismum contrahere matrimonium, teneatur requirere consensum coniugis infidelis in remotissimis partibus habitantis?

Et an dicto casu dispensatio Pontificis sit necessaria, qua suppleatur ea admonitio iure præscripta? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 263. alias 264.

§. 1. HIc casus potest frequenter accidere, vnde notandum est, vt *supra* diximus, quòd vt coniux infidelis post Baptismum possit contrahere aliud matrimonium cum fideli, teneatur requirere coniugem infidelem, & monere an velit conuerti, seu cohabitare sine scandalo, & iniuria creatoris cum ipso, & illa renuente hoc facere, potest postea liberè aliud inire matrimonium. Hoc supposito, quæritur an talis monitio requiratur, quando coniux infidelis adeò distet, vt commodè requiri nequeat? Et in hoc casu negatiuam sententiam docet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 74. num. 12.* asserens quoties infidelis adeò distat, vt commodè requiri nequeat, non est opus monitione, quia vt res modo se habent, est moraliter certum fore, vt nolit conuerti, & relinquere suos, vt legitimè cohabitet, atque requisitio est moraliter impossibilis. Sic ille.

2. Aduersùs quem nouissimè insurgit Basilius Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 48. num. 12.* vbi ita ait. Si reperiri non possit, vel ob difficultatem viæ, & inueneris, cùm in remotissimis versetur regionibus, vt euenit in his qui ex Æthiopia captiui, vel serui auferuntur, vel ignoratur vbi sit alter coniux, adhuc nubere non potest, quidquid dicat Sanchez, nisi dispensatio Pontificis accedat, qua suppleatur ea admonitio iure præscripta. Ita Pontius.

3. Sed ego vtramque opinionem existimo probabilem esse, & ita cum Sanchez tenet Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 7. num. 14.* & Riccius *in praxi, part. 1. resolut. 240. num. 2.* Coninch. *de Sacram. disp. 26. dub. 5. concl. 2. num. 62.* & cum Pontio tenet Rebellius *part. 2. lib. 3. quæst. 10 sect. 2. num. 12.*

RESOL. CXXV.

An matrimonium conuersi cum infideli contractum ante Baptismum dissoluatur per solemnem professionem Religionis?

Et an etiam, Ordine sacro assumpto, vinculum matrimonij in infidelitate contractum dissoluatur?

Et an matrimonium infidelium ad fidem conuersorum, etiam consummatum possit à Pontifice dissolui ex aliqua iusta causa? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Resol. 47.

Sup. hoc in Resol. præterita.

§. 1. PRocedit quæstio in sententia communi, asserente, non dissolui matrimonium conuersi cum infideli, quousque conuersus transeat ad aliud matrimonium. Quæritur igitur, an sicut dissoluitur per nouum matrimonium conuersi, etiam dissoluatur per eius Professionem solemnem. Et affirmatiuè respondet Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 76. n. 9.* & alij; quia Professio Religionis soluit matrimonium ratum fidelium, quod est vinculum fortius, & efficacius, sit non solùm contractus, sed Sacramentum: ergo dissoluet matrimonium consummatum infidelium, arg. textus in l. *de accusat. 14. ff. de diuers. & temp. præscr.* Qui enim vincit vincentem, vincit victum.

2. Mihi verò contraria sententia magis placet, quam tuetur Coninch. *de Sacram. disp. 26. dub. 5. n. 89.*

Hurtad.

Hurtad. *de matrim. disp.* 8. *diffic.* 14. *num.* 52. Poncius *lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 10. Perez *disp.* 36. *sect.* 8. *num.* 2. & alij. Et ratio est: quia dissolutio matrimonij fieri non potest, nisi ex diuina concessione: at nullibi inuenitur concessum, Professione Religionis dirimi matrimonium consummatum infidelium: nam, esto, matrimonio contracto, dirimatur, id prouenit, ne coniux conuersus cogatur, vel cœlibem degere, vel habitare cum infideli obstinato, & periculum peruersionis inducente, reddaturque ei conuersio onerosa. Quæ ratio omninò cessat Religione assumpta, cùm iam ipse liberè assumat vitam cœlibem. Non igitur ex priuilegio concesso dirimendi matrimonium, alio matrimonio assumpto, inferri potest dirimi Religionis Professione. Neque item censenda est hæc dissolutio concessa ex concessione dissolutionis matrimonij rati fidelium: tum, quia est casus diuersus: tum, quia non militat eadem ratio; alias sicut potest fidelis, non obstante matrimonio rato, ad Religionem transire, poterit etiam infidelis conuersus post matrimonium consummatum, tametsi alius conuertatur, quod meritò ipsemet Sanchez *disp.* 76. *num.* 3. & 7. negat. Ad argumentum verò, quod adducit Sanchez respondetur, regulam illam: *Si vinco vincentem te à fortiori vincam te*, non semper habere locum in his, quæ constant ex iure positiuo, nisi quando eadem ratio in vtroque militat, & quando vtrumque ex eodem iure constat in præsenti autem casu, neque currit eadem ratio, neque vtraque dissolutio fit ex eodem iure: quia dissolutio matrimonij antiqui iam consummati conuersi fit iure diuino Christi per matrimonium nouum ratum; dissolutio verò matrimonij rati per Professionem, fit tantùm iure Ecclesiastico.

Sup. hoc In res. not. præteritæ etiam in fine.

3. Notandum est etiam cum Hurtado *loco citato*, quòd etsi aliqui Doctores non infimæ notæ censeant, Ordine sacro assumpto vinculum matrimonij in infidelitate contractum dissolui: at communis sententia oppositum verissimè firmat, vt videre est apud Sanch. *lib.* 7. *disp.* 76. *circa fin.* quia nullibi inuenitur hoc priuilegium statui clericali concessum, maximè cùm matrimonium ratum fidelium eo statu assumpto non dissoluatur: ergo, &c.

Sup. hoc In tom. 3. tr. 1. Res. 99.

4. Sed, si aliquis hîc obiter quærat, an matrimonium infidelium ad fidem conuersorum, etiam consummatum, possit à Pontifice dissolui ex aliqua iusta causa? Affirmat Sanchez *lib.* 2. *disp.* 17. *num.* 2. & alij: quia matrimonium infidelium, etiam consummatum, cùm Sacramentum non sit, non habet eandem firmitatem, ac matrimonium ratum fidelium, vt colligitur ex cap. fin. 28. *quæst.* 1. Et ex Innocentio III. *cap. Quanto de diuort.* vbi inquit, matrimonium fidelium insolubile esse, quia est Sacramentum. Cùm ergo infidelium matrimonium Sacramentum non sit, non sic erit insolubile: at matrimonium, fidelium ratum solui potest authoritate Pontificis, iuxta probabilem opinionem: ergo etiam solui poterit matrimonium infidelium, etiam consummatum.

5. Contrariam tamen sententiam tenet Coninch *disput.* 26. *dub.* 5. *num.* 66. Poncius *lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 15. & alij: quia matrimonium solui non potest, nisi in casibus à iure expressis, vt inquit Panormitanus *in cap. Ex parte, de conuersione coniugat. vers. Nos autem.* At nullibi est expressum, matrimonium consummatum fidelium solui posse: illud autem matrimonium, etsi in infidelitate fuerit contractum, iam est matrimonium fidelium, & consummatum: nulla ergo via solui potest. Neque obest, quòd Sacramentum non sit: nam, esto, id admittamus, quod plures negant post vtriusque conuersionem; non inde efficitur, solubile esse, cùm nullus iam adsit casus, in quo à Christo solutio concedatur: conceditur autem prædicto matrimonij casu, quo coniux vnus ad fidem conuertatur alio renuente conuerti, in quo à matrimonio, quod est Sacramentum, differt. Ego puto vtramque sententiam esse probabilem, licèt secundam existimem probabiliorem.

Sup. hoc Sacramento latè in Res. seq. & in alio §. eius not.

RESOL. CXXVI.

An matrimonium infidelium, cum ambo baptizantur, fiat Sacramentum, eisque gratiam conferat? Ex part. 3. tr. 4. Res. 252. alias 253.

§. 1. PRima opinio affirmat solam Baptismi susceptionem sine alio nouo consensu, efficere matrimonia infidelium verum Sacramentum. Et ita docet Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 9. *num.* 5. quia statim ac baptizantur, matrimonium illud repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia, cùm in Christi fide contractum perseueret, efficiaturque indissolubile, saltem vt matrimonium ratum fidelium. Ergo statim, ac baptizantur, efficitur Sacramentum. Sed hæc Sanchez sententia mihi displicet, quia si hoc sufficeret, sequeretur fideles consummantes matrimonium, conficere nouum Sacramentum, & matrimonium, quia quod priùs poterat per dispensationem Pontificis, & ingressum Religionis solui, & tantùm repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia per gratiam, efficiunt insolubile, & repræsentans vnionem Christi per Incarnationem, vt habetur *cap. debitum* 5. *de bigamis*, sed hoc dicere est absurdissimum. Ergo.

Sup. hoc ex doctrina §. penult. & vltim. Resol. præteritæ, cursim ad medium §. vlt. à vers. Neque, & suprà in Res. 118. §. vltim. ante mediũ, à vers. Sicut etiam.

2. Secunda opinio docet, quòd tunc primum matrimonium infidelium rationem Sacramenti assequitur, cùm post Baptismum, vel noui consensus mutui exprimuntur, vel præcedentes per aliqua externa signa: & probabile est non esse opus, vt Sacerdos, vel testes præsentes sint, sed vt dixi, sat est primum matrimonium de nouo signis externis ratum habere iuxta Ecclesiæ intentionem; verum est, quòd si infideles coniuges baptizentur, nolint tamen de nouo in Christo contrahere, vel ratum habere præteritum coniugium secundùm Ecclesiæ intentionem ad recipiendum istud Sacramentum, non videntur damnandi mortalis, sed absque Sacramento vti possunt pristino, & ita docet Rebellius *part.* 2. *lib.* 2. *quæst.* 7. *n.* 2. Bellarminus *lib.* 1. *de matrim. cap.* 5. *& cap.* 15. & alij.

3. Sed mihi tertia opinio magis placet, quæ asserit matrimonium contractum inter infideles, non posse fieri verum Sacramentum, etiamsi postea baptizentur. Et ita docent Basilius Pontius *de matr. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 8. Gabriel Vasquez *tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 138. *cap.* 5. *& tom.* 4. *disp.* 2. *de matrim. cap.* 10. Ægidius Coninch *de Sacram. disp.* 24. *dub.* 2. *concl.* 6. *num.* 25. Et ratio est, quia matrimonium est essentialiter contractus inter baptizatos initus, qui hîc nullo modo poni potest, nam neque contractus præteritus fuit initus inter baptizatos, & iam nullo modo in se existit, neque tales possunt de nouo matrimonium contrahere, quia sibi non possunt mutuò corpora tradere; nemo enim potest alteri tradere, quod non est suum, & quia neuter iam habet potestatem proprij corporis, vt docet Apostolus 1. *Cor.* 7. ergo non possunt ea sibi mutuò tradere. Fateor tamen cum Coninch *vbi suprà num.* 28. credibile esse Deum talibus maiores dare gratias præuenientes ad ferenda incommoda matrimonij, quàm dat infidelibus, non ob Sacramentum matrimonij, sed quia fideles sunt, quibus ratione fidei, ac Baptismi diuina gratia magis debita, & vbique parata est.

RESOL.

RESOL. CXXVII.

An excommunicati contrahentes matrimonium peccent dupliciter ex eo, quod non solum Sacramentum recipiant in excommunicatione, sed etiam ex eo, quod conferant, cum iuxta communem sententiam contrahentes sint Ministri huius Sacramenti? Ex part. 5. tract. 9. Res. 85.

§. 1. AD hunc casum ita Respondet Præpositus *in 3. part. quæst. 2. de excomm. dub. 8. n. 51.* Ex dictis videtur sequi, quòd contrahentes matrimonium in excommunicatione non solùm peccent mortaliter, eò quòd sacramentum recipiant in excommunicatione, sed etiam ex eo quòd conferant, cùm iuxta communem sententiam contrahentes sint Ministri huius Sacramenti, non videtur tamen improbabile, quod ex eo capite non peccent contra censuram, quia si benè perpendantur Canones, quibus vetatur excommunicatus ministrare Sacramenta, solùm agunt de Clerico. Ita ille, & ego.

Sup. h's Ministris latè supra in Res. 90. & in fine Res. 113.

RESOL. CXXVIII.

An, qui matrimonium contrahit cum excommunicato, peccet mortaliter?

Et quid, si denunciatus sit, aut notorius Clerici percussor? Ex part. 3. tr. 4 Res. 267. alias 268.

§. 1. PRima opinio affirmat, & ita docet Petr. de Ledesma *de matrim. quæst. 59. art. 1. §. pen.* Viguerius *lib. inst. cap. 16. §. 7. verb. 8. impedim. 1.* & saltem peccare non explicando culpæ qualitatem, docet D. Thomas *in 4. dist. 39. quæst. unica, art. 5. ad 5.* Toletus *lib. 7. cap. 7. num. 1.*

2. Secunda opinio distinguit, & illam docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 6. cap. 10. num. 3.* vbi sic ait. Petere ab alio excommunicato siue denunciato, siue non denunciato, vt contrahat, dum ille absolui ab excommunicatione non potest, quia non habeat copiam absoluentis, vt si sit excommunicatio reseruata à iure, vel ab homine, peccatum mortale est, quia petitur ab eo actus, quem non potest facere benè, sed necessariò malè. At si potest absolui, quia copiam habet, nec peccat, qui contrahit cum excommunicato, siue denunciato, siue secus, quia petit ab illo actum, quem posset bene facere, & sine peccato, & sua culpa facit malè; vnde duo peccata erunt in eo, qui contrahit cum excommunicato excommunicatione maiori, quando absolui non potest ab ea excommunicatione, antequam contrahat, & quia ipse communicat in Sacramentis cum illo, & quia inducit illum ad indignè ministrandum, & recipiendum, imò tria peccata committit, est enim causa duorum peccatorum in proximo. Ita Pontius.

3. Tertia opinio, quam ego sequor, absolutè negat vllam esse culpam contrahere scienter cum excommunicatione maiori ligato, nisi denunciatus sit, aut notorius clerici percussor. Et ita docet Guttierrez *de matrim. cap. 83. num. 7.* & ante illum Sanchez *tom. 2. lib. 7. disp. 11. num. 8.* ex fauore Concilij Constantiensis, & ex aliis rationibus, quas videbis apud Sanchez, nam ego breuitati studeo.

RESOL. CXXIX.

An contrahere cum impedimento dirimente sit duplex peccatum? Ex part. 3. tr. 4. Res. 296. alias 297.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docent viri grauissimi, & cum magna probabilitate, vt ait Petrus Ledesma *de matrim. q. 50. art. 1. diffic. 3. pos. concl. 2.* quia vltra culpam transgressionis iuris naturalis, aut Ecclesiastici, secundùm quod est impedimentum, reperitur sacrilegium irritationis Sacramenti matrimonij.

2. Verùm mihi contraria sententia placet, quia cætera Sacramenta habent iure diuino præscriptam materiam, & formam certam, ac determinatam, & solam Sacramenti rationem subeunt, ac prouidè materia, & forma non possunt adhiberi, quin sint ex se materia, ac forma Sacramenti, quare si sit indecentior vsus, ita vt Sacramentum irritetur, est sacrilegium. At matrimonium vltra Sacramenti rationem est contractus quidam naturalis, nec habet præscriptam materiam & formam determinatam, sed consensus contrahentium legitimos verbis, nutibus, aut literis, aut per procuratorem expressos. Vnde Ecclesia, aut iure naturali irritante consensus inter aliquos, qui matrimonio copulantur, non ipsi irritum Sacramentum efficiunt. Quantum enim ex sua parte est, valdè contrahunt, sed ius Ecclesiasticum naturale statuens id impedimentum, illud irritat. Hæc omnia Sanchez *tom. 2. lib. 7. disp. 5. num. 1.* & post illum Fabricius *tom. 1. tract. 10 part. 2. cap. 1. num. 21.*

RESOL. CXXX.

Quot peccata committat, qui sciens contrahens matrimonium cum impedimento dirimente?

Et an impedimenta matrimonij addant nouam malitiam, etiam in copula fornicaria, distincte explicandam in confessione? Ex part. 10. tract. 16. & Misc. 6. Res. 82.

§. 1. CAsus est practicabilis, & duo committere peccata docet Coninch *de Sacram. disp. 30. dub. 2. num. 19.* & nominatim contra me Pater Ancesa *de Sacram. matrimony, quæst. 9. sect. 5.* quia in tali casu præter peccatum inobedientiæ contra ius naturale aut Ecclesiasticum, quo impedimentum fuerit introductum, etiam reperitur peccatum sacrilegij irritationis Sacramenti contra Religionem. Itaque fideles qui sciunt, matrimonium apud nos eleuatum esse ad statum Sacramenti, & sciunt se cum impedimento dirimente reddere nullum, & irritum Sacramentum, videntur ex hac etiam parte delinquere. Et hæc irritatio reuera cadit, non solùm super rationem contractus, sed concomitanter etiam super rationem Sacramenti. Et lex quidem irritans lata est ab Ecclesia: sed vt in facto ita contrahatur matrimonium, quod fit nullum, & irritum, prouenit, & fit ab ipsis contrahentibus, qui cum tali impedimento, & contra talem legem contrahere tentant. Sup. h's Res. 129.

2. Verùm plus addit doctissimus Patet Matrinon *de Sacrament. tom. 5. disp. 63. sect. 5. num. 69.* vbi sic ait: Dico secundò, peccatum eorum, qui scienter, & sponte contrahunt cum talibus impedimentis, habere communiter triplicem malitiam, Vtiam inobedientiæ contra legitimum præceptum Dei, vel Ecclesiæ prohibentis grauiter contrahere cum illis, alteram sacrilegij; contra Religionem & reuerentiam debitam Sacramento, quod sua culpa irritum reddunt: tertiam contra castitatem, ordinando (vt faciunt communiter) talem contractum ad habendam copulam præ textu veri matrimonij. Dixi autem, communiter; quia postrema intentio potest aliquando

quando deesse. Secundo quoque deest matrimonio infidelium contrahentium, cum aliquo impedimento naturali aut positiuo, & inducto per statuta Principum, quibus subsunt. Neque enim infideles attentant contrahere Sacramentaliter; neque, si velint, possunt, quandiu non sunt baptizati. Fideles, autem qui iuxta probabiliorem Doctorum sententiam sibi persuadent posse valide contrahi matrimonium, etiam à Christianis, purè ciuiliter; non peccant contra reuerentiam Sacramenti, si attentant solum contrahere ciuiliter; sed peccant contra præceptum Dei, & Ecclesiæ volentis generaliter, vt non contrahant, nisi Sacramentali modo. Hucvsque Martinus; qui posteà conatur respondere ad argumenta Patris Sanchez.

3. Ego verò licèt sententiam Martinon, Coninch, Auersæ tanquam probabilem admitto; sententiam tamen Sanchez, quam olim docui, minus probabilem iterum esse existimo: & illam præter Filiucium tuetur ex Theologis Hispanis Caspensis *in Curs. Theolog. tom. 2. tract. 26. disp. 9. sect. 1. n. 9.* Gaspar. Hurtadus *de matrim. disp. 12. difficult. 3. num. 11.* & vir doctus, & amicissimus Pater Martinus Perez *de matrimon. disp. 21. sect. 3. num. 7.* Et ad argumenta Coninch, & Auersæ respondeo negando sic; Irritè contrahentes profanare ritus, ac nomen Sacramenti, nec irritare Sacramentum ipsarum, quia neque intendunt matrimonium inire, nec Sacramentum suscipere, cum sciant vtrumque esse impossibile; solum ergo intendunt contrahere contractum quemdam inualidum, & nullum. Vnde in hoc per se loquendo, nulla apparet irreuerentia Sacramenti. Obseruandum est tamen, etiam stando in nostra opinione, tale peccatum non semper esse idem secundum speciem, sed esse distinctum specie pro diuersitate specifica virtutis, intuitu cuius impedimentum dirimens prohibet matrimonium. Nam præcisè inter contrahentes, qui non ordinat contractum ad copulam, quando est cognatio, aut affinitas, aut iustitia publicæ honestatis, est vnum simplex peccatum incestus absque malitia fornicationis, quia tunc impedimentum prohibet intuitu pietatis, & reuerentiæ matrimonium. Et quando impedimentum est disparitas cultus, est peccatum Sacrilegij, quia tunc prohibet intuitu decoris, & honoris nostræ Religionis. Et etiam est peccatum Sacrilegij, quando impedimentum est votum castitatis, vel ordo, vt patet. Et verò peccatum malitiæ contra naturam, quando impedimentum est impotentia, quia hæc prohibet intuitu castitatis, vt reprimentis motus contra naturam. Est autem peccatum iniustitiæ, quando impedimentum est conditio seruitutis ignorata, aut vis, seu metus, aut raptus, aut error personæ, & quando sunt hæc impedimenta, contra quæ peccatur peccato iniustitiæ, peccatum est in altero, nempe in contrahente cum ignorante seruitutem, aut cum persona coacta, aut rapta, aut cum errante circa personam. Præterea est etiam peccatum contra Iustitiam, quando impedimentum est ligamen, seu prius matrimonium perseuerans, quia tunc corpus, quod est prioris coniugis viuentis, traditur alteri, aut intenditur tradi. Est item peccatum contra iustitiam vindicatiuam, quando impedimentum est crimen, quia crimen prohibet matrimonium in pœnam, seu punitionem ipsius. Denique quando impedimentum est defectus præsentiæ Parochi, & testium, est peccatum iniustitiæ contra coniugem qui esset, quia prohibet intuitu periculi deserendi coniugem, si esset, & contrahendi cum altero. Et hæc omnia iisdem verbis docet Hurtadus, & Perez *locis citatis.*

4. Sed ex his oritur alia difficultas, An impedimenta matrimonij addant nouam malitiam etiam in copula fornicaria distinctè explicanda in confessione; vide Auersam, Martinon *vbi suprà.* Ego cum Sanchez, & Hurtado, *vbi suprà*, existimo, copulam inter eos, inter quos est aliquod impedimentum dirimens, non semper habere peculiarem malitiam distinctam à malitia fornicationis contra castitatem, nisi quando impedimento prohibetur matrimonium intuitu peculiaris motiui, quod in ipsa copula reperitur, vt quando copula est inter habentes impedimentum, aut cognationis, aut affinitatis, aut iustitiæ publicæ honestatis, aut disparitatis cultus. Quia his personis magis est indecens copula, quam contractus, & intuitu dictæ indecentiæ eis prohibetur contractus, aut nisi quando ipsa copula ex se, supposito impedimento, habet peculiarem oppositionem ad aliam virtutem, vt contingit in copula coniugati, seu legati vinculo matrimonij, & etiam Religiosi, & Sacris initiati, & etiam impotentis, & consanguinei in primo gradu lineæ rectæ. Quando verò copula inter impeditos non habet ex se peculiarem oppositionem ad aliam virtutem, neque impedimento prohibetur matrimonium intuitu motiui, quod in ipsa copula reperiatur, nunc non habet, nisi malitiam fornicationis contra castitatem, vt copula inter eos, inter quos est impedimentum erroris personæ, aut impedimentum conditionis, aut criminis, aut coactionis. Vide etiam circa præsentem difficultatem Perez *loco citato, sect. 4. per totam.*

RESOL. CXXXI.

Quid est faciendum, quando est dubium, an inter volentes contrahere adsit aliquod impedimentum dirimens?

Et notatur in dubio, an res egeat dispensatione, posse Episcopum declarare, non desiderari dispensationem, vel ad cautelam dispensare. Ex part. 4. tract. 3. Resol. 17.

§. 1. AD hoc dubium ita respondet Ioannes Sancius *in selectis disp. 43. num. 44.* Dubitans an impedimentum matrimonij habeat, facta sufficienti diligentia, possit illud inire ab que dispensatione, quia possessio stat pro libertate ad contrahendum, dubium verò impedimento fauet: at absque certo iure nemo spoliandus est sua possessione. Sic ille. Sup. hoc in Resol. seq.

2. Notandum est tamen hîc obiter Emanuelem Sà *verb. dispensatio num. 1.* docere, in dubio an res egeat dispensatione, posse Episcopum iuxta quorumdam probabilem opinionem declarare non desiderari dispensationem, vel ad cautelam dispensare. Ita ille. Sup. hoc magis latè in tom. 3. tr. 2. Resol. 20. 21. & in Resol. 22. signanter in §. 2. &c.

RESOL. CXXXII.

An dubius de impedimento dirimente matrimonium possit hoc non obstante illud contrahere?

Et docetur per Canones licitum esse inire matrimonium cum dubietate impotentiæ ad coeundum.

Et quæritur, an ille, qui bona fide contraxit, possit libere petere, & reddere debitum, quando nouit alterum dubitare de valore matrimonij?

Et an, si matrimonium sit contractum, sed nondum consummatum, & ante consummationem incidat dubium de impedimento, teneatur reddere; vel an teneatur ingredi Religionem, vt liberum relinquat alterum coniugem?

Et an dubius de iure suo, si post diligentem inquisitionem magis propendeat in eam partem sibi ius non assistere, quid facere debeat.

Et an dubitans de valore matrimonij, quod contraxerat, nondum habita certitudine coniugis prioris præmortuæ, debitum interim a coniuge sua exigere possit? Ex part. 10. tr. 13. & Misc. 3. Res. 7.

Sup. hoc in Res. prætermitta.

§. 1. VT si verbi gratia, quis vult contrahere cum Iulia, & priùs habuit rem cum Faustina, quæ dubitatur an sit soror Iuliæ, vel quid simile. Et negatiuè respondet Castrus Palaus *tom. 1. tract. 1. disp. 3. punct. 8. n. 10.* vbi sic ait: Etsi cuilibet licitum sit matrimonio copulari, non tamen licitum illi est, si dubius sit, habere impedimentum, quia nunquam habuit ius se matrimonio copulandi, nisi probando impedimentum non esse. Ita ille, cui adde Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. n. 23.* vbi etiam sic ait: Simili ratione dicendum est, si dubium de matrimonij valore; ob latentis impedimenti suspicionem, antecedat, omnino ab eo contrahendo abstinendum esse. Idque partim ob fauorem Sacramenti, ne inualidè administretur: Partim ob illud principium; mala fide contractum iniri, possessionemque inchoari ab eo, qui initio dubitat, num contrahendi, possessionemque capiendi ius habeat. Hæc Layman, & ante omnes Veracruz *in spec. part. 3. art. 13. in fine.*

2. Sed licet hæc sententia sit satis probabilis, non minùs probabilem, imo & probabiliorem affirmatiuam existimo, quam tuetur vterque Sanchez Thomas, & Ioannes, ille *de matrim. lib. 8. disp. 6. n. 18.* iste *in select. disp. 43. n. 44.* quibus adde duos doctissimos, & amicissimos viros, Franciscum Bardi, *de conscient. discept. 6. cap. 11. part. 7. §. 11. n. 6.* & Franciscum de Lugo *de conscient. part. 1. q. 31. n. 180.* Et ratio est, quia possessio stat pro dubitante, & non est tali possessione spoliandus, vsque dum contrarium non probetur; nemo enim absque certo iure debet spoliari sua possessione. Itaque post adhibitam sufficientem veritatis inquisitionem, siue dubitet vterque coniux, siue solus alter, possunt contrahere matrimonium, quoniam stat possessio pro libertate, vt docet secunda sententia. Quare censendi sunt contrahere bona fide, poteruntque reddere debitum, & petere, sicut illi quibus post contractum matrimonium superuenit dubium, & post præmissam debitam diligentiam adhuc perseuerat.

3. Confirmatur hæc opinio validissimo argumento, quod citati Auctores non obseruarunt, desumptum *ex cap. Laudabili, & cap. Finali, de frigidis, & maleficiat s:* nam dubius de potentia naturali sufficienti ad coeundum, non debet eligere tutiorem partem, abstinendo à contractu matrimonij: sed potest licitè contrahere, & post contractum conari ad copulam, adhuc manente dubio: cuius non est alia ratio, nisi quia homo possidet ius ad contrahendum, & in dubiis melior est conditio possidentis. Nec sufficit dicere, hoc esse speciale in dubio de potentia ad coeundum, propterea quod huiusmodi dubium non aliter quàm per conatum ad copulam potest expelli. Nam contra hoc est, nam si ex natura rei in dubio facti esset intrinsecè malum, sequi partem minùs tutam, etiam id foret malum in dubio impotentiæ naturalis, quod autem conatus ad copulam sit vnicum medium ad pellendum dubium, non honestat talem conatum, sed potiùs ideò natum est esse medium proportionatum, quia etiam cum illo dubio non est malum. Ideò enim malum non est, quia quis possidet: in dubio verò melior est conditio possidentis. Quæ ratio procedit in quocumque dubio facti, nisi aliud fuerit in iure positiuo expressum. Et hæc omnia docet, & obseruat etiam Rocafull. *in praxi Theolog. Mor. tom. 1. part. 3. lib. 4. de conscient. cap. 5. num. 14.* Sitque itaque per Canones licitum est inire matrimonium cum dubietate impotentiæ ad coeundum, etiam licitum erit matrimonium contrahere cum dubietate alterius impedimenti: nam in omnibus militat eadem ratio.

4. Ad argumenta verò negatiuæ sententiæ respondet Pater Bardi, negando dubitantem de impedimento matrimonij, nunquam habuisse ius ad matrimonio copulandi: nam in iis casibus, in quibus possessio est pro libertate, in ipso dubitante ius exsultat ad contrahendum: neque nobis offuit alia ratio desumpta ex irreuerentia Sacramenti, quia in eo casu prudenter homo operatur contrahens, & ideò nullam infert iniuriam Sacramento. Et quamuis aliqui sint Auctores qui primæ opinioni fauere videantur, negantes in dubio posse matrimonium contrahi, intelligendi tamen sunt loqui de dubio practico, & licet quando resultante dubio speculatiuo, nulli adhuc est facta diligentia, vel non sufficiens ad inuestigandam veritatem, tunc enim dubium illud speculatiuum trahit practicum, atque adeò contrahens mala fide procedit, & dum diligentiam non apponit, nequit petere debitum, sed tantùm reddere, aut alter coniux etiam mala fide contraxerit, dubitans eodem modo de impedimento, tunc autem neque petere, neque reddere esset licitum, & vterque coniux totum hoc sciens, nimirum notitiam impedimenti in seipsis tempore contractionis adfuisse, peccaret tam petendo, siue reddendo.

5. Sed quæres, an ille qui bona fide contraxit, & possidet, possit liberè petere, & teneatur reddere, quando nouit alterum dubitare de valore matrimonij. Respondeo posse petere, & reddere, sed non teneri reddere dum alius petit. Pater prima pars, quia cùm sit in legitima possessione, nec dubitet de matrimonij valore (non enim tenetur alteri dubitanti credere, nisi tales sint coniecturæ, vt credere conueniat) potest vti plenè sua possessione tam petendo, quàm reddendo. Secunda autem pars roboratur, quia vnus coniux tenetur reddere alteri debitum ex iure iustitiæ, quod ille alter habet; sed coniux qui mala fide contraxit, & in ea adhuc perseuerat, nullum habet ius iustitiæ ad exigendum, vt citata iura diffiniunt: ergo alter qui bona fide possidet, non tenetur reddere, licet possit.

6. At difficultas est, an si matrimonium sit contractum, sed non consummatum, & ante consummationem incidat dubium de impedimento, teneatur reddere Respondeo cum Vasq. *in p. 3. disp. 66. cap. 6. §. 4.* ex duobus illis prioribus mensibus concessis à iure, vt quisque deliberet, vtrum ei expediat in matrimonio perseuerare, vel ad Religionem transire, non debere reddere debitum. Et ratio est, quia isto tempore liber est, vt si velit non reddat, cum possit negare vtendo libertate sibi concessa à iure, & quidem negando nulli se exponit periculo, reddendo verò se exponit periculo incontinentiæ. Elapso autem tempore duorum mensium non debet detinere alterum coniugem perpetuò dubium, sed debet ei deregere dubium suum, vt ipse etiam interim non petat donec sufficienter examinetur; quia tale dubium non potest esse perpetuum, quod ita intelligendum est, nisi probabiliter timeatur talis dubij relationem nihil profuturam, sed potiùs nociturum, si autem tale sit periculum, tunc debet coniux dubius reddere debitum, ne vltra tempus signatum à iure alterum coniugem detineat.

7. Nota cum Vasquez, nimis durum esse obli-

gare

gare Coniugem dubium in hoc casu ingredi Religionem cùm reuera possit, vt ita liberum relinquat alterum Coniugem. Ratio est, quia status Religionis, nisi sponte suscipiatur, solet malos exitus habere, & sunt quidem plures aliæ difficultates, ob quas obligari ad Religionem non debet; aliqui tamen censent huiusmodi debere intrare Religionem; vt ab hoc dubio liberetur, cum hac via possit negare debitum, & debeat non se exponere periculo incontinentiæ in reddendo, cui planè se exponeret sine vlla obligatione si in principio redderet.

8. Sed hic notandum est, & menti tenendum, quod *in cap. Inquisitioni: de sentent. excomm.* sic dicitur: *Si credulitas probabilis, & discreta, quamuis non manifesta, animum pulset, debitum quidem reddi posse, sed non postulari.* Quæ quidem verba non eodem modo Doctores intelligunt, nam D. Thomas *in* 4. *dist.* 41. *quæst.* 1 *art.* 5. *quæst.* 1. *ad* 3. D. Antoninus, *part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 3. §. 2. Sylvest. *verb. matr.* 8. *quæst.* 2. *dict.* 5. Petr Ledesma *de matr. quæst.* 45. *art.* 1. *dub.* 2. *ad* 3. *argum.* 1. *sent.* aiunt, quod dubitans de iure suo, si post diligentem inquisitionem, magis propendeat in eam partem, sibi ius non assistere, desinat esse bonæ fidei possessor, quam sententiam cum pluribus à se citatis tenuit Sanchez, *lib.* 2. *de matr. disp.* 41. *n.* 10. Sed Veracruz, *part.* 3. *Specul. art.* 13. *in fine*, Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 9. priorem sententiam suam retractans, docent, bonæ fidei possessorem iure suo nequaquam excidere, priusquam certò, vel quasi certò deprehendat, sibi ius non competere. Iuxta quam sententiam duobus modis respondeti debet *ad cap. Inquisitioni*; Primò, dubitantem in casu eius *cap. non adhibuisse* diligentiam cognoscendæ veritatis: constat autem, dum dubitans veritatem inquirit, iure possessionis suæ vti non posse, excepto vnico casu, si vsus matrimonij dubij ad experimentum capiendum necessarius sit, iuxta decisionem *cap. Laudabilem. de frigid. & malefic.* in quo dicitur si suspicio incidat inter Coniuges de naturali perpetua impotentia, eaque probari non possit, triennij spatio cohabitandum ipsis esse, experiendi causa. Secundò, & facilius responderi potest; Eum, cui Papa id illo capite respondit, ab initio mala fide contraxisse matrimonium; quia videlicet dubitabat, vel dubitare debebat de eius valore: vt proinde casus similis sit, *cap. Dominus, de secundis nuptiis*, vbi respondetur, dubitantem de valore matrimonij, quod contraxerat, nondum habita certitudine Coniugis prioris præmortuæ, debitum interim à Coniuge sua exigere non posse. Et hæc omnia docet Layman, *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 24. Verùm de his, & aliis difficultatibus, quando casus occurrent, vide Lessium *in* 3. *part. D. Thomæ, cap.* 6. *de Sacram. matrim. dub.* 4. *per totum*, Bossium *in Moralibus, tom....*

Quæ quis non plene sup. hoc lege tamen quid in hoc casu cõtingere potest infra in Resol. 167.

RESOL. CXXXIII.

Vtrum sit validum matrimonium contractum cum falso errore alicuius impedimenti: v. g. vt si quis contraxit existimans coniugem mortuum, esse viuum, & tamen sciebat matrimonium esse nullum, contractum, superstite coniuge, &c. Ex part. 3. tract. 4. Resol. 192. alias 293.

§. 1. Difficultas huius quæstionis est, quando adest error facti, & scientia iuris, vt quando coniuges falsò credunt adesse impedimentum, & existimant hoc stante non posse consistere matrimonium, & tamen contrahunt. Et de hoc casu olim interrogatus fui, nam quidam contraxit, existimans coniugem mortuum, esse viuum, & tamen sciebat matrimonium esse nullum, contractum superstite coniuge. Prima opinio negat, & ita docet Coninch *de Sacram. disp.* 24. *dub.* 6. *n.* 53. & alij penes ipsum, quia impossibile est talem habere veram intentionem contrahendi, quia nemo potest seriò intendere id quod omnino credit impossibile; quare non est verum talem posse intendere contrahere, quantum potest, cùm omnino credat se nullo modo posse, leuis esset, si de altera parte, vel leuissimè dubitaret, ita vt concipere posset fortasse fieri posse, vt validè contrahat, tunc enim posset hoc intendere. At verè contraheret, quamuis communiter graviter peccaret ob periculum inualidè contrahendi, cui suo iudicio se exponit. Ita Coninch.

2. Secunda opinio affirmat, quam tuetur Sanch. *tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 33. *n.* 2. cum aliis penes ipsum, quibus ego addo Guttier. *de matr. cap.* 47. *n.* 1. nam contrahentes intendunt quantum in seipsis est consentire, quia hæ personæ sunt reuera habiles ad contrahendum, & intendunt quatenus possunt contrahere. Ergo validè contrahunt. Secundò, quia hæreticus, etsi credat Baptismum esse rem irrisoriam, & nihil valere, verè baptizat, si verè intendat facere, quod potest, & intendit Ecclesia. Ergo, &c.

3. Verùm Basilius Pontius *de matr. lib.* 4. *cap.* 23. *n.* 1. *& seq.* existimat non esse inter has sententias discrimen reipsa, si distinctè explicentur. Duobus enim modis potest se habere contrahentium animus in prædicto casu. Primus est, si eliciant duos actus, vel iudicia, quorum vnum feratur in impedimentum, quod falsò subesse putant, & in scientiam, & supposita ea volunt adhuc contrahere, quamuis ius resistat. Secundus est, vt quamuis habeant eam cognitionem circa factum, & ius, & aliam habeant, qua ipsis occurrat fortasse non teneri eo impedimento, &c. consensus sit quasi conditionatus, qui sic explicari potest. Etsi nos teneamur impedimento, & ius resistat, attamen si fortè potest iniri inter nos matrimonium, consentimus in illud. In primo casu impossibilis est intentio contrahendi, & si oppositum sentit Sanchez, non est sequendus, & in hoc casu procedit prima opinio Coninch. In secundo autem casu bene potest esse consensus sufficiens ad matrimonium, quia consensus ille est quasi conditionatus, si possum; cúmque conditio sit de præsenti, si non teneor fortè aliquo impedimento, & re vera non teneatur illo, statim consistit contractus matrimonij, & in hoc casu vera erit opinio Sanchez; sin aliter, non erit admittenda, & ad primum eius argumentum patet responsio ex dictis. Ad secundum respondeo, negando consequentiam, quia ita baptizans, scit se posse facere id quod intendit, scilicet facere, quod facit Ecclesia, sed contrahentes in nostro casu, putant se nullo modo posse contrahere, quare non possunt hoc seriò intendere, Ergo, &c.

RESOL. CXXXIV.

An si lis oriatur de validitate alicuius impedimenti Filij, illo medio tempore nati, sint legitimi reputandi.

Et quid, si illis prohibitum sit sub pœna excommunicationis, ne possint simul cohabitare, an adhuc filij pro legitimis debeant haberi?

Idem erit, ac multo magis, si interposita fuerit appellatio.

Et supponitur filium natum ex matrimonio bona fide alterius Parentis inito esse vere legitimum non solum quoad Parentem habentem bonam fidem, sed etiam quoad alium malam fidem habentem. Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Res. 62.

§. 1. CErtum est, filium natum ex matrimonio bona fide alterius parentis inito, esse verè legitimum, non solùm quoad parentem habentem bonam fidem, sed etiam quoad alium malam fidem habentem. Ita Leandrus *de sacram. tom. 2. tract. 9. disp. 18. quæst. 18.* Martinus de San Ioseph *in monitis Confessar. tom. 1. lib. 1. tract. 54. n. 8.* Vallensis *in Paratitla ad Decret. lib. 4. tit. 17. num. 2.* Cornejo *in 3. part. D. Thomæ, tract. 5. de irregul. disput. 15. dub. 1.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 34. n. 46.* & patet *ex cap. Ex tenore, cap. Inter, & cap. Peruenit, qui filij sint legitimi.*

2. Difficultas est, si dictus filius natus sit lite pendente super nullitate matrimonij, & cum prohibitione sub pœna excommunicationis, ne possint simul cohabitare: & adhuc legitimum etiam censeri debere, videtur ex doctrina Sylvestri *verb. filij, qu. 10. num. 11.* vbi sic ait: Quidam in facie Ecclesiæ contraxit cum quadam, facta solemni denunciatione, vtroque, vel altero ignorante parentelam, seu impedimentum: & postea accusati de parentela, & peremptoriè citati, venire noluerunt, at tandem excommunicati, in excommunicatione tres filios genuerunt: quibus deinde reconciliatis, & probata parentela, diuortium celebratum est. Quæritur igitur, an dicti filij sint legitimi? Et dicit Dire. & Bar. Brix. & Tancre. quod omnes filij nati, vel concepti ante sententiam sunt legitimi, *cap. Cùm inter, qui filij sint legit.* si contraxerunt in facie Ecclesiæ cum solemni denunciatione, & vterque, vel alter habuit bonam fidem tempore contractus. Ita ille, & nihil clariùs dici potest.

3. Nec deseram etiam hic apponere verba Simonis Maioli *de irregular. lib. 1. cap. 5. num. 7.* sic asserentis: Si parentes per contumaciam excommunicati fuerint, pendente lite super matrimonio, & per sententiam separentur; ea contumacia parentum non poterit præiudicare filiis, vt patiantur defectum illegitimitatis, vnde habentur inter legitimos, vt concludit Zab. *in dict. cap. Cùm inter 3. opposit. in nouiss. scriptis*, his enim pendentia super matrimonio non impedit, quin filij sint legitimi. Abbas *in dict. cap. Cum inter, per illum text.* etiamsi postea declaretur nullum matrimonium, vt ibi per eum: videntur enim perseuerare in quasi possessione matrimonij, sicut & in aliis omnibus casus *cap. vt lit. pend.* idem quoque erit, ac multò magis, si interposita fuerit appellatio: quum perinde sit, ac si non fuisset iudicatum, *cap. venientes, de iureiur.* & in hoc casu scripsit Ægyd. & post eum Zab. *in dict. cap. Cum inter. q. 1. in nouiss. scriptis.* Hucusque Majolus, cui etiam adde Couarruuiam *de sponsalib. cap. 8. §. 1. num. 5. cum seqq.* Barbosam *in Collect. tom. 2. lib. 4. tit. 17. cap. 2. n. 13.* Giurbam *in Consuet. Messan. tom. 1. cap. 1. Gloss. 4. n. 66. & 67.* Carenam *de Officio Sanctæ Inquisit. part. 2. tit. 5. §. 14. n. 79.* & Vincentium Præsidem de Franchis *part. 1. decis. 130. vbi n. 8.* testatur ita decisum fuisse in Sacro Concilio Neapolitano, quia pendente lite super validitate matrimonij, non debent impediri exercitia matrimonialia. Vide etiam Sayrum *de censur. lib. 6. cap. 10. n. 33. & 34.* qui cum Majolo id docet, etiamsi proles nascatur contra interdictum, & prohibitionem Ecclesiæ: verbi gratia si fiat thori separatio, etiam de consensu coniugum, & Episcopo approbante, & prohibente eis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne copulentur, & ipsi contrauenientes commisceantur: nam proles nata erit legitima. Panormitanus *in cap. 1. num. 1. 4. & 6. & in cap. 2. num. 5. de matrimon. contracto contra Interdict. Eccles.* Zabar. *in cap. Cum inter. quæst. 2.* Et ratio est, quia nati ab excommunicatis, non ex hoc sunt illegitimi. Et ita etiam tenet Sanctarellus *var. Resolution. quæst. 20. num. 15.* Itaque dicendum est, quod in aliis materiis faciliùs bona fides deperditur: sed in matrimonio semper remanet, etiam lite mota: deperditur igitur tantùm per sententiam; & adhuc declarat, si de illa interposita sit appellatio, quæ quidem omnia valde notanda sunt, & pro foro interiori, & pro exteriori.

RESOL. CXXXV.

An pro valore matrimonij sequi aliqui; posse opinionem singularem contra communem?

Idem quæri potest de valore professionis.

Et an hoc procedat, quando ipsa opinio est dubia, secus verò si esset clara?

Et notatur, quod licet in dubio pro matrimonio præsumendum sit, & iudicandum, tamen hoc procedit, quando in matrimonio contrahendo, vel contracto datur paritas personarum, secus data imparitate.

Etiamque docetur in foro conscientiæ tam quoad spiritualia, quàm quoad matrimonium dubitantem liberandum esse in dubio æquali, cùm melior sit conditio possidentis.

Et quid dicendum est in foro externo? Ex part. 10. tract. 13. & Misc. 3. Res. 19.

§. 1. IDem quæri potest de valore professionis: & Sup. aliqui putant, quod tantus sit matrimonij favor, vt pro eo Iudices possint, & debeant iudicare etiam contra communem, & præferre opinionem singularis alicuius Doctoris celebris, quæ in probabili ratione fundata matrimonio faueat, illudque sustineat, opinioni plurium Doctorum illud impugnantium, nisi textui aperto innitatur. Ita post Hostiensem, Butrium, Abb. *in cap. Si vir de consang. spirituali*, Felinum *in cap. 1. de sponsalib. num. 6.* M. Antonius Cuccus *lib. 5. tit. 11. num. 237.* Bert. *cons. 80. n. 21. & 22.* Gail. *observat. lib. 2. obser. 94. num. 19.* Menochius *lib. 2. præsumpt. 71. num. 30.* Augustinus Barbosa *tom. 1. Collect. ad Decretales, lib. 2. tit. 20. cap. 47. num. 8. tit. 27. cap. 26. num. 2. & 3.* *in fine*, Franciscus Molinus *cap. comparat. 17. lib. 1. num. 15. in fine*, Sanchez *in disp. 18. lib. 1. num. 6.* & alij relati ab eodem Sanchez, & à Menochio; qui declarat id procedere, quando ipsa opinio communis esset dubia; secus vero si esset clara, quia tunc non est ita fauendum causæ fauorabili, qualis est matrimonialis, vt alij fiat iniustitia, quare tantum in dubio præferenda, & recipienda est opinio minus communis, & etiam singularis probabili innixa fundamento fauens Matrimonio. Ad cuius rei confirmationem Sanchez, & Barbosa aiunt facere *cap. Licet ex quadam, de Testibus, & attestat.* ibi: *Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè contra statuta Dei separare.*

2. Sed hanc sententiam reicit Guttierrez *de matrim. cap. 3. n. 18.* sequutus Decium *in cap. 1. n. 31. de constitution.* vbi dicit, quod fauore Matrimonij, vel alterius similis causæ, (verbi gratia Testamenti, dotis, libertatis) non est recedendum à communi opinione, quia sic fauorabili causæ fumus debitores, quod aliis iniustitia non fiat, *cap. Ex tenore, de foro compet. cap final. de donat. inter vir. & vxor. & leg. si pater, in fine princip ff. de inofficioso testam.* ibi: *Nisi apertè Iudices inique secundum hæredem scriptum pronunciasse apparebit.* Confirmat Guttierrez: Tum quia magna est auctoritas communis opinionis in iudicando & consulendo, ideoque tenenda, & se-

quenda

quenda est : Tum quia hanc sententiam tenuerunt eximiæ auctoritatis Doctores, Decius *vbi supra*, Alciatus, *lib.3. Paradoxorum, cap.7. num. 3. & 4. & in reg.1.præsumpt.40.n.2.* Ioannes Neuizan.*in Sylua nuptiali,lib.5. n.1.* Auiles *in cap.1. Prætor. in gloss.final. n.15.* Cotta *in 2.part.memorab.iuris,in verbo Nuptiarum causa.* Ioannes Oroseus,*in leg.1.n.17.ff. de Offic. quæst.* & Barbatius , *consil. 3. colum. penult. vers. Nec obstat. volum. 1.* vbi regulam , quod in dubio pro Matrimonio præsumi debeat, intelligit , nisi opinio verior & probabilior esset in contrarium, quia tunc non deberet iudicari pro Matrimonio. At ego puto non esse recedendum à priori sententia extensionem approbante, vbi verè communis opinio non est clara , sed dubia , & opinio minus communis vel singularis, non est falsa,sed probabili ratione innititur, & in contrarium adducta videtur procedere solum quando communis est clara , vel altera opinio caret probabili fundamento.

3. Nota tamen hîc obiter , quod licet in dubio pro Matrimonio præsumendum sit, & iudicandum, tamen hoc procedit secundum Mascardum *de Probat. tom. 2. conclus. 1017. alias 1023. num. 7.* quando in Matrimonio contrahendo, vel contracto , datur paritas personarum , secus data imparitate ; nam tunc pro matrimonio ait , non esse præsumendum citans Curtium Iuniorem,*in lege Cum quadam puella,n.22. ff.de Iurisdictione omn. iud.* Cephalum, *consil.52.n.63. lib. 1.* & Nicolaum Antonium Crauattum *inter consil. 82.num.45.* ad id etiam faciunt leges , quibus vetantur nuptiæ inter inæquales. Sed Franciscus Molinus, *de ritu Nuptiarum , lib.1. compar.17.num.9. cum seqq.* cum Barbosa *in Decret. tom.2. lib.4. tit.15. cap.2. num. 3.* reiicit hanc declarationem , tenetque non procedere de iure canonico , quo attento, paritas vel imparitas personarum non consideratur. Et confirmatur ex nouo iure Tridentini , quod *cap. 1. sess. 24. de reformatione matrim.* decreuit , filios sine consensu Patris quascumque fœminas ducere posse, & ob id *cap.9.*sub pœna excommunicationis præcipit Principibus ne suos subditos cogant , aut impediant,quominus possit quisque quam velit mulierem ducere. At quia video sententiam Mascardi docere doctissimum Sanchez *de matrim.tom.1.lib.3.disp.15. num.7.* Ideo tu iudica.

Sup. hoc supra lege doctrinam Resol. 44.

4. Notandum tamen, quod Henriquez, *lib.11. de Matrimonio, cap.13.num.4. & cap. 11. num.5.* dicit in foro conscieniiæ , tam quoad sponsalia, quam quoad Matrimonium dubitantem , liberandum esse in dubio æquali , cùm melior sit conditio possidentis. Cæterùm ego putauerim faciendum esse discrimen inter sponsalia , ac mattimonium ; ita vt qui in dubio æquali dubitant , num Matrimonium sit contractum ,cogendi sint,in vtroque foro contrahentes , ne fortè fiat iniuria Sacramento per dissolutionem Matrimonij : quando verò dubitatur , num sponsalia valida sint,in vtroque foro iudicandos esse liberos, quia si quis tunc inuitus cogeretur, fieret ei iniuria per spoliationem libertatis , quam possidet. At dices similiter fieri etiam iniuriam coacto, quando dubitatur , num sit coniux. Negandum tamen erit assumptum , quia vt ex duobus malis , sic ex duobus periculis , semper minus est eligendum : cum verò æquè dubitatur num Sacramentum Matrimonij validum fuerit , si dissoluatur , periculum quidem est , ne dissoluatur Sacramentum , quod alioquin fortè ratum , validúmque fuit , & agatur contra illud præceptum negatiuum,Matth.19. *Quod Deus coniunxit , homo non separet* ,atque adeò si dissoluatur , temerè dissoluitur , & fit iniuria Sacramento matrimonij. Ex alia verò parte , etsi periculum etiam sit , ne renuens sua libertate spolietur, velle tamen debet pati istud damnum dubium , quia minùs præponderat , minúsque malum est illud pati , quàm ipsa iniuria Sacramenti , præsertim cum iam bona fide aliud coniugium non possit inire , & iuxta hanc distinctionem videtur accipiendum illud assertum DD. in casu dubio fauendum esse matrimonio. Et hæc omnia docet Rebellius,*part.2. lib.4. quæst.3. num. 9.*

RESOL. CXXXVI.

An sit licitum contrahere matrimonium cum impedimento dirimente ex timore mortis, vel alterius grauis damni, & quid de multis aliis casibus? Ex part.3. tr 6. & Misc.2 Resol.83.

§. 1. RESpondeo affirmatiuè , quia Ecclesia non obligat cum tanto rigore , & in tali casu matrimonium esset nullum,& ita tenet Suarez *de legib lib.3.cap.30. n.13.* Vnde ex his obiter colligitur. Primò cum Sanchez *in summ. ,tom.1.lib.1.cap.19.n.8.* ex timore mortis posse aliquem excommunicare absque potestate , licèt Suarez *de cens. disp.6. sect.3. num.8.* contrarium asserat.Secundò cum vitæ discrimine quis non tenetur Eucharistiam,vel Baptismum suscipere,quoties moraliter certus sit de contritione. Ita docet Aragon.*in 2.2.quæst.62.art.3.in 1.dub.circa solut ad 4.* Sotus *lib.1 de iust.quæst.6.art.4.*& alij,licèt contrarium asserat Azor.*tom.1.lib.1.cap.11. quæst.2.* Tertiò ex timore mortis , vel alterius grauis damni potest quis celebrare sine vestibus sacris, & mixtione aquæ ; dummodò ad id faciendum non compellatur in contemptum fidei.Ita Becanus *tom.2.tract.1. cap.6.quæst.4. num.8.* Valentia *tom.3. disp.7. quæst.5. punct.8.* & alij , licèt contrarium nouissimè asserat Castrus Palaus *in opere morali, tom.1.tract. 2. disp.1. punct. 13. num.9.*

Sup. hoc in tom.7. tr.5. Resol. 76. §. Tertiò.

Sup. hoc secundo pro Baptismo in Resol. not. præteritæ §. Quinto , & in to.1. tr.1. Resol.31.

Pro hoc Tertio in to. 7. tr. 5. Resol. 76. §. Secundo, & lege etiam ibi §. vlt. & recitâter in fine alterius Resolutionis annot.

Et pro primo,& secundo contento in hoc §.Notãdum, cum eodẽ Sancio hic citato tantum in to.8. tr.4.ex lata doctrina Resol. 64. signanter in §. Nonò potest.

Et Sup. quarto , & seqq. in hac Resol. late suprà in tr. 2. Resol.31. & in tr.1. in Resol. 231. §. Et post inter medium , & finem,à vers. Accedit.

2. Notandum est tamen hîc obiter , quòd Ioannes Sancius *in selectis,disp.35. num.6.* asserit ob timorem mortis & grauem causam in administrandis Sacramentis licitam esse simulationem,& adducit varia exempla. Primò ait, si hæreticus minaretur mortem, si non confecrares omnem panem in foro extantem, poteris vti æquiuocatione , & intentionem non habere consecrandi. Secundò poterit Confessarius verba absolutionis sine intentione proferre circa indispositum , si alia viâ malum comminatum vitare non potest. Tertiò poterit ob solatium scrupulosi anxiè petentis absolutionem , cùm tamen indispositus sit , verba sine intentione proferre.Quartò licere Sacerdoti ministrare hostiam non consecratam pro consecrata mulieri, quam cogit maritus ad communicandum , quæ sine iactura famæ non potest communionem omittere. Hæc Sancius , quæ audaciam, & temeritatem redolere putauit Castrus Palaus *in opere morali , tom.1. tract. 2. disp.1. punct.13.num.8.* Verùm Sancius, vir amicissimus, nunquam dixit , vt patet *in tota dicta disp.& in num.* 10. licere Sacerdoti in illo casu ministrare hostiam non consecratam pro consecrata , vnde meritò aduersùs illum insurgit doctus Palaus.

3. Non desunt tamen Doctores asserentes hostiam non consecratam pro consecrata posse ministrari peccatori occulto scienti , & petenti sibi dari propter vitandam infamiam,dummodo proponatur hostia consecrata adoranda,& à tergo post illam non consecrata , ita vt non videatur , nec adoretur , & hoc efficiatur, vt dictum est ex consensu peccatoris, ne ex conscientia erronea adoret non consecra-

tam pro consecrata. Et ita hanc sententiam post Aloysium Dolensem, Albertum, Bonauenturam, & alios tenent neoterici doctissimi Ludouicus de San Iuan *in summa, tom. 1. tract. de Eucharist. quæst. 7. art. 8. dub. 4.* & Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 7. difficult. 38. num. 7.* sed ego contrariæ sententiæ, tanquam probabiliori adhæreo cum Palao *vbi supra*, & Doctoribus, quos citat, & sequitur Sancius *loco citato*, qui vt diximus, malè à Castro Palao pro affirmatiua sententia citatur. Et ratio est, quia ministrans hostiam non consecratam, velut consecratam, etsi à tergo alterius consecratæ illam ponat, ponit equidem adorandum distinctum indiuiduum hostiæ non consecratæ, & adest periculum manifestum idololatriæ, cùm circumstantes possint, si velint, distincto actu adorationis adorare quamlibet hostiam, quæ communicantibus porrigitur, nec est in ministri potestate vitare aliorum adorationem hostiæ non consecratæ, quam ipse proponit velut consecratam. Ergo, &c.

RESOL. CXXXVII.

An in matrimonio ex metu graui contracto possit resilire, qui liber est à metu, nec particeps illius fuit? Ex part. 3. tract. 4. Res. 228. alias 229.

Sup. hoc infra ex Res. 139. lege doctrinam eius §. penult.

§. 1. Affirmatiuè respondet Thomas Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 15. num. 5.* vbi docet, non teneri cogentem in foro conscientiæ perficere matrimonium, donec per iudicem condemnetur, sed liberè altero inuito posse resilire, nisi aliud damnum sequutum sit, quia vel iste tenetur ratione delicti, & coactionis in pœnam illius, & hoc exigit iudicis condemnationem, ante quam nemo tenetur subire pœnam. Aut tenetur ratione iniuriæ illatæ per coactionem, & hoc non, quia non est tanta iniuria coactionis, quando aliud damnum inde non sequitur, vel aliter, quàm per matrimonium resarciri nequeat. Ergo, &c. Ita Sanchez.

2. Sed aduersùs illum insurgit nouissimè Basilius Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 15. num. 3.* vbi docet, eum qui particeps fuit, aut conscius metus illati alteri, cum quo contrahit, non posse in conscientia resilire, sed teneri obligatione expectandi voluntatem eius, qui vim passus est, & hoc secluso quouis damno. Et ratio est, quia iniustum est, vt ille contrahere cogatur inuitus: nam is qui coëgit, vel coactionis particeps, aut conscius fuit, reuera iniustitiam commisit in personam; ergo remanet obligatio resarciendi, & cùm resarciri possit sine damno alterius, qui vim intulit, resarcienda est, stando scilicet contractui, si alius velit. Ad hoc autem non est necessaria iudicis sententia, cùm ex iniuria illata nascatur naturalis obligatio reparandi, & ideò ante omnem iudicis sententiam, ea obligatione tenetur. Vnde ex his patet responsio ad argumenta Sanchez. Nam in tali casu dicendum est, illum non teneri ratione delicti in pœnam, neque ratione obligationis matrimonij, cùm nulla ibi sit obligatio matrimonij: sed teneri, quia ratione iniuriæ illatæ consurgit in illo alia naturalis obligatio restaurandi in eodem genere, cùm possit. Nec verò hæc censenda leuis iniuria, sed grauis, cùm in ea coactione committatur peccatum mortale, párque est, in eo casu vir, & fœmina.

At his non obstantibus, puto sententiam Sanchez probabilem esse, & illam tuetur nouissimè Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 13. diffic. 37. n. 5.*

RESOL. CXXXVIII.

An matrimonium ex leui metu contractum valeat iure naturali, & positiuo?

Et quid, quando re vera ita extorquet consensum, vt sine eo metu non fieret? Ex part. 3. tract. 4. Res. 229. alias 230.

§. 1. Affirmatiuè communiter respondent Theologi, & Iurisperiti, quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 17. num. 2.* Rebellius *lib. 2. quæst. 11. sect. 1. concl. 3.* Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 18. n. 2.* Villalobos *in summ. tom. 1. tr. 13. diffic. 17. n. 5.* & alij. Et ratio est, quia qui operatur ex metu leui, non dicitur neque vi, neque metu operari, nam habet in sua potestate sufficiens principium, quod debet metum repellere, cùm operatur imprudenter; imprudentiam autem, cùm vitium sit, potest illam expellere. Ergo, qui cùm adeò facilè ex eo metu liberari possit, non se liberat, iure optimo censetur liberè operari.

2. Non reticeam tamen, aliquos asserere metum leuem reddere matrimonium nullum, quando reuera ita extorquet consensum, vt sine eo metu non fieret, & ita tenet Gabriel *in 4. dist. 29. q. 2. art. 2. concl. 4.* Nauarrus *in summa, c. 17. n. 29. & cap. 22. n. 51. vers. 1.* Couarruuias *part. 2. c. 3. §. 6. n. 4.* & alij, quos refert Sanchez *vbi supra, n. 4.* vbi fatetur hanc sententiam esse probabilem, & pro illa adducit multas rationes, licèt eas soluat Pontius *n. 5.*

RESOL. CXXXIX.

An metus grauis à lege iustè incussus irritet matrimonium, si Iudex, verbi gratia, intendat delinquentem cogere per illum metum ad contrahendum?

Et pro praxi huius quæstionis adducuntur speciales casus.

Et deducitur validam esse professionem, dum vir minatur mortem vxori in adulterio reperte, nisi Religionem profiteatur, quando minatur mortem auctoritate Iudicis infligendam, secus verò si minaretur propria auctoritate.

Etiamque infertur, si quis minaretur reo, verbi gratia, latroni iustam accusationem, nisi certum contrahat matrimonium, id valere.

Et tandem quæritur, an quando cogens fuit particeps culpæ metus alteri illati, maneat obligatus ad non resiliendum, & teneatur postea contrahere cum coacto, si velit? Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. Res. 17.

§. 1. Negatiuè respondet Sanchez *de matr. lib. 4. disp. 13. num. 6. & 7.* Sed contrariam sententiam prorsus tenet Texeda *in Theolog. mor. tom. 2. lib. 4. tract. 1. contr. 10. num. 35.* Probatur ex cap. *Veniens el secondo, de sponsal.* vbi expresè decluditur, matrimonium validum non esse, ad quod contrahendum pater coëgit iuuenem, quem cum propria filia in lecto cubantem inuenit: at eo casu pater inuenem iustè coëgit, etsi iuuenis ille dederit causam coactioni, & præbuerit contra se inquinamentum, & fuerit in culpa totalis damni tam puellæ illati, quàm patri; imò magis patri, quàm puellæ fuit damnum illud illatum, non solùm circa honorem, sed circa dotem, quam tenetur pater addere, eo quod filia corrupta sit. Secundò, quia coactio ideò irritat matrimonium, quia aufert plenam consensus libertatem: ex matrimonio enim coacto infelices sperantur fines: sed non minùs libertatem aufert, quando metus à le-

§.

ge iuſtè incutitur, ac iniuſtè: ergo, ſicut metus iniuſtè incuſſus matrimonium vitiat, eodem pacto illud vitiabit metus iuſtè à lege oblatus.

2. Scio tamen, præfatum Sanchez cum aliis reſpondere, ſolum metum, & coactionem iniurioſam tollere plenariam libertatem ad matrimonij valorem neceſſariam: & ideò ad argumentum negat rationis paritatem, quia metus à lege iuſtè incuſſus eſt metus ab intrinſeco præconceptus in ipſo perpetrato delicto, atque adeò metum paſſo nulla irrogatur iniuria. Vnde aſſerit, quòd ſi Iudex delinquenti ad mortem condemnato liberationem offerat, ſi nubat filiæ ſuæ, alioquin infallibiliter mortem fore ſubiturum; matrimonium eſſe validum. Sed contrarium dicendum eſt: quia, licèt Iudex ius habeat puniendi delinquentem, & pœnam mortis infligendi iuxta tenorem legis, & ipſe reus ob perpetrata ſcelera, lata contra eum ſententia, illam pati teneatur: at non habet ius cogendi illum ad matrimonium cum filia ſua ineundum, & ideò metus ille, reſpectu matrimonij extorquendi, ab extinſeco eſt, tollens prorſus libertatem neceſſariam ad valorem matrimonij.

Sup. hoc in Reſ. præteritæ annot. §. vlt.

3. Dices cum Sanchez: Si dux militi atrox crimen perpetranti offerat libertatem, ſi filiam eius, aut ſororem ducat, aut ſi contrahat cum tali fœmina, neque infert metum, neque cauſam metus dedit; ſed ſolùm offert metũ iam iuſtè præconceptum, & vice pretij expoſcit matrimonium; cùm lege iuſtitiæ non teneatur militi ſuam operam, & liberationem præſtare: ergo matrimonium ita ex metu iſto initum eſt validum, cùm ſit metus ab intrinſeco, imò eſt ablatio metus, quem iuſtè ex delicto perpetrato miles conceperat. Reſpondetur, nihil argumentum probare, & ex dictis manere ſolutum: nam, quamuis Dux poſſit punire militem, & miles teneatur ſubire punitionem, & pœnam; non tamen poteſt compellere illum, vt filiæ ſuæ nubat, neque matrimonium oblatum collocatur vice pretij liberationis, vt malè opinatur Sanchez: quia eſt alterius generis, & rationis, in genere matrimonij: nam ad Ducem, vel Iudicem ſolùm ſpectat infligere pœnam, & punire delictum cauſa comprobata, & ſententia lata; non verò cogere voluntatem ad matrimonium contrahendum, ad quod requiritur maxima in contrahente libertas, cuius Iudex non eſt Dominus.] Hucvſque Texeda contra Sanchez.

4. Sed opinionem Sanchez puto ſatis probabilem, quam tuetur nouiſſimè Pater Perez *de matrim. diſp.17. ſect.16. num.6. & ſequent.* quem videbis. Et ideò ego puto contra Texedam cum Sanchez, quòd ſi Iudex capto iuſtè, mortemque timenti, vitæ condonationem promittat, ſi ducat ipſius Iudicis filiam, aut aliam fœminam, alioquin ei mortem iuſtè inferendam comminetur, valere matrimonium. Et ratio eſt: quia eo euentu metus non iniicitur ad matrimonium ineundum; ſed iam conceptus aufertur, traditurque modus euadendi periculum: vnde, ſi iura eo caſu illud irritarent, periclitanti omnem viam ſalutis præcluderent, cùm tamen intendant ei ſuccurrere. Vnde, licèt demus, eo caſu Iudicem non iuſtè procedere in ea promiſſione, quin fiat vlla delicti compenſatio: attamen, cùm metum patienti præbeat modum, quo poſſit vitæ periculum effugere, quòd aliter, quàm contrahendo matrimonium nequit vitare; ideò valebit matrimonium. Vnde ex his infero primò, validam eſſe Profeſſionem, dum vir minatur vxori in adulterio repertæ mortem, niſi Religionem profiteatur, quando minatur mortem authoritate Iudicis infligendam, quia eſt metus ex iuſta lege, & cauſa incuſſus: ſecùs verò ſi minaretur propria authoritate mortẽ illi infligendam, non enim valeret; quia iniuſtè illi metus incuteretur. Secundò, ſi quis minetur reo, v. g. latroni iuſtam accuſationem, niſi certum contrahat matrimonium, id valere: quia non eſt metus viri conſtantis ab alio incuſſus iniuſtè.

5. Verùm hîc obiter obſeruo, controuerſiam eſſe, an, quando cogens fuit particeps culpæ metus alteri illati maneat obligatus ad non reſiliendum, & teneatur poſtèa contrahere cũ coacto, ſi velit. Affirmant cum multis Doctoribus Baſilius Pontius *lib.4. cap.15.* & Coninch *diſp.28. dub.1. num.7.* Primò, quia cogens intulit iniuriam coacto, quam reſarcire tenetur, & nequit aliter, quàm ſtando contractui matrimoniali, ſi coactus velit: ergo ad id tenetur. Firmatur: quia ad id non eſt neceſſaria Iudicis ſententia, cùm ex iniuria illata naſcatur naturalis obligatio reparandi; & ideò ſine omnem Iudicis ſententiam ea obligatione tenetur.

Sup. hoc ſupra lege doctrinã Reſ. 137. per totam.

6. Mihi verò magis placet opinio negatiua, quam tuetur Sanchez *lib.4. diſp.15. num.5.* Ochagauia *de Sacram. matrim. tract.3. quæſt.30.* & Hurtadus *diſp.6. diffic.4. num.26.* Quia non tenetur cogens in pœnam iniuriæ coactione illatæ, quia nullo iure talis pœna ſtatuta eſt: neque tenetur, vt eam iniuriam reſarciat; quia ſecluſis aliis damnis extrinſecis inde ſequutis, iniuria illa ratione ſui non exigit recompenſationem, (aut ſaltem non exigit tantam) imò ex ſua natura non eſt reſarcibilis; neque tenetur ex eo, quòd conſenſum præbuit, quia ex conſenſu præſtito in contractu mutuo non manet quis obligatus, niſi quando alter etiam obligatur: in noſtro autem caſu coactus non obligatur: ergo neque qui ad matrimonium cogit, manet obligatus ad denuò contrahẽdum, niſi quando ex matrimonio coacto ſequutum eſt aliud damnum extrinſecum, quod nequit aliter reſarciri, & eſt adeò graue, vt ob eius recompenſationem non iudicetur rigidum ad tantum obligari.

RESOL. CXL.

An ſi iudex ſecundum allegata iuſtè cogat ad matrimonium, licet à parte rei illa coactio ſit iniuſta, adhuc tamen matrimonium illud ſit validum? Ex part.9. tr.8. & Miſc.3. Reſ.26.

§. 1. AFfirmatiuè reſpondet Sanchez *to.1. lib.4. diſp.13. num.8.* vbi ſic ait: Aduerto, non tantum valere matrimonium, quando Iudex iuſtè reuerà, & à parte rei compellit ad illud; ſed etiam quando iuſtè ſecundùm allegata, & probata: v. g. aliquis fidem dedit de matrimonio fœminæ, quæ poſteà fornicata eſt, quod cùm probare nequeat, ſponſus compellitur illã ducere, quamuis ſecundùm rem hæc compulſo ſit iniuſta, cùm ille, ratione fornicationis, eſſet ab obligatione ſponſalium liberatus: quia tamen eſt iuridica, & iuſta, ſecundùm allegata, & probata non vitiat matrimonium: non enim eſt credendum, ius canonicum, quod in hoc caſu compelli præſcribit, velle, vt ea compulſione matrimonium irritetur. Et è contra intelligo non valere, ſi Iudex iniuſtè ſecundùm allegata cogat, quamuis in re iuſtum eſſet: quia eſt iniuria. Ita ille.

Sup. hoc in Reſ. ſeq. §. vlt. à medio vſque in finem.

2. Sed aduersùs illum inſurgit Texeda *in Theol. moral. tom.2. lib.4. tract.1. contr.10. num.41.* & putat tale matrimonium ſic initum, eſſe nullum. Primò, quia huiuſmodi ſponſus ſecundùm rei veritatem, iniuſtè compellitur, cùm ratione fornicationis ſponſæ liber omninò ſit re ipſa ab obligatione contrahendi: ergo, ſi contrahit, coactus contrahit, & coactio illa in interiori conſcientiæ foro extrinſeca eſt, tollens ab illo libertatem. Secundò, quia metus ille eſt ab extrinſeco illatus, & re ipſa iniuſtus, cùm ſponſus innocens nullo modo dederit cauſam coa-

ctioni. Tertiò, quia matrimonium illud ex parte sponsi est initum absque consensu eius: ergo est ipso facto nullum. Ad rationem autem pro Sanchez adductam, respondetur, quòd licèt iustè Iudex secundùm allegata, & probata compellat sponsum, vt matrimonium contrahat, quia promisit illud, re tamen ipsa, & in foro conscientiæ matrimonium nullum est: quia procedit ex metu extrinseco, & absque consensu contrahentis.

3. At, his non obstantibus, opinionem Patris Sanchez sequitur Martinus Perez *de matrim. disp. 7. sect. 16. num. 5.* firmans, non solùm valere matrimonium, quando Iudex re ipsa, & verè compellit ad matrimonium, sed etiam quando iustè secundùm allegata, & probata, tametsi secundùm rem, & à parte rei sit ea compulsio iniusta. Ratio est, quia nullam facit alteri iniuriam; è contra verò, si Iudex iniustè secundùm allegata, & probata compelleret, quamuis in re iustum esset, non valeret matrimonium, quia est iniuria.

RESOL. CXLI.

An si quis ex metu cogatur matrimonium contrahere licet in genere, si postea contrahat, matrimonium sit validum?

Et notatur matrimonium ex graui metu contractum esse nullum non solum ex iure Ecclesiastico, sed etiam inspecto iure naturali?

Et aduertitur ea, quæ dicta sunt, locum habere in constitutione Procuratoris ad matrimonium: nam si ex graui metu fiat, erit nulla iure naturali, & positiuo, & per consequens matrimonium nullum?

Et docetur, quod si Parentes cogerent filios ad matrimonium ineundum, non incurrerent in excommunicationem latam in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 9. de matrimonio?

Et tandem nota, quod matrimonium erit validum, si iudex cogat iustè matrimonium contrahere secundum allegata, & probata, iniustè tamen secundum rem, vt si cogat aliquem contrahere cum fœmina post promissionem fornicante? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Res. 33.

§. 1. NEgatiuè videtur respondendum ex sententia Azorij *tom. 1. lib. 1. cap. 11. quæst. 11.* Ioannis Lupi *in cap. per vestras, de donat. inter virum & vxorem, notab. 3. §. 11. num. 1.* Abbatis, Felini, Imolæ, Iasonis, & aliorum, quos affert Couarruuias *in 4. Decret. part. 2. cap. 3. §. 5. num. 8.* asserentes, quòd si quis ex metu cogitur contrahere matrimonium cum aliqua ex filiabus Pauli, matrimonium tenet, quia in tali casu nulla adest coactio circa electionem illius fœminæ, sed circa electionem absolutè.

2. Sed ego magis probabiliter puto in tali casu matrimonium esse nullum, quia vt matrimonium sit liberum, non sufficit electio huius, vel illius personæ, sed requiritur vt electio talis status liberè plena sit, & non coacta, vt rectè docet & obseruat Castrus Palaus *in opere morali tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 9. num. 9. ad 1. arg.* & ideo affirmatiuam sententiam contra doctores citatos in casu illius matrimonij ex metu contracti docet Salas *in 1. 2. tract. 3. disp. 3. sect. 1. num. 27.* Rebellius *part. 2. lib. 2. quæst. 11. sect. 1. n. 11.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 12. num. 20.* & nouissimè Basilius Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 14. num. 14.* vbi rectè obseruat, quòd non obstat si alicubi consuetudine inductum sit, vt aliqui non contrahant, nisi cum aliqua ex certo genere, vel etiam lege induci possit: nam ea consuetudine, aut lege nulla vis infertur, cùm possit non nubere; & præterea lex illa, vel consuetudo acceptata est voluntate & moribus vtentium, & cùm iusta sit, non infertur vis ab extrinseco. Ergo, &c.

3. Notandum est etiam hìc obiter contra Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 14. num. 2.* Azorium *tom. 1. lib. 1. cap. 11. quæst. 6.* Coninch *de Sacram. disp. 28. dub. 1. concluſ. 5.* & alios penes ipsos, matrimonium ex graui metu initum esse nullum, non solum, vt citati Doctores asserunt, de iure Ecclesiastico, sed etiam inspecto iure naturali, atque ideo non tantùm in Ecclesia, sed etiam extra Ecclesiam matrimonium esse nullum dicendum est, si ex metu graui iniustè illato celebratum sit; & ita docet Pontius *loco citato n. 4.* Comitolus *in respons. moral. lib. 1. quæst. 123.* Scotus *in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 2.* Rebellius *part. 2. lib. 2. quæst. 11. sect. 1. concl. 2.* & ante omnes communiter Magister D. Thom. *in 4. dist. 29. quæst. vnica, art. 3. quæst. 1. in corp.* & alij.

4. Nota etiam ea, quæ dicta sunt, locum habere in constitutione Procuratoris ad matrimonium, nam si ex metu graui fiat, erit nulla iure naturali, & positiuo, & per consequens matrimonium nullum, vt obseruat Pontius *loco citato, num. 16.* & latè prosequuntur viri doctissimi in allegatione quam imprimis penes me habeo *art. 2. fol. 5.* super matrimonio inito per Procuratorem, *die 23. Ianuarij 1590.* inter Excellentissimũ D. Antoninum Aluarez de Toledo Ducem de Alua de Acala, quia eadem libertas, quæ requiritur tempore contractus matrimonij, requiritur tempore quo Procurator constituitur ad illud contrahendum; & subinde si tunc non adest liber consensus, vitiabitur ipsa Procuratoris constitutio, & perinde vitiabitur matrimonium eius virtute contractum, quoniam qualitas metus quæ à principio adfuit, dicitur durare.

5. Aduerte tamen quòd si parentes cogerent filios ad matrimonium ineundum, non incurrerent in excommunicationem latam in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 9. de matrim.* Ita Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 13. diffic. 38. num. 4.* qui citat Sanchez & Henriquez. Et tandem nota quòd matrimonium erit validum, si iudex cogat iustè matrimonium contrahere, secundùm allegata & approbata; iniustè tamen secundùm rem, vt si cogat aliquem contrahere cum fœmina post promissionem datam fornicante. Ita Sanchez *de matrimonio lib. 4. disp. 14. num. 8.* Sed ego magis probabiliter puto in tali casu matrimonium non esse validum. Ita Basilius Pontius *de matrimonio lib. 4. cap. 19. num. 11.*

RESOL. CXLII.

An impotens cum impotentia perpetua, & cognita possit inire matrimonium in ordine ad casè exercendum? Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Res. 75.

§. 1. HIc casus potest frequenter accidere, & negatiuam sententiam tenet Valentia *tom. 4. disp. 10. quæst. 5. punct. 3.* Henriquez *lib. 12. cap. 8. n. 2.* Tolet. *lib. 7. cap. 2. num. vlt.* & alij, quos citat & sequitur Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 97. num. 2.* quibus ego addo Hurtadum *de matrim. disp. 22. diff. 4. num. 10.* Præpositum *in addit. ad 3. part. quæst. 7. de impedim. dub. 19. num. 166.* Tamẽtum *tom. 4. disput. 8. quæst. 4. dub. 8. num. 136.* Layman *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 11.* Et ratio desumitur ex natura huius contractus, de cuius intrinseca ratione est traditio potestatis ad vsum & copulam matrimonialem, cuius immutatio non pendet ex arbitratu contrahentium vbi deest potentia ad rem aliquam, illic potestas eius rei alteri tradi non potest,

potest, non magis quàm domus vendi non potest ab eo, qui domum non habet.

2. Deinde hanc sententiam Sixtus V. in Bulla edita 1587. apertè videtur definire, nam ibi declarat matrimonia cum spadonibus, vel eunuchis prorsus euitatis, seu vtroque testiculo carentibus cum quibuslibet mulieribus, seu defectum prædictum ignorantibus, seu scientibus, esse, sempérque fuisse irrita.

3. Sed his non obstantibus Basil. Pontius inter Theologos recentiores doctissimus *lib.7.de matrim. à cap.55. vsque ad 59.* affirmatiuam sententiam tenet & probat, neque iure naturali, neque iure Ecclesiastico supradicta matrimonia cum impotentia perpetua inita in ordine ad castè viuendum, & sine ordine ad copulam esse prohibita, & adducit pro hac sententia Paludanum, D. Antonin. Veracruz, Petrum Scotum, Medinam & Magistrum sententiarum, & illam etiam probat ex D.Thom. & respondet ad argumenta contraria, & ad Bullam Sixti V.

4. Probatur hæc opinio, quia id, quod ad essentiam contractus matrimonij requiritur, tantùm est quòd sit mutua coniunctio animorum in naturalem vitæ societatem cum diuersitate sexus; sed totum hoc in matrimonio impotentium celebrato ad castè viuendum reperitur: ergo illud est verum legitimumque matrimonium. Tota difficultas est in maiori propositione, quam probare conabor. In primis ex generali ratione contractus in quo est traditio dominij, non repugnat matrimonium esse sine vllo prorsus ordine ad copulã ex illo generali ptincipio, passimque recepto, vbi dominium distinguitur ab vsu, potest esse contractus circa materiam dominij sine ordine vllo ad vsum, & etiamsi aliàs deficiat vsus; tam enim vsus, quàm dominium potest esse vnumquodque seperatim integra materia contractus. Ex quo fit corpus generationi aptum non esse necessariam materiã huius contractus. Sic enim aptũ corpus necessaria materia proculdubio propter liberorum procreationem esset, quorsum enim isto fine secluso requireretur. Hic autem non est necessarius finis; eo ergo sublato, & matrimonio propter alium finem celebrato, quid indigemus apto ad generandum corpore. Itaque concomitabitur tantùm contractum aptitudo hæc si fortè fuerit in contrahente, non erit necessaria.

5. Deinde confirmatur, nam commune est omni Sacramento nõ consistere si desit materia ad illud necessaria, nec Baptismum sine aqua, Eucharistiam sine pane & vino, Pœnitentiam sine peccatis & dolore, Vnctionem sine oleo, &c. Nec ergo matrimonij sacramentum consistit sine necessaria materia, atque ideo sine corpore apto ad generationem, si illud est materia, quam necessariò postulat; sed omnium sententia certum est superueniente impotentia perpetua non dissolui matrimonium; ergo non est necessaria materia ad matrimonium corpus aptum generationi, & licèt aliqui disparitatem rationis in hoc conentur assignare, tamen Pontius omnes eorum responsiones elidit, & probat suam opinionem cum multis aliis rationibus, & ex *cap. consultationis, &c. requisisti, de frigid. & malef.* & respondet, vt dixi, ad omnia argumenta contraria, & ad Bullam Sixti V. ex quibus apparet hanc affirmatiuam sententiam esse satis probabilem, licèt contraria negatiua, quam ego teneo, sit communior & probabilior, & illam præter DD. citatos tenet etiam Syluius *in addit. ad 3. part. D.Th. q.58. art.1. quæritur.2.* Villalob. *in sum. to.1. tract.4. diffic.18. num.20.* Rebellius *part.2. lib.3. q.16. sect.1. n.2.* & Ludouicus de san Iuan *in summ. tom.1. de Sacram. matrim. quæst.6. art.15. dub.1. conclus.1.*

RESOL. CXLIII.

An matrimonium initum sub conditione honesta per verba de præsenti, vt contraho tecũ, *si Pater tuus voluerit, adueniente conditione efficiatur validum absque alio nouo consensu?*

Sed notatur, quod stando in prima sententia affirmatiua requiritur, vt conditio adimpleatur coram Parocho, & testibus, vel vt Parochus, & testes cognoscant conditionem esse adimpletam?

Sed ex contraria sententia infertur, si post euentum cõditionis ante nouum consensum præstitum, alter aliud contrahat matrimonium, peccare quidem contra fidem præstitam, at validum esset matrimonium, quia prius tantum habebat vim sponsalium?

Etiamque deducitur, si duo consanguinei contrahant coram Parocho, & testibus per verba de præsenti sub conditione, si Papa dispensauerit, *non esse matrimonium absque nouo consensu post obtentam dispensationem?* Ex part.3. tr.4. Ref.290. alias 291.

§. 1. CIrca præsentem quæstionem pugnant inter se Canonistæ, & Theologi, & cum Canonistis tenet Coninch *de Sacram. disp.29. dub.1. concl.3. num.11.* Sanch. *tom.1. lib.5. disp.8. num.5.* & Syluius *in 3. part. quæst.43. art.1. quæritur 1. concl.7.* sicut Theologi, quia cæteri contractus conditionales, adueniente, & impleta conditione absque nouo consensu purificantur, vt patet *l. hæc venditio, ff. de contrah. empt.* in illis verbis, Conditionales venditionis tunc perficiũtur cùm impleta fuerit conditio. Ergo idem dicendum est de matrimonio. Hinc infertur matrimonium aliàs contractum post prius conditionale, & impletam iam conditionem esse inualidum; quia per implementum conditionis prius matrimonium omnino firmum fuit. Et hanc Canonistarum opinionem cum Petro Ledesma *de matrim. quæst.47. art.5. dub.7. principali, concl.1.* valde probabilem esse existimo.

Vt melius & facilius tota doctrina huius Ref. terminetur, lege prius supra doctrinam Ref. 19. per totam, & Ref. 25. signanter à §. Et dato.

2. Attamen mihi magis placet contraria sententia Theologorum, quos citat Sanchez *vbi suprà n.3.* quibus ego addo Basilium Pontium *de matrim. lib.3. cap.14. num.25.* & ex Canonistis Augustinum Barbosam *in collect. tom.2. lib.4. tit.5. cap.5. num.7.* Guttierrez *de matrim. cap.81. num.8.* Et ratio est, quia forma illa contrahendi tantumdem videtur valere ac si fieret per verba de futuro, vt patet ex *cap. super eo, de condit. appos.* Deinde confirmatur, quia nullum Sacramentum pendere potest à conditione de futuro, vnde si dicas: Ego te absoluo vbi primùm restitues, nihil efficis. Ergo, &c. Cæteras rationes videbis apud Pontium *vbi supra.*

3. Vnde ex his infero contra Doctores primæ sententiæ, si post euentum conditionis ante nouum consensum præstitum alter aliud contrahat matrimonium, peccare quidem contra fidem præstitam, at validum esse matrimonium, quia prius tantùm habebat vim sponsalium. Ita Sotus *in 4. dist.29. q.2. art.1. post concl.3. verb. si arguitur ad id.* Secundò infertur contra Sanchez *vbi suprà num.26.* si duo consanguinei contrahunt coram Parocho, & testibus, per verba de præsenti, sub conditione, si Papa dispensauerit, non esse matrimonium absque nouo consensu post obtentam dispensationem Papæ. Guttierrez *de matrim. cap.71. num.10.* vide etiam Comitolum *lib.1. quæst.vlt. num.5.*

4. Dicendum est igitur secundùm opinionem Theologorum, matrimonium de quo est quæstio, non effici validum post adimpletam conditionem absque

absque alio nouo consensu, sed transite, & habere tantùm vim sponsaliorum.

5. Non reticebo tamen hîc apponere sententiam mediam, quam tenet Rebellius *part. 2. lib. 2. q. 10. sect. 6. num. 44.* asserens quòd si contrahentes expressè paciscantur, aliisque signis declarent, se velle, vt adueniente conditione, matrimonium statim fiat, si in eodem consensu saltem virtuali permanent, probabile est sine nouo consensu matrimonium fieri. Ita Rebellius.

6. Notandum est tamen, quòd etiam stando in prima opinione requiritur, vt conditio adimpleatur coram Parocho, & testibus, vel vt Parochus, & testes cognoscant conditionem esse adimpletam. Ita Coninch, & Rebellius *vbi supra*, cum Basilio Pontio *de matrim. lib. 5. cap. 22. n. 8.* quidquid in contrarium asserat Sanchez *loco citato, n. 24.*

RESOL. CXLIV.

An si vnus promittat matrimonium, & alius acceptet, non tamen repromittendo, maneat promittens obligatus?

Ex quo aly quatuor casus deducuntur circa promissionem matrimonij, & sponsalium? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 243. alias 244.

§. 1. Affirmatiuè respondet Sanchez *de matri. tom. 1. lib. 3. dist. 5. num. 12.* vbi sic ait. Quando matrimonij promissio fit gratis, & liberaliter, tunc altero acceptante promissionem, nec repromittente, solus promittens obligatur, quòd si aliter post acceptationem diu distulerit repromissionem, & matrimonium perficere, censetur contemnere: atque ita qui promisit, manebit liber ex tacita remissione, quia cùm promissio matrimonij mutuam ex se repromissionem exigat, tendatque ad matrimonij complementum: euidens contemptus, ac tacitæ remissionis signum apparet, diu repromissionem, ac matrimonium protrahere. Ita Sanchez.

2. Sed contra illum stat Basilius Pontius *de matrim. lib. 12. cap. 4. num. 2.* vbi sic ait. Ego existimo nunquam esse posse promissionē futuri matrimonij gratuitam, & sine conditione repromissionis, & ex consequenti, si vnus promittat, neque alter repromittat tacitè, vel expressè, neutrum obligari: & affert rationem ex Gabriele Vasquez *in 3. part. tom. 4. disp. 4 de matrim. cap. 3. num. 33.* quia contractus matrimonij est instar contractus cuiusdam commutationis, & necessariò in se continet mutuam obligationem vtriusque, ita vt nemo velit, nec velle possit se tradere, nisi sub conditione, vt alter se ei mutuo tradat in compensationem, & obliget.

3. Ex his multa colligit Pontius contra Sanchez. Primò, promissionem futuri matrimonij non obligare ante acceptationem, neque ex iustitia, neque ex fidelitate. Secundò, sponsionem matrimonij factam infanti fauore illius non esse firmam, vel ratam, neque expectandum tempus, donec ille velit repudiare, vel acceptare. Tertiò, promissionem matrimonij etiam absenti fieri posse, neque in hoc seruatur stipulationis solemnitas: attamen antequam acceptetur ab absente, posse reuocari, & non obligare; nec posse stipulari aliquem pro alio in hac promissione, ita vt recedere non liceat promittenti. Vnde non satis est, neque pater, neque mater, neque frater, neque soror, neque alij ad acceptandum eius nomine. Quartò, si viro promittente matrimonium eam promissionem fœmina acceptet, contractum sponsaliorum valere, neque esse necessariam aliam repromissionem, quia cùm promissio matrimonij non sit nisi sub conditione repromissionis, neque esse possit ipso, quod aliquis acceptat, significat velle se in futurum contrahere, cùm non possit aliter promissionem acceptare, quæ est de matrimonio futuro. Hæc omnia Pontius aduersùs Sanchez; sed quia fuerunt viri doctissimi, saltem ex principio extrinseco, vnusquisque suam opinionem efficit probabilem, & tutam in praxi.

RESOL. CXLV.

Difficilis est illa quæstio, an si quis inualidè contraxit ob defectum consensus, vel cum impedimento dirimente, obtenta dispensatione, teneatur iterum consentire ante Parochum & testes? Ex part. 2. n. 35. & Misc. 1. Resol. 5.

§. 1. Aliqui affirmatiuè respondent apud Sanchez & Ceuallos *vbi infrà*, & nouissimè docuit hanc sententiam Basilius Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 6. n. 5.* Ioan. Guttierrez *tract. de matrim. cap. 76. num. 32.* Pet. Cenedo *in suis practicis quæstionibus qu. 30. n. 11. & in Collectaneis ad Decretales, Colleg. 58. n. 4.* Spino *in speculo testam. gl. 15. princ. n. 62.* Et ex Societate Iesv Paul. Comitolus *in suis responsis moral. lib. 1. quæst. 120. n. 3. & quæst. 122. n. 10.* qui affert se de hac controuersia dedisse litteras ad Patrem Stephanum Tuccium Romanæ Pœnitentiariæ Rectorem. Et cùm consuleret is Patrem Clementem VIII. Pontifex affirmatiuè respondit. Quare, addit Comitolus, post Apostolicæ Sedis adiudicationem, nemini est amplius integrum de hac re secùs opinari, & non solùm authoritate, sed etiam rationibus suadetur hæc opinio. Nam Concilium Tridentinum absolutè docet, matrimonia non posse validè contrahi, nisi coram Parocho & testibus. Ergo sublato impedimento requiritur etiam præsentia Parochi & testium, quando denuò celebratur matrimonium, cùm tunc verè contrahatur. Nec valet dicere quòd ex hac opinione sequerentur multa incommoda, præsertim scandalum: nam in tali casu non debent contrahi, sed petere dispensationem à Pontifice contrahendi sine præsentia Parochi, & testium ratione scandali.

2. Verùm contraria sententia probabilior est, & illam in praxi sæpiùs consului, quam amplexi sunt Andr. Victor. mutans sententiam *in Notis ad Manuale Martini Nauarri cap. 22. num. 70.* Franciscus Syluius *in addit. ad 3. part. D. Thom. quæst. 45. art. 2. quæst. 2. concl. 4.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 37. num. 3.* Posseuinus *de officio Curati, cap. 10. n. 24.* Rebellius *de oblig. iust. part. 2. lib. 3. quæst. 9. punct. 5. & 6.* Ægidius de Coninch *de Sacram. disp. 24. dub. 10. num. 83.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 31. cap. 23. num. 183.* & Bonacina *de matrim. quæst. 2. punct. 9. num. 5. & 6.* præter Doctores, quos ipse citat, & Sanchez *vbi supra.*

3. Dico igitur, quòd non tenentur iterum coram Parocho & testibus contrahere, qui semel coram eisdem contraxerunt, inualidè tamen ex defectu consensus, vel occultum impedimentum dirimens; sed satis erit, quòd rursus secretè verè consentiant, impetrata priùs dispensatione impedimenti, nisi periculum sit, vt detegatur ab aliquibus impedimentum, & probetur in foro externo; tali enim periculo existente, celebrandum iterum est coram Parocho & testibus, maximè si ipse tale impedimentum nossent, quantumcunque aliàs esset occultum, quia cùm ipsis constet in foro Ecclesiæ matrimonium esse nullum, non sunt testes valoris, sed nullius

ANTON
Operat
Tom. 1 & II
E III

tatis matrimonij. Ita DD. citati. Ratio nostræ conclusionis est, quia hic casus censetur iure ipso exceptus, nec comprehensus in generali Concilij Decreto. Nam, secundùm mentem Tridentini in illo loco, illud solum matrimonium dicitur clandestinum quod non potest probari in facie Ecclesiæ esse contractum: sed id, de quo agimus, non est tale, quia eodem modo potest probari in facie Ecclesiæ contractum, quo alia omnia. Ergo ex mente Concilij, nec clandestinum, nec irritum erit.

4. Restat modò respondere ad argumenta Comitoli. Ad primum dico, de illa responsione Clementis VIII. non constare authenticè, vel Summum Pontificem tunc respondisse, tanquam priuatum Doctorem. Ad secundum respondetur, negando, tale matrimonium esse omninò nullum, nam fuit quidem validum secundùm externam apparentiam, & quoad præsumptionem Ecclesiæ ignorantis impedimentum, in cuius facie contractum est. Ergo sufficit tantùm renouare consensum, & non adhibere præsentiam Parochi & testium, quia fuerunt præsentes externo contractui, & eorum præsentia requiritur, quando matrimonium contrahitur secundùm omnes partes, non verò quando suppletur aliquis defectus occultus. De hac tota quæstione vide etiam Zambranum *in suis decisionibus casuum conscientiæ, cap. 7. dub. 2.* & Ricium etiam *in suis decisionibus, part. 2. decis. 98.* & Hieronymum Ceuallos *in speculo aureo opinionum commun. quæst. 604. n. 28.*

RESOL. CXLVI.

An matrimonium nullum ratione consensus ex parte vnius reualidetur postea, si ipse solus consentiat? Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Resol. 87.

§. 1. QVædam mulier nulliter ex parte consensus matrimonium iniuit, post multum verò temporis copulam cum viro habuit, & intra se animum etiam habuit perficiendi matrimonium, post paucos verò dies amplius cum viro commiscere noluit. Sed cùm dicta mulier postea verè cum alio contraxisset, cùm confiteretur, sciuit ex illa Confessarius quòd tempore primi matrimonij in illud postea, vt dictum est, consensit, & cum viro copulam affectu matitali habuit, vnde noluit Confessarius illam absoluere, quæsierunt tunc à me quid faciendum?

2. Respondi quòd pro Confessario, & validitate primi matrimonij stat doctrina Sanchez *tom. 1. lib. 2. disp. 32. num. 12.* quam ego sequutus sum *in 3. part. tract. 4. resolut. 192.* cui etiam adde Coninck *de Sacram. disp. 24. dub. 10.* Henriquez *lib. 11. cap. 10.* & alios penes ipsos. Probatur hæc opinio, quia consensus illius, qui verè, & legitimè consensit, perseuerat habitualiter, ergo adueniente consensu illius qui fictè consensit, reualidatur matrimonium.

Quæ nunc hanc sequetur, & infra in §. vlt. Resol. 177.

3. Sed contrariam sententiam non minus probabilem esse iudico, quam tuetur Basilius Pontius *de matrimonio, lib. 4. cap. 24. & 25.* & Gaspar Hurtadus *de matrim. disp. 3. diffic. 9. & 10.* asserentes non sufficere, quòd ille, cui defuit consensus verus, & legitimus, de nouo consentiat, sed necessarium esse, quod vterque de nouo consentiat. Et ita respondit Clemens VIII. Rectori Romanæ Pœnitentiariæ Societatis. Ratio est, quia scilicet consensus illius, qui verè & legitimè consensit, cessat omninò adhuc habitualiter permanere statim, ac alter fictè & illegitimè consensit, quia qui verè consensit tantùm, consensit saltem implicitè vsque ad tempus, in quo alter fictè, aut illegitimè consensit, & non ad vlterius, & longius tempus, quia iam omninò superfluum iudicat, aut saltem, ex quo alter fictè, aut illegitimè consensit, absque dubio qui verè & legitimè consensit, desistit ab eo consensu, seu intentione, & voluntate contrahendi quia credit contractum iam esse perfectum, ergo vt reualideturde nouo contractus matrimonij, necessarium est vtrumque iterum de nouo consentire, ac proinde etiam, quòd vterque de nouo exteriùs exprimat consensum; quia nemo antiqua expressione expressit nouum consensum; sed hoc non accidit in casu, de quo loquimur. ergo. & ideo probabiliter consului potuisse supradictã mulierem absolui, & in secundo matrimonio relinqui.

RESOL. CXLVII.

Vtrum ad reualidandum matrimonium fictè contractũ, sufficiat adhibere consensum post longum tempus.

Et notatur, quod licet in contrahendo matrimonio non sit necessarium consensum vtriusque coniugis simul tempore præstari, tamen exigitur simultas moralis, ita vt non magnum interuallum inter vnius & alterius consensum distet, magnum enim interuallum est, quando annus intercedit. Ex part. 3. tract. 4. Resol. 291. alias 292.

§. 1. DE hoc casu olim interrogatus fui, nam quidam coram Parocho, & testibus, fictè matrimonium contraxerat, post autem decem menses verè, & ex animo contrahere volebat, quæsiuit à me, an post illud longum tempus sufficeret adhibere consensum, inscia neque de nouo consentiente vxore. Et tunc respondi affirmatiuè cum Sanchez *tom. 1. lib. 2. disp. 32. n. 12. & 13.* vbi sic ait. Tertiò infertur, satis esse fictè, vel metu consentiens pòst verè assensum præbeat, quocumque temporis spatio interiecto, quia quando vnius adfuit consensus, oportet alterum absque longa mora consentire, vt prior consensus virtute maneat; in nostro autem casu, non tantùm virtute, sed actu, & formaliter semper manet, cùm semper qui verè consensit, æstimet valere matrimonium, & alterum habeat coniugem, petens, & reddens debitum. Nec opus est, vt iterum coram Parocho, & testibus celebretur hoc matrimonium, quia id est necessarium, quando omnino celebratur matrimonium, hîc autem tantum suppletur defectus interni consensus, vel alius defectus occultus, & iam externo contractui astiterunt Parochus, & testes. Ergo, &c. Ita Sanchez, & alij penes ipsum, quibus ego addo Guttierrez *de matrim. cap. 46. n. 14.*

Sup. hoc lege doctrinã Resol. præteritæ.

Sup. hac inscia, &c. infra in Resol. 177. §. vlt. sed lege eam per totam, & si liber lege supra doctrinam Resol. 145.

2. Notandum est tamen hîc obiter, quòd licèt in contrahendo matrimonio non sit necessarium consensum vtriusque coniugis simul tempore præstari, tamen exigitur simultas moralis, ita vt non magnum interuallum inter vnius, & alterius consensum distet; magnum verò interuallum Bartholomæus Ledesma *de matrim. dub. 15.* putat esse, quando annus intercedit, Henriquez *lib. 11. cap. 3. num. 6.* quando biennium intercedit. Sotus verò *in 4. sent. dist. 27. quæst. 1. art. 3. vers. sed alia hinc nascitur*, & Lopez *in instr. part. 2. cap. 39. §. quando septennium.* sed meliùs Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 45. art. 3. dub. 2.* asserit hoc prudentis arbitrio relinqui, attentis particularibus circumstantiis. Verùm super hoc vide, si libet, Ægidium Coninch *de Sacram. disp. 24. dub. 7. per totum.*

RESOL. CXLVIII.

An qui fictè contrahit matrimonium, iterum teneatur vere, & ex animo contrahere?

Et

Et quid, si sit longe disparis conditionis in Nobilitate, aut diuitiis, quando re vera nullum signum adfuit, quo iudicari posset non serio promitti præter disparitatem?

Et cursim docetur, quod deceptor ad matrimonium non obligatur in multis casibus, & in §. vltimo huius Resolutionis quinque casus assignantur pro praxi? Ex part. 3. tr. 4. Res. 246. alias 247.

§. 1. NEgatiue respondet Martinus Ledesma 2. 2. *quæst.* 47. *art.* 4. nec multum ab illo differt Thomas Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 11. *num.* 5. docet enim si nullum damnum sequitur fœminæ, cum qua quis fictè contraxit matrimonium, non teneri iterum contrahere; secus tamen si damnum sequitur, vel infamia, vel, quia aliud iam inire non potest; nisi fortè sint disparis conditionis, putat enim ex nullo contractu cum fictione celebrato obligationem oriri, nisi ratione alicuius damni illati, non verò ex vi contractus.

2. Sed hanc sententiam refellit Basilius Pontius *de matrim. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. vbi sic ait. Mihi videtur, fictè contrahentem iterum teneri verè ex animo contrahere, quo quidem ita certum existimo, vt iudicem oppositum probabilitate carere; neque vllum alium quàm Martinum Ledesmam pro se citare potest Sanchez, vnde meritò improbabilem censet Ledesma *quæst.* 45. *art.* 4. *dub.* 5. & indubitatim Petr. Soto *lect.* 5. *de matrim.* §. *primum igitur*; tenet eam Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. qui omnium esse fatetur, olim tenit Ioan. Maior *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. Petrus Gregorius *lib.* 9. *synt. cap.* 5. *num.* 6. quia si opinio contraria admitteretur, latissima aperiretur via hominibus sceleratis ad decipiendas sæpe fœminas, si semel sibi persuaserint non teneri ad contrahendum. Ita Pontius, qui alias validissimas rationes adducit, ad hanc sententiam confirmandam, & *num.* 18. infert contra Sanchez, ita fictè contrahentem teneri iterum ad verè contrahendum, etiamsi sit longè disparis conditionis in nobilitate, aut diuitiis, quando reuera nullum signum adfuit, quo iudicari posset non serio promitti, præter disparitatem; disparitas enim illa conditionis non est argumentum huiusmodi doli, atque fictionis.

3. Sed licèt hæc omnia dicta sint à Pontio satis solidè, & probabiliter, tamen sententiam Sanchez non puto improbabilem, vt ipse Pontius existimat, & ideo illam tenet nouissimè Villalobos *in summ. tom.* 1. *tract.* 13. *diffic.* 6. *num.* 2. Layman *in Theolog. moral. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. licèt asserat, quòd compensatio damnorum plerumque alia ratione secundùm æqualitatem fieri non potest, nisi denuo verè contrahatur.

Pro parte aliquorum casuum huius §. lege infra doctrinam Resol. 151. per totam, & vide etiam alias ibi not.

4. Nota etiam cum Layman *ibid.* qui citat Syluestrum, Ledesmam, Henriquez, & Vasquez, quòd deceptor ad matrimonium non obligatur in multis casibus. Primò si decepta pro virgine se falsò iactauit. Secundò, si ex tali matrimonio scandala, & infelices exitus timeantur. Tertiò, si deceptor, vt dictum est, longè eminentiori statu positus sit. Quartò si decepta cognita deceptione, aliam damni compensationem sponte recipiat. Quintò, si deceptor aliud postea matrimonium, vero consensu contraxit.

RESOL. CXLIX.

An qui fictè promisit matrimonium, & sub ea spe fœminam cognouit, teneatur illam in vxorem ducere? Ex part. 5. tr. 14. & Misc. 2. Res. 32.

§. 1. ALibi cum Lessio, & communi sententia affirmatiuam sententiam docui. Non dest. 1. nam tamen hic adnotare Ioannem Præpositum in 3. alia 2. *part. D. Thom. quæst.* 9. *de sponsal. dub.* 4. *num.* 46 per to loquendo, contrariam sententiam docere, sic enim ait. Deduci videtur, quòd etiam is, qui sub spe copulæ alicui fictè matrimonium promisit, etiam obtenta copula, non teneatur illam ducere sepositio scandalo, & damno, quod aliter compensari non possit. Probatur, nam non tenetur ratione promissionis, vtpote fuit nulla, nec ratione damni cum illud aliter possit compensari, quàm per matrimonium, vt supponitur, & patet in ea, quæ vi est cognita, quam non tenetur in vxorem accipere is, qui vim intulit, sed potest aliter damnum reparare; sufficit ergo in casu nostro dare tali fœminæ, quantum moraliter requiritur, vt non censeatur damnum pati, & vt censeatur dari æquale rei ablatæ, quòd enim talis vir peccauerit decipiendo, non infert damnum taliter irreparabile, quàm per matrimonium, ergo non tenetur matrimonium inire ad illud reparandum, sed potest illud damnum iniustè per fictam promissionem illatum aliter compensare. Ita Præpositus. Sed in praxi non est recedendum à prima opinione tamquam communi, quam etiam docet Valquez *in* 3 *part. tom.* 4. *disp.* 6. *de matrim. cap.* 4. Mercenus *in* 3. *part. de Sacram. quæst.* 43. *dub.* 1. & Ochagauia *de Sacram. tract.* 1. *de matrim. quæst.* 6. *num.* 5.

2. Nota tamen quòd hæc opinio affirmatiua limitatur à Doctoribus variis modis, & Præpositus *vbi supra* aliquas limitationes adducit, ideo in casu contingenti vide illas, & præsertim Villalobos *in summ. tom.* 1 *tract.* 12. *difficult.* 3. *num.* 3.

RESOL. CL.

Ad quid teneatur, si quis corrupit Virginem decipiendo illam sub promissione coniugij?

Et cursim docetur, quod in multis casibus talis non tenetur ducere, & in textu huius Resolutionis adducuntur sex casus pro praxi præfatæ difficultatis. Ex part. 3. tract. 6. & Misc. 2. Resol. 81.

§. 1. HIc casus frequenter solet accidere, & respondeo, quòd si promisit coniugium, & ea spe, & conditione vsuram corporis impetrauit, tenetur eam ducere, etiam si fictè promisisset. In multis tamen casibus non tenetur ducere. Primò non solùm si ipse longè sit nobilior, sed etiam si sit multo longè opulentior, & puella id sciuerit, & secundùm aliquos etiam si non sciuerit. Nam in his casibus facilè suspicari potest, virum simul latè coniugium promittere, vt ea fruatur. Secundò si ex aliis coniecturis facilè deprehendi poterat ipsum non sincerè agere, vt verbis ambiguis vti, inconstanter loqui, nimiis vti exaggerationibus, &c. Tertiò si aliquod impedimentum legitimum interuenerit, vt si fiat eius affinis, si ducat aliam per verba de præsenti, si sacros Ordines suscipiat, si graue aliquod damnum, vel scandalum ex tali matrimonio sequeretur. Quartò si illam contingat postea cum alio fornicari, & in hoc casu non tenetur illi alter satisfacere. Quintò si asserenti se virginem promisit nuptias vt ea potiretur, & postea deprehendat non esse virginem. Sextò si putabat esse virginem, & in coitu deprehendat retuera non fuisse, quamuis ex eius verbis deceptus non fuerit, & in hoc casu non solùm tenetur ducere, sed etiam probabilissimum est, quòd neque tenebitur pecunia compensare, quia ex vi promissionis solùm obligatur ad eam ducendam, quæ obligatio

obligatio cessat ex eo quòd deprehendat non esse virginem ; si verò sciebat non esse virginem , & promisit ei matrimoniũ fictè ad obtinendam copulam, ea secuta tenebitur illam ducere si ipsa velit ; mihi verò placet contraria sententia , si non timetur infamia , quare sufficiet compensare pecunia. Et hæc omnia cum suis rationibus inuenies apud Sanchez *de matrim. tom.*1. *lib.*1. *disp.*10.& Lessium *lib.*2. *cap.*10. *dub.*3. *per totam.*

RESOL. CLI.

An deflorator virginis sub spe coniugij teneatur illam ducere ?

Et an , qui sic virginem defloravit , satisfaciat constituendo illi dotem sufficientem ad supplendum defectum defloratonis ?

Et an hoc à fortiori procedat, quando contrahentes sunt inæquales ?

Et an qui fictè promisit , si in iudicio interrogaretur, an promiserit, non possit negare se promisisse; vel an possit in tali iuramento vti æquiuocatione negando promissionem, intelligendo ita vt teneatur, &c.

Idem est in aliis similibus. Ex part. 11. tr.6 & Misc.6. Res.55. alias 54.

Sup. hoc in Res. præterita, & in aliis eius not.

§.1. REspondeo quod Sanchez *lib.* 1. *disp.* 10. & Vasquez *disp.* 6. docent , eum qui sub spe promissionis , quamuis tantum verbalis , defloravit virginem, teneri determinate eam ducere in vxorem, & non satisfacere iuuando ad nuptias illi alias æquales. Primò , quia iste , quamuis solùm verbaliter, verè tamen promisit sub conditione defloratonis, quæ impleta fuit , ergo tenetur stare promissis. Secundò, quia iste verè intulit damnum virgini contra eius voluntatem, quæ solùm consensit sub conditione promissionis matrimonij verè, & non fictè : ergo tenetur ex iustitia ad matrimonium , quia quamuis damnum defloratonis possit pecunia compensari, non tamen iniusta deceptio , nisi eam in vxorem ducendo.

2. Et ita hanc sententiam tenet Lessius, Vasquez, & Molina, Cardinalis Lugo *de instit. tom.*1. *disp.*22. *tract.*2. *n.*20. Hurtadus verò *de matr. disp.*1 *difficult.*12. *n.*45. existimat prædictum teneri ex fidelitate ad eam ducendam in vxorem , quamuis sit multò nobilior, quàm illa : ex iustitia tamen ad id non teneri, sed satisfacere, si damnum defloratonis recompenset, aut constitutione dotis sufficientis , aut aliter.

3. Ex quibus deducit Hurtadus , prædictum teneri tantùm sub veniali ad ducendam virginem defloratam , quia tantùm tenetur ad id ex fidelitate ratione promissionis verbalis : teneri tamen sub mortali si eam non ducat ad satisfaciendum damno defloratonis dote, aut aliter: quia ad id tenetur ex iustitia ratione damnificationis iniustæ. Quod si omnino fictè promitteret , (ideſt si non proferret verba promissionis , sed simularet ea proferre) non tenetur ex fidelitate ad illam ducendam ; quia non promisit verè adhuc verbaliter: teneretur tamen ex iustitia ad satisfactionem damni ratione damnificationis iniustæ.

4. Sed his non obstantibus , satis probabiliter ego puto cum D. Antonino , Bartholomæo , Ledesma, Bonacina , quos citat , & sequitur doctissimus, & amicissimus Pater Martinus Perez *de matrim. disput.* 2. *sect.* 3. *num.* 2. eum qui sic virginem defloravit, non teneri eam in vxorem ducere , sed satisfacere constituendo ei dotem sufficientem ad supplendum defectum defloratonis. Moueor , quia ille nullam incurrit obligationem ratione promissionis, nam fuit ficta ; & ex promissione ficta præcisè non oritur obligatio , vt constat ex superioribus ; ergo solùm ratione damni illati; ergo si damnum sine matrimonio resarciri potest, vt verè potest dando sufficientem dotem , qua nubat viro sibi simili in qualitate, non est necesse, vt matrimonio resarciatur. Firmo : nam aliàs ex doctrina , & fundamento Sanchez apertè sequi videtur , eum , qui fictè promisisset matrimonium fœminæ , sub conditione verè repromissionis , si fœmina repromitteret , teneri ex iustitia illum verè contrahere ; quod tamen negat Sanchez. Quia, vel teneretur ratione promissionis, & hoc non, quia ficta promissio non obligat, vel ratione damni, & hoc etiam non , quia nullum secutum est , vt supponitur : ergo signum est , quod quando defloratur virgo ex ficta promissione , solùm præcisè oritur obligatio, quia secutum est damnum. Nam si nullum esset secutum , nulla esset orta obligatio ; ergo si damnum defloratonis resarciri potest dotando , vel augendo dotem , qua possit æquè bene nubere , ac si defloratа non fuisset , non tenetur eam ducere. Quod si accideret , vt in aliquo euentu tale damnum aliter euitari non posset ratione scandali , nisi nubendo ; tunc teneretur per accidens stare promissioni, & complere sponsalia.

5. Et hæc sententia contra vtrumque Pontium , Basilium , & Ioannem , ille *de matrim. lib.* 1. *cap.*2. §. *vnico num.* 25. Hic *in curs. Theolog. disp.* 32. *quæst.*7. *conclus.*3. *num.*44. à fortiori procedit , quando contrahentes sunt inæquales , vt si defloratur esset vir nobilis , etiam est non solùm sub spe coniugij , sed etiam sub spe conditionata virginem defloraverit. Et ita cum Corduba , & aliis tenet Perez, *vbi supra sect.* 4. *num.* 31. & Hurtadus *num.* 48. Negandum est igitur istam esse veram promissionem, & ideo non teneri nisi ad compensandum pecunia, vel alia re damnum illatum. Quia nec tenetur ad eam ducendam ratione promissionis , quæ fuit ficta, & inualida ; nec ratione iniustitiæ, & iniuriæ illatæ, quia iustitia non obligat ad restituendum plus , quàm damnum æstimatur, sed damnum ablatæ dolo virginitatis non tanti æstimatur , ac virum notabiliter digniorem , eam fœminam ducere : ergo nulla ratione tenetur. Optima etiam est ratio , quam adducit Sanchez quando in contractu est inæqualitas , fictè promittens non tenetur integrè implere, sed æquale reddere: sicut promittens meretrici valdè superfluum in sui corporis pretium , fictè tamen, non tenetur ex iustitia habere consensum reddendi nisi æquale. At in præsenti casu promissum matrimonium est multo inæqualius defloratione : non ergo tenetur ad id fictè promittens. Quare sicut si legitimum interuenerit impedimentum , vt si vir sit sacris initiatus , ante , vel post defloratonem , vel matrimonio adstrictus , vel si aliquod graue damnum , aut scandalum ex matrimonio timeatur , satis erit damnum resarcire. Ita in præsenti.

6. Nota etiam hîc obiter contra Basilium Pontium, *vbi supra cap.* 2. *num.* 17. dicentem , eum qui fictè promisit , si in iudicio interrogetur an promiserit , non posse negare se promisisse : Contrarium iudico verius cum Nauarro , & aliis , quos refert, & sequitur Sanchez *disput.* 10. *num.* 27. & 28. Ratio est , quia non tenetur ille promissione , atque adeo , cùm iudex roget , vt ad matrimonium debitum cogat , sensus interrogationis est , promisisti matrimonium , ita vt tenearis ? verè ille respondet non promisi, intelligendo ita vt teneat. Idem dico quoties quis verè promisit matrimonium,

sed non tenetur seruare fidem ob aliquam causam, vt quia altera fornicata est: potest enim iuramento negare promissionem, intelligendo, ita vt teneatur. Quod etiam intellige, quoties causa non implendi promissum non solùm est certa, sed solùm iudicio sapientum probabilis: quia tuta conscientia innitens opinioni probabili, potest se non obligatum existimare, atque adeò potest iurare se non promisisse, ita vt teneatur. Totum id firmat Sanchez optimis exemplis, quidquid dicat Basilius, vt de illo interrogato à Iudice, an mutuò receperit nummos, quos iam verè non debet, qui potest iurare, se non recepisse, quia non recepit, ita vt nunc soluere teneatur: de Clerico, qui interrogatus, an portet aliquid, de quo gabellam debeat, potest iuramento negare, intelligendo, se nihil portare, ex quo gabellam debeat: de eo qui venit ex loco non infecto peste, quem tamen custodes falsò putant esse infectum; potest enim iurare, se ex eo non venire, intelligendo ex eo peste infecto, vt custodes rogare debent. Similiter ergo in præsenti potest fictus promissor sub iuramento negare, se promisisse, sub intellecta ea conditione non promisi, ita vt teneat implere, quia vt iam probatum est, non tenetur.

RESOL. CLII.

Quis libidinis causa rapuit virginem, & adhuc in sua potestate existente, cum illa matrimonium contraxit, quæritur, an fuerit validum?

Et notatur in Concilio Tridentino solùm eam raptus speciem puniri, per quam vis infertur puellæ, non autem parentibus: Vnde si illa consentiat, etiamsi rapiatur vim parentibus inferendo, validum erit matrimonium. Ex p.3. tr.4. Res.260. alias 161.

Sup. hoc in Res. seq. §. vlt. & in to. 9. tr.2. Res. 344. §. 2. & seqq.

§. 1. NEgatiuè respondet Emanuel Sà *ver. matrimonium. n.9.* vbi sic ait: Inter raptorem, & raptam etiam alia causa, quàm vt vxor ducatur, quandiu est in potestate raptoris, non potest fieri validum matrimonium. Ita ille, & ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem testatur.

2. At ego contrariam sententiam teneo, cum Sanchez *tom.2.lib.7.disp.13.num.4.* vbi asserit decreto Concilij Tridentini *sess.24.cap.6.de reformat. matrimon.* solùm comprehendi raptum, qui fit causa contrahendi matrimonij; non item ad exercendam libidinem. Et hanc sententiam probabilem esse docet Coninch *de sacrament. disput.31. dub.3. num.48.* & pro ea adducit Mazilla aliam Cardinalium declarationem.

Sup. hoc in §.1.not.præteritæ.

3. Notandum est etiam hîc obiter contra Sà *loco cit.* Henriquez *lib.12.cap.14.n.4.* & alios in dicto Concilio Tridentino solùm eam raptus speciem puniri, per quem vis infertur puellæ, non autem parentibus. Vnde si illa consentiat, etiamsi rapiatur vim parentibus inferendo, validum erit matrimonium; nam intentio Concilij fuit per illud decretum succurrere libertati matrimonij, ne id mulier inuita contrahere cogatur, sed hoc non accidit quando illa consensit; ergo, &c. Ita hanc sententiam docet Sanchez *vbi supra, num.3.* & probabilem putat Coninch *loco citato*, & tenet Filliucius *tom.1. tract.10. part.2. cap.8. num.265.*

RESOL. CLIII.

An raptus, quo fœmina rapuit virum, dirimat matrimonium?

Et an raptus irritet etiam sponsalia?

Et notatur, quod raptus, puella consentiente, parentibus tamen inuitis, non dirimit tamen matrimonium, quamuis contraheret tempore quo est in potestate raptoris. Ex p.10.tr.16.& Misc.6.Res.83.

§.1. DE hac quæstione olim mihi magna altercatio fuit cum quodam Theologo nationem Gallo, qui mordicus affirmatiuæ sententiæ adhærebat, quam præter alios tuentur tres ætatis nostræ inclyti Theologi, Pater Macratius *disp.10. de matr. sect.2.* Pater Auersa *de matr.quæst.12.sect.3.* Pater Martinon *de sacram.tom.5.disp.76.sect.5. num.64.* quia Concilium voluit suo isto decreto consulere libertati matrimonij, efficereque, vt non nisi liberè contrahatur: qua de causa dicit idem Auctor sufficere consensum puellæ, licet parentes dissentiant, & repugnent eius abductioni: quia Concilium non habuit rationem consensus eorum, sed ipsius puellæ abductæ propter matrimonium. Atqui libertas matrimonij non minus violatur, si mulier rapiat virum, quàm si vir rapiat mulierem: & de vero consensu legis iudicandum est ex ratione verbis illius expressa, quæ est velut ipsius anima: ergo, &c. Nec obest quod Concilium loquitur semper in genere masculino. Hoc enim facit, quia communiter raptus à viris contingit, & vix vnquam à fœminis. Io odiosis autem, & pœnalibus fœmininum elimitur sub masculino, quando ratio per legem expressa est vtique communis: ac generaliter lex pœnalis extenditur ad alium casum similem in lege non expressum, propter similitudinem rationis lege satis expressæ, vt docet Panormitanus *cap.Translato, de constitut.* Et communiter iuris vtriusque interpretes. Confirmatur ex *leg.vnica, C. de raptu virginum*, quæ licet in masculino loquatur; tamen apertè significat fœminas sub eo intelligi, & comprehendi pœnis contra raptores ibi statutis, §. *& si quidem, vers. pœnas*, his verbis: *Sed & si quis inter ministeria seruilis conditionis fuerit comprehensus, circa sexus discretionem, &c.* Neque obstat, quod ibi loquatur de ferentibus opem raptori. Nam si fœmina raptui cooperans comprehenditur pœnis illis, vt verba relata clarè significant, quanto magis fœmina raptrix debet illis comprehendi, iuxta intentionem legislatoris, & veram sensum legis? Quippe quæ grauius delinquit in eadem materia, & in eadem actione sub his pœnis prohibita. Non obstat etiam, quod iniuria vitio rapto facta, minor sit, quia non propterea desinit esse valde grauis, & iniuriosa, illiusque pœnis satis proportionata.

2. Verùm his non obstantibus negatiuam sententiam tenent Sanchez *lib.7. disp.12. num.25. & disp.13. num.16. & in sum. tom.1. lib.4. cap.4. num.3.* Gaspar Hurtadus *disp.23. diffic.3. num.12.* Rebellius *part.2. quæst.3. & qu.11. num.6.* Reginaldus *tom.2. lib.31. num.165.* Præpositus *in 3. part. quæst. impedim. matrimon. dub.16. num.147.* Pontius *lib.7. cap.69. num.6.* Petrus à S. Ioseph *in Theolog. Sacram. cap.39. resol.2. in fine*, & alij penes ipsos, asserentes quod si mulier iuuenem, vel alium rapiat per suos matrimonij ineundi causa, isque in matrimonium liberè consentiat, antequam separetur, omnino subsistet matrimonium, ratio est, quod Tridentinum non videatur agere de fœmina, vtpote quæ vix vnquam raptum soleat committere, sed solùm de raptu, qui in ordine ad matrimonium à viris frequenter committi solet. Confirmatur primò, nisi lex sufficienter exprimat, non soleat comprehendere casus omninò rarò contingentes, sed est de communiter contingentibus. Confirmatur secundò, lex Ecclesiastica de raptu

&

& proinde lex Trident. videtur respicere ad legem ciuilem, & secundum illam intelligenda; atqui *lex vnica, C. de raptu.* Non videtur intelligi de raptu per fœminam facto.

Quid ego sentiam dicam breuiter: Prima opinio videtur mihi satis probabilis, sed quia secunda est magis communis inter Doctores, videtur mihi probabilior, & illi adhæreo.

3. Sed hîc obiter quæro, An raptus irritet etiam sponsalia; & affirmatiuè respondet Cornejo *in 3. part. D. Thomæ, tract. 6. de impedim. matrim. dub. 38. qu. 4.* Nec obstat dicere, quod decretum irritans matrimonia clandestina, non extenditur ad sponsalia, vt dictum est, ergo nec decretum irritans Matrimonium cum raptu. Respondeo, nego consequentiam, quia respectu raptus militat eadem ratio in Matrimonio, & sponsalibus, scilicet defectus talis libertatis, secus verò in contractu clandestino, vt diximus agendo de sponsalibus.

Sup. hoc in Resol. præterita, & in alio §. eius primæ not.

4. Nota hîc etiam, quod raptus, puella consentiente, parentibus tamen inuitis, non dirimit Matrimonium. Ita probabiliter docet Corneio *vbi supra, quæst. 3.* & alij, quos citat, & sequitur Leandrus *de Sacram. tom. 2. tract. 9. disp. 2. quæst. 3.* quia quamuis iste sit verus raptus ratione iniuriæ, quæ parentibus irrogatur, quam puella remittere non potest; tamen, quia finis Concilij est cauere, ne puella metu consentiat, qui in hoc casu cessat, ideò Matrimonium erit validum, quamuis contrahatur tempore, quo est in potestate raptoris. Et confirmatur; quia consensus Parentum non requiritur ad valorem Matrimonij, nec Concilium petit; quod parentibus restituatur, aut eorum consensus expectetur, sed solùm, quod in loco tuto ponatur, vt planè libera maneat. Et ita hanc sententiam tenet etiam Martinus de San Ioseph *in Mon. Confess. tom 1. lib. 1. tract. 40 de matrim. n. 6.* & Caspensis *in Curs. Theol. tom. 2. tract. 26. disp. 9. sect. 14. num. 95.*

RESOL. CLIV.

An si deprehensus in stupro offerat matrimonium, ne prodatur iustitiæ, non obstante tali metu, teneatur illud matrimonium in conscientia adimplere?

Et quid, si metu mortis à Patre, vel consanguineis inferendæ matrimonium offerat?

Et quid est si deprehensus in adulterio metu mortis offerat matrimonium cum aliqua consanguinea mariti?

Et notatur, si aliquis minister iustitiæ eum, quem iuste ad mortem, vel aliam pœnam grauem, damnare debuerat, impunitate oblata, inuitet, vt eius filiã ducat in vxorem, tale matrimonium non valere, secus autem si illi, qui capite plectendus ob homicidium probatum legitimè, promittatur impunitas si ducat filiam, vel vxorem occisi. Ex part. 3. tract. 4. Resol. 227. alias 228.

Sup. hoc supra ex Resol. 139. lege doctrinam §. 1. & in tom. 3. tr. 1. Resol. 91. prope finem, à vers. Tertia, si vider.

§. 1. HIc casus olim accidit, & de illo interrogatus respondi affirmatiuè cum Basilio Pontio *de matr. lib. 4. cap. 19. n. 10.* vbi sic asserit: Si deprehensus in stupro offerat cõsanguineis matrimonium cum illa, vel in adulterio deprehẽsus, offerat matrimonium cum aliqua consanguinea mariti, non valet, dummodo id faciat metu mortis inferendæ à consãguineis, vel à viro. Is enim metus esset illatus iniustè, cùm non possint iustè occidere, sed tantùm comprehendere, & iudici prodere. Valet autẽ in eo casu matrimonium huiusmodi, quia offertur, vel exigitur in præmium ne prodatur, vel accusetur, quod iustè facere poterant, quia ibi potissima est iniuria consanguineorum, vel mariti, & eò tendere debet iudicis sentẽtia, vt iniuria compensetur. Quare si sine sententia cõpensationem offert, quam Lessius iudicat sufficientẽ, nihil agitur contra bonos mores. In quo vides latum esse discrimen inter hunc casum, & eos de quibus agitur *in l. timorem, & in l. isti quidem ff. de eo quod metu causa.* Hæc Pontius, ex quibus in casu occurrenti videbit Confessarius, an matrimonium oblatum fuerit metu mortis inferendæ, vel ne proderetur iustitiæ. In primo casu respondebit matrimonium esse nullum, secus autem in secundo casu, quia in primo casu metus incutitur iniustè non autem in secundo. Et hæc valde notentur, quia sæpiùs in praxi solent accidere.

2. Notandum est tamen hîc obiter, quod si aliquis minister iustitiæ, cum quem iustè ad mortem, vel aliam pœnam grauem damnare debuerat, impunitate oblata inuitet, vt eius filiam ducat in vxorem, tale matrimonium non valere. Et ratio patet ex dictis, quia ille re vera in tali casu infert metum iniustè, abutiturque potestate, cùm non fiat vlla delicti compensatio, ratione cuius metus iustè possit inferri. Et ita docet Rebellus *part. 2 quæst. 11. sect. 2. n. 14. & 15.* Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 19. n. 13.* licèt contrariam sententiam doceant Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 12. num. 10.* & Coninch *de Sacram. disp. 28. dub. 1. concl. 3. n. 10.* Secus autem dicendum est, si illi, qui capite plectendus est ob homicidium probatum legitimè, promittatur impunitas, si ducat filiam, vel vxorem occisi; nam in tali casu adest compensatio iustè facta per Iudicem. Idem dicendum est, si Iudex deprehenso in homicidio, vel alio crimine, propter quod iustè possit occidere, minetur mortem, & per se tantùm intendat pro crimine supplicium sumere, tu verò vt mortem euadas, sponte eandem fœminam poscas in vxorem, quamuis scias, non aliter condonandam esse pœnam, matrimonium valet. Et hæc omnia docet Pontius *loco citato.*

Sup. hoc in Resol. 1. not. præteritæ §. 2. ante medium. à vers. Vnde.

RESOL. CLV.

An qui post votum Religionis, vel Castitatis corrupit fœminam sub pacto coniugij, teneatur illam ducere?

Et an in dicto casu teneatur talis contrahere, sed ante consummationem debeat ad religionem transire? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 202. alias 203.

Sup. hoc in duab. seqq. Resol. & supra in Resol. 28. §. Sed quid, post medium.

§. 1. AFfirmatiuè respondent Doctores, nempè quòd si quis post votum Religionis, aut castitatis virginem corrupit sub spe & pacto coniugij, vel aliam fœminam honestæ famæ, tenetur illam ducere, & consummare, nisi ea gratis remittat obligationem; aut alia via illi satisfactione præstita, liberè consentiat. Et ita inter multos docet Vasquez *opusc. de restit. cap. 3. §. 2. dub. 6. num. 20.* & Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 45. num. 3.*

2. Notandum est tamen, vt bene aduertit, & docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 6. cap. 12. n. 9.* quod probabile est, si talis tenebatur voto Religionis, teneri quidem contrahere, sed ante consummationem debere ad Religionem transire. Ratio probabilitatis hæc est, quia potest commodè vtrique obligationi satisfacere Iustitiæ, contrahendo: sic enim resarcitur damnum illatum illa deceptione. Voto autem, transeundo ad Religionem. Cùm ergo commodè possit vtrique satisfieri, non est cur dicamus, obligationem voti Religionis aut cessare, aut differri. Ita Pontius.

Sup. hæc cõsummatione in Resol. 1. not. præteritæ, ad lin. 5.

RESOL. CLVI.

An qui prius emisit votum Castitatis, aut Religionis, & postea fœminam defloravit, fide data contrahendi

cum ea, teneatur eam in uxorem ducere, vel votum adimplere?

Et an in prædicto casu iste teneatur contrahere, sed ante consummationem debeat ad Religionem transire? Ex part. 5. tr. 14. & Misc. 2. Res. 38.

Quæ hic est Res. antecedens, & in aliis eius primæ annot.

§. 1. EGo ipse *in 3. part. tr. 4. res.* 203. adduxi circa præsentem dubitationem opinionem Sanchez, asserentis teneri eam ducere; adduxi etiam opinionem Pontij aientis, quòd si talis tenebatur voto Religionis, teneri quidem contrahere, sed ante consummationem debere ad Religionem transire. Et licèt hæ opiniones sint probabiles, nunc verò aliam non minus probabilem adducam; nempe huiusmodi hominem non posse licitè matrimonium contrahere, sed debere ad Religionem confugere, aut castitatem seruare. Et ita docet Petrus Ochagauia *de Sacr. tract. 1. de matr. quæst. 18. n. 12.* quia posterior obligatio non potest derogare priori, quando sunt eiusdem generis; vt si ego promitto Petro priùs meum pallium, & postea illud Francisco etiam promitto, etiamsi Franciscus aliquid pecuniæ mihi dederit pro tali spe, pallium nihilominus debetur Petro, & non Francisco. Sed vouens promisit Deo corpus suum, ergo licèt postea illud permittat fœminæ, sub eáque spe corpus eius in copulam acceperit, priorem promissionem prævalere necessum est. Secundò probatur, quia iste non tenetur ducere vxorem ratione promissionis, quia hæc nulla est, cùm sit illicita, & contra votum, neque etiam ratione damni illati, quia hoc damnum potest resarciri media pecunia, quæ sua est, & non medio corpore, quod suum quodammodo non est, sed Deo debitum per votum. Et hæc omnia docet Ochagauia *loc. cit.* Vnde cùm omnes supradictæ opiniones, vt dixi, sint satis probabiles, in casu occurrenti eligat quis quam maluerit.

RESOL. CLVII.

An qui prius votum Religionis, aut Castitatis emisit, virginem defloravit cum promissione matrimony, teneatur ad matrimonium, vel potius ad votum? Ex part. 3. tract. 4. Res. 279. alias 280.

Sup. hoc in duabus præcedentibus Res. & supra in Resol. 28. 5. Sed quid, post medium.

§. 1. REspondent communiter, quòd non obstante voto tenetur ad contrahendum matrimonium, si puella votum promittentis ignorauit, quia ingressus religionis iam factus est ei illicitus, non enim potest ingredi, nisi grauem iniuriam irrogando puellæ. Ergo, &c. Deinde iustitiæ vinculum fortius est, quàm charitatis, sed ob charitatis vinculum superueniens non potest quis ingredi religionem, vt ratione parentum indigentiæ. Ergo à fortiori propter vinculum iustitiæ, quale est hoc de quo loquimur. Et ideo hanc sententiam tenet Lessius *lib. 2. cap. 10. dub. 4. num. 32.* Reginaldus *tom. 2. lib. 31. cap. 36. n. 258.* Coninch *de Sacr. disp. 23. dub. 3. concl. 6. n. 24.* Vasquez *opusc. de restit. cap. 3 §. 2. dub. 6. n. 16. & seq.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 45. n. 3.* Guttierrez *de matrim. cap. 25. n. 7.* & alij. Hæc sententia est probabilis.

2. Sed contrariam etiam esse probabilem concedit ipse Sanchez, & Guttierrez *vbi suprà*, & ego talem esse existimo, quia in tali casu deflorans virginem, non tenetur ratione promissionis, quia nulla fuit, tanquam promissio rei illicitæ contra votum; neque etiam ratione damni, quia violans virginem nuptiis non promissis non tenetur eam ducere, sed aliter satisfacere. Sed idem est non adesse promissionem, vel eã esse nullam, vt est in casu nostro. Ergo, &c.

3. Nec obstat dicere fictè promittentem teneri ratione damni puellam defloratam ducere, vt multi asserunt, cùm tamen promissio nulla fuerit, quia respondeo, quòd in eo casu tenebatur verè promittere, in nostro autem non poterat obstantibus votis; & ita hanc sententiam tenet Nauarrus, & Rodrigues, quos citat, & sequitur nouissimè Layman in *Theol. moral. lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 2. n. 5.* Cùm enim (ait ille) per votum prius Deo ius acquisitum sit, non potest vouens illud propria libertate tollere, maiorem cum altero obligationem contrahendo, aut tantum voto contrarium suscipiendo.

4. Ad argumenta verò contrariæ sententiæ posset quis respondere, quòd parum vrgent; nam ista primò sumitur apertè quod probandum est, scilicet talem plus obligari illi fœminæ, quàm Deo per votum. Ad secundum respondet Suarez *lib. 4. de voto cap. 3.* negando iustitiam fortius obligare, quàm votum; grauius enim peccat, quàm qui in eadem materia violat iustitiam. Igitur dicendum est vtramque sententiam ex supradictis satis probabilem esse; vnde si quis habens votum Religionis, defloraut virginem cum promissione coniugij, potest vel tale matrimonium contrahere, vel Religionem ingredi.

RESOL. CLVIII.

An qui post votum Castitatis contraxit matrimonium, teneatur ante consummationem ingredi Religionem, quando id est necessarium ad seruandum votum; nempe quando alter coniux non vult Castitatem seruare?

Idem dicendum est, si votum Castitatis emittatur post matrimonium ratum.

Restant etiam nonnulla circa votum suscipiendi Ordines sacros, in quibus inuoluitur votum Castitatis; circa votum ingrediendi Religionem, & circa votum non contrahendi matrimonium, si post prædicta quis contraxit, quid est faciendum explicatur. Ex p. 11. tr. 5. & Misc. 5. Res. 40.

§. 1. AFfirmatiuè respondet D. Thomas, Scotus, & alij, quos affert Coninch *de Sacrament. disp. 34. dub. 5. n. 34.* quia ille tenetur in quantum possit seruare votum castitatis: Sed iam non est aliud medium præter ingressum Religionis, & in eis angustias, vt nullum iam aliud medium sit præter ingressum religionis, ipsemet sua voluntate se includit, ergo tenebitur hoc medio vti, ne cogatur ab altero coniuge debitum reddere, atque adeò non seruare integram castitatem.

Verùm mihi negatiua sententia magis placet, quam tuetur Perez *de matr. disp. 61. sect. 3. n. 2.* Dicastillus *de Sacram. tom. 3. tract. 10. disp. 9. dub. 10. num. 111.* Sanchez, Pontius, Hurtadus, & alij penes ipsos.

2. Dico igitur, prædictum coniugem voto castitatis ligatum ante contractum matrimonium non teneri ante consummationem ingredi religionem ad illud votum implendum, sed posse matrimonium consummare, non exigendo, sed reddendo; Probo id primò, quia iste non vouit religionem ingredi; ergo non est ad id cogendus, vt possit seruare castitatem; quia vt huius voto satisfaciat, non tenetur suscipere medium tam arduum, ac difficilius re ipsa quam vouit. Sicut si quis habitans Romæ vouisset peregrinationem ad Virginem Lauretanam, si posset transferret domicilium ante impletionem voti in Indias, tametsi peccaret, tamen hoc facto non obligaretur voto, quia contrarium esset nimis durum, ac moraliter impossibile.

3. Secundò, nemo tenetur rem inferioris ordinis

commutare

compensare cum re superioris ordinis meritissima, vt qui debet pecuniam, quam absque vitæ, vel famæ detrimento restituere nequit, excusatur. At talis religio respectu continentiæ promissæ: quamuis enim religio sit magnum Dei donum; id tamen est sponte eligenti. Vnde negari non potest esse grauissimum onus, & tale, vt nemo sit illud subire compellendus, nisi se expressè obligauerit, & constat statum religiosum nisi sponte suscipiatur, difficiles solere exitus habere. Denique id manifestè ostenditur ex Extrauaganti Ioan. XXII. *Antiquæ concertationi de voto*; in qua decernit, eum, qui post contractum matrimonium ante consummationem inuita vxore fuerat sacris initiatus, inducendum quidem, non compellendum vt Religionem ingrediatur; nolentem autem ingredi, compellendum vt petente sponsa matrimonium consummet; cùm tamen talis suscipiendo Ordinem Sacrum obligauerit se voto castitatis. Hæc enim sunt verba Pontificis: Ad ingressum huiusmodi (nempè Religionis) sic ordinatum, si matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus & induci: quod si forsan renuerit adimplere ipsum, si sponsa eius institerit, per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus contractum matrimonium consummare. Vbi Glossa verb. *renuerit adimplere*, ait, Pontificem expressè supponere, licere illi renuere; quia aliàs non eius voluntati id relinqueretur, sed potius compelleretur. Si igitur ex hac decisione constat coniugem promotum ad ordinem Sacrum, post matrimonium ratum, cùm possit castitatem in eo promissam obseruare religionem ingrediens, ad id non teneri, à fortiori non tenebitur qui ante matrimonium vouerat castitatem. Quare cùm ille sit compellendus reddere debitum per Ecclesiasticam censuram post bimestre iure concessum, vt ibi deciditur, manifestum est illum non peccare, reddentem, sed potius si debitum negaret, verè peccaret. Hoc argumentum adeò efficax esse censetur, vt meritò dicat Basil. Pontius, se non videre, quomodo stante dicta Pontificis decisione, sententia opposita defendi queat.

Quamuis non plene sup hoc, lege tamen infra, & non pigebit doctrinâ Res. 164. per totam.

4. Et ideò cùm Perez idem dicendum esse puto; Si votum castitatis emittatur post matrimonium ratum. Probatur rationibus numero præcedenti adductis, maximè decisione dictæ extrauagantis, vbi dictum est; Deciditur sic sacris initiatum non teneri ad religionem, vt votum obseruet. Addo non teneri ingredi religionem, etiamsi velit alter coniux cedere iuri suo, abstinens à debito petendo, nisi expressè voluisset, dum castitatem sic vouit, se ad religionem obligare, quamuis sciret non posse castitatem quam promisit obseruare, nisi ingrediendo religionem.

5. Sed pro Confessariis, & pro praxi hîc restant nonnulla circa votum suscipiendi Sacros Ordines, in quibus inuoluitur votum castitatis, & circa votum ingrediendi religionem, & circa votum non contrahendi matrimonium.

Sup. hoc infra in fine Res. 219.

6. Et ideò circa primum, assero cum Dicastillo *vbi suprà n.* 115. quod licet per votum suscipiendi sacros Ordines emissum ante matrimonium, contractus ipse matrimonij reddatur illicitus, si fiat animo non ingrediendi religionem; actus tamen coniugij illicitus non est; neque actus petendi; quia qui post tale votum contraxit, non tenetur religionem ingredi; cui obligationi, si esset, posset obstare actus primus, quo matrimonium consummatur. Quando autem votum illud sit post contractum, non redditur illicitus actus coniugalis primus; nisi quando vouens tunc aduertebat votum non posse implere, nisi religionem ingrederetur.

7. Circa secundum votum ingrediendi Religionem obseruandum est primum, actum coniugalem, quo matrimonium consummatur, reddi illicitum ipsi vouenti, nisi moralis certitudo sit, quod alter coniux daturus sit facultatem ingrediendi religionem, & præstiturus omnia quæ requiruntur, vt possit tale votum implere. Ratio est, quia in eo primo actu, quo matrimonium consummatur, vouens redditur impotens ad ingrediendam religionem, nisi altero coniuge permittente, & ad requisita cooperante. Post primum verò actum coniugij, cæteri actus non sunt illiciti, quia nullo modo opponuntur, nec difficilius reddunt votum Religionis emissum. In quo Auctores plerique consentiunt.

8. Mihi tamen adhuc distinguendum videtur; nam si spes aliqua sit, quod coniux carens liberis concedet facultatem ingrediendi religionem, non concessurus si liberos habeat, videtur non posse petere, & cooperari ex parte sua ad apponendum impedimentum filiorum, quibus susceptis nec alter coniux permitteret ingredi, nec fortè iam poterit, quia filij indigebunt parentis assistentia; si tamen nihil horum timeatur, liberè poterit petere, sempérque, & in omni euentu petenti tenebitur reddere.

9. Circa tertium votum non contrahendi matrimonium, obseruandum est esse quidem illicitum ipsum contractum, post contractum verò nullo modo reddi illicitum actum coniugij, nec primum, quo matrimonium consummatur: nec secundum, & deinceps, vt rectè contra nonnullos aduertit Sanchez *supra*. Quia actus coniugij non est directè contra votum: nam consummare non est contrahere.

RESOL. CLIX.

An habens votum Religionis, seu Castitatis peccet mortaliter contrahendo matrimonium animo ingrediendæ Religionis antequam consummet matrimonium?

Et quid est sentiendum, quando quis absque vllo voto eo animo matrimonium contraheret? Ex part. 3. tr. 4. Res. 280. alias 281.

§. 1. Affirmatiuè respondent Doctores communiter; quia facit grauem iniuriam alteri coniugi, cogeretur enim eius professionem expectare. Secundò ob periculum mutandi animum, & ita violandi votum. Tertiò tali animo contrahens videtur Sacramento illudere. Et ita hanc sententiam docent DD. quos citat, & sequitur Sanchez *vbi infrà n.* 7. & 10. quibus ego addo Coninch *de Sacr. disp.* 23. *dub.* 3. *n.* 13. & Guttierrez *de matrim. cap.* 25. *num.* 4. Hæc sententia est probabilior, & sequenda.

Sup. hoc lege supra doctrinam Res. 28. per totam.

2. Non reticeam tamen contrariam sententiam esse probabilem, & ita illam vocat Sanchez *de matr. lib.* 1. *disp* 43. *n.* 6. *in fine*, & *n.* 11. *in fine*. Primò, quia nulla infertur iniuria alteri, si religionem ante consummationem matrimonij ingrediatur, & contractus vtrinque æqualis est, id enim alteri licet. Ergo, &c. Secundò, vbi actus nullam iniuriam irrogat, sed ingredi religionem post matrimonium ratum, non est contra iustitiam; ergo nec erit, si contrahatur eo animo. Et ita docet Calderinus *in cap. rursus, qui cler. vel vouen.* Scot. *in* 4. *dist.* 38. *quæst. vnic. prope finem, ver. cõsimiliter si de peccato ageretur*. Altisiodorensis. *lib.* 3. *summæ tract.* 2. *cap.* 2. *qu.* 3. *ad* 3. Angelus *ver. matrimonium* 3. *impedim.* 5. *n.* 1. Caietanus *in sum. ver. matr. cap.* 1. *ver. & scito peccatum esse*, & Petrus Ledesma *de*

matr. q. 53. art. 1. dub. 1. concl. 2. qui cum Scoto asserit, nullam in hoc casu interuenire culpam, & hæc omnia à fortiori etiam procederent contra Cucchum *lib. 5. instit. tit. 12. n. 20.* Ledesmam *in 2. part. 4. qu. 55. art. 2.* & alios, quando quis absque vllo voto eo animo matrimonium contraheret. Sed contraria sententia, vt dixi, est probabilior.

RESOL. CLX.

An fœmina, quæ contraxit matrimonium cum viro improportionato, vel aliquantulum debili, vt facilior pateat aditus, teneatur pati incisionem, si commodè potest?

Et an in tali casu tale impedimentum censendum sit perpetuum, & matrimonium declarandum nullum? Ex p. 3. tr. 4. Res. 200. alias 201.

Sup. hoc latè in Res. seq. & in alia eius annot.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docent communiter Doctores, & inter illos Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 93. n. 32.* quia cùm verum sit matrimonium, ius sui corporis transtulit in virum. Ergo si commodè potest sine magno incommodo aptam se reddere viro, tenetur. Et ita hanc sententiam nouissimè docet Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 14. diffic. 18. n. 16* præter Doctores veteres, inter quos est D. Thomas *in 4. distinct. 44 q. 1. art. 2. ad 5.*

2. Sed ego contrariam sententiam probabilem esse puto, quam docet Basilius Pontius *de matrimon. lib. 7. cap. 62. num. 2.* qui pro hac sententia validas rationes adducit, præter auctoritatem Durandi, Paludani, & Gabrielis. Et ita Salmanticæ die 3. Aprilis, anno 1570. consultum respondisse testatur M. Luysium Legionensem in causa matrimonij D. Francisci de Fonseca, & D. Ioannæ de Azeuedo.

3. Igitur in tali casu tale impedimentum censendum est perpetuum, & matrimonium declarandum nullum: nec fœmina tenetur huiusmodi remedia pati, sed à coniugij onere libera est, vt alteri nubat. Ad argumentum verò, quod adducit Sanchez, respondetur, fœminam per contractum matrimonij ius suum tradere viro apto, non inepto, atque in non aptum nullum transferri ius. Ergo &c.

RESOL. CLXI.

An fœmina, quæ contraxit matrimonium cum viro improportionato, vel debili, vt facilior pateat aditus, teneatur pati incisionem, si commodè potest?

Et distinguitur hæc difficultas, quando defectus non prouenit ex muliere, sed ex viro, & si ex muliere prouenit, deciditur, quid est faciendum.

Et pro praxi quæritur, an si vir trium annorum congressu, atque conatu claustra tamen fœminæ non violauit, an inquam in tali casu matrimonium sit dissoluendum? Ex part. 3. addit. Res. 3.

Quæ hic est Res. antecedens, & in Res. seq.

§. 1. IN *part. 3. mearum resolutionum, tractat. 4. resol. 201.* opinio negatiua Basilij Pontij *lib. 7. de matrim. cap. 62. num. 2.* probabilis mihi visa est ex rationibus quas ipse adducit, & in fortioribus terminis hanc sententiam in causa matrimonij Illustrissimorum D. Francisci de Fonseca, & D. Ioan. de Axeuedo testatur consuluisse virum illum magnum Aloysium Legionensem Salmanticæ die 3. Aprilis anno 1570.

2. Sed aduersus illum nouissimè, me etiam citato, insurgit Megalius *in promptuar. Theolog. tom. 1. ver. corruptio virginis, num. 5.* asserens hanc sententiam esse contra sacros Canones, nimirum contra *cap. ex literis, & cap. fraternitati, de frigidis & maleficiis*, & contra Doctores, præsertim Durandum, Paludanum, & Gabrielem, & plurimum dolet me hanc sententiam docere.

2. His tamen non obstantibus adhuc puto opinionem quam docui probabilissimam esse, pro cuius explicatione duæ sunt discutiendæ difficultates. Prima, an in tali casu mulier teneatur adhibere incisionem, si non adsit periculum. Secunda, an sit dissoluendum matrimonium. Et quoad primam difficultatem affirmatiuè respondet Megalius *vbi supra*; sed ego puto distinguendum esse. Nam aut defectus naturalis est in muliere ob extraordinariam arctitudinem, aut mulier nullam patitur ægritudinem, seu defectum; per illam non stat, quo minùs reddat debitum viro suo, sed defectus procedit ex illo, quia membrum habet (ignoscant quæso pudicæ aures) nimis improportionatum, vel non ita firmiter etigit.

3. Hoc supposito, dico quod in primo casu si incisio non sit inductiua mortis, vel infirmitatis grauis, & periculosæ, non solùm potest, sed tenetur mulier illam pati, quia defectus prouenit ex ipsa, & in eas angustias mulier sua culpa se conjecit, debuisset enim sibi prospicere ante nuptias. Verùm in secundo casu, quando defectus non prouenit ex muliere, sed ex viro, vt est in casu de quo loquimur, tunc puto fœminam non teneri ad incisionem tolerandam, etiamsi modo facili efficiatur, hoc est, si vitæ periculum non adducat, puta cauterio, vel apertione sigilli. Et hanc sententiam non solùm tenet Pontius, & Ledesma *de matrimonio, quæst. 58. art. 1. circa fin.* ab ipso Sanchez citatus, sed etiam nouissimè illam docet Gaspar Hurtado insignis Theologus Societatis IESV, *tract. de matrimonio, disp. 12. diffic. 8. num. 25. quia*, ait, *fœmina nullu est defectus, vt reddat, sed tantùm viro; ergo ipsi tantum, & non fœminæ incumbit vti remedio, quo defectus ipsius supleatur: fœmina verò sufficit offerre debitum more ordinario: præsertim quod fœminam præcipuè virginem artificio corrumpi horreat quodammodo natura, & honestas ipsa difficilè patiatur.* Ita Hurtado loco citato. Igitur fœmina, in casu de quo loquimur, nullam tenetur adhibere incisionem, etiamsi medici sine periculo illam aptam redderent, vt vir cum ipsa coitum consummare posset. Et hanc sententiam probabilissimam esse minimè dubito, quidquid in contrarium asserat Megalius, & Sanchez, quibus ego addo Petrum Ochagauiam *de sacram. tract. 3. de impedim. matrim. q. 69. n. 16.*

4. Quoad secundam verò difficultatem, an si vir trium annorum congressu, atque conatu, claustra tamen non violauit; an, inquam, in tali casu matrimonium sit dissoluendum? & probabiliter affirmatiuè respondeo. Vnde notandum est cum Pontio, in contractu matrimonij celebrati in ordine ad copulam esse traditionem corporis apti in vlum, etiam pro corpore apto. Tradit itaque fœmina corpus aptum, vt vtatur eo etiam vir ex se aptus, non verò se tradit inepto, cùm sit contractus rei pro re æqualis æstimationis. Hinc oritur ius, quod confert matrimonium, non esse aliud, quàm vt vir aptus vtatur apto corpore. Si ergo ineptus fuerit ad corporis vsum, quod de se aptum est illi in vlum traditur, nullum habet ius in matrimonio vir in corpus fœminæ. Qui ergo impotens est ad virginem agnoscendam, cùm reuerà ille sit ineptus, nisi incidatur, nullum ius habet ad vsum, quia cùm hoc ius solùm conferri debeat ex vi contractus, non censetur contractus validus, nisi subintellecta conditione mutuæ aptitudinis. Hæc Pontius.

5. Nec

5. Nec valet dicere cum Megalio, quòd matrimonium tunc est dissoluendum, quando impedimentum est perpetuum, v. g. quando arte medicorum absque corporali periculo non potest remoueri. Sed in nostro casu hoc impedimentum non est tale, quia opera humana potest remoueri, vt supponimus; ergo non potest tale matrimonium dissolui. Non, inquam, valet hoc argumentum, quia non procedit in casu nostro. Non enim impedimentum prouenit ex defectu fœminæ, quæ si naturaliter esset ita arcta, vt membrum virile intra os vulvæ non reciperet, tunc, inquam, minimè matrimonium esset dissoluendum: nam tale impedimentum, sine periculo, opera humana posset quis remouere. Sed in nostro casu impedimentum prouenit ex defectu viri, ad quod tollendum, medicamentum nullum superest, neque adest, nec ille in tali casu habet ius in corpus vxoris, vt malè asserebant Sanchez & Petrus de Ochagauia *vbi supra*; quia, vt dictum est, fœmina per contractum matrimonij ius suum tradit viro apto, non inepto, & ideo in non aptum nullum transfertur ius; commune est enim cuicumque contractui obligationem inducere iuxta solennitatem, formam & conditiones quibus celebratur, ac proinde cùm matrimonium contractus quidam sit, in quo vir & vxor se mutuo tradunt in vsum matrimonij, ea conditio subintelligitur; quamuis non exprimatur, si ad eum vsum apti fuerint. Manifestum autem est, non subintelligi vt apti sint ad vsum tertij, sed inuicem alter alterius comparatione habilis, vxorque se tradit viro vt ab illo cognoscatur, non autem à medico, igne, vel auro, vel obstetricis manu. Ergo, &c.

6. Igitur concedo Megalio, & verum est, quòd quando impedimentum arte medicorum tolli potest absque grauibus tormentis, impotentia non censetur perpetua, neque ex illo capite potest censeri irritum, quantumuis mulier mediocres cruciatus pati nolit, quos tamen tenetur sustinere propter ius mariti, licèt in hoc etiam contrarium doceat Pontius. Sed hæc omnia intelligenda sunt, vt diximus, si impedimentum non prouenit ex defectu viri. Vnde patet responsio ad Canones adductos contra nostram sententiam.

7. Et primò adducit Megalius textum *in cap. ex literis, de frigidis & maleficiatis*. vbi Alexander III. sic ait, *Respondemus igitur, quòd si vitium mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit adiuuari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem*. Ergo, ait Megalius, si opere medicorum adiuuari poterat, adiuuanda erat, & viro non erat concedenda facultas aliam accipiendi. Ita ille. Sed non ad rem, nam textus, vt patet, loquitur quando vitium mulier à natura contraxit, at in casu de quo loquimur, mulier non contraxit vitium à natura, sed vir; ergo textus non facit pro casu nostro, in quo mulier est integra, & vegeta, & in suo statu secundùm naturam; vnde quid reparatione, medicamentis, & obstetricante manu opus habet? adhibeantur hæc viro defectuoso, & impedimentum patienti, & non mulieri sanæ: & si non adsunt, vnusquisque reuertatur per aliam viam ad regionem suam.

8. Secundò, Megalius adducit textum *in cap. fraternitatis, eodem tit. de frigidis & malefic.* vbi Innocentius III. sic habet. *Per hæc autem quæstionem illam noueris esse solutam, qua queritur, vtrum ea quæ adeò arcta est, vt nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem, aut alio sibi modo violentia inferatur, non solummodo leuis, sed fortè tam grauis, vt ex ea mortis periculum timeatur, ad matrimonium contrahendum debeat idonea perhiberi*. Ita textus, per quem contra me putat Megalius casum in terminis decisum esse. Sed textus, vt legenti patet, loquitur de muliere arcta ex defectu sui, adeò vt nulli possit carnaliter commisceri. At in casu nostro mulieri non obstat aliud nisi virginitas, & est arcta vt omnes aliæ mulieres, ita vt cum aliis carnaliter, vt dicit textus, possit commisceri, defectus autem ex viro prouenit, qui improportionatam trabem habet, vel languidam, & semimortuam. Quare igitur pœna sustinenda erit à muliere? neque, vt superiùs satis probatum est, vir defectuosus habet ius super illam, vt patiatur ferrum, ignes, aurum, & alia medicamenta. Ergo, &c.

9. Igitur Canones loquuntur, quando defectus prouenit ex muliere, non autem ex viro, vt supponimus in casu nostro, & ita loquuntur Paludanus, Gabriel & Durandus, quos adducit Megalius & alij Doctores communiter, demptis aliquibus. Vnde apparet hanc opinionem, vt suprà explicatam, non carere maxima probabilitate, licèt Pontius magis absolutè loquatur. Sed ego, vt patet ex titulo dictæ resolutionis, in casu modò explicato, vt *suprà* illum sequutus sum. Non est ergo sententia, quam in dicta resolutione docui, contra Canones, vt Megalius putauit.

RESOL. CLXII.

An mulier teneatur pati incisionem sine graui dolore, & infirmitate, etiam si defectus proueniat ex parte viri ob membrum genitale improportionatum?

Et an integrum sit viro impotenti ad virginem, potenti tamen ad corruptam, propria authoritate instrumento aliquo ligneo, vel ferreo, vel simili ad id accommodato, digitisve clanstra virginis à se ductæ reserare, vt sic possit consummare matrimonium?

Et an vir sit alicuius culpæ reus, qui suæ temporalis impotentiæ conscius matrimonium contrahit eo tempore, quo talis durat impotentia?

Et an in tali casu, si conscius suæ impotentiæ decepit fœminam ipsam ducens, teneatur eam vt sororem alere, & habere?

Et tandem quæritur, quid dicendum sit, quando per errorem in facie Ecclesiæ prius matrimonium fuit solutum, fœminaque alio nupserit, comperta veritate, an primum matrimonium restituendum sit?

Et an fœmina, quæ cum secundo viro copulam habuit, possit à priori viro repelli per diuortium, quoad habitationem, & thorum? Ex part. 11. tract. 5. & Misc. 5. Ref. 11.

§. 1. DE hac difficultate olim magna altercatio mihi fuit cum nostro Patre Megala, & postea hic Romæ dum viueret cum Patre Thesauro viro quidem docto ex inclyta Societate Iesu. Ille mordicus cum Sanchez asserebat, ego mordicus cum Pontio negabam. Et nunc pro eorum sententia adduco Martinum Perez *de matrimon. disputat. 37. sect. 6. n. 2. & 6.* Raphaëlem Auersam *de matrimon. quæst. 13. sect. 2.* Texedam *in controuers. Theolog. Moral. tom. 2. lib. 4. tract. 2. §. 9. controuers. 23. num. 28. cum seqq. fol. 624.* & Nicolaum Isambert Professorem Regium celeberrimi Musæi Sorbonici *in 3. part. D. Th. tom. 3. de Sacram. Matrim. disp. 9. art. 12. num. 6.* vbi sic asserit; Notandum impotentiam esse duplicem; vnam perpetuam, temporalem alteram. Ea dicitur perpetua, quæ nulla arte humana licita, vel saltem sine euidenti periculo corporis, potest remoueri, vt intelligitur *ex cap. fraternitatis, extra de frigidis & maleficiatis*: quæ enim non licent, non censentur esse in nostra potestate. Sic impedimentum, quod est per maleficium, quod alio tantùm maleficio tolli

Sup. hoc latè in duabus Ref. præcedentibus.

potest, censetur esse perpetuum. Ea verò impotentia dicitur temporalis, quæ naturaliter, vel medio humano aut licito, sine notabili periculo animæ aut corporis, potest curari. Sic quando mulier est impotens ex eo, quod sit nimirum arcta, si prudenti Medicorum iudicio possit reddi potens ad perfectam copulam per leuem aliquam incisionem, etiam cum aliquo dolore, sed tamen sine periculo vitæ, impedimentum hoc censetur tantùm temporale, & si iam matrimonium contraxerit, tenetur pati istam incisionem, quia per matrimonium sese obligauit ad reddendum debitum marito postulanti illud, quod non potest sine hac insione.

2. Quibus non obstat quod obiicit Basilius Pontius *tract. de impedim. c.* 32. §. 3. naturam id horrere, nec honestatem pati fœminam artificio corrumpi, vt possit viro concumbere. Item mulierem, & virum contrahere matrimonium sese quidem tradendo, sed cum implicita ista conditione, *si ad eum vsum apta fuero*. Vnde cum hæc conditio desit in hoc casu, mulierem non teneri pati hanc incisionem. Tum denique quòd Ecclesia nunquam medium istud præceperit, consuluerit, aut permiserit fieri ad componendas multas lites, quæ passim mouentur circa impotentiam; sed tantùm decernit trium annorum cohabitationem. Hæc, inquam, non obstant. Primum quidem, quia hoc est insitum à natura cuique rei, vt pro maiori suo bono, vel alterius, cui vel ex debito iustitiæ, vel naturæ obligatur, teneatur leue aliquod malum pati in copore quod potest pati citra peccatum, vt tali debito satisfaciat, aliàs censetur peccare contra legem iustitiæ, vel naturæ, iuxta conditionem ipsius debiti: atqui præsens incisio vxoris est leuis, quia ex ea nullum graue periculum imminet, vt supponimus; & mulier prædictis omnibus titulis obligatur reddere debitum suo viro: vnde talis incisio est potius secundum honestatem, quàm contra: honestas enim debet attendi penes rectam rationem, quæ in præsenti casu tale remedium postulat.

3. Secundum item non obstat, quia contrahendo, sese etiam obligauit ad patiendum istud remedium, si eo opus esset: qui enim vult finem, vult & media rationabilia ad illum obtinendum efficacia, cuiusmodi est hæc incisio in præsenti casu. Et si hæc ratio valeret, mulier etiam valde potens posset ob quolibet aliud leue incommodum sui corporis denegare pro suo libito debitum suo viro; sicque illum pollutioni sæpe sæpius exponere; quod est absurdum, cùm in hoc vtroque casu matrimonium semper maneat validum.

4. Non denique obstat tertium: Ecclesia enim istud remedium non præcipit: quia in his quæ ad impotentiam spectant in ipsa indispositione corporis consistentem, supponit prudens iudicium Medicorum, & matronarum: quando verò impotentia est talis, vt ei possit succurri per leuem incisionem, qui iam matrimonium contraxerunt non solent litem mouere, sed sola parentum exhortatione sequuntur prudens Medicorum & matronarum consilium.

5. Notandum tertiò, vtramque impotentiam, tam perpetuam, quàm temporalem, adhuc esse duplicem: vnam absoluram, id est respectu omnium, v. g. quando vir cum nulla muliere potest consummare copulam ob impedimentum quod habet. Alteram esse tantum respectiuam, id est respectu quarumdam personarum, vt si mulier respectu vnius viri sit nimium arcta, quæ tamen respectu alterius sufficientem habet dilationẽ. Hucvsque Isambertus.

6. Sed his non obstantibus ego non recedo à sententia quam docui, & quam absolutè vel tanquam probabilem post me receperunt viri docti. Et ita tenet me citato Caspensis *in vers. Thom. tom. 2. tract. 26. disp. 9. sect. 14. num. 8.* & me citato Dicastillus *de Sacram. tom. 3. tract. 10 dub 48. n. 511.* & me citato Baunius *in Theol. moral. tom. 2. sect. 22. quæst. 9. asser. 3.* & me citato Bassæus *verb. matrimonium 7. num. 77.* idem docet Castrus Palaus *tom. 5. disp. 4. punct. 14. §. 1. num 8.* Gaspar Hurtadus *de matrimon. disp. 22. diffic. 7.* Leander *de Sacramen. tom. 2. tract. 9. disp. 11. q. 24.* & Martinus de San Ioseph *in Monit. Confessor. tom. 1. lib. 1. tract. 35. de matrim. n. 10.* Trullench *de Sacrament. lib. 7. cap. 9. dub. 16. num. 9.*

7. Dico igitur primò contra Pontium, fœminæ licitum esse scissuram pati, quoties absque periculo corporali eam sustinere potest, quia licitum est naturam iuuare ad actum honestum, vti omnes Doctores supponunt de hac quæstione tractantes, cum inquirant, an obligata sit.

8. Secundo dico, fœmina, quæ nullam in se specialem arctitudinem habet vt à viro cognoscatur præter virgineum pudorem, obligata non est scissuram sustinere, tametsi absque vllo incommodo eam sustinere possit, vti docuit Petr. de Ledesma *tract de matrim. quæst. 58. art. 1. circa finem* Gaspar Hurtado *disput. 22. offic. 7.* & Basilius Ponce *lib. 7. de impedim. cap. 62. à num. 2.* Moneor, quia coniux in matrimonio corpus suum alteri coniugi tradit ad vlum coniugalem, prout à natura destinatum est: at natura non destinauit apertionem clausuræ virginalis in ordine ad coniugalem vsum fieri debere alio medio, quam viri pudendo, quinimo omnem alium modum, vtpote extraordinarium natura abhorret: ergo non tenetur fœmina illo vti.

9. Tertiò dico, si fœmina præ cæteris arcta sit, & conscia huius arctitudinis, contrahat cũ illo qui illius est ignarus, probabilius reputo obligatam esse scissuram pati, si absque graui suæ salutis detrimento eam sustinere possit. In quo communi sententiæ assentior; Ducor, quia sic contrahens vitum decipit non manifestans ei illam difficultatem, quam ipse præsumere non tenebatur. Ergo ratione illius deceptionis obligata est ea medicamenta sustinere, quæ virgineum clausuræ disponant æquè aptum congressui, ac est clausuræ cæterarum fœminarum: Fateor tamen hanc obligationem raro contingere posse, cum vix possit euenire, quod fœmina sciat se præ cæteris arctam esse; eiusque arctitudinem à viro superari non posse; ideoque censeo raro, vel nunquam obligandam esse ad eam scissionem sustinendam, cùm ipsa per matrimonium viro corpus suum tradidit aperiendum, non chirurgo, & forte ob hanc causam nunquam iura statuerunt in litibus subortis de impotentia virgineum clausuræ aliquo artificio referari, sed solùm triennalem habitationem concedunt. Signum ergo est nullam esse huius medij obligationem. Vide Palaum loco citato.

10. Vnde ex dictis resolui potest dubium de quo Sanchez *lib. 7. disp. 93. num. 29.* an scilicet integrum sit viro impotenti ad virginem, potenti autem ad corruptam propria authoritate instrumento aliquo ligneo, vel ferro, vel simili ad id accommodato; digitisve clausuræ virginis à se ductæ referre, vt sic possit consummare matrimonium.

11. S. Thom. *in 4. dist. 34. quæst. vnica artic. 2.* sic ait: *Si non posset implere carnalem actum cum virgine, & posset cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset clausura pudoris frangere, & coniungi*, idem docet Albert. Magn. *ad eandem distinct. artic. 4.* expresè dicens posse digitis. Idem docent alij quos refert Sanchez *citat. num. 29.* Qui tamen putat

putat eorum sententiam esse intelligendam, vt fiat à Medico, & secundum illius artem: ideò enim addiderunt illam vocem, *medicinaliter*, vt significarent id non posse fieri propria authoritate, sed iuxta Medicorum præscriptum. Quod mihi placet; sed aliqui non distinguunt de impedimento ex parte viri aut ex parte fœminæ.

12. Etiam adhuc supposito præscripto Medicorum, & etiamsi Medici dicant nullum esse periculum in eo remedio; ex alio capite apparet difficultas, & mihi videtur distinguendum: nam vel loquimur in casu, quo ex parte fœminæ est impedimentum, propter extraordinariam arctitudinem, vel in casu quo solùm ex parte viri. Si loquamur de casu ex parte fœminæ, & in eo remedio non sit (vt supponimus) periculum vitæ, aut grauis morbi, dicendum videtur iuxta dicta fœminam teneri id pati; atque adeò virum etiam ipsa inuita, & renitente id posse facere vi, aut aliquo modo incautam illam intercipiendo, si aliter non possit: tunc enim ius suum recuperat. Si verò impedimentum sit ex parte viri, modo explicato; dicendum est, iuxta nostram sententiam, fœminam non teneri cum eo dolore, & horrore, atque adeò non posse virum ea inuita, vi, aut dolo vtendo id facere: est enim iniustus dolor, aut vis, vtpote cogens ad id, ad quod fœmina non tenetur. Ita Dicastillus *loco citato, num.* 512.

13. Sed hîc obiter quæro, an vir sit alicuius culpæ reus, qui suæ temporalis impotentiæ conscius matrimonium contrahit eo tempore, quo talis durat impotentia? Et negatiuè respondet Sanchez *lib.*7. *disp.*92. quê adducit Texeda *Theolog. Mor.to.*2.*lib.*4. *tract.*2.§.9 *num.*9. Sed ipse putat in tali casu peccare mortaliter. Primò, quia celare hoc vitium fœminæ, nequit fieri absque eius magna incuria in re grauissima: ergo, &c. Probatur antecedens; quia iniustum est, & inducens notabile detrimentũ priuare fœminam ductam iure quod habet ad actum matrimonialem, obligando illam per multum tempus, vt matrimoniali vsu abstineat. Secundò, quia iniustè agit vir, qui se obligat alteri pro aliquo tempore soluere id quod est impotens ad soluendum, cuius impotentiæ alter erat omnino ignarus: ergo vir qui conscius suæ impotentiæ matrimonium contrahit cum fœmina illius ignara, iniustè facit: atque cùm hæc iniustitia sit in re graui, peccat mortaliter. Confirmatur hoc, nam vir eo casu fœminam fallit in re graui: ergo peccat mortaliter. Confirmatur secundò, & explicatur: nam tunc aliquis peccat mortaliter peccato iniustitiæ, quando est causa, vt proximus ponatur in euidenti periculo peccandi mortaliter: Sed vir impotens ad coeundum contrahens cum fœmina eius impotentiæ ignara, ponit illam in euidenti periculo peccandi mortaliter, imò est causa quod actu peccet mortaliter: ergo, &c. Probatur minor, quia propter communicationem cum viro suo communiter contingit incontinentiæ periculum, & quod actualiter peccet, vt notum est.

24. Obiicit Sanchez: lex matrimonij obligat ad reddendũ debitum instar præceptorum affirmatiuorum, nimirum semper, & salua incolumitate personæ, & temporibus commodis. Respondetur tamen falsum esse antecedens, & procedit ex ignorantia obligationis ortæ inter coniuges ad reddendum debitum: nam quoties alter coniux constitutus est in periculo euidenti incontinentiæ, tenetur alter coniux debitum reddere, & ideò si coniux alter agnoscat, se ad id esse impotentem, & vxor talis impotentiæ sit omnino ignara, peccat mortaliter contrahendo, & notabilem iniuriam infert coniugi: ergo, &c.

15. Verùm an in tali casu, qui suæ impotentiæ conscius decepit fœminam ipsam ducens, teneatur eam vel sororem habere, & alere. Affirmant Rosella *V. impedimentum* 15. *num.*10. Syluester *matrim.*8. *quæst.* 16. *dict.* 5. Armilla *ibi num.* 52. Præpositus, Turrecrem. Gregorius Lopez, & alij vsque ad 15. quos pro hac parte refert Sanchez *num.* 9. sed ego puto non teneri ad id sub præcepto. Quia reuera matrimonium est irritum: ergo non est cur obligetur vir ad eam fœminam, tanquam ad sororem habendam, & alendam. Et ita ex Sanchez tenet Leander *de sacram. tom.*2. *tr.*9. *disp.*21. *q.*7.

16. Et tandem hic quæro, quid dicendum sit quando per errorem in facie Ecclesiæ prius matrimonium fuit solutum, fœminaque alij nupserit, comperta tamen veritate, prius matrimonium restaurandum sit; an fœmina illa, quæ cum secundo viro copulam habuit, possit à priori viro repelli per diuortium quoad habitationem, & thorum? Ego contrarium censeo cum Texeda, *vbi supra*, quod patet ex *cap. fraternitatis, de frigidis, & malefic.* in quo constat ob eam fornicationem vxoris cum secundo viro habitam, non posse priorem virum nec illam repellere, nec petere diuortium quoad thorum, quia illa fœmina cum ob arctitudinem sit iudicio Ecclesiæ à priori viro sparata, non peccauit alij nubendo, nec copulam cum illo habendo, quia bona fide id fecit, & per Ecclesiam vtrique coniugi facultas transeundi ad secundas nuptias æqualiter sit data. Imò Pater Sanchez est sibi expressè contrarius, dum *num. sequent.* subdit, quod matrimonium ob solam impotentiam respectiuè separatum est, neuter coniux potest fornicationem obiicere; aut alterius consummationem ad celebrandum diuortium: ergo nec etiam potest prior vir, à quo illa fœmina ob impotentiam per iudiciũ Ecclesiæ separata est, & secundo nupsit, postea comperta veritate ei obiicere adulterium, & petere separationem quoad thorum.

Sup. hoc in Resol. seq. à lin. 7.

Sup. hoc magis latè inf. in Resol. 164. §. Sed difficultas.

Sup. hoc ibidem.

RESOL. CLXIII.

An triennium à iure præscriptum ad experiendum impotentiæ veritatem, computandum sit à tempore, quo copula intentata est, vel à tempore præfixo à Iudice?

Pro quo aliqua alia prius supponuntur.

Et aduertitur, quod si post sententiam diuortij deprehendatur impedimentum non fuisse verè perpetuum, reuocandi sunt ad prius matrimonium, etiamsi alia matrimonia iniuissent.

Et infertur necessarium esse, quod triennium sit continuum.

Et cursim aduertitur hoc triennium terminum debere computari post annum decimum octauum, & non ab anno completo pubertatis, si in illo matrimonium est contractum.

Et docetur, quod quando vxor tantùm materialiter adulterium commisit, nempe existimans eum, cum quo rem habuisset esse proprium maritum: aut credens esse mortuum, vel per vim absolutam cogitur, & opprimitur ab alio, non est sufficiens causa faciendi diuortium.

Et tandem notatur validum esse matrimonium, si vir seminasset intra vas, etiamsi impotens sit fœmina ad seminandum. Ex part. 11. tract. 5. & Misc. 5. Resolut. 8.

§. 1. CAsus est nimis practicabilis, pro quo suppono, quod quando dubium est vtrum impedimentum sit perpetuum, concedi à Canonibus ordinarie

Sup. hoc in principio §. vl. Ref. præteritæ, & ne deseras videre doctrinam Ref. seq.

ordinariè triennium, ad bona fide experiendum; vt habetur *capitulo laudabilem, de frigidis, & maleficiatis*, si intra illud tempus non successerit, Ecclesia pronunciare debet sententiam diuortij. Quod si postea deprehendatur impedimentum non fuisse verè perpetuum, reuocandi sunt ad prius matrimonium, etiamsi alia matrimonia iniuissent, vt patet *cap. accepisti, & c. fraternitatu, de frigidis & maleficiatis*, & dictum triennium esse computandum à tempore quo cœptum est à coniugibus copulæ vacare, ex Tho. Sanch. & aliis penes ipsum docet P. Dicastillus *de Sacram. tom. 3. tract. 10. disp. 7. dub 52. num. 575.* vbi sic asserit; A quo vltetius puncto sit triennium computandum, non omninò consentiunt Doctores. Illud videtur magis certum, non esse computandum à tempore ante conatum ad copulam: in hoc enim Doctores consentiunt, quia ante eum conatum non potest inchoari experientia, computandum ergo est à die conatus, & non à tempore præfixo à iudice, postquam egerunt coniuges pœnitentiam de matrimonio, vt nonnulli iurisperiti dixerunt, qui supponunt pœnitentiam esse iniungendam coniugibus. Quod totum sine aliquo fundamento dicitur. Ratio verò pro nostra doctrina est, quia in sæpè citato *cap. laudabilem*, expresè dicitur computandum esse à die celebrationis coniugij, hoc est à die insensatæ copulæ quia nimirum eo die solet intentari, quæ doctrina locum habet non solum in impotentia, quæ prouenit ex aliis causis, sed etiam in ea, quæ prouenit ex maleficio, vt cum multis probat Sanchez *num. 4.* & *5.* vbi rectè expendit verba *capitis, finalis de frigidis*, ibi; *Si constiterit vobis præfatum virum & vxorem cohabitasse intra prædictos annos per continuum*, adiuncto principio eiusdè textus ibi; *mulier proposuit quòd per multos annos fuerant simul & cohabitauerant*. Ex quibus & aliis, quæ habentur in eo textu, apparet eos coniuges ante omne præceptum iudicis, & nondum lite mota cohabitasse octo annos, & tamen Pontifex decidit, dirimendum matrimonium; si intra eos octo annos continuè habitauerint. Ex quo patet, non requiri talem terminum assignari per iudicem, nec semper hoc impedimentum ex peccato consurgit, vt idè non procedat triennium ante peractam pœnitentiam. Neque obest, quod *in eodem cap. finali* narretur, pœnitentiam peccatorum fuisse illis iniunctam. Nam in hoc narrat factum, non statuit ius, quando enim decidit, solum petit quòd coniuges intra totum illud tempus octo annorum, triennio continuò habitauerint simul.

2. Ex quo infertur, necessarium esse quod triennium sit continuum; quia id supponitur in eo capite, quæ continuitas moralis esse debet non mathematica, sed iuxta communem modum, vt docent Authores communiter. Hæc omnia Dicastillus; cui ego addo Reginald. *to. 2. lib. 31. n. 107.* & Hurtadum *de Matri. disp. 22. diffic. 1.* & Martinum Perez *disp. 73. sect. 11. n. 10.* & Ioann. Præpositum *in 3. part. D. Thom. q. 7. de impedimentis matri. dub. 23. n. 203.* Trullench, *de Sacram. lib. 7. c. 9. dub. 76. n. 22.* Filliuc. *to. 1. tract. 10. part. 2. c. 3. n. 111.* Coninch. *de Sacram. disp. 35. n. 83.* & Bassæum *verb. matrim. 7. num. 81.*

3. Sed licet hæc opinio sit tantorum Doctorum auctoritate fulcita, tamen ego puto contrariam sententiam tenendam esse, nempè totum triennium computandum esse à tempore præfixo à iudice; & ita se habet stylus Curiæ, quem sequitur sacra Rota vt patet ex pluribus decisionibus, quas ego vt par est semper veneror, & ideò Castrus Palaus *tom. 5. disp. 4. punct. 14. §. 10. num. 3.* sic ait. Ego verò censeo, spectato iuris rigore, hanc vltimam sententiam veriorem esse, vti colligitur ex *dicto cap. laudabilem*, vbi expresè habetur triennium enumerandum esse à die celebrati coniugij, quia ab eo die præsumuntur coniuges copulam intentasse. Idem demonstratur *in cap. finali eod. tit. de frigid. & maleficiat.* vbi mulier allegans multis annis cum viro habitasse, nec potuisse pati congressum, nullo expectato vltetiori triennio, restituitur. Verùm spectata consuetudine, tyloque Romanæ Curiæ triennium computandum est à decreto iudicis, quia ab eo die præmissa peccatorum confessione, & Eucharistiæ sumptione diligentius copula procuratur. Sic sæpè tenuit Rota teste Farinac. *vol. 1. cons. dec. 27. & 277. & vol. 2. cons. decis. 191. & 226.* Riccio *in praxi dec. 139. num. 1.* Basilio Ponce *lib. 7. cap. 66.* Quod si ante iudicis decretum triennalis habitatio præcessit, arbitrio iudicis relinquitur iustis de causis abbreuiare triennium; vt notauit Rota *dict. decis. 226.* Riccius, & Basil. *loc. alleg.* vnde ad supradictorum confirmationem adducam verba Ludouici de San Iuan *in Summa de Sacrament. Matrim. quæst. 6. art. 15. diffic. 1. disp. 1.* sic asserentis; Pauloo V. Sanctissimo Vicario de Iesv Christo Señor nuestro, y successor legitimo de S. Pedro, auiendo la Rota declarado, este triennio deuerse entender *à die reclamationis*, Su Santidad approuò la tale decision, y declarò ser assi verdad, y viose claro ser assi sufficiente sententia; pues auiendo se trattado de separar à ciertos duques, vassallos de la Iglesia, habitantes en Roma, que antes de reclamar auian estado inuitos mas de tres annos, dada la dicha sentencia, de que habitassen otro tres años, *à die reclamationis*, fuè Dios seruido, que al fin de los tres años sobre dichos, se hizo preñada la Dicha Duquesa con increible gozo del pueblo Romano, de los Rotantes, y de su Santitad, &c. sic ille; cui adde Leandrum *de Sacrament. tom. 2. tract. 9. disp. 21. quæst. 47.* qui tamen optimè obseruat ex Rota, & Basilio Pontio, quod si ante iudicis decretum præcessit triennalis cohabitatio, esse in arbitrio iudicis, iustis causis concurrentibus, illud ad breuius tempus reducere.

4. Nota verò cum Ioan. Præposito *ubi supra*, & Dicastillo *num. 582.* cum aliis, quod in iis, qui ante plenam adeptã pubertatem matrimonio iuncti sunt existente dubio de impotentia, triennium videtur inchoandum à tempore copulæ intentatæ post plenam pubertatem, id est, viro post annum decimum octauum, quia ante illud tempus impotentia præsumi potest ex debilitate naturæ proueniente ex minori ætate, quæ proinde accedente ætate tolli possit. Vnde non assentior Gaspari Hurtado *disp. 11. diff. 11. num. 41.* qui ideò dicunt computandum esse tempus à priori pubertate illa non perfecta, quia in iure triennium eodem modo absque distinctione aliqua horum vel illorum supponit triennalem experientiam sufficere; id enim negamus, sed talem requirere, quæ tollat dubium de temporali defectu proueniente ex imbecillitate ætatis, non tollitur autem hoc dubium, nisi experimentum hoc capiatur à tempore, quo iam imbecillitas ob defectum ætatis non locum habet; habet autem locum in iis, qui nondum venerunt ad perfectam pubertatem.

5. Nota secundò, Sanchez, & Basil. Pontium docere, quod quando vxor tantùm materiale adulterium commisit, nempè existimans eum quo rem habuit esse proprium maritum, aut credens esse mortuum, non est sufficiens causa faciendi diuortium. Item quando per vim absolutam cogitur, & opprimitur ab alio. Ratio est, quia in his casibus nulla formalis culpa, vel iniuria contra fidem matrimonij committitur. Vnde par non est, quod aliquid detrimenti patiatur absque vlla sui culpa. Hanc doctrinam pro illo casu quo vxor accessit ad aliam. Sed

cum quo matrimonium contraxit inualidum quidem, sed bona fide, verissimam puto non minus, quam pro casu, quo per vim absolutam præcisè cogitur, & pro casu quo prudenter putauit illum quem admittebat esse proprium virum. Tamen pro casu quo illa, licet formaliter adulterium non commiserit, tamen formaliter fornicata est, nempè quando prudenter putans maritum longè absentem obiisse, cum alio fornicata est, sciens illam esse fornicationem, putans tamen non esse adulterium; non videtur tunc ita certum non posse maritum ab illa diuertere, si posteà superueniens id sciat, maximè si illa etiam prolem suscepisset, vel prægnans esset ab amasio. Durissimum namque videtur hominem (maximè honestum ac nobilem) si non adulteram formaliter, saltem formaliter & propriè fornicariam, aut etiam illegitimè prægnantem admittere. Vnde saluo meliori iudicio, mihi non videtur improbabile, saltem si res sit nota, vel publica, non teneri cum tali vxore cohabitare: neque enim videtur cum tanto suo decore obligari ad eam cohabitationem, maximè in iis regionibus, in quibus turpe est talem vxorem admittere aut habere. Nam cùm lex cohabitationis, aut tori non ita strictè obligat, quin vel propter magnum damnum euadendum, vel propter aliquam aliam vrgentem causam censeatur quis ab ea obligatione quandoque libet, non video cur talis hæc causa non sit, scilicet, vt euitet illam ignominiam, quam in sua patria, & vbi notus est subiret, maximè si non facile in aliam simul cum vxore migrare posset; sed solus ipse. Neque ad illam secum adducendam magnis sumptibus vel laboribus videtur in tali casu obligandus: satis enim est, quod quantum fieri potest, non omnino vxoris curam relinquat, sed de necessariis ad vitam transigendam prouideat absens, quin cogatur, secum habere mulierem non castam, & iusti doloris perpetuam causam. Verùm hæc aliorum iudicio relinquo, solumque meam sententiam sincerè volui explicare, quam liberius affirmarem. Quibus adde Dicastillum *n.*567. sed nouissimè sententiam Sanchez & Pontij sequitur Leander *de Sacram. to.*2.*tract.*9.*disp.* 21. *quæst.*43.

6. Nota tertiò, contra Cardinalem Bellarminum, & alios, triennium experientiæ debere esse moraliter continuum, non autem physicè, vt annus nouitiatus, & tempore requisito ad reseribendum; imo puto cum Sanchez, nec moralem desiderari continuitatem; quia finis illius triennij assignati, est, vt coniuges experiantur, an decursu temporis ea impotentia possit auferri, atque adeo non, sit perpetua matrimonium dirimens: adhoc autem experiendum satis est, quod illud triennium expleatur; etiamsi non sit in illo triennio continuitas habitationis, & assistentiæ ad copulam; imo quò magis continuè vacatur copulæ, ait Sanchez, eo debilior redditur vir. Vide Dicastillum *loco cit. dub.*55.*n.*599. Sed difficultas est, an saltem ita completum exigatur triennium, vt intermissum tempus suppleri debeat. Respondeo affirmatiuè. sed æquitas poscit vt ea triennalis habitatio non censeatur interrupta, atque adeò neque ex parte supplenda, eò quod pauci dies, iique interpolati defecerint; imò, vt cum prædictis ait Sanchez, etiamsi dies interpolati toto illo triennio exæquent spatium sex mensium simul computati, non censentur supplendi, qui tamen si simul omitterentur supplendi essent, quia in priori illo modo praxis interpretatur non esse notabilem absentiam, quia cum iis breuibus, & interpolatis absentiis pro casibus occurrentibus censetur ordinaria & moraliter continua cohabitatio coniugum, quæ communi modo fit. Simultanea verò absentia sex mensium simul, meritò censetur grauis & notabilis atque adeo supplenda. Et ita etiam tenet Dicastillus *n.*602. Lean. *quæst.*48. Pontius *num.*12. & alij, & tandem.

7. Nota quartò, valere matrimonium, si vir seminare posset intra vas, etiamsi impotens esset fœmina ad seminandum, quia ex valde probabili sententia semen fœmineum non est necessarium ad generationem, quamuis multum conferat, contra Hurtadum *disp.*22.*diffic.* 5. *n.*18. & alios, existimantes semen fœmineum esse necessarium ad generationem, consequenter si fœmina non potest seminare, esse inhabilem ad matrimonium, quod non est improbabile, ideo in hac sententia tale matrimonium non esse validum: Et ita obseruat Trullench *de Sacramentis lib.*7.*cap.*9.*dub.*16.*num.*2. Vide etiam Hermannum Busembaum *in Medulla Theolog. Moral. lib.*6. *tract.*6.*cap.*3. *dub.*2. *num.*14.

Sup. hoc lege infra Resol. 216. §. Sed. ante medium, vers. Sterilis, quæ certo.

RESOL. CLXIV.

Quid faciendum de viro Sacris initiato, si post iudicis sententiam inueniatur impotentiam falsò existimatam fuisse perpetuam, non fuisse talem?

Idem est, si in isto casu vir, vel fœmina ingrederetur Religionem ob dissolutionem talis matrimonij, si professus sit, an debeat redire ad vxorem?

Pro quibus aliæ difficultates proponuntur, quæ contingere possunt inter medium temporis separationis, & etiam post redditum ad vxorem circa petitionem, & redditionem debiti? Ex par. 11. tr. 5. & Misc. 5. Resol. 9.

§. 1. TRactat latè hunc casum Sanchez, & ex illo Pater Leander *de Sacram. tom.*2.*tract.*9. *disput.*21.*quæst.*52. vbi sic ait; An etiam qui ex præsumptione impotentiæ perpetuæ suscepit ordines Sacros, restituendus sit vxori, si cognoscatur impotentiam tantùm fuisse temporalem?

Quamuis non plenè super doctrina & quæst. huius Resol. lege tamen quod decernit Ioannes XXII. pro alio consimili casu supra in Resol. 158. & non pigebit illa videre, & nè prætermittas legere doctrinam Resol. 163.

2. Respondeo, restituendum esse vxori permanenti in sæculo, quia vinculum adhuc matrimonij perseuerat, eò quod nec sit dissolutum per impotentiam præsumptam, nec per susceptionem Ordinis Sacri, vt supra iam habitum est. Sic Sanchez *lib.*7. *disp.*99. *num.*39. & penes ipsum Enriquez *lib.*12.*de matrim. cap.*8.*num.*3. Petr. de Ledesma *quæst.*8. *art.*2. *dub.*2. Bonac. *quæst.* 3. *de matrim. punct.*13. *num.*22. Candid. *disquis.*28.*art.*13.*dub.*39. & Hurtad. *disp.*22. *diff.*11. *num.*42. Qui benè notant quod vir, qui in dicto casu ordines suscepit Sacros, nequibit ad vxorem redire, nec ipsam repetere, si vxor ipsum non repetat, quia per Sacri Ordinis susceptionem ipsi præiudicauerit. Vxore verò ipsum repetente tenetur iste reddere debitum vxori, cùm ipsa non sit priuata lege petendi, non tamen ipse poterit debitum exigere (quidquid dixerint Astensis, & Richardus penes Sanchez) propter votum castitatis emissum in Sacrorum Ordinum susceptione. Hucvsque Leander. Vide etiam Ioannem de Soria *epilogo summarum part.*2.*tract.*1.*sect.*1. *disp.*10. §. *si forte coire nequibis.* Sed maximam difficultatem habet P. Dicastill. *de Sacram. tom.*3.*tract.*10.*disp.*7. *num.*590. *& seqq.* quantùm ad facultatem, quam negant tali viro petendi debitum, & solùm fatentur habere reddendi obligationem vxori petenti, hæret mihi scrupulus, quia ille ex falsa existimatione vouit castitatem, & ordines suscepit, alioqui non susceperus. Et postea variis argumentis contra Sanchez ad hominem conatur hanc sententiam probare; sed tandem non audet discedere à sententia superius adducta tanquam communi.

3. In qua etiam ego stando, limitanda venit cum

cum Sanch. *disp. illa 99. num. 39.* & cum Henriquez *lib. 12. cap. 8. num. 3.* vt non habeat locum, si vxor fornicata esset; quia tunc ratione fornicationis, si vir esset innocens, posset illam repellere. Quæ doctrina mihi vera videtur, sed pro casu quo talis fornicatio fuerit, postquam est cognitus valor matrimonij, vel saltem interim dum dubitabatur de valore, & inquirebatur veritas: nam in tali occasione certum est illam peccasse peccato adulterij, quia vel certo sciebat valere matrimonium, vel se exponebat periculo adulterandi, quando nesciebat; an valeret, vel non.

Sup. hoc supra in Resol. 162. cursum in fine. §. vlt. ver. subdit quod.

4. Sed difficultas est, & ego contrarium puto cum Dicastillo *vbi suprà, num. 591.* Si vxor fornicata fuisset illo tempore quo matrimonium ex declaratione iudicis censebatur nullum: tunc enim bona fide putauit matrimonium non valere; atque adeo fornicando non commisit adulterium; nec fregit fidem formaliter, quia nulla fides data, nec obligatio iustitiæ putabatur subsistere: ergo non est ratio ob quam in tali casu vir possit negare debitum vxori, quæ illi formaliter nullam intulit iniuriam; nec commisit formaliter adulterium, non secus atque si bona fide alteri viro nupsisset, & cum eo habuisset copulam: quamuis enim vna sit fornicaria formaliter, & non altera, tamen neutra est formaliter adulterium, & ob solum adulterium coniux coniugi negare potest debitum. Vnde licet alter coniux sciat ante initum matrimonium, suum coniugem fornicatum fuisse; non ideo potest post matrimonium initum debitum negare, quamuis ea fornicatio sufficeret, si nota fuisset ante matrimonium ad retrocedendum, etiamsi præcessissent sponsalia, vt suis locis diximus. Vnde mihi videtur pro nostro casu non excusari virum à reddendo debito. Quæ doctrina mihi multò clarior videtur ordine inuerso, si fœmina vouisset castitatem, putans se iam fuisse liberam à tali matrimonio, & vir non quidem transiret ad sacros Ordines, sed adhuc maneret laicus, & existimans se liberum, fornicaretur cum alia fœmina; tunc enim instaurato matrimonio, aut declarato iam valido, non poterit mulier negare debitum neque cohabitationem ob fornicationem viri; quæ non fuit formaliter adulterium, & iniustitia contra ipsam, cui bona fide putabat se non alligatum. Atqui quantum ad hoc reddendi, vel non reddendi debitum coniugi adultero, eadem est ratio de fœmina, atque de viro: ergo si fœmina non excusatur propter talem fornicationem viri, nec vir excusabitur propter talem fornicationem fœminæ; etiamsi alioquin in communi æstimatione magis indecorum censeatur, quod vir habeat vxorem ab alio fornicariè cognitam, quam quod vxor habeat virum, qui aliam fornicariè cognouerit: id enim totum est extra ius ipsum matrimonij.

5. Nota verò cum Leandro *vbi suprà*, quod si vxor non repetat virum sic factis initiatum, ille non poterit redire ad vxorem; quia sibi præiudicauit per ordinem factum. Ita Sanchez cum aliis *num. 39.* vbi rectè reprobat Petrum de Ledesma putantem fœminam nolentem repetere, teneri votum castitatis emittere: nec enim est cur ad id obligetur: nam Tex. *in cap. coniugatus, de conu. coniug.* solum hoc petit, vt vir de consensu vxoris legitimè ad sacros Ordines ascendat: hîc autem iam ascendit absque vllo vxoris consensu: neque est vllus textus alius, qui petat huiusmodi votum, quando vxor sua libertate vtens nolit ipsum repetere. Sed quid dicendum an vir ingrediens Religionem ob dissolutionem matrimonij, dum comprehenditur impotentiam non fuisse perpetuam, si professus sit, debeat redire ad vxorem? Respondeo tanquam certum sub distinctione sequenti. Si vir ille professus est ante consummatum matrimoniũ, non debet redire ad vxorem; quia matrimoniũ non consummatum dissoluitur per professionẽ.

6. Quod si contingat, quod facta professione alter coniux in sæculo relictus transierit ad aliud matrimonium, tunc aduertendum maximè est, an matrimonium inierit ante, vel post alterius professionem: nam si post professionem, valebit matrimonium, quantumuis appatuerit impotentiam non fuisse perpetuam: quamuis enim prius matrimonium valuisset, dissolutum fuisset per professionem, vtpotè nondum consummatum; atque adeò valebit secundum. Si verò ante professionem; posterius matrimonium erit irritum, atque vt valeat, necesse est adhiberi nouum consensum post factam professionem, quia ante illam nondum erat dissolutum prius matrimonium. Vide Dicastillum *vbi supra num. 585. & 587.* Leandrum *quæst. 50.* Pontium *de matrim. lib. 7. cap. 61. num. 10.* Hurtadum *disput. 22. difficult. 11. n. 441.* Villalobos *tom. 1. tract. 14. difficult. 21. num. 4.* & alios penes ipsos.

RESOL. CLXV.

An maritus possit habere copulam cum vxore, sponsoque teste careat? Ex part. 11 tr. 8. & Misc. 8 Resp. 32.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Sanchez *de matri. tom. 2. lib. 7. disp. 102. num. 6.* docet enim licere copulam marito, qui non potest verum semen effundere, quia vtroque teste orbatus est. Probat verò, eo quod vir ille iure suo vtatur vacans actui coniugali, quem matrimonium permittit.

2. Sed hæc doctrina secundum Dicastillum duas patitur difficultates, primam, quod non videatur cohærere cum doctrina quam dedit *citat. disp. 5. n. 34.* vbi docet, accessum ad non vxorem talis Eunuchi esse peccatum contra naturam, si enim talis copula Eunuchi etiam penetrando vas, est copula contra naturam, non assequor quomodo possit licere, etiam post matrimonium; quia esse vel non esse contra naturam, non prouenit ex matrimonio, vel defectu matrimonij, sed quia non est naturalis copula illa quoad substantiam, atque adeo non est copulatio coniugalis, neque actus coniugij, seu matrimonij, nec enim matrimonium præbet ius ad actum contra naturam. Vel ergo actus est contra naturam; vel non; si dicatur esse contra naturam; falsum est quod ait: *num. illo 7.* quod vir ille iure suo vtatur, nec enim habet ius ad actum contra naturam ex vi sui matrimonij: Si verò dicatur non esse contra naturam, ergo neque inter non coniugatos est contra naturam, in quibus tantum deest vinculum matrimonij, quod vinculum non facit quod actus alioquin contra naturam, desinat esse contra naturam.

3. Secundam difficultatem patitur, quod videtur petere principium, & assumit id, de quo est controuersia, dum reddit pro ratione, quid vir ille iure suo vtatur, & quod sit vacans actui coniugali, quem matrimonium permittit, de hoc enim erat ibi controuersia, & oportebat aliundè probare quod habeat Eunuchus ius matrimoniale ad tale genus copulæ, & quod ille sit actus cõiugalis. Adde quod nõ minus videtur de essentia copulæ matrimonialis seminis emissio, quam vasis penetratio, ille autem *lib. 9. disp. 17. n. 10.* ad quem locum se refert, docet nõ licere, quando non est penetratio vasis. Eunuchi verò penetratio non est penetratio matrimonialis, vasis enim penetratio, de qua agitur, non est cuiusque

cumque rei intromissio: sed membri genitalis virilis, illud autem membrum eunuchi non minùs videtur in ratione genitalis esse æquiuocè, seu analogicè tale, quàm oculus sine visiua potentia.

4. Adde secundò meliùs posse viribus naturæ seruire ad generationem adiutus arte ille cui amputata est fistula relictis testibus, & scroto, quàm qui vtroque teste caret. Experientia enim docuit prolem fuisse susceptam, imo proles aliquot à tali homine, emisso & deriuato semine in matricem per canaliculum, seu tubulum, & in facti contingentia pro quibusdam coniugatis consulti fuimus in Hispania, collega tunc meus Pater Hieronymus de Riberta, & Ego, dum profiteremur Theologiam, pluresque aliarum Religionum Theologi, qui tamen non putabant eiusmodi actum licere, quia modus ille generandi non erat institutus à natura, nec copula naturalis. Atqui multo magis distat à generatione (qui est primarius finis matrimonij) eunuchi copula, quæ per se, & ex natura sua non potest seruire ad generationem deficiente vero semine, quàm illa veri seminis deriuatio per tubulum. Iuxta dicta, ergo non minùs est contra naturam, sed potiori ratione copula eunuchi cum vxore. Atque adeò illicita, de quo latiùs suo loco, vbi reddemus disparitatem de copula senum, qui verum semen emittunt licet morbosum. Eunuchi verò humor non est verum semen in sua essentia. Quod verò Sanchez addit de fine secundario matrimonij, qui est sedare libidinem, non probat ad huiusmodi finem posse adhiberi media, quibus essentialiter repugnet generatio, quæ est primarius finis: tale autem medium est administratio eius humoris, qui ex essentia sua non est semen, cui non per accidens, sed per se conuenit, non esse prolificum; quod non conuenit semini morboso, aut senis mariti, quod est verum semen, & per accidens vitiosum. Est quidem per accidens, quod eunuchus fuerit castratus, sed non est per accidens, sed essentiale, quod eius humor non sit semen, quia essentialiter non est semen: senis verò, vel morbosi semen, est essentialiter semen, sed per accidens minùs aptum, in quo magna est disparitas.

Et hæc omnia docet Dicastillus *vbi supra*, quæ aptata nimis Lectoribus fuisse reor, cùm sint satis curiosa, & ego hic per extensum afferre volui, quia de hac quæstione his diebus inter aliquos Theologos magna extitit altercatio.

RESOL. CLXVI.

De quadam curatione Herniatarum, an efficiat spadones, vel eunuchos, & impediat matrimonium?

Et docetur triplicem esse speciem eunuchorum.

Et explanatur, quod loquendo de Sacramentis quæ non sunt de necessitate salutis, vt Confirmatio, Matrimonium, & Extrema Vnctio, satis sit, quod minister in eorum administratione sequatur opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori.

Et sequitur, quod in conflictu opinionum illa est sequenda, quæ fauet valori matrimonij. Ex part. 12. tr. 3. & Misc. Resol. 4.

§. 1. SVppono, quod ista curatio perficitur sine testiculorum denudatione ab aliqua tunica, & sine aliqua læsione vasorum deseruientium solùm soluendo partem processus Peritonij, quæ deorsum tendit ad testiculum, & supra illum integrum testem deducendo ad inguien, intra quod recluso relinquitur parte inferiori tunicæ coarctata per ligaturam, post quod vulnus inflictum curatur communi modo quo reliqua vulnerata. Hanc curationem docuit Io. Laurentius, Chirurgus Pontificis in suo opere *de anathom. cap.* 176. Modo quæritur an homines sic curati, dicendi sint Eunuchi, ita vt comprehendantur in Bulla Sixti V. & non possint inire matrimonium? Casus est nouus, & ex Hispania ad fel. mem. Innoc. X. delatus fuit, & tunc Sac. Congr. existimans eius resolutionem pendere à iudicio: & relatione Medicorum rescripsit, vt collegium Medicum celeberrimæ Academiæ Vallisoletanæ suum votum præberet, quod nouissimè fecit, & mihi impressum legendum præbuit Illustrissimus, & Doctissimus Dominus meus Zurita, Sacræ Rotæ Auditor.

2. Itaque dictum Collegium ad propositam quæstionem per octo §. negatiuè respondet, & firmat supradictos emittere verum semen, nec obstare, quod testicula reponantur intra inguien, nec obstare etiam, quod valde notandum est contra aduersarios, modum curationis, quæ omnia validissimis rationibus confirmant depromptis ex visceribus artis Medicinalis, & Auctorum huius facultatis. Et hoc votum Medicorum subscribere postea Professores S. Theologiæ, ac Professores Iuris Canonici, & Cæsaræi inclytæ Vniuersitatis, qui omnes sunt numero 22. asserentes ita curatos non esse inhabiles ad contrahendum matrimonium, nec comprehensos esse in Bulla Sixti V.

3. Ex quidem ego huic sententiæ libenter adhæreo, quam ante docuit insignis Basilius Pontius *de matr. lib. 7. cap. 6 8. n. 3.* cui ego addo alium Doctorem Hispanum non obseruatum à Dominis Professoribus Vallisoletanis, nempe Leandrum ex Reformatis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, qui testatur se loquutum fuisse cum quodam homine sic curato ab Herniistis, qui duos habebat filios, sic itaque ait *de Sacr. tom. 2. tract. 9. disp. 21. q. 16.* An fuerit habilis ad matrimonium ille, à quo Chirurgus vnum læsum testem auulsit, & alium læsum, non, sed intra corpus recondidit, ne qua intestinorum descensuri pateret via? Respondeo habilem fuisse, propter modum Sixti V. Quia ille Pontifex eos tantùm Eunuchos inhabiles ad matrimonium esse declarauit, qui vtroque teste caterent: sed ille de quo in casu quæritur, non caret vtroque teste, neque qui remansit attritus fuit, vt supponitur, sed inter illos computandus, quos Sixtus V. inhabiles ad matrimonium reddidit, & declarauit. Confirmatur, & declaratur hæc ratio, nam ideò testis ille intra viscera reconditus, non ideò factus est inhabilis elaborationi seminis, aut effusioni: ergo perinde ille habilis est, ac si vnus testiculus pendens remansisset, & integer in suo statu naturali, vt bene probat Basilius *lib. 7. de matr. cap. 68. n. 3. addens in fin.* quod si nullus ex his quibus ea curatio adhibetur, filios suscepit, parum interest, si verum semen emittitur, barba, pilisque non flaccidis, sed virentibus ornati sunt, neque enim generandi potentia requiritur ad matrimonij valorem, sed coëundi, & vere seminandi. Sic ille. Cuius additis in fauorem ego superaddo, me in quodam insigni huius Diœcesis Toletanæ oppido vidisse hominem, cui casus omnino idem ab infantia contigit (vt testis oculatus mihi narrauit) barba virentibus nimis pilis ornatum, & liberos valde pulchros habentem, quos ego pluries vidi, plurieſque illis loquutus fui. Cuius veritate casus supposita, indubia certè manet nostra, & Basilij sententia. Hucusque ex Pontio Leandrus, & nouissimè post hæc scripta visum inuenio hanc sententiam docere etiam nostrum Patrem Verricelli *de Apostol. Mission. tract. 14. quæst. 143. sect. 7. num. 70.* quorum doctrina magis procedit in casu nostro, in quo non vnum tantùm, sed duos testiculos intra inguien reponunt Herniatæ.

4. Dicendum est igitur supradictos non esse arcendos à matrimonio contrahendo, nec esse inclusos in Bulla Sixti V. tanquam spadones, & eunuchos, quod præter superiùs dicta apertè probatur ex his, quæ de istis adducit eruditus Iurisconsultus Petrus Tolosanus *in Syntagm. iuris lib. 7. cap. 2. num. 27.* vbi sic ait: Porrò quæ de eunuchis dicta sunt, intelligenda sunt de triplici eorum specie; in triplici namque sunt differentia, vt monuit Theophilus in Iuris Ciuilis institutionibus, § *sed & eunuchi, de adop. lib. 1. instit. tit. 11.* § *sed & illud eod. tit. cap. Iustinian.* Quidam enim sunt Spadones, alij Thlibiæ, alij Castrati. Spadones propriè sunt qui steriles nascuntur, & frigidi, & impotentes natura, vel propter aliquod vitium ad coitum, vt ait Aristoteles *lib. 2. de generat. animal. cap. 5.* & Deus ipse annotauit Matth. 19. *& Summi Pontifices, Alexand. in cap. 1. & 3. & tot. tit. de frig. & malefic. lib. 4. Decretal. tit. 15.* vnde Columella *lib. 1. de re rust.* vbi agit de arbor. per translationem, arboris surculos fructum non ferentes spadones nominat. Dicere tamen possemus spadones melius ab etymo propriè eos, quibus cremasteres, vel colei euulsi sunt à verbo σπάω, euello, cui consentit Vlpianus *l. 4. §. idem.* D. Adrian. *ad l. Cornel. de sicar. lib. 48. P. tit. 8.* obtinuit tamen apud Theophilum, vt ij tantùm quos natura, vel vitium reddit coitui inutiles, spadones propriè dicantur, etsi spadonum generalis sit appellatio, continens tam eos qui natura spadones sunt, quàm Thlibias, & Thlasias, & si quod aliud genus spadonum sit ex Vlpiani responso, *leg. Spadonum 128. de verb signif. lib. 50.* P. Thlibiæ sunt Eunuchi, quibus à nutrice, vel forsitan à matre extriti sunt testiculi, *d. § sed & illud, de adopt.* Eunuchi, inquam facti κατὰ πίεσιν, id est per compressionem, quando relaxatis membris infantium aqua calida digitis testiculi comprimebantur, vsque dum abolerentur, & euanescérent, vt notat Paulus Ægyneta *lib. 6.* vbi agit de illis. Castrati sunt quibus exsecta sunt membra virilia, *d. §. sed & illud de adopt.* Sic enim distinguit Vlpianus *in l. si serua 40. § si spadonum de iur. dot. lib. 23. P. tit. 3.* Spadonum natura, ab Spadone castrato, dum de matrimonio agitur, & dote, vt cum illo possit esse matrimonium, & dos, quia vitium, & frigidas naturæ possit emendari: cum hoc nequaquam, qui omnino est impotens hoc modo quoque distinguit *in leg. sed & quæsitum 6. de liber. & posth. lib. 28. P. tit. 3.* dum de institutione posthumi ab spadone facta agit, vt ille instituere possit, hic nullo modo. Accedere potest aliud genus castratorum eunuchorum, quibus amputabatur penis & colei, quos Luithprandus *lib. 6. de reb. per Europam gest. cap. 3.* vocare *Carsamatia* Græcos ait. Hucvsque Tolosanus cui ego addo Balsamonem *in Can. 24. Apost.* Antonium Augustinum *lib. 5. emendat. cap. 5.* & Gibalinum *de irregularit. cap. 3. part. 4. consect. 4. n. 12.* Cum itaque clarum sit, tria esse Eunuchorum genera. Primò Thlibiæ, quia ab infantia genitales partes amiserunt, eo quod à parentibus illis expressæ, & inutiles redditæ sint. Secundò, spadones qui à natiuitate testiculos non habent: & tertiò castrati, qui ferro exsecti sunt. Non video quomodo supradictos homines de quibus loquimur in Bulla Sixti V. comprehensos esse, cum tantùm Pontifex ibi loquatur de spadonibus, & Eunuchis inter quos hos homines minimè annumerandos esse patet ex his quæ obseruat Tolosanus, & alij vbi supra.

5. Quod confirmatur auctoritate Gasparis Hurtadi *de matrim. disp. 22. diffic. 5. num. 17.* Martini Perez *de matrim. disp. 37. sect. 3. num. 5.* & aliorum asserentium spadones, & eunuchos ex motu Sixti V. ideo esse inhabiles ad contrahendum, quia vtroque teste carent, vel quia habent testes concussos, seu attritos, vnde verum semen non possunt emittere, sed in casu nostro isti homines non carent testiculis, nec illos habent concussos, vel attritos, vt testantur Herniliz- ergo verum semen emittunt, quod experientia demonstratur: nam aliqui ex illis filios procrearunt, vt patet à pluribus exemplis allatis à Pontio, à Leadio, & à docto Collegio Vallisoletano. Dicere autem fuisse filios spurios hoc est reiiciendum tanquam dictum iniuriosum, non solum filiis, sed etiam honestis parentibus

6. Sed dices hos homines, licet non sint propriè spadones, & Eunuchi largo modo tales dici possunt tanquam inepti ad emittendum verum semen, quia habent testes non extra, sed intra inguina. Ad hoc non obstare ait Pontius vbi supra, quia ex eo, quod intra corpus recondantur, non habent qualitates contrarias, sed similes; cùm testis quilibet sint caliditas, & humiditas: conseruatio autem fit à similibus. Id ipsum etiam conuincit, quod feminei testes sint etiam intra corpus recluſi. Imò eadem cum viro genitalia habere fœminam, positione tantùm, magnitudine differentia iam pridem docuit Galenus *lib. 2. de semine*, his verbis. Est enim proportio matrima inter genitalia masculi, & fœminæ, omnia siquidem genitalia membra tum masculus, tum femina habere eadem videntur, positione tantùm, & magnitudine differentia. Quin & vasa testes nutrientia vtrique sexui ex eisdem venis, & arteriis proceduntur, &c. Quod ergo intra corpus testes collocentur, nihil obest naturali eorum conseruationi, & temperamento, & ex consequenti, neque veri seminis elaborationi, sed neque obstat effusioni seminis geniti ab eo testiculo, quod quidem sanè constabit legenti Galenum *de semine*, vbi non recta via, sed per ambages & flexuosos meatus semen & elaboriati, & descendere in pudendum facilè comperiet.

7. Instabis iterum, quod saltem ex modo eunuchionis hos homines non posse emittere verum semen, videlicet ob solutionem continuitatis in tunica externa testiculorum. Sed hoc absolutè negant Medici Vallisoletani in supradicto voto, § *Ser ius*. Tum quia, vt supponitur ex Herniſtis, quibus est standum tanquam peritis in arte per curationem leuis sit tunicæ scissio, & quæ facilè à natura curatur sine eo quod artus, & caro testiculi patiantur. Tum quia, dato quod tota tunica nudaretur, non impeditur seminis prolifici generatio, prout neque in testibus mulierum carentibus illa. Tum quia vni lotione facta vulnus abstergitur, & curatur à natura, prout contingit in leuibus externis vulneribus. Tum quia seminis generatio perficitur à carne testium, prout est pars similaris, media facultate, & tempetie illorum, quæ non patitur ex vi curationis: ergo ex vi illius non impeditur prolifici seminis generatio. Sic Medici Pinciani in voto §. 8. qui etiam in §. 6. probant in casu nostro non nudari testiculos à tunica erytroyde. Itaque in casu dictæ curationis testes non amittunt, nisi situm & locum, non autem qualitates, & substantiam quam priùs habebant: ergo verum semen emittere possunt.

8. At his minimè obstantibus, in Hispania non desunt aliqui Medici, & Theologi asserentes contrarium, nempe supradictos non posse contrahere matrimonium ex defectu emissionis veri seminis. Vnde sequitur nostram sententiam ad summum tantùm probabilè. Verum vbi agitur de validitate Sacramenti, non sufficit sequi opinionem iudicatam practice probabilem, sed eligendam opinionem omnino securam, cùm non subest extrema necessitas, cui aliter prouideri non possit. Et ratio est, quia hoc distat inter iudicium de iure, nimirum, quando dubitant

dubitatur, an aliquid sit licitum, nec ne: & iudicium de facto, id est, an res hoc modo facta valeat nec ne, quo prius ordinem ad operandum dicat, atque ita omne malitiæ periculum, quo forsan est in re ipsa tollit: posterius verò dicat ordinem ad rem ipsam, nec periculum irritationis rei tollat. Quare in priori casu excusatur sequens opinionem probabilem, non autem in posteriori. Quippe quantumuis opinio probabilis sit, non cessat periculum irritationis. Sic sustinent Petrus de Soto *lib. de institut. Sacerd. sect. 2. de Eucharistia*, Suarez 4. *tom. in 3. part. disp. 26. sect. 6. n. 5. & 3. tom. in 3 part. disp. 21. sect. 4. ad fin.* Quibus adde Bressum *lib. 5. cap. 10. n. 105. & 111.* Merollam *tom. 1. disp. 3. cap. 4. dub. 3. n. 134.* Lanfrancum *opusc. 1. cap. 4. n. 6.* & qui penes me instar multorum est, sapientissimum, & amicissimum Patrem Bardi *de conscient. discep. 4. cap. 31. n. 7.*

Sup. hoc in tom. 8. tr. 1. lege doctrinam Resol. 2. & si placet alias eius annot.

9. Respondetur primò, quod loquendo de Sacramentis quæ non sunt de necessitate salutis, vt Confirmatio, Matrimonium, Extrema-Vnctio, satis est quod minister in eorum administratione sequatur opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori. Fundamentum est, quod hæc Sacramenta non sunt de necessitate salutis, atque adeo non sequitur ex hoc, quod fiant irrita, sequendo probabilem opinionem, minus tutam, tam graue inconueniens, sicut in aliis, vt ratione illius teneatur minister necessariò sequi probabiliorem, & tutiorem sententiam. Et ita docent Lorca *cap. 2. D. Th. disp. 48. mem. 2.* & Martinez *ibid. dub. 6. §. item notandum*, & ego olim. Sed quia nunc adhæreo contrariæ sententiæ, cum Ildephonso in prima secundæ *tom. 3. disp. 208. dub. 12. const. 5. n. 808.* & aliis, ideò.

Sup. hoc supra in tr. 5. Resol. 19. §. 1. sed lege eam per totam, & Resol. & §§. eius annot.

10. Respondeo secundò, quod in materia Sacramentorum, vbi sunt variæ opiniones de integritate, validitate, & effectu eorum, licet sequi opinionem probabiliorem, vel probabilem, & minùs tutam, cum duplici tamen limitatione. Prima, vt sit in re, quæ non sit contra Ecclesiæ vsum, consuetudinemque, vel præceptum de tali modo in administratione Sacramentorum seruando. Secunda ne pars minus tuta deroget obligationi charitatis, & misericordiæ respicientis remedium proximi. Et ratio est, quia cum hac duplici limitatione non potest alia culpæ ratio adesse sequendo opinionem probabilem, nisi aut ratione irreuerentiæ Sacramenti, aut ratione periculi irritationis. Neutra autem ratio in tali casu habet locum ad inducendam culpam. Non prior, quia nulla est irreuerentia Sacramenti illud administrare cum periculo, vt sit irritum, sequendo opinionem probabilem, quia quando quis sequitur opinionem probabilem, prudenter putat illum esse conuenientem modum ministrandi, & nulli se contrauenire præcepto, nec irritari Sacramentum, quare sicut credens probabiliter aliquid non esse contra præceptum Diuinum, ob id faciens illud non infert iniuriam Diuino præcepto, ita non irrogat iniuriam Sacramento, qui probabiliter credit illum esse conuenientem modum ministrandi. Neque etiam posterior ratio habet locum, quia quamuis sit periculum irritandi Sacramenti, ut illud suo gratiæ effectu frustrandi, id etiam contingere potest quando quis in praxi sequitur opinionem probabiliorem, & ad rectè operandum, & ne censeatur homo culpabiliter se periculo exponere, satis esse, si id efficiat cum prudenti assensu dictante probabiliter id esse licitum, ac Sacramentum non reddi irritum, quare cum dictæ duæ prædictæ limitationes in nostro casu adsint, quia & vsu, & præcepto Ecclesiæ non reperitur prohibitus modus contrahendi iuxta hanc nostram sententiam, & etiam non derogatur obligationi charitatis: tum quia matrimonij sacramentum non est institutum ad iustificationem peccatoris, sed in subiecto in gratia existenti auget gratiam, quod augmentum, dato quod matrimonium sic celebratum esset à parte rei irritum contrahentes possunt commodè alia via restaurare: tum quia nullum nocumentum illis contingit, ipsis inuitis, cùm voluntariè, & spontaneè, & non coactè contrahant, ac proinde priuatio illa augmenti gratiæ (supposito, quod tale matrimonium foret nullum) se teneret ex parte ipsorum contrahentium, & recipientium Sacramentum, quo casu non derogari obligationi charitatis, si minister Sacramenti sequatur opinionem probabilem minus tutam in eiusdem Sacramenti administratione dicendum est. Et hæc omnia in casu simili de valore matrimonij comprobat Bossius *de contractu matr. cap. 4 §. 11. n. 21.* qui citat Vasquez, Salas, & alios, quibus adde doctum Tamburinum *in Decal. lib. 1. cap. 3. §. 4. n. 20.*

11. Sed licet hæc responsio sit communis inter Doctores, ego tamen respondeo tertiò nostram opinionem non esse solùm probabilem, sed certam, vt apertè patet ex exemplis allatis, quod homines sic ab Hernistis curati plures filios procrearunt.

12. Vnde ex his omnibus patet posse in Hispania, vel vbicumque terrarum Parochos, Vicarios, ac Dominos Episcopos admittere supradictos homines de quibus in hac quæstione loquuti sumus ad contrahenda matrimonia sine vllo scrupulo, aut hæsitatione; & post matrimonium contractum si aliquis ex illis nullitatem in foro externo tentaret, Iudices Ecclesiastici contra illos debent sententiam pronunciare, quia in conflictu opinionum illa est amplectenda quæ fauet valori matrimonij. Ita post Hostiens. Butr. Abb. *in cap. si vir, de cognat. spir.* Felin. *in cap. 1. de Sponsa. n. 6.* M. Ant. Cuccus *lib. 5. tit. 11. n. 257.* Beret. *cons. 80. n. 21. & 22.* Gaill. *obseru. lib. 2. obs. 94. n. 19.* Menoch. *d. lib. 2. præsump. 71. n. 30.* Aug. Barbosa *tom. 1. collect. ad decret. lib. 2. tit. 20. c. 47. n. 8. tit. 27. c. 26. n. 2. & 3. in fin.* Francis. Molin. *de compar. 17. lib. 1. n. 15. in fin.* Sanch. *disp. 18. lib. 1. n. 6.* & alij relati ab eodem Sanchez. Imò addunt hoc faciendum esse à Iudice etiam contra communem, & præferre opinionem singularis alicuius Doctoris celebris, quæ in probabili ratione fundata matrimonio faueat, illudque sustineat, opinioni plurium Doctorum illud impugnantium, nisi textui aperto inuitatur.

Sup. hoc supra in Resol. 72. §. Verùm, cursim in fine, à vers. Porque la opinion. & in Resol. 74. §. vlt. prope finem, à vers. Nam vt ex multis, & in Resol. 78. recitanter in §. Verum ego Sup. hoc latè supra in Resol. 135. & in aliis eius primæ annot. pro hac quæst.

13. Sed in nostro casu pro validitate, adest votum totius celeberrimæ Pincianæ Vniuersitatis, ac Basilij Pontij, & Leandri. Ergo à Iudice Ecclesiastico pro valore matrimonij pronunciandum esse omnino dicendum est.

14. Nota verò, quod difficultas à me superiùs resoluta, discutienda erit in Sac. Congr. Conc. Trid. vnde si forsitan Eminentissimi Domini mei Cardinales aliter sentirent, ego omnia superiùs dicta abnego, & puto necessariò eorum determinationi standum esse. Nam Purpuratorum Patrum responsa tanquam Oracula veneranda esse semper existimaui.

RESOL. CLXVII.

An, vt mulier trãsire possit ad secundas nuptias, sufficiat præsumptio verisimilis & probabilis de morte viri? Et an Confessarius in conscientiæ foro id ipsi permittere possit, & index in foro externo, si post celebratas nuptias causam intelligeret, neque mulierem punire, neque à secundo viro separare deberet, donec cognitum esset priorem maritum adhuc viuere? Ex p. 3. tr. 4. Resol. 213. aliàs 214.

§. 1. HIc casus frequenter accidit, & negatiuè respondendum est ex his quæ adducit Sanchez

Quamuis non plenè

sup. hoc lege tamen supra quid in hoc casu accidere potest, ex latissima doctrina Res. 132. in fine, vers. Vbi respondet, & non pigebit plus scire in Res. 133.

chez *tom.1.lib.2.disp.46.quæst.1.* Villalobos *in summ. tom.1.tract.1.diffic.25. num.2.* & Doctores, quos ad satietatem citat Barbosa *in collect. tom.2. lib.5. tit.21. cap.2.n.3.& 4.* vide etiam Basilium Pontium *de matr. lib. 7. cap. 52. per tot.* qui omnes requirunt certum nuncium, & famam de morte viri.

2. Sed his non obstantibus, vt optimè notat Layman *in Theol.mor.lib.5.tr.10.p.3.cap.3. n.2.* probabilis est illa sententia, quod mulier in tali casu nihil peccaret, si cum eiusmodi valde probabili persuasione, ac præsumptione, atque instissima credendi causa, quod prior maritus mortuus sit, adeoque bona fide si nemo se illi opponeret, ad secundas nuptias transiret. Vnde confessarius in conscientiæ foro id ipsi permittere, & iudex in foro externo, si post celebratas nuptias causam intelligeret, neque mulierem punire, neque à secundo viro separare deberet, donec cognitum esset priorem maritum adhuc viuere, idque apertè sumitur ex *cap. cùm per bellicam 33. q.1* Ratio verò est, quia in moralibus, in quibus certitudo omnino haberi non potest homini, ad instituendas actiones suas, sufficere debet probabilissima, licet non omnino certa opinio, seu præsumptio. Ita Layman, qui citat D. Antoninum, Rosellam, Sylvestrum, & Philiarchum, & in facti contingentia, de hoc casu nouissimè interrogatus fui, & cum doctrina Layman consului nihil innouandum, donec veritas de morte viri magis eluceret.

RESOL. CLXVIII.

Quis commisit adulterium cum promissione ficta contrahendi post obitum viri, quæsiuit postea, an contraxerit impedimentum?

Et an dato, quod dicta promissio sit facta serio, & ex animo, tamen hoc non obstante, requiratur, vt ab altero acceptata sit, neque satis est ad contrahendum hoc impedimentum tacita acceptatio. sed requiratur promissio mutua, & reciproca? Ex part. 3. tr. 4. Res. 197. alias 198.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docent Sanchez *de matr.tom.2.lib.7.disp.79.n.10.* Coninch *de sacram.disp.31.dub.5.n.57.* Veracruz *in specul. p.1. art.34. concl.9.* & alij.

Sup. hoc in Res. seq.

2. Sed contrariam sententiam tuetur Henriquez *lib.12.c.14.n.3.in fi.* Emanuel Sà *de matr.imped.n.7.* & hanc opinionem ego probabilem esse puto cum Layman *in Theol.mor.lib.5.tr.10.p.2.cap.10.n.4.* Igitur, vt contrahatur hoc impedimentum, opus est, vt promissio matrimonij seriò, & ex animo fiat, non fictè, cùm alioquin non censeatur promissio. Vnde sequitur, quod talis promittens sine vlla dispensatione possit contrahere matrimonium cum adultera, si vir illius postea obierit.

3. Notant etiam probabiliter Layman, & Henriquez *vbi supra*, Villalobos *in sum. tom.1. tract.14. diffic.11.num.9.* & alij contra Sotum *in 4.dist.37. ver. vnica, art.4.* Lopez *p.2.cap.54.* & alios; dato, quod dicta promissio sit facta seriò, & ex animo, tamen hoc non obstante requiritur, vt ab altero acceptata sit, neque satis esse ad contrahendum hoc impedimentum tacitam acceptationem, sed requiri promissionem mutuam, & reciprocam, quod est valde notandum; sicut etiam est illud, quod dictus Layman aduertit contra Sanchez *lib.7. disp.79. num.11.* Nauarrum, & Rodriguez, nempe ad contrahendum hoc impedimentum opus esse, vt promissio sit pura, aut saltem ante mortem coniugis purificata, cùm alioquin non sit simpliciter facta promissio, quippe adhuc suspensa, & pendens à futuro euentu: & ita

Sup. hoc in Res. not. præteritæ, §. vlt.

etiam docuit ante Layman Ægidius Coninch *in serv. disp. 31. dub.5. num.59.*

RESOL. CLXIX.

An promissio adulteri ficta inducat impedimentum matrimonij?

Ex quo infertur, quod fictè rebaptizans in fine conscientiæ excusatur ab irregularitate, & fictè proferens hæresim non incurrit pœnas, & censuras hæreticis impositas.

Et quæritur, an promissio de matrimonio contrahendo non inducat impedimentum, debeat esse externa, & acceptata, vel an taciturnitas obligationem, & acceptionem inducat? Ex part. 9. tr. 7. & Misc. 3. Res. 26.

§. 1. SVppono adulterium coniugis coniunctum cum promissione ducendi eum cum qua adulteratur, esse crimen dirimens ex iure Ecclesiastico, matrimonium sequutum cum ea: & id quod dicitur de adultero, dicendum est de adultera. Hoc supposito, ad quæstionem propositam affirmatiuè respondet Castrus Palaus *tom.5. disp.4. punct.12.n.11.* Guttier. *de matr. cap.105.n.28.* Coninch *de sac. disp. 31.dub.5.n.57.* & Sanch. *lib.7. disp.79. n.10.* Quia ex promissione seriò facta, & cuius fictio non cognoscitur ansa occidendi coniugem, æquè sufficit ac ex vera promissione. Ius autem hoc impedimentum constituit ad dictam occasionem tollendam. Ergo promissioni apparenter veræ hoc impedimentum censeri debet appositum. Deinde præcepta Ecclesiastica cadunt in actus externos, & eosdem punit Ecclesia: nam de interioribus nihil iudicat, sed ille exteriùs promittit: ergo contrahit pœnam, seu impedimentum tali crimini iniunctum.

2. Mihi verò magis placet negatiua sententia, quam tuetur Hurtado *de matr.disp.23 difficul.2.n.9.* Henriq. *lib.12.cap.14.n.3. in fin.* & alij. Quod probatur exemplis fictè rebaptizantis, & fictè proferentis hæresim: nam rebaptizans ille in foro conscientiæ excusatur ab irregularitate, quia actus ille vere in ratione culpæ non est peccatum consummatum rebaptizandi, sed est tantùm imperfectum in eo ordine, & ideo non est sufficiens ad contrahendam irregularitatem, quæ imponitur propter delictum perfectum, & consummatum in illa sua specie. Ille etiam alius exteriùs hæresim proferens, veram fidem animo, & mente retinens, non incurrit pœnas & censuras hæreticis impositas, quia reuerà non est simpliciter hæreticus, sed solùm cum addito, scilicet exterior hæreticus, seu fictus. Sic ergo in præsenti, qui sine intentione exteriùs dat fidem matrimonio, reuerà non est promissor, sed fingit se promissorem: & ideò, quamuis in hoc etiam grauiter peccet, non tamen propriè est illa culpa, propter quam impedimentum dirimens impositum est. Et licèt Sanchez conetur ad hæc exempla respondere, ad eius tamen responsionem respondet Perez *loc. cit.*

3. Sed si hic obiter quæras, cùm promissio de matrimonio contrahendo, vt inducat impedimentum debeat esse externa, & acceptata, an taciturnitas inducat acceptationem. P. Perez *vbi sup. sect.5.n.4.* cum Pontio, Coninch Rebell. & Hurtado affirmatiuè respondet. Ratio est, quia cùm adulteri se mutuò amèn, censentur expetere mutuũ matrimonium, ideoq; vnus alteri hoc promittit, tanquam fauorabile. In his verò quæ fauorabilia iudicantur ab eo cui offeruntur, & vt talia ei offeruntur, quamuis in reipsa nó sint fauorabilia: *Qui tacet, cõsentire videtur. de reg. iur. in 6. reg.43.* Verùm negatiuæ sententiæ adhæret Sanch. *lib.7. disp. 79.n.25.* Guttierrez *de matr. cap.105.n.28.* & Castrus Palaus

Palaus *vbi sup. n.* 10. Nam esto matrimonium, vt quid fauorabile offeratur, de facto tamen, vt offertur, fauorabile non est: tum, quia acceptans inhabilis redditur ad illud matrimonium contrahendum, & pœnis Ecclesiasticis subiicitur: tum, quia in probabili sententia obligatur ad repromittendum, quod oneroſum est. At cum promissio non est gratuita, sed onerosa, onúsque continet, non censetur acceptari ex sola taciturnitate, vt tradunt Doctores *in regula, Qui tacet, de regul. iuris, in 6.* & l. *Quæ dotis, ff solut. matrim.* Neque obstat, quòd promissarius ignorauerit onus, quod ex acceptatione promissionis subiit: quia ea ignorantia, vtpote iuris, non præsumitur, & cùm taciturnitas, sola iuris præsumptione consensum inferat, nullatenus in præsenti inferre potest. Vnde vtramque sententiam probabilem esse puto. Ego verò magis adhæreo primæ sententiæ: quia, cùm adulteri se mutuò ament, cæco amore ducti maximè appetunt illud matrimonium, tametsi non ignorent esse onus, & impedimentum illius: vnde, qui tacet, censetur acceptare id, quod sibi iudicat fauorabilius, & quod ipse maximè appetere censetur.

RESOL. CLXX.

An si quis adulterauit cum coniugata cum promissione sumendi illam in vxorem, mortuo marito; possit absque dispensatione Pontificis matrimonium illud inire, si dum commisit adulterium, nesciebat impedimentum dirimens ex illo proueniens?

Idem est, si interfecit virum ad finem contrahendi matrimonium, si ignorabat inuincibiliter ex hoc crimine non potuisse sequi matrimonium, absque dispensatione Pontificis.

Et an, vt incurratur hoc impedimentũ sufficiat, vt vnus contrahentium sciat huiusmodi impedimentũ, vel requiratur scientia ex parte vtriusque contrahentis?

Et infertur, an affinitas ignorata ante matrimonium dirimat illud?

Ex quo cursim etiam deducitur, quod si quis haberet copulam cum matre, & haberet copulam cum filia ignorando inculpabiliter impedimentum affinitatis, nam si hoc non obstante contraheret cum ista sine pœnia dispensatione, matrimonium esset nullum. Ex part. 10. tract. 13. & Misc. 3. Resol. 51.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Baucius *in Miscellaneis Casuum Conscientiæ, tom. 2. Opusc. 1. qu.* 176. vbi sic ait: Quis commisit adulterium cum promissione contrahendi matrimonium secuta morte alterius Coniugis, vel interfecit virum ad finem contrahendi Matrimonium, sed ignorauit inuincibiliter ex hoc crimine non potuisse sequi Matrimonium absque dispensatione Summi Pontificis, an inciderit in hoc impedimentum dirimens? Respondetur, hunc casum non inueni apud Sanchez, qui diffusè agit de Matrimonio, nec apud amiciſſimum Dianam, qui profitetur peregrinas opiniones Doctorum edere in lucem ad vtilitatem Fidelium, & ad tollenda peccata mundi; ac proindè operæ pretium existimaui typis mandare doctrinam Paludani à mentibus Fidelium abolitam, cùm hic Auctor sit antiquus, & apud Bibliopolas non reperiatur. Ait hic Auctor *in sent. dist. 34. q. 2. n.* 17. & citat Canones, quod requiritur scientia huius impedimenti, ad hoc vt incurratur tale impedimentum: quam scientiam huius impedimenti Paludanus requirit ex parte vtriusque contrahentis ad hoc vt incurratur supradictum impedimentum, nec sufficit vt vnus contrahentium sciat huiusmodi impedimentum. Fernandez *in Marcella Casuum Conscientiæ part. 3. cap. 16. sect. 5. in fine* citat Paludanum, & Maiorem, *quæst. 2. dist. 37 quæst. 1 art. 4.* & dicit esse communiorem opinionem, nempe requiri scientiam huius impedimenti, ad hoc vt quis incurrat. Ratio potest esse, quia huiusmodi impedimentum, vt supra dictum, est impositum ab Ecclesia in pœnam delicti: sed pœnas ait Sanchez *in Summa lib. 4. cap. 22. num.* 18. non incurri ab ignoranti illas inuincibiliter, & dicit hanc esse probabiliorem opinionem. Ergo. Hucusque Baucius.

Sup. hoc in tom. 6. tr. 1. ex lata doctrina Resol. 38. § Itaque, post medium, à vers. neque sub nomine, & quamuis non plenè super hoc tamen pro inhabilitate hic infra explicanda, lege infra doctrinam Resol. 241. & si vides omnes alias Resolutiones notationum, doctrinâ repleueris, & facilius hanc quæst. dissolues.

2. Sed si hæc opinio esset admittenda, plures in contrahendis Matrimoniis non egerent dispensatione Pontificia: Vnde ego circà supradicta habeo magnam difficultatem; nam impedimenta Matrimonij dirimentia, non solùm imposita sunt vt pœnæ, verùm principaliter tanquàm inhabilitates; vt rectè notat Lessius *in 3. part. de Sacram. Matrim. c. 7. dub. 1. n.* 130. Cornejo *in 3. part. tom. 2. tract. 6. de Impedim. Matrim. disp. 3. dub. 3. n. 2.* & alij communiter. Ergo ex hoc capite dicendum quod in ipsis non prosit ignorantia; quod non solùm procedit quoad ignorantiam iuris, sed etiam quoad ignorantiam facti, vndè affinitas ignorata ante Matrimonium dirimit illud, vt docet Io. de la Cruz, *in Direct. de Matrimon. art. 5. dub. 9. concl. 2.* & alij communiter. Dicendum itaque, quod matrimonium non tantùm sit Sacramentum, sed etiam ciuilis contractus, immò ratio ciuilis contractus in Matrimonio est antiquior ratione Sacramenti, eiusque fundamentum; contractus autem, vt sit & censeatur legitimus, subest dispensationi reipublicæ, vt patet in omnibus aliis contractibus, potestque respublica varias conditiones exigere, sine quibus contractus non censeatur, vel sit legitimus: potest, inquam, exigere vel ex parte materiæ, vel ex parte consensus, vel ex parte vtriusque: ergo Ecclesia potest certas conditiones exigere, sine quibus mattimonialis contractus non sit validus, & proinde potest instituere impedimenta matrimonium dirimentia. Vnde ex his patet, ignorantiam nihil prodesse, quoad impedimenta Matrimonij.

3. Confirmantur supradicta aliis exemplis, ex lege Ciuili, & Canonica, in quibus prohibetur ne Testamenta condantur, nisi sub certo numero Testium, nec Professio emittatur, nisi completo integro anno nouitiatus, & post annum decimum sextum: Et tamen si aliquis cum ignorantia inuincibili conderet Testamentum, aut emitteret Professionem sine dictis conditionibus cum ignorantia inuincibili, hoc non obstante Testamentum, & Professio essent irrita. Sic & in casu nostro, licèt aliquis committeret adulterium & homicidium cum ignorantia inculpabili impedimenti criminis, hoc non obstante, Matrimonium esset nullum absque præuia dispensatione, sicut etiam foret si aliquis postquam rem habuit cum matre, haberet copulam cum filia ignorando inculpabiliter impedimentum affinitatis; nam si hoc non obstante contraheret cum ista sine præuia dispensatione, matrimonium esset nullum. Et ratio horum omnium est; quia vt diximus impedimenta Matrimonij non imponuntur ab Ecclesia tanquam puræ pœnæ, sed tanquam inhabilitates, & conditiones annullantes actum subsequendum. Vnde patet responsio ad argumentum Baucij; videlicet quòd suspensio, interdictum, & irregularitas non incurritur cum ignorantia inculpabili: Nam respondeo, istas esse puras pœnas, impedimenta autem matrimonij esse inhabilitates, & conditiones annullantes actum faciendum. Ergo est dispar ratio inter vtrumque casum. Ideò supradictæ opinioni amiciſſimi Baucij tam præiudiciali Sacris Tribunalibus Pœnitentiæ, & Dataríæ Romanæ, nolo calculum

meum adiungere: Vnde in casibus ab ipso adductis, dicendum est, illas personas egere dispensatione ad contrahendum Matrimonium. Et post hæc scripta inueni nostram sententiam docere doctum Magistrum Serra *tom. 2. in part. 2. D. Thomæ quæst. 96. art. 4. ad 3.* vbi docet impedimenta Matrimonij non esse propriè pœnas, sed inhabilitates, & ideò ignorantiam ab eis non excusare.

RESOL. CLXXI.

An homicidium ab adultero, & adultera perpetratum animo, & intentione contrahendi matrimonium inter se, si ea intentio non manifestetur, & significetur exterius inducat impedimentum dirimens?

Et infertur, quod Inquisitores excommunicantur, qui odio vel amore ducti iniustitiam reis faciunt.

Et quid, si odium, vel amor sit omnino occultus, & nullo signo, aut opere exteriori manifestatus, aut indicatus?

Ex quibus etiam deducitur, quod Ecclesia actus omnino interiores nec prohibere, nec præcipere potest.

Et notatur, quod si aliquis occidat virum cum animo ineundi matrimonium cum vna ex filiabus Titij, contraheret impedimentum cum qualibet earum. Ex p. 9. tract. 7. & Misc. 1. Resol. 25.

§. 1. NEgatiuè respondet Poncius *de matr. lib. 7. cap. 45. num. 4.* & Hurtad *disp. 23. difficult. 1. num. 3.* Sed hæc sententia non placet Castro Palao *tom. 5. disp. 4. punct. 12. n. 5.* quia Ecclesia non punit intentionem præcisè, sed occisionem externam ea intentione factam, & cùm puniat lege ipsa, & non per sententiam, opus non est de intentione constare, argum. desumpto *ex Clem. 1. §. Verùm de Hæreticis*, vbi Inquisitores excommunicantur, qui odio, vel amore ducti iniustitiam reis faciunt.

Sup. hoc infra post medium §. seq. huius Resol.

2. Verùm ego puto, non esse recedendum à negatiua sententia, quam cum Poncio, & Hurtado tenet doctus, & amicissimus P. Perez *de matr. disp. 33. sect. 1. num. 7.* Quia certum est occultum omninò, & mentale delictum non subiacere Ecclesiæ iudicio, neque punitioni, optima ratione: quia lex est imperium Superioris inferiores ad sui obseruationem obligans: vnde iure naturali oportet inferiorem ad voluntatem Superioris conformari: absurdum enim est ei refragari, & resistere, sicut honestum obtemperare. At conformatio hæc inferioris ad Superiorem in eo solùm attendi debet, quod proprium hominum est: id autem est exterior operatio secundùm rationem: nam spiritualis conformatio Angelorum, & spirituum potiùs videtur, quàm hominum; vel hominum etiam, ea tamen ratione, qua cum Angelis communicant: lex igitur humana humanam postulans obedientiam, eam solùm exposcit in operibus exterioribus, quæ propria hominum sunt, nec communia cum Angelis, ac proinde actus omninò interiores, nec prohibere, nec præcipere potest: quia in illis conformatio obedientiæ humanæ non exigitur. Ex quibus patet responsio ad argumentum Castri Palai. Dico igitur, quòd excommunicatio illa contra Inquisitorem illum non ipsum comprehendit, si odium, vel amor sit omninò occultus, & nullo signo, aut opere exteriori manifestatus, aut indicatus. Quo circa in illa Clementina non excommunicatur, qui odio, vel amore, & gratitudine simpliciter omiserit inquirere; sed is, qui obtentu amoris, vel odij, hoc est, prætextu aliquo non inquirit: at prætextus est, quando aliquo signo talis animus indicatur: quare, si omninò maneret secretus talis affectus, nullam Inquisitor incurreret excommunicationem.

Sup. hoc latissime in to. 5 tr. 8. Resol. 5. §. Notãdum est. & in Resol. 29. §. Et tandem, & seq. & ibi in tr. 10. Resol. 93. cursim in fine à vers. Hæreticus. & ibi in tr. 1. Resol. 14 & late & doctè in tom. 6. tr. 3. Resol. 2. fere post tres columnas ab eius principio, & in to. 3. tr. 1. Resol. 32. §. 1. ad mediũ, vers. Tum quia Ecclesia, & quamuis nõ plene sup. hoc lege tamen doctrinam aliarũ Resol. eius primæ not. & non pigebit.

3. Notandum est etiam hìc obiter, quòd si aliquis occidat, virum animo ineundi matrimonium cum vna ex filiabus Titij, contraheret impedimentum cum qualibet illarum: quia omnes nuncupatim, & expressè intentæ fuerunt. Ita Guttier. *de matr. c. 105. n. 22.* Sanc. *lib. 7. disp. 78. n. 18.* & alij. Sed hæc opinio non caret difficultate: quia, ait Palaus *loc. cit.* esto intentæ omnes sint; sunt tamen intentæ sub indifferentia, & indeterminatione, quæ cum matrimonio consistere nequit. Verùm opinioni Sanc. adhæret Perez *loc. cit. sect. 2. num. 8.*

RESOL. CLXXII.

An impedimenta criminũ sint per dissuetudinẽ sublata?

Et pro praxi huius difficultatis septem casus assignantur in textu huius Resolutionis.

Et aduertitur, quod Confessarij pœnitentibus incestuosis, vxoricidis, &c. non debent imponere onus, vt si contrahere volunt, dispensationem obtineant.

Sed si aliquis scrupulosus, hoc non obstante, dispensationem super his petere velit, eam Episcopus conferre poterit. Ex part. 3. tract. 4. Resol. 258. alias 259.

§. 1. HÆc impedimenta sunt. Primò, vxoricidium. *cap. admonere 33. q. 2.* Secundò presbytericidium, *cap. qui presbyterum, de pœn. & remiss.* Tertiò, matrimonium cum Moniali scienter initum, *cap. is ergo 27. q. 1.* Quartò, si quis propriam prolem de sacro fonte suscepit in fraudem vsus coniugalis, *cap. de ea, 39. q. 1.* Quintò, qui ob peccatum publicam pœnitentiam peragere debuit, *cap. de his 31. q. 2.* Sextò, raptus sponsæ alienæ, *cap. statutum 27. q. 2.* Septimò, incestus cum consanguineis coniugis, aut sponsæ adhuc viuentis, *c. 1. 2. & c. transmissa, de eo qui cognouit, &c.* Saltem intra secundum gradum post Concil. Trident. *sess. 24. cap. 4. de reform. matr.* His suppositis affecto supradicta impedimenta criminum, esse per diuturnam consuetudinem penitus sublata. Et ita docet Coninch *de Sacr. disp. 30. dub. 3. n. 25.* Sotus *in 4. dist. 27. q. vnic. art. 2. prope fin.* Veracruz *in speculo, part. 1. art. 27. concl. 2.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 17. n. 8.* Nauarrus *cap. 22. n. 75.* Basilius Pontius *de matr. lib. 6. cap. 14. num. 4.* quidquid contrarium asserat Rebellius *part. 2. lib. 3. quæst. 18. num. 23.* & alij penes ipsum.

2. Vnde Confessarij pœnitentibus incestuosis, vxoricidis, &c. non debent imponere onus, vt si contrahere volunt super dictis criminibus, prius dispensationem obtineant: nam, vt dictum est, iam per dissuetudinem dicta impedimenta sublata sunt. Sed si aliquis scrupulosus, hoc non obstante, dispensationem super his petere velit, eam Episcopus conferre poterit, sicut ex communi Doctorum sententia notat Nauarrus *lib. 4. consil. 9. n. 5. de consanguin. edit. 2.*

RESOL. CLXXIII.

Dubius de valore matrimonij post bimestre tempus fictum non consummauit, quid facere debeat? Ex p. 4. tract. 3. Resol. 41.

§. 1. IN priori bimestri post contractum matrimonium coniux dubitans de eius valore, siue ante, siue post examen, non tenetur reddere debitum; quia alter non habet ius petendi, & inde sequitur non posse reddere, quia nullum est periculum iniustitiæ, ob quod solum vitandum licitum est reddere cum periculo fornicationis; sed difficultas est quid faciendum, quando coniux nondum consummauit

sùmmauit matrimonium, & post bimestre tempus adhuc dubitat? Vasquez *in* 2.2. *disp.* 66. *cap.* 6. *num.* 33. asserit, quòd elapso illo tempore non debet detinere alterum coniugem perpetuò dubium, sed debet ei detegere dubium, vt ipse etiam interim non petat donec sufficienter examinetur. Hoc intelligit si probabiliter non timetur talem dubij reuelationem nihil profuturam, sed potiùs nocituram; quod si tale sit periculum, tunc debet coniux dubius reddere debitum, ne vltra tempus bimestre signatum à iure, alterum coniugem detineat: obligare autem ipsum ingredi Religionem, cùm reuera possit, vt ita liberum relinquat alterum coniugem, nimis durum est, eo quòd nisi status Religionis sponte susciptatur difficiles soleat habere exitus. Hoc mihi videtur probabilius, tametsi aliqui censeant, huiusmodi debere intrare Religionem, cùm hac via possit periculum incontinentiæ euadere, cui se exponeret sine vlla obligatione, si in principio redderet. Ita Vasquez, cuius sententiam certissimam putat Salas *in* 2.2. *tr.* 8. *disp. vnica, sect.* 22. *num.* 208. quia non tenetur ait ipse, cum tanto detrimento suo, vel alterius, aut Religionem ingredi, aut à redditione debiti in dubio abstinere, vnde licitè illi periculo materialis fornicationis se exponit.

RESOL. CLXXIV.

An coniux dubius de valore matrimonij possit petere & reddere debitum?

Et an coniux dubitans, si præmiserit sufficiens examen de valore matrimonij, & adhuc dubius manet, poterit ne vti matrimonio non solum reddendo, sed etiam petendo; & hoc etiam verum sit etiam quando moraliter est impossibile, adhibita diligentia, posse vinci dubium?

Et an quando dubium valoris matrimonij oritur ex dubio impedimenti impotentiæ, tunc vterque coniux possit reddere, & petere debitum?

Sed difficultas est, an coniux dubitans de valore matrimonij si ante debitam diligentiam petat debitum, teneatur alter ei reddere?

Difficultas adhuc superest, an si coninx dubitans de valore matrimonij contrahendi, illud ineat, possit adhuc petere, & reddere debitum?

Et quid, si vterque coniux mala fide contraxit, an neuter possit petere, nec reddere debitum?

Et quid est dicendum, si coniuges habeant rationes probabiles matrimonium valere, quamuis probabilius iudicetur matrimonium non teneri, an possint in tali casu reddere, & petere debitum?

Et vtrum dubitans de valore matrimonij à se bona fide contracti, quia dubitat de seruitute alterius, possit, ac teneatur reddere debitum?

Et an coniux, qui bona fide contraxit, si postea non dubio suspensionis, sed potius opinetur matrimonium esse nullum, non solum possit reddere, sed etiam petere debitum? Ex part. 4. tr. 3. Res. 15.

Sup. hoc in Res. seq. & lege doctrinam Res. præteritæ.

§. 1. HIc casus agitabitur quando post matrimonium bona fide contractum superuenit dubium de ipsius valore; & in tali casu coniugem ita dubitantem non posse petere, teneri autem debitum reddere, docuerunt præstantissimi ætatis nostræ Theologi, Basilius Pontius *de matrim. lib.* 10. *cap.* 15. Montesinus *in* 1.2. *D. Thomæ disp.* 39 *quæst.* 4. Vasquez *in* 1.2. *disp.* 66. *cap.* 4. Hurtadus *de matrim. disput.* 10. *difficul.* 9. *num.* 39. Rebellius *lib.* 2. *quæst.* 16. *sect.* 2. Turrianus *in opusculis Theologicis, opusc.* 10. *disput.* 4. *dub.* 1. & *disp.* 5. *dub.* 1. Pesantius *in* 1.2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 4. *sent.* 6. & hoc ait Hurtadus, siue coniux bona fide, vel mala fide contraxerit; & ratio est, quia in dubiis tutior pars est eligenda: sed coniugi dubio (siue bona, siue mala fide contraxerit, & siue sit dubius ante sufficientem diligentiam, siue etiam postea) tutius est non petere, quia petendo se exponit periculo peccandi contra castitatem, & eidem coniugi tutius est reddere petenti bona fide, quàm non reddere, quia non reddendo se exponit periculo iniustitiæ contra ius coniugis petendi, & reddendo tantùm se exponit periculo fornicationis contra castitatem, quæ est minus peccatum, quàm dictum iniustitiæ. Ergo coniux in dicto dubio non potest petere, tenetur tamen reddere. Hæc Hurtadus, & in hanc sententiam magis inclinat Martinez *in* 1. 2. *tom.* 1. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 5. *concl.* 2.

2. Sed licèt hæc opinio sit probabilis, tamen contrariam non minus probabilem esse existimo. Dico igitur ante diligentiam adhibitam ad assequendam veritatem teneri coniugem dubitantem reddere debitum, non tamen posse petere, ea tam sufficienter adhibita posse reddere, & petere. Ita Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 46. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 16. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *n.* 5. & 7. Emanuel Sà *ver. debitum coniugale, n.* 7. Sotus *de iust. lib.* 4 *qu.* 5. *art. vlt.* Bannez *in* 2.2. *quæst.* 62. *art.* 6. *dub.* 5. *concl.* 4. & nouissimè Ioannes VViggers *in* 1. 2. *D. Thomæ quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. *n.* 59. & 60 Coninch *de Sacram. disp.* 34. *dub.* 10. Lorca *in* 1.2. *D. Thomæ disp.* 38. Nam possessor bonæ fidei si dubitat rem esse alienam, & facto sufficienti examine, vt infrà videbimus, non potest dubium vincere, potest non tantùm rem detinere, sed etiam illa vti, quia in dubio est melior conditio possidentis. Ergo coniux dubitans si præmiserit sufficiens examen, & adhuc dubius maneat, poterit vti matrimonio non solùm reddendo, sed etiam petendo, & hoc verum est, etiam quando moraliter est impossibile adhibitâ diligentiâ posse vinci dubium, tunc enim, vt notat Sanchez *loco citato n.* 47. potest coniux dubitans nulla adhibita diligentia reddere & petere.

3. Notandum est tamen, etiam stando in prima opinione, illam non procedere, vt notat Pontius, Vasquez, Montesinus, & Hurtadus, *vbi supra*, quando dubium valoris matrimonij oritur ex dubio impedimenti impotentiæ; nam tunc vterque coniux potest reddere & petere debitum.

4. Sed difficultas est an coniux dubitans de valore matrimonij, si ante adhibitam diligentiam petat debitum, teneatur alter ei reddere? Affirmat Corduba *in summa quæst.* 45. *punct.* 3. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 5. *in gloss. lit. T.* vterque Ledesma, Bartholomæus *dub.* 20. *de matrim. concl.* 1. & Petrus *de matr. quæst.* 45. *art.* 1. *ad finem.* §. *ad hoc dubium respondetur*, quia in dubio melior est conditio possidentis; sed in hoc dubio vterque possidet, suppono enim quòd bona fide contraxerint; ergo, &c.

5. Verùm mihi magis placet opinio negatiua Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 45. & aliorum, quia in tali casu coniux dubitans non habet ius ad petendum debitum, donec adhibeat debitam diligentiam ad veritatem assequendam.

6. Difficultas etiam est, an si coniux dubitans de valore matrimonij contrahendi, illud ineat, possit adhuc reddere, & petere debitum. Quando alter solus bona fide contraxit, ita dubitantem non posse reddere, nec petere, docent Sotus *in* 4. *dist.* 27. *qu.* 1. *art.* 3. Bartholomæus Ledesma *de matrim. dub.* 20. & alij. Sed mihi placet opinio Ancharani *in cap. Dominicus, de secund. nupt.* Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 42. *num.* 2. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 5. & 7. *in gloss. litera S.* & aliorum asserentium, coniu-

gem, qui tali dubio contraxit, nullo modo posse debitum petere, teneri tamen reddere alteri bona fide possidenti. Verùm si vterque coniux mala fide contraxit, neutrum posse petere, nec reddere, docet Coninch *de Sacram. disp. 34. dub. 10. num. 102.* & alij *vbi suprà*. Ratio est clara, quia neutri suffragatur possessio mala fide incepta. At si curiosus lector inquirat, quid dicendum in tali casu, si coniuges habeant rationes probabiles matrimonium valere, quamuis probabilius iudicent matrimonium non tenere? posse in tali casu reddere, & petere debitum, affirmat Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 42. n. 8.* Negat verò mordicus Merolla *tom. 1. disp. 3. cap. 3. corollar. 12. difficult. 2. num. 168.* Sed vtraque opinio est probabilis.

Sup. hoc infra in Resol. 176. §. His tamen, in fine.

7. Et tandem pro coronide huius resolutionis, quæritur vtrùm dubitans de valore matrimonij à se bona fide contracti, quia dubitat de seruitute alterius, possit ac teneatur reddere debitum? Respondeo affirmatiuè cum Hurtado *tract. de matrim. disp. 10. diffic. 9. num. 42.* vbi sic ait. Tenetur coniux debitum reddere, quamuis sit dubius de valore matrimonij, quia dubitat an contraxerit cum mancipio ignorata seruitute; quia ex vna parte non reddendo se exponit periculo iniustitiæ contra mancipium, & ex altera reddendo nullum patitur detrimentum, quo excusari possit à reddendo, quia ex eo quòd accedat ad mancipium affectu maritali, vt tenetur accedere, non reualidat matrimonium præcedens, quia non accedit intendendo de nouo contrahere si fortè fuit nullum, quod erat necessarium ad reualidationem, sed tantùm accedit vt soluat debitum si fortè debeat, ne se exponat periculo iniustitiæ. Ita Hurtado, & ante illum Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 43. num. 8.* & alij penes ipsum, quicquid asserat Nauarr. Angles & alij, quos refert Sanchez *num. 2.*

8. Non desinam etiam hîc adnotare mirabilem opinionem Ioannis Salas *in 1. 2. tract. 8. disp. vnica, sect. 22. num. 218.* vbi asserit coniugem qui bona fide contraxit, si postea non dubitet dubio suspensionis, sed potiùs opinetur matrimonium esse nullum, non solùm posse reddere, sed etiam petere debitum; sed tu ne discedas à contraria sententia, quam tuetur Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 44.* quo ad petitionem debiti.

RESOL. CLXXV.

An qui bona fide contraxit, postea dubitans de valore matrimonij, & adhibita diligentia non constet veritas, possit adhuc non solum reddere, sed etiam petere debitum?

Et notatur, quod coniux non tenetur regulariter credere alteri asserenti etiam sub iuramento se non consensisse ab initio, vel aliud dirimens impedimentum subesse, atque adeo dubio deposito potest petere debitum?

Et quid, si adsint aliæ sufficientes circunstantiæ, & coniecturæ, &c. an tunc nec reddere, nec petere possit debitum? Ex p. 3. tr. 4. Resol. 294. alias 295.

Sup. hoc in Resol. præterita, & lege doctrinam alterius Resol. eius primæ not.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Rebellius *par. 2. lib. 2. quæst. 16. sect. 2. num. 11.* Guttierrez *de matrim. cap. 49. num. 28.* & alij, quia canones absolutè decernunt non esse petendum debitum cum dubio absque illa distinctione diligentiæ, antea, vel pòst adhibitæ: quæ etsi in tali dubio locum haberet, necessariò fuerat adhibenda, tanquam ad rem magis pertinens, quàm distinctio de credulitate à Pontifice in canone adducta. Deinde vbi iura non distinguunt, nec nos distinguere debemus; hæc sententia est probabilis.

2. Sed magis probabilem contrariam affirmo, quam tuentur Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *tom. 1. lib. 2. disp. 41. num. 46. & 47.* quibus ego addo Coninch *de Sacram. disp. 34. dub. 10. con. 4. n. 105.* Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 9. num. 343.* Valent. *tom. 4. disp. 10. quæst. 6. punct. 1.* Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 31. cap. 39. num. 299.* Et ratio est, quia possessor bonæ fidei, si dubitat rem esse alienam, & facto sufficienti examine nequit dubium vincere, posset non tantùm rem retinere, sed etiam illa vti; ergo coniux dubitans si præmiserit sufficiens examen, & adhuc dubius maneat, poterit vti matrimonio, reddendo, & etiam petendo. Et hanc sententiam docet etiam nouissimè Villalobos *in summ. tom. 3. tract.*

3. Notandum est tamen etiam hîc, quòd coniux non tenetur regulariter reddere alteri asserenti etiam sub iuramento, se vel non consensisse ab initio, vel aliud dirimens impedimentum subesse, atque adeò dubio deposito potest petere debitum. Ita Doctores citati, nisi adsint aliæ sufficientes circunstantiæ, & coniecturæ, vt asserentis probitas, &c. nam tunc nec reddere, nec petere potest.

RESOL. CLXXVI.

An fœmina, quæ contraxit matrimonium cum impedimento dirimente, si hoc postea sciat, teneatur reddere debitum in tempore, quo petit dispensationem, si adsit periculum vitæ?

Et quid, si vterque id sciat, cursissime queritur?

Et notatur, quod in casu supradicto, si ad Pontificem non pateat accessus ex inopia, vel ex alia iusta causa, potest Episcopus in dicto impedimento dispensare? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Resol. 48.

§. 1. CAsus hic frequenter in praxi potest accidere, & faxit Deus, quòd in illo pullus non pereetur mortaliter, nam Doctores communiter asserunt in tali casu fœminam non posse reddere debitum, & ita docet Villalobos *in summ. tom. 3. tract. 13. difficul. 50. n. 1.* Coninch *de Sacram. disp. 34. dub. 10. n. 96.* Guttierrez *de matrim. cap. 50. n. 4.* Bonacina *de matrim. quæst. 4. punct. 4. num. 17.* Barbosa *in collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 39. cap. 44. n. 3.* Petrus Ochaguia *de Sacram. tract. 2. de matrimon. quæst. 11. concl. 1. n. 2.* Io. de la Cruz *in director. conscien. part. 2. de matrim. qu. 3. dub. 1. concl. 2.* & alij, quos citat & sequitur Sanchez *de matrimon. tom. 1. lib. 2. disp. 39. n. 6.* vnde postea ipse *num. 8.* sic asserit. Ex his infertur tamquam certissimum tenendum esse, coniugem nullitatis matrimonij conscium ob impedimentum dirimens, siue diuino, siue humano iure, in nullo euentu posse reddere debitum viro ignoranti, licèt vitæ periculum ipsa subeat. Ita ille, & ratio est clara, quia si contrarium diceretur, sequeretur fornicationem aliquando esse licitam, videlicet propter famæ, vel vitæ periculum; sed hoc dicere est erroneum, cùm fornicatio sit intrinsecè mala; ergo in tali casu etiam cum vitæ periculo non est reddendum debitum, quia qui in tali casu reddit debitum, certò scit matrimonium esse nullum; ergo certò scit fornicari; ergo si liceret in tali casu reddere debitum, licebit subinde fornicari, & ita hæc sententia determinatur *in cap. inquisitioni, de sentent. excommunicat.*

2. Addunt tamen aliqui, teste Villalobos *vbi supra num. 4.* [Que si la muger sabe el impedimento, y no puede ausentarse que puede cohabitar con animo de negar el debito, y resistir quanto pudiere, y si no consiente, ni coopera con su cuerpo, si no sosla padeçe y permite que el marido trate con ella siendo forçada y callando, que esta segura en conscientia

sciençia. Fauoreçelo Henriquez *lib.12.cap.6.n.8.* Soto *lib.5.de iust. quæst.1. art.5. ad 3.* Nauarr. *cap. 16. n.1. & 13.* en quanto dizen, que la muger no peca, si quando ay miedo de muerte, no resiste con el cuerpo, con tal que no se disponga al acto, ni coopere. Mas dexando à parte lo que ay en este caso, en el caso presente non se ha de tener esta sentençia, la razon es, porque cohabitando con el marido es iusta à acomodarse al pecado, y esta en probabilissimo peligro de consentir.] Italle, & Sanchez *vbi supra n. 16.* cum Corduba *in quæst.lib.1.quæst.11. ad fin.§. penult.*

3. His tamen non obstantibus non desunt Doctores asserentes in nostro casu ad euitandum periculum vitæ posse fœminam licitè permittere vt vir vtatur suo corpore reddendo ei debitum, & ita docet Magister sententiarum, Hugo de Sancto Victore, Hostiensis, Perez, & alij penes Sanchez *num.2.* quibus ex neotericis ego addo in aliquo casu nostrum Molfesium *in summ. tom. 1. tract.4. cap.14. num. 90.* vbi sic ait, Doctores dicunt, vt nec etiam ad euitandam mortem excusetur coniux, sciens impedimentum, non reddere debitum; quod mihi non probatur, quoties hoc impedimentum iam euenisset ex peccato, & sic detegeretur infamia coniugis. Vt si mulier antequam consummaret matrimonium cum viro, rem habuisset cum fratre, vel alio consanguineo viri in quarto gradu, vel cum patre, vel filio viri, quo casu matrimonium sequens esset nullum ob præcedens impedimentum dirimens, tunc puto, si non posset Religionem ingredi, nec adesset iusta causa petendi diuortium, puto, inquam, quòd teneatur reddere debitum, & non detegere turpitudinem suam, qua occidenda sit per virum, & occultè petere debet dispensationem circa illud impedimentum. Sed vrgent contrarij, quia fornicatio nunquam licita est; verùm licèt prædicta opinio sit securior, & practicanda, nihilominus opinio contraria probabilitatem habet in casu proposito, quòd licèt non possit petere debitum, tum tamen alter est in bona fide, vtitur iure suo petendo debitum, & sic potest alter sciens impedimentum dirimens permittere illi, vt suo corpore vtatur reddendo ei debitum ad vitandum publicum scandalum ac mortem, & intentio obtinendi dispensationem potest illum excusare à committendo nouo peccato, nam illa erit fornicatio materialis, & magis teneretur non facere alteri apertam iniuriam, quàm vitare periculum fornicationis materialis, secus si vterque id sciat, quia ex nulla parte excusari possit. Ita Molfesius, & alij *vbi supra*, quorum sententia mihi non placet, & Sanchez illam erroneam & falsam vocat.

Sup. hoc supra in Ref. 74. §. Difficultas. ad medium, vers. Verum si.

4. Notandum est tamen hîc obiter in casu supradicto, si ad Pontificem non paret accessus ex inopia, vel alia iusta causa impediente, potest Episcopus in dictis impedimentis dispensare. Ita Ochagauia *de Sacram.tract.2.de matrim. quæst.11. concl.3. num.5.* & alij *vbi supra.*

RESOL. CLXXVII.

An impetrata dispensatione matrimonij nullius, coniux impedimenti conscius teneatur aperire alteri matrimonium contractum fuisse irritum?

Et docetur quid in prædicto casu sit faciendum?

Et quid est agendum, quando reualidatur matrimonium nullum, quia vni defuit consensus verus, an in tali casu sufficiat, vt renouet consensum absque eo, quod alter, qui vere, & legitime consensit, hoc sciat, & iterum de nouo consentiat? Ex part. 4. tr.4. & Misc. Ref.49.

§.1. HÆc quæstio grauissima est, & prima sententia asserit coniugem ignorantem nullitatem prioris matrimonij debere admoneri eius, vt modò denuo consentiat, & non sufficere eum post ablatum impedimentum, & cum eadem ignorantia antiqua accedere ad vxorem per copulam affectu maritali. Ita Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *de matr.tom.1.lib.2. disp.36. num.8.* quibus ego addo Villalobos *in summ.tom.1.tract.14.difficul.32.num.6.* Ochagauiam *de Sacram.tract.2.de matrimon.quæst.10. num.2.* Basilium Pontium *de matrimon. lib.4. cap.25. num.2.* Comitolum *in resp. moral. lib.1. quæst.120.* Hurtadum *de matrim. disp.3. difficult.10. num.36.* Rebellium *part.2. lib.2. quæst.9. num.4.* Præpositum *in 3.part.D.Thomæ quæst.4. de matrim.dub.18. num.150.* Lessium *de iust.lib.2.cap.17. dub.11. num.76.* Et ratio est clara, quia nihil est magis contrarium consensui, quàm error, *lib.si per errorem, ff. de iurisd.omn.ind.* sed iste talis ex errore, quo putat fœminam esse suam vxorem, in illam consentit, & ad eam per copulam accedit; ergo verè non consentit. Deinde coniux ignarus impedimenti præcedentis, & modò per dispensationem ablati, tantùm intendit cum copula, vel aliis verbis ex errore dictis approbare prius matrimonium, & non aliud de nouo efficere, imò forsan si sciret fieri nouum matrimonium, illud facere recusaret, ergo, &c.

Adelucidandam doctrinam huius Ref. lege supra Ref.145. & vide etiam Ref. annot. seq.

2. Non desunt tamen contrariam tenentes, & ideo illam docent doctissimi Thomistæ, Caietanus *in summ.verb.matrimonium, tit. contractus matrimonij potest reddi ex 7.capitibus vitiosus.* Sotus *in 4.dist. 28.qu.1.art.2.concluſ.3. cas.1.* Paludan. *in 4.distin.46. qu.1.art.2. concl.2.n.14.* Bartholomæus Ledesma *de matrim.dub.17.* Lopez *in instr.part.2. cap.39.* Petrus Ledesma *de matrim.quæst.45. art.7 dub.vlt.§. sed dubium est, quodnam remedium,* & alij multi, & ita hanc sententiam plures Theologos Salmanticenses & Complutenses consultos etiam docuisse testatur Henriquez *in summ. lib.11. cap.3. n.6. in glossa lit. Y.* asserentes coniugem impedimenti conscium obtenta dispensatione, vel impedimento cessante, non oportere alteri aperire prius matrimonium fuisse irritum, sed satis esse si cautè curet vtriusque consensus renouari, vt dissimulanter petendo ab altero, vt pro sua consolatione ipsum habeat in coniugem.

3. Quid ego sentiam dicam breuiter. Prima opinio tanquam probabilior est sequenda, sed quando timetur scandalum, aut graue damnum, & coniux neque ex aliquibus verbis generalibus potest à marito consensum extorquere, tunc sufficit copula procedens ex affectu maritali, & in hoc casu puto sine vllo scrupulo sequi posse secundam opinionem, vt etiam docent Doctores primæ sententiæ, Ochagauia & Sanchez; vnde Villalobos *vbi supra, num.8.* sic ait. [Ha se mucho de notar, que se vuiesse temor de grande escandalo, ò graue peligro, se puede seguir la sentençia que dize, que no es necessario aduertir à la parte ignorante de la nulidad del matrimonio, si no que basta consentir de nueuo el que sabia el impedimento, y Henriquez *lib.11. cap.3. num.6.* dize que es lo mismo, aunque se crea que la persona ignorante auisada de la nulidad no contraheria, que basta, que no tenga entonçes acto contrario, y assi que aquella preparacion habitual del animo de no consentir no obsta.] Italle, quod vltimum etiam docuerat præter Henriquez, Petrus de Ledesma *de matrim.quæst.45. art.3. dub. vlt.*

4. Notandum est tamen hîc obiter, quod Sanchez *lib.2. disp.32. num.9.* Coninch *disp.24. dub. 10. num.90.* & alij asserunt, supradictam doctrinam non esse applicandam quando reualidatur matrimonium nullum,

Sup. hoc supra in Ref. 146. & 147.

nullum, quia vni defuit consensus verus, nam in tali casu docent sufficere, vt iste renouet consensum absque eo, quòd alter, qui verè & legitimè consensit, hoc sciat, & iterum de nouo consentiat Sed contrarium docet Pontius *de matrim. lib.4. cap.24. num.3.* Hurtado *de matrim. disp.3 difficult.9 num.33.* & alijs & ita determinasse Clem.VIII. de hoc casu interrogatum à sacra Pœnitentiaria, testatur Paulus Comitolus *in resp. moral. lib.1. quæst.120.*

RESOL. CLXXVIII.

An in negatione debiti coniugalis detur paruitas materiæ? Ex p.5. tract.5. Resol.14.

§.1. RESpondeo negationem debiti esse peccatum ex genere suo mortale, & contra iustitiam commutatiuam. Ita communiter omnes, & probatur, quia violatio iustitiæ commutatiuæ est ex genere suo mortalis nisi paruitate materiæ, aut alia causa venialis fiat. Dixi esse mortale ex genere suo, quia aliquando potest esse veniale, videlicet ex paruitate materiæ, vt si vno frequenter exigenti, alter rarò debitum neget, aut illud ad breue tempus differat: vt si coniux die neget redditurus noctu, nam leuis materia est sæpissimè concedere, semel, aut iterum negare, aut ad modicum tempus differre, quod intelligendum est, si ex aliqua parte cesset incontinentiæ, pollutionis, aut morbi periculum, nam eo imminenti mortale esset negare, aut differre, & ita docet Cornejo *in 3.part.D Thomæ tract.6.de matrim. disp. 5.dub.1. quæst.2.* & alij.

Sup. his seqq. ab hinc ex doctrina Resol. seq. §.1. post medium, vers. Secundo. vid lege eam per totam.

2. RESOL. XIV. *pag.143. in fine resol.* addantur hæc: Et præsertim Basilius Pontius *de matrim. lib.10. cap.2. num.5.* Non desinam tamen hîc apponere ea, quæ circa præsentem quæstionem docuit Adamus Tannerus *tom.4.disp.8.quæst.6.dub.2. num.16.* vbi sic ait. Quoties secluſa causa iusta negandi debitum, alter coniux, non obstante excusatione, seriò instat, & vrget debitum, mortale est negare debitum. Ex quibus colligitur, nec paruitatem quidem materiæ tali casu à peccato mortali excusari, etiamsi vel semel tantùm iustè, ac instanter petenti (esto ex parte petentis interueniat quædam intemperantiæ culpa) debitum negetur. Nimirum, quia vnicus etiam actus coniugalis, non solùm tamquam debitum fidei coniugalis, sed etiam vt remedium concupiscentiæ, & prolis, seu posteritatis seminarium, grauis materia est. Quare non intelligo quod Sanchez *lib.9.disp.2. num.11* docet, si coniux exigenti neget rarò debitum absque periculo incontinentiæ exigentis, non esse mortale negare debitum. v. g. inquit, solet vir petere quater in mense, & petat iterum non erit mortale vxorem ea quinta vice negare, sine periculo incontinentiæ. Leuis enim res censetur semel, vel iterum negare, vt sit culpa lethalis. Sed re vera si seria, & constans sit petitio, nam rarò petenti negari non poterit sine peccato mortali; quia respectu tantæ raritatis non potest videri parua materia, etiam vnica debiti negatio. Hucvsque Tannerus. Verùm sententiam Sanch. quam ipse impugnat, inuenio docere etiam Pet. Ochag. *de sacr. Matr. tr.5. q.1. num.6.* vbi firmat, esse peccatum leue denegare debitum, quando rarò denegatur, vt si vir quater soleat petere in mense, non est mortale quinta vice debitum in mense denegare. Ita ille. Sed quicquid sit de hoc, suadendum est coniugibus, vt faciles se in hac re ostendant, ne sua morositate animum coniugis ad amores illicitos auertant.

RESOL. CLXXIX.

Coniux quando teneatur reddere debitum petenti sub onere peccati mortalis? Ex part.5. tract.14. & Misc.2. Resol.36.

§.1. SCio ignarum Confessarium aliquando denegasse absolutionem cuidam nobili fœminæ quæ tamen in casu licito negabat aliquando debitum coniugale. Et ideo ad dubium propositum respondet Petrus Ochagauia *de Sacram. tr.5 de matrim. q.1. n.6.* Primò non esse peccatum graue denegare debitum in eo casu, quo alter coniux tantum petit debitum precibus & blanditiis; nisi ex verecundia quis non auderet aliter exigere; patet, quia tunc non vult coniux grauiter obligare, imò sæpe neque leuiter. patet. quia hac ratione excusantur abomni peccato debitores pecuniarij, qui suis creditoribus blanditiis petentibus debita, ea non soluunt. Ita notant Sotus *in 4.dist.32 q. vnic. art.1.* post conclusiones, & Henriquez *lib.11.cap.15 num.7. in fin.* Secundò respondetur esse peccatum leue denegare debitum, quando rarò denegatur, vt si vir quater soleat petere in mense, non est mortale quinta vice debitum in mense denegare; etiam peccatum leue est debitum non statim, sed post breue tempus soluitur debitum, vt si manè exigatur, & reddatur nocte. Tertiò respondetur cum Soto, & Henriqu. *loc.cit.* nullum esse peccatum negare debitum, si nimis crebrò, & immoderatè illud exigatur, secundùm illud commune proloquium,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.

Quartò respondetur absque graui peccato denegare posse debitum, quando alter remisse illud petit, vel rogatus facilè desistit à petitione. Et hæc omnia docet Ochagauia *vbi supra*, & aliqua ex his docet etiam Hurtado *de matr. disp.10. diffic.11.* cum aliis. Dicendum est igitur peccatum graue esse debitum ratissimè reddere, & cum magna difficultate ei, qui seriò petit illud, tum propter discordias, quæ inde solent pullulare, tum propter iniuriam factam alteri consorti eo modo denegando, quod suum est, tum etiam propter periculum incontinentiæ, quod inde potest resultare.

RESOL. CLXXX.

Vtrum coniux teneatur reddere debitum alteri petenti cum peccato veniali, v.g. quoad situm, &c?

Et notatur, quod vir habens votum castitati, si petit, vxor tenetur reddere debitum?

Etiamque aduertitur probabile esse non peccaturam coniugem reddendo debitum incestuosè, qui scilicet peccauit cum ipsius vxoris consanguinea ante dispensationem, quia non cooperatur peccato alterius? Ex part.3. tr.4. Resol.295. alias 296.

§.1. MArtin. Bonacina *de matrim. quæst.4. punct.3. num.9. & 10.* negatiuè respondet, docet enim coniugem non debere debitum alteri coniugi, qui petit modo indebito, quoad situm, nisi adsit iusta causa, ob quam excusetur à petendo tali modo; nam petit illicitè ex circumstantia actus.

2. Verùm ego puto contrarium asserendum esse cum Sanchez *tom.3. lib.9 disp.16. num.8.* cui ego addo Basilium Pontium *de matrim. lib.10. cap.11. num.4.* & Filliucium *tom.1. tract.10. part.1. cap.9. num.308. & 328.* quia peccatum veniale petentis sic debitum in hoc casu nascitur ex ipso affectu petentis, & vehementi

hementi appetitu voluptatis, cui appetitui, & affectui non cooperatur alter coniux reddens, sed exercet actum licitum coniugibus, & ordinatum ad generationem; adhuc enim, & ille modus posset exerceri sine eo appetitu, & affectu. Ita Pontius; vnde contra Henriquez *lib. 11. cap. 16. num. 6.* assero non vix, sed absolutè, & sine vllo scrupulo, posse vxorem reddere debitum viro petenti, qui inuerso modo, seu præposterè succumbens vult illam intra naturale vas cognoscere.

Sup. hoc infra in Resol. 245.

3. Notandum est etiam hîc à confessariis, quòd vir habens votum castitatis, si petit, vxor tenetur reddere debitum, quia per votum non amisit dominium corporis alterius coniugis, sed tantùm peccat exigens; ergo coniux exactus tenetur reddere. Nota etiam probabile esse, non peccaturam coniugem reddendo debitum incestuoso, qui scilicet peccauit cum ipsius vxoris consanguinea ante dispensationem, quia non cooperatur peccato alterius; alter enim peccat tantùm petendo actum sibi prohibitum, at coniux non cooperatur petitioni; sed hac supposita cooperatur actui ex se licito. Et hæc omnia ex Sanchez notat Filliucius *vbi suprà, num. 309. & 310.* quidquid in contrarium etiam probabiliter, quoad redditionem debiti incestuoso, asserat Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 13. diffic. 47. num. 4.* & alij.

RESOL. CLXXXI.

De quibusdam dubiis circa vsum matrimonij?

Primo, quod quidam vir in modo extraordinario coeundi cum vxore aliquam seminis quantitatem extra vas emittebat?

Secundo, quod vir procreandorum liberorum pertæsus in fine copulæ extra vas totum semen effundebat, an inquam in his casibus vxor sine culpa poterat debitum reddere?

Et an in secundo casu vir, & fœmina, si id efficiatur de eius consensu, peccet mortaliter, sed si illa non consentit, possit licite petere, & reddere debitum marito, etiamsi ille in fine copulæ semen extra vas effundat? Ex p. 2. tr. 15. & Misc. 1. Resol. 64.

§. 1. QVidam in modo extraordinario coeundi cum vxore, aliquam seminis quantitatem extra vas emittebat, & procreandorum liberorum pertæsus, in fine copulæ extra vas totum semen effundebat, quæsitum à me fuit, an in his casibus vxor sine culpa poterat debitum reddere? Hi casus possunt in praxi sæpiùs occurrere; ideo cognoscant pudicæ aures. Et ad vtrumque casum respondeo affirmatiuè. Ad primum dico, non solùm quoad vxorem, sed etiam quoad matitum, non esse peccatum mortale, si eo copulæ modo aliqua pars seminis elabatur, dummodo retineatur alia; nam vt docent Medici non retinetur in matrice tota seminis quantitas. Ergo. Neque rursus esse peccatum mortale existimo, quamuis & eo modo concumbendi non ita certum sit fore conceptum, non enim coniuges tenentur vti medio certiori ad prolem suscipiendam; sed satis est, si vtantur conuenienti. Et hæc omnia docet Basil. Pontius *de matrim. lib. 10. cap. 11. num. 3.* qui etiam *num. 8.* affirmatiuè quoad vxorem respondet ad dubium secundum suprà positum, licet aliqui viri doctissimi, vt ipse ait, contrarium sentirent. Dico igitur peccare quidem mortaliter virum, & fœminam, si de eius consensu id efficiatur; at si illa non consentiat, licitè existimo posse petere, & reddere debitum à marito, etiam si ille in fine copulæ semen extra vas effundat. Et ratio est, quia quoties peto actum ab aliquo, quem ille potest benè, vel malè præstare, non pecco, neque præbeo causam peccati; alter enim suâ malitiâ malè facit, cùm rectè possit efficere. Sed hoc totum procedit in casu nostro. Ergo. Et si vera esset contraria sententia, asserit Pontius, non solùm non posset vxor marito, ita prauè affecto, reddere petenti, sed neque ab eo petere; eadem enim militat ratio.

Sup. hoc infra in Resol. 185. & in alio §. eius annot.

Sup. hoc dubio secundo & sequentibus in hoc §. latè infra in Resol. 184. à principio §. Quærendũ est, & vide doctrinam alterius §. eius primæ annot.

RESOL. CLXXXII.

An ne proles multiplicentur, cessante incontinentiæ periculo sit peccatum mortale, non reddere debitum?

Et docetur validum esse pactum inter coniuges initum se continendi à coitu coniugali, ne proles multiplicentur secluso incontinentiæ periculo? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 212. alias 213.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Layman *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 1. num. 16.* qui citat Angelum, Syluestrum; & Nauarrum, & limitat hanc sententiam, nisi eo loco res sita sit, vt ob nouæ prolis generationem patentes, vel proles ad extremam penuriam redigendi sint; quòd tamen iis, qui inter Christianos viuunt, ratò euenier. Ita Layman; vide etiam Coninch *de Sacram. disp. 44. dub. 4. concl. 4. num. 24.*

Sup. hoc in Resol. seq.

2. Sed contrariam sententiam aliqui docent; nam in aliis etiam debitis excusat magna soluendi incommoditas, vel difficultas, & ideo Sotus *in 4. dist. 32. quæst. vnica, art. 1.* Sà *verb. debitum, num. 18.* & alij tenent non esse peccatum mortale cessante inconuenientiæ periculo, ea de causa debitum negare. Sed plus addit Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 64. art. 1. in fine*, & Sanchez *tom. 3. lib. 9. disp. 25.* nam putant in tali casu nullam culpam interuenire.

3. Consentiunt tamen omnes Doctores, validum esse pactum inter coniuges initum se continendi à coitu coniugali, ne proles multiplicetur, secluso incontinentiæ periculo: vide inter alios Paludanum *in 4. dist. 31. qu. 3. art. 2. casu 5.* D. Antoninum *part. 3. tit. 1. cap. 20. §. 6.* & Nauarrum *cap. 16. num. 33.* Vide etiam Villalobos *in summ. tom. 1. tr. 13. diffic. 41. n. 9.*

RESOL. CLXXXIII.

An difficultas grauis in alendis filiis excuset à reddendo debitum?

Et an in hoc casu distinguendum sit inter personas Nobiles, communes & pauperes? Ex part. 9. tr. 7. & Misc. 2. Resol. 3.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Texeda *tom. 2. lib. 4. tract. 1. contr. 12. nu. 129.* Primò, quia filiorum multiplicatio spectat ad præcipuum matrimonij finem, & ad conseruationem, & dilatationem speciei, quam natura ipsa prætendit, & ad quam naturali propensione inclinat, imò & propter quam matrimonium institutum est, vt constat ex illis verbis Genes. 2. *Crescite, & multiplicamini.* ergo priuare naturam specificam tanto bono, negando debitum, iniustum est, & absque mortali culpa nequit fieri. Secundò, quia multò melius est, proli, ex tali coitu nascituræ, vt viuat inops, quàm quòd absolutè non sit, cùm melius illi sit esse, quàm non esse: ergo ob paupertatem à parentibus præsumptam, quæ fortassis non eueniet, non est proles, quæ nascitura erat ex tali maritali congressu, priuanda vita, & esse. Tertiò, quia debitum negare ob multiplicationem filiorum, opponitur immediatè prouidentiæ Dei, & arcanis, imò & consiliis eius: quia, cùm de-

Sup. hoc in Resol. præterita.

de volatilibus cœli curam habeat, multò magis de creaturis rationabilibus, quarum est Pater, specialiter illam habebit. Quartò, quia suscipere prolem ex matrimonio, est magnum bonum, cui quodcunque coniugum incommodum postponendum est.

2. Obiicitur: in aliis debitis excusat magna soluendi incommoditas, & difficultas: ergo illa excusabit etiam in solutione debiti coniugalis coniugem pauperem. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam, quia habere prolem ex matrimonio, est magnum bonum, quod præponderat quibuscunque incommodis coniugum, præcipuè quia ex pauperibus coniugibus solent filij procreari, etiam cum paupertate parentum, qui sunt gloria, & magna commoditas eorum, & Religionis Christianæ decus, & ornamentum.

3. Præterea, idque mihi persuadet ad asserendum, horum Authorum sententiam veram non esse: quia, experientia teste, videmus multos filios ex magna paupertate natos, & ex parentibus pauperrimis erectos esse ad magnas dignitates, factósque esse opulentissimos, & ideò parentes, quamtunuis pauperes, non debent diffidere ob multiplicationem filiorum de prouidentia Dei; sed in misericordia eius sperare, exercendo actum iustitiæ, qualis est sibi ad inuicem debitum reddendo: nam ex negatione debiti ob adductam causam sequi possunt multa peccata incontinentiæ ex parte viri, imò ex parte etiam fœminæ; atque omitto multas rixas, & contentiones; quæ inter coniugatos ob eam causam oriri possunt. Hæc omnia Texeda, cui adde Rebellium. Coninch, Layman, quos citat, & sequitur Castrus Palaus *tom.5. disp.3. punct.4. §.10. num.9.*

4. Verùm ab obligatione reddendi debitum sub graui culpa excusare difficultatem grauem parentum in alendis filiis, si multiplicentur, asserunt Sotus *in 4.dist.32.quæst.vnic.art.1.* Rodriguez *in Summa tom.1. cap.243. concl.... Sà verb.Debitum,n.18.* Quinimò Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 64. art. 1. in fine.* Sanchez *lib.9. disp.25. n.3.* Gaspar Hurtado *disp.10. de matrim.d.ifficul.12. n. 54.* & alij censent, cessante incontinentiæ periculo, nullam culpam, nec venialem committi in prædicta negatione. Mouentur: quia ab aliis soluendis excusat magna incommoditas & difficultas, cur ergo ab hoc debito non excusabit? Præterea non teneri debitum reddere, si probabiliter times aliquod graue damnum tibi, vel proli obuenturum: at, si proles nascatur, graue tibi, filiisque natis damnum imminet; siquidem cogeris ex eleemosynis emendicatis viuere. Ergo &c.

5. Dicendum est itaque hanc posteriorem sententiam satis probabilem esse, quidquid asserat Texeda: nam debitor non tenetur satisfacere creditori cum notabili suo detrimento, quando in creditore nullum simile, vel maius detrimentum timetur: ergo coniux non tenetur comparti debitum reddere, quando ex actu coniugali ea sequeretur prolium multiplicatio, vt parentes eas non possent alere: id enim est grauamen parentum, qui proles tenentur alere. Dixi, *quando in creditore*, &c. cùm enim eo casu debitor teneatur suo creditori satisfacere, sequitur quod in præsenti non liberaretur à redditione debiti, si in petente subesset morale periculum incontinentiæ, vt tradunt Authores citati, & passim alij: cuius vlterior ratio est, quòd incommodum in facultatibus excusans debitorem à persoluendo debito, non tam oriatur ex rei natura, quàm ex quadam tacita creditoris concessione, qui, videlicet, non præsumitur velle suum creditorem ita grauare, quæ tacita concessio non potest præsumi, quando ipsemet creditor æquale, vel maius detrimentum incurreret ex dilatione solutionis. Ex quo patet, quòd quando in petente subesset periculum pollutionis, non posset prudenter præsumi consentire, vt illi petenti actus coniugalis negari possit.

6. Ex qua ratione facilè potest colligi, parte exigente debitum sub stricta obligatione, illud negari non posse, non obstante incommodo alicuius paupertatis in reddente: si enim solùm oriatur ex tacita creditoris voluntate, quòd in tali circumstantia debitor non teneatur reddere, non potest excusari, quando de contraria voluntate manifestè constat: quia tamen Authores in casu paupertatis patentum, absolutè loquuntur, nec se fundant in illa tacita petentis voluntate, propter eorum authoritatem non est improbabile, quòd liceat negare debitum, etiam exigenti obligationem, modò in petente absit periculum pollutionis.

7. Ex quo videtur deduci, quòd si nobilis non possit alere multas proles sine notabili status detrimento, sepositio periculo pollutionis in comparte, non teneatur ei petenti debitum reddere. E contrario communes pauperes non videntur excusari à reddendo debito, eò quòd proles sint multiplicandæ, quas alere nequibunt, cùm neque patiatur status detrimentum ex multiplicatione prolium, neque difficultas in prolibus alendis videatur valdè ponderanda, cùm pane mendicato viuere possint. Et hæc omnia docet Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thomæ, quæst.6. de bonis matrimonij, dub.6. num.43.* cui adde Martinum Perez *de matrim. disp.30. sect.4. num.6.* His tamen non obstantibus, concedo, opinionem negatiuam esse satis probabilem.

RESOL. CLXXXIV.

An peccet mulier reddendo debitum viro, qui fœminæ libidinis causa coitum incipit, sed postea, nequatur generatio, subtrahit se, & effundit semen extra vas?

Et docetur peccare quidem graviter virum, & fœminam, si de eius consensu vir id faciat, at si illa non consentiat, licitè posse reddere & petere debitum à marito, etiam si ille perperam redditurus sit?

Et quæritur, an vir mittens pudenda in os coniugis peccet mortaliter?

Et an hæc circunstantia tanquam speciem mutans sit in confessione aperienda? Ex part.6.tract.7. & Misc.2. Res. 7.

§. 1. PEccare mortaliter mulierem in tali casu docet nouissimè Stephanus Bauny *in Theolog. Moral. part.1. tract.12. quæst.4.* Eò quòd materiam alterius noxæ præbere criminosum sit ac turpe, facit id mulier, cùm se viro substernit nexum postulanti corporum, ad sceleratam explendam libidinem, ac maritalem thorum sacrilega ac infami seminis effusione maculandum, nam si eum à sinu suo repelleret, si à complexu; non peccaret, materiam ergo ei peccati suppeditat, ergo non sine scelere hoc facit.

2. Secundò culpam æterna morte dignam contrahit, qui matrimonium aliò refert, quàm cuius causa est à Deo institutum; aut in eius vsu, culpæ se periculo obiicit: faciat vtrumque mulier, quæ corporis sui copiam connubialis fœderis corruptori, sciens ac volens accommodat.

3. Age enim, quorsùm mulier in coniugio cum viro conuenit? quorsùm in alienam familiam, paterna relicta domo, amicisque transit? Nempe vt sit mater, nempe vt in prole se, gentemque suam ab interitu vindicet, hanc enim intentionem quidpiam essentia

essentialissimum esse in matrimonio scribit D. Thomas *in 4. distinct. 31. quæst. 1. art. 3.*

4. Et Richardus *distin. 32. art. 4. quæst. 1.* affirmat concubitum coniugalem ordinari principalius ad prolem procreandam, quàm ad remedium. A dictamine enim naturæ est, vt vir cubet cum muliere ad conseruationem ipsius naturæ, & sic est bonum prolis, Bonau. *in 4. distinct. 31. art. 1. quæst. 2.* At finem hunc mulier labefecit, cùm vsum coniugij, ac sui finit dedecore à viro affici, atque in nihilum seminis effusione extra vas redigi.

5. Nec abest à peccati discrimine, quàm enim est improbabile, eam cùm comprimitur, virique accessum patitur, voluptatis sensum habere nullum? quàm ab omni alienum veri specie, illecebrosæ libidinis motu vllo, corpus eius cum pollutionis periculo, non cieri, ac tangi? in quam à marito diuulsa non cadat, cum omni qua potest diligentia, curaque contendere debeat, vt (ipse non dicam) vel mediocriter eruditi intelligunt, ei eusmodi motuum causam exitiabilem vitandam esse. Hucvsque Bauny.

6. Non desinam tamen adnotare Basilium Pontium *de matrim. lib. 10 cap. 11. num. 8.* docere mulierem in tali casu reddentem debitum, nulli culpæ lethali obnoxiam esse: sic enim asserit. An si maritus procreandorum liberorum pertæsus, satiandæque libidinis appetens, dum suam vxorem agnoscit, tempore consummandæ copulæ extra vas semen effundat, seséque ab illa separet, possit vxor reddere petenti debitum licitè, & sine culpa. Iudicarunt viri doctissimi, vxorem peccare, sociamque esse peccati, atque adeò non posse reddere exigenti debitum. Probabant multis argumentis, quæ nullius momenti sunt, tantum enim probant coniunctionem illam, si fieret vtroque consentiente, esse illicitam. Quare ego existimo peccare quidem graui-ter virum, & fœminam, si de eius consensu id faciat: at si illa non consentiat, licitè posse reddere, & petere debitum à marito, etiamsi ille perperà redditurus sit. Ratio desumpta ex generali doctrina, quam latiùs tradidi *suprà lib. 5.* Quoties peto actum ab aliquo, quem ille potest bene, vel malè præstare, non pecco, neque præbeo causam peccati, alter enim sua maleficia malè facit, cùm rectè possit efficere. Hac regula vtimur, vt explicemus licere petere mutuum ab vsurario, quia ille potest sine vsura mutuari: & licitè etiam peti Sacramentum ab excommunicato, qui sua culpa non absoluitur: non verò posse ab illo siue Parochus sit, siue non, etiamsi paratus sit, absque sua culpa absolui non potest ab excommunicatione. In eo enim casu non potest rectè actum illum exercere, atque adeò directè cooperor eius peccato. Quæ latiùs *suprà, libro quinto* prosequuti sumus. Et quidem si vera esset illa prior sententia, non solùm non posset vxor marito ita prauè affecto debitum reddere petenti, sed neque ab eo petere: eadem enim militat ratio. Ita potius; sed primæ sententiæ Bauny adhærent aliqui viri docti, de hac re aliàs à me consulti.

Sup. hoc in Res. not. præteritæ, & in eisdē locis.

7. Quærendum est etiam hîc obiter (ignoscant quæso pudicæ aures, necesse est enim, vt hæc sciant Confessarij) an vir immittens pudenda in os coniugis peccet mortaliter, & affirmatiuam sententiam docet Fagundez *in Decal. tom. 2. lib. 6. c. 3. n. 19.* vbi sic ait. Si membrum virile in os immittatur, committ̃ sine dubio peccatum mortiferum videtur, cùm sit inaudita species luxuriæ, & plusquam contra naturam, sic dicere fas est: deinde quia est proximum periculum consummandi præposterum, & innaturalem coitum in ore: quare non veniales tantùm huiusmodi tactus esse existimo inter coniuges matrimonio copulatos, sed mortales omninò, horret enim natura similes libidinis modos, etiam inter ipsos coniuges, cùm nec inter animantes fiant. Ita ille.

Sup hoc inf. in Res. 187. cursim ad med. §. 1. & etiam breuissimè in Res. 188. in lin. 1. & sup. in Res. 37. §. vlt. & lege infra in fine huius Res. à vers. Vnde.

8. Sed aliquis posset dicere has spurcitias aliud non esse, nisi oscula pudendorum, quæ peccata lethalia inter coniuges non esse firmarunt Zanardus, Filliucius, & alij penes me ipsum *in 3. part. tract. 4. resol. 225.* Verùm ego puto hoc non esse simplex osculum pudendorum, sed esse inceptionem alterius copulæ innaturalis, quam veteres irrumationem vocabant, à ruma, id est à mamma ductum vocabulum, cùm mentula tanquam mammilla ori alterius inseratur. Vide Martialem *lib. 2. Epigrammate* 47. & Catullum *Epigrammate* 18. Et ideò ego puto etiã seclusso pollutionis periculo virum immittendo membrum in os coniugis mortaliter peccare: nam tunc coniux non osculatur illud simpliciter, sed irrumat, & ideò hanc circumstantiam tanquam speciem mutantem esse in confessione aperiendam. Vnde ex his refellendus venit Sanchez *de Matrimonio, tom 3. lib. 9. disput. 17. num. 5.* quem ego citaui *in part. 2. tract. 3. Miscell. resolut. 37.* asserens virum immittentem membrum in os vxoris, non peccare mortaliter: verùm, vt diximus, à sententia Fagundez non est recedendum.

Quæ hic est inf. Res. 191.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 7. Res. 82 §. vlt.

Quæ hic est inf. Res. 188.

RESOL. CLXXXV.

An sit peccatum mortale, si propter variationem situs in copula coniugali aliqua pars seminis elabatur?

Et quid est sentiendum de copula, quando vir est incubus, & mulier succuba?

Et cursim docetur, quod si fœtus non est animatus, quamuis sit periculum, vt non animetur, ex hoc non tenentur coniuges abstinere à copula coniugali. Ex part. 11. tr. 8. & Misc. 8. Res. 33.

§. 1. Hic casus cuidam viro nobili frequenter accidebat, & negatiuam sententiam docet doctus, & amicissimus Pater Martinus Perez *de matrimonio, disputatione 49. sectione 7. numer. 12.* vbi sic ait: Dico tertiò, si experimento constaret, ex aliquo concumbendi modo semen non retineri, sed effundi ob fœminei vasis nimiam humiditatem, vel laxitatem, fore peccatum mortale eo vti. Ita Ludouicus Lopez *part. 1. instruct. cap. 82. §. Igitur loquendo, & cap. 87. in fin.* Ratio est, quia impeditur generatio positiuè quando ex concumbendi modo illa effusio consurgeret, tunc enim situs ille esset causa effusionis. Quod si illa effusio succederet aliquando præter intentionem coniugum dantium operam rei licitæ, & non ex concumbendi modo, sed ex aliquo morbo, dummodo impedimentum retinendi non esset perpetuum, contingere posset absque culpa. Neque oppositum docet Sanchez *disp. 16. citata, num. 5.* vt patet attentè legenti, quidquid dicat Basilius *cap. 11. citato, num. 3.* Est verò obseruandum cum Sanchez, & Basilio, ex aliqua seminis effusione extra vas, non concludi variationem debiti situs esse mortalem, dummodo eo copulæ modo retineatur aliqua seminis pars sufficiẽs ad generationem. Docent enim Medici, notam seminis quantitatem in matrice retineri, solet enim matrix aliquando eam solum partem retinere, quæ ad generationem sufficiens sit, expulso reliquo. Hucvsque Perez.

Sup. hoc supra in principio Res. 181. & inf. in Res. 187. §. Notandum est.

2. Hæc tamen opinio larga, & nimis laxa videtur nouissimè Patri Dicastillo *de Sacrament. tom. 3. tract. 10. disp. 9. dub. 7. num. 65.* est enim prodigere

semen humanum absque rationabili causa, quia coniuges, vt suppono, alioquin ad talem situm non habent ius propter impedimentum, aut difficultatem vtendi naturali situ, quin potius facilè possent illum seruare, nec refert, si dicatur id esse per accidens, & præter intentionem. Nam supposito, quod tale periculum præuideatur, & sic congrediens non vtatur iure suo, non censetur id resultare per accidens ex vsu sui iuris. Neque enim habet ius ad sic congrediendum, quando aliter potest, & debet. Vnde in tali casu meritò censetur causa moralis illius effusionis extra vas, quam non solum permittit, sed etiam efficit adhibendo modum, ad quem non habet ius. Quæ ratio, & doctrina maximè vim habet in sententia veriſſima, & mihi certa quod vel minimæ particulæ seminis deliberata administratio extra legitimum coniugium, aut legitimũ vas sit peccatum mortale, neque in ea sit locus paruitati materiæ. Negari autem non potest, quin illa pars, quæ in tali casu effunditur, sit æquè administratio, atque illa, quæ intra vas legitimum recipitur, & tamen administratur præuidendo (vt supponimus) ex tali modo, ad quem non habet ius, fore extra vas effundendam. Ita Dicastillus.

3. Verùm licet hæc opinio mihi maximè placeat, consulendam existimem: tamen contrariam puto probabilem esse, quam præter Sanchez, Pontium, & Perez, tenet etiam Gaspar Hurtadus *de matrim. disp. 50. difficul. 5. num. 20.* Castrus Palaus *tom. 5. disp. 3. punct. 4. §. 3. num. 1.* & Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thom quæst. 6. de bono matrim. dub. 24. n. 175.* vbi sic ait: Si effusio non oriatur ex modo coëundi, sed aliunde, v.g. ex morbo, debilitate, non erit mortale, quia non orietur ex situ inordinato, sed ex alia causa præter coniugum intentionem, qui dant operam rei licitæ, scilicet actui coniugali: imò parua effusio seminis non arguit actum esse mortalem propter situm indebitum, cum illa etiam soleat sequi seruato situ naturali. Ita ille.

Sup. hoc supra in Resol. 180. §. 1. & 2. & infra in Resol. 201. §. vlt. & in to. 1. tr. 7. Resol. 99. à lin. 2. vsque in finem.

4. Nota hic obiter in supradicta copula cum variatione situs, etiamsi vir sit incubus, & fœmina succuba, licet petens peccaret venialiter, reddentem non peccare, sufficit enim illi pro causa nolle displicere alteri, & nolle dare occasionem discordiæ propter rem, quæ ipsa per se non est intrinsecè mala. Et ita docent Doctores, quos citat, & sequitur Leander *de Sacram. tom. 2. tr. 9. disp. 25. quæst. 34.* imò Castrus Palaus *vbi supra* ex Pontio, & Sanchez, putat in supradicta copula cum variatione situs non adesse peccatum mortale, etiamsi scias non ita certò prolem generari, ac si debito modo fuisses vsus, quia non teneris generationem conuenientiori modo procurare; satis enim est si modo conuenienti eã procures. Illud certum, si scias ex prædicto concubitu generationem impediri, eo quod fœmina vel ob humiditatem, vel laxitatem non valet semen retinere, peccatum esse mortale, quia perinde est, ac si semen extra vas effunderes. Quod verum censeo, etsi ea expulsio, seu non retentio procedat ex aliqua infirmitate temporali fœminæ, quæ semen retinere potest seruato naturali modo concubitus.

Quoad hoc infra lege §. vlt. Resol. 187.

5. Non deseram etiam hic obiter annotare, Martinum de San Ioseph *in mon. confess. tom. 1. lib. 1. tract. 50. de matrim. num. 2.* sic asserere: [Pero si la criatura està inanimada, aunque aya peligro de que no passe adelante por la copula, no serà pecado mortal perdir, ni pagar el debito, porque no es razon priuar de su derecho à los casados, por cosa, que no es de gran importancia.] Ita ille, qui citat Sanchez, & Hurtadum.

RESOL. CLXXXVI.

An aliquando coniuges excusentur à peccato, si effundant aliquid seminis extra vas?

Et excusantur primo à mortali, casu, quo parua aliqua pars seminis elabatur, dummodo alia retineatur; & absque veniali, casu, quo præter intentionem, dum vir legitimè congredi conatur, ac ex festinatione, & vigore naturæ semen extra vas effunditur.

Secundo docetur, quod si solum sit periculum, ne amens seminet extra vas, non ideo condenda sit ei illicita copula.

Tertio notatur, quod maritalis copula sit licita seni, qui dum congreditur cum sua vxore, effudit semen extra vas. &c.

Quarto quæritur de malitia speciali pollutionis extra vas inter coniuges, & quomodo illam in confessione debent explicare, docetur, qua doctrina est valdè notanda à Confessariis. Ex part. 11. tr. 8. & Misc. 8. Resol. 36.

§. 1. REspondeo tanquam certum; esse quidem lethale si consulto, & cum aduertentia id à marito fiat. Quia est peccatum mollities, cuius est intrinseca malitia. Sic omnes Doctores. Licet tamen hanc sententiam præfati Authores, docendo, posse quandoque id absque mortali contingere culpa; quandoque etiam absque veniali. Absque mortali, casu quo parua aliqua pars seminis, dummodo alia retineatur, elabatur. Absque veniali etiam casu, quo præter intentionem, dum vir legitime congredi conatur, ex festinatione quadam, & vigore naturæ semen extra vas effundit. Ita Hurtado *de Sacram. matrim. disp. 10. diffic. 5. n. 10.* & me citato Leander *de Sacram. to. 2. tr. 9. disp. 25. q. 29.*

2. Dico secundò, quòd si solum sit periculum, ne vt amens seminet extra vas, non ideo condenda sit illicita copula, quia nimirum coniux sanus dat operam rei illicitæ, & præter eius intentionem, ac per accidens euenit illa effusio. Vnde licèt aliquando ita contingat ex defectu amentis, non semper ita eueniet. Ita Dicastillus ex Sanchez, & alij *tom. 3. de Sacram. tract. 10. disp. 9. dub. 4. num. 47.*

3. Dico tertiò, quod maritalis copula sit licita seni, qui dum congreditur cum sua vxore, effundit semen extra vas. Itaque quando senex habet probabilem spem seminandi intra vas, potest vti copula, vtitur enim iure suo, etiam si fortè contingat semen quandoque, aut sæpè extra vas effundi, petinde atque dictum est locis notatis de frigido, cui concessum est triennium experientiæ, vt conetur ad copulam. Quamuis autem senex sciat se non posse effundere semen intra vas, atque adeo non posse vti copula, vel conari ad illam, potest nihilominus vti osculis, & amplexibus, si id fieri possit citra periculum pollutionis alterius coniugis. Ità ex Sanchez Dicastill. *vbi supra dub. 7. num. 77.*

4. Sed si aliquis incidenter hîc quærat de malitia speciali pollutionis extra vas inter coniuges? Respondeo cum Dicastill. *vbi supra num. 82.* eiusmodi peccatum inter coniugatos extra vas legitimum, esse grauius quàm simile inter solutos. Deinde huiusmodi peccatum esse contra naturam, & habere malitiam adulterij tam ex parte viri, quàm vxoris consentientis, tenerique in confessione explicare vtramque circumstantiam adulterij, imò addo cum eodem Sanchez *num. 5.* non satis esse dicere commisi adulterium cum coniugata in genere, & simul peccatum contra naturam; sed explican-

dum

dum esse,id fuisse commissum cum propria vxore. Prima pars responsionis , quod scilicet sit grauius inter coniuges , quàm inter solutos constat ; quia inter solutos tantùm est merè peccatum contra naturam : inter coniuges verùm etiam est peccatum adulterij , vt dicitur in secunda parte responsionis, quam sic etiam probo : Quia neuter coniux seruat alteri suum corpus castè, quod ad bonum fidei pertinet : neque enim alter alterius coniux est ad illum actum , sed ad naturalem , vt docuit , & obseruauit Caietanus 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 1. *in solutione ad* 4. Atque hoc videtur voluisse Diuus Ambrosius *lib.*1. *de Patriarch.* & refertur *cap.Nemo* 32.*qu.*4.vbi ait : Nec hoc solùm est adulterium cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem coniugij. At talis actus potestatem coniugij non habet (vt patet) ergo est adulterium.

5. Denique tertia pars , quod scilicet explicandum sit fuisse peccatum cum propria coniuge , nec sufficiat explicare in genere malitiam adulteri , sic probo : quia si dicatur fuisse cum persona coniugata in genere , eo modo confessionis explicatur iniustitia aduersus coniugem illius personæ , cum tamen nulla talis interueniat.Præterea si tale peccatum fiat cum propria coniuge renitente , & ad id coacta, vltra malitiam adulterij, haberet quandam malitiam raptus , quæ etiam explicari debet , vtpote distincta. Quod si fiat cum consensu illius, hoc ipsum erit explicandum. Neque sufficiet dicere , se commisisse tale peccatum cum fœmina coniugata, consentiente viro illius, intelligendo seipsum , qui eo ipso , quod peccat cum vxore sua consentit , vt illa peccet.Hoc inquam,non sufficit,quia in tali casu explicaret etiam malitiam, qua fuerit causa vt vir talis fœminæ consentiret in eam turpitudinem, quæ malitia tunc non interfuit , cum ipse non dederit alteri viro occasionem peccandi , sed ipsemet fuit qui contra seipsum, & contra ius suum , & propriæ vxoris talis peccati auctor,& causa fuit,non dans alteri viro occasionem sic peccandi. Vide etiam præter Dicastillum , Reginaldum *tom.*2. *lib.*31. *num.*333.

RESOL. CLXXXVII.

Notabilia quædam circa coitum coniugale.

Et primò quæritur an saltem liceat perfricare pudenda sua circa vas præpostetum vxoris , vel in os eius intromittere, cessante pollutionis periculo ?

Et an coniugati peccent mortaliter,vel tantum venialiter ex conscientia erronea , si variant situm ordinarium in cõitu , etiamsi eo copulæ modo aliqua pars seminis elabatur ?

Et notatur , quod vir expectare non tenetur , licet possit , etiam effuso semine, copulam continuare, vt fœmina seminet.

Secundò aduertitur seminationem extra vas posse aliquando contingere sine vlla culpa in coniugatis, vt in viris potentibus, &c.

Tertiò docetur viro cum vxore licere inchoare copulam causa delectationis , & postea inchoatam non absoluere,dummodo non subsit periculum pollutionis alterius coniugis ,& vxor ea inchoata copula contenta sit.

Quartò quæritur , an sit peccatum mortale accedere ad menstruatam vxorem ?

Quintò , an sit peccatum veniale accedere ad vxorem grauidam , si non adest periculum incontinentiæ ? Ex p.3. tr.4. Resl. 203. alias 204.

§. 1. DIximus *in resol* 37. *tract.*3.*misc.* contra aliquos DD. non esse licitum coniugato incipere actum sodomiticum cum vxore : quæro nunc an saltem liceat perfricare pudenda circa vas præposterum. Affirmatiuè respondet Sanchez *de matr. tom.*3. *lib.*9.*disput.*17. *num.*5. vbi sic ait. Si vir superficie dumtaxat vasis præposteri vxoris refricaret sua verenda , vel in os eius intromitteret , cessante omni pollutionis periculo, non crederem esse lethale,cùm os non sit vas ordinatum ad copulam sodomiticam, nec intra vas præposterum , ad eam tendens virile membrum includatur , sed solùm superficiem eius externam tangat ; quare tactus hic reputatur instar aliorum inter coniuges , qui ad summum culpæ veniales sunt. Ita Sanchez.

Quæ nunc hanc sequetur.

Sup hoc in tom. 8. tr. 6. Resol. 20. §. Quæritur quintò , & pro parte in ore pudenda intromittere , supra in Resl. 184. §. penult. & vlt. & in aliis positis in annot. 1. dicti § penult.

2. Sed hæc opinio mihi non placet , & illam reprobat nouissimè Basilius Pontius *de matrim.lib.*10. *cap.* 11.*num.* 5. vbi sic asserit. Non omnes tactus licent inter coniuges , & ita neque licebit perfricare pudenda in vase præpostero vxoris, & aliud asserere, mera turpitudo est , & habenas laxare libidini. Sic Pontius, & ego.

3. Notandum est tamen , aliquos coniugatos peccare mortaliter ex conscientia erronea, si variant situm ordinarium in coitu:nam ex se est tantùm peccatum veniale , dummodo copula habeatur semper in vase naturali , quod verum esse putat Pontius *vbi supra* , etiam si eo copulæ modo aliqua pars seminis elabatur , dummodo retineatur alia ; docent enim Medici , non totam seminis quantitatem in matrice retineri. Rursus docet , neque esse peccatum mortale,quamuis ex eo modo concumbendi non ita certum sit fore prolem ; non enim coniuges tenentur vti medio certiori ad prolem suscipiendam , sed satis est,si vtantur conuenienti. Docet etiam non esse necessarium, vt vterque simul concurrat ad seminis effusionem ; quare expectare vir non tenetur , licet possit etiam effuso semine copulam continuare , vt fœmina seminet.

Sup hoc supra in princip. Resl. 181. & 85 signanter post medium §. 1. sed lege eam per totam. Sup.hoc inf. in Resl. 216. &c.

4. Addit idem Auctor , seminationem extra vas posse aliquando contingere sine vlla culpa in coniugatis, vt in viris potentibus,dum congredi conantur , poterit euenire, vt ex festinatione præter intentionem semen effundatur, id enim non vitio, sed naturæ festinationi, & vigori tribuendum est.

Sup. hoc,in Resl.præterita , §. 1. ad medium, vers. absque.

5. Nota etiam contra Sylueſtrum Rosellum , & Azorium , viro cum vxore licere inchoare copulam causa delectationis,& postea inchoatum coitum non absoluere , dummodo non subsit periculum pollutionis alterius coniugis, & vxor ea inchoata copula contenta sit. Item contra Azorium , & alios Theologos , & Iurisperitos , quos adducit Sanchez *lib.*9. *disp.* 21. *num.* 2. non est peccatum mortale accedere ad menstruatam vxorem : imò aliqui in tali coitu nullam culpam agnoscunt , idque probabile putat Sanchez *ibid. num.* 7. licet ipse asserat esse tantùm culpam venialem , nisi etiam hæc excusent ex eo, quod vrgeat incontinentiæ periculum. Et hæc omnia, vt dixi , docet Pontius cum multis aliis *loco cit. de matrimon. lib.*10.*cap.*11. *num.*5.6. *&* 9.*& cap.* 14. *num.* 5. *&* 6. quæ sunt à Confessariis valde notanda, vt non imponant onus ferre nolentibus , & vbi non est.

Et sup. contento in hoc §. Nota etiã, infra in Resl. 202. §. Et ex his,& in Resl. 205. 206. 209. & 215. §. vlt.

6. Sed pro coronide huius resolutionis dico, quod licet Pontius *in dicto cap.*14. *num.*7. cum Azorio putet esse peccatum veniale, accedere ad vxorem grauidam , si non adest periculum incontinentiæ, ego tamen puto in tali copla nullam culpam interuenire,& ita docet ex Sanchez Coninch *de Sacram. disput.* 34. *dub.*9. *concl.*4. & Villalobos *in sum.tom.*1. *tract.*13. *diffic.*41.*num.*9.

Quo ad hoc lege supra §. vlt. Resl. 185.

RESOL. CLXXXVIII.

Olim per litteras à quodam Sacerdote interrogatus fui de opinionibus Doctorum circa præsentes casus.

Primus, &c.

Secundus, si quis coniugatus immitteret membrum virile in os fœminæ, an peccaret mortaliter?

Tertiò, si absente coniuge liceret seipsum tangere libidinis, vel voluptatis causa, absque pollutionis periculo?

Et an peccet mortaliter coniux, qui intra vas naturale fœminæ digitos quasi membrum virile immittit, sicuti est peccatum mortale inchoatio copulæ sodomiticæ cum vxore, etiam non animo consummandi nisi intra vas legitimum?

Et aduerte, quod primus casus non pertinet ad istum tractatum. Ex p.2. tr.17. & Misc.3. Res.37.

Sup. responsione contẽta in fin. 1. & media secũdæ huius Res. supra in Res. 184. §. penult. & in aliis eius not.

§. 1. AD secundum respondet etiam Sanchez, *vbi suprà disput.17. num.5.* negatiuè, sicut etiam ego opinor non peccare mortaliter, si coniux intra vas naturale fœminæ digitos quasi membrum virile immittat. Ratio est quia talis tactus non est medium improportionatum nec alterius ordinis luxuriæ, sicuti est inchoatio copulæ sodomiticæ, etiam non animo consummandi nisi intra vas legitimum, licet Nauarr. *lib. de pœn. & remiss. conf.7.* Angelus *ver. debitum, num.25.* & nouissimè Zerola *in praxi pœnit. cap.12.q.25.* cum Iacobo de Graffis *tom.1. lib.5. de adult. conf.3. n.11.* Gambacurta *de cas. reser. cas.2. de sodomia, n.5.* Zanardus *in d. rector. confess. par.1. tract. de matr. cap.41. §.10.* hoc vltimum etiam coniugatis concedant. Sed nõ posse dictos actum sodomiticum incipere, contra præfatos DD. docet Bonacina *de matr. quæst.4. punct.11. n.12.* Sanchez *lib.9. disput.17. n.4.* & nouissimè Rodriguez *in summ. to.3. c.88. n.2.* & Basilius Pontius *de matrim. lib.10. cap.11. num.5.*

Sup. hoc in duabus Res. seqq & infr. in Res. 196. §. sed maior. & supra in Res. 37. §. Nota tamé. & in tom. 8. tr.6. Res.20. §. Quæritur sextò. prope finem.

2. Ad tertium Salas *vbi sup. n.129.* sentit culpam esse lethalem, si coniux libidinis causa seipsum tangat; nam vt ait ipse, tactus qui nec fiunt cum coniuge, nec ad finem coniugij referuntur, reuera non sunt coniugales: nam fiunt à coniugato, ac si coniugatus non esset, sed solutus: ergo sunt mortales, non minus ac si essent in solutis, & sic etiam tenet Vasquez *in p.2. tom.2. disp.113. n.4.*

3. Attamen supradictus Sanchez *l. cit. disp.44. num.16.* docet, secluso periculo pollutionis, non esse mortale, sed tantùm veniale hoc facere; cum hac tamen limitatione, nisi tactus ex natura sua accommodatus sit, vt homo in seipso quantum possit effingat coitum. Ratio est, quia cùm tactus ille suapte natura indifferens sit ad copulam coniugalem, & ad illicitam, possitque ad vnam, & alteram referri, nec ex intentione tangentis se, à sua natura, & ab hoc ordine distrahatur, vt ad copulam illicitam ordinetur, non est cur de culpa mortali damnandus sit. Et sic hanc sententiam sequuti sunt etiam multi alij Theologi Societatis IESV, vt ipse Salas *loc. cit. n.128.* notauit.

4. Ad argumentum in contrarium, respondetur non posse dici eum tactum non esse actum coniugis, quia non habetur cum coniuge; quoniam vt actus coniugis sit, non opus est cum coniuge fieri, sed satis est, vt ad actum matrimonialem præsentis coniugij suapte natura ordinari possit, nec ab hoc scopo ex intentione operantis aberret. Verùm his non obstantibus, opinionem Vasquez, & Salas, asserentium tali casu adesse culpam lethalem, puto esse amplectendam: & ideo, vt *suprà* apud Sanchez in nouissima editione sententia contraria non inuenitur impressa.

RESOL. CLXXXIX.

An coniugatus, si seipsum tangat propter voluptatem captandam absque pollutionis periculo, peccet mortaliter? Ex p.3. tr.4. Res.214. alias 215.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Montesinus *in p.1. D. Th. tom.2. q.74. art.8. q.5. in fin.* Ioan. de la Crux *in direct. p.1. præc.6. art.9. dub.12.* Salas *in p.2. tom.2. tract.13. disp.6. sect.14. n.129.* Vasquez *in p.2. tom.1. q.78. art.8. disp.123. n.4.* & Sancius *in sectis disp.21. n.26.* Et ratio est, quia coniux non habet dominium proprij corporis in ordinem ad vlum veneris secum explendum, sed tantùm, habet dominium corporis consortis sui: quapropter vitra proprio corpore in ordine ad venerem secum vtitur. Ergo, &c. Et ita peccare mortaliter coniuges in tali casu docent Doctores citati.

2. Sed Thomas Sanchez *de matrim. tom.3. lib.9. disp.44. num.16.* contrarium tenet, & putant tantùm peccare venialiter, quia cùm tactus ille suapte natura indifferens sit ad copulam coniugalem, vel illicitam, possitque ad vnam, vel alteram referri, nec ex intentione tangentis se à sua natura, & ab hoc ordine distrahatur, vt ad copulam illicitam ordinetur, non est cur de culpa lethali damnandus sit. Nec dici potest eum tactum non esse actum coniugis, nam non desideratur, eum cum coniuge fieri, sed satis est, vt ad coniugem præsentem suapte natura ordinari possit, nec ab hac natura ex intentione illa vtentis deuiet. Ita Sanchez, aduersus quem insurgit Sancius *vbi suprà*. Nam licet actus ille indifferens dicatur in eo sensu, quod ordinabilis sit ad fornicationem, vel copulam coniugalem, tamen intrinsecè malus est, quatenus per illum vtitur coniux proprio corpore, in ordine ad venerem secum explendam, quod illi prohibitum est, & non in ordine ad explendam cum coniuge, quæ absens repetitur. Ergo, &c. Et ideò tu tene primam sententiam.

RESOL. CXC.

An coniux in absentia alterius, si tangat libidinosè sua membra pudenda, peccet mortaliter? Ex part.4. tr.4. & Misc. Res.137.

§. 1. OBscœna sunt hæc, fateor, sed omnia munda mundis, & Confessarij in omni materia debent discernere inter lepram, & lepram, & scire quodnam sit peccatum mortale, quod veniale. Hanc quæstionem, quia practicabilis est, ego tractaui *in 3. part. tract.4. resol.215.* & pro negatiua sententia adduxi Tho. Sanch. cui nunc addo Gasparem Hurtado *tractatu de matri. disp.10. diffic.10. n.47.* vbi excusat à mortali tactum, quo coniux etiam in absentia alterius tangit libidinosè sua membra pudenda, quamuis commouenda, & alteranda, quando non est periculum effusionis seminis futuræ extra vas, quia etiam illi tactus, sua natura ordinantur ad actum coniugalem, quamuis actu non referantur ad illud, & ita hanc sententiam docet etiam Petrus Ochagauia *de Sacramen. tract.5. de matrimon. quæst. 12. num.9. in fine*, vbi sic ait: Puto etiam vnum coniugatum absentem ab alio sua membra tangentem, & commouentem propter solam voluptatem captandam tactus, absque periculo pollutionis

tionis, non peccare mortaliter, quia tactus ille, licèt actu non referatur ad coniugium, satis est eum suapte natura ordinari ad præsens coniugium, sicut contingit in delectatione morosa. Ita ille.

2. Et tandem nouissimè etiam ex Societate IESV tamquam probabiliorem tenet hanc opinionem Ioannes Præpositus *In 3. part. D. Thom. q. 6. de bonis matri. dub. 26. num.* 188. vbi sic ait. Petes vtrùm coniux possit absque graui peccato seipsum tangere ex voluptate carnali, non referendo ad copulam? Negat Vasquez, asserit Sanchez, cuius sententia videtur probabilior, quia talis contactus exercetur intra limites matrimonij, éstque natura sua idoneus ad copulam licitam, nec ordinatur ad illicitam; ergo nihil per eum committitur repugnans fidei coniugali, aut matrimonij fini, & proinde ex illis capitibus non contrahit malitiam mortalem, quam non potest aliunde contrahere si absit pollutionis periculum. Ita ille. Vnde hanc sententiam, quæ priùs pro se solùm Sanchez habebat, nunc habet alios tres Patronos, sed tu ne recedas à contraria cum Doctoribus, quos citaui in dicta resolutione, asserentes in tali casu peccatum mortale adesse, nec aliter sentiendum esse puto, quicquid Sanchez Hurtado & alij asserant.

RESOL. CXCI.

An sit peccatum mortale, si coniuges inter se tangant, & osculentur pudenda propter solam voluptatẽ.

Idem est de verbis impudicis, & aspectu partium verendarum, & amplexibus inhonestis inter coniugatos, modo non sit periculum pollutionis.

Et notatur, quod si aliquis sine interruptione morali multoties osculetur pudenda alicuius fœminæ, vel pueri, sufficit, vt in confessione dicat, osculatus sum solutam, vel puerum, & non est opus explicare, quod talis tactus, vel osculum fuit in partibus pudendis. Ex part. 3. tract. 4. Resol. 224. alias 225.

Sup. hoc infra lege doctrinam Resol. 194. signanter post medium, & si placet vide etiam alias Resol. & §§. eius primæ not. & signãter ex Resol. 196. §. vltim. post mediũ, vers. tactus, & supra in Resol. 37. §. Idem.

§. 1. ESse peccatum mortale à fortiori docet Paludanus *in 4. dist. 31. quæst. 3. art. 2. concl. 6.* Syluester *ver. debitum coniugale, quæst. 7.* & ex neotericis Rodriquez *in summ. nouissima tom. 1. cap. 129. concl. 11.* vbi sic asserit. [Los casados que se deleytan en tactos venereos, no los queriendo ordenar à copula conjugal, pecan mortalmente, aunque Cayetano diga que no, cessando el peligro de polucion, en pero como ordinariamente ay este peligro, no deue seramitida la opinion de Cayetano, pues de las cosas morales auemos de juzgar, conforme lo que comunemente acaeçe, y no auemos de acudir a metaphisicas,] Ita ille.

2. Sed si hæc opinio esset vera, væ væ coniugatis; igitur contrariam sententiam docent communiter Doctores, etiamsi tactus, & oscula sint in partibus pudendis. vnde Zanardus ex Dominicanorum familia *in directorio Confessar. part. 1. de Sacram. matrim. cap. 41. num. 24.* sic ait: Dico non esse peccatum mortale citra periculum pollutionis, quoscumque tactus, oscula, verba impudica, & aspectus partiũ verendarum inter coniuges. Sed audiamus Syluium *in 2. 2. q. 154. art. 4. concl. 61.* Oscula, (ait) tactus & amplexus etiam inhonesti, inter eos adinuicem si sunt coniugati, excusantur à mortali, quamuis fiant ob delectationẽ absque intentione copulæ coniugalis; modò non sit periculum pollutionis. Idem docet Filliuc. Societatis IESV *tom. 2. tract. 30. cap. 10. n. 195.* vbi sic asserit. Infertur oscula in partibus inhonestis à fortiori esse peccata mortalia: hæc enim in his partibus non fiunt nisi ex amore libinoso, & deprauato, & practicè loquendo, semper oscula libidinosa inter non coniugatos. Inter hos autem, etsi non sint censenda peccata mortalia, tamen increpandi sunt qui hoc faciunt, tanquam operis arguentis animum nimis mollem, & libidini deditum. Ita ille, & ego. Vide etiam Salas *in part. 2. tom. 2. & quæst. 74. tract. 13. disp. 6. dist. 26. n. 169.* Granado etiam *in p. 2. contr. 6. tract. 4. disp. 7. n. 4.*

3. Ad argumentum verò Rodriquez respondeo, supradicta oscula, & tactus communiter non fieri cum periculo pollutionis, & si tale periculum in aliquibus adesset; illis vti minimè possent, vt dictum est. Notandum est tamen hîc obiter, quòd si aliquis interruptione morali multoties osculetur pudenda alicuius fœminæ, vel pueri (ignoscite pudicæ aures) sufficit, vt in confessione dicat, Osculatus sum solutam, vel puerum, & non opus est explicare, quòd talis tactus, vel osculum fuit in partibus pudendis; nam est hæc tantùm circumstantia aggrauans, quæ secundùm probabilem opinionem, quam ego teneo, non est necessariò in confessione aperienda.

RESOL. CXCII.

An in aliquibus casibus tactus, oscula, &c. sint licita inter coniugatos cum periculo pollutionis? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 216. alias 217.

Sup. hoc in duabus Resol. seqq. & infra in Resol. 207. §. Dicendũ. ad lin. 6. & in tom. 8. tr. 6. Resol. 20. §. Quæro sexto. in principio.

§. 1. REferam hîc tantùm verba Michaëlis Zanardi Dominicani *in direct. confess. p. 1. de Sacram. matrim. cap. 21. q. 27. fol. mihi* 908. vbi sic asserit. Tactus, & oscula coniugati cum coniuge cum periculo pollutionis, imo cum pollutione quandoque non sunt peccata mortalia. Primò, si pollutio accidat petenti, quia quamuis petens non possit petere oscula cum periculo pollutionis, poterit tamen pati ea, etiamsi polluatur, quia non dat operam rei illicitæ, & hoc est præter intentionem eius. Secundò, nec etiam in petente, si intenderet copulam; & dum iam ostendit per oscula eam excitare, polluitur propter supradictam rationem. Nec tertiò, si fierent ad excitandum amorem, vel ad eum conseruandum, & tum propter intentionem sequeretur pollutio. Ita Zanardus, & ante illum Sanchez *to. 3. lib. 9. disp. 45. n. 35.* quem etiam sequitur Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 9. num. 356.*

RESOL. CXCIII.

An aliquando sint licita oscula, & tactus inter vxoratos, cum periculo pollutionis?

Et pro confirmanda doctrina huius quæstionis adducitur, quod petere debitum cum aperto periculo effusionis seminis extra vas naturale, est peccatum mortale.

Et quod si dans operam rei alioquin licitæ, & præceptæ, & aduertat, retenta actione, vt possit impedire, tenetur impedire, alioquin mortaliter peccabit. Ex part. 6. tr. 7. & Misc. 2. Resol. 65.

Quæ hîc est Resol. antecedens, & in aliis eius annot.

§. 1. PRo parte affirmatiua *in 3. part. tract. 4. resolut. 227.* adduxi Zanardum Dominicanum; Sanchez & Filliucium Iesuitas: & hanc sententiam ex eadem Societate tanquam probabilem admittit nouissimè Stephanus Bauny *in Theolog. Moral. parte 1. tract. 12. quæst. 5.* vbi sic ait. Hæc opinio si quid habet pouderis, id totum in Doctorum auctoritatem;

ritatem, qui illam inuexerunt & probauerunt referendum existimo. Sanè quia benigna est, & in coniuges indulgens, si quis eam sibi sequendam credet, non magnopere repugnabo. Ita Bauny. Et ideò, quidam Confessarius excusabat Coniugem, quæ, cùm maritus illam osculabatur in pollutionem incidebat: & etiam excusabat ipsum virum, quando osculabatur vxorem ad excitandum amorem, vel ad eum conseruandum, & præter intentionem pollutio sequebatur.

2. Sed hæc opinio displicet Ioanni Præposito *in 3. part. D. Thom. quæst. 6. de Sacram. matrimon. dub. 25. num. 186.* vbi sic ait. Coniuges, qui actum coniugalem exercere possunt absque graui peccato se mutuò amplecti, tangere, osculari, &c. quamuis hos actus ad copulam non referat: quia tales actus ratione contractus, & status matrimonialis cohonestantur, & redduntur licite; ac proinde suam malitiam debent aliunde contrahere: non contrahunt autem aliunde, quàm quòd non ordinentur in finem, & proinde solùm inuenitur defectus ordinationis in finem, qui solùm venialem malitiam continet.

3. Probatur. Coniux ratione contractus matrimonialis habet dominium corporis suæ compartis in ordine ad actum carnalem; & proinde in ordine ad actus natura sua præuios: quo dominio, & vsu dominij non priuatur, eo quòd hic & nunc nolit actum consummatum. Aduerte tamen debere abesse periculum pollutionis & scandalum in alterutra parte.

4. Dices hi actus de se sunt liciti, tantumque contrahunt malitiam venialem propter defectum ordinationis in finem: actus autem licitus & honestus non contrahit mortalem malitiam ex præuisa pollutione, &c. Ergo, &c. Respondeo sepositis opinionibus, quæ versantur circa materiam minoris propositionis, negando eamdem minorem quoad actus, de quibus est sermo: nam tactus, oscula, amplexus inter coniuges eatenus licent, quatenus quæruntur intra limites matrimonij: & per consequens, in quantùm nihil sequitur repugnans fini, & institutioni seminis: sequitur autem aliquid repugnans, si semen extra vas effundatur, neque pollutio in eo casu dici potest solùm permissa, cùm sequatur ex impetu illius motus carnalis, qui per se intenditur. Confirmatur: petere debitum cum aperto periculo effusionis seminis extra vas naturale est peccatum mortale: ergo etiam actus subordinati contrahent malitiam mortalem, si subsit consimile pollutionis periculum. Cùm verò frequenter subesse possit in contactibus valdè impudicis, hi omninò sunt coniugibus dissuadendi: nisi ordinentur ad copulam, vel saltem ea petatur, quando aduertitur periculum. Vnde videtur minùs probandum, quod ait Sanchez *lib. 9. de matrimonio, disp. 45. n. 36.* non semper esse mortales tactus exercitos cum periculo pollutionis etiam in petente: id inquam, minùs probatur, cùm pollutio eo casu possit vitari petendo actum coniugalem, quem coniugatus potest exercere. Confirmatur, si dans operam rei alioquin licitæ & præceptæ aduertat inde secututam pollutionem, quam retenta actione possit impedire, tenetur impedire, alioquin mortaliter peccabit: cùm ergo coniugatus in nostro casu possit occurrere pollutioni per actum coniugalem, qui non est ei difficilis, tenetur illum exercere: propter quam rationem, per se loquendo, sentio compartem, quæ per modum reddentis eosdem actus cum delectatione venerea patitur, vel exercet, teneri actum coniugalem petere, si aduertat in se pollutionis periculum, & nulla circunstantia extrinseca excuset: alioquin pollutionem censendam ei voluntariam, cùm eam possit impedire per medium non extraordinarium statui matrimoniali, idque sine magno grauamine, vt suppono. Huc vsque Præpositus. Et Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 15. difficul. 42. num. 1.* sic ait. [Los aspectos, tocamientos, son licitos entre los casados, y nunca llegan à pecado mortal, quando no ay peligro de pollucion, y con los abraços y osculos se intentasse solo mostrar señal de amor, no seria pecado ninguno, no auiendo el dicho peligro.] Sic ille. Et reuera in his materiis cautè procedendum est, nec habenæ laxandæ sunt.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 6. Resol. 20. §. Quæro sexto. post medium, vers. Confirmatur.

RESOL. CXCIV.

An tactus, oscula, aspectus, & verba impudica sint licita inter coniugatos, etiam si ex illis præuideatur sequutura dissolutio, aut membrorum seruientium generationi commotio? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 215. alias 226.

§. 1. AD hanc quæstionem ita respondet Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9 disp. 46. n. 43.* Non existimo esse mortale in coniugatis per tactus, oscula & verba turpia, delectationemque veneream ex copula cogitata consurgentem dare causam commotioni membrorum seruientium generationi & incurrere in delectationes præuisas, quamuis inter solutos id esset lethale; nam hoc non est grauè damnum generationis in tali statu, & aliunde ex delectationes, & spirituum commotiones in eis vacant culpa mortali. Ita Sanchez, & post illum Salas *in part. 2. tom. 2. quæst. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 6. n. 121.* & Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 35. difficul. 42. num. 1.* vbi sic asserit. [Los aspectos, tocamientos, y dichos delectaciones son licitos entre los casados, y nunca llegan à pecado mortal, quando no ay peligro de polucion, porque el acto a que se ordenan, ò de donde nace la delectacion, no es pecado entre los casados, si con los abraços y osculos se intentasse solo mostrar senal de amor, no seria pecado ninguno no hauiendo el peligro dicho, mas si aquellos actos fuessen dirigidos solo a deleyte sin animo de liguar à la copula, solo seria pecado venial, y aunque en esto vuiesse periculum delectationis, no seria pecado mortal entre casados.] Sic Villalobos, vide *suprà in resol. 199.*

Sup. hoc in tom. 8. tr. 6. Resol. 20. §. Quæro sexto. post medium, vers. Confirmatur.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 6. Resol. 20. §. Quæro sexto. post medium, vers. Confirmatur.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 6. Resol. 20. §. Quæro sexto. post medium, vers. Confirmatur.

Quæ infra 197.

RESOL. CXCV.

Quidam vir in absentia coniugis sæpiùs habuit delectationem de actu coniugij præterito, & etiam futuro, ac si actu præsens esset, sine tamen aliquo periculo pollutionis: Confessarius obliguit illum ad explicandum numerum prædictarum delectationum, quæsuit postea à me, an vere in illis delectationibus peccauerit mortaliter?

Et quid, si ex tali delectatione procedat aliqua commotio, & alteratio in partibus pudendis absque periculo tamen pollutionis?

Et deducitur, quod in viduis esset lethale delectari de copula præterita, quasi tunc esset præsens? Ex part. 4. tr. 17. & Misc. 3. Resol. 36.

§. 1. QVòd sic opinatus est Sylvest. *verb. delectatio num. 2.* & Nauarr. *cap. 16. num. 10.* quos sequuti sunt neoterici multi, vt Ioan. Salas *in part. 2. tom. 2. tract. 10. disp. 6. sect. 10. num. 205.* Azor *tom. 1. lib. 4. cap. 6. quæst. 8.* Fernandez *in suo exam. Theolog. part. 4. cap. 2. §. 4. num. 6.* & nouissimè Rodriguez *in summ. tom. 3. cap. 88. num. 7.* Probatur, quia de similibus

Sup. hoc in tom. 8. tr. 6. Resol. 20. §. Quæro sexto. post medium, vers. Confirmatur.

Sup. his viduis in Resol. not. præteritæ, in diuersis eius vers. & signanter in fine, & in §. vlt. huius Resol. & supra latè in Resol. 38.

bus idem ius, & iudicium est: sed in viduis esset lethale delectari de copula præterita, quasi tunc esset præsens. Ergo idem erit & in coniugatis.

2. At ego semper in praxi contrariam sententiam amplexus sum, cum Curiele *in part. 2. quæst. 74. art. 8. dub. 3. §. 2. diffi ultate 3.* Zanard. *in director. Theolog. part. 1. tract. de matrim. cap. 41.* Bonacina *de matr. quæst. 4. punct. 8. num. 12.* Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 44. num. 3.* Vasquez *in part. 2. tom. 2. disp. 113. cap. 2 n. 2.* Lessio *de iust. lib. 4. cap. 3. dub. 1. num. 121.* Reginald. *tom. 1. lib. 11. cap. 5. num. 52.* Medina *in part. 2. quæst. 74. art. 8.* & Coninch. *de Sacram. disp. 34. dub. 11. num. 113.* Et ratio est, quia delectatio sumit malitiam, & bonitatem ex obiecto. At obiectum huius delectationis est licitum. Ergo licita erit & delectatio. Et hæc opinio procedit, etiam si ex tali delectatione procederet aliqua commotio, & alteratio in partibus pudendis, absque periculo tamen pollutionis. Sic Bonacina, Zanardus, Vasquez, & Sanchez *vbi supra.*

Sup. hoc in Resol. seq. §. 2. prope finē, vers. Et hæc, & lege infra doctrinam Resol. 197. Et ex Resol. 199. §. Verum, ante mediū.

3. Ad argumentum contrarium respondetur, disparitatem esse manifestam, nam vidua non potest ita delectari circa actum habitum cum coniuge defuncto, quia hic actus iam in præsenti est ei illicitus; non autem est illicitus coniugatæ. Potest igitur coniux sumere delectationem de actu coniugij præterito, vel futuro, etiam si illum, tanquam præsentem, & nunc exercitum per imaginationem constituat, & sic copula imaginaria se oblectare.

RESOL. CXCVI.

An delectatio morosa coniugis de copula cum coniuge absente sit peccatum mortale?

Et quid, si ex ea delectatione consurgeret membri pudendi commotio, & alteratio absque pollutionis periculo?

Et infertur, quod in vidua, & sponsa de futuro similis delectatio est peccatum mortale?

Sed maior difficultas superest, an coniux possit absque graui peccato se ipsum tangere ex voluptate carnali, non referendo ad copulam?

Et an coniuges non peccent mortaliter, qui libere possunt actum carnalem exercere, si huiusmodi tactus circa se, vel compartem exerceant ad sedandas carnis tentationes, quamuis actum coniugalem non intendant?

Et notatur delectationem morosam de actu coniugij in absentia non esse moraliter illicitam coniugatis, etiam quoties copula coniugibus est illicita, vel ob circunstantiam extrinsecam, vel ob periculum sanitatis, vel abortus, &c? Ex part. 9. tract. 8, & Misc. 3. Resol. 44.

Sup. hoc in Resol. præterita, & infra in Resol. 198. §. Sed non. & in Resol. 199. §. Verum.

§. 1. AFfirmatiuè nominatim contra me respondet Pater Bordonus *in Consil. Regul. tom. 2. resol. 74. quæst. 2. num. 6.* Tum quia huiusmodi cogitatio non potest referri in bonum prolis, cum imaginatio nullum ordinem habeat ad prolem, neque aliquid operetur huiusmodi ordinatio, cùm sit merè intellectualis, & nugatoria ad hoc, non valens excusare à peccato: ergo peccaminosa est; neque refert, quòd quis copula coniugali cogitet ea intentione, vt eam referat in bonum prolis, quia ea imaginatoria frustratoria est ad hunc effectum, & quandoque non adest bonum prolis, si imaginatio referatur ad copulam sterilem. Tum quia in vidua similis delectatio est peccatum mortale: ergo & in coniugatis; cùm idem faciendum sit iudicium de similibus, ex vulgatis Iuribus. Tum quia non solùm debemus abstinere à malo, sed etiam ab omnibus illis mediis, quæ possunt nos inducere, & maximè proximè ad malum perpetrandum, quia finis, & mediorum eadem est ratio, *lib. oratio ff. de sponsal.* media enim sequuntur naturam sui finis, & ab eo regulantur, ibidem Bartolus; & finis dat necessitatem mediis, in quem, si quis non potest, neque in mediis; & eadem obligatione quis tenetur ad media, qua constringitur ad finem; sed quilibet sub mortali tenetur se abstinere à motibus voluntariis partium pudendarum: ergo & mediis per quæ tales motus causari possunt, cuiusmodi est imaginatio copulæ etiam coniugalis inter absentes. Tum quia coniugati absentes ab inuicem in quolibet actu venereo se habent, tanquàm non coniugati, iuxta illud Apostoli 1. *Corinth. 7.* Qui habent vxores tanquam non habentes sint. Ita ille, qui postèa addit: Et ex his patet, quàm immeritò sententiam Sanchez Diana vocet probabilissimam; sufficit enim, si aliqualiter sit probabilis apud ipsum, & alios; nam apud me iudicatur improbabilis, cùm ex tali imaginatione proximè sequatur carnis alteratio, & voluntaria sensualis delectatio, quæ sine dubio peccatum graue est.

in viduis, & latè in alia Resol. eius not.

2. Sed etiam poterat penes ipsum sententia Sanchez magnam probabilitatem habere non solum ex principiis intrinsecis, sed saltem ex principio extrinseco, nempe auctoritate Doctorum: nam præter Sanchez, hanc sententiam docet Vasquez, Lessius, Salas, Layman, Coninch, Sancius, Paluus, quibus adde Ioannem Præpositum *in part. D. Thomæ quæst. 6. de bonis matrim. dub. 26. n. 192.* Ochagauiam *tract. 5. de matrim. quæst. 12.* Hurtadum *disp. 10. difficul. 10. num. 47.* Martinum Perez *de Matrim. disput. 54. sect. 1. num. 7.* Bossium *tract. de Scrupul. §. 7. num. 152.* Dicastillum *de Iust. lib. 1. disput. 3. dub. 15. num. 220.* Et hi omnes meritò vocari possunt Gigantes Theologiæ: vnde saltem ex eorum auctoritate nostram sententiam contra Patrem Bordonum satis probabilem esse patet. Nec desunt pro illa rationes. Quia talis delectatio appetitus sensitiui & commotio, membrorum, ac spirituum generationi inseruientium in coniugibus de se, seu per se loquendo, ad copulam maritalem ordinantur, sicut & tactus impudici inter eosdem coniuges; per accidens autem est, quòd propter absentiam, aut aliud simile impedimentum copula non exerceatur: ergo sicut tactus impudici inter coniuges ob solam voluptatem, absque animo copulæ, eo quòd natura sua inter coniuges ordinentur ad actum coniugalem, ratione matrimonij, excusantur à culpa mortali, sicut excusatur à mortali culpa ipsa maritalis, vt tradit Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 44. num. 11.* & docent Doctores communiter, quos ipse allegat, & alij tam antiqui, quam recentiores. Ita etiam matrimonium à mortali excusat in coniugibus delectationem in appetitu sensitiuo de copula maritali cogitata, & ex ea ortam commotionem corporis, & spirituum generationi inseruientium; cùm hæc omnia de se in coniugibus, sicut & tactus impudici, oscula, & amplexus, tanquam media ad finem ordinentur ad copulam materialem, quæ inter coniuges est licita. Quare omnia prædicta, si tantum propter delectationem à coniugibus appetantur, & exerceantur absque pollutionis periculo, erunt peccatum veniale, quia extrahunt à suo fine; sicut enim defectus debiti finis in habenda copula coniugali, non est culpa mortalis, sed tantum venialis, nisi finis mortalis intenderetur, vt docet idem Sanchez *eodem lib. 9. disp. 8. num. 8 & 9.* & est Doctorum communis: ita etiam defectus debiti finis in prædictis actibus præambulis ad actum coniugalem erit solùm culpa venialis, secluso alio fine mortali, vel periculo pollutionis: alioqui certum est peccare mortaliter coniuges, si animadvertant ex illa com-

Sup. hoc infra in fine huius Resol. & in Resol. præterita §. 1. in fine vers. Sed

motione sensitiua venerea, vel ex tactibus impudicis sequuturam pollutionem. Limitat præfatam sententiam Salas, affirmans esse mortale, si coniuges delectentur de copula maritali imaginaria, & ficta; sed rectè limitationem reiicit Palaus, eò quòd parùm referat copulam esse fictam, vel veram; si delectatio absolutè illis non est prohibita, & non tendit ad obiectum formaliter malum. Neque prædictæ sententiæ obstat illam delectationem sensitiui appetitus, & commotionem corporis esse initium effusionis seminis; nam ordinatur ad coitum cum coniuge, & seminis effusionem intra legitimum vas; quod sufficit, ne sit mortalis culpa: quamuis tunc copula propter absentiam, vel aliud impedimentum simile haberi non possit. Sicut etiam nõ obstat, quod similis delectatio voluntaria, & commotio non sit licita in vidua ex cogitatione præteritæ copulæ maritalis: viduæ enim prohibita est copula carnalis, ac proinde etiam delectatio sensitiua illius cogitatæ: & in ea deficit matrimonium quod vtrumque excusat. Itaque ex his omnibus patet, quod talis est delectatio, qualis est consensus in actum, de quo capitur delectatio; talis enim est delectatio, quale est obiectum, vt docuit Aristoteles *lib.10. Ethicorum, cap.4. & 5.* Sed copula, de qua est delectatio, inter coniuges est licita: ergo ex hac parte non est culpabilis delectatio: esset autem culpa venialis, si careret debito fine ad quem actus coniugalis à natura ipsa dirigitur. Et hæc sententia procedit etiam si ex ea delectatione consurgeret membri pudendi commotio, & alteratio absque pollutionis periculo, videlicet nullam esse culpam mortalem consensum in illam. Ratio est quia vt optimè docuit Vasquez *1. 2. disp. 113. num. 2. & 3.* matrimonium excusans à copula mortali delectationem sensitiuæ partis, subinde excusat quoque commotionem illam naturaliter ex ipsa consurgentem. Quare sicut esset culpa mortalis, si coniux in actu coniugali delectaretur in alterius viri, aut fœminæ cogitatione carnaliter dilectorum; quia est delectatio morosa in obiecto mortaliter graui & turpi, ita è contra excusatur à culpa mortali illa delectatio, & commotio, quia est de obiecto, & copula licita, tametsi per accidens sit alter coniux absens.

Sup hoc infra in fine huius Res. & in aliis eius vlt. not.

Sup. hoc in Res. præteriita §. 2. in fine, sed lege doctrinam Res. seq. & infra ex Res. 199. §. Verũ. ante mediũ, à vers. etiam si inde consurgat.

3. His tamen non obstantibus, concedo sententiam affirmatiuam Patris Bordoni, & aliorum esse etiam satis probabilem; sed constanter nego nostram esse improbabilem, quam præter Doctores citatos ex Societate tenet nouissimè ex Neotericis Dominicanæ familiæ Magister Serra *in part. 2. D. Thomæ, tom. 2. quæst. 74. art. 8. dub. 2.* & Araujo ibidem *art. 10. dub. 3. num. 48.*

Sup. hoc supra in Res. 37. §. Nota tamen, & in Res. 188. §. Ad tertium, & in aliis eius not.

4. Sed maior difficultas est, an coniux possit absque graui peccato seipsum tangere ex voluptate carnali, non referendo ad copulam? Alibi pro negatiua sententia adduxi Vasquez, pro affirmatiua Sanchez, cuius sententia visa est probabilior Ioanni Præpositо vbi supra *in 3. part. qu. 6. de bonis matr. dub. 26. n. 188.* quia talis contactus exercetur intra limites matrimonij, estque natura sua idoneus ad copulam licitam, nec ordinatur ad illicitam: ergo nihil per eum committitur repugnans fidei coniugali, aut fini matrimonij, & proinde ex illis capitibus non contrahit malitiam mortalem, quam non potest aliunde contrahere, si absit pollutionis periculum. Et hanc sententiam tenet etiam Hurtadus & Ochagauia vbi supra, quibus adde Patrem Martinum Perez loco citato *de Matrim. disp. 53. sect. 2. num. 6.* vbi sic ait: Dico, etiamsi coniugatus se ipsum tangat propter voluptatem captandam absque pollutionis periculo, solùm esse venialem culpam; quia cùm tactus ille indifferens sit ad copulam coniugalem licitam vel ad illicitam, possitque ad vnam, vel alteram referri, nec ex intentione tangentis se distrahatur à sua natura, & ab hoc ordine, vel ad copulam illicitè ordinetur; non est cur de culpa lethali damnandus sit. Sicut dixit de morosa delectatione copulæ cum coniuge absente, non esse culpam lethalem, quia suapte natura referri potest ad copulam coniugalem, licet actu non dirigatur. Vnde falsum est, vt ille tactus sit coniugalis, desiderari vt habeatur cum coniuge; non enim vt actus coniugis sit, requiritur cum cum coniuge fieri; sed satis est vt ad coniugium præsens sua natura ordinari possit, nec ab hac natura ex intentione illo vtentis deuiet. Firmatur hoc idem, quia prædicti tactus impudici ideò inter solutos sunt mortales, quia excitant delectationem veneream similem illi, quæ habetur in copula, & ad hoc natura sua ordinantur. Igitur quibus licita est copula, & in eadem delectatio, vt coniugibus; etiam illi tactus liciti erũt, si finem aliquem honestum habent; veniales, si eo careant, sicut ipsa copula esset. Itaque dicendum videtur, quòd illi tactus, vtpotè coniugis natura sua referuntur ad copulam coniugalem, à qua relatione non eximuntur, estò copulam non intendas, vel impossibilis sit ob alterius coniugis absentiam. Hæc enim per accidens contingunt, quæ relationem intrinsecam illorum tactuum non mutant. Præterea sicut ex matrimonio prouenit copulæ coniugali honestas; sic tactibus, qui copulæ deseruire possunt, tametsi per accidens non deseruiant.

5. Sed his non obstantibus, Ego puto sententiam negatiuam Vasquez esse tenendam, & consulendam, quàm nouissimè me citato tenet etiam doctus Pater Dicastillus *de Iust. lib. 1. disp. 3. dub. 15. n. 218.* quia ex matrimonio non habes potestatem tuo corpore vtendi, nisi quatenus necessarium est, vt ab altero debitum petas, vel illi reddas; at in præsenti casu nec debitum petere, nec reddere intendis. Non igitur tibi licet prædictus vsus. Deinde illi tactus, & carnis commotio ex se referuntur ad pollutionem, vel coitum. Ad coitum autem vt impossibilem nequaquàm referri possunt. Restat ergo, vt ad pollutionem referantur. Ergo sunt omninò illiciti.

6. Nego autem coniuges peccare mortaliter, qui liberè possunt actum carnalem exercere, si huiusmodi actus circa se, vel comparem exerceant ad sedandas carnis tentationes, quamuis actum coniugalem non intendant; quia status matrimonialis in natura lapsa non tantum recipit generationem prolis, sed etiam est institutus ad sedandas carnis tentationes; & proinde actus illius potest licitè in hunc finem, relicto alio fine, assumi: vnde si in hunc finem exerceantur, ne quidem videntur venialia, secundum Præpositum vbi suprà.

7. Nota etiam hic obiter delectationem morosam de actu coniugij in absentia non esse mortaliter illicitam coniugatis, etiam quoties copula coniugibus est illicita, vel ob circumstantiam extrinsecam, quæ per se neutrum coniugem arcet ab vsu matrimonij, ob periculum sanitatis, vel abortus, vel ob aliquod impedimentum naturale post matrimonium superueniens, puta, ob impotentiam, coeundi matrimonio contracto superuenientem, & delectationem appetitus sensitiui de copula maritali cogitatam, vt præsenti, in eisdem coniugatis esse licitam, & excusari saltem à culpa mortali; sicut ex similibus casibus liciti sunt inter eosdẽ coniugatos tactus impudici, secluso periculo pollutionis, vt docet etiam Fagundez *in Decalog. lib. 9. cap. 6. num. 2. 3. & 4.* & ratio est eadem, quia talis delectatio, & tactus delectio, & ex natura sua ordinantur ad copulam coniugalem, & per accidens est, quòd non exerceatur, sed

exerceri

exerceri non possit. Quare cùm eadem copula tunc sit licita, & prohibita, vel impossibilis, solum per accidens, & ab extrinseco; licita etiam erunt delectatio illa, & tactus, qui de se ad actum coniugalem tanquam ad finem tendunt. Et tactus poterunt excusari à veniali, si non ob solam delectationem, sed ad conciliandum amorem, vel ad vitandam incontinentiam exerceantur absque pollutionis periculo. Et hanc sententiam me citato tenet nouissimè Bossius *tract. de Scrupulis* §. 59. *num.* 2191. & Martinus Perez *de Matrim. disp.* 53. *sect.* 3. *num.* 2. & 3. qui tamen optimè notat, supra dictam doctrinam non procedere in viduis & in sponsis de futuro; non enim his licitum est delectari morosè de copula coniugali præterita, vel futura tempore matrimonij, quicquid in contrarium asserat Magister Araujo *in part.* 2. *D. Thomæ, quæst.* 74. *art.* 10. *dub.* 3. *num.* 48. & alij.

Sup. hoc supra in Ref. 37. §. Item. & in Resol. 191. & 194. post medium.

Sup. hoc pro viduis supra in hac Ref. cursim in §. 1. & 2. & supra in Ref. 195. §. 1. in fine, & pro viduis, & sponsis de futuro latè superius in Ref. 39.

RESOL. CXCVII.

An coniux excusetur à peccato mortali, si voluntarie delectetur in commotione sensitiua orta ex imaginatione coniugis absentis?

Et supponitur abesse probabile pollutionis periculum? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 199. aliàs 200.

§. 1. CONtra Nauarrum, Azorium, Philiarchum, & alios affirmatiuam sententiam alibi cum multis DD. probabiliter docui, sed, quia aduersùs me propter hoc quidam Theologaster obmurmurauit, ideò iterum eandem sententiam doceo, quam docent etiam Medina *in part.* 2 *quæst.* 74. *art.* 8. *dub.* 1. Zumel *ibid. disp.* 4. *dub.* 3. Curiel *dub.* 3. §. 2. *diffic.* 3. Zanardus *in direct. conf. part.* 1. *tr. de matrim. cap.* 41. Layman *Theolog. moral. lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 14. vbi sic asserit: Licèt existiment aliqui etiam coniugatum mortaliter peccare, si voluntariè delectetur in motione venerea orta ex coniugis absentis apprehensione, eo quòd talis commotio tunc ordinari non possit ad actum coniugalem, sed potiùs ordinetur ad pollutionem; opposita tamen sententia probabilitate non caret; Cùm enim matrimonium à mortali peccato excuset tactus impudicos inter coniuges, non copulandi, sed solius voluptatis gratia institutos, consequens est similiter etiam sensitiuam commotionem ex absentis mariti cognatione ortam, vel voluntariè acceptum à culpa mortali excusari. Ratio est, quia hæc omnia in coniugibus, per se loquendo, tendunt ad opus coniugale. Per accidens autem est, quòd ob absentiam, vel simile impedimentum opus non exerceatur. Suppono autem in his casibus abesse probabile pollutionis periculum. Ita Layman, & ego, licèt nouissimè contrarium doceant Pontius *de matrim. lib.* 10 *cap.* 16. §. 2. *num.* 11. Fernandez *in exam. Theolog. moral. part.* 2. *cap.* 2. §. 4. *num.* 6. & alij, sed nostra sententia est probabilissima.

Alibi supra in Ref. 195. §. 2. in fine. & in Ref. 196. §. 2. prope finem. vers. Et hæc & infra in Ref. 199. §. Verum ad lin. 8. & vers. etiam si inde.

RESOL. CXCVIII.

An sit licita inter coniuges delectatio de copula cogitata vt præsenti, quando ipsa copula est illis interdicta ob aliquam causam?

Et in textu huius Resolutionis adducuntur diuersi casus pro praxi supradictæ difficultatis?

Et deducitur, quod si absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale coniugibus delectari morosè de copula cogitata tanquam præsenti, dum absentes sunt? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 223. aliàs 224.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *disp.* 44. *num.* 11. sed aduersùs illum insurgit Basilius Pontius *de matrim. lib.* 10. *cap.* 16. §. 2. *num.* 12. & Emanuel Rodriguez *in in summa noui ssima to.* 1. *cap.* 129. *conclus.* 3. vbi sic ait; [Quando la copula matrimonial es illicità, por razon de alguna circonstancia extrinseca, de su naturaleza no los priua de vso legitimo del matrimonio, tambien es illicita la delectacion del apetito sensitiuo desta copula pensada como de presente. Esta conclusion es contra Sanchez, el qual dize ser licita la dicha delectacion, y assi affirma, que entre los casados, aunque sea illicita la copula, por razon del notable peligro de la salud, ò de aborso, no sera illicita la delectacion desta copula, pues esta delectacion no es contra la dicha salud, y dizemas que illicita es la copula coniugal en lugar publico, por ser contraria à la honestidad natural, porque no es illicita mortalmente la delectacion interna sensitiua de la copula coniugal en el mismo lugar, attento que esta delectacion no es contraria à la honestidad natural, por razon de laqual la copula es illicita. Laqual doctrina tengo per muy, agena de la Theologia moral, porque aunque la dicha delectacion de presente no sea notablemente contraria à la salud corporal, ni a la honestidad natural, ella ansi sin respecto à circonstancia extrinseca, es illicita, porque la delectacion coniugal de su naturalezza quando se tiene de presente absolutamente no es buena, sino solamente quando se tiene actualmente el acto, y no quando no se tiene,] Ita Rodriguez.

Sup. hoc supra in Ref. 196. §. vlt. in principio.

2. Sed non rectè quidem, nam si absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale coniugibus delectari morosè de copula cogitata tanquam præsenti, dum absentes sunt, quia cum illis non sit peccatum mortale consensus in actum, nec etiam erit in delectationem, & ita sentiunt plures DD. quos *suprà*, & alibi citauimus, quibus nunc addo Maldenum *in part.* 2. *D. Thom. quæst.* 74. *art.* 10. *dub.* 11. Tannerus etiam *in part.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 7. *num.* 140. Iacobum Granado *vbi infrà*, & Filliucium *tom.* 1. *tract.* 10. *c.* 9. *n.* 353. qui citat D. Thomam, Paludanum, Caietanum, Gersonem, Armillam, & Tabienam.

Supra, & alibi in Resolutionibus quæ hic sunt supra 195. & 196. & infra in Ref. seq. §. Verum.

3. Igitur respondendo ad quæstionem in hac resolutione propositam, assero probabiliter cum Sanchez *vbi suprà*, quòd quoties copula interdicitur coniugibus ob circumstantiam extrinsecam, quæ per se neutrum coniugem arcet ab vsu matrimonij, licita est delectatio appetitus sensitiui de copula cogitata vt præsenti, vt si illicita sit copula propter periculum aborsus, & salutis. Et ratio est, quia matrimonium non tantùm excusat coitum à culpa, sed etiam morosam delectationem. Ergo cùm impedimenta supradicta opponantur soli copulæ, vsus solus ille redditur illicitus, & non delectatio. Secundò, in his casibus vsus matrimonij ex se est licitus, sed tantùm ab extrinseco prohibetur ratione charitatis, aut pietatis obligantium præcaueri damnum coniugis, vel prolis, sed his virtutibus non aduersatur delectatio, nam ex illa simile damnum non timetur: ergo non erit prohibita.

4. Et idem dicendum est, quoties est physicum impedimentum ad copulam, vt si impotentia coeundi superueniat matrimonio contracto, vel quando cõcubitus est interdictus ratione alicuius præcepti Ecclesiæ, vti si coniux contrahit affinitatem, seu cognationem cum altero coniuge, & ratione cuius arcetur à debiti petitione; vel si vterque similiter eam contraxit, quia tale impedimentum est extrinsecum, & arcens à copula in pœnam admissi delicti. Ergo cùm res sit pœnalis, non est extendenda ad delectationem,

rionem, & id quod diximus de delectatione, dicendum esse puto, etiam de tactibus. Et hæc omnia asserit Sanchez *vbi supra*, quem postea sequitur Granado *in* 1.2. *D. Thomæ cont.* 6. *disp.* 5. *num.* 10. & Villalobos *in summa, tom.* 2. *tract.* 40. *diffic.* 17. *num.* 6. vbi ita ait. [Duda es quando entre los casados no es licito el acto conjugal, porque tienen hecho voto de castidad, ò por falta de salud, ò por otro impedimento, si entonces es licita la delectacion. A loqual respondo, que si es por voto, en tal caso como el acto es illicito, tambien lo sera la delectacion, como dize Sanchez, mas no quando fuesse el impedimento extrinseco tan solamente, como el mismo dize; y lo mismo siente, quando por la affinidad que sobreuiene al matrimonio, no pueden pedir el debito, porque este es impedimento extrinseco del precepto de la Iglesia, en pena del pecado.] Sic ille; vnde apparet non bene Rodriguez dixisse, opinionem Sanchez à morali Theologia alienam esse; est enim probabilissima.

Sup. hoc in Ref. seq. §. vlt.

RESOL. CXCIX.

An delectatio coniugis cum fœmina aliena, habeat non solum malitam contra Castitatem, sed etiam contra Iustitiam?

Et docetur licitum esse coniugibus delectari de copula maritali, ac si præsens esset, etiam si inde consurgat membri pudendi alteratio, & commotio absque pollutionis periculo?

Et aduertitur non esse licitum coniugibus ligatis voto castitatis delectari de copula legitime habita, vel habenda, & hoc etiam procedit, si coniux emiserit votum Castitatis absque consensu alterius coniugis, ratione cuius non deobligatur à debiti redditione?

Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. Res. 73.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 7. Res. 100. 101. & 102. §. vlt. post mediũ. à vers. Sed hæc. & in Res. 104. cursim in §. Nota vero.

§. 1. AFfirmatiuè respondent communiter, vide Bonacinam *de matri. quæst.* 4. *punct.* 8. *n.* 19. Et ratio est, quia coniux per matrimonium non solùm corpus, sed etiam affectus alteri coniugi obligauit. Ergo si in alteram fœminam à sua coniuge inclinat, iniuriam illi irrogat.

2. Sed hæc ratio non caret difficultate, vt docet Castrus Palaus *in opere morali tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 10. §. 45. *num.* 4. suppositia eius sententia affirmante delectationem non accipere malitiam omnẽ obiecti, sed quatenus ab intellectu voluntati repræsentatur. Cùm autem à circumstantia coniugis possit intellectus præscindere, & se ipsum quasi solutum considerare, non videtur circumstantiam coniugij posse malitiam tali delectationi tribuere. Quòd autem per coniugium non se coniuges obligauerint ab his delectationibus abstinere, sicuti obligant vouentes castitatem, inde probatur, quia hæ delectationes sunt per se incognitæ alteri coniugi. Ergo non potest ratione illarum iniuriam pati, neque ob illas copula sibi debita. Ergo non sunt contra iustitiam, sed solùm contra temperantiam; quod dubitando dictum sit. Hæc omnia Castrus, sed tu ne discedas à prima sententia affirmatiua.

Alibi sup. contento in hoc §. supra in Res. 195. per totam. & in Res. 196. §. & 2. & in Res. 198. §. Sed non & lege etiã doctrinam Res. 197. pro

3. Verùm, vt alibi diximus, & nunc iterum doceo cum dicto Castro Palao *vbi suprà, tr.* 2. *disp.* 2. *punct.* 10. §. 2. *num.* 17. licitum est coniugibus delectari de copula maritali habita, vel habenda, ac si præsens esset, modò absit periculum pollutionis, quia hæc delectatio coniugibus est licita, eo quòd principium, & dispositio sit copulæ coniugalis, quæ illis licita est, neque redditur mortalis, etiam si inde consurgat membri pudendi alteratio, & commotio absque pollutionis periculo, quia hæc omnia ad copulam maritalem de se ordinantur, si tamen propter eorum delectationem appetantur, erit culpa venialis, quia extrahitur à suo fine. Quod verò Salas affirmat *in part.* 2. *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 30. *num.* 205. mortale esse, si coniuges delectentur de copula maritali imaginaria, & fictam, non probatur, quia parum refert illis prohibita non est, & non fertur ad obiectum formaliter malum. Ita Castrus *loco citato*, cui addit Coninch *de Sacram. disp.* 34. *dub.* 11. *num.* 113. Vasquez *in part.* 2. *disp.* 113. *cap.* 2. Layman, Sanchez, & alios, quos *suprà* in duobus locis aduersùs quemdam Theologastrum citaui.

4. Nota tamen non esse licitum coniugibus ligatis voto castitatis delectari de copula legitime habita, vel habenda, quia licèt obiectum bonum sit, at delectatio bona non est, quia aduersatur voto castitatis, quod prohibet omnem delectationem sensibilem veneream. Ita Basili. Pontius *de matri. lib.* 10. *c.* 16. §. 2. *n.* 12. Sanchez, Vasq. & alij, quæ opinio procedit aduersùs aliquos penes Coninch *de Sacram. vbi supr. n.* 109. etiam si coniux emiserit votum castitatis absque consensu alterius coniugis, ratione cuius non deobligatur à debiti redditione. Ita Lessius *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 14. *n.* 106. Vasq. *disp.* 115. *cap.* 2. & alij.

RESOL. CC.

An coniuges vtentes copula causa voluptatis peccent venialiter?

Et notatur non esse peccatum neque veniale contrahere matrimonium ob pulchritudinem, vel diuitias? Ex part. 3. tr. 4. Res. 215. alias 216.

§. 1. AFfirmatiuè respondent Sanch. *de matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *disp.* 11. *n.* 4. Bonacina *de matri. quæst.* 4. *punct.* 6. *num.* 7. & alij penes ipsos.

2. Sed ego puto probabiliter non esse peccatum veniale cognoscere vxorem causa voluptatis, & hanc opinionem probabilem putat Veracruz *in speculo, part.* 3. *art.* 16. *concl.* 2. & docent Ioan. Sanctius *in selectis, disp.* 23. *n.* 25. & Basilius Pontius *de matrim. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 6. & 7. & ex veteribus Maior *in* 4. *sent. distin.* 31. *quæst. vnica, concl.* 7. & Almainus *in* 4. *sent. dist.* 26. *quæst.* 1. *in fine.*

3. Notandum est etiam contra Sanchez *lib.* 2. *disput.* 29. *quæst.* 3. *num.* 11. non esse neque peccatum veniale contrahere matrimonium ob pulchritudinem, vel diuitias. Et ita docet Pontius *vbi supra, num.* 13. cum Soto *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 3. & Maiore *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 3. *concl.* 1. & 2.

RESOL. CCI.

An copula coniugalis inita propter dilectationem inducat peccatum veniale?

Et sequitur quod qui reddit debitum postulanti illud ex sola voluptate, an similiter peccet?

Ex quibus colligitur coniugatos peccare venialiter, quando cibis calidis, aut vnguentis, oleis, misce, & aliis medicamentis vtuntur ad excitandam, & magis accendendam voluptatem?

Et notatur copulam inter coniugatos ob sanitatem tuendam, vel conseruandam non includere culpam venialem, &c?

Et an actus coniugalis factus solum ad euitandam incontinentiam eius, qui petit debitum, seu propriam fornicationem vitandam, sit culpa venialis?

Et quid in casu, quo petens debitũ carnis molestiis non vexetur

vexetur, si satis sit probabiliter timere vexandum fore?

Et an si vir causa delectationis petit debitum cum situs variatione: peccet fœmina venialiter reddendo, aut an absolute possit negare? Ex part. 11. tract. 2. & Misc. 2. Ref. 41.

Sup. hoc in Ref. not. seq.

§. 1. CAsus potest frequenter accidere, & ad illum, respondeo quod talis copula potest dupliciter considerari, & secundum se, & ratione circumstantiarum; Ideò quæro an considerata ex sui natura inducat peccatum veniale? Et affirmatiue respondet Nicolaus Ysambert Professor Regius Sacræ Theologiæ in inclita Academia Parisiensi *tom. 3. in 2. part. D. Thom. de Sacram. matrim. disp. 11. art. 6. n. 7.* vbi sic ait, Ad auctoritatem Sancti Augustini explicantis prædictam particulam, prout significat condonationem alicuius culpæ: Respondetur cum istis locis agere de actu coniugali, vt tantum exercetur ex solo motiuo voluptatis, & ad id accommodare prædictum locum Apostoli; nam talem esse peccatum veniale docet S. Augustinus expressè *lib. de bono coniugali cap. 6.* & Sanctus Gregorius *respons. 10. ad interrogationes Sancti Augustini, & refertur 33. causa quæst 4. cap. Vir cum propria coniuge dormiens.* Ratio est, Vbi in exercendo actu ex se bono, & licito, ordo ei debitus subuertitur, & solum, vel saltem primò, intenditur quod ei est annexum, non autem bonum eius, & finis, tunc est aliquod peccatum, saltem veniale, vt potest facilè intelligi facta inductione: atqui dum actus coniugalis exercetur ob solam delectationem, vel principaliter, tunc debitus ordo inuertitur, quia ille primò debet exerceri ob aliquem ex suis finibus, cuiusmodi non est voluptas, cum sit bonum tantum delectabile, & non honestum, quod tamen solum est finis actionis humanæ; & voluptas, seu delectatio est tantum aliquid annexum actui coniugali, non autem finis eius: igitur actus coniugalis ex tali intentione exercitus, est aliquod peccatum, scilicet veniale. Vnde quia Sanctus Augustinus huic doctrinæ accommodat citatum textum Sancti Pauli, ideò hanc eius particulam, secundum indulgentiam, vel secundum veniam, explicat prout importat condonationem, & remissionem culpæ venialis.

2. Quod autem ibi Sanctus Augustinus loquatur de actu coniugali ex sola voluptate exercito, patet eo, quod citato *capite decimo libro de bono coniugali*, dicat talem actum concedi tantum libidini, & citato *capite* 38. *de peccato originali*, dicat tunc esse peccatum veniale iuxta Apostolum 1. ad Corinthios 7. *quando coniuges lasciuiendi voluptate exsaturandæ libidini inseruiunt, & cap. 78. Enchirdij*, dicit actum illum fieri carnalis voluptatis causa; quæ omnes loquendi formulæ satis indicant eum loqui tantum de actu coniugali, vt ex sola intentione voluptatis accipiendæ exercitio, & ad id citatum locum Sancti Pauli accommodare.

3. Neque (vt id obiter soluamus) hinc sequitur alterum coniugem qui reddit debitum postulanti illud ex sola voluptate, similiter peccare, quia sic tantum cooperatur actui ex sua natura licito coniugatis, & ad quem alteri reddendum tenetur non autem cooperatur malæ intentioni alterius, sed supposita petitione debiti cooperatur copulæ, quæ non tantum est licita, sed etiam postulanti debita, & ordinatio illa ad solam voluptatem est tantum ab vno coniuge & non ab altero; ideóque solus ille peccat venialiter. Hucusque Ysambert, cui adde præter Sanchez, & Bonacinã à me vbi infrà citatos, Hermannum Busenbaum *in Medulla Theologiæ moralis lib. 6. tract. 6. cap. 2. dubitat. 2. §. 1. numero* 4. Montesium *in part. 2. D. Thomæ tom. 1. disp. 2. § 3 n. 3.* Coninch, *de Sacrament. disput. 34. num.* 12. Ochagauiam *de Sacram. matri. tract. 1 9. 2. n. 5.* Moure *in Examin. Theolog. moral. part. 3. cap. 20. §. 1. n. 6.* Fagundez *in Decal. to. 2. lib. 6. c. 3. n. 3.* & alios penes ipsos.

4. Hæc sententia est satis probabilis, sed probabilem etiam existimo negatiuam, quam breuiter olim docui *in 3. part. tract. 4. resol. 216.* & præter Basilium Pontium, Sancium, & alios, quos ibi adduxi, nunc iterum illam doceo contra quosdam inscios calumniatores cum Ioanne Pontio *in Cursu Theologiæ, disp. 49. quæst. 2. concluf. 3. num.* 10. vbi sic asserit; Sed non video prorsus, cur coniuges non possint coire ob voluptatem solam, quando inde non sequeretur præiudicium generationis, aut alicuius alterius obligationis. Quæ hic est Ref. antecedens, & in Ref. seq. §. Quæro secundo.

5. Dices cum Ysamberto, quando in exercendo actu ex se bono, & licito, ordo ei debitus subuertitur, & solùm, vel saltem primò intenditur, quod est ei annexum; non autem bonum eius, & finis, tunc committitur peccatum aliquod, saltem veniale: atque id fit, quando actus coniugalis exercetur ob solam delectationem; quia delectatio est aliquid annexum ipsi, non verò finis eius.

6. Respondeo primò, negando voluptatem non esse finem aliquem copulæ maritalis.

7. Respondeo secundò negando maiorem quando non tenetur quis intendere finem principalem ipsius, nec prohibetur ipsi illud, quod est annexum: quando enim quis non tenetur ad intendendum finem alicuius actus, certè non tenetur allicere actum ad illum finem; nec vllus est actus, qui non possit haberi ob motiuum quodcumque non prohibitum absque peccato: non tenetur autem coniugatus hic, & nunc intendere generationem prolis, nec prohibetur ipsi agere ob delectationem aliàs non prohibitam, qualis est delectatio orta ex copula maritali per se: ergo non inordinatè, nec peccaminosè agit habendo talem copulam.

8. Confirmatur hoc; quia vel procurare sibi bonum delectabile non prohibitum, est honestum vel non est. Si sit honestum, ergo honestum est habere copulam maritalem, quoties non prohibetur, etiamsi nihil aliud præterea intenderetur, nisi quando aliquis alius finis deberet ex præcepto intendi. Si non sit honestum, non erit inhonestum, quia nequit ostendi, ex quo capite esset inhonestum: ergo erit indifferens, & consequenter non erit peccaminosũ.

9. Confirmatur secundò, quia aliàs peccarent coniuges quoties coirent, quando certi sunt, quod coitus non possit conducere ad generationem, vt sæpissimè cognoscunt, & sic male facerent qui matrimonium ineunt in ea ætate, in qua non possunt ad generationem concurrere; cùm tamen determinent coire: quod sine sufficienti causa dicendum non est.

10. Itaque, vel Augustinus debet intelligi de peccato, id est de defectu consistente in minoris boni electione, vel concedendum est, quod ita existimauerit; sed tamen non propterea, ita teneri debet; quia fundamenta oppositæ sententiæ præponderant ipsius auctoritati. Et eodem modo respondendum est ad auctoritatem Gregorij in responsione ad interrogationes Sancti Augustini, vt refertur *causa 33. q. 4. cap. Vir cum propria coniuge.* Hucusque Pontius.

11. Et hanc sententiam latè probat doctus, & amicissimus Pater Martinus Perez *de Matri. disp. 18. sect. 7. num. 9.* Ratio est, quia si in tali delectatione ex se esset culpa venialis, etiam minima, actus coniugij ex se habens illam delectationem sibi annexam,

nexam, nullo pacto licitus esse posset. Vnde similiter nec potuisset esse licitus contractus matrimonij ordinatus ad prædictum actum coniugalem propter generationem prolis, cùm nulla possit esse obligatio ad culpam venialem; ergo dicta delectatio, & voluptas carnalis ex se vere est licita, sicut & actus coniugij. Igitur per se licitum est contrahere gratia voluptatis ipsi actui coniugali annexæ. Firmo, quia sicut in natura rationali est appetitus honestus ad cibum quo vita conseruatur, ita etiam est appetitus moderatus ad generationem, per quam ipsa natura multiplicatur, & sicut vt auidius appetatur cibus, natura addidit in cibo delectationem, ita vt auidius quoque apperatur generatio, addidit quoque eadem natura delectationem; est enim voluptas, & delectatio condimentum operationum, vt dixit Aristoteles 10. *Ethicor. cap.* 4. Ergo sicut licitum est ex se intendere delectationem illam, quæ est in cibo, vt auidius cibus appetatur, & eo fine cibum sumere; ita licitum est ex se contrahentes matrimonium intendere delectationem illam, quæ est annexa generationi, & propter illam capiendam inire mattimonium, & actum coniugalem exercere. Quæ enim disparitas assignari potest, seruata moderata delectatione in vtroque appetitu, & vtraque operatione? Ita Perez; qui postea respondet ad argumenta contraria adducta à Sanchez, & aliis Aduersariis. Vide etiam Ægidium Trullench *de Sacram. l. 7. cap. 11. dub. 2.* & Gasparem Hurtadum *de matrim.*

12. Ita ex superius dictis apparet, copulam initam propter delectationem non inducere culpam venialem, quod intelligendum est secundum se, & considerata ex sui natura. Non nego tamen copulâ initam ex voluntate, per accidens, & natura circumstantiarum (moraliter loquendo) posse sæpe culpam venialem continere; & ideo Martinus Perez, vbi supra, cùm nostram sententiam docuerit, potest ea *disp. 49. sess. 2. num. 5.* sic asseruit; Dico tertiò actum coniugalem exercitum solum ob capiendam delectationem carnalem ipsi actui annexam, vt auidius appetatur ob conseruationem speciei, esse immunem à culpa adhuc veniali, quia nimirum dicta delectatio, seu voluptas verè est licita, sicut & actus ipse.

13. Dico vltimò, nihilominus moraliter loquendo ferè semper esse excessum in tali actu, & venialem culpam. Vndè rarò accidit sine peccato veniali exerceri actum coniugalem. Ita communiter Sancti Patres, & Doctores. Ratio est, vehementia voluptatis in exercitio talis actus, nimius voluptatis excessus, qui in eo actu procuratur à coniugibus; ergo moraliter loquendo ferè semper est excessus in tali actu, & venialis culpa. Vnde colligo, coniugatos venialiter peccare, quando cibis calidis, aut vnguentis, oleis, musco, & aliis medicamentis vtuntur ad exercitandam, & accendendam magis voluntatem: quoniam hæc intemperantia voluptatis est, & veniale peccatum. Ita ille, & ego.

14. Et ita hanc sententiam docet etiam Martinus de Sancto Ioseph *Mon. Confessar. to. 1. lib. 11. tr. 49. de matri. n. 9.* & Leander *de Sacram. to. 2. tr. 9. disp. 25. q. 17.* asserentes, quod licet actus coniugalis, solũ delectationis gratia habitus ex genere suo, siue per se, non sit peccatum aliquod; tamen per accidens, & vt plurimum, siue moraliter loquendo, peccatum, sit, sed veniale tantùm.

15. Sed ego sententiam horum Doctorum admitto, quando copula inita fuerit cum nimia, & extraordinaria voluptate, secus autem si copula ob voluptatem inde capiendam si nimia non sit, vt bene aduertit Castrus Palaus *tom. 5. disp. 3. punct. 3. num. 3.* non enim rationi dissonum est velle delectationem annexam copulæ coniugali, quæ ex se actus est iustitiæ, nec aliter puto docere Leandrum, & Perez. Vnde Martinus de San Ioseph *vbi supra dixi*, [Pero entiende se quando se busca de masiado deleyte, que el ordinatio, como dizen, se consigue de la misma obra, que on si es licita, y le ordeno la naturaleza por la necessidad del fin honesto.]

16. Nota hic obiter primò contra Busembaum, *vbi sup. n. 8.* Siluium *in 3. part. q. 49. artic. 6. conclus. 5.* Sotum *in 4. dist. 3. quæst. vnica art. 4.* Ledesma *de matrim. q. 49. art. 5. dub. 4.* & alios, copulam initam ob sanitatem tuendam vel conseruandam, non includere culpam venialem, etiamsi actualiter nec proles, nec vitatio fornicationis intendatur, & ita docet Martinus Perez, *vbi supra, n. 4.* Dico igitur vtum coniugalem ob sanitatem corporalem, vel ob quemuis alium finem extrinsecum honestum, esse etiam licitum. Ita Doctores præcedentis dicti: Et ratio eadem est, Quia finis non est malus, sed licitus, scilicet restitutio, aut conseruatio sanitatis; medium etiam est licitum, scilicet actus coniugalis; & etiam conueniens ad eum effectum, vt Medici docent. Non igitur est vnde malitia deriuetur. Quòd enim alio etiam medio possit vti ad conseruandam sanitatem, illamque tuendam, vel restaurandam, non committit culpam venialem, quia satis est vti medio ex se licito, & aliàs conuenienti. Neque etiam vlla est, neque ostendi potest inordinatio in eo, quod quis relicto proprio fine operis, id assumat ad alium finem honestum, ad quem habet proportionem, & conuenientiam. Vnde etiam est licitus vsus coniugalis, etiamsi qui ob paupertatem, vel ob alium licitum finem vellet inefficaciter non sequi prolem ex honesto fine. Quia bonitas, vel malitia affectus inefficacis voluntatis ex motiuo pensanda est. Vnde hanc sententiam me citato tenet etiam Leander *to. 2. tr. 9. q. 16.* & alij penes ipsum.

17. Sed quid dicendum, an actus coniugalis factus solum ad vitandam incontinentiam eius qui petit debitum, seu ob propriam fornicationem vitandam, sit culpa venialis? Affirmat Sylius, *vbi supra*, Affirmant similiter alij, licet non absolutè, sed sub distinctione hac; Dicunt enim, tunc esse culpam venialem accedere ad coniugem vitandæ fornicationis causa, quando potest aliis mediis ab incontinentia abstinere, aut fornicationem in se ipso vitare: minimè verò esse, quando adhibitis aliis mediis nequit stimulos carnis sedare. Ita Petrus de Ledesma *vbi supra dub. 3.* & alij.

18. Sed ego puto absolutè, talem actum nullo modo esse peccaminosum, sed licitum, & honestum, Primò, quia sic colligitur *ex illis verbis* Apostoli 1. ad Corinth. 7. *propter fornicationem vnusquisque uxorem suam habeat.* Secundò, quia vsus coniugalis, supposito lapsu naturæ humanæ, ordinatur ex natura sua in remedium propriæ concupiscentiæ, quamuis minus principaliter quam prolis generationem; ergo in dicto vsu coniugali, ob eum finem factum, nulla erit deordinatio. Quod autem aliis mediis perfectioribus possit quis mederi concupiscentiæ, parum refert, vt me citato firmat Leander *tom. 2. tr. 9. disp. 25.* & Castrus Palaus *to. 5. d. 3. punct. 3. num. 3.*

19. Imò Ioannes Sancius *in Select. disp. 23. num. 24.* addit, nostram sententiam esse veram, etiam casu quo petens debitum, carnis molestiis non vexetur, quia satis est probabiliter timere vexandum fore. Et quidem si licitum est, & rationi rectæ consonum coniugali copula vti in conseruationem speciei, cur non licebit ea vti ob conseruationem proprij individui, cùm ad huius conseruationem secundariò saltem referatur?

20. Et

Sup. hoc supra in Res. 180. & in Resp. 185. §. Nota hic. & in to 1. tr. 7. Res. 99. à lin. 2. vsque in finem.

20. Et tandem non deseram hic apponere casum, quem ponit doctissimus, & amicissimus pater Escobar *in 2. edit. Theolog. moral. tract. 7 Examin. 9 cap. 9. num. 201.* vbi sic ait; Postulat cum veniali culpa vir, quia iusta causa non adest, à coniuge debitum cum situs variatione, causa scilicet voluptatis: rogo, num reddendo, venialiter etiam peccet fœmina: aut absolutè possit abnegare? Henriquez docet abnegare sub veniali debere. Ego cum Sancio iudico teneri ad reddendum; debet enim præsumere aliam subesse causam. Quod si sciat nullam esse præter delectationem, adhuc existimo posse sine veniali reddere, imò debere; quia etsi immoderata illa voluptas maritum ad veniale afferat, debet fœmina præsumere illam maiorem voluptatem coniugij strictiorem dilectionem coniugij conciliare. Ita ille, & ego.

RESOL. CCII.

Aliqua notabilia circa copulam coniugalem?
Primo, an incitantes amentes ad copulam peccent mortaliter?
Et quomodo teneantur hanc circumstantiam confiteri?
Et quid maxime de incitante amentem habentem votum castitatis?
Secundo, an copula inita inter coniuges causa voluptatis sit peccatum veniale?
Ex quo infertur posse coniuges inchoare copulam delectationis causa, & postea eam non absoluere, dummodo non subsit periculum pollutionis alterius coniugis, & vxor inchoata ea copula contenta sit?
Tertio, an quando aliquis accedit ad suam vxorem imaginatur fœminam pulchram, quo ardentius actum coniugalem exerceat, peccet mortaliter?
Idem iudicium est de aspectu picturæ in illum finem?
Ex part. 11. tr. 8. & Misc. 8. Res. 35.

Sup. hoc infra in Res. 210. §. penult. ad medium. vers. Quo argumento.

§ 1. QVæro primò, an incitantes amentes ad copulam, peccent; & quomodo teneantur hanc circumstantiam confiteri? Sanchez *lib. 1. disp. 8. num. 6.* ait peccare mortaliter eos, qui duos amentes non coniugatos ad copulam incitant, vt cum multis docet *n. 6.* & infert cum Ledesma, eos quibus amentium cura demandata est, curare debere ne congrediantur; perinde atque tenentur ne alia mala inferant. Et addit; eos, qui ita copularent prædictos amentes, aperire debere in confessione easdem circumstantias, quæ fatendæ essent ea copula habita inter personas mentis compotes, quia talis circumstantia volita est à copulantibus illos amentes.

2. Sed hoc vltimum vt rectè obseruat Dicastillus, *de Sacram. tom. 3. tract. 10. disp. 9. dub. 4. num. 40.* quamuis probabilissimum, & fortasse verum, & in praxi ita seruandum, suam habet difficultatem pro omnibus casibus absque vlla distinctione loquendo, quamuis enim in plerisque verissimum sit, vt si aliquis amentium coniugatus sit, in quo casu sic incitans est causa iniustitiæ commissæ contra coniugem alterum; in aliis tamen casibus, v. g. voti emissi ab illo amente seruandi castitatem, quando erat sui compos; non video qua ratione tam certum sit sic incitantem amentem habentem votum, peccare peccato sacrilegij contra votum castitatis, quod amens olim prudens emiserat: Nam licet demus doctrinam generalem, scilicet eum, qui mouet, aut incitat alium ad aliquod peccati genus, peccare eodem genere peccati cum eo, qui sic incitatus, peccat, saltem malitia secundaria: quatenus præceptum obligans aliquem ad aliquid faciendum, vel omittendum ex natura rei obligat cæteros, vt non hortentur, aut incitent illum ad contrauenien-dum tali præcepto; quamuis hoc ita esse generaliter fateamur; tamen in nostro casu, ille qui incitat amentem habentem votum castitatis ad copulam non est causa, vt amens frangat votum, neque vt amens peccet contra illud, sitque infidelis Deo, & sacrilegus, quia nihil tale committit in illo actu, ergo non peccat eo genere peccati, quo peccaret, si amens ille fuisset sui compos. Imò si rectè expendamus, nec malitia secundaria fornicationis intra genus intemperantiæ peccat, quicumque incitat amentes ad copulam, quia non est causa vt illi sint intemperantes, & venerei, tales enim non sunt in eo actu. Solum ergo peccat sic incitans, quia incitat ad actum, quem naturæ leges non permittunt in natura rationali, nisi inter coniuges & sui compotes, id est non amentes, quorum saltem alter possit seruire ad rectam prolis educationem. Et hæc omnia docet Dicastillus *vbi suprà*, cui etiam ego adhæreo.

Sup. hoc latissimè in duabus Res. præcedentibus.

3. Quæro secundò, An copula inita solum inter coniuges causa voluptatis sit peccatum veniale? Negatiuam sententiam tanquam probabilem olim docui, quod omninò negauit quidam Theologus, sed pro probabilitate dictæ opinionis ego postea plures adduxi, & ideò ipsimet Doctores, qui contra me in dicta copula culpam venialem agnoscunt, fatentur tamen & admittunt nostram opinionem esse probabilem, & ideò Martinus de San Ioseph *in mon. Confess. tom. 1 lib. 1. tract. 50. de Matrim. num. 9.* sic ait: [Muy probable es la opinion de los que afirman, que no es pecado alguno tener el acto conjugal por la deleytacion que se siente en el, como no se excluyan los demas fides principales: porque el tal deleyte se consigue del acto, que de su genero es licito. Sic Diana *3. part. tract. 4. resolut. 216.* qui citat alios. Pero à la verdad me parece mas probable, que buscando este fin con demasiado deleyte, serà pecado venial, porque se peruierte el orden deuido: y porque el bien deleytable, que pide la naturaleza sensitiua, no puede ser buen fin de las obras humanas, sino solamente el bien honesto, que es conforme à la naturaleza rational, & finis actus semper attendi debet & expectari, *lib. diximus ff. de excusat. tutor.*] Ita Martinus.

Quæ hic est supra Resp. 200.

4. Et nouissimè idem docet Dicastillus *de Sacrament. tom. 3. tract. 10. disp. 9. dub. 2. num. 14.* Sic asserens: Addunt vlterius, & satis probabiliter Basilius, Perez, Almanus *suprà*, & Maior *concluf. 7.* actum coniugij exercitum solum ob delectationem carnalem capiendam ipsi actui annexam, vt ea ratione auidiùs appetatur ad conseruandam speciem nullo modo esse illicitum, adhuc veniale; quod etiam probabile putat Veracrux *3. part. speculi*, quia delectatio, seu voluptas illa verè illicita perinde atque actus ipse. Ita Diana cum aliis *3. part. tract. 4. res. 216.*

5. Nihilominus probabilius est non carere culpa, maximè si fiat ob nimiam illam delectationem, & solùm ex desiderio illius. Vnde Augustinus *de bono coniugali cap. 6.* dixit: Coniugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ venialem habet culpam, si quis tamen intendat quidem delectationem, non vt in illa sistat; sed vt ea ratione actus cum maiori delectatione exercitus, magis apte fiat, & plene in ordine ad generationem, non video esse culpam; sicut, quamuis in cibo intendere merè delectationem veniale peccatum sit; eam tamen inten-

dere, vt ea ratione magis prosit, meliusque nutriatur natura, iuxta illud delitiosorum hominum axioma; quod sapit, nutrit: nullum est peccatum. Et in hoc sensu in nostro casu admittenda est doctrina prædictorum Auctorum. Hucusque Dicastillus.

6. Dicendum est igitur, nostram opinionem contra dictum Theologum, esse etiam secundùm mentem aduersariorum satis probabilem, licet contrariam, probabiliorem, & communiorem simul cum ipsis ego existimem.

Sup. hoc inf. in Res. 205. 206. 209. & 215. §. vlt. & in Res. 187. §. Nota etiã,

7. Et ex his infertur contra Ludouicum de San Iuan *in sum. art. 6. q. 25. de matrim. diffic. 3 fol. 995.* & alios, quos adducit, & impugnat Leander *de Sacram. tom. 2. tract. 9. disput. 25. quæst. 42.* posse coniuges inchoare copulam delectationis causa, & postea eam non absoluere, dummodo nec subsit periculum pollutionis alterius coniugis, & vxor inchoata ea copula contenta sit. Quia copula absque semination reputatur instar tactuum partium verendarum, qui inter coniuges, cessante pollutionis periculo, liciti, & permissi sunt: sicut ergo tactus, etiamsi ex natura sua ordinentur ad actum, liciti sunt, quamuis non sit vltra progressus; sic & erit inchoata copula.

Quoad hoc in tom. 1. tr. 7. lege doctrinam Res. 102. & si placet aliã, eius vlt. not.

8. Quæro tertiò, quid sentiendum de illa doctrina Ioannis Præpositi *in 3. part. D. Thomæ, quæst. 6. de bonis matrimon. dub. 23. num. 173.* vbi sic ait: Ex his patet quid dicendum, quando aliquis accedens ad suam, imaginatur fœminam pulchram, quò ardentiùs actum coniugalem exerceat. Si enim ita imaginetur aliam pulchram, vt animum pascat, perinde ac si rem cum illa haberet, & mortaliter peccat voluntariè sese delectando cum aliena, immò ita se gerens, ac si rem cum illa haberet: si verò hæc imaginatio solùm subseruiat, vt ardentiùs feratur in vxorem, ibi sistendo, id solùm est peccatum veniale.

Sup. hoc in Res. not præteritæ. §. 2.

9. Idem iudicium est de aspectu picturæ in illum finem, licèt propter periculum mentalis adulterij id planè sit dissuadendum, & in hominibus carnalibus fortè rarò absit peccatum mortale: cùm hi actum exercentes ex tali imaginatione facilè ferantur cæco impetu in aliquam, cupientes eidem adhærere, quamuis non esset sua, cupiantque rem habere cum ea, quam imaginatione sibi repræsentant. Ita Præpositus. Sed ego hæc omnia puto satis periculosa, & in praxi omnino fugienda, neque vllo prætextu admittenda.

RESOL. CCIII.

An coniuges peccent etiam venialiter, si actum matrimonialem exerceant causa vitandæ fornicationis? Ex quo cursim infertur, quod qui matrimonium ineunt causa vitandæ fornicationis, siue sint senes, siue iuuenes, non peccare venialiter. Ex part. 3. tract. 4. Res. 218. alias 219.

Sup. hoc supra in Res. 201. §. Sed quid.

§. 1. AFfirmatiuè respondet D. Thomas *in 4. dist. 31. q. 62. art. 2. ad 2.* Bonauentura *ibid. q. 2. art. 2.* D. Augustinus *lib. 1. de nupt. cap. 14.* Gregorius *lib. 31. moral. c. 20.* & ex Neotericis Franciscus Sylnius *in addit. ad 3. part. q. 49. art. 6. concl. 4.* Ratio est, quia talis coniux aliquo modo obsequitur libidini, quamuis eam coerceat intra limites matrimonij: & cùm exigat debitum non causa prolis, desunt ea bona quibus actus matrimonialis honestetur, scilicet fides ex parte, & proles. Ergo, &c.

2. Sed negatiuam sententiam, & meritò sustinent Durandus *in 4. dist. 31. q. 4.* Paludanus *q. 2. art. 3.* Maior *q. vnic. concl. 4.* Nauarrus *cap. 16. n. 32.* Philiarchus *de offic. sacer. tom. 1. part. 2. lib. 4. cap. 19.* Coninch *de sacram. disp. 3. dub. 1. num. 6.* Emanuel Sà *verb. debitum, num. 5.* & alij, quia matrimonium post lapsum hominis in peccatum ordinatum est etiam in remedium concupiscentiæ; quæ omnia ita vera existimo, vt mihi non placeat limitatio, quam adhibet Sanch. *de matrimon. tom. 3. lib. 9. disput. 9. num. 4.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 9. num. 320.* Paludanus *in 4. dist. 31. quæst. 2. art. 2.* D. Antonius *3. part. tit. 1. cap. 20. §. 11.* Veracruz *in speculo 3. part. art. 16. concl. 1.* nempe opinionem supradictam esse amplectendam, quòd alia remedia carnis coercendæ coniugi non sufficere videntur. Nam vt optimè docet Coninch *num. 9.* & Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 2.* cur necesse erit noua remedia præferre, quando ad hoc medium coniugalis vsus bonus est ad eum etiam finem à Deo ordinatum & ab Apostolo 1. *Cor. 7.* commendatum? Profectò valde anxij reddentur coniuges, præsertim qui sine spe prolis copulantur, si examinare debeant num aliis modis, v. g. ieiuniis, aliisque carnis afflictionibus continentiæ suæ mederi possint. Ita Layman.

3. Ex his infero contra Syluium *vbi supr. in fin.* quod qui matrimonium ineunt causa vitandæ fornicationis, siue sint senes, siue iuuenes, non peccare venialiter, licet ipse contrarium non bene asserat.

RESOL. CCIV.

An coniuges peccent venialiter, si exerceant actum coniugalem causa valetudinis conseruandæ? Et quid, si occurrit aliud medium accommodatum pro conseruanda valetudine? Ex part. 3. tract. 4. Res. 217. alias 218.

Sup. hoc supra in Res. 201. §. Sed quid.

§. 1. AFfirmatiuè respondet D. Thom. *in 4. sent. dist. 31. art. 2. ad 4. & in supplem. 3. q. 49. art. 5. ad 4.* & Paludanus *in 4. dist. 31. quæst. 3. art. 3.* D. Antonius *3. part. tit. 1. cap. 20. §. 11.* Ledesma *q. 49. art. 5. dub. 4.* & nouissimè Franciscus Sylius *in 3. p. q. 49. art. 6. concl. 5.* vbi sic asserit. Qui exercent actum coniugalem causa valetudinis, venialiter peccant, quia licet finis intentus sit bonus, & medium quod eligunt sit licitum, non est tamen proportio medij ad finem: actus enim coniugalis non est de se ordinatus ad sanitatem corporalem, sed ad generationem.

2. His tamen non obstantibus contrariam sententiam probabilem etiam esse puto, quam tuentur Maior *in 4. dist. 32. q. vnic. §. his præmissis, concl. 5.* Coninch *de Sacrament. disp. 34. dub. 1. num. 10.* Emanuel Sà *ver. debitum, num. 5.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. part. 2. cap. 4. num. 3.* & alij, quia cùm matrimonium præcipuè institutum sit ad propagationem speciei, videtur etiam secundariò institutum esse ad conseruationem individui, species enim nisi saluis individuis propagari non potest. Ergo, &c.

3. Vnde non mihi placet limitatio Filliucij *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 9. num. 321.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 9. disput. 10. num. 3.* Henriquez *lib. 11. c. 15. num. 5.* nempe nostram sententiam tunc esse veram, quando non occurrit aliud medium accommodatũ pro conseruanda valetudine. Dicendum est enim absolutè, vsum matrimonij esse licitum, etiamsi pro tuenda valetudine alia media proportionata occurrerent: nam in tali casu nulla potest ostendi inordinatio cùm coniux vtatur re in se non mala ad effectum honestum, ad quem naturaliter est proportionata.

RESOL.

RESOL. CCV.

An coniuges etiam sine peccato veniali, ne seminatio noceat saluti, vel ob aliam iustam causam possint cœptam copulam abrumpere?

Et an hoc non sit peccatum mortale, si coniuges etiam consentiant?

Et an cessante in vtroque coniuge pollutionis periculo, non peccet maritus mortaliter, si cœptam copulam ante seminationem abrumpat, ne proles generetur, modo id faciat vxore consentiente, aut non rationabiliter inuita; dummodo mulier etiam non seminet, alioquin maritus seminare debet, ne alterius semen frustra effundatur.

Et notatur, eum, qui versatur in ipso actu fornicario, teneri se retrahere ante spermatismum, etiamsi complex iam seminet: imò etiamsi ex vi prioris commotionis post retractionem esset futura seminatio extra vas. Ex p.3.tr.4 Ref.226. aliàs 227.

Sup.hoc in Ref. seq. & supra in Ref. 187. §. Nota etiam. & in Ref. 202. §. Et ex his. & infra in Ref. 209. & in Ref. 215. §. vlt.

§. 1. HOc non esse peccatum mortale contra Sylueſtrum *verb. debitum. q.7.* & alios, ſi coniuges conſentiant, alibi notauimus, & docent etiam Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p.2. de ſa r. matrim. q.3. dub.6. concl.3.* Paludanus *in 4. diſt.31. q.3. art.2. caſ.5.* D. Antonius *p.3. tit.1. c.2. §.6.* Caiet. *in 2.2. q.154. art.1. §. ad 2. verò caſum* Sà *verb. debitum, n.17.* Armilla *num.9.* & alij.

2. Difficultas eſt in caſu propoſito, an adſit culpa venialis, & negatiuam ſententiam docet Layman *in Theol. mor. lib.3. ſent.4. n.19.* vbi ſic aſſerit. Communiter notant Doctores, ceſſante in vtroque coniuge pollutionis periculo, non peccare maritũ mortaliter ſi cœptã copulam ante ſeminationem abrumpat, ne proles generetur, modo id faciat vxore conſentiente, aut non rationabiliter inuita. Imò ſi iuſta cauſa adſit impediendi ſeminationem, v.g. ob paupertatem, ac multitudinem prolis, & nihilominus concubandi ad ſedandam concupiſcentiam, omnem culpam abeſſe, ſi mutuus conſenſus accedat, dummodo etiam mulier non ſeminet, alioquin etiam maritus ordinarie ſeminare debet, ne alterius ſemen fruſtra effundatur. Ita Layman, & ante illum Sanchez *tom.3. lib.9. diſp.19. n.3.* ita aſſerens. Vbi cauſa iuſta eſſet, v.g. ne ſeminatio noceat ſaluti, vel coniuges ſunt pauperes, & prole abundant, quam non ſunt alendo, & habeant ſimilem copulam ſine ſeminationis periculo, quo concupiſcentiam ſedent, nullam inuenio culpam. Ita ille: vnde non erunt damnandi etiam de culpa veniali coniuges infirmi, qui ad ſedandam concupiſcentiam inciperent copulam, & voluntarie illam minimè perficerent, & hic caſus frequenter poteſt accidere.

Sup.hoc inf. in Ref. 207. §. Vnde, & in tom. 8. tr.6. Ref.20. §. vlt.

3. Notandum eſt tamen hîc obiter eum qui verſatur in ipſo actu fornicario, teneri ſe retrahere ante ſpermatiſmum, etiamſi complex iam ſeminat, imò etiamſi ex vi prioris cómotionis poſt retractionem eſſet futura ſeminatio extra vas. Et ratio eſt, quia omni momento tenetur opus partũ abrumpere. Nec refert, quod inde ſequatur aliud incommodum quod ſit contra naturam generationis, quia illud per accidens, & præter intentionem obuenit. Et ita docet Leſſius *lib.2. c.3. dub.6. n.55.* & Sanchez *lib.9. diſp.19. n.7.* licet ipſi contrariam ſententiam probabilem eſſe exiſtiment, ſed mihi non placet.

RESOL. CCVI.

An vir debilis, vel infirmus poſſit ſine peccato mortali incipere copulam cum vxore in vaſe legitimo, & non effundere? Ex part.3.tr.6. & Miſc.2. Reſol.94.

Sup.hoc in Ref. præterita, & in aliis eius not. primæ.

§. 1. NEgatiuam ſententiam puto probabiliorem eſſe per ea quæ adducit Ludouicus de San Iuan *in ſumm. tom.1. q.3. art.3. diffic.5. dub.1.* vbi tamen notat ſententiam affirmatiuam eſſe probabilem. [Porque la copula carnal, y el matrimonio no ſolamente ſe ordena à la generacion, mas tambien para remedio de la concupiſcentia humana propria, y de la muger: luego la tal copula no ſera illicita tenida para eſte fin, ò a lo menos no ſera mortal. Secundo entre los caſados no ſon pecado mortal los tocamientos por feos que ſean, ſiguen la ſentencia de muchos, luego la tal copula no ſera mortal entre los caſados, porque entonces tan ſolamente tendrà razon de tocamiento feo. Por eſtas y otras razones no tengo por improbabile eſta ſentencia.] Ita ille, qui licet poſtea ad ſupradicta argumenta reſpondeat, tamen vt viſum eſt, affirmatiuam ſententiam probabilem eſſe putat. Sed de hac quæſtione à nobis alibi fuſiùs actum eſt.

RESOL. CCVII.

Quidam inchoabat copulam cum vxore, & poſtea ob morbi periculum ex eius conſenſu ſe retrahebat, verùm ex hoc aliquando ſequebatur pollutio, quæſitum à me fuit an talis actus eſſet licitus?

Et an non peccet de nouo qui inchoata fornicatione cum aliqua ſe retrahit antequam ſeminet, quamuis propter naturæ impetũ ſemen ſit emittendum extra vas naturale; & in eo caſu teneatur ſe retrahere, quia omni tempore ante completam fornicationem tenetur deſiſtere, & eam non conſummare: vnde in eo caſu pollutio non cenſeatur volita, ſed permiſſa.

Et quid in iſto vltimo caſu, ſi fœmina iam ſeminauerit, an hoc non obſtante non tollat obligationem ſeminandi, & conſummandi actum malum, quantum eſt ex parte alterius?

Et an peccent coniuges, qui in ſignum matrimonij coniugalis ſe amplectuntur, ſi præuideatur ſequutura pollutio?

Et ex ſupradictis pendet deciſio multorum caſuum circa pollutionem euenientem etiam in vigilia, &c.

Et tandem quæritur, an liceat prabere medicinam ad corrumpendum ſemen, vt poſtea poſſit eiici? Ex p.6. tr.6. & Miſc. 1. Reſ.37.

§. 1. REſpondi affirmatiuè; quia non eſt peccatum dare operam rei licitæ, & actioni honeſtæ, quamuis prouideatur ſequutura pollutio; dummodo abſit periculum conſenſus, vt erat in caſu de quo interrogatus fui: quia tunc pollutio non eſt in ſe volita, vt ſupponitur, neque dici poteſt volita in cauſa, quia non teneor illam actionem omittere, ne ſequatur pollutio, ſtante iuſta cauſa. Ergo, &c.

2. Notandum eſt tamen cauſam non debere eſſe neceſſariam, aut valde vrgentem ad excuſandas prædictas pollutiones etiam à veniali: nam ſi requireretur cauſa valde vrgens, vel neceſſaria, cum ſint innumeræ actiones alioquin licitæ, ex quibus ſolent prouenire pollutiones, daretur locus perpetuis ſcrupulis, & nimiis anxietatibus, quod grauiſſimum foret. Ergo. &c.

3. Hinc Ioannes Præpoſitus *in part.2. D. Thom. q.74. art.10. dub.1.* ſic reſpondet ad caſum noſtrum: Deducitur neque peccare coniuges, qui propter morbi periculum ſe retrahunt ab actu coniugali,

quamuis propter naturæ incitationem putetur sequutura pollutio. Ita ille.

Sup. hoc supra in Res. 205.§.vlt. & in tom. 8. tr.6,Res.20. §.vlt.

4. Vnde ex eodem principio dicendum est, non peccare eum de nouo, qui inchoata fornicatione cum aliqua, se trahit antequam seminet, quamuis propter naturæ impetum semen sit emittendum extra vas naturale. Et eo casu tenetur se retractare, quia omni tempore ante completam fornicationem tenetur desistere, & non consummare: vnde eo casu pollutio non censetur volita, sed permissa. Nec assentior Præposito *vbi supr*, Thomæ Sanchez *in editione Veneta, lib.9. disp.19. num.7.* asserentibus contrarium esse probabile, & posse in eo casu sine nouo peccato actum consummari: nec posse fornicationem se retractare, si fœmina v.g. seminauerit: nam quòd vna pars seminauerit, non tollit obligationem non seminandi, & consummandi actum malum, quantum est ex parte alterius. Vide Lessium *lib.4.c.3.dub.7 n.55.*

Sup. hoc supra in Res. 192. & in aliis eius not.

5. Dicendum est igitur ex supradictis ad decisionem multorum casuum, in omnibus euentibus pollutionem euenientem etiam in vigilia ex aliqua actione, ad quam exercendam subest rationabilis causa, non est peccatum, modò absit periculum consensus. Vnde ego his diebus consului non peccare coniuges, qui in signum matrimonij coniugalis se amplectuntur, quamuis præuideatur sequutura pollutio, quia effectus coniugalis est sufficiens causa talem actum exercendi. Vide Azorium *tom. 3. lib.3. cap.23.q.6.* Sicut etiam neque peccarent coniuges in actu coniugali, quamuis ex debilitate vel imbecillitate naturæ, vel alia de causa præter intentionem effluat aliquid seminis extra vas naturale; vel si aduertant reddentes debitum in se vel in alio periculum pollutionis, cùm vacent rei illicitæ, ad quam ex iure alterius obligantur.

Sup. hoc supra in Res. 119. §.vlt. & in tom.8. tr. 6 Res.14. §. His, in fine, & in Res.15.

6. Sed hîc obiter quæri potest; an liceat præbere medicinam ad corrumpendum semen, vt postea possit eiici. Tomas Sanchez *in editione Veneta, lib.9. disput.17. n.15. vel* 16. dicit neminem negaturum fas esse accipere syrupum resoluentem semen in sanguinem aliúmve humorem aliis viis expurgandum, ne æger omni modo ad salutem corporis procurandam restituatur. Et hanc opinionem non esse improbabilem tenet Præpositus *supra in part.2. Diui Thomæ. q.74. art.10. dub.1.* Sed ego puto non licere; quia etiam id repugnat institutioni seminis.

RESOL. CCVIII.

An propter notabile damnũ salutis corporeæ possit coniux negare debitum petenti, etiam si in illo adsit periculum incontinentiæ?

Et an propter ordinarios dolores, quos fœminæ in partu solent pati, possint debitum maritis negare?

Et an possit negari debitum coniugi ebrio?

Idem est de coniuge amente, & furioso, dum tales sunt.

Et quid tamen, si periculum sit, quod ebrius extra ebrietatem, aut furiosus extra furorem effundat semẽ, vel in aliud incontinentiæ peccatum elabatur; an teneatur alter coniux in ipsa ebrietate, & furore reddere debitum? Ex p.6. tr.7. & Misc.2.Res.64.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet supplementum Gabrielis *in 4. distinct.32. quæst.vnic. art.2.* Ledesma *de Matrimonio, quæst.64. art.1.dub.2. conclus.3.* Vega *in summa tom.1. c.78.cas.3.* & alij. Probatur, quia ordo charitatis petit, vt salus corporis postponatur saluti animæ.

2. Sed mihi magis placet opinio Ioannis Maioris *in 4. dist.31. quæst.1. argum.1. contra 3. concl.* & Sanchez *de Matrimon. tom.3. lib.1. disput.2. num.13.* & *disput.24. num.12.* Et ad argumentum contrarium respondeo procedere, vbi est extremã necessitas, vel si est grauis, is qui subuenire debet, est Prælatus, qualis non est coniux: nec ea est extrema necessitas: nam potest aliis mediis periculo illi incontinentiæ subuenire.

3. Et ita hanc nostram sententiam præter Doctores allatos tenet etiam Ioannes Propositus *in 3. part. D. Thomæ quæst.6. de Sacram. Matrim. disp.9. num.14.* vbi postquam adduxit multos casus, in quibus coniux non tenetur reddere debitum, & præsertim propter graue periculum morbi, asserit. Petes, vtrum in similibus euentibus, pars teneatur debitum reddere, quando saltem in compartes est periculum pollutionis. Respondeo negatiuè. Ita varijs quemadmodum enim variis aliis euentibus coniugatus tenetur aliter occurrere periculo incontinentiæ, quàm per actum coniugalem, ita & in hoc euentu, cùm in illo pars non censeatur liberari ab onere reddendi ex alterius condonatione, sed ex ipsa rei natura, quæ ius ei tribuit sibi suæque corporali saluti consulendi non obstante traditione corporis in alterius dominium, quo casu respectu mali alterius permissiuè censetur se habere: prudenter tamen considerandum, an subsit malum aliquod extraordinarium; nam propter ordinarios dolores, quos fœminæ in partu solent pati, non possunt debitum maritis negare, vt communiter Doctores docent. Huc vsque Præpositus.

4. Sed hîc obiter quærendum est, an negari possit debitum coniugi ebrio. Ad hoc dubium ita respondet Fagundez Decalogi *tom.1. lib.6.c.4.n.50.* Idem quod diximus de coniuge amente, dicendum est de ebrio & furioso, dum tales sunt: si tamen periculum sit, quòd ebrius extra ebrietatem, aut furiosus extra furorem effundat semen, vel in aliud incontinentiæ peccatum elabantur, tenetur alter coniux in ipsa ebrietate, & furore reddere debitum. Ita docet Sanchez *lib.9. de Matrim. disput.23. num.12.* Vega *1. part. summ. capit.18. cas.12.* quamuis id mihi durum videatur propter ingentem molestiam: & ea obligatio in eo casu solùm videtur esse de charitate ad vitandum peccatum alterius coniugis, quod non tenetur vitare cum tanto suo detrimento. Ita Fagundez.

RESOL. CCIX.

An licitum sit coniugibus non absolutè copulam, sed illam incipere delectationis causa, dummodo non subsit periculum pollutionis alterius coniugis, & vxor inchoata ea copula contenta sit?

Et an si periculum sit, quod ebrius extra ebrietatem, aut furiosus extra furorem effundant semen, vel in aliud incontinentiæ peccatum elabantur, teneatur alter coniux in ipsa ebrietate, & furore reddere debitum?

Et an licitum sit fœminæ aliquando ex iusta causa semen emittere, ne concipiat?

Et an vxor, vel quæcumque alia fœmina statim post copulam se inuertens, vt semen emittat, ne concipiat, & generet, peccatum mortiferum committat ex natura sua, nisi aliqua causa rationabilis excuset? Vt. Ex part.10 tr.14. & Misc.4 Res.57. aliàs 55.

§. 1. NEgatiuè respondet Ludouicus de San Iuan *in Summa, quæst.6. art.15. de Sacrament. in Matrim. difficult.3.* vbi sic ait: [No es licito tener copula coniugal, sin querer derramar simiente. Esta conclusion es casi comun, y virtualmente la tienen los que tuuieron la resolution de la duda precedente

precedente, porque la copula carnal sin detramamiento, no es Matrimonial ordenada à la generacion, à quien se ordena el Matrimonio, y assi serà pecado mortal tenerla entre casados. Contra esta conclusion. Esta copula no consumada se ordena à euitar la fornicacion, que es el secundario fin del Matrimonio, y a que no se ordena al fin principal, que es la generacion: luego licita serà? A este argumento digo, que la copula ordenada à euitar la fornicacion, no es la copula començada, sigo la consumada con detramamiento de simiente pudiendo seminar.] Ita ille, & alij.

2. Sed ego affirmatiuæ sententiæ adhæreo contra quendam Patrem Dominicanum, qui dixit his diebus illam me non rectè docuisse. Sed nostram sententiam tenet nouissimè me citato Pater Leandrus *de Sacrament. tom. 2. tract. 6. disput. 25. quæst. 42.* qui citat etiam Caietanum, Paludanum, Tabienam, & alios Doctores Dominicanos. Dicendum est itaque talem copulam esse licitam, dummodo nec subsit periculum pollutionis alterius coniugis, & vxor inchoata ea copula contenta sit: quia copula absque seminatione, reputatur instar tactuum partium verendarum, qui inter coniuges, cessante pollutionis periculo liciti, & permissi sunt. Sicut ergo tactus, etiamsi ex natura sua ordinentur ad actum, liciti sunt, quamuis non sit vltra progressus; sic etiam erit inchoata copula.

3. Sed hîc obiter quæro, an licitum sit fœminæ aliquando iusta causa post copulam semen emittere, ne concipiat. Et affimatiuè respondet Fagundez *in Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 50.* vbi sic ait: Idem quod diximus de coniuge amente, dicendum est de ebrio, & furioso, dum tales sunt; si tamen periculum sit, quod ebrius extra ebrietatem, aut furiosus extra furorem effundant semen, vel in aliud incontinentiæ peccatum elabantur, tenetur alter coniux in ipsa ebrietate, & furore reddere. Quamuis id mihi durum videatur propter ingentem molestiam, & grauem odorem, & ea obligatio in eo casu solum videtur esse de charitate ad vitandum peccatum alterius coniugis, quod non tenetur vitare cum tanto detrimento suo. Vxor denique, vel quæcumque alia fœmina, statim post copulam se inuertens, vt semen emittat, ne concipiat, & generet, peccatum lethiferum admittit ex natura sua, nisi aliqua causa rationabilis excuset, v.g. periculum mortis in partu, aut labor magnus, & magnum detrimentum in illo detinendo. Ita ille. Sed rectè hanc sententiam ex multis reprobat Leandrus *vbi supra quæst. 45.* quia impedire generationem de se est intrinsecè malum. Ergo nunquam efficere id licebit.

Sup. hoc in §. vlt. Resol. præteritæ, ad litteram, quamuis ibi additis Sanchez, & Vega.

Sup. his infr. in Resol. 212. per totã, & in tom. 5. tr. 6. ex doctrina Resol. 32. ad med. vers. Dicendum.

RESOL. CCX.

An coniux sanus teneatur reddere debitum coniugi amenti, si iste ad aliam accessurus sit, vel se pollutu-rus sit?

Et notatur vxorem rationis compotem posse à viro insano debitum petere.

Et quid, si adsit periculum, quod insanus extra vas seminet?

Et aduertitur, quod quando ambo coniuges sunt amentes esse separandos, ne carnaliter coniungantur.

Et an peccet mortaliter, qui eos ad copulam incitaret?

Et an coniugi ebrio, dum vsu rationis priuatus est, teneatur eius coniux reddere debitum?

Et quid, si esset periculum incontinentiæ in coniuge ebrio?

Et aduertitur, si vterque coniux ebrius est, licere concubitum inter illos, cuius contrarium dictum est de amentibus. Ex p. 9. tr. 7. & Misc. 2. Resol. 4.

§. 1. AD hoc dubium respondet Texeda *tom. 2. lib. 4. tr. 1. contr. 12. n. 134.* vbi sic ait: [Si roges, an in casu adducto coniux sanus teneatur reddere debitum coniugi amenti, si petat. In qua difficultate affirmat Sanchez *lib 9 de matr. disp. 25. n. 11.* teneri debitum reddere, præcipuè si credat, ex negatione debiti coniugem amentem ad aliam accessurum. Cæterùm omnino dicendum est cum Soto *in 4. dist. 32. q. vn. art. 4.* non teneri debitum reddere coniugem sanum amenti petenti, quia actus ille petendi non est humanus, neque deliberatus, neque amenti debet aliquid imputari ad culpam.] Ita Texeda.

Sup. hoc in Resol. sequ. §. vlt. post mediũ, vers. At verò.

2. Sed ego opinioni Sanchez adhæreo, quam tuetur etiam Hurtadus *de matr. disp. 10. diffic. 12. n. 55.* Coninch *de Sacr. disp. 34. dub. 9. n. 79.* Castrus Palaus *tom. 5. disp. 3. punct. 4. §. 4. n. 18.* Dico itaque, nunquam coniugem sanæ mentis, per se loquendo, teneri coniugi rationis vsu ob amẽtiam destituto, debitum reddere, etiam in illis casibus in quibus id facere posset. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia vsus dominij non potest esse in subiecto, quod hîc & nunc est incapax vsus rationis, sicut nec ipsum dominium potest esse in subiecto incapaci rationis: ergo talis amẽs inualidè exigit debitum, quia hoc est vsus dominij, & consequenter alter nõ tenetur reddere. Firmatur, quia quamuis amens retineat dominium, attamen dominio, & iuri naturali matrimonij tantum correspondet obligatio reddendi ei qui exigit, vt homo est, seu actu humano; quia exigenti dormienti non est reddendum, amens autem nõ exigit vt homo. Quare sicut amens amittit ius ad suorum bonorum administrationem, ita ad vsum matrimonij, ita vt exigens nõ obliget per se, & ex natura rei. Per accidẽs autẽ erit obligatio, si ex defectu redditionis accessurus sit ad aliam, aut se polluturus sit: quia tunc recta ratio exigit, vt valde egenti debitum reddatur, quamuis non petat vt homo, quia non potest. Vnde ad euitanda grauiora mala, quandoque sanus tenetur amenti petenti reddere. Et hæc omnia præter Doctores citatos tenet Mattinus Perez *de matr. disp. 49. sect. 6. n. 7.*

3. Quod si redditio debiti amenti nociua sit, pensanda est qualitas damni, vt inde colligatur, an sub graui, vel sub veniali culpa debeat coniux sanæ mentis à redditione abstinere, vti nouit Basilius Ponce *lib. 10. cap. 14. in fine.*

4. Notandum est etiam hîc, vxorem rationis compotem posse à viro insano debitum petere: quia petit copulam sibi debitam, qua ob defectum iudicij in altero coniuge priuari non debet. Quod adeò verum est, vt etiamsi adsit periculum, quod insanus extra vas seminet, non tenetur coniux sanæ mentis à debiti petitione abstinere: quia illa effusio est præter eius intentionẽ, neque illi vtpote suo iure vtenti, tribuenda est, sicuti docuit Sotus *in 4. d. 34. q. vn. art. 4. ad fin. corp.* Petr. de Ledesma *q. 58. art. 3. dub. 2. in resol. ad 3.* Hentiq. *lib. 11. cap. 15. n. 4. & 10.* Sanch. *disp. 23. n. 7.* Coninch *dub. 9. concl. 6. n. 79.* Et de hoc casu in facti contingentia Panormi consultus fui.

Sup. hoc in Resol. seq. propè fin. à vers. At verò è contra. Et pro contento à lin. 4. & vers. Quod adeò, huius §. sup. in Resol. 186. §. Dico secundò.

5. Non nego tamen, quando ambo coniuges sunt amentes, esse separandos, ne carnaliter coniungantur; & peccare mortaliter, qui eos ad copulam incitaret. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia tametsi eiusmodi amentes non peccent, defectu libertatis; at qui eos copularet, concurreret ad euidens periculum malæ educationis prolis, & ad illius damnum, cùm careret parentibus, qui eam educare possent, ac instruere: ergo grauiter peccaret. Quo argumento manifestè vincitur, peccare mortaliter eos, qui duos amentes non coniuga-

Sup. hoc in Resol. seq. §. vlt. paulò post initiũ, vers. Primò.

Sup. hoc supra in §. 1. Resol. 202.

tos ad copulam incitarent : quia grauius esset prolis damnum quàm si mentis compotes essent. Quare illi, quibus amentium custodia demandata est, tenentur niti, ne congrediantur ; sicut tenentur curare, vt abstineant ab aliis malis, & damnis inferendis.

Sup. hoc sup. in Resol. 208. §. vlt. & in Resol. 209. §. vlt. à lin. 5.

6. Ex his sequitur quid dicendum sit de coniuge ebrio, dum vsu rationis priuatus est : dico enim non teneri per se, & ex natura rei coniugem sui compotem reddere ei debitum. Patet ob dictam rationem, quia non petit actu libero, & humano, sicut nec amens. Per accidens autem tenetur reddere ratione periculi incontinentiæ in ebrio, si fortè esset. Addo si vterque coniux ebrius esset, licere concubitum inter illos : cuius contrarium diximus de amentibus. Ratio enim disparitatis est manifesta : nam in amentibus id non licet propter damnum prolis educandæ, quod damnum cessat in ebriis, hi enim breui ad se redeunt, & ideò proles non destituitur patentibus, qui de eius curent educatione.

RESOL. CCXI.

An si vir sit sanæ mentis, sit licitus vsus coniugij cum vxore amente, etiam cum periculo abortus ?

Et quid è contra, si vxor sit sanæ mentis, vel si vxor amens sit sterilis ?

Et deducitur, quod quando fœmina experientia didicit se nequire prolem viuam edere, tunc licere his coniugatis petere, & reddere debitum, quia melior est puero sic esse cum culpa originali, & carentia visionis Dei, quam omnino non esse, &c.

Et docetur, quod si ambo coniuges sint amentes, omnino nemo potest eos excitare ad copulam, absque graui culpa.

Item, quod si vnus coniux sit amens, & alter sanæ mentis, non tenetur sanus reddere debitum amenti petenti quantum est de se, quamuis si vult, licitè possit.

Sed quid est dicendum, si amenti coniungi adesset periculum accedendi ad aliam, vel polluendi se, an tunc alter coniux teneatur reddere debitum? Ex part. 10. tr. 13. Misc. 3. Resol. 41.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam contra Sanchez, docet nouissimè Carolus de Baucio, *de Miscell. casuum Conscientiæ, tom. 2. opusc. 1. quæst. 50.* vbi sic ait : Arbitror satis probabile esse licitum vsum coniugij viro sanæ mentis, etiam cum periculo probabili abortus. Et ratio mihi est, quia copula per se est ordinata ad productionem esse extra causas, & per accidens est, quod sequatur abortus. Neque dicas, quod copula cum tali periculo abortus, sit actio intrinsecè mala ; nam ratio malitiæ est extrinseca actioni, cùm potiùs tribuenda sit morbo, seu insaniæ vxoris, quàm copulæ, quæ per se primò tendit non ad necem pueri, sed eius existentiam extra causas, quod non est : sic actio famuli, qui iussu heri vendit vinum lymphatum pro puro, nam illa est intrinsecè mala ; nam licet ponere aquam vino sit quid indifferens, tamen ipse vidit, & facit actionem iniustam, & non potest præscindere illa actio à vendente, à ratione iniustitiæ, nec alij iniustitia potest tribui, nisi immediato cooperatori iniustitiæ, qui est qui actu vendit.

2. Confirmatur ; docet Sanchez cum Doctribus à se citatis *lib. 8. de matrimon. disput. 102. num. 8.* quod quando fœmina experientia didicit se nequire prolem viuam edere, tunc licere his coniugibus petere, & reddere debitum. Et reddit rationem idem Sanchez, nimirum, quia præter intentionem, & per accidens mors illa fœtus accidat, coniugibus suo iure vtentibus, nec tenentur id prolis damnum vitare cum tanto detrimento, ac est, coniugum perpetuò ab vsu coniugij abstinere cum maximo incontinentiæ vtriusque periculo. Deinde addit Sanchez *loco citato*, aliam rationem, & asserit, quod melius est puero sic esse cum originali culpa, & carentia visionis Dei, quàm omnino non esse, vt notat Diuus Thomas 1. 2. *quæst. 83. artic. 1. ad 5.* & colligitur ex Diuo Augustino *lib. 5. contra Iulianum*. Concludit denique Sanchez *loco citato*, quod eligibilius est existere in rerum natura cum peccato habituali originali, quàm omnino non existere : nam licet si homini detur optio, potius debet eligere mortem, ac annihilationem, quàm peccatum actuale, etiam leuissimum committere. Si tamen iam sit peccatum originale, & reuelaret Deus se nolle id remittere, quamdiu homo existeret, adhuc melius faceret eligendo existentiam, quàm annihilationem, quia supposita Dei voluntate ille homo non tenetur, nec posset euitare id peccatum habituale, ac proinde nihil exolum facit Deo.

3. Confirmatur : Deus creat, & infundit animam rationalem intra corpus, cùm adsunt dispositiones pro tali forma, & præuidet quod in anima transfundetur peccatum originale, & non ob id cessat creare illam, ac infundere intra corpus, quia infectio peccati originalis tribuitur carni, seu semini, tanquam causæ instrumentali ducenti originem ab Adam, ac proinde dici non potest, quod anima ex sua creatione inquinetur, quia infusio importat respectum, & ad Deum infundentem ; & ad carnem cui infunditur anima ; & ideò habito respectu ad Deum infundentem, non potest dici, quod anima per infusionem maculetur ; sed solum habito respectu ad corpus, cui infunditur. Ita D. Thomas 1. 2. *q. 83. ar. 1. ad 4* Ita ille, qui alias etiã rationes adducit.

4. Sed ego puto non esse recedendum à sententia Sanchez, quam post illum docet Pontius *de matrimonio, lib. 10. cap. 14. num. 10.* Hurtadus *disp. 9. difficultat. 3. num. 24.* Leandrus *de Sacrament. tom. 2. tractat. 9. disput. 25. §. 3. quæst. 28.* & Ochagauia *de Sacrament. matrimon. tractat. 3. quæst. 3. num. 5.* vbi sic ait : Quinta ea causa assignari posset excusans à debito coniugali, furor alterius, vel vtriusque coniugis, sed quantum ad hanc causam respondetur. Primò, si ambo coniuges essent amentes omnino, neminem posse eos excitare ad copulam absque graui peccato. Tum quia illa copula esset more belluarum, tum etiam quia ea ratione magnum damnum immineret educationi prolis. Secundò respondetur, vno coniuge existente amente, & altero sanæ mentis dono prædito, non teneri sanum reddere debitum amenti petenti, quantum est de se, quamuis possit licitè ; quia ille actus non humanus est, tum etiam quia amens licet retineat ius remotum ad corpus alterius coniugis, & radicatum in ipsa natura contractus matrimonialis, at non retinet ius proximum, quod ratione regulatur, & fundatur. At verò, si amenti coniugi adesset periculum accedendi ad alienam, vel polluendi se, teneretur alter coniux ei reddere debitum, quod est quædam petitio virtualis ; hoc enim exigere videtur natura ipsa matrimonij, quod intellige, dum alter non potest vitari illud malum. Tertiò pro maiori prædictorum intelligentia respondetur, vxore existente amente, & marito sano, non posse vxori petenti reddi debitum, quia est periculum magnum aborsus, at verò è contra se habente, recte posse reddi, quia in eo non est periculum aliquod aborsus. Ita Ochagauia. Quibus omnibus adde etiam Matrimum

de

de San Ioseph *in monit. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 50. de Matrim. num. 5.* Bonacinam, *de Matrim. quæst. 4. punct. 1. n. 10.* Itaque dicendum est contrà Baucium, non esse licitum in tali casu vsum Matrimonij, nisi vxor amens esset sterilis.

RESOL. CCXII.

An vxor, & qualibet alia mulier peccet mortaliter mingendo statim post coitum, ad emittendum semen? Idem est, si se erigat, vt semen emittat, ne concipiat? Et an supradictæ mulieres id facientes peccent contra conscientiam erroneam, si crederent ita mingendo peccare? Ex part. 3. tr. 5. & Misc. 1. Resol. 15.

Sup. contento in hac Resol. lege supra doctrinã Resol. 209. prope finem vers. vxor. denique. & in tom. 5. tr. 6. Resol. 32. ad medium, vers. dicendum.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 20. num. 3.* & Bonacina *de matrim. quæst. 4 punct 9. & 10 n. 10.* vbi sic ait. Vtrùm verò vxor grauiter peccet emittendo semen è vase statim post copulam, ne filios concipiat, patet ex supradictis, hoc enim est contra naturæ, & generationis ordinem, cùm prodigatur semen à natura institutum ad prolem suscipiendam. Sic Bonacina, & hoc solent facere sæpiùs meretrices.

2. Attamen contrarium docet Petrus Bellochius *in praxi de cas. reserv. part. 2. quæst. 4. num. 365.* vbi ita asserit. Quia sæpè solet mulier mingere post coitũ, vel se erigere vt semen emittat, ne concipiat, saluo meliori iudicio, credo quòd non peccat saltem mortaliter, nam ex hoc, vt liquidò patet, non impeditur prolis generatio, quandoquidem aiunt Sylvest. *verb. debitum, num. 6.* & Conradus *part. 2. quæst. 315.* matrix mulieris habet vim attractiuam, & retentiuam seminis, vnde frustrà post coitum mulier mingit vt illud foras emittat. Ita Bellochius. His tamen non obstantibus, puto dictas mulieres sic facientes peccare contra conscientiam erroneam, si crederent ita mingendo peccare.

Sup. hoc signanter in Resol. 2. nor. præteritæ, in eodem vers.

RESOL. CCXIII.

Quidam vir coniugatus, semine intra vas emisso, membrum virile extrahit, manente fœmina valde irritata libidine, qua postea tactibus se excitando seminat, quæritur, an ita faciens peccet mortaliter? Ex part. 2. tr. 17. & Misc. 3. Resol. 38.

Sup. hoc in Resol. seq. & in Resol. post sequentem, §. Confirmari. & in tom. 8. tr. 6. Resol. 20. §. Quæritur. tertio.

§. 1. LEthaliter peccare opinatus est nouissimè Emanuel Rodriguez *in sum. part. 3. cap. 88. num. 4.* & quia codex rarus est, ponam eius verba. [Auiendo el marido consumado la copula extrahiendo membrum extra vas, no es licito a la muger prouocarse con tocamientos, para que tambien effundat semen intra vas, atento que estos tocamientos, pasada la copula son intrinsicamente malos, ni se puede dezir, que la prouocacion con ellos es vna perfecta consumacion del acto coniugal precedente, pues la copula coniugal y a tuuo su perfecta consumacion, auiendo complido el marido, cuyo semen basta para que se siega la generacion.] Putat igitur Rodriguez hoc esse illicitum, quia actus ille omnino consummatus est ex parte finis, qui est generatio, cùm ad illam fœmineum semen minimè necesse sit.

2. At opinio contraria placuit Sanchez *to. 3. de matrim. lib. 9. disp. 17. num. 12.* Bonac. *de matrim. q. 4. punct 6. n. 15.* & probabilis vocatur à Fillucio *in suis qq. moral. tom. 1. tract. 10. part. 1. c. 9. n. 230.* & illam nouissimè amplexus est Lessius *lib. 4. c. 3. dub. 14. n. 94.* in editione facta Parisiis apud Rolinum Theodoricum an. 1618. Homobonum *de exam. Eccles. part. 1. tr. 7. c. 28. q. 126.* Zanard. *in direct. theol. part. 1. de Sacram. matrim. c. 41. §. 11. dico.* Ratio est, quia aliàs euidentissimo periculo peccati mortalis exponerentur fœminæ, cùm frequenter viri priùs seminent. Et cùm illico recedant, manet in illis valde irritata libido. Nec tunc illa prouocatio est illicita, quia est actus coniugalis perfectio, ac consummatio. Nam licèt semen mulieris non sit ad generationem necessarium; valde tamen confert, vt probat ipsemet Sanch. *ibid. n. 8.* His tamen non obstantibus ego puto non esse recedendum à prima sententia Rodriguez.

RESOL. CCXIV.

De emissione seminis tactibus prouocata inter coniugatos, & solutos?

Et inter alia deducitur circunstantiam patientis in peccato sodomiæ non debere in confessione explicari, sed sufficit; quod patiens dicat, exercui bis, vel ter sodomiam? Ex part. 11. tr. 1. & Misc. 1. Resol. 11.

§. 1. CIrca præsentem quæstionem sic philosophatur acutissimus Caramuel *fundam. 56. §. 4. num. 1172.* Quidam vir coniugatus inter vas seminauit, & illico membrum virile extraxit, manente fœmina valdè irritata libidine; At hæc postea tactibus se excitando seminauit, & inquirit, an hoc faciens morale peccatum incurrerit. Negat Sanchez, & Bonacina, & hæc eadem negatiua sententia probabilis vocatur à Lessio, Filliucio, Homobono, & Zanardo apud Dianam *part. 2. tract. 17. resol. 38.* & ratio horum Authorum est, quoniam per illos tactus actus coniugalis qui consistit in vtriusque seminatione, completur.

Quæ hic est Resol. antecedens, & in aliis eius annot.

2. Corollarium 1. Ergo quando Amasius semine intra immisso membrum virile extrahit, manente pellice valdè irritata libidine, si hæc posteà tactibus se excitando seminet, non committit nouum peccatum mollitiei, sed peccatum fornicationis complet, quæ consistit in seminatione vtriusque Amasij.

3. Corollarium 2. Ergo quando duo iuuenes se mutuis tactibus excitant, & vnus semine effuso discedit, manente altero libidine valdè irritato, si iste tactibus propriis prosequatur, & semen emittat, non committit nouum peccatum, Ita vt debeat in confessione dicere, mutuis semel tactibus apud alterum hæsi, quousque ipse in pollutionem inciderit, & semel in mollitiem incidit propriis tactibus. Sed prius compler, & satisfaciet in confessione dicens, ego & alter nos mutuo contactu polluimus. An & de Sodomia, &c. poteris philosophari, &c. singula Corollaria considera. Ita Caramuel.

4. Sed ego neque admitto Corollaria, nec etiam principalẽ conclusionem; Vnde vel iussu sacræ Congregationis indicis, vel iussu Superiorum Societatis illa opinio fuit deleta in operibus Sanchez, nec amplius impressa inuenitur nisi in prima editione Veneta.

5. Probatur nostra sententia primò, quia cùm vir se retrahit, consummata est iam copula coniugalis: Ergo mulierem solam tunc seminare esset peccatum mollitiei: Secundò, quia quando vir prius seminat, sequens muliebris seminatio frustratoria est, vt tradit Auicenna *Fen. 21. lib. 3. tract. cap. 8. vers. error autem accidens.* Tertiò, quia fœmineum semen necessarium non est ad generationem. Quartò, quia coniugibus ea copula tantùm licita est, per quam fiunt vna caro; sed per illam muliebris seminis effusionem non fiunt vna caro: ergo. Quintò quia recepto virili semine, adeò clauditur vterus, vt nec

acus cuspidem admittat : ergo semen , quod posteà mulier fundit, nec intrat vterum,nec prodest ad generationem , Vide me ipsum alibi.

Alibi in Resolutionibus not. præteritæ.

6. Sed stando in opinione quam adducit Caramuel , eius Corollaria non carent difficultate, quia aliquis posset dicere ; mulier vxorata , quæ remanet valde irritata , & tactibus se prouocat ad seminandum , complet copulam sibi licitam, ac si actu cum marito seminaret, quia abuteretur semine ad generationem ordinato : Sed tunc non esse seminis abusus, ergo nullum est peccatum ; etenim ea seminatio cum sequatur paulò post copulam est copulæ complementum , eamque perficit. Ratio est , quia impertinens est ad generationem quomodo fœmineum semen in vterum recipiatur , aut à seminariis vasis in vterum fluat,siue copula siue manuum confricatione ; sufficit enim recipi in vterum paulò post seminationem viri , vt sequatur generatio : Sicuti quomodocumque virile semen intret vterum, semper sequetur generatio, vt patet cùm generatio fit opera dæmonis incubi : Ergo, &c.

7. Sed meretrix , si postquam Amasius seminauit , libidine irritata remansit,non potest tactibus se prouocare ad seminandum,quia non complet copulam sibi licitam , immò prohibitam ; Ergo tactibus se prouocando aliam speciem libidinis incipit , & perficit , nempè mollitiei ; Ergo tenetur illam in confessione explicare.

Sup. hoc in tom.1.tr 7. Res. 128. in fine. & in Res. 133. 134. 135. 136. & 163. §. Quæro secundo.

8. Nota verò hic obiter, quod ego olim docui circumstantiam patientis in peccato sodomiæ non debere in confessione explicari ; sed sufficere, quòd pœnitens dicat, exercui bis , vel ter sodomiam. Sed Caramuel *vbi supra num.* 1189. asserit,quòd hæc sententia vt probabilis, supponit primò virum, aut fœminam patiendo delectari , & se delectando initium pollutionis habere. Secundò pollutionem completam , & inceptam , esse eiusdem speciei , nec debere pœnitentem exprimere. An tantùm cœperit , an compleuerit ? tertiò pollutionem tactibus alienis procuratam , sodomiamque non differre specie, sed tantùm materialiter, & modaliter,sicut pollutio habita tactu manuum, aut tactu fœmorum, Porrò ista tria debet supponere qui nolit actionem à passione in sodomia distinguere : Vnde Diana qui de primo, & secundo nihil dicit, & tertium negat, asserere, sine consequentia non potest circumstantias agentis, & patientis non debere in confessione explicari.Ita Caramuel.

9. Sed nostram sententiam prætet Leonem sequuti sunt me citato Lupus, Bordonus, Machadus, Zambellus , Ghilinus , Iuniparus , Gesualdus, Pontius, Mazzuchellus , Serius, Roccaful, Tongus, Possentius, Remigius, Verticelli, & Thomas Hurtadus,

10. Septemdecim itaque Doctores nostræ sententiæ adhærent , & pauci contrariam tenent. Et probatur hæc opinio, quia agens,& patiens in peccato sodomiæ concurrunt ad idem scelus & ad eandem pollutionem & copulam per modum vnius causæ : Ergo eadem species malitiæ ab vtroque contrahitur: sic eandem speciem adulterij contrahit solutus ac coniugata , vel coniugatus ac soluta , quia ambo per modum vnius concurrunt ad frangendum matrimonij legem ; sicut agens , & patiens sodomita ambo per modum vnius causæ concurrunt ad frangendum legem copulæ naturalis , sic eadem species homicidij est in tenente occisum ne fugiat , ac in vulnerante.

11. Probatur secundò, quia pollutio non addit nouam speciem malitiæ supra copulam sodomiticã aut fornicariam , sed est pars copulæ : ergo sicuti agens non tenetur explicare se pollutum vel non pollutum ; plerumque enim sodomita, aut fornicator non seminat, quod vtique explicandum esset, si pollutio adderet malitiam specie diuersam suprà copulam : Ita neque patiens tenetur explicare se fuisse patientem ; Consequentia patet, eatenus enim ex Lugo tenetur explicare se patientem, quia explicandum sibi est,se non pollutum : sed agens non tenetur explicare se patientem, quia explicandum sibi est,se non pollutum, sed agens non tenetur explicare se non pollutum , quando non seminauit, ergo neque patiens (dicendo se patientem) debet explicare se non pollutum.

12. Confirmatur ; Nam pollutio in agente est pars copulæ, neque enim est quid diuersum à copula , sed ab illa distinguitur, vt pars à toto ; Ergo in copula fuisse, vel non fuisse pollutionem sequitam est circumstantia aggrauans , vel minuens intra eandem speciem : Sed circumstantiæ minuentes, vel aggrauantes intra eandem speciem non sunt explicandæ:Ergo neque explicandum est se passum, vel non passum pollutionem in ea copula , & sic se fuisse patientem, vel agentem.

13. Quod autem pollutio sit pars copulæ patet, quia copula non dicitur consummata nisi sequuta seminatione seu pollutione intra vas , ergo est pars complens , & perficiens copulam.

14. Dicendum est itaque eandem malitiam specificam habere peccatum agentis, & patientis : sicut fornicatio cum soluta eandem specie malitiam habet tam ex parte viri agentis , quam ex parte fœminæ patientis.

Alias etiam rationes adducunt citati Doctores, quas ego alibi adduxi.

Alibi in Resolutionibus not. præteritis.

RESOL. CCXV.

An sit licitum viro postquam seminauit, & retraxit membrum à vulua,tangere pudenda vxoris,vt ipsa seminet ?

Et an hoc etiã facere possit vxor suis manibus propriis?

Idem dici debetur de tactu membri genitalis ante os vulnæ suæ vxoris ad hoc , vt vxor seminet.

Et notatur non peccare mortaliter maritum , si in ipso actu seminationis non expectat seminationem vxoris, licet possit , effuso semine, copulam continuare, vt fœmina seminet.

Item , quod fœmina satisfacit suæ obligationi, si viro exigenti debitum præstet vsum sui corporis , vertens tamen animum ad alia , ne natura excitetur.

Item , quod incœpta copula per solam delectationem, si vxorati illam ex iusta causa non consummant, non peccant mortaliter,nec venialiter,si absit periculum pollutionis, v. g. ne salus noceatur , vel si contingat, quod coniugati sint pauperes , & multos filios habeant , &c ? Ex part. 10. tract.13. & Misc. 3.Resol. 42.

§. 1. CAsus potest accidere: & ad illum affirmatiuè respondet Carolus de Baucio, *de Miscell.casuum conscientiæ, tom.2. opu.c.1.q.88.* quia potest sine peccato id facere vxor suis manibus, quia non est pollutio , sed perfectio copulæ coniugalis, & licet seminatio mulieris non sit necessaria ad generationem , tamen satis iuuat : ergo si licet vxori huiusmodi tactus ad hoc, vt seminet, licet etiam vitro , vt id præstare possit suis manibus in pudendis suæ vxoris.Et ratio à priori est, quia eatenus hoc nó est prohibitum vxori,vt id faciat suis manibus, quatenus est licite consummatio copulæ iam incohatæ à viro intrà vas naturale ; ergo parum refert,quod ista consummatio copulæ iam inchoatæ à viro intrà vas naturale

naturale cum suo membro naturali, perficiatur ex parte vxoris manibus propriæ mulieris, vel manibus proprij viri, eo magis cùm tactus inter coniuges etiam in partibus pudendis non sit culpa mortalis, etiamsi non fiat in ordine ad culpam, secluso periculo pollutionis: sed in hoc casu est licita pollutio, cum non sit aliud nisi perfectio copulæ inchoatæ à viro: ergo non est maior ratio cur sit licitus vxori, & non viro huiusmodi tactus ad finem vt perficiatur copula coniugalis: idem dici debet de tactu membri genitalis ante os vuluæ suæ vxoris ad hoc vt vxor seminet, nempè non esse peccatum mortale secluso periculo pollutionis viri extra vas naturale fœminæ, quia iste tactus inter coniugatos non est copula lethalis; potest etiam vir postquam seminauit continuare copulam donec vxor seminat. Hucvsque Baucius.

Sup. hoc in duabus Resol. præcedentibus, & in tom. 8. tr. 6. Resol. 20. §. Quæro tertio.

2. Confirmari potest hæc opinio auctoritate Leandri *de Sacram. tom. 2. tract. 9. d. sp. 33. quæst. 41.* & Martini de San Ioseph *in Mon. Conf. tom. 1. lib. 1. tract. 51. de Matrim. num. 8.* vbi me citato, sic ait. Si el marido acabò primero con el acto de la generacion, por ser mas robustos los varones, es sentencia muy probable la que dize, que puede la muger tambien tener su acto consumado, prouocandose con tactos: porque esta no es polucion, sino acabar la copula, y moralmente es vn mismo: y sino fuera verdadera esta opinion quedaran las mugeres casi siempre en euidentissimo peligro de pecar mortalmente, condenandolas à detener el curso de la naturaleza, irrita ya con el mismo acto. Y lo que mas fauorece esta opiniones, siendo mas probable, que es necessario ei semen de las mugeres para la generacion, esta casi sucedera. Ita ille; qui plures alios citat. Sed ego recessi ab opinione, *in part. 9.* ex rationibus adductis à Magistro Texeda, & nunc contrà Baucium recedo: vnde in Editionibus Antuerpianis meritò opinio Baucij fuit abrasa ab Operibus Sanchez, & Hurtadi; & scio hanc sententiam malè olere penes Sacram Congregationem Indicis, sicut & alia opinio, quam ex Sanchez tanquam probabilem adducit Baucius, *quæst. 108.* quæ etiam inuenitur deleta in impressione Antuerpiana.

In Resol. quæ hic est in to. 8. tr. 6. Resol. 20. §. Quæro tertio.

3. Nota tamen, hîc obiter contra Hurtadum, & Ochagauiam, non peccare mortaliter maritum si in ipso actu seminationis nõ expectat semininationem vxoris, itaque non tenetur expectare licèt possit etiam effuso semine copulam continuare vt fœmina seminet. Ita me citato docet Leandrus, *vbi supra, quæst. 40.* qui etiam, *quæst. 48.* me citato docet quod mulier satisfaciat suæ obligationi, si viro exigenti debitum, præstet vsum sui corporis, conuertens tamen animum ad alia, ne natura excitetur?

Sup. hoc in Resol. seq. & in aliis eius primæ annot.

Sup. hoc in Resol. not. præteritæ, §. Sed licet.

4. Nota etiam, quod rectè me citato obseruat Martinus *vbi supra n. 10.* sic asserens: Despues de començada la copula por sola delectacion, si la dexan los casados sin consumarla, no pecaran mortalmente, como no aya peligro de polucion: porque el començarla fue, como tenet, actos, quèà los casados no les son illicitos. Y auno no serà lo dicho pecado venial, como el dexar la copula, sea por justa causa de no dañar, la salud, ò per ser pobres los casados, y tener muchos hijos: que en estos casos, y otros iustos, començando la copula, vt sedent concupiscentiam, la pueden dexar sin algun pecado.

Sup. contento in hoc §. vlt. supra in Resol. 187. §. Notaetiã, & in Resol. 202. §. Et ex his. & in Resol. 205. 206. & 209.

RESOL. CCXVI.

An vnus ex coniugibus, si potest non expectat alterius seminationem, committat peccatum mortale?

Ex quo deducitur non esse reum culpæ mortalis virum tactibus irritantem vxorem ad veneremscientem ob id præmaturius fœminam seminare?

Et an mulier satisfaciat suæ obligationi, si viro exigenti præstet quidem vsum corporis sui, animum tamen ad alia conuertat, ita vt natura non excitetur?

Et deducitur, quod sterilis, quæ certo nouit se non seminaturam; potest actum coniugalem exercere tam petendo, quam reddendo?

Ex quibus etiam infertur decisio illius dubij, scilicet, quando matrimonium dicatur consummatum? Ex part. 5. tr. 14. & Misc. 2. Resol. 37.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Petrus Ochagauia *de Sacr. tr. 5. de matr. q. 2. n. 13.* vbi sic ait. Respondetur esse peccatum mortale in eo, quòd vir priùs seminet, & non expectet seminationem fœminæ, & si è contra faciet fœmina, grauiter delinquet. Patet prima pars responsi, & secunda etiam, quia vtriusque semen actiuè requiritur ad generationem. Ergo ne generatio impediatur, & ne vnius semen prorsus amittatur, aliud necessariò continuata copula expectandum est, & hoc etiam in sterilibus, ne violetur ordo naturæ. Ita ille, probabiliter quidem.

Sup. hoc in Resol. præterita §. Nota tamen. & supra in Resol. 187. §. 3. in fine, & in tom. 8. tr. 6. Resol. 20. §. Quæro tertio. paulo post initium.

2. Verùm contrariam sententiam non minùs probabiliter defendit Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 17. n. 9.* vbi firmat non esse necessarium vtrumque coniugem seminare simul, quare dum vir semen effundit, minimè tenetur fœminæ effusionem expectare, quia fœmineum semen nec esse necessarium, nec actiue ad generationem concurrere, docent aliqui. Ex quibus deducitur non esse reum culpæ lethalis virum tactibus irritantem Venerem, scientem se ob id præmaturiùs fœmina seminare.

3. Sed licet hæc opinio, vt dixi, sit probabilis, oritur tamen ex illa pulchra difficultas, videlicet an mulier satisfaciat suæ obligationi, si viro exigenti præstet quidem vsum corporis sui animum tamen ad alia conuertat, ita vt natura non excitetur. Videri enim possit non satisfacere, primò quia si vxor debitum coniugale exigat, maritus tenetur se se excitare, illud vt reddat, ergo, &c. Secundò vir habet potestatem in corpus mulieris in ordine ad generationem, ergo petente vsum corporis vxoris, ea debet subseruire aptè ad generationem, quod non potest præstare absque aliqua naturæ concitatione. Tertiò aliàs semen virile suo fine frustrabitur. Attamen Ioannes Præpositus, vir quidem doctus, ex Societate IESV, *in 3 part. D. Thom. quæst. 6. de bonis matr. disp. 4. num. 35.* docet non esse improbabile satisfacere, & sufficere, si vsum vasis naturalis tribuat, nam eo ipso congressus est aptus ad generationem, quantum ex parte actus & modi. Confirmatur. Sterilis, quæ certò nouit se non seminaturam, potest actum coniugalem exercere, tam petendo, quàm reddendo, quod tamen ininimè liceret, si viro seminante requireretur vt mulier sese ad seminationem excitaret, atque adeò in illum finem teneretur cum naturæ excitatione marito subseruire. Vnde verisimile est mulierem coniugatam, cui non placent actus venerei, posse in reddendo debito animum ad alia conuertere; & sic remanere frigidam, quod potest ex his colligi; quæ tradunt varij, scil. semen fœmineum non omnino requiri ad generationem, nam concitatio naturæ solùm videtur requiri ad seminationem; non potest tamen mulier ita se gerere ex intentione impediendi generationem. Ita Præpositus, qui respondit ad argumenta. Et ad primum allatum dicit disparem esse rationem viri & fœminæ, quòd vir non possit sine aliqua corporis concitatione actum coniugalem exercere. Vnde mirum non est, quòd ad reddendum debitum teneatur naturam excitare, mulier

Sup. hoc in Resol. 1. not. præteritæ, & in eodem §. ad medium.

Sup. hoc supra ex Resol. 163. lege doctrinam eius §. vlt.

mulier verò potest sui corporis, & vasis naturalis sine tali concitatione vsum præbere. Ad secundum argumentum respondet aliquos probabiliter sentire, sequi posse generationem, quamuis fœmina non seminet, & proinde non obstante eo quod animum ad alia conuertat, posse marito subseruire in ordine ad generationem. Ad tertium patet responsio ex dictis, quòd scil. semen virile non frustraretur suo fine, propter defectum seminis fœminei, secundùm sententiam, quæ censet absque hoc sequi posse generationem. Et hæc omnia, vt dixi, dicta sunt ex mente Ioannis Præpositi. Ex quibus infertur decisio illius dubij, scil. quando matrimonium dicatur consummatum. Ad quod Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 13. diffic. 13. num. 1.* respondet hoc euenire *segun mas probable opinion.* quamuis fœmina non seminasset, *aunque no es cierta porque no es cierto en Filosofia*, quòd fœmina non concurrat actiuè ad generationem, *que es el fundamento desta sentencia.* Ita Villalobos.

Sup. hoc supra in Ref. 114. & in aliis §§. eius primæ not.

RESOL. CCXVII.

An vir possit irritare omnia vota vxoris?

Et an possit maritus irritare votum, quod facit vxor de opere faciendo tempore soluti matrimonij, si maritus moriatur, & ideo possit irritare votum vxoris de ingrediendâ Religione post mortem mariti?

Item, an possit irritare vota, quæ fecit vxor ante matrimonium? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 219. aliàs 220.

Sup. contentis in hac Ref. lege doctrinam §. 1. Ref. seq. & in tom. 8. tr. 4 Ref. 44. & 45.

§. 1. NEgatiuam sententiam docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 10. cap. 17. num. 3.* Syluius *in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 88. art. 8. concl. 7.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 6. punct. 6.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 17. quæst. 12.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 4.* Philiarchus *de offic. sacer. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 18.* Filliucius *tom. 2. tract. 26. cap. 8. num. 236.* & alij, asserentes maritum non posse omnia vota vxoris irritare, sed ea tantùm, quæ, & quatenus iuri suo, quod habet ad coniugij vsum, & familiæ gubernationem præiudicium aliquod afferre possunt. Et ita hoc pacto non possunt, v. g. irritare vota de præceptis, vt de seruanda castitate coniugali, de non mentiendo, de oratione aliqua recitanda in die, & similia.

Sup. hoc in tribus Ref. annot. præteritæ.

2. Sed in gratiam virorum, & ad subleuandum onus quod sustinent Confessarij in commutatione votorum, assero omnia vota vxoris, saltem constante matrimonio edita, à marito irritari posse, non minus quàm vota Religiosi à Prælato, & vota impuberis à patre. Et ita docet Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 34. dub. 21. per totam* Malderus *in 2. 2. D. Thomæ, tract. 10. dub. 7. quæst. 5.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 34. num. 2.* Ioan. de la Cruz *in direct. part. 1. pr. 2. art. 2. dub. 10. concl. 3.* Raphael de la Torre *in 2. 2. D. Thomæ, tom. 2. quæst. 88. art. 9. disp. 7.* Aragon. *in 2. 2. quæst. 88. art. 8. post. 5. concl.* Emanuel Sà *verb. irritatio, num. 1.* Paludanus *in 4. dist. 38. quæst. 3. art. 1. concl. 6.* Soto *de iust. lib. 7. qu. 3. art. 1.* & alij.

3. Et hanc sententiam probabilem vocat Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 10. num 83.* Rationes inuenies apud citatos Doctores. Quæ omnia supradicta ita vera existimo, vt firmiter teneam contra Malderum, Ledesmam, & alios, virum posse irritare votum vxoris non petendi, nec exigendi debitum. Sic Sanchez *vbi suprà, num. 10. & 11.* Sic etiam poterit maritus irritare votum, quod facit vxor de opere faciendo tempore soluti matrimonij, si maritus moriatur, & ideo potest irritare votum vxoris de ingredienda Religione post mortem mariti. Item potest irritare vota vxoris emissa ante matrimonium. Quæ omnia militant etiam in marito secundi matrimonij, qui potest irritare vota, quæ fecit vxor tempore matrimonij. Et hæc omnia Sanchez *vbi supra*, quidquid in contrarium asserat Pontius *de matrim. lib. 10. cap. 17. num. 5. & seq.*

Sup. hoc in Ref. 1. & 3. not. primæ huius Ref.

RESOL. CCXVIII.

An vir possit irritare votum castitatis de vitæ licentia emissum ab vxore, ita vt non solum possit petere debitum, sed defuncto marito aliud matrimonium inire?

Ex quo sequitur mulierem venientem non inire aliud matrimonium, si marito supersit, esse omnino liberam, si maritus tale votum irritet?

Item virum posse irritare votum vxoris ingrediendi Religionem relatum ad tempus soluti matrimonij?

Sed quæritur, an vir possit irritare votum ingrediendi Religionem ante consummatum matrimonium emissum?

Et notatur virum non posse absolute irritare vota vxoris ante matrimonium emissa, sed solum suspendere executionem?

Et negatur virum posse irritare, si mutuo consensu cum vxore castitatem vouerint, ita vt simul renunciauerint iuri petendi? Ex part. 4. tractat. 4. & Misc. Ref. 110.

§ 1. DE hoc casu interrogatus opinionem affir- Sup. matiuam probabilem esse dixi, et illo principio quòd omnia vota, etiam castitatis emissa ab vxore constante matrimonio, possunt irritari a marito, quamuis sint emissa tanquam implenda tempore soluti matrimonij, quia voluntas vxoris non solùm quoad materiam, sed etiam quoad se subest viro, sitque viri eam gubernare & dirigere, ex quo sequitur quòd ea vota irritata nunquam reuiuiscant, & proinde mulier cuius votum castitatis a viro est irritatum, possit absque peccato debitum petere; quia per hanc irritationem ius voti omnino est extinctũ. Secundò sequitur quòd talis defuncto marito posse licitè aliud matrimonium inire. Tertiò sequitur mulierem vouentem non inire aliud matrimonium si matito supersit, esse omnino liberam si maritus tale votum irritet, & hæc omnia præter Sanchez & alios, quos alibi adduxi, tenet etiam Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thomæ, quæst. 6. de bonis matrim. dub. 20. num. 153.* qui *num. 54.* etiam tenet cum Sanchez virum posse irritare votum vxoris ingrediendi Religionem relatum ad tempus soluti matrimonij, quia etiam quoad tale votum potest à marito dirigi, atque adeò si irritetur, mulier mortuo marito potest aliud matrimonium inire, & licèt neget Sanchez posse virum irritare votum ingrediendi Religionem ante consummatum matrimonium emissum, tamen hoc secundùm Præpositum videtur minus conformiter dictum, si potestas irritandi vota vxoris oritur ex leuitate, imprudentia & facilitate mulieris in votis emittendis, nam inde sequitur, quòd non minus possit hoc votum irritare quàm alia, cùm eadem subsit causa. Quod confirmatur, quia propter hanc causam pater potest irritare votum filij impuberis de ingressu Religionis, nec valet dicere quòd Prælatus non possit irritare votum subditi de ingressu strictioris Religionis, quia id non potest, quòd ei iure prohibetur; in præsenti autem nihil simile habemus, ergo, &c.

2. Notat etiam idem Præpositus quòd Sanchez Sup. censet virum non posse absolutè irritare vota vxoris ante matrimonium emissa: sed solum suspendere executionem, quod etiam secundùm mentem Præpositi non videtur conformiter dictum, nam si vir per

per matrimonium ita fiat superior vxoris, vt propter muliebrem leuitatem possit eius voluntatem gubernare & dirigere, potest non solùm suspendere vota ante emissa, sed etiam irritare; quemadmodum superior potest irritare vota sui Religiosi emissa ante professionem, & ideo procedendo iuxta principia asserẽtium omnia vota vxoris facta sine licentia viri ab eodem posse irritari, Vega citatus à Sãchez, censet hæc vota posse à viro irritari, & irritata non reuiuiscere.

3. Nota etiam hîc primò quòd supradicti Doctores censent non solùm vota emissa sine licentia viri, sed etiam emissa ex licentia eiusdem à viro irritari posse, quod extendunt ad votum continentiæ, quia concedendo vxori facultatem vouendi, non ademit sibi potestatem irritandi, aliqui tamen censent eo casu irritantem sine causa mortaliter peccare: sed probabile est quòd peccet solum venialiter, inconstanter retractans quod concesserat.

Quid est faciendũ sup. hoc inuenies in Ref. seq. & in alia eius primæ annot.

4. Nota secundò quòd Sanchez negat virum posse irritare si mutuo consensu cum vxore castitatem vouerint, ita vt simul renuntiauerint iuri petendi, quod si ita intelligatur vt nulla sit irritatio secundùm mentem Præpositi, videtur minùs probabile; si verò solùm velit, quòd non possit licitè, vera videtur eius sententia, & hæc omnia transcribere volui à Ioanne Præposito, quia eius codex rarus est, in gratiam Confessariorum, & responsorum casuum conscientiæ, qui ex supradictis à multis angustiis circa vxorum vota immunes erunt, cùm facilè ab eorum viris licitè irritari possint modo quo suprà dictũ est.

RESOL. CCXIX.

Sup. prima & secunda, diffic. huius titul. in to. 4. tr. 3. Ref. 110. §. Et hæc. à lin. 4. Vsque in finem Ref. & in alia Ref. & vers. eius not.

An quando vterque coniux ex communi consensu castitatem vouit, possit propter periculum incontinentiæ, Episcopus dispensare, vt petant, & reddant debitum?

Et notatur commutationem huius voti in tali casu non posse fieri virtute Bullæ Cruciatæ, quod idem est dicendum de priuilegiis Regularium?

Etiamque quæritur, an Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post contractum matrimonium ante consummationem? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 125.

§. 1. CAsus est multum practicabilis, & affirmatiuam sententiam olim docui, & nunc iterum doceo cum Basilio Pontio *de matrimon. lib. 8. cap. 9. num. 2.* vbi sic ait, Ex hac doctrina colligitur quid sentiendum sit in illa quæstione, an possit Episcopus dispensare in voto castitatis absolutè emisso post contractum matrimonium & consummatum; cuius quæstionis varias species recenset Sanchez *lib. 8. disp. 11.* sed sine fructu; quare ego ita vniuersè statuo, siue hoc votum sit emissum ab vno tantùm coniuge de consensu, aut sine consensu alterius, siue ab vtroque coniunctim, aut seorsim, vel per modum contractus, si adest periculum incontinentiæ, dispensare potest Episcopus ad petendum & reddendum debitum. Ducor in hanc sententiam ista consideratione, quia si tantùm vnus emisit, & alter non vult ad Religionem transire, semper habet ius petendi, & ille qui vouit obligationem reddendi, & eiusmodi votum non fuit absolutè castitatis, sed non petendi, neque enim potuit contra ius tertij se ad omnimodam & perpetuam castitatem obligare. Similiter si vterque quomodocumque vouerit, si voluerit in sæculo remanere & cohabitare, cùm sit moraliter certum periculum incontinentiæ, & non possit ita breuiter adiri Pontifex, est legitima & iusta causa dispensandi. Nam ex eo quòd vterque vouerit, neuter amittit ius iustitiæ ad corpus alterius, licèt sit impeditum vinculo Religionis. Ita Pontius. Vide etiã Ægidiũ de Trullench *in Bull. Cruc. l. 1. §. 7. c. 3. dub. 15. n. 16.* vbi notat *n. 19.* commutationem huius voti in tali casu nõ posse fieri virtute dictæ Bullæ, quia facultas hæc in hoc casu nõ competit Episcopo modo ordinario & communi, sed ex quodam tacito consensu Papæ, & benigna eius volũtate interpretatiua: at quæ in iis casibus conceduntur Episcopis, non censentur per Bullam concessa. Ergo, &c. quod idem dicendum est de priuilegiis Regularium, nam per ea non possunt dispensare in eo casu de quo loquimur, vt probat Pontius *lib. 8. c. 10. n. 11.* Suarez *de voto lib. 6. c. 26. n. 17.* Sanch. *in summ. to. 1. lib. 4. c. 43. n. 7.* & alij.

Docuit in Ref. §. & vers. not. præterit.

Sup. hac qu. in tom. 4. tr. 3. Ref. 109. §. 2. in fin. & si placet lege etiã doctrinam §§. eius annot. primæ.

2. Sed hîc obiter quærere non desinam, an Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post contractum matrimonium ante consummationem? Negatiuam sententiam docet Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 11. num. 4.* sed aduersùs illum insurgit nouissimè Basilius Pontius *vbi suprà, lib. 8. cap. 9. num. 3.* quia talis etiamsi sit intra bimestre, non tenetur Religionem ingredi, etiamsi habuerit animum ingrediendi cùm vouit, sed potest ab eo animo desistere, in quo vides iam esse notum periculum incontinentiæ; ergo potest Episcopus dispensare. Cæteras rationes aduersùs Sanchez adducit Pontius quas penes ipsum videbis.

Sup. hoc lege doctrinã Ref. annot. primæ huius Ref. in fin. & si placet §. annot. seq. & alterius §. eius not.

Sup. hoc vide doctrinã Ref. not. seq. & alterius Ref. eius not. pro isto casu.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 2. ex lata doctrina Ref. 76. signanter §. vlt.

Sup. hoc supra ex doctrina Ref. 158. §. Et ideò, sed lege eam à principio.

RESOL. CCXX.

An coniuges, qui communi consensu votum Religionis emiserunt post contractum matrimonium, peccent mortaliter prima vice consummando?

Et quid, si vnusquisque vouerat Religionem dependenter ab alterius in Religionem ingressu?

Et quid est sentiendum, si vnusquisque vouerat Religionem non quidem dependenter ab alterius in Religionem ingressu, sed dependenter ab eius voto, eo quod promiserit Religionem ingredi, si alius similem præstiterit promissionem, promissione ab vtroque facta, an quilibet teneatur Religionem ingredi, esto alius non ingrediatur?

Et an qui castitatem vouit, diuortio legitimo facto, possit coniugi adulteræ reconciliari? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Ref. 2.

§. 1. NEgatiuè respondet Texeda *tom. 2. lib. 4. tract. 1. contr. 12. num. 109.* Quia, quando ambo coniuges communi consensu votum post matrimonium initum emiserunt Religionis, quamuis illud prima vice post votum factum consumment, possunt tandem matrimonio consummato, votum implere ex communi placito ad Religionem transeundo, sicut anteà: nam per consummationem non facti fuerunt inhabiles ad Religionis ingressum.

2. Nec obstat dicere, quòd si vnus solus coniux post matrimonium ante eius consummationem votum fecit Religionis, si prima vice consummet, peccat mortaliter, quia per illam consummationem factus est impotens ad implendum votum: ergo, si ambo coniuges, etiam ex communi placito, post matrimonium contractum ante eius consummationem, prima vice consumment, peccant mortaliter; quia efficiuntur impotentes ad implendum votum. Respondeo, negando consequentiam. Ratio est: quia coniux, qui post matrimonium initum Religionem vouit, tenetur implere votum, vt notum est. Si autem prima vice consummet, manet impotens ad implendum votum, siue petendo, siue reddendo, & contra votum consummando fecit, ideò peccauit mortaliter: quando coniuges autem ex communi placito, post matrimonium initum, votum fecerunt Religionis, per illam primam consummationem non facti sunt impotentes ad implendum suum votum, cum ex vtriusque consensu possint Religionem ingredi, & ideò non est eadem ratio vtriusque.

3. Verùm

3. Verùm mihi magis placet sententia Coninch *de Sacr. disp. 34. dub. 7. n. 87.* adhibita distinctione: si enim vnusquisque voueat Religionem dependenter ab alterius in Religionem ingressu, non peccat matrimonium consummando: quia nemo obligatus fuit Religionem ingredi, nisi altero ingrediente. Quòd si vterque nolit ingredi, vterque liber est ab obligatione: siquidem deficit conditio ad voti obligationem necessaria. At, si vnusquisque voueat Religionem, non quidem dependenter ab alterius in Religionem ingressu, sed dependenter ab eius voto, eò quòd promiserit Religionem ingredi, si alius similem præstiterit promissionem, promissione ab vtroque facta, quilibet tenetur Religionem ingredi, esto, alius non ingrediatur: quia apposita fuit conditio ad obligationem voti requisita. Quo casu manifestum est, vtrumque mortaliter peccare, matrimonium consummando, cùm exponantur euidenti periculo votum non exequendi; vel quia alter nolens Religionem intrare, compartem cogit ad secum cohabitandum; vel, quia ex copula habita redduntur impotentes ad ingressum, si fortè filius concipiatur.

4. Verùm, si post consummatum matrimonium, Religionem ex mutuo consensu voueant, nemo tenetur Religionem ingredi alio non ingrediente, nisi fortè vxor senex sit, & de incontinentiæ periculo minime suspecta. Quo casu solùm peccat ille, per quem stat, quominùs votum impleatur, alius nempe impotentia excusatur. At si nolens ingredi moriatur, vel occasionem diuortij dederit, alter obligatur ingredi, si Religioni aptus sit. Quandiu verò non ingrediuntur, copulæ vacare possunt, nisi periculum sit concipiendi, ob quam causam impediantur à Religionis ingressu, sicuti hæc omnia notauit Coninch *disput. 34. dub. 7. n. 93.* & consentit Basilius *lib. 10. c. 5. n. 20.*

Sup. hoc infra in Resol. 224. lege doctrinam §. Secundo nota. cursim in fine, & in Resol. 227. à medio §. penult.

5. Sed, si aliquis hîc quærat, an qui castitatem vouit, diuortio legitimè facto, possit coniugi adulteræ reconciliari? Sanchez *lib. 9. disput. 35. num. 28.* asserit, prædictum votum castitatis non impedire, quin vouens coniugi adulteræ reconcilietur, illique debitum reddat; eò quòd nunquam fuerit factum de debito non reddendo, sed non petendo: quippe censendum est factum iuxta præsentem statum, in quo nequaquam obligari poterat ad non reddendū. Hæc, inquam, sententia mihi nullo modo probatur; aliàs sic vouens absolutè castitatem, posset mortua coniuge aliud matrimonium inire, quod Sanchez non concedit. Signum ergo est sub voto comprehendisse eam castitatem, quam sine præiudicio coniugis præstare posset; atque adeò obligari, tum ad nō petendum debitum, tum ad non reddendum, quando licitè abstinere à redditione potest, tum ad non contrahendum matrimonium coniuge mortua, vt rectè tradit Coninch *dicta disp. 34. dub. 6. n. 50* Basilius Ponce *suprà, n. 19.* quibus adde Castrum Palaum *tom. 5. disp. 3. punct. 4. §. 7. n. 9.*

RESOL. CCXXI.

An vir consentiens, vt vxor Religionem ingrediatur, ipse enim etiam ingredi debeat, & an sufficiat, vt sumat habitum Equitum D. Ioannis?

Et in prædicto casu an liceat etiam fœminis Monasterium S. Iacobi ingredi, & in eodem Ordine profiteri, & ita satisfacient suæ obligationi? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 242. aliàs 243.

Sup. hæc doctrina in §. 1. Resol. seq.

§. 1. PVlchra, & curiosa quæstio, ad quam assero certum esse, vt sit licitus ingressus alterius coniugis post matrimonium consummatum in Religionem, minimè sufficere licentiam alterius manentis in sæculo, sed si manēs in sæculo sit senex, & absque incontinentiæ suspicione, desiderari vt votum castitatis emittat, si autem iuuenis, id non sufficere, sed opus esse, vt pariter Religionem ingrediatur, vt habetur *in c. cùm sis, de conuer. coniugat. & cap. vxoratus, eod. tit.* hoc supposito tanquam certo, difficultas est, an in tali casu sufficiat, si vir assumat habitum Religionis Equitum Melitensium. Negatiuè respondet Sanchez *de matr. tom. 2. lib. 7. disp. 32. n. 4. in fin.* vbi sic ait. Nec sat est si profiteatur vel assūpto habitu Equitum D. Ioannis, quia ea sit profectio solemnis, at ij manent in sæculo cum periculo incontinentiæ, cuius contrarium petitur *in c. vxoratus, de conuer. coniugat.*

2. Sed his non obstantibus, affirmatiuam sententiam docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 9. c. 12. n. 3.* vbi sic asserit. Cùm ergo vno coniuge ingrediente Religionem, alter si iuuenis est, ingredi etiam Religionem compellitur, non quidem ingreditur, vt ibi tantùm degat tanquā in aliquo honesto loco recluſus, vt seruet continentiam, sed vt verè profiteatur, sufficiet autem ingredi Religionem sancti Ioannis, quod immeritò negat Sanchez, constetque ex praxi, & ego vidi sic seruari. Fœminis etiam licebit monasterium sancti Iacobi ingredi, & in eo ordine profiteri, & satisfacient suæ obligationi. Ita Pontius; satis quidem probabiliter, nā vt alibi ex auctoritate multorū Doctorū probauimus, votum ingrediendi Religionē impletur, ingrediendo dictam Religionem D. Ioannis.

RESOL. CCXXII.

An mulier quinquagenaria dicatur senex, vt vir possit profiteri Religionem, remanente illa in sæculo cum voto castitatis?

Et notatur, quod ad Episcopum spectat dessignare, prout vxor in his casibus extra incontinentiæ periculum existat?

Et an dicta licentia adhibenda sit ex præcepti necessitate, vel ex consuetudine?

Etiamque aduertitur, quod si coniux ingreditur Religionem, vt profiteatur, sufficere, si ingrediatur Religionem S. Ioannis?

Et an ingrediente vxore in Religionem, possit vir senex remanere in sæculo cum voto castitatis perpetuæ?

Et docetur virum, vt manens in sæculo dicatur prouecta ætatis, sexagenarium esse debere, vel eam ætatem, quæ ex prauā valetudine illi ætati respondeat? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Resol. 73.

§. 1. DE hoc casu his diebus interrogatus fuj, pro cuius decisione suppono, non sufficere solum consensum coniugis, vt alteri licitum sit Religionem ingredi, sed requiritur vt quòd ambo ingrediantur, vel qui in sæculo mansurus est, & votum perpetuæ continentiæ editurus, ea sit ætate, vt extra periculum incontinentiæ esse videatur. Ita determinatur *in cap. cùm sis, & cap. Apostolica, de conuer. coniugat.* & docet Villalob. *in sum. to. 3. tr. 13. d. ffic. 14. n. 2.* Hurtado *de matri. disp. 11. diffic. 9. n. 28* Reginald. *to. 2. lib. 31. c. 4. n. 40* Henriqu. *lib. 11. c. 8. n. 9 in glossa lit. l.* Gratianus *in discept. forens. c. 102. n. 21. & 27.* cum aliis communiter.

2. Difficultas est, quænam ætas senectutis sufficiat vt coniux non egeat Religionis ingressu, sed posſit in sæculo manere castitatis voto astrictus, vt alter coniux legitimè ad Religionem transeat?

3. Prima opinio est Basilij Pontij *de matrim. l. 9. c. 12. n. 3.* qui putat hoc arbitrarium esse, & ex circūstantiis personæ, valetudinis, roboris, & anteactæ vitæ considerandū & definiendum esse, nam quamuis in aliis legibus, quæ communitati imponuntur, vt in priuilegio lacticinia comedendi, non ieiunandi, &

Diaconissarum

Diaconissarum ætate determinetur senilis ætas ad sexaginta annos, quia leges illæ fundantur in præsumptione vtplurimum, attamen in hoc casu cùm sit specialis dispositio huc tantùm respiciens, vnumquodque iudicandum est ex propriis circumstantiis, & ideo nõ potest certa regula definiri. Hæc Pontius.

4. Secunda opinio est Aloysij Bariosæ *in aphorlit. M. ver. maritus sexagenarius* Riccius *part. 2. decis.* 131. & 135. Bartholomæi à S. Fausto *in thesaur. Relig. lib. 5. q. 55.* Dominici Soto *in 4. sent. dist. 27. q. 1. art. 4.* §. *præterea contra eamdẽ primam concl. & dist. 38. q. 1. art. 2. concl. 2. & 3.* Cordub. *q.* 178 Azorij *tom. 1. lib. 18. cap. 14. q. 11.* & aliorum, asserentium fœminam dici senem quoad hunc effectum, quando est sexagenaria, quia, vt satis apud DD. firmatũ est sexagenarios neque ad ieiuniũ obligari, neque teneri cum Bulla abstinere à lacticiniis, quia in tali ætate dicuntur senes.

5. Tertia opinio, quam ego probabilem & tutam in praxi esse existimo, vt superiores, asserit, fœminã quinquagenariam esse senem quoad hunc effectum, & ita docet Sanchez *de matri. to. 2. lib. 7. disp. 32. n. 15.* quem citant & sequuntur nouissimè Io. Guttierrez, & August. Barbosa, ille *in tr. de matri. c. 91. n. 2.* hic *in collect. to. 1. lib. 3. tit. 32. cap. 4. n. 4.* vbi sic asserit. Credit meritò Sanchez fœminas quinquagenarias esse senes quoad hunc effectum, qui attento breuiori cursu vitæ illarum, ac celeriori senectutis aduentu, tam senex est mulier quinquagenaria, quàm vir sexagenarius, quod communis æstimatio testatur, & libidinis ardor ita repescit in illa, ac in hoc etiam in ea ætate est sterilis, & cõmuniter verè senex tunc appellatur, & de suspicione incontinentiæ libera creditur. Ita Barb. Vide etiam Bonac. *de matrim. in nouiss. editione q. 3. punct. 4. n. 12.* hanc etiam sententiam docentem, & Filliucium *tom. 1. tr. 10. part. 2. c. 4. num. 133.*

Sup. contento in hoc §. in tom. 7. tr. 1. lege doctrinam per totam Res. 323.

6. Notandum est tamen hic quòd ad Episcopũ pertinet dispicere vtrùm vxor in his casibus extra incontinentiæ periculum existat; quare conuenit ab eo licentiam petere, vt colligitur ex *c. si vir & vxor. 27. q. 2.* & notauit Glossa. *in cap. 2. de conuer. coniugat. verb. reuocari*, sed an dicta licentia adhibenda sit ex præcepti necessitate, negat Sanchez *lib. 7. disp. 32. n. 2.* sed affirmat Richardus *in 4. dist. 32. art. 2. q. 3. glos. cit. verb. reuocari*, & ita in praxi obseruatur, teste Laym. *loc. cit.* Verùm Pontius *vbi infrà n. 2.* putat circa licentiam petendam ab Episcopo iam vsu abolitum esse præceptum si quod extitit, neque etiam consuetudine receptum est, vt petatur Episcopi licentia. Sic ille; & post illum Guttierrez *vbi suprà n. 4.* Sed ego non recederem ab affirmatiua sententia quam præter Sanchez ex neotericis docet Rebellius *lib. 3. q. 4. n. 12.* & Bonacina *vbi suprà.*

Sup. hoc in in Res. præterita à medio §. 1.

7. Non desinam tamen hîc admonere quòd si coniux ingreditur Religionem vt profiteatur, sufficere si ingrediatur Religionem S. Ioannis, vnde ego in facti contingentia consului fœmina ingrediente ad professionem in monasterio Monialium, potuisse virum se militem S. Ioannis efficere, & ita hanc opinionem docet in terminis Basilius Pontius *de matri. lib. 9. cap. 12. n. 3.* vbi sic ait. Cùm ergo vno coniuge ingrediente Religionem, alter sit iuuenis, ingredi etiam Religionem compellitur; sufficit autem ingredi Religionem S. Ioannis, constatque ex praxi, & ego vidi sic seruari. Ita Pontius, contra Sanch. *lib. 7. disp. 32. n. 4.* negatiuam sententiam docentem, quã nouissimè sequitur Faustus *in thesaur. Relig. lib. 5. q. 48.* sed, vt dixi, opinio Pontij est probabilis, & vt talem illã tenent multi viri docti de hac re à me consulti.

8. Et tandem pro coronide huius resolutionis quæro, an ingrediente vxore in Religionem, possit vir senex remanere in sæculo cum voto castitatis perpetuæ, sicuti de vxore dictum est *suprà*. Affirmatiuam sententiam docet Basilius Pontius *loco cit. num. 1.* vbi sic ait. Si consentiat vir vt vxor Religionem ingrediatur, ipse etiam ingredi debet, neque potest in sæculo remanere, nisi fortasse vir sit adeò prouectæ ætatis, vt in sæculo sine periculo permanere possit, vel nisi vir creetur Episcopus. Ita ille.

9. Sed aduersùs illum insurgit nouissimè Gaspar Hurtado *tract. de matrim. disp. 11. difficul. 9. n. 8.* vbi sic ait. Conueniunt Doctores neutrum coniugum posse Religionem ingredi, nisi vterque ingrediatur, vt exprimitur *in cap. vxoratus*, vbi excipitur posse maritum ingredi, non ingrediente vxore, quando vxor est senex, & non suspecta de incontinentia, si castitatem voueat; nullibi tamen excipitur posse vxorem ingredi, non ingrediente marito, quamuis prouectæ ætatis, & potentis manere in sæculo absque periculo, & ideo Basilius absque fundamento excipit, quòd id possit vxor in casu dicto. Sic Hurtado. Sed immeritò quidem asserit Pontium loquutum fuisse sine fundamento, nam opinio Pontij determinatur *in cap. ad Apostolicum, de conuers. coniugat.* vbi de alterutrius coniugis ingressu sic decidit. Non est alter coniugum recipiendus ad obseruantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat, sed & vitam debet mutare, nisi fortè sit eius ætatis, vt sine suspicione incõtinentiæ valeat in sæculo remanere; sic textus ibi ex quibus verbis clarè apparet contra Hurtadum, quòd nõ solùm vxor, sed etiam vir potest in sæculo remanere, si sit senex, & sine incontinentiæ periculo, vt optimè docuit Pontius. Vide etiam Layman *lib. 5. tr. 10. part. 3. cap. 7. num. 2.* Sanchez *lib. 7. disp. 32. num 2.* & Bonacinam *de matrim. in nouiss. edit. quæst. 3. punct. 4. num. 12.* qui etiam docet virum, vt manens in sæculo dicatur prouectæ ætatis, sexagenarium esse debere, vel eam ætatem quæ ex praua valetudine illi ætati respondeat, ita vt à periculo incontinentiæ credatur ratione ætatis abesse, quod vltimum est valde notandum. Vide etiam Filliucium *tom. 1. tr. 10 part. 2. cap. 4. num. 133.*

RESOL. CCXXIII.

An possit maritus tuta conscientia interficere vxorem in adulterio deprehensam? Ex part. 3. tr. 4. Res. 222. aliàs 223.

Sup. hoc in tom. 5. tr. 5. ex lata doctrina Res. 125. signanter post medium, à verſ. Quamuis verum sit. & in fine §. 2. & seqq. dictæ Res.

§. 1. ALiqui affirmatiuè respondent, vt Castillo *in l. 82. Tauri, n. 6. in fin.* & ibi Antonius Gom. *n. 52. in fin. & l. 76. in fine.* Menchaca *de succeſſ. creat. §. 7. n. 22. & vſufreg. c. 8. & illustr. c. 94. num. 4.* Azeuedus *li. 8. tit. 20. leg. 1. in fin. & lib. 4. tit. 10. leg. 1. num. 21.* Et ratio est, quia tunc maritus id non efficit tanquam priuata persona, sed tanquã minister iustitiæ, *ex l. merito ff. de adulteris, & ex leg. Gracchus eo. tit.* nec valet dicere has leges esse iniustas; nam, vt ait Lessius, mirũ est tot præclara ingenia Græcorum, & Romanorum hanc iniustitiã tot sæculis non vidisse, eamque legibus, & moribus à tempore Solonis probasse. Deinde eædem leges redactæ sunt in Codicem Iustiniani Principis Christiani, & à reliquis Principibus, & Iurisconsultis Christianis acceptatæ. Igitur in tali casu publicum ius istarum legum maritos ministros mortis efficit, illíque facultatẽ tribuit, vt in flagranti possint vxores occidere, nõ secus ac si post causæ cognitionem, & sententiam latam, illos exequendæ mortis ministros destinaret, deputat enim maritum tanquam ministrum publicæ auctoritatis iustæ exequutioni. Atqui id quidem rectè fieri posse lege lata, etiam inaudita adultera, quia notorius ex-

cessus examinatione non indiget, *cap. bona, de elect.* quando enim crimen notorium per deprehensionem, ac nullatenus excusari potest, nec est necessaria citatio, nec sententia ad pœnam irrogandam.

2. Vnde ex his rationibus motus hanc sententiam Lessius *lib.2.cap.9. dub.5.num.16.* iudicat probabilem, vt aduertit Basilius Pontius *de matr.lib.9. cap.15. num.20.* qui *in num.4.* testatur huic opinioni subscripsisse suo tempore multos Theologos Salmanticenses, quorum alij veram, alij probabilem, & omni censura liberam asseruerunt. Adde etiam, quod licet Magister sacri Palatij correxerit Emanuelem Sà, asserentem hanc sententiam esse probabilem, tamen Index Hispanus librorum prohibitorum à supremo Inquisitionis Consilio editus illam minimè reprobat.

3. Sed his non obstantibus, hanc sententiam ipse Pontius improbabilem, & falsam esse existimat, & illam etiam reprobant.48. Doctores, quos citat, & sequitur Barbosa *in collect. tom.4. part.2. caus.33. quæst.2.cap.inter hæc*, vbi Nicolaus scribens Alberio Archiepiscopo dicit, non licere secundum Ecclesiasticas leges vxorem adulteram interficere. Cæteras verò rationes videbis apud Pontium, qui respondet ad argumenta contraria, sicut etiam facit Lessius *vbi suprà*. Vnde non est amplius de hoc dubitandum, nam ex contraria sententia daretur occasio occidendi impunè quemlibet, fingendo quod cum vxore voluerit commercium habere, & exponeretur manifesto periculo animæ, sic interfectorum salus, qui capi possunt, accusati, & per iudicis sententiam puniri. Igitur prima opinio prorsus non est tenenda.

RESOL. CCXXIV.

An propter adulterium occultum valeat quis, secluso scandalo vxorem in foro conscientiæ dimittere?

Et an si vterque coniux sit reus adulterij, neuter possit ab altero diuertere?

Et quid si vnius crimen sit publicum, & alterius occultum?

Et an si innocès post factum diuortiũ commisit adulterium, teneatur alterum coniugem emendatum iterum ad thorum admittere, & ad instantiam alterius?

Et notatur, quod si præcesserit sententia Iudicis Ecclesiastici de diuortio, hoc non obstante innocès quamdiu nõ mutat statum, habet ius liberum ad reuocandũ ad se nocentem, si velit, vnde non potest dictus nocens, inuito, aut inconsulto innocenti ad Religionem transire, vel sacris Ordinibus initiari, nec votum simplex castitatis emittere, & etiam si professus sit, vel sacris Ordinibus initiatus, vel votum emiserit, potest reuocari ab innocente, & votum irritare.

Et asseritur, quod si dictus nocens se omnino emendasset, sæpiusque, ac instanter petiisset reconciliationem, & innocens absolutè eam negasset, posset Religionem, aut Ordines suscipere, quia innocens in tali casu est irrationabiliter inuitus? Ex part.3. tract.4. Res. 256. aliàs 257.

§. 1. NEgatiuè respondet Basil. Pontius *de matrim.lib.9.c.18.n.6* qui citat Diuum Thomam, Richardum, Bonauenturam, Turrecrematam, & alios; & ratio præcipua est, quia lex quæ prohibet separationem coniugum etiam fornicationis causa, ante prohibitionem, & Ecclesiæ iudicium, data est iure optimo, vt occurratur hominum malitiæ, & fraudi, cumque eiusmodi leges in præsumptione fundentur, & præsumptiones vtplurimum non deficiant, non cessat eorum obligatio, etiamsi in aliquo particulari casu deficiat præsumptio, & ratio legis. Et ita hanc sententiam docet etiam Ioannes de la Cruz *in direct.par.2. de matrim.q.5.dub.4.concl.2.*

2. At hic non obstantibus, contraria sententia mihi magis placet. Dico igitur, quod quando adulterium est occultum, vt probari ab innocente non possit, posse illum non expectato Ecclesiæ iudicio in foro conscientiæ vxorem dimittere, seu fugere in partes longinquas, secluso tamen aliorum scandalo. Et ita docet Rebellius *part.2. lib.2. quæst.17. n.2.* Coninch *vbi infra*. Villalobos *in sum.tom.2. tract.35. difficult.3. num.4.* Sanchez *de matrim. tom.1. lib.10. disput.11. num.12.* Sotus *in 4. distinct.36. quæst.vnica, art.3.* & ex veteribus Paludanus *in 4. distinct. quæst.1. art.3. concl.3.* Et ratio est, quia vir in foro conscientiæ, sublato scandalo, sibi ius dicere potest, cum defectus probationis non sit ex culpa sua. Cæteras rationes videbis apud Paludanum, & apud Panormitanum *in cap. fori, de adulteriis*. Ad argumentum verò Pontij respondeo, quod quando lex fundatur in præsumptione, si deficiat in casu particulari lex illa non obligat: vide ea quæ adduximus *in part.1. tr.10. de legib. resol.27. & 28.*

3. Sed hæc omnia intelligenda sunt in foro conscientiæ, vt diximus; nam quoad forum externum talis separatio non permittitur, nisi adulterium fit notorium, iuxta *cap. significasti, & cap. porrò, de diuortiis.*

4. Notanda sunt tamen aliqua hic obiter. Primò si vterque coniux sit reus adulterij, neuter potest ab altero diuertere, vt patet ex *d. c. significasti, de diuort.* quia compensatur mutua iniuria. Nec refert vter priùs commiserit crimen, aut quod vnus sæpius altero, aut quod vnius crimen sit publicum, & alterius omnino occultum, & coniugem lateat, quia vterque verè fidem matrimonij fregit, soli autem innocenti conceditur diuortium. Ita Coninch *de Sacr. disp.35. dub.2. concl.3. n.32* Rebellius *vbi sup. n.6.* & alij. Vnde vt plurimum ex hoc capite multi illicitè diuortium petunt, quod est valde notandum à confessariis, sicut etiam illud quod aduertit Coninch *loco cit. num.13.* nempe si innocens post factum diuortium commisit adulterium; tenetur alterum coniugem emendatum iterum ad thorum admittere, & ad instantiam alterius, vt notat etiam Rebellius *num.9.* compelli poterit ad id à Iudice.

5. Secundò notat, quod si præcesserit sententia iudicis Ecclesiastici de diuortio, hoc non obstante, innocens quamdiu non mutat statum, habet ius liberum ad reuocandum ad se nocentem si velit; vnde non potest dictus nocens, inuito, aut inconsulto innocenti ad Religionem transire, vel sacris Ordinibus initiari, nec votum simplex castitatis emittere, & etiamsi professus sit, vel sacris initiatus, vel votum emiserit, potest reuocari ab innocente, & votum irritare. Et hæc omnia docet Basilius Pontius *de matrim. lib.9. cap.19 n.1. & 4.* cum aliis.

6. Verùm Coninch *de sacram. disp.35. dub.5. concl.4. num.26.* asserit, quod si dictus nocens sæpiusque omnino emendasset, ac instanter petiisset reconciliationem, & innocens eam absolutè negasset, posset Religionem, aut Ordines suscipere, quia innocès in tali casu irrationabiliter est inuitus, non enim habet ius, vt alter cogatur perpetuò de suo statu incertus manere, nec possit animæ suæ aliquem statum suscipiendo consulere.

RESOL. CCXXV.

An vir teneatur dimittere vxorem adulteratem, & perseuerantem in adulterando?

Et quid dicendum est de vxore quoad virum adulterantem, & perseuerantem in adulterando?

Et

Et an peccet maritus mortaliter, si vxorem in adulterando pertinaciter perseuerantē non dimittit, si adsit periculum incertitudinis prolis, substituendique falsum hæredem? Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. Resl. 40.

Sup. hoc inf. §. 1. in Resl. 232. §. Nota tertiò.

Affirmatiuè respondet Texeda *tom. 1. lib. 4. tract. 1. controu. 13. n. 71. & seq.* Quia ex natura rei tenetur vnusquisque auferre scandalum, quo scit, & cognoscit ex sua actione, aut cessatione actionis, quam exercere non tenebatur, fore originandum: sed ex eo quod maritus non recedebat ab vxore in adulterio perseuerante, sequitur scandalum, cum non illam à se repellendo præbeat occasionem suspicandi ipsum esse adulterij participē, & ex consensu eius vxorem in adulterio perseuerare: ergo tenetur maritus conscius adulterij sub mortali culpa recedere ab vxore adultera. Probatur, quia vnusquisque lege correctionis fraternæ peccata proximi vitare non tenetur per media conuenientia, & salubriora, quibus meliori modo possibili lucretur fratrem in peccato mortali existentem: ergo maritus, cum sit vxoris caput, cuius est eam dirigere, & gubernare strictiùs tenetur ex vi præcepti correctionis fraternæ eius fornicationem impedire, eam à domo pellendo, si ex tali repulsa fuerit spes, vt vxor illa emendet vitam. Confirmatur, quia præceptum correctionis fraternæ omnes obligat: ergo etiam obligat maritum in ordine ad vxorem in adulterio perseuerantem, vt vtatur mediis possibilibus, & necessariis ad lucrandam illam; sed medium possibile, & necessarium ad lucrandam vxorem in sua fornicatione perseuerantem, est expellere eam à consortio suo, si subsit spes quod repulsa, & relicta à viro emendabitur: ergo ad id tenetur ex meritis præcepti correctionis fraternæ.

2. Verùm negatiuæ sententiæ adhæreo. Dico igitur non teneri virum vxorem perseuerantem in adulterio sub peccato mortali dimittere, nisi in rarissimo casu. Probatur, quia in tali casu non tenetur ratione adulterij quia id potest ei remittere, vt dicitur *in cap. quemadmodum 25. de iureiur.* Neque ratione correctionis fraternæ, quia huic obligationi satisfaciet, ea admouendo, & moderatè provt potest puniendo, quia vxorem dimittere, est medium viro nimis incommodum, ad quod ratione correctionis nō tenetur, quia sic tenebitur, cœlebs viuere, & solus domū regere, & eius infamia manifestior fieret; imò id vxori est periculosius, quia vxor quæ sæpe reprehensa, & punita non emendatur, liberius viuet, si dimittatur: neque tenetur ratione vitandi scandali, quod erit suspicandi ipsum conniuere, & patrocinari adulterio vxoris, si cum ipsa inhonestè viuente cohabitet; quia ad id vitandum non tenetur cum dicto incōmodo, cùm ad id sufficiat, quod ita reprehendat, puniat, & custodiat, vt id intelligant vicini: vnde quod dicitur *in cap. si vir, & Prou. 18.* tantum intelligitur, quando vir pacificè, & quietè cohabitat cum dicta vxore. Addidimus non teneri, nisi forsan rarissimè, quia quando dimissio sit apta ad emendationem absque inconueniente. aut ad vitandam dictam suspicionem, & marito nō sit valde incommoda, & non sit aliud medium sufficiens ad emendationem, & ad suspicionem vitandam (quæ rarissimè coniungentur) tenetur eam dimittere. Et hæc omnia præter Sanchez docet Castrus Palus *to. 5. disp. 3. punct. 6. §. 3. num. 3.* Hurtadus *de matrim. disp. 11. difficult. 4. num. 15.* Layman *lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 7. num. 15.* Coninch *de sacr. disp. 35. dub. 3.* Aduersa *de sacr. matr. q. 22. sect. 5.* Perez *de matrim. disp. 56. sect. 4. n. 4. & 5.*

3. Sed videndum est, an saltem peccet maritus mortaliter, si vxorē in adulterio pertinaciter perseuerantem non dimittit, si adsit periculum incertitudinis prolis, substituendique falsum hæredem? In qua difficultate affirmat Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 13. n. 12.* non peccare mortaliter maritum non dimittendo vxorem ob prædictam causam, neque ad id teneri, etiam omni scandalo de medio sublato. At contrarium docet Texeda vbi supra, *num. 80.* Nam qui causam magni damni, & irreparabilis ruinæ dat, damnum ipsum magnum inferre videtur, & ob id mortaliter peccat; sed maritus retinēs vxorem adulteram. & in adulterio perseuerantem est causa magni damni, & irreparabilis, quale est, vt adultera ex alio viro suscipiat prolem, quæ cùm nascatur in domo mariti, tanquam filius proprius haberi debet, & quæ iure hæreditario hæreditatem patris tanquam hæres suus, & necessarius vindicabit, ac proinde si maritus habuerit maioratum pinguem, in illo succederet filius adulterinus: ergo, &c. Verùm opinioni Sanchez adhæret Palaus vbi supra iuncto *num. 1.* ibi: Siquidem ea retentione suis hæredibus, &c. Itaque in tali casu non videtur obligari vir adeò acerbo remedio vti ad hoc periculum euitandum: nec eius culpæ adscribi debebit ea incertitudo prolis, eo renitente, & media suauia adhibente. resultans: neque antiqui Doctores ex hac ratione, sed tantùm ex debito correctionis, & vitandi scandali eam obligationem imponebant. Non videtur tamen negandum, vt optimè obseruat Auersa vbi supra, accidere posse, vt ex vna parte non sit adeò acerbum viro ab adultera vxore recedere; & ex alia parte nimis graue damnum legitimis successoribus obueniat, si magnam hæreditatem adulterina proles arripiat: & ideò ex hoc capite aliqua obligatio consurgat, licet etiam rarissimè hæ omnes conditiones comungi possint.

4. Sed quid dicendum de vxore quoad virum adulterantem, & perseuerantem in adulterando? Respondeo à fortiori, vxorem multò minus teneri ad dimittendum maritum adulterum in adulterio persistentem. Patet quia neque ratione adulterij vt liquet, neque ratione correctionis fraternæ, quia per hoc nō emendaretur: neque enim ea demissio, prætērquam quod esset maximè incommoda vxori, esset apta ad emendationem viri, & mulieri non est virum corrigere, nisi precibus, & suauibus admonitionibus. Nec denique ratione scandali, & vitandi suspicionē consensus vxoris, quia rarò præsumitur vxorem consentire, & quando id præsumatur, facilè poterit huic præsumptioni aliis mediis occurrere. Quod si vxor omnino crederet virū esse emendandum, si ad tempus illum diuerteret, & posset id facere sine vllo notabili incommodo, ad id teneretur ex charitate: sentio tamen vix vnquā esse talem spem; imò moraliter semper esse timorem peioris exitus, si vir ab vxore dimittatur. Ita Doctores citati pro nostra sententia, Palaus, Perez, Hurtadus, Coninch, quibus à fortiori Adde Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 15. diffic. 2. n. 7.*

Sup. hoc inf. in Resl. 232. §. Quæ dicta.

RESOL. CCXXVI.

An ex adulterio publico oriatur diuortium, ita vt possit adultera Religionem ingredi?

Et an in hoc casu sit necessaria innocentis licentia, vel an sufficiat, si id sciat innocens, nec contradicat cum possit?

Et an si vxor, sententia data à Iudice seculari de eius adulterio, detrudatur in monasterium. si intra biennium illius reclusionis vir illam non repetat, poterit Religionem profiteri.

Et asseritur, vt supradicta adultera profiteatur in Religione, non esse necessarium, vt innocens etiam ad Religionem transeat, vel votum castitatis emittat, sed posse manere in seculo absque vllo voto.

Idem est dicendum, si innocens Religionem ingrediatur.

Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. Resl. 61. alias 60.

Sup. hoc inf in Resol. 232. §. 2. & lege etiam alium § eius annot.

§. 1. CVm ex adulterio publico oriatur diuortiũ, *ex cap. significasti, de diuort.* & Doctoribus citandis, respondeo, & assero primò, adulteram in nostro casu posse ingredi Religionem & in illa profiteri, si priùs præcedat coniugis innocentis licentia, imò puto sufficere, si id sciat innocens, nec contradicat cùm possit. Ratio est, quia hoc pacto satis videtur data licentia, & scienti ac volenti nulla fit iniuria. Vnde obseruãt Doctores indiuidualiter pro casu nostro, quod si vxor sententia lata à Iudice seculari de eius adulterio, vel illo notorio existente, detrudatur in monasterium pœnitentiam actura; si intra biennium illius reclusionis nõ illam repetat vir, poterit Religionem profiteri: ea enim repetitionis omissione censetur, Iure sic disponente, consentire ingressui: habetur *Auth. sed hodie, Cod. ad leg. Iul. de adulter.* cuius decisio Iure Canonico reuocata non est, vt rectè aduertit Abbas *cap. gaudemus, de diuort. n.*7. Hostiensis *ibi n.*3. Ioan. Andreas *n.*3. Ancharanus *n.*2. Basil. Ponce *lib.*9. *c.*19 *n* 3 Sanch. *li.*10. *disp.*10. *n.*8.

Sup. contento in hoc §. in Resol. nor. præteritæ, §. De ipso.

2. Assero secundò, vt supradicta adultera profiteatur in Religione, non esse necessarium, vt innocens etiam ad Religionem transeat, vel votum castitatis emittat; sed posse manere in sæculo absque vllo voto. Probatur, quia id apertè constat *ex capit. Agathosa* 27. *q.*2. vbi deciditur coniugem ingressum in Religionem, vxore manente in sæculo absque voto restituendum esse vxori, nisi mulier fornicata sit. Vnde textus prohibentes mutationem status alterius coniugis, altero in sæculo manente, saltem absque castitatis voto, vt *cap. sanè, cap. cùm sis, cap. significant. de conuers. coniugat.* loquuntur vbi matrimonium integrum, & illæsum perseuerat, secus vbi est diuortium. Et ratio est aperta, quia cùm innocens liber sit iugo debiti coniugalis, potest independenter ab vlla mutatione status adulteri ad Religionem, vel ad Ordines transire. At si id non posset ita liberè adulter, certè proueniret ob fauorem innocentis, ne videlicet iuri reconciliandi, quod habet derogetur: ergo renunciante innocente huic fauori, poterit nocens ita liberè transire ad ordines, vel ad Religionem vt ipse innocens. Quinimmò neque ingrediente innocente in Religionẽ: astringitur nocens ad illius ingressum, vt bene aduertit Sotus *in* 4. *dist.*36. *q. vnic. art.*5. *ad* 3. Layman *lib.*5. *sum. tr.*10. *part. cap.*7. *n.*12. Coninch *disp.*35. *dub.*5. *init. concl.*1. Quia textus *in cap. sanè, cap. cum sis, cap. significauit, de conuers. coning.* exigentes mutuum coniugum ingressum, intelliguntur, cùm matrimonij iura integra, & illæsa sunt; secus verò quando ob diuortium sunt diminuta. Et hæc omnia præter Doctores citatos tenet Castrus Palaus *tom.*5. *disp.*3. *punct.*6. §.7. *n.*2. & 4. Martinus Perez *de matrim. disput.*56. *sect.*7. *num.*3. & *seq.* Hurtadus *disp.*11. *diffic.*8. & alij penes ipsos.

RESOL. CCXXVII.

An vir qui post sententiam latam diuortij adulterium commisit, teneatur conciliari cum vxore nocenti dimissa?

Et notatur, quod quando res est integra ex parte innocentis, eo quod iam statum mutauit factus professus, vel Sacris initiatus, manifestum est nullum superesse ius innocenti ad reconciliandum adulteram.

Et quid si coniux sit Nouitius tantum, vel solùm in minoribus constitutus?

Idem est, si tantùm impediatur voto simplici extra Religionem tamen, quod potest redire ad suam coniugem nocentem, licet peccet, cùm se exponat periculo violandi votum, tenebiturque reddere debitum, sed non exigere.

Et quando vterque coniux est adulter, & vnus ex eis vitam emendauit, alter verò minimè, licetne coniugi emendato petere diuortium? Ex part. 9. tract. 8. & Misc. 3. Resol. 39.

§. 1. NEgatiuam sententiam tenet Rebellius *lib.* 2. *quæst.* 18. Layman *lib.*5. *tract.*10. *dist.*9. *num.*30. *& seq.* & alij penes ipsum partem affirmatiuam tuentem. Probatur hæc opinio, quia sententia diuortij iustè celebrati, transit in rem iudicatam in fauorem innocentis, & in odium adulteræ, atque in pœnam, & supplicium eius: ergo ab illo tunc sententiæ diuortij declaratæ manet innocens omino liber ab obligatione reddendi debitum adulteræ petenti, & cohabitandi cum illa; & ideò rectè dixere Durandus *in* 4. *dist.*39. *quæst.*2. Ledesma *de matr. quæst.*62. *art.*6. post latam diuortij sententiam posse coniugem innocentem ad Religionem transire, in eaque adultero inconsulto, imò inuito profiteri: ergo semel diuortio legitimè celebrato, nullum deinceps manet ius apud adulterum repetendi innocentem, etiamsi innocens post sententiam diuortij fornicetur. Confirmatur: post sententiam diuortij coniux innocens non est coniux adulteri, quantum ad thorum, & cohabitationem; nam diuortium dissoluit matrimonium, etsi non quoad vinculum, quoad thorum tamen, & cohabitationem, & aufert ab adultero ius quod habebat in corpus innocentis: ergo coniux innocens admittens fornicationem, post sententiam diuortij, nullam infert iniuriam coniugi adultero, quia ob fidem factam ius omne quod habebat erga personam innocentis, amisit. Et ita hanc sententiam probat, & sequitur Texeda *tom.*2. *lib.*4. *tract.*1. *contr.*13. *num.*41. contra Molinam.

2. Sed ego existimo sententiam Molinæ affirmatiuam esse probabiliorem, quam sequitur nouissimè Pater Martinus Perez *de matrim. disp.*56. *sect.*1. *n.*5. Præpositus *in* 3. *part. quæst.*5. *de indiss. matrim. dub.*11. *num.*101. Hurtadus *disp.*11. *diffic.*5. *num.*11. Pontius *de matrim. lib.*9. *cap.*20. Coninch *disp.*35 *dub.*2. *n.*15. & alij relati à Sanchez *n.*27. Dico igitur in casu de quo loquimur, non solùm ex iudicis officio, sed ad petitionem partis cogendum esse innocentem postmodum nocentẽ nocenti dimisso reconciliari, obligatosque esse in conscientia hanc præstare reconciliationem quolibet volente. Et ratio est manifesta, quia sententia diuortij ob adulterium ab altero coniuge commissum, non concedit innocenti ius ab eo diuertendi, sed ius quod ex adulterio acquisiuit, declarat, vt eo publicè vti possit. At ius quod ex adulterio innocenti acquiritur, est dum innocens est: ergo facto nocente cessat prædictum ius, ac proinde obligatus est reconciliari, sicut obligaretur si adulterium commisisset ante sententiam latam. Et hanc sententiam præter Doctores citatos docet etiam Castrus Palaus *tom.*5. *disp.*3. *punct.*6. §.6. *num.*11. qui respondet ad omnia argumenta quæ pro negatiua sententia adducit Sanchez, cuius tamen opinionem satis probabilem esse existimo.

3. Notandum est hic, quod quando res non est integra ex parte innocentis, eo quod iam statũ mutauit, factus professus, vt sacris initiatus, manifestum est, nullum superesse ius innocenti ad reconciliandum adulterum. Patet, quia assumpsit statũ immutabilem, sese que tradidit Religioni per professionem, vel Ecclesiæ per Ordines ad sacra ministeria; vnde non potest ad coniugem redire, neque ab statu præsenti resilire; & ideò eum statum assumens, omne à se ius matrimonij abdicauit. Quod si coniux innocens sit nouitius tantùm, vel solùm in minoribus cõstitutus, potest adhuc reconciliarij; habet enim ius iustitiæ ad coniugem nocentem, & illud ius nondum impeditum est ab alio iustitiæ iure, quale habet Religio

gio in professum, vel Ecclesia in sacris initiatum.

Sup. hoc, & seqq. in hoc §. sup. in Ref. 224. lege doctrinã §. Secundò nota. & pro parte in Ref. 220. §. vlt.

Idem est, si tantùm impediatur voto simpli, extra Religionem tamen, potest quidem redire ad suum coniugem nocentem, licet peccet, cùm se exponat periculo violandi, tenebiturque reddere, sed non exigere. Ita Perez *sect. 6. n. 3.* & alij. Quod tamen, & rectè limitat Palaus *num.* 13. si sacros Ordines, vel Religionem suscepisset, antequam sententia transiret in rem iudicatam; quia eo casu illegitimè Ordo, & Religio suscipitur, ideoque coniugi non planè dimisso præiudicare nequit.

4. Notandum est etiam hic obiter, difficultatem adesse inter Doctores, an quando vterque coniux est adulter, & vnus ex eis vitã emendauit, alter verò minimè, liceatne coniugi emendato petere diuortium? In qua difficultate affirmat Sanchez *lib.* 10. *de matr. disp.* 7. *n.* 4. coniugem emendatum rectè, & iustè posse ab adultero in fornicatione sua perseuerante recedere, atque cum illo diuortium celebrare, etiamsi nulla inter eos præcesserit reconciliatio, dummodo cõiux perseuerans in sua fornicatione, per coniugem emendatum fuerit admonitus. Sed Texeda *vbi supra n.* 65. contrarium docet: censet enim admonitum ex sola admonitione sibi facta, & reconciliatione oblata, sed non acceptata, nó cessisse iuri diuertendi, quod ex alterius adulterio acquisiuerat; quia esto æquè nocens sit, ac petens renconciliationem, id solùm probat non posse alterũ accusare de delicto sibi non remisso, non tamen probat cessisse iuri diuertendi. His tamen non obstantibus sententiam Sanch. puto satis probabilem, quam etiam sequitur Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 7. *n.* 14 & Coninch *disp.* 35. *dub.* 2. *n.* 17. licet cum Texeda sentiat Pontius *de matr. lib.* 10. *c.* 17. *in fin.* & Hurtadus *disp.* 11. *diffic.* 3. *n.* 10.

RESOL. CCXXVIII.

An copula sodomitica imperfecta, quia semen non fuit emissum, pariat instam causam diuortij?

Et quid est dicendũ de actu bestialitatis, & brutalitatis?

Et asseritur dari veram diuortij causam marito, cum cuius vxore alius pollutionem habuit inter crura, ipsa volente & consentiente.

Et an oscula, amplexus, & tactus habita ab vxore cum viro alieno sint causa diuortij? Ex part. 9. tr. 8. & Misc. 3. Ref. 37.

§. 1. PRo negatiua sententia Texada *in Theol. mor. tom.* 2. *lib.* 4. *tr.* 1. *contr.* 13. *n.* 14. adducit Sanchez, Layman, & Filliuciũ, contra quos tamen acriter inuehitur opinioni affirmatiuæ adhærendo; quia per illum concubitum, si sit habitus ex parte fœminæ cum alieno viro, nimis malè tractatur matrimoniũ, fidesque in illo promissa frangitur, maritus etiã manet maximè dedecoratus, & per hoc ignominia affectus: ergo ex eo quod per illam adulterinam copulam sodomiticã, siue non naturalem non decidatur vas intra semen, coniux innocens non amittit ius petendi diuortium ob maximum dedecus, & iniuriam ex ea copula illi illatam. Secundò, quia vbi reperitur verum adulterium, reperitur vera causa diuortij; sed tunc per illam copulam omittitur verum adulterium, cùm thalamus sit violatus, & viro innocenti iniuria data: ergo est vera causa diuortij. Probatur maior, quia verum adulterium ex quo matrimoniũ efficitur iniuriatum, reperitur in accessu carnali vnius coniugis cum alieno; sed ibi reperitur accessus carnalis vnius coniugis cum alieno: ergo, &c. Confirmatur, quia ibi reperitur violatio alienithori, quæ tribuit causam adulterij. Tertiò, quia teste Sanchez *tom.* 3. *de matr. lib.* 10. *disp.* 4. *n.* 13. oscula, amplexus, & tactus habita ab vxore cum alieno viro

Sup. hoc inf. in Ref. 230.

sunt causa diuortij, si ea contingant cum talibus circumstantiis loci, & tẽporis, ex quibus probetur adulterium; sed adulterinus congressus, siue sodomiticus, siue naturalis habitus à fœmina coniugata cum alieno viro cum vasis penetratione, siue naturalis, siue innaturalis, etiamsi fiat sine seminis effusione, infert maiorẽ iniuriã marito, quàm oscula, amplexus, & tactus habita cũ vxore: ergo si per oscula, amplexus, & tactus datur causa diuortij, potiori iure debet dari per copulam sodomiticã. Explicatur hoc; magis lædit matrimonium, & maiori infamia afficitur maritus ex eo quod vxor eius habeat accessum sodomiticum cũ alio viro, quàm quod osculetur ab illo, & amplectatur; sed oscula habita ab vxore cum alio viro inferunt veram diuortij causam, vt fatetur Sanchez: ergo, &c. Adde quod per quid magis denegari mariti fama potest, & honor eius vilipendi, quam quod vxor eius cum alio habeat copulam sodomiticam, etiam non consummatam, si fiat cum vasis penetratione?

2. His tamen non obstantibus, sententiam Sanchez, & aliorum tenet nouissimè Castrus Pal. *tom.* 5. *disp.* 3. *punct.* 6. §. 1. *n.* 2. vbi sic ait: nomine adulterij, ratione cuius diuortium celebrari ab innocente possit, etsi aliqui censuerint solam copulam naturalem cum alieno viro, vel fœmina esse intelligendam, cõmunis sententia defendit sodomiã, & bestialitatem intelligi; quia his criminibus caro coniugis in alienam diuiditur, contra matrimonij fidem. Debet autẽ sodomia, & bestialitas completa esse, id est cum seminis effusione, aliàs non perfectè in alienam carnẽ esset diuisio, neque consummata iniuria, neque sufficiens diuertendi causa. Quod à fortiori procedit in tactibus turpibus, pollutioneve, siue secum tantùm, siue cum alio, vti aduertunt omnes Doctores. Ita ille, cui etiã adde Martinum Perez *de matr. disp.* 56. *sect.* 2. *n.* 8. Præpositi. *in* 3. *p.* 9. 5. *de insol. matr. dub.* 12. *n.* 94. Hurtadum *disp.* 11. *diffic.* 2. *n.* 8. Quod confirmatur ex communi sententia omnium Doctorum dicentium, non esse bigamum, vel irregularem, si prior vxor, aut fœmina quam ducit, sit cognita sola copula extra vas, aut sodomiticè. Quia tunc non est diuisio carnis suæ in plures intra naturale vas aptum ad generationem: ergo idem dicendum est respectu diuortij, tametsi sodomia, & brutalitas sint horrenda crimina; ideò non dare causam perpetui diuortij, quia verè per illa non diuiditur caro iuxta naturalem vsum aptum, & idoneum generationi.

3. Non est igitur recedendum à sententia negatiua, quidquid asserat Texeda, qui etiam animaduertere debebat opinionem Basilij Pontij *de matr. lib.* 9. *cap.* 16. *n.* 5. qui iudicat sibi verius, nec peccatum nefandum, nec brutalitatem esse causam perpetui diuortij. Probat, quia cùm diuisio carnis in plures dicitur in iure esse causa diuortij, de ea intelligendum est, quæ iuxta vsum naturalem est. Idque probat, quia ea diuisione inducitur in Iure Bigamia, & irregularitas. At nulla turpis coniunctio extra naturale vas bigamiam, & irregularitatem inducit ex bigamia ortam, vel vera, vel similitudinaria, vt manifestum est. Igitur tantùm diuisio carnis, quæ iuxta naturalem vsum est, adulterij nomine intelligenda est. Et Molina *de Iust. tom.* 4. *tr.* 3. *disp.* 95. *n.* 8. asserit copulam sodomiticam habitam cum quodam tertio, etiamsi consummata sit, non carere probabilitate maxima, non inducere causam diuortij, maximè si vxor passiuè se habeat in illo actu cum alio à marito suo. Sed sententia Sanchez est tenenda.

4. Hinc ex dictis colligitur non esse audiendum Texedam *loco cit. n.* 19. asserentem dari veram diuortij causam marito, cum cuius vxore alius pollutionem habuit inter crura, ipsa volente & consentiente; & ideò si maritus probet factum, potest iure optimo intentare diuortium, & inde illam à se repellere. Ra-

Sup. hoc in Ref. not. præteritæ, §. Quod si.

tio ipsius est, quia per illam pollutionem inter crura cum alio viro ab vxore habitam, frangitur fides promissa, & maritus illius maximè inhonoratur, & matrimonium ipsum manet læsum. Sed contrarium est, tenendum cum Perez, Palao, & aliis vbi suprà, quibus adde Villalobos, in Summa *tom. tr. 15. difficult. 1. n. 15.*

RESOL. CCXXIX.

An si vir expellat vxorem à domo negans necessaria alimenta, & ex hoc illa fornicetur, sit viro concedendum diuortium?

Et quid, si vir ea intentione vxorem repulisset, alimentisque priuasset, vt necessitate compulsa adulterium committeret?

Et an si vxor metu graui cadenti in virum constantem fornicetur, talis fornicatio sit causa diuortij, & per illam à marito separari debeat? Ex part. 9. tract. 8. & Misc. 3. Res. 38.

§. 1. NEgatiuam sententiam probat Sanch. *lib. 10. disp. 5. n. 6.* sed more suo contra illum insurgit Texeda *in Theol. mor. to. 2. lib 4. tr. 1. contr. 13. n. 23.* & probat suam sententiam sic asserens. Primò quia maritus iniustè repellens vxorem à domo sua, priuans eam alimentis, & necessariis ad vitam transigẽdam, maiorem causam confert adulterandi, quàm si solum adulterij conscius illud non prohiberet: sed quando maritus scit adulteriũ vxoris, & non prohibet, nó debet ei petenti diuortium concedi: ergo neque quando ipsa adulterium cõmisit repulsa iniustè à maritò, priuata necessariis ad victum, & vestitum. Secundò, quia attenta fœminarum fragilitate, & inconstãtia, vxor à viro iniustè repulsa, destitutaque remedio inueniendi victum, & vestitum, est in euidenti periculo fornicandi, cuius tamen est causa maritus; ergo amittit ius petendi diuortium. Tertiò, quia maritus expellens vxorem iniustè à domo sua, negans ei necessaria ad vitam agendam, peccat mortaliter, vt tenentur concedere moderni: ergo non est innocens, sed nocens, & iniustus. Tunc sic argumentor: sed diuortium nó conceditur nisi in fauorẽ innocentis, in pœnam tamen nocentis: ergo, &c. Accedit etiam, quod maritus eiiciens vxorem è domo iniustè, si ipsa ob id fornicata fuerit, censetur fornicationi vxoris consentire, atque ita pœna lenonis debet puniri, & non vxor. Accedit etiam ad confirmandam nostram doctrinam contra præfatos modernos, quod illa habetur expressa *in c. discretionẽ, de eo qui cogn. consangu.* cuius verba sunt, Vir prius cogatur redire ad ipsam, & maritali eam affectione tractare, cùm adulterium ei non possit obiicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim inuitam. Ex quibus verbis sic potest argumentum formari contra præfatos moderatos: Maritus iniustè repellens vxorem à domo sua eam adulterandam tradit, cum sic sit remedio destituta, & alias non spernenda: ergo si fuerit cum alio fornicata, talis fornicationis causa per se fuit maritus.

2. Verùm ab opinione Sanchez puto non esse recedendum: dicendum est igitur ex eo, quod maritus causam remotam vxori dederit adulterium committendi, negando inquam debitũ, non suppeditando aliméta, atque eam è domo, & ex sua cohabitatione expellendo; nó censetur adulterio consentire, neque à diuortio faciendo impeditur, vti colligitur ex *c. significasti de diuortiis.* Et ibi Gloss. verbo materiã. Neque enim mulier ad fornicandum vlla ratione adduci debebat: *cap. Itane 32. q. 5.* Neque ignoscendũ est (vt inquit Vlpianus *leg. palam. n. 34. ff. de ritu nuptiar.* Et Glos. *c. ex litteris, de diuortiis*) ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam agit. Et ita sententiam Sanchez contra Texedam tenet Palaus, *t. 5. disp. 3. punct. 6. §. 1. n. 2.* Hurtadus *de Matri. disp. 21. difficul. 3. n. 12.* Guttierez *de Matri. c. 129. n. 8.* Coninch *de Sacram. disp. 35. dub. 1. in fine*, Basilius Poncius *de matri. lib. 3. c. 17. n. 7.* & alij. Quod tamen intelligendum putant, nisi vir ea intentione vxorem repulisset, alimentisque priuasset, vt necessitate compulsa adulterium cõmitteret; quia eo casu adulterium vxoris marito est voluntarium; perindeque est, ac si adulterio consentiret.

3. Sed si quæras hic, an si vxor metu graui cadenti in constantem virum fornicetur, talis fornicatio sit causa diuortij, & per illam à marito separari debeat? Et negatiuè respondet Abbas *cons. 3. n. 3. volum. 1.* Rosella *verb. adulterium n. 5.* Sylueſt. *ibi, q. 10.* Armilla, *num. 5.* Tabiena *q. 1. n. 3.* Graffis, *2. part. decis. lib. 1. cap. 12. n. 72. casu 2.* & inclinat Gregor. Lopez *leg. 7. verb.* Por fuerça *tit. 9. part. 4.* Et probabile censet Sanch. *lib. 10. disp. 5. n. 13.* quia non ex malitia, & dolo, quod videtur requisitum iuxta *l. penultim. ff. ad leg. Iul. de adult.* commissum est: & fauet August. in *c. proposito 32. quæst. 5.* excusans Lucretiam ab adulterij crimine, non quoad culpam, sed quoad pœnam, eo quod metu coacta sit. Sed huic opinioni non assentior. Dico igitur, illam vxoris fornicationem esse sufficientissimam diuortij causam, posseque maritum illam fœminam iure optimo à se repellere tanquam adulteram, quia metus ille, quantumuis grauis, non excusat fœminam illam à culpa mortali, (cum teneatur potius pati mortem, quam fornicationem subire) ergo nec à pœnis adulterij debitis. Et ita tenet, Coninch *disp. 35. dub. 2. n. 10.* Sanch. vbi suprà, *n. 1.* & Henriquez *lib. 11. cap. 17. n. 3.*

RESOL. CCXXX.

An ex parte fœminæ tactus impudici, & pollutio inducant iustam causam diuortij?

Et infertur, an concubitus cum fœmina mortua præbeat causam ad celebrandum diuortium? Ex part. 11. tr. 5. & Misc. 5. Res. 46.

§. 1. AFfirmatiuam sententiam tenet Dicastillus *de Sacram. tom. 3. tr. 10. disp. 10. dub. 2. n. 11.* sic asserens. In primis distinguendum inter virum, & vxorem spectata communi hominum æstimatione, quia licèt concederemus nó posse vxorem separari à viro talibus impudicis tactibus indulgente cum alia persona, non videtur æqua conditio vice versa, neque enim tam turpe, & indecorum est vxori, quod viripsius talia commiserit cum alia persona, quàm est turpe marito, & ignominiosum, quod tales tactus impudicos admiserit vxor cum alio viro, nec censetur æquiualens compensatio in sola negatione similium tactuum, maximè cum vix tales tactus negari possint, si negari non potest solutio debiti, ad quam solutionem ij tactus excusari non possunt; imò debiti esse possunt casu, quo putentur necessarij ad coniugalem copulam debitã. Præterea, quantò coniuges sunt altioris, & nobilioris dignitatis, tantò plus crescit iniuria in similibus tactibus admissis, ex parte vxoris cũ alio: nec tamen in cõmuni existimatione tanto plus crescit ex parte viri, cùm videamus Principes non Illustrissimos tantùm, & Excellentissimos, sed Serenissimos viros indulgere eiusmodi leuitatibus, & impudicis iocis, & tactibus. Imò aliquando id ipsum audere spectante vxore, nec censetur tunc nimis ignominiosũ vxori hoc videnti, & patienti: cùm tamen è contra si faceret id vxor, iniuria esset grauissima comparatione viri, idque adhuc amplius cresceret, si cum viri aliquo famulo, aut mancipio. Quis ergo dicat maritũ in eo casu tantùm posse in doloris, & iniuriæ compensationẽ similes aliquos tactus vxori

vxori petenti negare? Ego sanè saluo meliori iudicio, non nimis asperum, aut rigidum putarem esse talem virum, qui non solùm à cæteris aliis actibus cum ea abstineret, sed à coniugis impudicæ consortio se subduceret. Vt interim omittam, non nimis temerarij suspicaturum virum, talem fœminam in huiusmodi tactibus deprehensam, vlterius non modò fore progressuram, si occasio detur, sed iam prius fuisse progressam. Verùm hæc omnia relinquo in medio aliorum iudicio, maximè iudicum Ecclesiasticorum, ad quos pertinet, si res ad forum externum deferatur de simili diuortio faciendo, aut nõ faciendo pronũciare.

Sup. hoc in Resol. not. præteritæ, §. vlt.

2. Quod si pollutiones tam in viro, quàm in fœmina coniugatis cum complice probentur, aut nota sint fuisse, non video ita facilè quomodo possint ij Auctores asserere non licere ob eam causam diuortium facere. Quamuis autem Christus solùm assignauerit fornicationem pro causa dimittendi, non ideò affirmandum est solùm eam causam sufficere, cùm omnes, aut plerique concedamus (vt videbimus) etiam propter sodomiam, aut bestialitatem posse fieri diuortium, & talia nomine fornicationis comprehendi censentur, ergo etiam pollutio cum alia persona poterit comprehendi. Hucvsque Dicastillus.

3. Sed aduersus illum stant communiter Doctores, Busenbaum *in medulla Theol. moral. l. 6. tr. 6. cap. 2. dub. 3.* Sanchez *lib. 10. disp. 4.* Pontius *lib. 9. cap. 16.* Coninch *disp. 34. dub. 1.* Perez *disp. 56. sect. 1.* quibus adde Doctores quos citat, & sequitur Leander *de Sacram. to 2. tr. 9. disp 6 9 8. 9. & 10.* cum Ioanne de Soria *in epilogo summarum part. 2. tr. 1. sect. 1. disp. 10. §. circa diuortium*, Martino de San Ioseph *in mon. confess. tom. 1. lib. 1. tract. 57. de matrim. n. 4.* & aliis qui negant contra Dicastillum ius diuortij consistere in iniuria facta coniugi, sed solùm in diuisione carnis, quæ non accidit in supradictis casibus.

4. Ex his infertur decisio casus curiosi; An concubitus consummatus cum fœmina mortua præbeat causam ad celebrandum diuortium? Affirmabunt, qui affirmant peccatum mollitiei tam viri, quàm vxoris esse causam iustam diuortij, vt Dicastillus *vbi suprà*, & alij. At ego respondeo non præbere causam ad diuortium celebrandum. Quia præfatus concubitus non est propriè fornicatio, sed concubitus cum statua mulieris: vnde huiusmodi accedens, nec vnitur alteri, nec diuidit carnem suam cum tertia persona. Ita Leander *supra quæst. 5 22.* qui citat Sanchez, Bonacinam, & Filliucium.

Sup. hoc late in tom. 8. tr. 6. Resol. 6.

RESOL. CCXXXI.

An quando mulier prudenter putauit maritum mortuum esse, si fornicata sit, & vir superueniat, possit ex hoc ipso petere diuortium?

Et quid, quando existimans eum, cum quo rem habuit, esse proprium maritum, aut si per vim absolutam cogitur, & opprimitur ab alio?

Et an quemadmodum maritus carnaliter cognoscendo eius vxorem post adulterium ab ea commissum, censetur remisisse adulterium quoad effectum petendi separationem matrimony, ita & è contra vxor patiendo se carnaliter cognosci à marito adultero, &c?

Et in textu huius Resolutionis cursim apponuntur septẽ casus, in quibus notatur licere diuortium ob alias causas præter adulterium, sed hæc separatio non debet in perpetuum fieri? Ex part. 11. tr. 5. & Misc. 5. Resol. 47.

Sup. primo, §. 1. secundo, & tertio contẽtis in hoc §. ad literã supra in Resol. 163. §. Nota

AFfirmatiuè respondet Dicastillus *de sacram. tom. 3. tr. 10. disp. 10. dub. 3. n. 39.* vbi sic ait: Quando vxor tantùm materiale adulteriũ commisit, non existimans eum, cum quo rem habuit esse proprium maritum, aut credens esse mortuum, non est sufficiens causa faciendi diuortium. Item quando per vim absolutam cogitur & opprimitur ab alio. Ratio est, quia in his casibus nulla formalis culpa, vel iniuria contra fidem matrimonij committitur. Vnde par non est, quòd aliquid detrimenti patiatur absque vlla sui culpa. Hanc doctrinã pro illo casu, quo vxor accessit ad alium, cum quo matrimonium cõtraxit inualidum quidem, sed bona fide, verissimam puto non minus, quàm pro casu, quo per vim absolutam præcisè cogitur, & pro casu, quo prudenter putauit illum, quem admittebat, esse proprium virum. Tamen pro casu, quo illa, licèt formaliter adulterium non commiserit, tamen formaliter fornicata est, nempe quando prudenter putans maritum longè absentem obiisse, cum alio fornicata est, sciens illam esse fornicationem, putans tamen non esse adulterium: non videtur tunc ita certum non posse maritum ab illa diuertere, si postea superueniens id sciat, maximè, si illa etiam prolem suscepisset, vel prægnans esset ab amasio. Durissimum namque videtur hominem (maximè honestum, ac nobilem) si non adulteram formaliter, saltem formaliter & propriè fornicariam, aut etiam illegitimè prægnantem admittere. Vnde saluo meliori iudicio, mihi non videtur improbabile, saltem si res sit nota, vel publica, non teneri cum tali vxore cohabitare: neque enim videtur cum tanto suo dedecore obligari ad eam cohabitationem, maximè in iis Regionibus, in quibus turpe est talem vxorem admittere, aut habere. Nam cùm lex cohabitationis, aut tori non ita strictè obliget, quin vel propter magnum damnum euadendum, vel propter aliquam aliam vrgentem causam, censeatur quis ab ea obligatione quandoque liber: non video cur talis hæc causa non sit, scilicet, vt euitet illam ignominiam, quam in sua patria, & vbi notus est, subiret, maximè si non facilè in aliam simul cum vxore migrare posset, sed solus ipse. Neque ad illam secum adducendam magnis sũptibus, vel laboribus videtur in tali casu obligandus; satis enim est, quod quantum fieri potest, non omninò vxoris curam relinquat: sed de necessariis ad vitã transigendam prouideat absens, quin cogatur secum præsentem habere mulierem non castam, & iusti doloris perpetuam causam. Verùm hæc aliorum iudicio relinquo, solumque meam sententiam sincerè volui explicare, quam liberius affirmarem. Ita Dicastillus.

secundò, sed ibi additis aliis DD. & hic infra in §. Tertius Quartus, & Quintus.

2. Sed puto non esse recedendum à negatiua sententia, quam præter alios tuetur Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 5. de indissolubilitate Matrim. dub. 12. n. 92.* vbi sic asserit: Dicta intelligũtur quando pars peccauit: si enim sit immunis à culpa, non potest dimitti, vt si fuerit vi oppressa, si cognita ab aliquo fingente se esse eius maritum, cuius dolum non potuerit deprehendere, si adhibita diligentia bona fide existimarit maritum obiisse, ideoque alteri matrimonio iuncta est, & ab eo cognita: immò idem dicẽdum videtur etiamsi cum alio fornicetur, quia talis actus non continet formaliter violationem fidei coniugalis. Ita ille; cui adde Layman *lib. 5. tr. 10. cap. 7. n. 13.*

3. Sed hîc obiter quæro, an quemadmodum maritus carnaliter cognoscendo eius vxorem post adulterium ab ea commissum, censeatur remisisse adulterium quoad effectum petendi separationem matrimonij, ita è contra vxor patiendo se carnaliter cognosci à marito adultero. Et videtur affirmatiuè respondendum, nam quoad diuortium pares sunt vir, & vxor, & probatur ex natura correlatiuorum, quorum est, vt dispositum in vno censeatur in alio dispositũ, iuxtà terminos *tex. in l. fin. C. de in dict. viduit.* & latè per Franch. *in decis.* 180. vbi refert fuisse decisum in dispositũ vno, & correlatiuis, cẽseri pariter in reliquis dispositũ. Nec obstat dicere, quod Matt. 19. Christus Dominus solius viri mentionem faciat, non tamen illi soli competit ius discedendi ab vxore, sed in hac

parte paria sunt iura viri, & mulieris. Solius verò viri, mentionem facit, quod congressus cum Pharisæis id solum postularet: nam, vt patet ex Matth. 19. ij de solo marito agebant, inquirentes num liceret vxorem qualibet ex causa dimittere.

4. His tamen non obstantibus Aloysius Riccius *in decisionib. Curiæ Archiepisc. Neapolit. tom. 4. decis. 224. n. 3.* testatur contrarium fuisse decisum in illa Curia, vt scilicet mulier mulierem patiendo se cognosci à marito adultero, non censeri illi remisisse adulterium, cuius decisionis ratio fuit, quia non censetur identitas rationis in vtroque casu, & proinde diuersum ius dici debet, & etiam quia conclusio supra enarrata procedit in viro se commiscente cum vxore adultera, vt censeatur illi remisisse adulterium, sed non è contra, cùm mulier sit in viri potestate, nec sit vxoris corripere virum, Graff. *decis. aur. cas. consc. lib. 2. cap. 83. n. 6.* & Marceraten. *cit. decis. seu resol. 32. part. 1.* non obstant in contrarium aduersa, quoniam procedunt, vt loquuntur in casu diuerso, & proinde non esse faciendam extensionem argumento *glos. in cap. odia, de reg. iur. in 6.* Hucusque Riccius.

Nota hìc obiter, in sequentibus virum non posse vxorem adulteram dimittere.

Sup. hoc primo supra in Resol. 224. §. Notanda sunt.

5. Primus, si vir quoque adulterium commiserit *cap. intelleximus cap. & fin. de adult.* Quia propria delicta mutua compensatione tolluntur.

6. Secundus si vxorem prostituerit, *c. Discretionem*, de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ.

Sup. hoc tertio, quarto, & quinto seqq. supra in §. 1. & 2. huius Resol. & in alio eius primæ not.

7. Tertius quando vxor bona fide existimans primum maritum esse mortuum, nupsit alteri, à primo dimitti non potest. 34. q. 2. *can. cum per bellicam.*

8. Quartus, quando aliquis fraudulenter sub specie mariti illam cognouit, *can. in lectum. 34. quæst. 2.*

9. Quintus, si vxor vi & violentia opprimatur. 32. *quæst. 5. can. Propositio*, quia vbi non est culpa, pœna esse non debet.

Sup. hoc superius in Resol. 14 §. Notandum tamen. cursim ad lin. 5. vers. Patet.

10. Sextus, si post commissum adulterium, vir adulterij conscius eam cognouit 32. q. 5. *c. si quis vxorem.*

11. Septimus additur, quando repudiata fuerit vxor ante Baptismum, si ambo ad fidem conuertantur, licet fuerit à secundo viro ante baptismum cognita, priori nihilominus erit concilianda, *c. gaudemus, de diuortis.* Et ita docent Authores citati, & præsertim Petrus Binsfeldius *in Enchirid. Theolog. Pastor. par. 1. cap. 18. §. 5. concl. 8.*

12. Nota secundò licere diuortium ob alias causas præter adulterium, quas enumerat præter alios Dicastillus *vbi supr. dub. 5.* per totum, constat ex Trident. *sess. 24. can. 8. de Sacr. matr. & ex cap. litteris 13. de restitut. spoliator.* hæc tamen separatio non debet in perpetuum fieri, sicut ea, quæ causa fornicationis, vt ex eodem Tridentino satis colligitur; Itaque in his casibus, & similibus separatio non perpetua fieri potest, quamdiu talia pericula durabunt, præterquam in casu hæresis, de quo ex iuris dispositione separationē esse posse perpetuam, sed subdit Dicastillus *vbi supra n. 69.* non possum non videre aliquas ex his causis vix tuto posse credi certasse omninò. Insanus & furiosus quàm facilè solet iterum insanire? venefica, præsertim venefica leuem sexu fœmineo, quis tuto credit non redituram ad vesaniam? Qui ita crudelis est, vt subita ira abreptus aliquando periculosè vulnerauerit vxorem, sæpè solet ita corripi, quis credet in posterum fore pacificum? Qui coniugem nactus est energumentū, vel arreptitium, & sæpè huic miseriæ obnoxium, quis credat penitus liberatum? Ille, cui semel vxor dedit venenum, vnde potest esse in posterū tutus si cibos comedat, quos ipsa parauit, & habitent simul? Itaque in praxi vix potest credi hæc, & similia penitus certasse. Præterea quis vult cogere coniugē innocentem honestissimæ & aut etiam illustrissimæ conditionis cohabitare cū coniuge infame ob etiam læsæ maiestatis, etiam humanæ, cui Princeps tantum vitam condonauit, reliquis bonis & honoribus spoliato: Vnde quando Christus Dominus designauit fornicationis causam, loquebatur de re communiter, imò frequenter contingenti, & omniū celeberrima. Non idcò exclusit alias, quæ vel perpetuæ sint, vel tales esse posse prudenter credatur, aut timeatur. Hucusque Dicastillus.

RESOL. CCXXXII.

Aliqua notabilia, & sex casus circa diuortium matrimonij obseruantur? Ex part. 11. tr. 5. & Mes. 5. Resol. 17. per tot.

§. 1. NOta primò coniugem innocentem posse, si velit, adulterium reuocare post diuortij celebratum etiam sententia iudicis, dummodo alter ex facultate innocentis expressa, vel tacita non vtelegerit statum incompossibilem cum vita maritali: Ratio est, quia, vt dicebam, sententia diuortij tantùm statuta est in fauorem innocentis, vnde tandiu ea separatio durabit, quandiu innocenti placuerit, ita Doctores quos citat & sequitur Sanchez *lib. 10. disp. 10. n. 3.* quibus adde Reginald. *tom. 2. lib. 31. n. 65.* Gutierrez, *de matrim. c. 120. n. 14.* & alij.

2. Nota secundò coniugem adulterum non posse post diuortium siue priuata auctoritate, siue iudicis sententia validè transire ad Religionem, vel licitè ad Sacros Ordines inuito innocente, de licentia verò coniugis innocentis, tacita vel expressa, poterit nocēs transire ad professionem, vel Sacros Ordines: & quidem de expressa licentia, nulla est difficultas, omnesque Doctores; de tacita verò dubitari potest, quando censeatur facta ab innocente, & omissis aliis mihi placet si post sententiā diuortij adulter sæpius, & instanter petat ab innocente per se, vel per idoneas interpositas personas reconciliationem, eamque innocens constanter negligat censeri tunc factā facultatem ingrediendi religionem, vel transcundi ad Sacros Ordines; imò quotiescumque ex signis aliquibus prudenter colligi potest obfirmatus animus innocentis nunquam admittendi reconciliationem poterit, iuxta citatos authores, ad religionem vel Sacros Ordines transire: censetur enim concessisse prædictam licentiam, atque adeo postea omissa iam professione, vel susceptis sacris Ordinibus, non poterit ab innocente reuocari.

3. De ipso verò innocente remanente in sæculo, postquam adulter ingressus est religioné, vel Sacros Ordines susceptit, mihi placet non teneri vel religionem ingredi, vel votum castitatis emittere: id enim nullo iure probatur, nam *in cap. sanè, &c. significasti, de conuersione coniugatorum*, solùm agitur, de voto sic emittendo, aut ingredienda religione, quando matrimonium est integrum, & illæsum, non verò quando factū est diuortium. Et hæc omnia docet Dicastillus *de Sacram. t. 3. tr. 10. disp. 10. dub. 8. n. 86.* quietiam subdit hoc ipsum locum habere in adultero: nam quando innocens ingreditur religionem, vel Sacros Ordines susceipit, non tenetur adulter manens in sæculo votum castitatis emittere, aut ingrediendi religionem, quia non comprehenditur propter rationem dictam in casu prædictorum textuum.

4. Nota tertiò, plures Doctores putare, maritum non teneri dimittere vxorem adulteram quæ non vult emendari, esseque mortale, si hoc non faciat. Ita Lessius *de matr. q. 62. art. 2. concl. 2.* & alij: Mihi placet primum non teneri maritum (nisi fortè in rarissimo casu) vxorem dimittere, quantumuis in adulterio (etiam publicè) persistat. Ita Sanch. *cit. disp. 13. dub. 3.* & Perez. *sup. sect. 4. n. 3. & 4.* & Ratio est, quia vel tenetur præcisè ratione adulterij, vel ratione scandali, vel ratione

tione correctionis fraternæ, cuius præcepto obligetur, ex nullo horum capite tenetur; aliud non apparet: ergo absolutè nõ tenetur. Dixi in casu rarissimo, fieri enim potest aliquando, quando dimissio sit apta ad emendationem absque vllo alio periculo, vel etiam sit apta ad vitandam prædictam suspicionem conniuentiæ & tolerantiæ, neque marito sit valde incommoda vxoris dimissio; nec aliud medium facilè inueniatur, aut tentata alia non profuerint, in quo casu non negauerim, neque negant authores nostræ sententiæ illam posse dimitti, imò debere.

Sup hoc in Resl. not. præteritæ. §. vlt.

5. Quæ dicta sunt de viro, à fortiori procedant in vxore, adeò stricta obligatio incumbit corrigendi virum in adulterio persistentem.

6. Nota quartò, quoad obligationem alimentandi adulteram sic asserere Martinum de San Ioseph *in monit. confess. to. 1. lib. 1. tr. 36. de matr. n. 7.* [Por el adulterio no està obligado el marido à negar alimentos à la muger adultera, porque en esto ny ay escandalo, y sino tuuiesse ella padre, ò persona, que la sustentasse, se le daria ocasion de ser peor. Sic Villalobos *tract. 15. difficult. 2. num. 5.* pero si quisiere podrà negarselos, pues puede priuarla de todo lo que le deue en quanto marido; Sanchez *lib. 10. disp. 8. n. 25.* cum aliis. Pero esto se entiende en el fuero oculto, que en el fuero exterior mientras no huuiere sentencia de diuorcio, le obligaran à que le dè alimentos.] Sic ille.

Alibi supr. in Resl. 227. latè à princip. & cursim in alio §. eius primæ not.

7. Nota quintò, me alibi contra Sanchez & alios docuisse, teneri; Ita cum aliis etiam me citato docet, nouissimè Leander *de Sacr. to. 2. tr. 9. disp. 26. q. 23.* cui adde Martinum de San Ioseph *in monit. confess. tom. 1. l. 1. tr. 58. de matri. n. 4.* Ioannem de Sotia *in Epileg. summar. p. 2. tr. 1. sect. 1. disp. 10. §. circa diuortiũ*, Dicastillum *de Sacr. tom 3. tr. 10. disp. 10. dub. 3. n. 31.* Perez *de matrim. disp. 60. sect. 3. n. 5.* Remigium *vbi infra*, & alios. Et ratio est, quia iniuria ipsi, qui fuerat innocens, facta, compensatur per adulterium postea à se commissum contra alterum, quæ ratio locum habet, etiamsi diuortium factum fuerit interueniente sententia iudicis, & transierit in rem iudicatam: nam quantumuis præcesserit sententia, & factum fuerit diuortium, adhuc innocens adulterando infert iniuriam coniugi priùs dimisso. Vnde vna iniuria compensatur cum alia; ac proinde ius innocentis viuendi absque consortio alterius cessat, quia innocens per eam sententiam, aut diuortium semel seruatum non acquisiuit ius adulterandi, sed tantum declaratũ fuit, & executioni mandatum ius illud, quod habebat diuertendi ab altero coniuge adultero.

Sup. hoc ibidem.

Sup. hoc supra in Resl. 224. §. Notanda sunt, cursim ante medium.

8. Et tandem nota sextò, virum non habere ius petendi diuortium ab vxore propter adulterium etiã publicũ, si ipse commisisset adulterium licèt occultum; vnde rectè Remigius *in prax. confes. t. 5. c. 8. §. 28. n. 7.* sic ait; [Pero aduiertan à qui los penitẽtes, y Confessores, que para que el vno de los casados pueda segura, y licitamente apartarse del compañero, hà de ser totalmente innocente, y libre del adulterio: de manere que si tãbien le huuiesse cometido, aunque, secreta, y occultamente viene à perder el derecho que tenia de poder celebrar diuorcio, y pecar mortalmente, por ser cosa grauissima dissoluer el matrimonio quanto à la cohabitacion, sin sufficiente cosa. Es de tanta verdad esta doctrina que enseñan graues Autores, que el casado que comete adulterio, antes, y aun despues de dada la sentencia del diuorcio, que da con obligacion de reconciliarse con la adultera; *quia sententia diuortij respicit statum præsentem, iuxta quem lata est.* Punto es este en que han de reparar muchos de los casados, pue hallandose por causa de diuorcio libres de la mutua cohabitaciõ, no hazen escrupulo de seguir sus deprauados antojos, y de traspassar la lealdad que han prometido en celebrar esto Sacramento del matrimonio; y les deue auisar el Confessor, que traten de reconciliarse, pues han hecho igual iniuria al cõpañere separado.] Ita ille. Et hæc omnia notentur, quia non infrequenter possunt in praxi accidere.

RESOL. CCXXXIII.

An detur casus in quo mulier teneatur reuelare filium spurium cum periculo vitæ, & famæ?

Et an huic mulieri non debeatur denegari absolutio, & pœnitentia, si nolit reuelare tale delictum? Ex part. 11. tr. 2. Misc. 2. Resl. 33.

Sup. hoc in Resl. seq. & infr. in §. vlt. huius Resl. & in fine alterius Resl. eius not.

§. 1. REspondeo, quod aliqui affirmant adulterã debere reuelare filiũ esse spurium, alij negant. Qui affirmant diuisi sunt. Aliqui enim dicunt adulteram hoc reuelare debere filio spurio, & inducere eum ad dimittendam hæreditatem vero hæredi, & hæc est opinio Richardi in *quolib. 4. dist. 14. art. 5. q. 4. ad 4.* Alij vero dixerunt adulteram debere reuelare hoc marito, vt assignet hæreditatem vero hæredi. Et hæc tribuitur Hostiensi in *summa, qua dicitur copiosa l. 5. tit. de pœnis, & remiss.* atque communiter Maior in 4. *dist. 15. q. 17.* Andr. *q. 1. de rest. ad 5.* dicunt cum discrimine vitæ, & famæ teneri ad reuelationem suæ culpæ. Alij dicunt quando hæreditas est ampla & copiosa, e. g. Marchionatus, Ducatus, Regnũ, Comitatus, & huiusmodi teneri ad reuelationem sui criminis, non obstante periculo vitæ & famæ, hanc tenent Soto in *l. 4. de Iust. & Iure q. 7. art. 4.* ad secundum Couarruuias *regula peccatum p. 1. n. 6.*

Sup. hoc in Resl. not. præteritæ, §. Sed circa. & seq. & in aliis §. eius annot.

2. Sed hæ opiniones mihi non placent, quia omnes conueniũt in hoc, quòd mulier huiusmodi adultera cum discrimine vitæ & famæ teneatur ad reuelationẽ sui delicti, licèt deinde in modo reuelandi, & causa discrepẽt. Scotus ergo has opiniones in particulari impugnat ex fundamento generali; Et primò modum dicendi, Henrici, qui dicebat reuelari debere hoc crimen filio spurio sic; aut filius credet matri, aut non; sic credet non est probabile, quòd propter hoc velit hæreditatem dimittere: quia pauci inueniuntur, qui ita perfecti sint, vt propter iustitiam seruandam in foro conscientiæ dimittant magnas possessiones, quas in foro exteriori tenere possunt. Neque mater potest præsumere filium hoc facturum, nisi multum experta esset voluntatem filij. Cùm ergo incertum sit ex hac reuelatione facta filio, sequuturam fore correctionem filij, & restitutionem habituram esse effectũ, non debet se exponere periculo certo diffamationis apud suum filium. Si verò filius non crederet, tunc sequerentur duo mala. Primum diffamatio ipsius mulieris. Secundũ quia ille filius teneret hæreditatẽ vt prius, & tamen haberet aliquam cognitionẽ quòd ad ipsũ nõ pertinet, & quòd est res aliena.

3. Contra secundum modum dicendi, scilicet quòd teneatur reuelare marito, arguit: quia ex hac reuelatione sequeretur. Primò, quod mulier se diffamaret apud maritum; deinde ex hoc exponeret se periculo mortis propriæ; deinde exponeret maritum periculo vxoricidij: quia talis posset esse adeò zelator sui honoris, quod illam occideret, vt multi faciunt, vel saltem illam perpetuo odio haberet, & à se, & ab actu coniugij expelleret. Præterea si maritus crederet vxori, non posset à sputio referre hæreditatẽ, nisi in foro publico probaret filiũ esse spurium, & tunc mulier diffamaretur etiam coram tota patria. Ad ista autem omnia mala, quæ probabiliter euentura essent (vt in pluribus eueniunt) non debet se mulier exponere propter incertum bonum hæreditatis restituendæ.

4. Contra omnes autem in generali tenentes illam opinionem, siue hæreditas sit magna, siue exigua, siue mulier sit valde nobilis, siue nõ, facit ratio ista, Quòd bona superioris ordinis plus valẽt, quàm bona

na inferioris ordinis, vt supra, agendo de quando restitutio est faciẽda, *casu* 4. ostendimus. Vita corporalis autẽ & fama sunt bona superioris ordinis, vt patet: ergo vita & fama non sunt commutãda pro quãtumcũque magnis bonis fortunæ. Hæc est sententia communis, quã cum Scoto tenent Gabriel in 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 2. D. Antonius *p.* 2. *tit.* 2. *cap.* 7. § 4. Caietanus *in summa verbo Adultera*, Angel. Syl. *eodẽ verbo q.* 1. Medina *de rest. q.* 3. *concl.* 2. *causa* 4. Azor. *lib.* 5. *c.* 6. *q.* 2. & Canonistæ in *c. offic. de pœn. & remiss.* Hæc assertio præter rationem efficacem adductam, confirmatur apertè *c. officij citato:* Nam ibi Papa decernit, quòd mulieri quæ supposuit partum marito nõ habenti filios, ne possessio aliò deuoluereturtur, nolenti detegere hoc facinus marito, nõ debet denegari pœnitentia, & absolutio, sicut nõ debet denegari, mulieri quæ concepit ex adulterio, nec volenti detegere suum crimen, non est deneganda pœnitentia, & absolutio. Est ergo hæc sententia absque dubio vera.

Sup. hæc pœnitentia, & absolutione lege §. Hinc, & seqq. Resol. seq.

5. His tamen non obstantibus. Ego puto posse dari casum, in quo mulier teneatur manifestare filiũ spurium marito cum periculo famæ & vitæ, & casus est, vt optimè obseruat Magister Marcus Serra in 2. 2. *D. Thom. q.* 62. *art.* 6. *dub.*. Quando bonum commune periclitaretur: vt si filius adulterinus esset noxius Regno, compelleretque subditos à fide apostatare, se ipsam mater detegere teneretur; sed hæc obligatio non esset iustitiæ commutatiuæ, sed legalis, vel charitatis; qua bonum commune præferri debet bono proprio. Ita ille, licèt Hurtadus *de inst. disp.* 11. *diff.* 20. existimet in tali casu, non solùm ratione charitatis, sed teneri ad id ex Iustitia commutatiua.

Et pro contento in hoc §. vlt. ibid. §. Sed aliqua. & in tom. 8. tr. 7. Resol. 65. in fine, & hic supra à principio huius Resol.

RESOL. CCXXXIV.

An teneatur adultera aliquando reuelare peccatum suum, vt impediat damna legitimorum hæredum?

Et asseritur filium non teneri aliquando credere matri attestanti in articulo mortis se esse adulterinum?

Et docetur non solum adulteram, sed etiam adulterum teneri ad restitutionem dictorum damnorum in hæreditate?

Et datur Regula confessario, quomodo se gerere debeat in supradicto primo casu?

Et tandem notatur, quod si duo cognouerunt eamdem mulierem, ita vt plane incertum sit, quis eorum sit pater, an vterque ex æquo debeat concurrere ad prolis sustentationem, & ad restitutionem faciendam marito, & filiis eius, si mulier fuit maritata, & cognoscitur certo, quod filius non sit legitimus, &c? Ex part. 11. tr. 6. & Misc. 6. Resol. 56. alias 55.

§. 1. CAsus potest accidere, & in facti contingẽtia torqueret confessariorum ingenia, ad illum certò sic respondet Doctissimus Pater Ioannes Pontius *in suo curs. Theol. disp.* 32. *q.* 7. *concl.* 6. *num.* 44. adultera si non possit ex suis aliter prouidere damno sequenti filiis veris, ex eo quo adulterinus putetur verus, quam reuelando peccatum suum, tenetur quandoque id facere, quandoque non tenetur. Hæc videtur communior re ipsa.

Sup. hoc latè in Resol. præcedenti, & in tom. 8. tr. 7. Resol. 65. prope finẽ, vers. Ex his adultera.

2. Probatur prima pars, quia si damnum sequens filiis veris sit notabiliter maius, quàm sit damnum infamiæ quod solum sequeretur, in casu quo reuelaret peccatum, vt contingeret quando, qui putaretur primogenitus ad quem spectaret ampliſſima hæreditas; esset adulterinus, & nisi mater reuelaret ipsi peccatum suum, secundus filius legitimus qui esset verè primogenitus Patris priuaretur illa hæreditate; certè nemo est qui non existimet infamiam, quam incurreret apud filium, longè inferius malum esse, quàm iactura tantæ hæreditatis, & consequenter si per talẽ reuelationẽ efficeret, quod primogenitus putatitius ingrederetur religionem, & sic hæreditas perueniret ad verum hærẽdem, omnino apparet matrem obligari ad subeundam illam infamiam, si tamen nõ existimet filium crediturum, & consequenter non prosuturam reuelationẽ, non debet reuelare crimen ipsi, non enim debet se infamare absque vtilitate vlla.

Sed circa hoc dubitaretur, an filius debeat credere matri id dicenti.

3. Sotus videtur tenere, quod non: sed intelligendus est, quando aliundè non constat moraliter, quod dicat verum, sicut existimarem constare quando in articulo mortis mater id diceret, & nõ constaret aliunde, quod duceretur affectu particulari erga alios filios: debet enim videri moraliter certũ, quod in tali casu dicendo mendacium, & præiudicando filio, non exponeret se periculo æternæ damnationis.

4. Probatur iam secunda pars: quia si reuelando incurreret periculum mortis, vt aliquando posset contingere, apparet eam non teneri ad reuelationem; quia quodcumque detrimentum sequens aliis filiis non accedit ad iacturam vitæ: vnde hæc non debet incurri, vt aliud vitetur. Hucvsque Pontius.

5. Sed aliqua ex dictis apud me habent magnam difficultatẽ & ideò ad id quod dicit, adulterã, quando ageretur de successione magnæ hæreditatis, teneri cum iactura famæ suam turpitudinem manifestare. Respondeo hoc non esse admittendum nisi in casu, quo adultera esset suspectæ conuersationis, vt eius fimæ iudicio prudentum paruæ sit æstimationis, tunc posset habere locum sententia Pontij & quorumdã aliorũ, qui dicunt damna obuenientia marito, & legitimis hæredibus aliquando posse iudicio prudentũ præponderare, aut æqualia esse famæ adulteræ, vt si agatur de magna, & notabili hæreditate, & tunc eam teneri cum periculo famæ factum suum manifestare, si credat probabiliter quod sic damna impedientur. Quod tamen non videtur admittendum, quãdo mulier absolutè, & simpliciter possidet bonam famam, vt tenet Lessius *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 7. *n.* 57. cum Io. Vvigers *de inst. tr.* 2. *c.* 4. *n.* 31. & Gaspare Hurtado *de inst. disp.* 11. *diffic.* 20. qui tamen in vno casu sententiã admittũt si fortè manifestatio adulterij aliquando profutura sit ad impediendam successionem filij adulterini in aliquo Principatu, qui ob suos perditissimos mores futurus est maximè nocuus Reipublicæ loco hæredis legitimi, qui non sit sic futurus nocuus, tunc adultera tenetur ad manifestationem veritatis, adhuc cum periculo vitæ, & non solum ex misericordia erga Rempublicam ad vitandum magnum damnum filius, sed etiam ex iustitia commutatiua erga legitimum hæredem, quia tunc non sufficit dictũ periculum ad excusandam eam ab obligatione impendendi damnum, cui ipsa causam oppoſuit.

Sup. hoc latè in Resol. præcedenti, & in tom. 8. tr. 7. Resol. 65. prope finẽ, vers. Ex his adultera.

6. Ad id verò quod Pontius supra asserit, filium non teneri aliquando credere matri testanti in articulo mortis se esse adulterinum. Respondeo hoc esse docere Hurradũ *loc. cit.* vbi sic asserit; Addimus filiũ non teneri credere matri manifestanti adulterinum (nisi ex circumstantiis conuincatur ad id, vt contingeret, si mater iurata in articulo mortis, & post susceptam Eucharistiam id affirmat tanquam certum) quia confitenti suum delictum, seu suam turpitudinem, non est credendum in præiudicium aliorum distinctorum ab ipso confitente, ex eo solum quod id manifestet, nisi id alias conuincat, eo tamen ipso quod filius absque suspicione prudenti credit matri, nequit hæreditatem adire vt pater: nec iam possessam retinere, nisi eam bona fide possederit tempore sufficiente ad præscriptionem. Ita Hurtadus, sed bene dixit hanc doctrinam multos non admittere.

7. Dico igitur quod ordinariè spurius non tenetur in conscientia credere matri dicenti illum esse spurium,

spurium, etiam mediante quocumque iuramento id confirmaret, aut in mortis articulo asseueret. Ita Mald. *supræ dub.* 10. Syl. V. *Adulterium n.* 5. Bannes *in* 2.2.*q.*62. *art.*6. Sarez *tom.*5. *de cens. disp.*50. *sect.*4. Azor. 3. *part. lib.*3. *cap.*7. *quæst.*5. & alij. Et ratio in primis est quia iura indicant, marti nō esse ea in re fidē adhibendam, vt patet *l. miles ff. ad leg. Iuliam de adulteriis & l. Filium* 6. *de his, quæ sunt sui vel alieni iuris.* Deinde, quia alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides, vt habet Regula iuris: quæ maximè locum habet, quando id cedit in alterius præiudicium. Vide *Gloss. ad cap. Officij de pœnitentijs, & remiss.*

Quoad hoc in Ref. præterita lege doctrinam §. Contra, signanter in fine.

8. Hinc infertur Confessarium debere vti magna prudentia ne vltra modum vrgeat adulteram in articulo mortis ad detegendum suum crimen: tum propter alia grauia incommoda; quæ inde sunt sequuta: tum quia rarò ad quidquam prof. fuit detectio adulterij. Quare sentio, ne quidem esse consulendum, nisi valdè moraliter certum esset ex pluribus circumstantiis quod sine aliis grauioribus incommodis sic possent auerti damna, quæ alioquin legitimis hæredibus sunt obuentura.

9. Adde ex Azorio, & Henriquez, neque consulendum esse vt adultera detegatur post mortem per confessarium de ipsius scilicet consensu dato: quia periculum erit quod vel proles adulterina: vel Confessarius ipse occidatur. Præterea haberetur violator sigilli confessionis, & etiam iniquæ diffamationis: nisi forsitan per scripturam, & signaturam defunctæ se posset defendere.

10. Dixi ordinariè, quia si proferrentur eiusmodi argumenta conceptus adulterini, quibus spurius in conscientia conuinceretur, ita esse, puta quia paterfamilias tempore conceptus abfuisse satis ostenditur: vel quia vt habet citata *l. filium* interueniente infirmitate, aut alia de causa tunc demonstretur abstinuisse ab vxore, vel ea valetudine fuisse, vt generare non potuerit, teneretur ab hæreditate, & seruare veros hæredes indemnes, vt notant Bonacina *supra*, & alij DD. sed si paterfamilias vixerit tempore partus, non apparet quomodo Spurius postea conuinci poterit, aliquid istorum subfuisse, cùm haud dubiè maritus ea facile animaduertisset & prolem ab initio tanquam illegitimam respuisset. Et omnia superius dicta docet etiam Ioannes Vvigers *loc. cit.* quæ quidem menti tenenda sunt à Confessarijs, & casuum conscientiæ Responsoribus, si quando casus in facti contingentia eis accideret.

Sup. hoc magis latè in Ref. seq.

11. Sed ad huius materiæ complementum notandum est contra Sotum, & Henriquez, communiter Doctores asserere non solum Adulteram, sed etiam adulterum teneri ad restitutionem dictorum damnorum in hæreditate. Verùm est, quod Adulter tenetur ad restitutionem expensarum in sustentatione suæ prolis adulterinæ, & dictorum damnorum in hæreditate, & in collatione dotis, quando est moraliter certus absque prudenti ratione dubitandi, quod proles illa adulterina sit sua: quando verò est dubium ad quem adulterum ex duobus pertineat, existente certitudine morali, quod vnum, vel ad alterum pertineat, vterque tenetur ad dictam restitutionem, quilibet ad restitutionem medietatis, & altero nolente, ad restitutionem totius pertinentis ad Patrem.

Sup. hoc infra in §. vlt. huius Ref. & in aliis eius not.

12. In casu autem dicto in quo tam adulter, quam adultera tenentur ad dictorum restitutionem, tenentur æqualiter, quia quilibet est causa principalis partialis damni, quia istud oritur ex adulterio, cuius vterque est causa principalis partialis, & quilibet tenetur ad restitutionem partis sibi correspondentis faciendam ei, qui totum damnum restituit, tenetur autē ipsam ex bonis, de quibus potest disponere, & si non habeat, vel non habeat sufficientia, tenetur ad suadendum marito, vt veros hæredes meliores, & etiam ad rem familiarem diligentius, quam alias tenebatur administrandum, & ad imminuendū sumptus sui corporis quantum conditio sui status, & valetudinis permittat, & si his, aut aliis modis satisfacere nequeat, tenetur quantum possit prolem adulterinā inducere, vt renuntiet hæreditati, vel in totum, si ad id induci possit, vel saltem in partem, siue statū Religiosum eligendo, vel aliter; maximè si hæreditas sit maioratus, & proles adulterina sit in eo successura, si ei non renuntiet, quia adultera, & adulter tenentur ad ea damna impedienda, vel resarcienda quacumque via commodè possint. Vide Hurtadū *loc. cit.* & alios.

Sup. hoc supra in fine §. Sed ad huius Ref. & in tom. 8. tr. 2. Ref. 14 & 15. & in tom. 6. tr. 3. Ref. 138. §. At etiam.

13. Et tandem pro curiosis hîc nota, quod Pontius *vbi supr. concl.*5. *n.*43. docet, quod si duo cognouerint eandem mulierem, ita vt plane incertum sit, quis eorum sit eius Pater; vel vterque ex æquo debēt concurrere ad eius sustentationē, & ad restitutionem faciendam marito, & filiis eius, si mulier fuit maritata, & cognoscitur certò quod filius nō sit legitimus: quia aliquis debet, & neuter potius, quam alter: ergo vterque, vel, quod scio factum aliquando, debent sortes mittere, & ille, in quem cadit, debet solus nutrire, & restituere; vel alio aliquo simili modo debent conuenire. Si tamen mulier ipsa posset congruenter sustentare ex suo, fortassis neuter teneretur concurrere: sed illa sola, quia, cùm dederit causam dubij iniustè, in pœnam huius meritò ipsamet videri posset habere totam obligationem.

RESOL. CCXXXV.

An adulter, qui filium suscepit ex adulterio, illumque relinquit inter filios mariti adulteræ, præter alimēta teneatur etiā occurrere damno hæreditatis, quæ legitimis adimitur, vel dāno dotis, (& ex hoc casu olim interrogatus fui) quam pater putatiuus tradidit puellæ spuriæ, credens eam esse propriam filiam?

Et notent confessarij, quod in isto casu adulter tenetur restituere saltem alimenta proli impensa à tertio anno ætatis & deinceps, quando parens tenetur filium alere, etiam si non fuerit causa suppositionis?

Ex part. 2. tr. & Misc. 3. Ref. 55.

§. 1. COmmuniter DD. respondent affirmatiuè. Ita Lessius *de iust. lib.*2. *c.*10. *dub.*6. *num.*46. Turrian. *in* 2.2. *tom.*2. *disp.* 30. *dub.*2. Finell. *de casib. reserv. cas.*10. *n.*18. Megala *in* 2.2. *lib.*1. *c.*2. *n.*13. Vazquez *opusc. de testam. cap.*5. §. 1. *n.*22. Rebell. *de oblig. iust. p.*1. *lib.*3. *q.*10. *n.*11. Malder. *in* 2.2. *tr.*3. *c.*4. *dub.*9. Iac. de Graff. *p.*2. *lib.*2. *c.*132. *n.*36. Azor. *p.*3. *lib.*5. *c.*6. & 7. Alphons. de Vega *in sum. tom.*1. *c.*13. *cas.*8. Aragon. *in* 2.2. *q.*62. *ar.*6. Rodriq. *in sum. tom.*1. *c.*188. *n.*1. Nauarr. *c.*16. *n.*40. Armilla *verb. adulterium, n.*7. Reginald. *in praxi tom.*1. *lib.*10. *c.*19. *q.*3. *n.*278. & alij, asserunt enim, adulterum, ex quo susceptus est spurius, teneri sicut adulteram ad resarciendum damna subsecuta. Ratio est, quia adulter, non minus quàm adultera, est causa talis damni.

Sup. hoc in Ref. præterita, §. Sed ad. sed lege eam per totam & non pigebit.

2. Verùm Dominicus Sotus *lib.*4. *de iust. q.*7. *art.*2. & Henriquez *lib.*1. *de matr. c.*11. *n.*3. qui citat etiam Pennam, docent etiamsi adulter agnoscat esse suam prolem, non teneri ad resarciendum damna legitimis filiis, modò ipse non fuerit author suppositionis. Ratio est, quia horum damnorum sola adultera est causa, quia ipsa filium adulterinum supponit tamquam filium legitimum, cùm tamen adulter non supponat: sed solùm tacendo permittat, vt filius adulterinus supponatur. Hanc opinionem, tamquam probabilē, amplectitur etiam Barthol. à S. Fausto *in speculo confessionis, disp.*23. *q.*8. *n.*8 qui affert hanc rationem, nam si adultera procuraret abortum, non diceretur adulter causa homicidij, quia ipse suppeditauit prolem, nisi

Sup. hoc in tom. 8. tr. 2. Ref. 15. in fine, à vers. Ex his.

nisi suasisset, vel adiuuisset. Ergo pari ratione nō censebitur causa suppositionis, ac proinde, nec damni ex suppositione sequuti; non enim videtur esse magis causa suppositionis, quàm abortionis, cùm neutrum consuluerit, & vtrumque ex libera voluntate adulteræ secutum est. Ergo nec ipse, sed mater tenebitur ad restitutionem. Hæc ille. Est igitur hæc sententia probabilis, licèt opposita sit probabilior, & tuta in praxi, vnde Pitigian. *in 4. sent. p. 2. disp. 15. q. 2. art. 5.* contrariam opinionem tantùm probabiliorem vocauit. Ergo secundùm Pitigianum, sententia Soti erit probabilis, sicuti etiam visa est multis recentioribus, vt testatur Lessius *de iust. lib. 2. c. 10. dub. 6 n. 43.*

3. Restat modò respondere ad argumentum oppositæ sententiæ. Dico igitur, adulterum non esse causam proximam illorum damnorum, sed remotam, cùm ipse non intenderit generare, sed solùm explere suam libidinem: adulteram verò esse causam proximam, quia partum spurium, tanquam legitimum marito suo supposuit. Ergo ipsa sola tenetur ad restitutionem. Norent confessarij, quòd in isto casu adulter tenetur restituere saltem alimenta proli impensa, à tertio anno ætatis, & deinceps, quandiu patens tenetur filium alere, etiamsi non fuerit causa suppositionis. Et ita etiam sentiunt ali qui viri docti de hac re consulti.

RESOL. CCXXXVI.

Quædam mulier multas pecunias per adulterium acquisiuit, quæritur, an marito sint restituendæ?
Et an prædictæ pecuniæ restituendæ sint saltem pauperibus, vel ei qui dedit?
Et quid, si tale pretium ab iis acceperit, qui potestatem alienandi non habent, vt Religiosi, filij familias, &c? Ex part. 2. tr. 17. & Misc. 3. Res. 7.

§. 1. Alentem sententiam affirmant non infimæ classis Theologi, quorum nomina accipe. Lud. Molina *de iust. & iure, tom. 1. tr. 2. disp. 94.* Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 10. c. 13. n. 19.* Pet. à Nauarr. *lib. 3. de rest. cap. 1. num. 136.* Bannez *in 2. 2. q. 62. art. 5. dub. 5.* & nouissimè Couarr. *in 2. 2. to. 2. disp. 14. dub. 1. n. 5.* Hi omnes asserunt, coniugatas omne pretiū per adulterium acquisitum debere reddere marito, ac si aliter laborando aliud acquisiuissent; volunt tamen occultè esse reddendū, vt propriæ famæ consulatur, & alia mala vitentur, nisi tamen tale pretium ab iis acceperint, qui potestatem alienandi non habent, vt Religiosi, filijfamilias, &c. Et ratio est, quia maritus est dominus corporis vxoris suæ quoad actus coniugales. Vide etiam Sotum *de iust. lib. 4. q. 7. art. 1. ad 2.* cum Bartholomæo à S. Fausto *in speculo confess. disp. 27. quæst. 11.*

2. Et licet hæc opinio tantorum virorum authoritate sit fulcita, semper tamen tamquā probabiliorem, contrariam sententiam tenui, quam nouissimè tenet etiam noster Megala *in p. 2. lib. 2. c. 32. quæst. ... n. 24.* Bonac. *de contract. disp. 1. q. 3. punct. 3. n. 12.* & Graffius *tom. 1. consiliorum, lib. 5. de furtis. consil. 2.*

Sed dices cum Rebellio *de obligat. iust. part. 1. lib. 3. q. 10. n. 1. & 2.* saltem propter iniuriam adulterij facienda est marito aliqua restitutio.

3. Respondeo cum Lessio *lib. 2. cap. 10. dub. 5.* ob adulterium non deberi aliquam restitutionem, quia non pro omni iniuria debetur restitutio pecuniaria, sed debetur pro iniuria, cum damno pecunia æstimabili.

4. Dices secundò, acceptum pro opere quod leges puniunt, est restituendū, vt est communis Iurisconsultorum, & Canonistarū opinio; sic Paulus, & Salicetus *in l. idem si ob stuprum, ff. de condict. ob turpē causam*, & Alexander *in l. generaliter, de verb. obligat.* & alij quos refert Couarru. *ad reg. peccatum, part. 2.* § 2. Sed adulterium à lege punitur. Ergo acceptum ob adulterium, si non marito, est saltem restituendum vel pauperibus, vt multi apud Couar. asserunt, vel ei qui dedit, vt vult Sotus, & Couarr.

5. Respondeo, hanc opinionem esse probabilē, vt ait Lessius *li. 2. c. 14. dub. 8. n. 60.* Sed contraria sententia tanquā probabilior est amplectenda, eamque tenet Lessius *loc. cit.* Azor. *p. 3. lib. 4. cap. 11. quæst. 2.* Vasq. *opus. de rest. cap. 7. dub. 2.* Syluest. *verb. restit. 2. §. 2. in fine.* Nauarrus *cap. 7. n. 134.* & alij. Probatur ratione, nam leges, quas aduersarij citant, licèt pœnas turpia rescindant, & tollant obligationem ciuilem, ob quam possit in iudicio peti promissum; non tamen reddunt irritam acquisitionem pecuniarum ex tali causa, nec faciunt inhabilem accipientem ad comparandum earum dominium. Dicendum est igitur ex dictis, posse mulieres coniugatas retinere sibi lucrum ex adulterio acceptum, neque restitutioni marito, vel aliis obnoxias esse. Salua, &c.

RESOL. CCXXXVII.

Aliqua practicabilia, & notabilia circa crimē incestus.
Primò, an si quis habeat rem cum muliere in tertio, & quarto gradu cum sua vxore coniuncta, sibique eodem gradu affine, impediatur à petitione debiti?
Secundo, si quis extraordinarie polluat fœminam aliquam emittens semen post extractum è vase naturali membrum, quamuis post modum casu illabatur semen in naturale vas, an nulla resultet affinitas?
Tertiò, an si semen alicuius viri ope dæmonis deferatur in vterum fœmineum, contrahatur affinitas, quia illi non sunt facti vna caro, nec sibi adhæserunt?
Quartò, an contrahatur affinitas, si vir seminet, fœmina vero non seminante? Ex part. 3. tr. 5. & Misc. 2. Res. 19.

§. 1. AN si quis habeat rem cum muliere in tertio, & quarto gradu cum sua vxore coniuncta, sibique eodem gradu affini impediatur à petitione debiti:

2. Affirmatiuè respondet Comitolus *in respons. lib. 1. q. 138. n. 2.* Sed tu tene contrariam sententiam, quia huiusmodi impedimenta sunt de iure Ecclesiastico, sed nullum ius Ecclesiasticum statuit incestum in tali casu à petitione debiti impedire; ergo. Et ita docet Nauarrus, quem sequitur Basilius Pontius *de matrim. lib. 7. c. 33. n. 6.* qui etiam *n. 2.* ait. Nota quòd si quis extraordinariè polluat fœminam aliquam, emittens semen post extractum è vase naturali membrum, quamuis postmodum casu illabatur semen in naturale vas, nulla resultat affinitas, licèt contrarium videatur docere Floronus *de casib. refer part. 2. casu 6. num. 18.* citans Graffium.

3. Nota etiam cum dicto Basilio Pontio contra Sanchez *lib. 2. disp. 21. n. 2.* quòd si semen alicuius viri ope dæmonis deferatur in vterum fœmineum, non contrahitur affinitas, quia illi non sunt facti vna caro, nec sibi adhæserunt.

4. Difficultas est, an contrahatur affinitas, si vir seminet, fœmina verò non seminet. Affirmatiuè respondent Sylvester *infra*, Floronus *vbi supra de cas. n. 28.* Fitellius *de cas. reser. cas. 10. n. 9.* Pontius *vbi supra*, vbi sic asserit. Parum autem refert ad affinitatem contrahendam, quòd fœmina seminet, vel non, cum eius semen ad generationem necessarium non esse sit constans opinio. Sed aliqui, vt notant Fitellius, & Floronus *vbi supra*, contrariam sententiam docent, putantes ad contrahendam affinitatem requiri concursum seminum, scilicet tam viri, quàm mulieris, &

& Sylueſter *verb. Matrim. §. q.* 15. pro hac ſententia citat Innocentium, Hoſtienſem, & Vgonem, quibus adde Caietanum *in* 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 11. & hanc ſententiam probabilem putat Sanchez *de matrim. to.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 21. *num.* 11. & Ioannes Suarez *in Enchiridio caſuum conſcientiæ lib.* 5. *verb. affinitas, §. ad contrahendam.* Ad rationem verò Baſilij Pontij poſſet quis reſpondere, quòd non eſt ita conſtans opinio illa, vt ſemen fœmineum non requiratur ad generationem, quin ſententia contraria non ſit probabilis, & illam acerrimè contra Ariſtotelem, non ſolùm tuentur medici, duce Hippocrate *lib. de genitura*, & Galeno *lib.* 6. *de locis affectis, c.* 5. Valleſio *lib.* 2. *contr. Medic. cap.* 6. Vega *lib.* 1. *de arte medendi cap.* 3. Petrus Meta. *tr. de ſemine, §. iam verò*, ſed etiam præſtantiſſimi Theologi, vt Scotus *in* 3. *diſt.* 4. *q. vnica*, Bonauentura *q.* 1. *n.* 31. Maior *quæſt.* 3. *art.* 4. & alij, quos citant Conimbricenſes *de generat. lib.* 1. *cap.* 4. *q.* 27. Sed tu tene communem ſententiam.

RESOL. CCXXXVIII.

An ad contrahendam affinitatem neceſſe ſit non ſolum virum, ſed etiam fœminam ſeminare?

Et curſiſſime infertur ad conſummationem matrimonij requiri etiam ſeminationem fœminæ?

Et deducitur etiam, quòd ſi viro ſeminante, mulier non ſeminauerit, idque partibus conſtet, an poſſint Religionem ingredi, ſitque probabile, quod per profeſſionem ſoluatur matrimonium, atque adeo pars in ſæculo relicta poſſit aliud matrimonium inire?

Etiamque ſequitur, quod ſi vir in eadem circunſtantia, mortua vxore, aliam accipiat, cum qua conſummet matrimonium, an id circo impediatur Ordines ſacros accipere, quia ex eo capite non erit bigamus?

Et tandem quæritur, an quando copula fornicaria eſt, iure naturali oriatur affinitas? Ex part. 3. tr. addit. Reſ. 21.

§. 1. PLauſibilis erit lectoribus hæc reſolutio. Dico igitur quòd in tali caſu communiter aſſerunt DD. ſufficere tantum ſemen viri. Ita Villalob. *in ſumm. tom.* 1. *tr.* 14. *diſſic.* 11. *n.* 8. Comitolus *in reſponſ. mor. lib.* 1. *q.* 30. *n.* 2. & Doctores quos citat & ſequitur Sanchez *de matrim. tom.* 2. *l.* 7. *diſ.* 64. *n.* 21. & ego adduxi *in* 3. *par. tr.* 5. *reſol.* 19. Et ratio eſt, quia copula ſine emiſſione ſeminis fœminæ eſt copula perfecta, & ſufficiens ad generationem; ergo per illam contrahitur affinitas; quòd autem ad generationem ſufficiat ſolùm ſemen viri, tradit Ariſtoteles *l.* 2. *de gener. c.* 2. Auicenna *l.* 9. *animal. c.* 1. & D. Thom. *in* 3. *part. q.* 31. *art.* 5. *ad* 3. quem ferè omnes Theologi ſequuntur. Roſella *verb. impedimentum* 14. *num.* 8. Tabiena *eodem verb. q.* 9. 2. *n.* 3. *in fine*. D. Antoninus *par.* 3. *tit.* 1. *c.* 11. *ante* §. 1. Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 4. Henriquez *l.* 11. *c.* 8. *num.* 8. *in gloſſa littera N.* & alij. Vnde Ancharanus *in cap fraternitati, de eo qui cognouit conſanguin. paulo poſt principium*, ait ad affinitatem non requiri ſemen fœminæ.

Quæ hic eſt Reſ. antecedens. §. Difficultas, & infra in Reſ. 243. & ſignanter à §. 2. & in tom. 5. tr. 5. ex doctrina Reſ. 153. §. 2. ad medium, à verſ. Secundo.

2. Sed his non obſtantibus, ego cum Sanchez *vbi ſuprà, n.* 20. *in fine, in dicta reſol.* putaui contrariam ſententiam eſſe probabilem, quam nouiſſimè præter DD. quos *in d. reſol.* citaui, ex Theologis Societatis Ieſu tenet Gaſpar Hurtado *tr. de matr. diſp.* 20. *diſſic.* 1. *n.* 4. vbi ſic ait. Ad affinitatem non ſufficit ſeminatio viri in matricem fœminæ, in qua eſt ſanguinis menſtruus ad generationem paratus, ſed etiam requiritur ſeminatio fœminæ, vt indicatur *in can. lex diuinæ conſtitutionis* 27. *q.* 2. dum in eo requiritur ſanguinis (id eſt ſeminis) commixtio; quia Galenus docet quòd etiam ſeminatio fœminæ eſt neceſſaria ad generationem. Et ſanè ſemen fœminæ non videtur ad aliud à natura inſtitutum. Sic ille. Tenet etiam hanc ſententiam ex Dominicanorum familia Lopez *in inſtruct. part.* 2. *cap.* 50. Graſſius *p.* 1. *l.* 2. *c.* 70. *num.* 8. & ex veteribus Innocentius, Archidiaconus, Bellameta, Cardinalis Aſtenſis, Nicolaus de Orbellis, Gaeta, & alij penes Sanchez *loco citato.*

3. Et ideo non grauabor hîc apponere verba Ioannis Præpoſiti *in addit. ad* 3 *part. D. Thomæ. quæſt.* 5. *de inſolubil. matrim. dub.* 9. *n.* 79. ſic aſſerentis. Non eſt improbabile ad conſummationem matrimonij requiri etiam ſeminationem fœminæ. Primò, quia multorum eſt ſententia, quòd ſemen fœmineum per ſe etiam requiratur ad generationem, & quòd mater etiam per ſuum ſemen etiam actiuè concurrat ad generationem tánquam materia. Secundò Benedictus Pontifex *in can. lex diuinæ conſtitutionis*, dicit oſculũ non parere propinquitatem, quòd nullam faciat ſanguinis commixtionem; ergo ad affinitatem (de qua *ibi* loquitur) iuxta illum requiritur commixtio ſeminis virilis, & fœminei, cùm non poſſit dici commixtio ſanguinis ſi adſit ſolum ſemen virile. Ita Præpoſitus. Ex quibus rectè infert primò, quòd ſi viro ſeminante mulier non ſeminauerit, idque partibus conſtet, poſſint religionem ingredi, ſitque probabile, quòd per profeſſionem ſoluatur matrimonium, atque adeo pars in ſæculo relicta poſſit aliud matrimonium inire. Infertur ſecundò, ſi vir in eadem circunſtantia mortua vxore aliam accipiat, cum qua conſummet matrimonium, non ideirco impediatur ſacros Ordines accipere, quia ex eo capite non erit bigamus, vt ſatis eſt probatum *in tr. de irregularitate*, qui, Deo dante, videbit lucem in 4. parte breui edenda. Igitur ex ſupradictis dicendum eſt affirmatiuam ſententiam circa præſentem quæſtionem probabilem & tutam eſſe in praxi, vt ipſimet aduerſarij fatentur, Sanchez, Villalob. Comitolus: & clarè hanc opinionem præter DD. citatos, docet etiam D. Thomas *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 2. vbi ſic ait. *Vir & mulier efficiuntur vna caro per commixtionem ſeminum, vnde quantumcũque aliquis clauſtra pudoris frangat, niſi commixtio ſeminum ſequatur, non contrahitur affinitas.* Ita Sanctus Doctor, quod iiſdem verbis docet D. Bonauentura etiam *in ſent. diſt.* 41. *quæſt.* 1. Vnde ex his ſequitur ſtante probabilitate huius opinionis, eum qui habuit copulam cum ſorore, v. g. vxoris, ſi illa non ſeminauit, nullam contraxiſſe affinitatem, & ideo poſſe ſine vlla diſpenſatione petere à ſua vxore debitum.

Sup. hoc magis latè ſupra in Reſ. 114. & in aliis eius primæ not.

Sup. hoc infra in Reſ. 243. §. Secũdo, & in aliis. eius annot.

Sup. hoc ibidem §. Tertio.

Sup. hoc ibidem. in principio, & in §. Hinc. &c.

Sup. hoc ibidem, §. Apparet.

4. Et pro coronide huius reſolutionis non deſinam hîc inquirere, an quando copula fornicaria eſt, iure naturali oriatur affinitas. Affirmatiuam ſententiam docet Hurtado *de matrim. diſp.* 20. *diſſic.* 2. *n.* 7. Coninch *de Sacram. diſp.* 32. *dub.... n.* 49. quia etiam per dictam copulam fornicariam vir & fœmina fiũt vna caro, & vnus ſanguis, non minus quàm per coniugalem, vt patet ex D. Paulo 1. *Cor.* 6. dum ait. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur, & erunt duo in carne vna.* Sed negatiuam ſententiam tenet Sanchez *de matrimonio, tom.* 2. *diſp.* 65. *n.* 9. Pontius *de matrimonio, lib.* 7. *cap.* 33. *num.* 4. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 1. *num.* 2. quia nulla ſunt nomina, quibus nominemus ſic affines ex fornicatione, deinde *in l. non facile, §. affines, & §. ſciendũ eſt, ff. de gradibus affinitatis*, dicitur neque cognationem, neque affinitatem eſſe poſſe, niſi nuptiæ non interdictæ ſint. Ex qua ſententia, quam etiam tenet Villalobos *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 14. *diſſic.* 17. *n.* 10. infertur, vt ipſe ait, [que el que ſiendo infidel conocio illicitamente a vna muger, ſe puede deſpues de baptizado caſar con ſu hermana, porque no nacio de alli afinidad, y aſſi no tiene impedimento. Y lo miſmo ſeria, ſi vn Chriſtiano trataſſe illicitamente con vna muger infiel, que podria deſpues caſarſe con vna hermana ſuya, que

Sup. hoc in Reſ. ſeq. per totam.

fuesse Christiana.] Sic ille. Vnde dicendum est vtramque sententiam esse probabilem.

RESOL. CCXXXIX.

An affinitas ex copula fornicaria contracta impediat matrimonium post Baptismum contractum?

Ex quo infertur, quod si quis in infidelitate fornicatus est cum Titia, postea baptizatum non prohiberi, vt in vxorem non ducat filiam, vel sororem eiusdem Titiæ? Ex p.3.tr.4.Res.261. aliàs 262.

Sup. hoc prope finem Res. præteritæ, à vers. Ex qua, sed lege præcitatum §. per totum.

§.1. AFfirmatiuè respondet Coninch *de Sacram. disp.32.dub.4. num.57.* & Layman *in Theol. mor.lib.5.tract.10 part.4.c.6.n.6.* cum aliis, quia tunc contrahentes subduntur legibus Ecclesiæ.

2. Sed ego probabilem etiam contrariam sententiam existimo, quam tuetur Henriquez *lib.12.c.1. n.2. & c.3. n.4.* quem citat & sequitur Sanchez *de matrim.tom.2.lib.7.disp.65. num.10.* Et ratio est, quia cùm illa affinitas non sit vinculum naturale, & subinde non contrahatur tempore infidelitatis, nil est quod post Baptismum impediat matrimonium inter illum infidelem, & consanguineam mulieris ante Baptismum fornicariè cognitæ.

Sup. hoc signanter in vers. not. præteritæ.

3. Negant igitur hi Doctores, spectato iure naturali, vllam affinitatem ex copula fornicaria contrahi. Hinc infertur, vt ego his diebus consultus respondi, quòd si quis in infidelitate fornicatus fuit cum Titia, postea baptizatum non prohiberi, vt in vxorem non ducat filiam, vel sororem eiusdem Titiæ.

RESOL. CCXL.

An ex matrimonio rato, & non consummato oriatur impedimentum affinitatis, vel tantum publicæ honestatis? Ex p.6.tr.8. & Misc.3. Res.25.

§.1. AFfirmatiuè respondet Ioannes Præpositus *in 3.part. D. Thomæ, quæst.7. de impediment. Matrim.dub.11.num.88.* Nam quamuis vir & fœmina ante consummationem matrimonij non sint vna caro per commixtionem sanguinis: possunt tamen dici vna caro, eò quod vnus habeat dominium corporis alterius in ordine ad generationem. Præterea etiam ante consummationem matrimonij consanguinei vnius coniugis vocant alterum affinem. Tertiò ratione contractus matrimonialis legitimi apud gentiles oritur quædam necessitudo inter consanguineos vnius coniugis, & alterum coniugem, vt etiam docet Sanchez *disp.65.n.6.* & plures alij, quæ necessitudo non potest esse publicæ honestatis, cùm ea sit introducta lege Ecclesiastica. Quartò Doctores, qui censent iure naturæ priuignum non posse recipere nouercam in vxorem, loquuntur in genere, & intelligunt etiam de ea, quæ non fuit cognita, & in eo sensu quæstio agitatur à Doctoribus, ergo vtrique supponunt inter priuignum, & nouercam nondum cognitam oriri quandam propinquitatem iure naturæ: non est autem publicæ honestatis, cùm vt dictum est, illa introducta sit lege Ecclesiastica, nec potest esse alia, quàm affinitatis. Ergo, &c. Vide etiam Ioannem VVigers *in suppl. 3. part. quæst. 50. cap. 5. dub. 6. n. 15.* Sed his non obstantibus ego adhæreo negatiuæ sententiæ, & puto in tali casu, vt in facti contingentia consului, oriri tantùm impedimentum publicæ honestatis. Et ita tenent Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *de Matrim.tom.2.lib.7.disp. 64.num.25.* quibus ego addo Basilium Pontium *lib.7. cap.35.num.1.* Bonacinam *quæst.3.punct.11.num.9. & punct.12.n.18.* Guttierrez. *cap.33.n.23* Coninch *de Sacram.disp.32.dub.3.n.46. & dub.5.n.70.* Cœlestinum *in Compend. Theol. Moral.tr.2.c.25.dub.3.* Filliucium *tom.1.tr.10.cap.6. num.210. & 221.* Reginaldum *to.2. lib.31.cap.18.num.128.* Molfesium *in summa, tom.1. tract.4.cap.10.num.94. & 96.* Basseum *in Theol. pract. verb. Matrimonium 8.n.66.* Ioannem Petit *in Theolog. Sacram.tr.8. lect. 112.* & alios penes ipsos. Probatur hæc opinio quia affinitas non oritur ex matrimonio rato nondum consummato, sed tantùm publica honestas, quia affinitas sine copula carnali consurgere non potest. Propinquitas enim sanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur, inquit Benedictus *in cap. lex 27. q.2.* & nouissimè declarauit Pius V. in quodam Breue quod incipit, *Ad Romanum*: & Cardinalium Congregatio, quorum declarationes extant apud Rebellium *n.109.* & apud Farinacium *sess.44. de reformat. Matrim. cap.3.* in hæc verba. An ex matrimonio contracto per verba de præsenti, non consummato oriatur affinitas, vel impedimentum publicæ honestatis? Respondet Congregatio non esse impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, nec fortius ac maius vinculum, quàm impedimentum iustitiæ publicæ honestatis ex sponsalibus de futuro, & hoc Concilij decretum non loquitur de hoc impedimento, sed de illo tantùm ex sponsalibus de futuro, ex quibus gradus istius impedimenti colligitur, non intelligit ad secundum gradum redactus, sed tantum illos qui contrahuntur ex sponsalibus de futuro, vt per Bullam felicis recordationis Pij V. sub dat. Romæ. Hæc ibi. Ex quibus patet ex matrimonio nondum consummato affinitatem non oriri, sed publicam honestatem.

2. Dices ad praxim nil deseruit hæc quæstio, cùm sit tantùm de nomine, nam vtrumque impedimentum affinitatis, vel publicæ honestatis dirimit matrimonium, & ad quartum vsque gradum protenditur. Respondeo hanc quæstionem satis deseruire pro praxi, primò in ordine ad Datariam, quæ maiorem pecuniam requirit pro dispensatione impedimenti orti ex affinitate, quàm ex publica honestate. Secundò deseruit hæc quæstio pro excommunicatione lata *in Clement. vnica, de consanguin.* vbi excommunicantur contrahentes cum affinibus, & ideò secundùm nostram sententiam eam non incurreret qui contraheret cum consanguineis prioris sponsæ de præsenti non cognitæ, quia vt probauimus ex matrimonio rato non oritur affinitas.

RESOL. CCXLI.

Quis scienter accessit ad consanguineam vxoris suæ, ignorabat tamen prohibitionem, & pœnam iuris, quæritur an stante dicta ignorantia, egeat dispensatione ad petendum debitum?

Sed difficultas magis est, quando coniux habeat tantùm ignorantiam solius pœnæ impositæ, videlicet, ne petatur debitum, scit tamen prohibitum esse à iure?

Et an ad incurrendam excommunicationem, suspensionem, interdictum, irregularitatem, inhabilitatem, &c. non sufficiat, quod sciam opus esse prohibitum, &c. non sufficiat, quod sciam opus esse prohibitum, sed vt sciam de pœna, idque prohiberi sub pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti, irregularitatis, inhabilitatis, &c. Ex part.3.tr.5. & Misc.11. Res.12.

§.1. INtali casu posse sine dispensatione petere debitum existimo contra Cordubam *in qq.lib.1. q.12.art.1.* & Rodriguez *in sum.tom.1.c.241.num.11.* & ita docet Portel. *in addit. ad dubia regul. ver. Ignorantia, num.29.* Basilius Pontius *de matr. lib.10. c.1. num.10.*

ter pro inhabilitate hic infra dicenda, ad medium §. vlr. huius Ref.

num.10. & Sanchez *de matr.tom.3.lib.9. disput.52. num.49.* cum Henriq.*lib.11.cap.15.n.11.* vide etiam Suarez *in 3.p.tom.3.q.67.art.8.§.maiùs verò dubium.* Sylvest.*ver.matrimonium* 8.*q.7.d.2.* & Paludanum *in 4.dist.42.q.1.art.3.concl.2.* & hæc opinio erit multũ plausibilis Confessariis sæcularibus, qui non habent priuilegium Regularium, vt possint dispensare cum pœnitentibus incestuosis ad petendum debitum.

Sup hoc in Ref. seq. §. Quæro etiã, & in aliis eius annot.

2. Sed difficultas magis est quando coniux habet tantùm ignorantiam solius pœnæ impositæ, videlicet ne petatur debitum, scit tamen prohibitum esse à iure: & tunc etiam respondet Portel. *vbi sup.* non egere dispensatione. Et ita tenet nouiss. Castrus Palaus *tom.1.tr.2. disp.1. punct.17.n.8. in fin.* & hanc sententiam probabilem vocat Sanch. *vbi supr.n.20.* licet contrarium doceat Basil. Pontius *vbi sup.n.12.*

Sup. contento in hoc §. pro ignorantia excommunicationis in tom.5. tr 1. Ref.32. & in aliis eius primæ not. Et pro ignorantia suspensionis & interdicti ibi in dicta Ref. §. Quæ autem, & in aliis eius annot. Et pro ignorantia irregularitatis in fine præcitati §. & in aliis eius annot. & hæc omnia intellige pro ignorantia inuincibili. Et si scire velis quid est sentiendum in isto casu, si ignorantia esset vincibilis, & crassa, lege ibi Ref.33. & 34. & omnes alias earum annotationum.

3. Notandum est etiam omnia supradicta maiori ratione procedere in pœna excommunicationis, suspensionis, irregularitatis, Et ideò asserit Portel *vbi sup.n.21.* ad incurrendam excommunicationem non sufficere, quod sciam opus esse prohibitũ ab Ecclesia, sed vt sciam de pœna, idque prohiberi sub excommunicatione, ita de cæteris pœnis suspensione, interdicto, irregularitate dicendum, quod vt incurrantur, non sufficit me scire opus esse prohibitum, sed requiri vt sciam esse prohibitum sub pœna suspensionis, irregularitatis, inhabilitatis, &c. Ita ille, qui citat pro hac sententia Nauar. & Rodrig. quibus adde Curiel *in p.2.q.76.art.4.dub.5.* Valentiam *tom.2. disp.6.q.6.punct.1.coroll.9.* Henriq. *lib.13. cap.23.n.2.* Suarez *de cens.disp.4.sect.9.n.19.* Aulam *de cens.p.2. cap.5.disp.5.dub.7.* Sayrum *de cens.lib.1.cap.18.n.37.* ex quibus infertur, quàm frequenter Confessarios posse ab excommunicatione laicos excusare, quoniam sæpe illam inuincibiliter ignorant. Sanchez verò putat hanc doctrinam procedere tantùm in excommunicatione, non autem in aliis pœnis. Sed tu tene nostram sententiam, quam ipse *in n.21.* vocat probabilẽ, & illam amplectuntur Coninch *de sacr. disp.18.dub.4.n.31.* Duardus *in Bull.Cœn.lib.1.cap.2. q.5.n.27.* Bonacina *de cens.disp.1.q.2. punct.1.n.13.* At de hoc infra latiùs dicemus. An tamen hæc omnia vera sint, etiam quando operans laborat ignorantia vincibili, dicendum est sequenti resolutione.

RESOL. CCXLII.

Quis gradus consanguinitatis per copulam priuet à iure petendi debitum?

Et an coniux consentiens incestui amittat ius petendi debitum à coniuge incestuoso, qui contraxit affinitatem?

Et an priuetur à iure petendi debitum, qui per metum cadentem in virum constantem cogitur ad copulam?

Et an qui contraxit affinitatem, vel cognationem cum scientia iuris, & facti, sed cum ignorantia pœnæ petendi debitum, illam incurrat? Ex part.11.tract.5. & Misc.5.Ref.38.

Sup.hoc supra in Ref. 237.§.1.&2.

§.1. HÆc difficultas procedit post Tridentinum, à quo affinitas dirimens matrimoniũ contrahendum restricta fuit ad secundum vsque gradum ex copula fornicaria; quæ olim extendebatur vsque ad quartum. Et illam tenet doctissimus Magister Ioannes de S. Thoma, olim Confessarius magni Regis nostri Philippi IV. & primarius Professor in Theologia celeberrimæ Academiæ Complutensis, *in explicat.Doctr.Christianæ, fol.mihi* 156. Et ratio est, quia Tridentinum affinitatem ortam ex copula fornicaria restrinxit ad primum, & secundum gradum, ad eum tantùm effectum, vt non impediat, neque dirimat matrimonium, vt Pius V. declarauit; non autem vt non impediat debiti petitionem, quia hæc distincta est à matrimonio, & matrimonij tantùm fit mentio in Tridentino, & non petitionis debiti. Igitur tanquam casus omissus manet in dispositione iuris communis.

2. Verùm his non obstantibus ego contrariæ sententiæ adhæreo. Dico igitur copulam habitam cum consanguineis alterius coniugis in tertio, & quarto gradu non impedire debiti exactionem. Ita Nau.*lib.4.cõsil.consil.3. n.2.3.& 4.* & alij quos refert, & sequitur Sanchez *lib 9. disp.27.n.14.* Basil. Ponce *lib.7.c.33.n.6.* Henriq. *lib.11.cap.15.* Hurtado *disp.10. diffic.7.n.30.* & communiter DD. Ratio à priori est, quia affinitas non impedit, nec dirimit matrimoniũ, nisi ob copulam ad quam ordinatur, quia est indecens inter affines: ergo eo ipso, quod dicta affinitas restricta est post Tridentinum, vt non impediat, neque dirimat matrimonium, nisi in primo, & secundo gradu, etiam censetur restricta, vt non impediat petitionem copulæ, nisi in eisdem gradibus. Vnde hac de causa diximus fornicationem cum affine ex copula illicita in tertio, & quarto gradu non esse incestum, quia fornicatio cum affine in his gradibus non habet specialem malitiam irreuerentiæ, seu incestus iure naturali, vt liquet, neque iure Ecclesiastico, quia ius Ecclesiasticum prohibens hanc copulam intuitu reuerentiæ conferendæ affinibus, cessauit cessante prohibitione matrimonij, quod soluni prohibebatur ob indecẽtiam copulæ inter illos. Igitur quamuis petere debitum sit distinctum à contractu matrimonij; eo tamen ipso, quod affinitas non obstat contractui, neque obstabit petitioni debiti: Firmo. Nam accessorium matrimonio est copula: ergo sequi debet naturam principalis, iuxta regulam illam 42.*reg.iur.in 6.* Ergo si matrimonium in tertio & quarto est licitum omnino, ac omni vacat impedimento, & copula etiam erit omnino licita.

3. Verùm quid dicendum, an coniux consentiens incestui amittat ius petendi à coniuge incestuoso, qui contraxit affinitatem? Non consentiunt Doctores. Affirmat Sanchez *suprà, n.3.* & Basilius *lib.10.cap.7.* & alij apud citatos; idemque dicendum est de impedimento cognationis spiritualis.

4. Probatur, quia affinitate ab altero iniquè contracta disponit ius, vt coniuges ad continentiam seruandam moueantur, quod si nolit innocens, iubet vt sibi debitum reddatur, ne absque culpa sua priuetur iure suo, cum iniquitatis particeps non fuerit. Hinc autem colligitur à contrario sensu, vt vbi alius coniux reus est culpæ, ac particeps iniquæ contractionis affinitatis, amittat ius debiti exigendi. Nihilominus tamen standum nostro dicto, tum quia id nullo iure statuitur, vt est manifestum; tum quia argumentum à contrario sensu ex quo illud inferunt, est omnino efficax, saltem ad inferendam pœnam, quæ cùm sit odiosa, est strictè intelligenda, & non est extendenda. Nihilominus ego oppositum teneo, quod docet Ochagauia *tom.5.quæst.5.* Hurtado *disput.10.difficult.7.num.22. d.5.sect.2.num.5.* Quia si textus expendantur, nullo iure certo statuitur expressè: quamuis enim *dict.cap. discretionem, de eo qui cognouit consanguineam,* dicatur coniugem innocentem non debere suo iure priuari, non licet à contrario sensu inferre, quod si nocens sit non quidem incestuosè adulterando, sed consentiendo in incestum, & adulterium sui coniugis debet eo ipso iure suo priuari, tale enim argumentum est à contrario sensu, quod non est efficax in iure, maximè ad inducendam pœnam, & impedimentum. Accedit quod crimen commissum à consentiente, propriè loquendo non est ipsummet crimen primarium, &

proprium incestus, sed reductiuè, & secundariò habet malitiam incestus, quatenus non repugnat, sed consentit in alterius coniugis incestum

Sed hic obiter quæro, an priuetur iure petendi qui per metum cadentem in constantem virum cogitur ad copulam?

5. Affirmatiuè respondet Sanchez *lib. 9. disp. 31 n. 4.* & Reginal *lib. 31. n. 295.* & alij apud illos. Item Basil. *lib. 10. cap. 17. n. 6.* & ratio est, quia in eo euentu non cessauit culpa incestus; tenebatur enim vitam exponere, ne consentiret: ergo nec excusabitur ab illa pœna. Quare sicut metus grauis non excusans participantem cum excommunicato à culpa, neque etiam excusat à censura excommunicationis: ita cũ vxor in casu non excusetur à culpa incestus, eam non eximet ab illa pœna. Et ita hanc sententiam veram esse putat Perez *disp. 52. sect. 4. n. 6.*

6. Verùm ego cum Dicastillo *de Sacram. tom. 3. tract. 10. disp. 9. dub. 9. n. 96.* ex Nauarro assero, probabile esse in tali casu coactum per metum grauẽ non priuari iure petendi. Ratio est, quia huiusmodi metus excusat ab incurrendis censuris; ergo etiam excusat ab incurrenda pœna priuationis debiti petendi: neque enim credibile est velle Ecclesiam cum tanto rigore tam graui pœna punire eos qui metu graui compulsi non seruant suam legem, licet Sanchez *vbi sup.* pro virili contendat virtute aliquorum textuum, eum qui coactus est non excusari à pœna, imo nec ab excommunicatione. Nihilominus oppositam sententiam appellat pierate plenam.

Sup. hoc in Ref. præterita, §. 2. & in tom. 5. tr. 5. Ref. 7. §. Sed ex his, & ibi in tr. 1. in Re. 61. §. Probatur, & in to. 7. tr. 1. Ref. 282. §. vlt. & ibi in tr. 4. Ref. 69. §. 2. & 3. & quãuis non plenè sup. hoc tamen non deseras ibi legere doctrinã §. vlt. Ref. 232. & si vides Ref. eius annot. primæ, & alias aliarum annotationum, caput tuum doctrina repleueris, si priùs legendo caput non dolet, & tandẽ vide hic inf. doctrinam Ref. 244.

Quæro etiã secundò, an qui contraxit affinitatem, vel cognationem cum scientia iuris, & facti, sed cum ignorantia pœnæ petendi debitum, illam incurrat?

7. Affirmatiuè respondet Martinus Perez *disp. 52. sect. 6. num. 6.* Ratio est, quia tametsi in excommunicatione id speciale sit, quia est vltima, ac summa pœna Ecclesiastica, exigens specialiter ipsius notitiam, vt si detur in delinquente summa contumacia. Idemque dicendum videtur de omnibus aliis censuris, ac etiam de irregularitate, quando est mera delicti pœna, & habet rationem censuræ, quia est eadem ratio. Cæterùm in aliis pœnis ordinariis, & proportionatis, qualis est pœna priuationis debiti exigendi imposita propter culpam incestuosam, non est hoc idem dicendum. Patet, quia communis est sententia Doctorum, ignorantiam solius pœnæ regulariter non excusare eiusdem pœnæ reatum, quia ignorantia pœnæ, quantumcumque si antecedens, non excusat culpam in transgressione legis, vt per se constat: vt enim lex obliget in conscientia, non oportet vt addat pœnam: ergo vt quisquam agat contra conscientiam violando legem, non oportet vt sciat pœnam: illa ergo ignorantia non excusat culpam: ergo nec pœnam, quia non cessante causa, non cessat effectus. Item quia illa ignorantia ad summum facit, vt illa pœna non sit voluntaria: hoc autem nihil refert, quia pœna potius postulat, vt inuoluntaria sit: vnde videmus seruari tam à Deo, quàm ab hominibus; puniet enim Deus æterna pœna etiam illos; qui ignorabant suis peccatis deberi talem pœnam, & ab hominibus suspenditur fur, etiamsi pœnam ignorauerit.

8. Firmo, quia ex vi culpæ, ita homo subiicitur potestati Iudicis, vt possit ab illo puniri iusta pœna, vel iuxta leges, si in illis contineatur pœna, vel eius arbitrio, si ei commissum sit, siue pœna sit huius generis, siue alterius, & siue sit moderata, siue rigorosa, dummodo non excedat proportionem delicti: hoc enim solùm requirit æquitas iustitiæ ex parte delinquentis; optio autem pœnæ legislatoris iudicio commissa est. Dixi regulariter, propter censuras, præsertim excommunicationem, ob peculiarem naturam, & conditionem huius pœnæ, quæ est censura; quia requirit peculiarem modum contumaciæ, & inobedientiæ, eo quod non ordinetur per se primò ad puniendum delictum commissum, eo tantùm quod commissum est; sed ad emendationem eius, vel ad cogendum peculiari modo ne committatur, scilicet sub illo peculiari, & rigoroso modo præcipiendi sub comminatione censuræ Huevsque Perez.

9. Sed ego alibi contrariam sententiam tanquam probabilem admisi & nunc iterum admitto; & illam nouissimè docet Dicastillus *vbi sup. n. 105.* vbi sic ait: Qui factus est affinis, vel cognatus spiritualis cum ignorantia pœnæ, etiamsi habeat scientiam iuris, & facti, probabilissimum est non priuari iure petendi. Ratio est, tum quia pœnæ ignorantia excusat ab incurrenda excommunicatione, aliisque censuris: ergo etiam excusabit ab incurrenda pœna priuationis huius iuris petendi debitum: tum quia pœnæ quantitas debet proportionari quantitati delicti, iuxta *cap. felicis, de pœn. in 6.* minus delictum non censetur iuris dispositione puniendum eadem pœna, qua punitur maius, nisi id expresè dicatur: sed minus delictum est, & minor contemptus legis, quando frangitur lex continens graues pœnas, pœnis ignoratis, quàm iis cognitis: ergo æquum non est, quod transgressor subiiciatur eisdẽ pœnis pro minori delicto, atque pro maiori. Ita ille, sed vt dixi, à nobis alibi de hac quæstione pertractatum est.

Alibi tamen solutum. non pœnæ.

RESOL. CCXLIII.

An opinio, quod affinitas non contrahatur, nisi femina etiam cum viro seminet, sit probabilis?

Ex quo tres casus valde notandi in fine huius resolutionis inferuntur.

Et etiam notatur ex penetratione vasis fœmina absque seminatione; itemque ex seminatione extra vas fœminem naturale affinitatem non nasci.

Vbi an seminatio fœminæ sit necessaria ad generandum:

Ex p. 11 tr. 5. & Misc. 5. Ref. 26.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Basilius Pontius *de matrim. lib. 9. cap. 10. n. 1.* vbi sic ait: Certum est effusione seminis extra naturale vas, non consummari, *cap. extraordinaria 35. q. 3.* deinde dico cum communi sententia, solam penetrationem vasis sine seminatione intra vas non esse sufficientem copulam, vt consummetur matrimonium in conscientia, & coram Deo, vt docet cum aliis Thom. Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 21. n. 5.* quia reuera non sunt effecti vna caro: nec enim efficiuntur vna caro, nisi per commixtionem seminum, vt colligitur *ex cap. lex 20. quæst. 2.* ibi, *quod nullam facit sanguinis commixtionem.* At sine effusione seminis non est sanguinis commixtio: dicuntur enim vna caro ex ea copula, quæ ad generandum satis esset: ea autem sine seminis effusione non potest esse ad generandum sufficiens. Dixi coram Deo: nam in foro externo, si probetur penetrasse claustra puellæ, præsumetur etiam seminasse, & non audietur, cùm puella defforata maneat, & sine remedio ferè viuere cogatur, vt docet idem Thom. Sanchez *num. 8. & 9.* Neque verò in hoc expendendum est, an fœmina seminauerit, neque id vllam probabilitatem habet, quidquid contendat Thomas Sanchez *n. 8.* vide enim quot, quantisque scrupulis, & dubitationibus exponeretur consummatio matrimonij, si ea seminario fœminæ attenmenda esset. Nec refert an sit necessarium semen mulieris ad generationem, vel non: tantum enim hic attenditur ad consummationem seminatio intra vas eius

Sup. hic dicta communia hoc non infra n. 6. §. Ex his. aliis ea nov.

eius qui præcipuas partes in generatione habet. Ita ille.

Sup. hoc supra in Ref. 238. & in aliis eius primæ annot.

2. Sed vide, amice Lector, quàm varia sint iudicia hominum hanc sententiam, quam nullam habere probabilitatem putat Pontius, probabiliorem esse docet Martinus Perez *de matr. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 5. sic enim asserit: Probabilius iudico ad affinitatem inducendam non sufficere seminationem viri in matrice fœminæ, in qua est sanguis menstruus ad generationem paratus, sed etiam requiri seminationem fœminæ. Ita Ludou. Lopez 1. *part. instruct. cap.* 50. Gaspar Hurtado *disp.* 10. *diffi.* 1. *n.* 5. & alij. Moueor tum quia id satis indicatur *in Can. lex diuinæ constitutionis* 27. *q.* 2. vbi requiritur sanguinis, id est seminis cõmixtio. Tum etiam quia iuxta communem Medicorum sententiam, præsertim Galeni, & Auicennæ, etiam seminatio fœminæ est necessaria ad generationem: non enim semen fœminæ videtur ad aliud esse à natura institutum, cùm etiam natura nihil faciat frustra, & videamus ex masculo & fœmina diuersæ naturæ, & speciei produci fœtum tertiæ speciei, mutuò se impedientibus seminibus. Addo etiam quod notauit Rebellius *lib.* 3. *q.* 15. *n.* 3. quod sequi potest suapte natura generatio, attrahente posteà semine virili semen fœmineum, & materiã conceptui aptam; vnde sine coitus voluptate aliquæ feruntur concepisse. Ita Perez, cui adde Martinum de San Ioseph *in monit. Confessorum tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 34. *de matrim. n.* 9. sic asserentem. [Lo mas probable es, que es necessario, que *cum semine viri concurrat etiam semen mulieris*, para que se contrayga afinidad, porque es lo mas probable, que si la muger no cõcurre, no aurà generacion: y assi si sucediere este caso, se podrà juzgar que no à huuo afinidad. Y tambien, que si el casado tuuo copula con parienta de su muger, *si illa non seminauerit*, no contraxo el impedimento alguno, y podrà sin dispensacion alguna pedir el debito. Ita ille.

3. Verùm ego nec Pontio, nec Perez assentior: non assentior Perez quatenus asserit suam sententiã esse probabiliorem: non assentior Pontio quatenus asserit hanc sententiam esse improbabilem. Dico itaque cum Doctoribus quos citat & sequitur Leander *de Sacram. tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 20. *q.* 7. Ioann. de Soria *in Epilogo summarum part.* 2. *tract.* 1. *sect.* 1. *disput.* 10. *§. affinitas*, & alij, Pontij esse communiorem, & probabiliorem: sententiam verò Perez, & Martini de San Ioseph contra Pontium puto esse probabilem vt vocauit Sanchez à Pontio adductus, & ita me citato tanquam probabilem admittit Verricelli *in qq. Legalibus tract.* 4. *q.* 27. *n.* 74. cui adde Suarez *in* 3. *part. q.* 32. *art.* 1. *disp.* 10. *sect.* 1. Imò nouissimè Remigius *in pract. Confess. tract.* 2. *cap.* 6. *§.* 9. *n.* 6. sic ait. [Algunos defienden que los grados de la consanguinidad, y afinidad son de la misma especie, y que basta que diga el penitente auer cometido vn pecado de incesto, sin dezir que era con hermana, madre, ò cuñada. Es tambien opinion muy recebida, que paraque nazca de la copula afinidad, es menester que sea verdadera: *Scilicet cum commixtione seminum mariti, & fœminæ.*] Ita Remigius.

4. Sed non desinam hic apponere verba Dicastilli *de Sacram. tom.* 3. *tract.* 10. *disp.* 7. *dub.* 34. *n.* 355. vbi me citato ait: Vtrum requiratur simul cum semine virili semen fœmineum ad contrahendam affinitatem. non est omnino certum, pendet enim ex alio principio, de quo egimus etiam *cit. disp.* 2. *dub.* 34. vbi diximus in quæstione positum esse apud Philosophos, & Medicos, an ad generationem sufficiat tantum semen virile, vel requiratur etiam fœmineum. Qui ergo docent sufficere virile ad generationem, consequenter docent suffieere ad affinitatem, docetque Sanchez *cit. disp.* 64. Qui verò negant sufficere ad generationem, consequenter negabunt ad affinitatem. Atque ita docent Innocentius *in cap. fraternitatis*, de eo qui cognouit consanguineam, & Ludouic. Lopez 2. *p. instr. c.* 50. & alij apud Sanchez *sup. n.* 10. aliique multi apud Dianam 6. *p. tr.* 13. *resol.* 54.

Quæ hic est supra in ref. 114. & in aliis eius primæ annot.

Item Perez *sup. n.* 5. Quamuis autem vtrumque probabile sit, nihilominus prior sententia, quod sufficiat semen virile, est multorum & grauissimorum, quos refert Sanchez *ibid. n.* 21. inter quos Sylueſter, qui contendit, Doctores qui ante ipsum scripserant de hac re, explicare, vt quando hi dicunt exigi semen fœminæ, intelligant vel aliquid loco seminis, nempe sanguineum menstruum paratum à natura ad generationem prolis. Hucvsque Dicastillus. Et tandem Castrus Palaus *tom.* 5. *disp.* 4. *punct.* 8. *n.* 3. sic asserit.

5. Hinc manifestè infertur, ex penetratione vasis fœminei absque seminatione, itemque ex seminatione extra vas fœmineum naturale, affinitatem non nasci, vt probat textus *in cap. extraordinaria* 35. *q.* 5. Quinimò in probabili sententia, absque viri, & fœminæ seminatione: quia pluribus placet non improbabiliter vtriusque seminationem generationi necessariam esse, ac proinde matrimonij consummationi. Neque his obstat textus *in cap. iuuenis de sponsal. & cap. fraternitati*, de eo qui cognouit consanguin. vxoris suæ, vbi decernitur separandum esse virum à coniuge, eo quod sororem eius nondum septennem duxerit, & forsan cum ea tentauerit consummare, nec potuit, extraordinariáve libidine polluit. Non inquam, obstat: nam eo casu non fit separatio ob impedimentum affinitatis, sed ob impedimentum publicæ honestatis, loquitur enim Pontifex de sponsalibus. Ita ille.

Sup. duobus contentis in hoc §. sup. in princip. huius Ref. Et pro parte primæ diffic. cum D. Th. supra in ref. 238. §. Et ideo. prope fin. & in to. 3. tr. 2. ex doctrina Ref. 120. §. 2. in fine, vers. Quod etiã. & §. seq. & vt melius dissoluas hanc quæstionem in tom. 5. tr. 5. lege doctrinam Resol. 132.

6. Restat modò respondere ad argumenta Basilij Pontij, quæ inferius adduxit. Et ad primum, quot quantisque scrupulis, ac dubitationibus exponeretur ea consummatio matrimonij, si ea seminatio fœminæ attendenda esset.

7. Respondetur nullum omnino esse scrupulum, nullam prorsus dubitationem, vel enim certò sciunt coniuges fœminam non seminasse, vel dubitant. Si primum, matrimonium coram Deo non est consummatum: nam in conscientia non receditur à præsumptione fori externi, nisi constet euidenter de veritate oppositа: forus autem externus præsumit vtramque seminationem probata copula.

8. Ad secundùm, quòd non refert an sit necessarium semen mulieris ad generationem, vel non; tantùm enim hic attenditur ad consummationem seminationis intra vas eius, qui præcipuas partes in generatione habet.

9. Respondetur gratis asseri à Pontio sufficere seminationem eius qui præcipuas partes in generatione habet: cùm enim ex Medicorum sententia vtrumque semen sit necessarium, non dicitur perfecta copula, atque adeò non consummata, si alterum semen ad generationem necessarium desit.

10. Apparet igitur ex superius dictis, excessisse Pontium in censura opinionis, asserentis affinitatem non contrahi si fœmina non seminet: ea enim sententia probabilis est, cuius probabilitate suppositа, Mazuchellus *de casib. reseruat. disput.* 2. *cap.* 4. *difficultate* 4. *num.* 23. tria corollaria infert. Primò, eum qui habet copulam cum sorore vxoris suæ, si illa non seminauit, non contraxisse affinitatem; & sic posse absque vlla dispensatione petere debitum à sua vxore.

Sup. hoc in Ref. not. seq. §. Et ideò. in fin. & in fine huius Ref.

11. Secundò, si viro seminante non seminauerit fœmina, posse Religionem ingredi; & sic per professionem dissolui matrimonij vinculum, quod per copulam illam non fuit consummatum: & alterum coniugem in sęculo manentem posse aliud matrimonium

Sup. hoc supra in Ref. 238. §. Et ideò. ante med. vers. Ex quibus, &

cum eodem Præposito hic citato supr. in Resol. 114. §. vlt. & in aliis eius annot.

nium inire. Ita Ioann. Præpositus *in addit. part. 3. D. Thom. q. 5. de indissolubilit. matrim. dub. 9. num. 81.*

12. Tertiò, si maritus cum sua vxore copulam habuit, & seminauit vxore ipsa nunquam seminante, & vxore mortua aliam duxerit, cum qua matrimonium consummauit, hunc non esse bigamum, proindeque ex hoc capite non arceri à susceptione Sacrorum Ordinum. Ita Ioan. Præpositus cit. Quod idem existimat esse probabile Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 83. n. 6. in fin.* Hucvsque Mazuchellus, qui etiam poterat aliud corollarium inferre, videlicet ex copula fœmina non seminante, maritum non amittere ius petendi debitum vxori suæ. Verùm quia ego adhæreo opinioni asserenti etiam fœmina non seminante affinitatem oriri; ideo supradicta corollaria non admitto; imò reiicienda esse puto.

Et pro primo contento in hoc §. vlt. supr. in Resol. 238. §. Et ideò, ad medium, & vers. Infer secundo.

RESOL. CCXLIV.

An si pœnitens laboret ignorantia debeat confessarius illum admonere, si fructus non speratur?

Si matrimonium, v. g. ob latens impedimentum inualidum sit?

Si maritus ob castitatis votũ ante nuptias editum, vel ob incestum post nuptias cum coniugis consanguinea cõmissum, facultate petendi debitum priuatus sit, &c?

Et aduertitur, quod cauere debet Confessarius ne in supradictis, & aliis similibus casibus interroget pœnitentem specialibus interrogationibus, sed contentus sit intelligere, an pœnitens in eis laboret inculpata ignorantia? Ex part. 3. tr. 4. Resol. 80.

Sup. contento in hac Resol. supr. ex Resol. 242. leg. doctrinam §. Quæro etiam secũdo & omnib. Resol. & §§. eius not.

§. 1. HÆc sunt exempla. Si matrimoniũ, v. g. ob latens impedimentũ inualidum sit. Si maritus ob castitatis votum ante nuptias editum, vel ob incestũ post nuptias cum coniugis consanguinea commissum, facultate petendi debitũ priuatus sit, si pœnitens per ignorantiam aliena bona possideat, &c. Dico igitur, quòd si Confessarius intelligat pœnitentem laborare ignorantia inuincibili, vel saltem moraliter non culpabili, & arbitretur admonitione non secuturum esse fructum, sed potiùs animi inquietudinem, rixas, vel scandala, dissimulare debet, iuxta illud S. Augustini *homil. 41. inter. 50. Si scirem tibi non prodesse, non te admonerẽ, non te terrerẽ.* Et hæc docent ex Adriano, & Nauarro Paulus Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. cap. 13. n. 5.* Suarez *in 3. part. to. 4. disp. 32. sect. 5. n. 3.* Sanch. *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 38. n. 6.* Villalob. *in sum. tom. 1. tra. 9. diffic. 70. n. 4.* & alij communiter. quæ sunt valdè notanda, quia faciliùs possũt accidere, & tunc discretus animarum Pastor omnia perpendens iuxta supradicta se gerat. Nã scio quendam imprudentem Confessarium dedisse occasionem multorum peccatorum, è quadam manifestatione vnius ex supradictis casibus. Vnde Villalobos *vbi suprà n. 13.* sic optimè asseruit. [En estos casos ha de estar muy cauto el Confessor; proque algunos ay tan impradentes, qui sin reparar mas luego dizen al penitente, no estays casado, de loquar se siguen despues grandes inconuenientes; y en este caso raxas vezes acontece que el Confessor tenga esta obligacion, proque se ha de alcançar dispensacion del Papa, y estal exos Roma, y por los menos ay gran peligro de la incontinencia mientras se saca la dispensacion.] Ita Villalobos.

2. Notandum est etiam hîc, quòd cauere Confessarius debet si fructus non speretur, ne plus respondeat, quàm à pœnitente interrogatur, v. g. vtrum matrimonium contractum ab eo, qui ante nuptias simplici castitatis voto obstrictus erat, validum existat, & an vxori debitum reddere teneatur, affirmet vtrumque Confessarius, interim tacens de obligatione non petendi debitum. Et ita contra Sotum *in 4. dist. 18. q. 2. art 4. ad 2.* docent Sanchez *loc. cit. n. 8.* & Layman *n. 6.* vbi etiam rectè obseruat, quòd vt intelligat Confessarius, vtrùm in supradictis casibus pœnitens inculpata ignorantia laboret, necne, caueat eum sollicitare interrogationibus specialibus, videlicet existimetne matrimonium validum esse, nam subitò pœnitenti suspicionem commouebit. Sed solùm in tali casu contentus sit interrogare pœnitentem, nihilnè sit, quòd animum eius grauet, conscientiam scrupulosam reddat? Et hæc omnia admotare volui in gratiam Confessariorum, quia in praxi sæpe sæpiùs aduenire solent.

RESOL. CCXLV.

An incestuoso iniquè petenti debitum possit sine peccato coniux innocens illud reddere?

Et an in tali casu non solum coniux possit reddere, sed teneatur?

Et notatur in gratiam innocentis permitti aliquando posse incestuoso debiti tacitam petitionem?

Et aduertitur impetrata dispensatione pradicti impedimenti, integrè incestuosum recuperare ius petendi debitum, ac si nunquam affinitatem contraxisset, nec ad hanc impetrationẽ consensus innocentis requiritur, quam dispensationem concedere potest Episcopus saltem ex consuetudine, & ex priuilegiis Sedis Apostolicæ, Superiores Religionum, & quibus ipsi commiserint, eamque concedere possunt?

Et tandem quæritur, an coniux, si adulterium committat, alter coniux, qui voto perpetua castitatis est obstrictus, teneatur ei debitum petenti reddere? Ex part. 9. tr. 8. & Misc. 3. Resol. 32.

Sup. huic pra in lit. to. fol. 4 lin. 3

§. 1. AFfirmatiuam sententiam docet Pater Sanchez *de matr. lib. 9. disp. 6. n. 12.* Sed aduersùs illum insurgit Texeda *tom. 2. lib. 4. tr. 1. controuer. 12. n. 88.* quia coniux incestuosus ob adulterium, & commissum incestum amisit ius petendi, & petendo peccat mortaliter: ergo coniux innocens, cùm nulla insit illi reddendi obligatio, cooperatur peccato incestuosi, & est particeps illius. Probatur consequentia: quia potest impedire peccatum adulteri, & non impedit, cùm possit. Secundò quia ideò coniux innocens dubitans de valore matrimonij, peccat mortaliter reddendo debitũ adultero non dubitanti: quia reddendo debitum solùm excusabatur à culpa ratione obligationis, qua tenebatur reddere; quæ tamen ratione adulterij contra ipsum commissi cessat: ergo, cùm in nostro casu coniux non teneatur reddere debitum adultero incestuoso petenti, reddendo peccat mortaliter, cooperando peccato eius. Tertiò, quoties quis potest remouere aliquem à peccato mortali, tenetur lege charitatis saltem id facere, cùm habeat præceptum à Deo de proximo suo: sed coniux innocens, absolutè loquendo, potest coniugem nocentem, & adulterum, & incestuosum remouere à peccato mortali, ei non reddendo debitum petenti: ergo ad id tenetur, atque si reddat, peccat mortaliter, cooperando peccato eius.

2. Obiicit Sanchez: Coniux innocens ex eo, quòd alter coniux adulterum commisit, & incestũ, non peccat: ergo nulla potest assignari ratio, vt iniustè priuetur facultate reddendi, & petendi debitum: alias enim peccatum coniugis adulteri, & incestuosi noceret innocenti, cùm ipsum priuet tota sui iuris plenitudine. Sed respondetur, argumentum procedere ex praua intelligentia delicti perpetrati ab adultero incestuoso: nam per illud coniux innocens non priuatur aliquo iure petendi debitũ, cùm, si petat, teneatur coniux nocens, & adulter, & incestuosus reddere,

dere,sed solùm priuatur potestate reddendi ; & hoc quidem in pœnam, & suppliciũ adulterij incestuosi: vnde illa potestatis priuatio debiti reddẽdi incestuoso,quæ manet in innocente coniuge; non est priuatio alicuius iuris,quo innocens ob incestum alterius priuetur,sed potiùs est sui iuris corroboratio ; cũ in sua potestate positũ sit petere quoties voluerit, absque vlla obligatione reddẽdi, & in adulterio maneat obligatio reddendi debitum cóiugi,quoties petierit: & hæc doctrina in praxi , tanquàm vera , & secura, sequenda est.] Ita Texeda

3. Verùm sententiam Patris Sanchez ego satis probabilem existimo,quam,præter illum,tuetur Layman *lib.5. tr.10. p.3. ca.1.n.15.* Castr. Palaus *tom.5 disp.3.punct.4.§.6.n.7.* Quia in tali casu,si attentè cõsideretur,nulla est iniquæ actioni cooperatio quippe illa copula coniugalis secundùm se illicita non est ; sed solũ quatenus petitur ab incestuoso:at petitioni incestuosi non cooperaris formaliter, si quidem illũ ad petendum non incitasti;sed solùm cooperaris copulæ petitæ:ergo nulla in malitiã cooperatio adest. Ex alia autem parte delictum incestuosi te grauare non debet,vt dicitur cap.*Trãsmissa*,cap.*Tua,de eo,qui cognouit cõsanguin.* Ergo æquè debes liber esse ad petendũ & reddendũ,ac si de ictum cõmissum nõ esset. Et ideò hanc sententiã tenet etiam inclytum Lumen Dominicanæ Familiæ,Martinus Ledesma , *in 4.to.2. q.60.a.5.fol.m:hi* 507.qui plus addit,non solùm vxorem in tali casu posse,sed teneri reddere debitum:sic itaque asserit:[Si autem sequatur incestus, non dirimitur matrimonium iam anteà contractum ; nempe, si quis cognouit sororem suæ vxoris , vel eiusdem vxoris aliquam aliam consanguineam , nõ dirimitur iam contractum matrimonium,sed priuatur, vt non possit exigere debitum ab vxore in pœnam ; reddere autẽ tenetur:& si exigat debitum,peccat mortiferè. & probabile est,quòd vxor non tenetur reddere,etsi licitè possit : licet probabilius mihi videatur , quòd vxor tenetur reddere debitum marito petenti , esto petens peccet.] Ita ille. At quoad hoc vltimum dissentio:puto enim contra Ledesmam,in tali casu nullam obligationem adesse debitum reddendi ; licèt possit reddere,cõtra Texedam,si velit.Vide Guttierrez. *in qq.Can.lib.1.cap.23.n.6.* Couar. *in 4. Decret. part.2.c.7.§.2.n.5.* & Sanchez *vbi suprà , n.8.*

4. Notandum est hîc obiter, in gratiam coniugis innocentis , permitti aliquando posse incestuoso debiti tacitam petitionem, testantur Sotus *in 4.dist.37. q.vnic.art.2.post 2.concluſ.* Guttierrez *lib.1. canonic, qq.cap.23. n.9.* Sanchez pluribus relatis *lib.9. disp.7. n.1.* Si enim vxor cogeretur semper debitum petere, onerosum illi matrimonium esset, & periculo incõtinentiæ exponeretur, credereque posset, se minùs à viro diligi.Illud verò est certũ,impetrata dispẽsatione prædicti impedimenti integrè incestuosum recuperare ius petendi debitum, ac si nunquam affinitatẽ contraxisset;neque ad hanc impetrationẽ consensus innocentis requiritur , vt optimè aduertit Sanchez *lib.9.disp.6. n.10.* Quam dispensationem concedere posse Episcopum,saltem ex consuetudine , testantur Sanchez *lib.8.disp.12.n.4.* Valentia *disp.10.q.5.par.5* Henriq. *lib.12.c.2.n.9.* Layman *lib.5.tr.10. part.3.c. 1.n.15* & alij plures apud ipsos.Ex priuilegio autem Sedis Apostolicæ,Superiores Religionum,& quibus ipsi commiserint, eam concedere possunt.

Sup.hoc in tom.1.tr.1. Ref.103. §. vlt.

Sup.hoc in tom.7. tr.1. latè in Ref. 282. &c.

Et sup.contento in hoc §.vlt.in to. 4.tr.3.Ref. 109.§.2.& in Ref.110. §. etiam 2,cursim prope eius finem.

5. Sed hîc obiter quæro,an,si coniux adulterium committat,alter coniux,qui voto perpetuæ castitatis est obstrictus, teneatur ei debitum petenti reddere ? In qua difficultate partem affirmatiuã tenet Lessius *de iust.l.2.c.41.n.53.* Sed obstat validum argumẽtum: quia coniux voto castitatis ligatus, tenetur perfectè seruare suum votum, in quantum potest sine iniuria alterius coniugis , neque petendo debitum , neque reddendo:sed in casu posito coniux neq;petere,neq; reddere potest : ergo attenta vi , & obligatione ad id tenetur.Maior cõceditur ab omnib.sed probatur minor:quia coniux adulter ob adulterium,cuius est cõscius coniux,qui voto castitatis est obstrictus,amisit ius petendi:ergo coniux voto castitatis obstrictus nõ tenetur ei petenti debitum reddere.Ideò tu cogita

RESOL. CCXLVI.

An vxoratus impeditus petere debitum , possit absque dispensatione illud petere,ne periculo proximo exponatur labendi in peccata carnis ?

Ex quo infertur, quod coniux non tenetur reddere debitum viro lepra,morbo Gallico,&c.infecto, etiam si in grauia peccata carnis labatur,debitum non reddendo?

Ex part.9.tr.8. & Misc.3. Ref.33.

§. 1. AFfirmatiuè respondet Quintanaduenas *in Theol.mor.to.1.tr.9.singul.12.* ex eo, inquit, iuris principio, quod probant Cæsar Argel. *de contradictore legitimo, q.19. n.72.* & Barbosa *de princip. lit.L.n.25.* Lex non debet esse iniquitatis vinculum. Vinculum autem,scandalũ, & occasio ruinæ, ac grauissimæ iniquitatis esset lex Ecclesiastica impediens debiti petitionẽ,in casu,in quo ex eius obseruatione, grauissimo,& proximo luxuriæ periculo quis exponeretur:ergo non est credibile,legislatorem obligare voluisse cum tanto detrimento.

2. Confirmatur hæc sententia ex Doctoribus asserentibus , licere coniugi impedito exigere debitum ab altero , cùm in seipso periculum incontinentiæ sentit.Sic docent de coniuge,qui affinitatem contraxit,plurimi, quos citat,& sequitur Sanch. *l.9.disp.9. disp.7.n.5.* adstruens,tunc id habere locum, quando spes est, quòd ea copula periculo incõtinentiæ subueniat , vel vbi id prudenter dubitaretur. Rationem adhibet : quia votum non obligat ad non petendũ cum dispendio ruinæ alterius coniugis : ergo nec etiam obligabit cum dispẽdio animæ illius,qui illud emisit : cùm non minùs , sed multò magis teneatur hic suæ saluti spirituali prospicere,quàm saluti vxoris suæ & matrimonij vius post lapsum ordinetur , vt huic incontinentiæ subueniatur.

3. Limitanda verò est prædicta sententia,vt tutiùs procedat,vt ea vtatur coniux , cùm cõmodè dispensatio ad petendum debitum haberi nequit,vel est periculum in mora ipsius petitionis. Vnde in oppidis, vbi nec Parochus, aut sæcularis Confessor potestatẽ delegatam habent ad hanc dispensationẽ concedẽdã; nec Religiosus adest,qui eam concedere valeat ? aut noctu suboritur vehemens stimulorum tempestas cũ præfato periculo,potest etiam hoc impedimento ligatus,ab vxore debitum petere.Consultius verò erit, quòd si potest,has occasiones præueniat,dispensationem ad cautelam anteà impetrans,cum ad ciuitatem, vel locum diuertit,in quo sunt illi, qui eam possunt concedere.Sed ne scrupulis ansam præbeamus,adde, quòd, licet hoc tutius sit;valdè probabile est, nullo modo dispensationem esse necessariam tunc, etiam si facilè obtineri possit ; cum hæc sententia nitatur in eo,quòd tunc nec lex, nec votum obligant , seu ille casus non cadat sub lege , nec sub voto ob rationes assignatas.Eo modo,quo Doctores,apud Bonacinã, *de leg.disp.1.q.1.punct.vlt.n.8* docent,legis obligationem cessare in iis casibus , qui per epiicheiam , seu æquitatem, & prudentiam , non censentur comprehendi in lege , etiamsi verba legis illos comprehendere videantur.] Hucusque Quintanaduenas.

4. Sed his omnibus non assentior, vtpote contra

communem sententiam Doctorum, memor illorum verborum Baldi asserentis, quòd qui loquitur contra omnes, nō benè loquitur. Rectè itaque dixit Texeda *in Theol.mor.to.2.lib.4.tr.1.controu.12.n.91.* Si roges, quid facere teneatur coniux, qui debiti petitione est priuatus ratione affinitatis contractæ per adulteriū & incestum, aut ratione voti castitatis, si grauissimis carnis stimulis sit agitatus, ita vt illos vincere non possit: nam videtur eo casu licitam esse ei debiti petitionem, sicut licitam esse ei, quoties senserit in cōiuge altero incontinentiæ periculum. Dico tamen in nullo casu licitum esse ei debitum petere: & ideò tenetur vti carnis macerationibus, ieiunando, orando, aut disciplinis vires à carne auferendo. Neque est similis ratio de huiusmodi impedito, quoties videt in altera coniuge periculum incontinentiæ; in quo casu licitum est ei ab ea debitum petere: quia tunc illa debiti petitio, non est formaliter petitio, sed redditio, & obligationis solutio; quòd non euenit, quando incestuosus, adulter, aut voto castitatis ligatus ad vincendas carnis tentationes debitum petit. Vnde patet responsio ad argumenta contraria.

5. Hinc infertur, quòd coniux non tenetur reddere debitum viro, lepra, morbo gallico, &c. infecto, etiamsi in grauia peccata carnis labatur, debitum nō reddendo: quia patiens ad superandas tentationes carnis, vt ex Pontio, Coninch, Laymā, & aliis docet Palaus *tom.5.disp.3.punct.4.§.11. n.4.* alia plura remedia adhibere potest, quibus diuina gratia adiutus, illas vincat. Sic & in nostro casu. Ergo, &c.

RESOL. CCXLVI.

An sit probabilis opinio aliquorum asserentium non esse peccatum mortale copulam initam in Ecclesia ab vxoratis absque causa?

Et docetur, quando dicatur Ecclesia polluta ex effusione seminis in illa, & ad hoc quid requiratur?

Pro quibus in textu huius Resolutionis aliqui casus explanantur? Ex part.11.tr.8.& Misc.8.Res.34.

§.1. SVppono copulam absque causa factam in Ecclesia à coniugatis, esse copulam lethalem secundùm communem opinionem Doctorum, quos refert, & sequitur Leander *de Sacr.to.2.tr.9.disp.25. q.30.* difficultas est, an opinio cōtraria sit probabilis? Olim negatiuè respondebat Magister Decius Dominicanus, cui ego obstiti, & tunc adduxi Hurtadum *de matr.disp.10.diffic.4.n.16.* Basilium Pont. *lib.10.c.10. n.13.* & alios penes ipsos, quibus nunc addo Martin. de San Ioseph *in mon.confes.to.1.lib.1.tr.50. de matr. n.2.* vbi sic ait: Probable sentencia es la de los que affirman, que tener copula coniugal en la Iglesia sin necessidad es pecado mortal; dizen, que es sin necessidad el no ser compelidos à habitar mucho tiempo en la Iglesia, v.g. quando estam retraidos, Suarez *3.p. q.83.ar.3.disp.81.sect.4.* Henriq *lib.9.de Missa, c.27. n.5.* & alij plures, quos citat, & sequitur Sanch. *vbi sup.n.12.* Pero mas probable me parece, que no es pecado alguno tener la copula maritar en la Iglesia, aun sin necessidad, porque no esta prohibida por Derecho natural, ni por el Diuino, in Ecclesiastico, ni quando en el *cap. fin. de consecrat.* Ecclesia se determina, que la efusion del semen humano; haze poluta la Iglesia, habla de la copula marital, sino de la fornicaria. Tienenlo assi la *glos. in cap. Ecclesijs, verb. semine, de consecrat. dist.1.* & multi Auctores citati à Sanchez *lib.9.disp.15.n.7.* Hucvsque Martinus

Sup. hoc. quod hîc supponitur in tom.1. tr.7.Resol. 83.§.vlt. Sed lege eam per totam & infra §.vlt. huius Res.

2. Et ideò hanc sententiam nouissimè tanquam probabilem admittit Dicastillus *de Sacr.tom.3.tr.10. disp.9.dub.5.n.57.* dico igitur probabiliter actū coniugalem in loco sacro, aut benedicto, non esse illicitum, nedum sacrilegum, quia in primis non est illicitus iure naturali, nec Diuino, vt patet. Deinde non satis probatur esse illicitum iure Ecclesiastico, nullibi enim reperitur Textus, in quo vel prohibeatur, vel supponatur prohibitus, nam prædictum *cap.fin. de consecr.Eccles.* (qui solus Textus solet adduci) non satis probat: quando enim ibi dicitur, Si Ecclesia, cuiuscunque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta, &c. non constat ibi esse sermonem de effusione etiam coniugali seminis modo naturali, & debito; nam ad eorum verborum veritatem sufficit seminis effusio non coniugalis, & illicita contra castitatem, siue fœminæ sit, siue viri, siue Clerici, siue non Clerici. Idque videtur indicari illis verbis, fuerit pollura, nam cùm alias non constet satis actum coniugalem in Ecclesia esse prohibitum intuitu reuerentiæ Ecclesiæ, nō est cur dicamus eo actu pollui Ecclesiam, maximè cum eodem tenore verborum ibi dicatur Ecclesiam pollui sanguinis effusione, & tamen nō polluitur effusione sanguinis alioquin licitae: ergo sicut non extenditur Ecclesiæ pollutio ad licitam effusionem sanguinis, ita non videtur extendi ad licitam effusionem seminis. Ecclesia ergo iuxta probabilē hūc discursum tantùm polluitur sanguinis, aut seminis effusione illicita, & non coniugali. Et quidem probabilissimum etiam est, non quacunque illicita effusione seminis; sed tantùm publica, id est, quæ constitone à reo facta in iudicio, aut facti euidentia venerit in multorum notitiam, vt contra Paludanum, Antoninū, Rebell. Sanchez, Suar. & alios docent Vasquez *1.2.disp.98.n.6.* Toletus *lib.5.cap.8* Azor. *to.1. lib.10. cap.26.q.13.* Basilius *supra*, & alij Recentiores

